R.^MI P. IOANNIS
A S.^TO THOMA
ORD. PRÆDICATORVM,
DOCTORIS THEOLOGI,

IN COMPLVTENSI ACADEMIA PROFESSORIS PRIMARII,
Supremi fidei Cenſoris, & tandem PHILIPPI IV. Magni Hiſpaniarum
Regis à Confeſſionibus.

CVRSVS THEOLOGICI
In Secundam Secundæ D. Thomæ.
TOMVS VNICVS:

Cum Indice Multiplici Locorum S. Scripturæ, Quæſtionum, Diſputationum, & Articulorum in eo Contentorum.

EDITIO VLTIMA AB INNVMERIS MENDIS EXPVRGATA.



LVGDVNI,
Sumptibus PHILIPPI BORDE, LAVRENTII ARNAVD,
PETRI BORDE, & GVILIELMI BARBIER.
M DC. LXIII.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

[redacted]

CENSVRA R.P. FR. IOANNIS PONCE DE Leon, Ordinis Minimorum, Theologiæ Profeſſoris, Supremi Conſilij Generalis Inquiſitionis Qualificatoris, ac Viſitatoris Bibliothecarum Hiſpaniæ, & Regnorum Catholicæ Maieſtatis.

SVPREMO mihi iubente Senatu, vidi diuerſa Volumina Reuerendiſſimi P. N. M. Fratris IOANNIS de SANCTO THOMA Ordinis Prædicatorum PHILIPPI IV. REGIS CATHOLICI à Sacris Confeſſionibus. Omnia quæ in dictis Voluminibus continentur ſunt quæ ſpectant ad Materiam de Gratia, Iuſtificatione, & Merito, ad Virtutes Theologales; & Myſterium Incarnationis, & ad Septem Sacramenta Eccleſiæ. Omniaque redolent Sapientiam, & Doctrinam huius doctiſſimi Magiſtri, ſine eo quod interſint aliqua digna reprehenſione, nec contra Fidem, nec contra mores; & ita digna eſſe talia Volumina prælo, & æternitate iudico. In Conuentu Sanctæ MARIAE de la VICTORIA, die 13. Menſis Iunij, Anno Domini 1645.

FR. IOANNES PONCE DE LEON.

FACVLTAS REVERENDI A.P.N. Prouincialis.

FR. Didacus Lopez Magiſter, ac Prouinciæ Hiſpaniæ Ordinis Prædicatorum humilis Prior Prouincialis. Tenore præſentium Concedo Tibi Patri Fratri Didaco Ramirez noſtri Conuentus Sanctæ MARIAE de ATOCHA Lectori Theologiæ, Licentiam, & Facultatem typis mandandi Materias Theologiæ, quas Reuerendiſſimus P.M. Fr. IOANNES de SANCTO THOMA, Compluti publicis Lectionibus dictauit, cum in prædicta Complutenſi Vniuerſitate, vtramque Veſpertinam, & Primariam Theologiæ Cathedram moderabatur: eæ ſunt Materia de Gratia, Iuſtificatione, Merito, Fide, Spe, Charitate, Authoritate Papæ, Religione, Voto, Iuramento, Incarnatione, & reliqua ad rotam Tertiam partem pertinentia, quas omnes à R. A. Patribus Magiſtris Fratre Thoma de Buſtamanre Supremæ Inquiſitionis Qualificatore, & noſtri Conuentus Sanctæ MARIAE de ATOCHA Priore; & Fr. Petro Rodriguez Peramato Sancti Officij Inquiſitionis Cenſore, & noſtri Conuentus SANCTI THOMAE Matritenſis Priore (quibus id commiſimus) probatas conſtat. Seruatis tamen, & ſeruandis, quæ iuxta Decreta Concilij Tridentini, aliaſque Regias Sanctiones, & Conſtitutiones noſtras ſeruari oportet. In Nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Datis in noſtro Conuentu Sancti PETRI MARTYRIS Toletani. In quorum fidem his ſubſcripſimus, & ſigillo noſtri Officij muniri fecimus, die 15. Nouembris, Anno 1644.

FR. DIDACVS LOPEZ PRIOR PROVINCIALIS.

De Mandato R. A.P. N. Prouincialis.

FR. ANTONIVS DE GVEVARA, Præſent. & Socius.

Regiſtrat. Fol. 164.

CENSVRA REVERENDI AC SAPIENTISSIMI P. M. Fr. Laurentij de Guzman, Sacræ Theologiæ iam emeriti Profeſſoris, Ordinis Sancti Patris noſtri Auguſtini.

TOmum in 2.2. D. Thom. à Reuerendiſſimo P.N.M. Ioanne de Sancto Thoma ex præclariſſima Dominici P. N. familia, Primarij olim Complutenſis Moderatoris Theologiæ: nec non à Confeſſionibus Philippi Quarti Hiſpaniarum Regis, ex præcepto D. D. Gabrielis de Aldama loco Vicarij Generalis huius Toletanæ Diœceſis, vidi,

vidi, & ſine nota Fidei, non tamen ſine acumine, & profunditate doctrinæ perpendi: totum perenni opus luce mentem Angelicam demonſtrat, Sanctorum doctrinam clariſſimè oſtendit: in lucem ſi hoc volumen venerit, non paucorum deſiderium, flagrabit, editum, vt ex nouis noua oriantur ſplendidiſſima ſydera. Nam ſi crudele fatum ſciſſum proponit vitæ glorioſæ finem ſæculis, non famam, non ſcitum. Typis igitur detur in profectum Scholæ, inque Familiæ Prædicatorum Auguſtiſſimæ amphationem. In Conuentu hoc Regali ſancti Philippi Matritenſis, die 8. Februarij 1649.

FR. LAVRENTIVS DE GVZMAM.

CENSVRA R. P. Fr. IOANNIS PONCE DE LEON, Ordinis Minimorum Sancti Franciſci de Paula, Prædicatoris Catholicæ Maieſtatis, Qualificatoris ſupremi Concilij Sanctæ, ac Generalis Inquiſitionis, & Viſitatoris omnium Bibliothecarum Hiſpaniæ.

SVpremo mihi iubente Senatu ea qua potui diligentia perlegi Librum de tribus virtutibus, cuius Author fuit *Reuerendiſſimus P. M. Fr. Ioannes de Sancto Thoma*, Ordinis Prædicatorum, Philippi IV. Hiſpaniarum Regis à ſacris confeſſionibus, Primarius ſacræ Theologiæ moderator in Complutenſi Academia, ac in Supremo Fidei Conſilio Qualificator ex munere. In quo libro ſummo ingenio, & ſpeciali Dei prouidentia Quæſtiones ad Secundam Secundæ Angelici Doctoris tractatas recognoui, ſtylo quidem hominis diſpoſitas propter ſermonis perſpicuitatem, ſingulari ingenio ſcriptas, propter miram eruditionem, propter rerum profunditatem, & hucuſque inauditam enodationem: in quibus acutiſſimi Doctoris à cineribus ſuſcitatam eius doctrinam gratiſſimè redolent, & peracutè aſpirant. Agnoui in Reuerendiſſimo P. M. nouum Theologorum culmen, benemeritiſſimum Regium confeſſarium, Cathedraticum Primarium inſignem, Qualificatorem prudentiſſimum, ac Religioſum omnibus numeris abſolutum, viuæ vocis oraculum, docentem, verum diſcipulum re, & nomine Angelici Doctoris illuminantem, & præclariſſimæ doctrinæ radiis emicantem, & inter Soles Thomiſticos radiantem, veluti inter ignes Luna minores. Eius ſcripta ex Thoma Thomam aſpirant, eius libri Angelicum prædicant Magiſtrum in dignitate materiæ, in grauitate ſtyli: quia in eis lucet cum principiis Fidei, & Eccleſiæ doctrinæ conformitas inenarrabilis. Opificem huius libri noueram, opus noui, ſed dignoſcere haud poteram verùm ab opifice tanto opus, vel ab opere tanto opifex ipſe amplius commendetur. Enim verò dum mutuum exceſſum ſuſpicabar, mutuo ſibi pro meritis reſpondiſſe abſque neutrius iniuria, imò cum vtriuſque magno lucro definiendum cenſui opus hoc ſanè elaboratiſſimum, ſubtiliſſimum, eruditiſſimum, vtiliſſimum, & poſt tot huius Argumenti editiones adeò per lucidam ſapientiam nouiter, ac nouiſſimè ex veridica Thomiſtarum doctrina ſpargit, vt mirabiliter eructat Thomam ex Thoma.

Multos, ac grauiſſimos Magiſtros ex hac ſacra Prædicatorum illuſtriſſima Familia perlegi, de quibus *Sixtus Senenſis*, *Poſſeuinus*, *& Fernandez*, & alij de quorum notitia multa legi poſſunt apud *Georgium Dantum in Bibliotheca Claſica, litt. T. fol. 625 & 629* Sed relictis aliis libris, quos hæc, Reuerendiſſimo, ac Sapientiſſimo, ſanctiſſimi Patris Dominici Religio in lucem edidit, maximo Catholicæ Eccleſiæ emolumento, nulli huic libro cenceo ſecundum quod innumeros numerem, cum inter hos *Reuerendiſſimus P. Mag. Ioanne de Sancto Thoma* vernat fœliciter, quia vtiliſſimè proficit, præcedunt iſti, ſed non præcellunt, verbis vtar Chryſologi ſic dicentis: *Quod ſicut homo qui cæteris creaturis nobilior poſtremus omnium creatus eſt*, verba ſunt Philonis, ſic interpretatio hæc recens nata ſuper *Secundam Secundæ S. Thom.* Et adhuc in cunis vagiens multos ſuperauit Gigantes ſub virtutum aquis diu gementes, vt ſic adimpletum videatur quod dixit Tertullianus de Carthaginenſibus, *Vetuſtate nobilis, nouitate fœlix. & ita fœlix vt neque à nouitate nouator audiat, neque à vetuſtate veterator.* Et ita cum fatendum ſit ſincerè quod ſenrio inter primos Thomiſtas *noſter Author* ſibi locum vendicat, & niſi Reuerendiſſimum hunc Magiſtrum de facie noſcerem in priuatis colloquiis, in conſultationibus Supremi Conſilij Generalis Inquiſitionis ingenti cum eruditione ſacra dicentem, ac differentem audiuiſſem, & viua vocis energia his conſultationibus nouos ſpiritus, & animam ſpirantem vidiſſem,

S. Chryſol.
Philo.
Tertull.

vidiſſem,parum abeſſet vt crederem has *de Fide,Spe,& Charitate,* Diſputationes, ex of-
ficinis ipſorum ſanctorum Athanaſij,Baſilij,Hylarij, Auguſtini, & Angelici Doctoris im-
mediatè prodidiſſe: adeò iſtarum illorum eſt,quia eorum grauitatem, ſecuritatem,pon-
dus,& artem imitatur mirabiliter.

In hoc Eminentiſſimo,ac *Reuerend.M.*ſcribendi genus illuſtre:ſi orationem conſide-
res ſublimis eſt eius idea:ſi rationem intus loquentem , ac ſententias pondere, opus hoc
argumento magnum,methodo mirabile,in quo Dei ſimul & hominis magnitudini con-
ſulit mirabiliter.Quis vt Reuerend.P.M.:in ſententiarum collectione diligentior?In exa-
minandis rationibus acutior ? In ferenda ſententia ſecurior ? & circa Conciliorum men-
tem,atque ſanctorum Patrum dicta vigilantior? & ſic eius ſcripta, & alia edenda habent
quidquid *S.Hieronymus optabat Epiſt.* 10.*ad Furiam,*dicendo : *Poſt Scripturas ſacras Doctorum* S. Hieron.
hominum tractatus lege eorum dumtaxat quorum fides nota eſt, cum non conueniat aurum in luto
quærere. Et idem Doctor *in Epiſt.ad Latam* , docens quos libros legere,quos cauere debe- S.Hieron.
ret, ait : *Omnia apocrypha ne legas, Cypriani Opuſcula ſemper in manu teneas, Athanaſij Epiſto-*
las , Hylarij libros inoffenſo decurras pede , & illorum tractatibus delectetur ingenium, in quibus Iacob.Greſſe-
pietas Fides non vacillat. Sic Iacobus Greſſerus in tractatu de expurgandis libris lib. 1. *cap.*29. rus.
*fol.*221.

Et vt verum verè fatear, his temporibus tot libri eiuſdem Argumenti prodierunt vt
nihil noui poſſe afferri videatur,in hoc libro non ſolum multa nouiter,ſed quod maius in
ſingulis eius diſputationibus plurima emicant, noua, peculiaria,admirabili eruditione re-
fertа,& ſic hunc librum non ſuperfluum,ſed neceſſarium iudico,quia germana eſt proles
Dominicanæ officinæ, in qua nihil mediocre,omnia prodiere magna, ſic vt de illa videa-
tur dixiſſe *Caſſiodorus* cum tractaſſet de proſapia Deciorum. *Maxima ſerenitatis luminibus* Caſſiodor.
Deciorum ſanguis irradiat , qui tot annis continuis ſimul ſplendet claritate virtutis , & quamuis
rara ſit hæc gloria , non agnoſcitur in tam longo tempore ſtemmate variata ſæculis ſuis produxit
nobilis vena,primarios neſcit,inde aliquid naſci mediocre, tot probati quod geniti,& quod difficile
probauit electa frequentia eſt. Quid aptius Dominicanis Magiſtris,& Doctoribus,& maxi-
mè *Reuerend.M.Fr.Ioanni de Sancto Thoma,*tot eius libri hoc ſæculo cateruatim de genere
Giganteo prodiere, & omnes apud Viros Doctos tanti habiti, quantum copioſè Biblio-
thecæ teſtantur. Et licèt abundantia in ſe ipſa contumelioſa ſit vt *Tertullianus* loquitur, Tertullian. S.
& rerum raritas pretium faciat, vt vult *S.Bernard.* perinde tamen amantur , & æſtiman- Bernard.
tur,ac ſi rari , perinde abundant , ac ſi nihil haberentur , & hoc prouenit , quia eſt nobilis
vena, & ex ea ſcaturiunt Authores primarij , teſtem aduoco Lectorem cum has diſputa-
tiones perluſtrauerit,quia in conſpectu tantorum virorum,& vtilis,& neceſſarius,& ma-
gnus eſt hic Liber, quod S. Ambroſ.in Ioanne Præcurſore demiratur illum non tantum S.Ambroſ.
in ſe,ſed coram Domino extitiſſe magnum.Magnus eſt *Reuerend.P.M.Fr. Ioannes de San-*
*cto Thoma,*non ſolum in ſe,ſed etiam præſtantiſſimis ſuæ Religionis comparatus. Sit eius
ſpecimen eius liber,nam teſte Eccleſiaſtico : *Sapiens in verbis producit ſe ipſum,* Tertulliano Tertullian.
dicente : *Litteræ Vicariæ oris ſunt,* & ſic ſi librum perlegeris, attentè inuenies mirabilem,in
exquirendo germano Sacræ Scripturæ ſenſu,dexteritatem in eligendis opinionibus,acu-
men in alienis confutandis , neruum inconcuſſum , in obſcuriſſimis quæſtionibus diſſol-
uendis , facilitatem cum claritate coniunctam. Denique vt vno verbo ſenſum meum
aperiam , liber hic omnibus eſt numeris abſolutus , ex quo honor ſuæ Prouinciæ Hiſpa-
niæ maximus , quod talem edidit filium, cuius fama Regna omnia peruagabitur : etenim
ſecundum dictamen multorum Patrum,Eccleſiæ Doctoribus,atque Magiſtris illud *Ioſue* Ioſue.
1 applicari poteſt : *Omnem locum quemcunque aſcenderitis veſtigiis pedum veſtrorum vobis da-* Pſalm. 18.
bo. Scriptoribus, illud Pſalm. 18. *In omnem terram exiuit ſonus eorum.* Vbi ad propoſitum
Theodoretus in Ioſue: Diuini Apoſtoli,ac Eccleſiaſtici Doctores,non ſolum obtinuerunt
illa loca . quæ calcauerunt , ſed etiam ea in quibus eorum doctè ſcripta lecta ſunt, & de-
ſertum olim Paradiſum diuinum reddiderunt. Itaque *Reuerend. Patris M.* fama ſua loca
omnia compleuit,& difficultates maximè innodatæ quaſi apertus Paradiſus, & locus de-
liciarum eius induſtria excultus nullo negotio luſtrabuntur , vt ſic reliqua opera tanti
Magiſtri, quæ propter eius mortem in tenebris iacent, lumen aſpiciant. Egregiè namque
nobilis ille Senator Senatui Romano Theodorici nomine ſcripſit : *Huic ergo Patres con-* Theodoric.
ſcripti tantis meritis perlucenti fauete linguis,fauete colloquiis,& plauſu,erit quoque veſtra bene-
uolentia laus,vt cum dignis charitatem impenditis,cæteros ad exemplum incitetis.

Ego verò in maiorem tanti Magiſtri recommendationem , poſt eius lamentabilem
mortem hoc Epitaphium apponam: *Siſte viator,in hoc Tumulo hoſpes iacet,ter Magnus, qua-*
ter Fœlix REVEREND. MAG. FR. IOANNES DE S. THOMA , *Magnus Pietate, Magnus Pru-*

dentia, Doctrina Magnus, Hiſpaniæ Prædicatorum Prouinciæ Maximus, huic Regno Caſtellæ Singularis, huic Sacro, ac Sapientiſſimo Conuentui de Atocha Illuſtriſſimus, quia inter alios talem, ac tantum parturitis Filium, coluit Magiſtrum, & contemplauit Scriptorem mirificè, in quo grauitas morum, maieſtas animi, mentis tranquillitas, in Deum Deiparamque pietas, & vnica ſolidaque immortalitatis cogitatio hominem commendabant ſemper ſe, dum ſexagenarius iam exhibebat Religioni ſacræ Prædicatorum maturam Prudentiam, Eccleſiæ Sanctæ Dei maturam Sapientiam, Philippo IV. Magno & Catholico ſalutaria monita, Conſilio Supremæ Inquiſitionis dogmatica oracula, diſcipulis ex Cathedra ſecurum, ac veridicum paſtum, his ſcriptis, (aliis editis, & edendis) comprobatum, in obſequium Religionis, in recommendationem meæ amicitiæ, in ſignum Fidei, in demonſtrationem gratitudinis. Vtramque facem extinxit immatura mors, ſed poſt vitam ſapientiam & prudentiam, fælix viuit, fælix ſapit, fælix prouidet ſpem beatam, fælix ſurget, immortalis ſurget, immortalitati ſurget.

Et ſic in eius morte grauiori fato turbantur vota multorum, orbantur plurimi ſapientiæ fœtus, dum hunc *Reuerend. Magiſtrum* ſuſtulit immatura mors (proh dolor) mihi enim videtur fas eſt dicere cum Plinio lib. 5. Epiſt. ad Maximum *Acerba ſemper & immatura mors eorum, qui immortale aliquid parant. Nam qui voluptatibus dediti, quaſi in diem viuunt, viuendi cauſas quotidie finiunt: qui verò poſteros cogitant, & memoriam ſui operibus extendunt, his nulla mors non repentina eſt, vt quæ ſemper inchoatum aliquid abrumpat.* Vide quot & quanta, ſiue ſapientiæ, ſiue prudentiæ, aut pietatis opera vnica mortis lex abruperit, cum præclara Theologiæ commentaria edebantur in lucem, cum Theologiæ moralis conſultationes, vel potius oracula, multaque alia pro interpretatione ſacrarum litterarum communi iam vtilitati parabantur. (Quid multa!) Cum tranſitum ad ſacras infulas recuſaſſet, cum egregia longeuæ prudentiæ, iudicij, Conſilij exempla in ſua Sacra Religione demonſtraſſet, omnia vnus *Reuerendiſſimi P. M.* caſus abrupit. O triſte planè acerbumque funus morte ipſa mortis tempus indignius, vt dicit *Plinius Epiſt. 5. ad Marcellinum*. Enim vero ſi diuturna viuendi interualla non luſtris, ſed ſcriptis, non ætate ſed vtilitate publica, computanda ſunt, ſane dolendum eſt magnopere, atque iterum dolendum anguſtam adeò finibus circumſcriptam, eſſe vitam illius, à quo tam ampla ſapientiæ emolumenta ſpectabamus, in quo illud tandem ſolatij reliquum eſt, acerbam ſemper, ſemper immaturam fore illius mortem, licet alia, atque alia luſtra ſuperuixiſſet, vt quæ ſemper inchoatum aliquid abrumperet, neque in poſtrema ſolatij parte ponendum erit, ſed è Magno Authore pauca, aliqua cum dicenda eſſent multa accipias. Quapropter, vt alia omittam, *has Diſputationes in Secundam Secundæ S. Thom.* dignas iudico vt in nouum Theologorum ſplendorem, & Doctorum tutiſſimum aſylum aureis litteris exarentur. Matriti in Conuentu Sanctæ Mariæ de la Victoria, Ordin. Minim. S. Franciſci de Paula, die 10. Febr. Anno Domini 1649.

Plinius.

Plinius.

SVMMA PRIVILEGII REGIS CHRISTIANISSIMI.

LVDOVICVS XIV. Dei gratiâ Galliarum & Nauarræ Rex Chriſtianiſſimus, ſingulari Priuilegio ſanxit, ne quis per vniuerſos Regnorum ſuorum fines, intra nouem annos, à die finitæ Editionis computandos, Imprimat, ſeu typis excudendum curet, & vænale habeat opus, quod inſcribitur. *R. P. Ioannis de Sancto Thoma Ord. Prædicator. Curſus Philoſophicus & Theologicus.* præter Petrum Rigaud Bibliopolam Lugdunenſem, aut illos, quibus ipſemet conceſſerit. Prohibuit inſuper eadem authoritate Regiâ omnibus ſuis ſubditis, idemmet opus extra Regni ſui limites imprimendum curare, vel quempiam, vbicumque fuerit, ad id agendum impellere, ac inſtigare, ſine conſenſu dicti Petri Rigaud. Idque omne ſub confiſcatione Librorum, aliiſque pœnis originali diplomate contra delinquentes expreſſis. Dabatur Pariſiis 12. Martij 1655.

Ex mandato Regis. Signatum, MOREL.

Regiſtré ſur le Liure de la Communauté, le 19. Mars 1655. conformement à l'Arreſt du Parlement du 9. Auril 1653. Signé BALLARD Scindicq.

Ledit Pierre Rigaud a tranſporté ſon droict du ſuſdit Priuilege à Eſtienne Michallet, qui en a fait ceſſion à Philippes Borde & Compagnie, comme apert par les Actes entre-eux paſſez.

Peracta hac Editio die 10. February 1663.

APPROBATIO.

CVrſum tum Theologicum cum Philoſophicum R. Patr. Ioannis à S. Thoma Philippi IV. Magni Hiſpaniarum Regis à confeſſionibus, Ego infraſcriptus Doctor Theologus Pariſienſis accuratè & non ſine magna animi voluptate perlegi, nihilque nec minimum apicem orthodoxæ fidei aduerſantem offendi, imò nihil quod Sanctorum Patrum doctrinam non redoleat. Sed potiſſimum Doctoris Angelici mentem ſic exprimit, vt S. Thomam Aquinatem, in Ioannem à Sancto Thoma ſeu quantum ad profunditatem doctrinæ, ſeu quantum ad perſpicuitatem quodammodo transfuſam exiſtimare cogamur. Quamobrem vt publicæ conſulatur vtilitati, neceſſarium reor in lucem emitti. Lugduni hac die 25. Ian. 1663.

Fr. IOANNES ROBE'.

INDEX

INDEX

Quæſtionum, Diſputationum, & Articulorum huius Tomi, in ſecundam ſecundæ Diui Thomæ.

QVÆSTIO I.

De Fide. pag. 1

SVMMA Textus Diui Thomæ in ſingulis Quæſtionibus. pag. 4

DISPVTATIO I.

De obiecto ſpecificante fidem, eiuſque reſolutione. 6

ARTICVLVS I.

Vtrum obiectum formale fidei ſit veritas prima reuelans. ibid.

ARTICVLVS II.

Quæ ſit reſolutio fidei, & an fiat per diſcurſum 10

Vnde nobis conſtet Deum, hoc aut illud dixiſſe. 11

Qualis diſcurſus interueniat in reſolutione Fidei. 12

Quomodo ad reſolutionem fidei intret propoſitio Eccleſiæ. 13

ARTICVLVS III.

Quodnam ſit obiectum materiale fidei. 14

DISPVTATIO II.

De certitudine, & obſcuritate fidei. 15

ARTICVLVS I.

Vtrùm euidentia obiecti repugnet cum fide in eodem ſubiecto. ibid.

ARTICVLVS II.

Vtrùm fides poſſit ſtare cum euidentia in atteſtante. 22

Soluuntur argumenta. 23

ARTICVLVS III.

Vtrùm euidentia credibilitatis compatiatur cum fide, & eliciatur ab ipſa, an non. 25

Soluuntur argumenta. 29

ARTICVLVS IV.

Vtrùm fidei aliquando poſſit ſubeſſe falſum. 30

An Deus poſſit dicere falſum abſolutè loquendo, ſiue id fiat cum formali mendatio, vel cum malitia volendi decipere, ſiue non. *ibid.*

Soluuntur argumenta. 34

Reſolutio huius dubij ſequenti concluſione declaratur. 40

Soluuntur argumenta. 41

DISPVTATIO III.

De pia affectione voluntatis ad credendũ. 42

ARTICVLVS I.

Vtrùm pia affectio voluntatis concurrat ad ſpecificationem fidei. ibid.

Soluuntur argumenta 43

ARTICVLVS II.

Vtrùm iudicium prærequiſitum ad piam affectionem ſit ſupernaturale. 44

Soluuntur argumenta. 47

ARTICVLVS III.

Vtrùm requiratur aliquis habitus in voluntate ad hanc piam affectionem. ibid.

DISPVTATIO IV.

De obligatione ad credendum. 49

ARTICVLVS I.

Vtrùm fides explicita Chriſti, vel Trinitatis ſit neceſſaria neceſſitate medij. 50

Soluuntur argumenta. 53

ARTICVLVS II.

De neceſſitate præcepti ad credendum. 55

DISPVTATIO V.

De ſubiecto & cauſa Fidei. 57

ARTICVLVS I.

In quibus ſubiectis non inueniatur fides. ibid.

Soluuntur argumenta. 60

ARTICVLVS II.

De cauſa fidei. 61

DISPVTATIO VI.

De reuelationibus priuatis. *ibid.*

ARTICVLVS VLTIMVS.

De effectibus fidei. 63

ARTICVLVS I.

Vtrùm omnes articuli fidei contineantur implicitè in illis duobus credibilibus, Deus eſt, & Inquirentibus ſe remunerator eſt. *ibid.*

Soluuntur argumenta. 64

ARTICVLVS II.

Vtrùm poſt Apoſtolos numerus articulorũ fidei creuerit, taliter quod in aliis fuerit Euangelÿ perfectior notitia, quam in ipſis. 65

dentia, Doctrina Magnus, Hiſpaniæ Prædicatorum Prouinciæ Maximus, huic Regno Caſtellæ Singularis, huic Sacro, ac Sapientiſſimo Conuentui de Atocha Illuſtriſſimus, quia inter alios talem, ac tantum parturiuit Filium, coluit Magiſtrum, & contemplauit Scriptorem mirificè, in quo grauitas morum, maieſtas animi, mentis tranquillitas, in Deum Deiparamque pietas, & vnica ſolidaque immortalitatis cogitatio hominem commendabant ſemper ſe, dum ſexagenarius iam exhibebat Religioni ſacræ Prædicatorum maturam Prudentiam, Eccleſiæ Sanctæ Dei maturam Sapientiam, Philippo IV. Magno & Catholico ſalutaria monita, Conſilio Supremæ Inquiſitionis dogmatica oracula, diſcipulis ex Cathedra ſecurum, ac veridicum paſtum, his ſcriptis, (aliis editis, & edendis) comprobatum, in obſequium Religionis, in recommendationem meæ amicitiæ, in ſignum Fidei, in demonſtrationem gratitudinis. Vtramque facem extinxit immatura mors, ſed poſt vitam ſapientiam & prudentiam, fælix viuit, fælix ſapit, fælix prouidet ſpem beatam, fælix ſurget, immortalis ſurget, immortalitati ſurget.

Et ſic in eius morte grauiori fato turbantur vota multorum, orbantur plurimi ſapientiæ fœtus, dum hunc *Reuerend. Magiſtrum* ſuſtulit immatura mors (proh dolor) mihi enim videtur fas eſt dicere cum Plinio lib. 5. Epiſt. ad Maximum *Acerba ſemper & immatura mors*
Plinius. *eorum, qui immortale aliquid parant. Nam qui voluptatibus dediti, quaſi in diem viuunt, viuendi cauſas quotidie finiunt: qui verò poſteros cogitant, & memoriam ſui operibus extendunt, his nulla mors non repentina eſt, vt quæ ſemper inchoatum aliquid abrumpat.* Vide quot & quanta, ſiue ſapientiæ, ſiue prudentiæ, aut pietatis opera vnica mortis lex abruperit, cum præclara Theologiæ commentaria edebantur in lucem, cum Theologiæ moralis conſultationes, vel potius oracula, multaque alia pro interpretatione ſacrarum litterarum communi iam vtilitati parabantur. (Quid multa?) Cum tranſitum ad ſacras infulas recuſaſſet, cum egregia longevæ prudentiæ, iudicij, Conſilij exempla in ſua Sacra Religione demonſtraſſet, omnia vnus *Reuerendiſſime P. M.* caſus abrupit. O triſte planè acerbumque funus morte
Plinius. ipſa mortis tempus indignius, vt dicit *Plinius Epiſt. 5. ad Marcelinum.* Enim vero ſi diuturna viuendi interualla non luſtris, ſed ſcriptis, non ætate ſed vtilitate publica, computanda ſunt, ſane dolendum eſt magnopere, atque iterum dolendum anguſtam adeò finibus circumſcriptam, eſſe vitam illius, à quo tam ampla ſapientiæ emolumenta ſperabamus, in quo illud tandem ſolatij reliquum eſt, acerbam ſemper, ſemper immaturam fore illius mortem, licet alia, atque alia luſtra ſuperuixiſſet, vt quæ ſemper inchoatum aliquid abrumperet, neque in poſtrema ſolatij parte ponendum erit, ſed è Magno Authore pauca, aliqua cum dicenda eſſent multa accipias. Quapropter, vt alia omittam, *has Diſputationes in Secundam Secundæ S. Thom.* dignas iudico vt in nouum Theologorum ſplendorem, & Doct. tutiſſimum aſylum aureis litteris exarentur. Matriti in Conuentu Sanctæ Mariæ de la Victoria, Ordin. Minim. S. Franciſci de Paula, die 10. Febr. Anno Domini 1649.

SVMMA PRIVILEGII REGIS CHRISTIANISSIMI.

LVDOVICVS XIV. Dei gratiâ Galliarum & Nauarræ Rex Chriſtianiſſimus, ſingulari Priuilegio ſanxit, ne quis per vniuerſos Regnorum ſuorum fines, intra nouem annos, à die finitæ Editionis computandos, imprimat, ſeu typis excudendum curet, & vænale habeat opus, quod inſcribitur. *R. P. Ioannis de Sancto Thoma Ord. Prædicator. Curſus Philoſophicus & Theologicus.* præter Petrum Rigaud Bibliopolam Lugdunenſem, aut illos, quibus ipſemet conceſſerit. Prohibuit inſuper eadem authoritate Regiâ omnibus ſuis ſubditis, idemmet opus extra Regni ſui limites imprimendum curare, vel quempiam, vbicumque fuerit, ad id agendum impellere, ac inſtigare, ſine conſenſu dicti Petri Rigaud. Idque omne ſub confiſcatione Librorum, aliiſque pœnis originali diplomate contra delinquentes expreſſis. Dabatur Pariſiis 12. Martij 1655.

Ex mandato Regis. Signatum, MOREL.

Regiſtré ſur le Liure de la Communauté, le 19. Mars 1655. conformement à l'Arreſt du Parlement du 9. Auril 1653. Signé BALLARD Scindicq.

Ledit Pierre Rigaud a tranſporté ſon droict du ſuſdit Priuilege à Eſtienne Michallet, qui en a fait ceſſion à Philippes Borde & Compagnie, comme apert par les Actes entre-eux paſſez.

Peracta hac Editio die 20. February 1663.

APPROBATIO.

CVrſum tum Theologicum cum Philoſophicum R. Patr. Ioannis à S. Thoma Philippi IV. Magni Hiſpaniarum Regis à confeſſionibus, Ego infraſcriptus Doctor Theologus Pariſienſis accuratè & non ſine magna animi voluptate perlegi, nihilque nec minimum apicem orthodoxæ fidei aduerſantem offendi, imò nihil quod Sanctorum Patrum doctrinam non redoleat. Sed potiſſimum Doctoris Angelici mentem ſic exprimit, vt S. Thomam Aquinatem, in Ioannem à Sancto Thoma ſeu quantum ad profunditatem doctrinæ, ſeu quantum ad perſpicuitatem quodammodo transfuſam exiſtimare cogamur. Quamobrem vt publicæ conſulatur vtilitati, neceſſarium reor in lucem emitti. Lugduni hac die 25. Ian. 1663.

Fr. IOANNES ROBE'.

INDEX

Quæſtionum, Diſputationum, & Articulorum huius Tomi, in ſecundam ſecundæ Diui Thomæ.

QVÆSTIO I.

De Fide. pag. 1

SVMMA Textus Diui Thomæ in ſingulis Quæſtionibus. pag. 4

DISPVTATIO I.

De obiecto ſpecificante fidem, eiuſque reſolutione. 6

ARTICVLVS I.

Vtrum obiectum formale fidei ſit veritas prima reuelans. ibid.

ARTICVLVS II.

Quæ ſit reſolutio fidei, & an fiat per diſcurſum 10

Vnde nobis conſtet Deum, hoc aut illud dixiſſe. 11

Qualis diſcurſus interueniat in reſolutione Fidei. 12

Quomodo ad reſolutionem fidei interet propoſitio Eccleſiæ. 13

ARTICVLVS III.

Quodnam ſit obiectum materiale fidei. 14

DISPVTATIO II.

De certitudine, & obſcuritate fidei. 15

ARTICVLVS I.

Vtrùm euidentia obiecti repugnet cum fide in eodem ſubiecto. ibid.

ARTICVLVS II.

Vtrùm fides poſſit ſtare cum euidentia in atteſtante. 22

Soluuntur argumenta. 23

ARTICVLVS III.

Vtrùm euidentia credibilitatis compatiatur cum fide, & eliciatur ab ipſa, an non. 25

Soluuntur argumenta. 29

ARTICVLVS IV.

Vtrùm fidei aliquando poſſit ſubeſſe falſum. 30

An Deus poſſit dicere falſum abſolutè loquendo, ſiue id fiat cum formali mendatio, vel cum malitia volendi decipere, ſiue non. *ibid.*

Soluuntur argumenta. 34

Reſolutio huius dubij ſequenti concluſione declaratur. 40

Soluuntur argumenta. 41

DISPVTATIO III.

De pia affectione voluntatis ad credendũ. 42

ARTICVLVS I.

Vtrùm pia affectio voluntatis concurrat ad ſpecificationem fidei. ibid.

Soluuntur argumenta 43

ARTICVLVS II.

Vtrùm iudicium præreguiſitum ad piam affectionem ſit ſupernaturale. 44

Soluuntur argumenta. 47

ARTICVLVS III.

Vtrùm requiratur aliquis habitus in voluntate ad hanc piam affectionem. ibid.

DISPVTATIO IV.

De obligatione ad credendum. 49

ARTICVLVS I.

Vtrùm fides explicita Chriſti, vel Trinitatis ſit neceſſaria neceſſitate medij. 50

Soluuntur argumenta. 53

ARTICVLVS II.

De neceſſitate præcepti ad credendum. 55

DISPVTATIO V.

De ſubiecto & cauſa Fidei. 57

ARTICVLVS I.

In quibus ſubiectis non inueniatur fides. ibid.

Soluuntur argumenta. 60

ARTICVLVS II.

De cauſa fidei. 61

DISPVTATIO VI.

De reuelationibus priuatis. *ibid.*

ARTICVLVS VLTIMVS.

De effectibus fidei. 63

ARTICVLVS I.

Vtrùm omnes articuli fidei contineantur implicitè in illis duobus credibilibus, Deus eſt, & Inquirentibus ſe remunerator eſt. *ibid.*

Soluuntur argumenta. 64

ARTICVLVS II.

Vtrùm poſt Apoſtolos numerus articulorũ fidei creuerit, taliter quod in aliis fuerit Euangelij perfectior notitia, quam in ipſis. 65

Soluuntur argumenta. 67

ARTICVLVS III.

An totam cognitionis plenitudinem rerum pertinentium ad fidem acceperint Apoſtoli in die Sancto Pentecoſtes, vel poſtea. 68

Soluuntur argumenta. 69

ARTICVLVS IV.

Vtrùm articuli fidei conuenienter enumerentur. 70

Soluuntur argumenta. 71

ARTICVLVS V.

Explicantur ea quæ docet D. Thom. in art. 9. 72

TRACTATVS

De authoritate ſumi Pontificis. 73

Prœmium. *ibid.*

Sequitur expoſitio Litteræ D.Thom. 75

DISPVTATIO I.

De primatu & inſtitutione ſupremi capitis in Eccleſia, qui eſt Romanus Pontifex. ibid.

ARTICVLVS I.

Vtrùm neceſſe ſit in Eccleſia ponere aliquam ſupremam poteſtatem viſibilem ad proponendum & determinandum res fidei. ibid.

Soluuntur argumenta. 79. aliàs 69

ARTICVLVS II.

Vtrùm hæc poteſtas proponendi, & determinandi res fidei alicui determinatæ perſonæ conceſſa ſit à Chriſto Domino. 86

Soluuntur argumenta. 90

ARTICVLVS III.

Vtrùm poteſtas ſuprema determinandi res fidei ſit tantùm in vero, & legitimo ſucceſſore Petri, Romano Pontifice. 94

Soluuntur argumenta. 99

ARTICVLVS IV.

Oſtenditur ſupremam hanc poteſtatem eſſe in Epiſcopo Vrbis Romæ. 104

DISPVTATIO II.

De his quæ poteſt Eccleſia in perſonam Papæ, vt de electione, depoſitione & certitudine perſonæ electæ. 113

ARTICVLVS I.

Vtrùm poteſtas eligendi Pontificem, & modus eligendi commiſſus ſit Eccleſiæ à Chriſto Domino. 114

Soluuntur argumenta. 116

In quibus reſideat hæc poteſtas ſecundum ſe, ſiue de iure Eccleſiaſtico, ſiue de iure Diuino. 119

ARTICVLVS II.

Vtrũ facta legitima electione Pontificis ſit de fide per ſe primò, vel per ſe ſecundò hanc Perſonam in particulari eſſe Papam. 122

Soluuntur argumenta. 127

ARTICVLVS III.

Vtrùm Papa deponi poſſit ab Eccleſia, ſicut ab eadem eligitur, & in quibus caſibus. 133

De depoſitione Papæ. 137

Soluuntur argumenta. 139

DISPVTATIO IX.

De poteſtate Papæ in Eccleſia quantum ad ea in quibus errare non poteſt. 140

ARTICVLVS I.

Vtrùm in approbatione, & emendatione Scripturæ Canonicæ Papa errare poſſit. ibid.

Soluuntur argumenta. 144

De Æqualitate in Authoritate Librorum Canonicorum. 146

De poteſtate quam habet Pontifex circa editionem, tranſlationem, & correctionem Scripturæ. 147

De editione, qua nunc vtitur Eccleſia. 148

De perpetua Scripturæ continuatione in Eccleſia. 149

Quid præter vulgatam aliæ tranſlationes valeant ad confirmanda dogmata. 150

Quam puritatem habeat modo editio noſtra vulgata. 152

Quam certitudinem habeat correctio iſta facta à Sixto V. & Clemente. 153

ARTICVLVS II.

Vtrùm in Canonizatione & Beatificatione Sanctorum ſummus Pontifex errare poſſit. 155

Quam antiqua ſit in Eccleſia Sanctorum Canonizatio. 156

Quid pertineat ad publicum cultum pro Sanctis Canonizatis. 157

De certitudine Canonizationis. *ibid.*

Quid de Pontifice erga Beatificationem Sanctorum. 159

Quid de cultu fidelium erga Beatificatos. 161

De cultu erga non Beatificatos. 162

ARTICVLVS III.

Vtrùm in ferendis legibus pro vniuerſa Eccleſia, & Religionibus approbandis Pontifex errare poſſit. 163

Soluuntur argumenta. 165

TRACTATVS

De Spe. 167

Ordo materiæ de Spe ſecundum ſuas Quæſtiones. *ibid.*

Explicatio Litteræ D. Tho. per ſuas Quæſtiones. 168

DISPVTATIO X.

De obiecto formali & materiali, & natura Spei Theologicæ. 171

ARTICVLVS I.
Quod ſit obiectum formale Spei Theologicæ. ibid.
Proponuntur & ſoluuntur argumenta. 176
ARTICVLVS II.
Explicatur obiectum materiale Spei Theologicæ. 179
Proponuntur & ſoluuntur argumenta. 181
ARTICVLVS III.
Vtrùm ſpes ſit virtus Theologica & infuſa. 182
Soluuntur argumenta. 186
ARTICVLVS IV.
Vtrùm dari poſſit ſpes acquiſita circa obiectum ſupernaturale. 187
Soluuntur argumenta. 188

DISPVTATIO XI.
De ſubiecto Spei Theologicæ, eiuſque certitudine. 189
ARTICVLVS I.
Vtrùm in Beatis maneat habitus, vel actus Spei Theologicæ. ibid.
Soluuntur argumenta. 191
ARTICVLVS II.
Vtrùm poſſit in Beatis eſſe actus Spei communiter dictæ circa aliquod obiectum creatum. 192
ARTICVLVS III.
Quomodo Spes in viatoribus poſſit eſſe certa. 194

DISPVTATIO XII.
De dono timoris. 197
ARTICVLVS I.
Vtrùm donum Timoris ſit habitus diſtinctus ſecundum ſuam rationem formalem ab habitu Spei, & aliarum virtutum. ibid.
Soluuntur argumenta. 200
ARTICVLVS II.
Quis ſit proprius actus doni timoris. 201

DISPVTATIO XIII.
De deſperatione. 205
ARTICVLVS VNICVS.
Vtrùm facta alicui reuelatione abſoluta de ſua condemnatione poſſit, & teneatur ſperare. ibid.

QVÆSTIO XXIII.
De Charitate. 211
Ordo totius materiæ. ibid.

DISPVTATIO XIV.
De natura & productione virtutis Charitatis. 214
ARTICVLVS I.
Vtrùm Charitas ſit vera, & propria amicitia erga Deum? vbi agitur de obiecto eius formali. ibid.
Soluuntur argumenta. 216
ARTICVLVS II.
Vtrùm in Charitate naturali inueniatur ratio amicitiæ erga Deum. 217
Soluuntur argumenta. 220
ARTICVLVS III.
Vtrùm Charitas ſit vna ſecundum ſpeciem athomam. 221
Soluuntur argumenta. 222
ARTICVLVS IV.
Vtrùm Charitas ſit cæteris virtutibus excellentior, etiam in eſſe naturæ. 224

DISPVTATIO XV.
De augmento Charitatis Phyſico, & meritorio. 227
ARTICVLVS I.
De his quæ hic ſunt ſupponenda, & diſputanda. ibid.
ARTICVLVS II.
Vtrùm actus Charitatis requirantur tanquam diſpoſitiones phyſicæ ad augmentum Charitatis. 229
De ſecundo dubio. 232
Soluuntur argumenta. ibid.
ARTICVLVS III.
Vtrùm actus Charitatis, etiam remiſſi, mereantur augmentum Charitatis, & quomodo. 233
ARTICVLVS IV.
Quando detur augmentum de facto pro actibus remiſſis. 237
Soluuntur argumenta. 240
Sententia Magiſtri Bañez. ibid.
Soluuntur argumenta. 241

DISPVTATIO XVI.
De amiſſione Charitatis, & Gratiæ. 243
ARTICVLVS I.
Vtrùm peccatum mortale non ſolum demeritoriè, ſed phyſicè repugnet Charitati, ita vt in vllo inſtanti ſimul eſſe poſſint. ibid.
Soluuntur argumenta. 246
ARTICVLVS II.
Vtrùm peccatum veniale aliquo modo diminuat habitum Charitatis. 247
Soluuntur argumenta. 248

QVÆSTIO LXIV.
De Homicidio. 249
Explicatio Litteræ D. Thomæ. 250

DISPVTATIO XVII.
De Homicidio. 252
ARTICVLVS I.
Vtrùm liceat alicui occidere ſe ipſum. ibid.
ARTICVLVS II.
An in remedium totius communitatis poſſit Innocens tradi Tyranno. 254

ARTICVLVS III.

An ſit licitum alicui in defenſionem propria vita occidere alium cum moderamine inculpata tutela. 256

Soluuntur argumenta. 259

ARTICVLVS IV.

An liceat priuata perſona in defenſionem vita ſua intendere occiſionem aggreſſoris, tanquam medium ad ſuam defenſionem, aut velle talem occiſionem, ſaltem indirectè, vel per accidens, vel aliquo alio modo. 260

Soluuntur argumenta. 262

ARTICVLVS V.

An propter defenſionem honoris, aut bonorum temporalium poſſit licitè occidere aggreſſorem. 263

ARTICVLVS VI.

An poſſit quis in defenſionem vita proximi, aut bonorum temporalium illius, occidere aggreſſorem. 265

ARTICVLVS VII.

An liceat aliquando praeuenire aggreſſorem ipſum interficiendo. 266

ARTICVLVS VIII.

An percuſſus ab aliquo, ſiue pugno, ſiue alapa poſſit in defenſionem honoris, ipſum repercutere. 267

ARTICVLVS IX.

An quando quis poteſt ſecundum ordinem Iuris recuperare bona ſua temporalia iniuſtè ablata à Latrone, poſſit tamen tunc in defenſionem illorum occidere Latronem. 269

TRACTATVS

De Irregularitate. 270

DISPVTATIO XVIII.

De Natura, & cauſa Irregularitatis. 271

ARTICVLVS I.

Vtrùm Irregularitas ſit cenſura Eccleſiaſtica. ibid.

Soluuntur argumenta. 273

ARTICVLVS II.

Vtrùm Irregularitas qua incurritur propter homicidium, aut propter mutilationem habeat rationem cenſura. 274

Soluuntur argumenta. 275

ARTICVLVS III.

Quid ſit hac Irregularitas homicidij, aut mutilationis. 276

Soluuntur argumenta. ibid.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm Irregularitas ſolo Iure Canonico Eccleſiaſtico ſit introducta. 277

Soluuntur argumenta. 278

DISPVTATIO XIX.

De Irregularitate, quæ incurritur propter homicidium culpabiliter voluntarium. 281

ARTICVLVS I.

Vtrùm homicidium voluntarium illud ſit, quod ſit ex propoſito, & directa intentione occidendi. ibid.

Soluuntur argumenta. 282

ARTICVLVS II.

Vtrùm quando homicidium eſt per ſe ſecundo volitum in ſua cauſa, ſit neceſſarium, quod ipſa cauſa, qua eſt per ſe volita ſit formaliter volita in quantum cauſa ipſius homicidij: An verò ſufficiat, quod illud quod eſt cauſa per ſe illius homicidy ſit per ſe volitum, non tamen vt cauſa. 283

ARTICVLVS III.

Vtrùm omnis concauſa homicidij voluntarij incurrat Irregularitatem prouenientem ex homicidio voluntario. 285

ARTICVLVS IV.

Vtrùm vt quis incurrat Irregularitatem homicidij adhibendo cauſam ad illud ſit neceſſarium, quod de facto homicidium ſubſequatur. 287

Soluuntur argumenta. 288

ARTICVLVS V.

Vtrùm vt quis dans cauſam homicidij incurrat Irregularitatem, ſit neceſſarium, quod homicidium ex vi talis cauſa ſequatur. 289

Soluuntur argumenta. ibid.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm cauſa moralis incurrat Irregularitatem homicidy voluntarij, etiam ſi cauſalitatem ſemel praſtitam impediat de facto ante homicidicium ſubſecutum. 290

DISPVTATIO XX.

De Irregularitate, quæ incurritur ex homicidio voluntario licito, ſiue priuata, ſiue publica authoritate facto. 292

ARTICVLVS I.

Vtrùm qui alterum occidit in defenſionem propria vita contrahat Irregularitatem. ibid.

Soluuntur argumenta. 294

ARTICVLVS II.

Vtrùm Iudices ſaculares proferentes ſententiam ſanguinis morte ſubſecuta maneant irregulares. ibid.

ARTICVLVS III.

Vtrùm aduocati ferentes patrocinium in cauſa ſanguinis incurrant irregularitatem. 298

ARTICVLVS IV.

Vtrùm accuſator in cauſa ſanguinis maneat irregularis ſubſecuta morte, aut mutilatione accuſati. 299

ARTICVLVS V.
Vtrùm ferens teſtimonium in cauſa ſanguinis iuſta ſubſecuto effectu fiat Irregularis. 306.col.2.
ARTICVLVS VI.
Vtrùm quomodolibet concurrentes ad mortem, ſeu mutilationem fiant irregulares. 308.col 2.
ARTICVLVS VII.
Vtrùm laici militantes in bello iuſto, morte aut mutilatione ſubſecuta, maneant Irregulares. 310 col.2
ARTICVLVS VIII.
Vtrùm Clerici Militantes in bello iuſto incurrant Irregularitatem. 311.col.1.

DISPVTATIO XXI.
De Irregularitate quæ contrahitur propter homicidium caſuale. 315.col.1.
ARTICVLVS I.
Vtrùm homicidium caſuale ſubſecutum ex pura omiſſione actionis debitæ inducat Irregularitatem rei omittentis. ibid.
ARTICVLVS II.
Quæ, & quanta debeat eſſe negligentia in omiſſione, ex qua ſequitur homicidium, vt illud inducat Irregularitatem. 319.col.1.
ARTICVLVS III.
Vtrùm qui dat operam rei illicitæ morte ſecuta ſit Irregularis, quamuis omnem adhibeat diligentiam. 321.col.1.
Soluuntur argumenta. 323

DISPVTATIO XXII.
De Irregularitate proueniente ex Mutilatione. 226
ARTICVLVS I.
Vtrùm mutilatio alicuius membri inducat irregularitatem. ibid.
ARTICVLVS II.
Vtrùm qui ſe ipſum mutilat incurrat irregularitatem. 329

DISPVTATIO XXIII.
De irregularitate proueniente ex indebito vſu ſiue actiuo, ſiue paſſiuo Sacramentorum. 332
ARTICVLVS I.
Vtrùm ex iteratione Baptiſmi incurratur irregularitas. ibid.
ARTICVLVS II.
Vtrùm per indebitam ſuſceptionem aliorum Sacramentorum incurratur irregularitas. 336

DISPVTATIO XXIV.
De poteſtate diſpenſandi ſuper irregularitate. 338
ARTICVLVS I.
Vtrùm Epiſcopi habeant poteſtatem diſpenſandi in irregularitate homicidij voluntarij liciti. ibid.
ARTICVLVS II.
Vtrùm Epiſcopi habeant poteſtatem ſecundum ius commune antiquum ante Concilium Tridentinum ad diſpenſandum in irregularitate homicidij voluntarij illiciti occulti. 342
ARTICVLVS III.
Vtrùm virtute priuilegij Bullæ Cruciatæ poſſit quis abſolui ab irregularitate. 348

QVÆSTIO LXXXI.
De Religione. 301

DISPVTATIO XXV.
De Eſſentia, & quidditate Religionis. 303
ARTICVLVS I.
Vtrùm Religio ordinet hominem ſolum ad Deum. ibid.
DVBIVM VNICVM.
Quomodo verificetur quod Religio eſt ad ſolum Deum, cum iniuria creaturæ ſit ſacrilegium contra Religionem. 304
Impugnatur ſententia Vaſquez ex Iure Canonico, & ratione D. Thomæ. 305
Soluuntur argumenta. 308
ARTICVLVS II.
Quid ſit obiectum formale, & materiale virtutis Religionis. 318
ARTICVLVS III.
Vnde ſumatur, & quomodo ſaluetur Religionem eſſe vnam virtutem. 321
Soluuntur argumenta. 325
ARTICVLVS IV.
Vtrùm Religio ſit ſpecialis virtus ab aliis diſtincta. 327
DVBIVM.
Vtrùm actus vnius potentiæ poſſit eſſe elicitine ab habitu exiſtente in alia potentia. ibid.
Soluuntur argumenta. 330
Expenditur ſolutio D. Thom. ad 3. argum. 331
Soluuntur argumenta. 333
ARTICVLVS V.
Vtrùm Religio ſit virtus Theologica, & quomodo virtus Theologica habeat pro obiecto immediato Deum. 335
Soluuntur argumenta. 337
ARTICVLVS VI.
Vtrùm Religio ſit præferenda aliis virtutibus Moralibus. 341
Expenditur prima ratio D. Thomæ. *ibid.*
Expenditur ſecunda ratio D. Thomæ. *ibid.*
Præfertur Religio Iuſtitiæ legali. 342

Præfertur miſericordiæ. 344
Præfertur humilitati. 345
Comparatur Religio pœnitentiæ. *ibid.*
Religio præfertur obedientiæ. 347

ARTICVLVS VII.

Vtrùm Religio habeat aliquem actum exteriorem, ſeu aliquas exteriores caremonias. 348
Vtrùm actus exteriores ſint propriè & elicitiuè virtutis Religionis. 349

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm Religio ſit idem ſanctitati. 351
Quomodo ſanctitas importet munditiam, & firmitatem. 352
In quo conſiſtat ſanctitas. 353
Quibus virtutibus imperet Religio. 355

QVÆSTIO LXXXII.

De deuotione. 357

DISPVTATIO XXVI.

De actu interiori Religionis, qui eſt deuotio. 358

ARTICVLVS I.

Vtrùm deuotio ſit ſpecialis actus. ibid.

ARTICVLVS II.

Vtrùm deuotio ſit actus Religionis. 361

ARTICVLVS III.

De cauſa & effectu deuotionis. 363

QVÆSTIO LXXXIII.

De Oratione. 366

DISPVTATIO XXVII.

De pertinentibus & requiſitis ad Orationem. 367

ARTICVLVS I.

Vtrùm Oratio ſit actus appetitiua virtutis. ibid.

ARTICVLVS II.

Vtrùm conueniens ſit Orare. 374

ARTICVLVS III.

Vtrùm Oratio ſit actus Religionis. 377
Quomodo Oratio, quæ eſt actus intellectus ſit elicitiuè phyſicè ab habitu Religionis exiſtente in voluntate. 378
Quomodo petitioni eſſentialiter conueniat exhibere cultum Deò. 380
Quid de præcepto Orationis. 382
An Oratio ſit neceſſaria neceſſitate medij pro adultis. 383
Oratio, quæ eſt actus Religionis, cadit ſub præcepto Diuino, & naturali. 384
Qui recitat Horas Canonicas quotidie, aut diebus feſtis aſſiſtit Miſſæ, ſatisfacit ſufficienter præcepto Orationis. 385
Quid de animabus Purgatorij. 386

ARTICVLVS IV.

Vtrùm ſolus Deus debeat Orari. ibid.
Soluuntur argumenta. 389
Quomodo ſancti cognoſcant Orationes noſtras quas ad ipſas dirigimus. 391

ARTICVLVS V.

Quænam res ſint quas poſſumus in Oratione petere. 393

ARTICVLVS VI.

Pro quibus perſonis poſſumus licitè Orare. 396

ARTICVLVS VII.

Vtrùm conuenienter Septem petitiones Orationis Dominicæ aſſignentur. 400

ARTICVLVS VIII.

Quibus perſonis conueniat Orare. ibid.

DISPVTATIO XXVIII.

De quidditate, & ſubſtantia Officij Diuini. 401

ARTICVLVS I.

Quid intelligatur nomine Horæ Canonicæ: *& quid illa ſint.* ibid.

ARTICVLVS II.

Quo iure introductum ſit in Eccleſia Diuinum Officium. 404

ARTICVLVS III.

De diſtributione Officij Diuini, & numero Horarum. 405

ARTICVLVS IV.

De Perſonis quæ obligantur ad Officium Diuinum. 407
Vtrùm omnes Clerici, qui ſunt in Sacris Ordinibus obligentur ad recitandum Officium Diuinum, & quo iure. *ibid.*

ARTICVLVS V.

Vtrùm Religioſæ perſonæ teneantur ad recitandas Horas, & quo iure. 408

ARTICVLVS VI.

Vtrùm beneficiarij obligentur ad recitandas Horas Canonicas. 409

ARTICVLVS VII.

Vtrùm Beneficiarius ſit obnoxius reſtitutioni ſi non recitet, & quomodo. 411

QVÆSTIO LXXXVIII.

De voto per quod aliquid Deo promittitur. 414

DISPVTATIO XXIX.

De pertinentibus ad eſſentiam voti. 416

ARTICVLVS I.

Vtrùm ſufficiat ſolum propoſitum voluntatis ad rationem voti. ibid.
Soluuntur argumenta. 417

ARTICVLVS II.

Vtrùm ad votum requiratur neceſſariò propoſitum faciendi rem, quam promiſit vouens. 418
Soluuntur argumenta. 420

ARTI

ARTICVLVS III.

Vtrùm ad votum requiratur deliberatio, & qua ſit ſufficiens, vt votum obliget. ibid.

Soluuntur argumenta. 421

ARTICVLVS IV.

Vtrùm vouere aliquid, quod ſit peccatum veniale, ſit peccatum mortale. 422

Soluuntur argumenta. 423

ARTICVLVS V.

Vtrùm ea qua ſunt neceſſaria ad ſalutem neceſſitate pracepti ſint materia voti. 423

Soluuntur argumenta. 424

ARTICVLVS VI.

Vtrùm votum factum propter malum finem, de re tamen, qua eſt in Conſilio ſit validum. ibid.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm vota facta de his, qua ſunt oppoſita Conſiliis ſint valida. 425

Soluuntur argumenta. 426

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm votum de re leui, verbi gratia de recitanda Oratione Dominica, obliget ſub mortali. 427

Soluuntur argumenta. 428

ARTICVLVS IX.

Vtrùm promiſſio facta homini praſenti, & acceptanti, obliget ſub mortali. 429

Soluuntur argumenta. 430

ARTICVLVS X.

Vtrùm ſit verum, quod ille, qui vouet Religionem in communi, teneatur adire omnes Religiones in particulari, quoaduſque inueniat aliquam in qua recipiatur. 431

ARTICVLVS XI.

Vtrùm ille, qui vouit Religionem, & ex aliqua cauſa non poteſt in illa recipi, teneatur ſeruare caſtitatem. 432

Soluuntur argumenta. 433

ARTICVLVS XII.

Vtrùm votum non nubendi ſit votum caſtitatis, obligetque ad illam. 434

Soluuntur argumenta. *ibid.*

ARTICVLVS XIII.

Vtrùm expediat aliquid vouere. 435

ARTICVLVS XIV.

Vtrùm votum ſit actus Latria, ſiue Religionis. 436

ARTICVLVS XV.

Vtrùm ſolemnizetur votum per ſuſceptionem Sacri Ordinis, vel profeſſionem ad certam regulam. 438

Ioan. à S. Th. in 2. 2. D. Th. Tom. vnic.

ARTICVLVS XVI.

Vtrùm vota emiſſa à Religioſo ſine ſui ſuperioris voluntate ſint valida. 439

Soluuntur argumenta. *ibid.*

ARTICVLVS XVII.

Vtrùm votum emiſſum à filio dum erat ſub poteſtate Patris, poſſit à Patre irritari dum eſt extra curam illius. 440

Soluuntur argumenta. 441

ARTICVLVS XVIII.

Vtrùm poſſit in voto, ſiue abſolutè, ſiue in voto ſolemni continentia fieri diſpenſatio. ibid.

Soluuntur argumenta. 442

ARTICVLVS XIX.

Vtrùm in voto ſolemni Religionis à Monacho emiſſo, poſſit ſummus Pontifex diſpenſare. 443

Soluuntur argumenta. *ibid.*

QVÆSTIO. Expoſitiua ad illa verba.

Ecce mille Argenteos dedi fratri tuo, hoc erit tibi in velamen oculorum ad omnes qui tecum ſunt. Geneſ. 20.

Cur Saram tanto Argenti pondere ad velamen oculorum vti Abimelech voluerit. 446

QVSTIO II. Ad illa verba.

Et concentum cœli quis dormire faciet. Iob. 38.

An ex cœlorum motibus muſicus aliquis ſonus reſultet. 452

QVÆSTIO III. Ad illa verba.

Claſſem quoque fecit Rex Salomon in Aſiongaber, &c. 3. Regum 9.

An Salomon Hiſpanico auro ditior, quàm Palæſtino. 457

QVÆSTIO IV. Moralis.

An Eccleſiaſticum Collegium cenſeatur extinctum, & ad ſacularem Principem redire per defectum omnium, qui de Collegio ſunt. 464

QVÆSTIO V.

Vtrùm in eligenda doctrina forma, ſtatutum, iuſque Academia ſumma authoritatis eſſe debeant. 470

QVÆSTIO VI.

An in damnatorum, ſpiritibus ſit alternatio, & viciſſitudo tormentorum. 477

QVÆSTIO VII.

Vtrùm cicuratio Tauri in D. Marci ſolemniis fieri ſolita ſuperſtitione vacet. 480

INDEX

Locorum Sacræ Scripturæ, quæ in hoc Tomo continentur.

EX TESTAMENTO VETERI.

Ex Geneſi.

*Cap.*2. COGNOVIT ergo Adam vxorem ſuam Euam. p. 443.n.3.

Cap. 3. Vbi eſt Abel frater tuus &c.neſcio Domine.p 31.n.5.

Ibid.Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt.38.n.18.

Sed ſerpens erat callidior cunctis animantibus terræ. p.48.n.7.

Inimicitias ponam inter te & mulierem. p. 483.n.9.

Ipſa conteret caput tuum.462.3.

Cap.4. Omnis qui inuenerit me interficiet me,&c.Nequaquam ita fiet.34.n.1.

Cap. 6. Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum.p.150.n.2.

Cum vi'iſſ:nt Filij Dei filias hominum, &c.448.n.6.

Iſti ſunt Dij tui Iſraël qui te eduxerunt de terra Ægypti. p.482.n.7.

Cap.18.Non riſi,&c. Non eſt ita ſed riſiſti. p.31.n.5.

Cap.19.Suſpice cœlum & numera ſtellas ſi potes,ſic erit ſemen tuum.p.463. n.3.

Cap.20.Dic quod ſoror mea eſt.p.36.n 13.

Ecce mille argenteos dedi fratri tuo, hoc erit tibi in velamen oculorum, &c. pag. 447.n.4 & ſeq.n.5.

Miſit Abimelech Rex Geraræ, & tulit eam.ibid.n 4.

En morieris propter mulierem, quam tuliſti,habet enim virum ibid.

Cap.22. Expectate hic, & cum adorauerimus reuertemur ad vos. 7.n.13.

Per memetipſum iuraui quia feciſti hanc rem benedicam tibi.39.28.

Cap.27. Ego ſum primogenitus tuus Eſau, feci ſicut præcepiſti mihi.35.n.7.

Benedixique ei,& erit benedictus.37.14.

Cap.28. Si Dominus Deus fuerit mecum, &c.418 n 4.

Cap.45. Non auferetur ſceptrum de Iuda, & dux de fœmore eius donec veniat qui mittendus eſt.p.35 n.7.

Ex Exodo.

Cap. 25. Omnia facito ſecundum exemplar, quod monſtratum eſt tibi in monte p 69.n.3.

Cap.32.Proieci aurum in ignem, egreſſuſque eſt hic vitulus.80.n.4.

Recordare Abraham & Iſaac,& Iſraël ſeruorum tuorum.p.382.n.17.

Cap. 33 Loquebatur Dominus ad Moyſen facie ad faciem ſicut ſolet loqui homo ad amicum ſuum.p.216.n.3.

Ex Libro Numerorum.

Cap 4. Quam pulchra tabernacula tua Iacob,& tentoria tua Iſraël p.464 n.1.

Cap. 10. Si exieritis ad bellum contra hoſtes veſtros clangent Sacerdotes vlulantibus tubis,&c.465.n.4.

Cap.12. An non talis ſeruus meus Moyſes, qui in omni domo mea fideliſſimus eſt p.216.n.3.

Cap.23. Quia non credidiſtis mihi non introducetis hos populos,&c.p.9.n.1.

Non eſt Deus quaſi homo vt mentiatur, neque vt filius hominis vt mutetur.p.31. num.6.

Cap 29. Orietur ſtella ex Iacob, & conſurget virga de Iſraël p.465.n.2.

Cap.vlt.Omnes fœminæ accipiant maritos de Tribu ſua.p.152.n.3.

Ex Deuteronomio.

Cap. 1. Locutus eſt Moyſes ad omnem Iſraël trans Iordanem.p.464.n.31.

Cap.9. Aduerſus Aaron quoque vehementer iratus voluit eum conterere Dominus.p.80.n.4.

Cap. 17. Si difficile & ambiguum apud te iudicium eſſe perſpexeris inter ſanguinem & ſanguinem, cauſam & cauſam, lepram, & lepram,&c.p.77.n.8.

Qui ſuperbierit nolens obedire Sacerdotis

dotis imperio,morte morietur. p.77.n. 10 & p.80.n.3.
Eruditium intra portas tuas videris verba variari,&c p 88.n.7.
Cap. 23. Si votum voueris Deo tuo non tardes reddere.p.417.n.2.
Ego occidã, & ego viuere faciã.p.253.n. 5.
Cap. 31. Tollite librum iſtum, & ponite illum in latere Arcæ.p.36.n.12.

Ex lib. Iudicum.

Cap. 5. Aquam petenti,lac dedit,& in phyala Principis obtulit butyrum. p.473.n.8.
Cap. 15. De cœlo dimicatum eſt,ſtellæ manentes in ordine & curſu ſuo , &c. pag. 465.n.4.

Ex 1. *Regum.*

Cap. 2. Non eſt Sanctus, vt eſt Dominus &c p.353.n.1.
Cap. 9. Quia populus non comedit, &c.p. 359.n.2.
Cap. 13. Filius vnius anni erat Saul cum regnare cœpiſſet,&c 36.n.12.
Cap. 15. Samuel non vidit amplius Saulem 39 n 22.
Melior eſt obedientia quàm victima. pag. 342.n 3.

Ex 2. Regum.

Cap. 15. Poſt 40. annos dixit Abſalon ad Regem Dauid.p.154.n.3.
Cap. 33. Spiritus Domini locutus eſt per me.33.n. 11.

Ex 3. *Regum.*

Cap. 9. Claſſem quoq; fecit Rex Salomon in Aſiongaber. p 457.n.3.& p.462.n.23.
Cap. 10. Non erat argentum nec alicuius pretij putabatur in diebus Salomonis, &c.p.457.n 3.
Claſſis Hiram quæ portabat aurum de Ophir,attulit ex Ophir ligna,&c.p.462. num.26.
Cap. 22. Ego decipiam,&c.Ego ero ſpiritus mendax in ore omnium Prophetarum. 34.n.1.
Decipies & præualebis,&c.ibid.
Ire debemus in Ramoth Galaad ad præliandum,an ceſſare? 38.18.
Rex vero Ioſaphat fecerat claſſes in mari. 457 n.3.

Ex 4. *Regum.*

Cap. 3. Cumque caneret pſaltes facta eſt ſuper eum manus Domini. p 455.n 12.
Cap. 8. Ochozias cœpit regnare cum eſſet annorum.22.pag.35.n.5.
Ioram erat 32. annorum cum regnare cœpiſſet,&c.ibid.

Ex 1. *Paralipomenon.*

Cap. 26. Ad auſtrum domus erat ſeniorum concilium.p.80.n.2.

Iſaaritis vero præerat Chonenias , & Filij eius ad opera forinſecus ſuper Iſraël, &c.p.473 n.8.

Ex 2. *Paralipomenon.*

Cap. 2. Credite in Domino Deo veſtro,& ſecuti eritis,&c.p.11.n.3.
Cap. 6. Tu ſolus noſti corda filiorum hominum 391.1.
Cap. 8. In Aſiongaber ad oram maris Rubri in terra Edon claſſis Salomonis cum ſeruis , & nauibus Hiram nauigabat in Ophir.p.457.n.3.
Abijt Salomõ in Aſiõgaber &c.p.463.n.28.
Cap. 9. Naues Regis ibant in Tharſis cum ſeruis Hiram,&c.p.457.n.3.
Cap. In Hieruſalem quoque cõſtituit Ioſaphat Leuitas & Sacerdotes,&c.p.77.n.9.
Vbicumque quæſtio eſt de lege , de mandato oſtendite eis. p.80.n.3.& p.88.n.7 & p.142 n.9.
Cap. 20. Particeps fuit vt facerent naues, quæ irent in Tharſis, &c p.457. n.3. & p.463.n.26.
Cum Cantores Domini cœpiſſent laudes canere,&c p.466.n.4.
Cap. 26. Non eſt tui officij Ozia,vt adoleas incenſum Dñe,ſed Sacerdotũ.p.99.n.19.

Ex 2. *Exdra.*

Cap. 8. Et legerunt in libro legis Dei diſtinctè,& aperte ad intelligendum,& intellexerunt cum legeretur, &c p.142.n.9.
Filij Iſraël quater in die confitebantur , & adorabant Deum.p.404.n.2.

Ex libro Tobiæ.

Cap. 8. Filij quippe Sanctorum ſumus, &c. p.355.n.8.
Cap. 12. Ego obtuli orationem tuam Domino.p.389.n.17.

Ex Lib. Iudith.

Cap. 9. Tu feciſti priora, & illa poſt illa cogitaſti, & hoc factum eſt quod ipſe voluiſti. p.375.n.4.

Ex libro Iob.

Cap. 1. In omnibus his non peccauit Iob, neq; ſtultum aliquid locutus eſt. 35.n.9.
Cap. 5. Voca ſi quis eſt qui tibi reſpõdeat,& ad aliquẽ Sanctorũ conuertere.388.n. 11.
Cap. 7. Peccaui,quid faciam tibi,&c.35.n.5.
Cap. 12. Qui immutat cor Principum & decipit eos,&c. 34 n 1.
Cap. 13. Nunquid Deus indiget noſtro mẽdacio,vt pro illo loquamini dolos? 42.5.
Cap. 14. Siue fuerint filij eius nobiles, ſiue ignobiles non intelligent.p.388.n.15.
Cap. 17. Vbi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat p.479.n.9.
C. 20. Omnis dolor irruet ſuper eũ:vtinã impleatur vẽter eius,vt emittat in eum

ĩram furoris ſui,& pluat ſuper illum bellum ſuum. Fugiet arma ferrea,& irruet in arcum æreum,&c.pag.477.n.2.
Cap. 24. Ad nimium calorem tranſeat ab aquis niuium.p.397.n.5.
Cap. 24. Ad nimium calorem tranſibunt ab aquis niuium ibid.n.12.
Cap.27. Neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea. 35.n.5.
Cap.38. Et concentum cœli quis dormire faciet?p.452.n.1.
Quis eſt iſte inuoluens ſententias ſermonibus imperitis? 36.10.
Cap.39.Leuiter locutus ſum.35.9.
Nunquid rhinoceros vult ſeruire tibi, aut morabitur ad præſepe tuum? Nunquid alligabis rhinocerota ad arandum loco tuo, aut confringet glebas vallium poſt te.p.487.n.23.
Non eſt ſuper terram poteſtas quæ comparetur ei,qui factus eſt & nullum timeret.ibid n.25.
Cap. 41. Reputat quaſi paleas ferrum, & quaſi lignum putridum æs .p.456.numero 13.
Portas vultus eius quis aperiet? Per gyrum dentium eius formido. Quis reuelabit faciem indumenti eius, & medium oris eius quis intrabit?p 478.n.4.
Cap.42.Inſipienter locutus ſum.35.9.
Iob ſeruus meus orabit pro vobis, &c. p. 389.n.19.

Ex lib. Pſalmorum.

Pſalm.2.Apprehendite diſciplinam.p.152.num.9.
10. Non apponat vltra magnificare ſe homo ſuper terram.204.n.14.
18. In omnem terram exiuit ſonus eorum. 151.n.8.
Cæli enarrant gloriam Dei,&c.p.454.n.7.
20. Deſiderium cordis eius tribuiſti ei, & voluntate labiorum eius non fraudaſti eum.p.193.n.4.
28. Vox Domini intercidentis flaminam ignis.pag.479.n.10.
32. Oculi Domini ſuper metuentes eum. pag.199.n.10.
34.Anima autem mea exultabit in Domino,&c.348.n.2.
Quia calix in manu Domini vini meri,plenus mixto.p.479.n.10.
Verumtamẽn fæx eius non eſt exinanita, bibent omnes peccatores terræ. ibidem.
44. Et filiæ Tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis pag.461.n.21.
Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis.p.33.n.11.
47. In ſpiritu vehementi conteres naues Tharſis.458.n.6.
49. Peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras iuſtitias meas.p.476.n.18.
50. Quoniam ſi voluiſſes ſacrificium, &c. pag.345.n 6.
54.Veſpere,& mane & meridie narrabo,& annunciabo,&c.p.406.n.3.
67.Præuenerunt Principes coniuncti pſallentibus in medio iuuencularum tympaniſtriarum.p.453.n.1.
72. Zelaui ſuper iniquos pacem peccatorum videns.344 n.1.
75. Vouete & reddite Domino Deo veſtro.p.427.n.1.
80. Exultate Deo adiutori noſtro, &c. p. 348.n.1.
Erit tempus eorum in ſæcula.ibid.n.9.
Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.p.348.n.2.
Gratiam & gloriam dabit Dominus.p.383. n.2.p.387 n.6.
87. Dominus narrabit in ſcripturis populorum & Principum,&c.68.n.8.
88.Iuraui Dauid ſeruo meo vſque in æternum præparabo ſemen tuum.39.28.
92. Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis.25.n.2.
96.Montes ſicut cera fluxerunt à facie Domini.
Et fecerunt vitulum in Horeb, & adorauerunt ſculptile, & mutauerunt gloriam ſuam in ſimilitudinem vituli comedentis fænum.p.482.n.7.
105.Nolite tangere Chriſtos meos. p.317 n.45.
114. Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo.p.377.n.2.
106. Omnem eſcam abominata eſt anima eorum.p.478.n.5.
115. Ego dixi in exceſſu meo omnis homo mendax.p.81.n.6.
118.Confige timore tuo carnes meas, à iudiciis enim tuis timui.p.199.n.7.& 10.
Super ſenes intellexi.p 67.n.1.
Quia mandatis tuis credidi.p.2 *in ſum.litt.*
Iuraui & ſtatui cuſtodire iudicia iuſtitiæ tuæ.p.423.n.1.
Septies in die laudem dixi tibi.
Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi.p.406.n.3.
Principium verborum tuorum veritas. 33. num.9.
131. Propter Dauid ſeruum tuum non auertas faciem Chriſti tui.p.389.n.17.
144. Fidelis Dominus in omnibus verbis ſuis 33.n.9.

Volun

Voluntatem timentium ſe faciet.p.193.n 4.

146. Laudate Dominum quoniam bonus eſt Pſalmus,&c. 456.n.13

149. Exaltationes Dei in faucibus eorum. p.454.n.7.

Ex lib. Prouerbiorum.

*Cap.*1.Qui me audierit abſq; terrore quieſcet,& abundantia perfruetur,&c p.203. num.8.

Cap. 7. Et ecce occurrit illi mulier ornatu meretricio præparata ad decipiendas animas,&c.p.451.n.17.

*Cap.*11. Vbi humilitas,ibi ſapientia, ſuperbus multa credit ſcire quæ neſcit.p.476. num.20.

Cap. 13. Doctrina bona dabit gratiam.ibid.

*Cap.*14.Teſtis fidelis non mentitur. p.431. num.4.

Cap. 18. Qui reſpondet prius quàm audiat ſtultum ſe eſſe demonſtrat. p.476.n.19.

Cap. 20. Ruina eſt homini deuorare Sanctos,& poſt vota retractare. p.437. n.4.

Ex libro Eccleſiaſtes.

*Cap.*9.Ciuitas parua,& pauci in ea viri,&c. pag.471.n.6.

Mortuj nihil nouerunt amplius.p.388.n.15.

Cap. 11. Qui obſeruat ventum non ſeminat, & qui conſiderat nubes nunquam metet. 394.2.p.422.n.9.

Ex Canticus Canticorum.

*Cap.*2. Oſtende mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis,&c. p.455.n.12.

*Cap.*3. Quæ eſt iſta quæ aſcendit ſicut virgula fumi.p.377.n.4.

*Cap.*4.Sicut vitta coccinea labia tua,& eloquium tuum dulce.p.471.n.3.

Capilli tui ſicut greges caprarum, quæ aſcenderunt de Galaad.p.472.n.4.

Sicut turris Dauid collum tuum,quæ ædificata eſt cum propugnaculis.p.473.n 7.

*Cap.*5. Manus eius tornatiles aureæ plenæ hyacinthis.p.461.n.18.

Cap 8. Ego murus, & vbera mea ſicut turris,ex quo facta ſum coram eo quaſi pacem reperiens.p.473.n.8.

Quæ habitas in hortis amici auſcultant:fac me audire vocem tuam.p.453.n.1.

Ex libro Sapientiæ.

*Cap.*1. Et hoc quod continet omnia ſcientiam habet vocis.p.454.n.7.

Os quod mentitur occidit animam p.431. num 4.

*C.*5. Accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad vltionem inimicorum. Induet pro thorace iuſtitiam,acuet duram iram in lanceam, & pugnabit cum illo orbis terrarum contra inſenſatos&c.pag.479.n.8.

Ex libro Eccleſiaſtici.

*Cap.*1. Timor Domini expellit peccatum. p.199.n.10.

*Cap.*18. Antequam loquaris diſce.476.n.19.

Cap. 22. Supra mortuum plora, defecit enim lux eius,& ſupra fatuum plora,defecit enim ſenſus.p.135.n.9.

*Cap.*24.Ego quaſi tramés aquæ,&c.pag. 345.num.2.

*Cap.*31.Verba ſapientum ſtatera ponderabuntur.p.476 n.22.

*Cap.*32. Audi tacens,& pro reuerentia accedat tibi gratia.476.n.19.

*Cap.*40. Tibiæ, & pſalterium ſuauem faciunt melodiam,& ſuper vtramque lingua ſuauis.ibid.n.22.

Ne abſcondas ſapientiam tuam in decore eius.ibid.n.22.

Cap. 43. Altitudinis firmamentum pulchritudo eius eſt,ſpecies cœli in viſione gloriæ.p.464.n.1.

Ex Prophetia Iſaiæ.

*Cap.*1. Quo mihi multitudinem victimarum veſtrarum?&c.p.344.n.5.

*Cap.*2. Dies Domini ſuper omnem excelſum,& ſuperbum,&c.

Et dies Domini ſuper omnes naues Tharſis.p.458.n.7.

*Cap.*8. Numquid non populus à Deo ſuo requiret pro viuis à mortuis,&c.p.90.n.1.

Cap. 11. Et replebit illum ſpiritu timoris Domini. 199.n.10.

*C.*12. Exulta & lauda habitatio Sion. p.348. num.2.

*Cap.*14.Dominus exercituum decreuit, & quis poterit infirmare? &c.pag.377.n.10.

*Cap.*19. Quare nos errare feciſti Domine de viis tuis?34.n.1.

Confundentur qui operabantur linum pectentes, & retexentes ſubtilia. pap.476. n.22.

*Cap.*22. Poteſtatem autem dabo in manu eius,& dabo clauem domus Dauid ſuper humerum eius.p.96.n.8.

*Cap.*33. Vbi nunc eſt litteratus? Vbi legis verba ponderans? Vbi doctor paruulorum?p.473.n.8.

*Cap.*40. Omnes gentes quaſi non ſint ſic ſunt coram eo,&c.p.204.n.14.

Cap. 41. Annuntiate nobis quæ ventura ſunt, dicemus quia Dij eſtis vos. p. 86. numero 2.

*Cap.*44. Qui dico Cyro, Paſtor meus es.p. 96.n.8.

Cap. 48.Ego Deus tuus docens te vtilia. p. 476.n.21.

*Cap.*53. Nos putauimus eum leproſum,& percuſſum à Deo p.152.n.9.

*C.*59. Ecce non eſt abbreuiata manus Domini vt ſaluare nequeat, &c. p.195. n.3.

*Cap.*63. Abraham neſciuit nos, & Iſraël ignorauit nos. p.388. n.15.

*Cap.*66. Ad quem autem reſpiciam niſi ad pauperculum, & contritũ? &c. p.199. n.10.

Ex Prophetia Ieremiæ.

*Cap.*10. Quis non timebit te, ô Rex gentium, tuum eſt enim decus. p.202. n.3.

*Cap.*20. Seduxiſti me Domine, & ſeductus ſum. 37. n.14.

*Cap.*26. In veritate miſit me Dominus ad vos. p.11. n.1.

*Cap.*31. Hoc erit pactum quod feciam cum domo Iſraël, &c. p.84. n.21.

Ex Threnis.

*Cap.*2. Prophetæ tui viderunt tibi falſa & ſtulta. 69. n.1.

Firmauit dexteram ſuam quaſi hoſtis, & occidit omne quod pulchrum erat viſu. p.104. n.15.

*Cap.*3. In tenebroſis collocauit me quaſi mortuos ſempiternos, circumædificauit me, vt non egrediar; aggrauauit compedem meum, repleuit amaritudinibus, inebriauit me abſinthio, & fregit ad numerum dentes meos, cibauit me cinere, & dixi periit finis meus, & ſpes mea à Domino. p.478. n.5.

Ex Prophetia Ezechielis.

*Cap.*1. Et aſpectus rotarum, & opus earum quaſi viſio maris. p.461. n.18.

*Cap.*14. Si propheta deceptus fuerit ego Dominus decepi eum. 34. n.1.

*Cap.*22. Prophetæ eius liniebant eos abſque temperamento, &c. p.69. n.1.

*Cap.*34. Suſcitabo ſuper eas paſtorem vnum qui paſcat eas, ſeruum meum Dauid, &c p.96 n.8.

*Cap.*33. Fili hominis ſpeculatorem dedi te domui Iſraël, &c. p.142. n.9.

Ex Prophetia Danielis.

*Cap.*3. Neque auferas miſericordiam tuam à nobis propter Abraham dilectum tuum, &c. p.389. n.17.

*Cap.*6. Tribus temporibus in die flectebat genua. p 424. n.2.

Ex Prophetia Oſeæ.

*Cap.*6. Miſericordiam volo, & non ſacrificium. p.342. n. 2. p.344. n.5.

*Cap.*9. Facti ſunt abominabiles ſicut ea quæ dilexerunt. p.352 n.1.

Ex Prophetia Michææ.

*Cap.*6. Numquid placari poteſt Dominus in millibus arietum? &c. p.344 n.5.

Ex Prophetia Aggæi.

*Cap.*2. Hæc dicit Dominus exercituum: interroga Sacerdotes legum. p.142. n.9.

Ex Prophetia Zachariæ.

*Cap.*1. Et reſpondit Angelus Domini, & dixit: Domine exercituum vſquequo tu non miſereberis Ieruſalem? p.389. n.17.

*Cap.*2. Qui vos tangit tangit pupillam oculi mei. p.317. n.45.

Ex Prophetia Malachiæ.

*Cap.*2. Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent de ore eius, &c. p.142. n.9.

Ex Libro 2. Machabæorum.

*Cap.*9. Orabat autem hic ſceleſtus Dominum à quo non eſſet miſericordiam conſecutus. p.345. n.3.

*Cap.*12. Sancta & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare vt à peccatis ſoluantur. 397. n.9.

Cap. vlt. Hic eſt qui multum orat pro populo p.389. n.16.

EX NOVO TESTAMENTO.

Ex Euangelio Matthæi.

*C.*5. Sic luceat lux veſtra coram hominibus vt videant opera veſtra bona. p.320. n.11.

Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam. p 318. n 49.

Orate pro perſequentibus vos. 400. n.21.

*Cap.*6. In oratione nolite multum loqui. p. 402. n.4.

Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus vt videamini ab eis. 320.2.

*Cap.*7. Petite, & accipietis. p.384. n 1. & pag. 404. n.3.

Cap. 9. Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores. 38.18.

Cap. 10. Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis. 33. n 11.

*Cap.*11. Elias iam venit, & ſi vultis recipere ipſe eſt Elias. 37.14.

Tu es qui venturus es, an alium expectamus? p.69. n.2.

*Cap.*16. Quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus, &c. p.9. n.20.

Portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. p.33. n.11.

Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, &c p.94. n, 1. & p.113. n.27.

Tu es Petrus, &c. p.95. n.8. & p.96. n.9. & p.106. n.4.

Cap. 18. Quæcumque alligaueritis ſuper terram erunt ligata, & in cœlo. p.97. n. 14 & p 99. n.11.

*Cap.*19. Quid ergo Moyſes mandauit dare libellum repudij? ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere vxorem. 34 n.3.

Cap. 23. Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi, quæcunque dixerint vobis ſeruate & facite &. n. 9, p. 88. n. 3. & p. 87. 7. & p 133. n. 3.

Nec vocemini Magiſtri, vnus eſt enim Magiſter veſter Chriſtus. p. 92. num. 10.

Cap. 24. Videte ne quis vos ſeducat, multi enim venient in nomine meo dicentes: Ego ſum Chriſtus. p. 143. n. 12.

Si dixerit malus ſeruus in corde ſuo, moram facit Dominus meus, & cœperit percutere conſeruos, &c. p. 164. num. 5.

Cap. 26. Spiritus promptus eſt, caro autem infirma. p. 359. n. 5.

Orate, ne intretis in tentationē. p. 383. n. 2.

Cap. 27. Tunc impletum eſt quod dictum eſt per Hieremiam Prophetam dicentem: Et acceperunt triginta argenteos pretium appreciati, &c. 449. n. 10.

Cap. vlt. Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi. p. 105. n. 3. & p. 113. n. 27.

Ex Euangelio Marci.

Cap. 10 Quod Deus coniunxit homo non ſeparet. p 443. n. 3.

Moyſes permiſit libellum repudij ſcribere. 34. n. 3.

Cap. 16. Prædicate Euangelium omni creaturæ, qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur. p. 52. n. 10. & p. 69. n. 3.

Ex Euangelio Lucæ.

Cap. 1. Factus eſt timor magnus ſuper omnes vicinos eorum. p. 202. n 3.

Exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo p. 348. n. 2

Reſpexit humilitatē ancillę ſuæ. p. 345. n. 2.

Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? p. 436. n. 2.

Sicut tradiderunt nobis qui ab initio ipſi viderunt, & miniſtri fuerunt ſermonis p. 74. & p. 92. n. 10.

Cap 2. Exiit Edictum à Cæſare Auguſto vt deſcriberetur vniuerſus orbis. p. 104. n. 17.

Cap 10. Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes, & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici, nihil vobis nocebit. p. 483. n. 8.

Cap. 11. Væ vobis legis peritis, quia tuliſtis clauem ſcientiæ, ipſi non introiſtis, & eos qui introibant prohibuiſtis. p. 66. num. 9.

Cap. 12. Qui peccauerit in Spiritum ſanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſeculo, neque in futuro. p. 398. num. 11.

Cap. 18. Oportet ſemper orare, & nunquam deficere. 374. n. 1. p. 383. n. 2. & p. 385. n. 6.

Audite quid Iudex iniquitatis dicit: Deus autē non faciet vindictas electorū ſuorū clamantiū ad ſe die, ac nocte? p. 374. n. 1.

Cap. 21. Propter electos breuiabuntur dies illi. p. 113. n. 27.

Cap. 22. Ego rogaui pro te vt non deficiat fides tua. p. 11. n. 4. & p. 74. & p. 88. n. 8. & p. 95. n. 8. & 96. 11. & p. 113. n. 27.

Reges gentium dominantur eorum, vos autem non ſic. p. 104. n. 15.

Qui maior eſt in vobis, fiat ſicut miniſter. ibid. n. 17.

Neceſſe eſt impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in lege Moyſi, & Prophetis, & Pſalmis de me, tunc aperuit illis ſenſum, &c. p. 74. & p. 140. n. 1.

Confirma fratres tuos. p. 11. n. 3.

Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt. p. 32. n. 5. & 86. n. 2.

Ecce Sathan expetiuit vos vt cribraret ſicut triticum. 96. n. 11.

Ex Euangelio Ioannis.

Cap. 1. Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt. p. 215. n. 5.

Vnigenitus qui eſt in ſinu Patris ipſe enarrabit vobis. p. 9. n. 20.

C. 3. Qui credit in eum non iudicatur, qui vero non credit in eum, iam iudicatus eſt, quia non credit in nomine vnigeniti Filij Dei. p. 52. n. 11.

Cap. 4. Scio quia Meſſias venit qui dicitur Chriſtus. p. 51. n. 7.

Venit hora & nunc eſt quando neque in monte hoc neque in Hieroſolymis adorabitis Patrem. p. 349. n. 5.

Cap. 5. Scrutamini Scripturas, & illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me. p. 86. n. 26. & p. 90. n. 1.

Ego teſtimoniū ab homine non accipio, ſed hæc dico vt vos ſalui ſitis. 141. n. 4. 90. n. 1.

Ego habeo teſtimonium maius Ioanne. ib.

Opera quæ dedit mihi Pater vt perficiam ea ipſa teſtimonium perhibent de me. ib.

Cap. 6. Omnis qui audit à Patre, & didicit venit ad me. p. 28. n. 13.

Vos aſcendite ad diem hunc, ego non aſcendam. p. 58. n. 22.

Cap. 7. Nondum erat Spiritus datus, quia Ieſus nondum erat glorificatus. p 68. n. 2.

Si quis voluerit voluntatem eius facere cognoſcet ex doctrina vtrum ex Deo ſit. p. 90 n. 1.

Cap. 10. Si illos dixi Deos ad quos ſermo Dei factus eſt. p. 390. n. 4

Ego ſum Via, Veritas, & Vita. p. 54. n. 8.

Ego ſum oſtium per me ſi quis introierit ſaluabitur. ibid.

Hoc mandatum accepi à Patre. 436. n. 3.

Cap. 11 Hoc autem à ſemetipſo non dixit, ſed cum eſſet Pontifex anni illius prophetauit. p. 80. n. 3.

Cap. 12. Nos ſcimus ex lege quod Chriſtus manet in æternum. 51.n.7.

Qui ſpernit me, & non accipit verba mea habet qui iudicet eum. Sermo quem locutus ſum ille iudicabit eum in nouiſſimo die.p.90.n.1.& 2.

Cap. 14 Sicut mandatum dedit mihi Pater. 120.1.

Creditis in Deum & in me credite p.7.n.6. & 14.n.1.& p.52.n.11.& p. 55.2.

Cap. 15. Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.p.215.n.4.& p.234.n.10.

Vos amici mei eritis ſi feceritis quæ præcipio vobis p.215.n.4.

Vos autem dixi amicos quia omnia quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis.p.215.n.5.p.218.n.7.p.221.n.4.& p.66.n.6.

Si quis diligit me ſermonem meum ſeruabit,& ad eum veniemus,&c.p 215.n.5.

Si non veniſſem, & locutus eis fuiſſem, peccatum non haberent.p.9.n. 20.

Cap. 16. Ille docebit vos omnem veritatem.p.66.n.6.

Cùm venerit Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem. 33.num.9.& p 68.n.2.

Venit hora cum iam non in prouerbiis loquar vobis,ſed palàm de Patre meo annunciabo vobis.ibid.

Ecce nunc palàm loqueris, & prouerbium nullum dicis.ibid.

Si quid petieritis in nomine meo dabit vobis.p.390.n.7.

Cap. 17. Nec pro eis rogo tantum,ſed & pro eis qui credituri ſunt per verbum eorum in me.p.11.n.3.

Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit, vitulus, & leo,& ouis ſimul morabuntur,& puer paruulus minabit eos,&c.p.485.n.19.

Sermo tuus veritas eſt.32.1.

Cap. 20. Simon Ioannis diligis me plus his? p 96.n.11.

Paſce oues meas. ibid.

Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos. p. 97.n.12.& p.104.n.15.

Cap. 21. Paſce oues meas. p.95.n.8. & pag. 106.n.4.

Cap. vlt. Simon Ioannis amas me? paſce oues meas p.96.n.9.

Ex Actibus Apoſtolorum.

Cap. 1. Et cedidit ſors ſuper Matthiam. p. 114.n.2.

Non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta quæ pater poſuit in ſua voluntate.p.68.n.2.

Vos autem baptizabimini Spiritu ſancto non poſt multos hos dies ibid.

Cap. 3. Dixit illis Spiritus ſanctus,ſegregate mihi Paulum & Barnabam ad opus ad quod aſſumpſi eos.p.114.n.2.

C. 4. Non eſt aliud nomen datum ſub cœlo, in quo oporteat nos ſaluos fieri. 50.n.5.

C. 5. Si ex Deo eſt hoc conſilium,aut opus, non poteris diſſoluere illud. p.422.n..8.

Et hic quidem poſſedit agrum ex mercede iniquitatis.p.449.n.8.

Cap. 7. Patres noſtri tranſlati ſunt in Sichem,&c. 35.n.5.

Cap. 11. Audierunt Apoſtoli, & fratres qui erant in Iudæa,&c.p.69.n.1.

Cap. 15. Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis nihil vltra imponere vobis oneris quam hæc neceſſaria.p.11.n.3. & 75.n.1. & p. 78.n.15.& p.88.n.8.

Vos ſcitis quoniã ab antiquis diebus Deus elegit in nobis per os meũ audire gentes verbum Euangelij,& credere. p.11.n.3.

Cap. 16. Cuius Dominus aperuit cor intendere his quæ à Paulo dicebantur. 44. & p.73.

Cap. 17. Deus non in manufactis templis habitat, &c.p.349.n.5.& 7.

Cap. 20. Ego ſcio quoniam intrabunt poſt diſceſſionem meam lupi rapaces,non parcentes gregi, propter quod vigilate. pag. 106.n.5.

In quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei. p 94.n.3. & 97.n.13.& p.106.n.5.

Ex Epiſt. Pauli ad Romanos.

Cap. 1. Inuiſibilia Dei à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur, &c.p.72.n.7.

Quia cum cognouiſſent non ſicut Deum glorificauerunt.ibid.

Tradidit illos Dominus in reprobum ſenſum,&c.34.n.1.

Cap. 2. Omnes peccauerunt,& egent gloria Dei,&c. p.52 n.11.

Cap. 3. Iuſtitia Dei per Fidem Ieſu Chriſti in omnes, & ſuper omnes qui credunt in eum.p.50.n.5.

Cap. 4. Quod non eſt ex Fide, peccatum eſt.p.2.*in ſum.litt.*

Cap. 5. Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem,ſic etiam per vnius iuſtitiam in omnes homines in iuſtificationem vitæ.p.51.n.5.

Spes autem non confundit.p.194.n.1.

C. 8. Ipſe ſpiritus reddit teſtimoniũ ſpiritui noſtro,quod filij Dei ſumus p.84.n.20.

Nos quidem primitias ſpiritus habentes. p.66.n.6.

Spiritus poſtulat pro nobis, &c. p.400.n.1.

Cap. 9. Non omnes qui ex Iſraël ſunt hi ſunt Iſraëlitæ. 37.14.

Spiritus poſtulat pro nobis, &c. pag. 400. num. 1.
Cap. 9. Non omnes qui ex Iſraël ſunt hi ſunt Iſraelitæ. 37. 14.
Voluntati eius quis reſiſtet? p. 377. numero 10.
Cap. 10. Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem. p. 3. *in ſum.*
Cap. 13. Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. p. 85. n. 6.
Nox præceſſit, dies autem appropinquauit. p. 66 n. 5.
Non ſine cauſa gladium portat: Dei enim miniſter eſt vindex in ira ei qui malè agit. 250 in *explic. litt.*
Cap. 15. Quæcumque ſcripta ſunt ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt. pag 90. numero 22.

Ex Epiſtola I. ad Corinthios.

Cap. 1. Id ipſum dicatis omnes, & non ſint vobis ſchiſmata, ſitis autem perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſententia. p. 77. n. 12.
Fidelis Deus per quem vocati eſtis in ſocietatem filij eius p. 218. n. 7.
Cap. 2. Nos autem non accepimus ſpiritum huius mundi, ſed ſpiritum qui ex Deo eſt, &c. p. 84. 20. p. 85. n. 24.
Spiritualis omnia iudicat, & ipſe à nemine iudicatur. ibid.
Cap. 4. Sic nos exiſtimet homo vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei, &c p 164 n. 5.
Iam ſaturati eſtis, iam diuites facti eſtis, &c. p. 38. n 18.
Cap. 7. Qui non ſe continet nubat, melius eſt enim nubere quam vri p 426. num. 1.
Qui matrimonio coniungit virginem ſuam bene facit. p. 426. n. 3.
Cætera cum venero diſponam. 160. 1. D.
Cap. 8. Si quis exiſtimat aliquid ſcire nondum cognouit quemadmodum oporteat eum ſcire. p 476 n 20.
Cap. 9. Dominus ordinauit iis qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuere. p. 413. n. 9.
Quis militat ſuis ſtipendiis vnquam? quis paſcit gregem, & de lacte eius non manducat? ibid.
Hilarem datorem diligit Deus. p. 456. num. 3.
Cap. 10. Vnus panis, & vnum corpus, multi ſumus omnes qui de vno pane, & de vno calice participamus. p. 71. n. 5.
Cap. 11. Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis. p. 66 n. 8.
Vos ipſi iudicate, decet mulierem non velatam orare Deum? &c. pagin. 448. numero 10.
Ideò debet mulier poteſtatem habere ſuprà caput propter Angelos. ibid.
Conuenientibus vobis in Eccleſia. p. 349. num. 6.
Nunquid domos non habetis ad manducandum? &c ibid.
Cap. 12. Alij datur ſermo ſcientiæ, alij Fides in eodem ſpiritu. p. 85 n 23.
Poſuit Deus in Eccleſia primum Apoſtolos, deinde Prophetas p. 102. n. 10.
Omnia in figura contingebant illis. 51. num. 6.
Cap. 13. Cùm venerit quod perfectum eſt euacuabitur quod ex parte eſt. 59. n. 11.
Nunc autem manent Fides, Spes, Charitas, tria hæc, &c. 1. *in ſum. litt.*
Si habuero Fidem ita vt montes transferam, &c p. 2. *in ſum. litt.*
Primam Fidem irritam fecerunt. ibid.
Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate. 15. n. 8.
Quid igitur Apollo, quid verò Paulus? Miniſter eius cui crediditis. pag. 92. num. 10.
Siue prophetiæ euacuabuntur, ſiue linguæ ceſſabunt, ſiue ſcientia deſtruetur. pag. 191. n. 8.
Maior autem horum eſt charitas pag. 224. num. 16.
Si tradidero corpus meum ita vt ardeam, etſi diſtribuero omnes facultates meas, &c. p. 234. n. 10.
Cap. 14. Cùm conuenitis vnuſquiſque veſtrum pſalmum habet, &c. pagin. 405 num. 2.
Mulieres in Eccleſia taceant. pagin. 349. num. 1.
Prophetæ autem duo, aut tres dicant, & cæteri diiudicent, &c. pagin. 62. numer. 4.
Cap. 15. Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur. p. 51. n. 5.

Ex Epiſtola II. ad Corinthios.

Cap. 5. Quamdiu ſumus in corpore peregrinamur à Domino, per Fidem enim ambulamus, & non per ſpeciem p. 17. num. 12.
Cap 13. Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis. pagin. 44. numero 1.
Cap. vlt. Vos metipſos tentate ſi eſtis in Fide, ipſi vos probate. pag. 84. n. 20. & p. 85. n. 23.

Ex Epiſtola ad Galatas.

Cap. 1. Sed licet nos, aut Angelus de cœlo euangelizet vobis præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema ſit. p.91.n.7.

Cap. 2. Deinde poſt annos quatuordecim aſcendi Hieroſolymam cum Barnaba aſſumpto,& Tito,&c.pagin.142. numero 9.

Nos natura Iudæi,& non ex Gentibus peccatores p.355.n.8.

Ne fortè in vacuum curterem, aut cucurriſſem.p.75.n.1.

Cap. 3. Priuſquam quam veniret fides ſub lege cuſtodiebamur incluſi in eam fidem quæ reuelanda erat. pagin. 51. numero 6.

Cap. 5. Fides per dilectionem operatur. 43. 2.

Caro namque concupiſcit aduerſus ſpiritum,& ſpiritus aduerſus carnem.p.253. num. 2.

Ex Epiſtola ad Epheſios.

Cap. 1. Secundum diuitias gratiæ eius quæ ſuperabundauit in nobis in omni ſapientia, & prudentia, vt notum faceret nobis ſacramentum voluntatis ſuæ p. 66.num.6.

Cap. 2. Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum,& Prophetarum. p.11.n. 1.& p.96.n.10.

Cap. 3. Aliis generationibus non eſt agnitum myſterium Chriſti ſicut nunc reuelatum eſt ſanctis Apoſtolis, & Propheris p.66.n.5.

In quo habemus fiduciam, & acceſſum in confidentia per fidem eius p.2.

Cap 4. Vnus Dominus, vna Fides, vnum Baptiſma.p.77.n.12.

Cap. 5. Loquentes vobismetipſis in pſalmis,& hymnis,in Canticis ſpiritualibus, &c.p.405.n.2.

Implemini Spiritu ſancto,&c.pag.456.numero 13.

Ex Epiſt. ad Philippenſes.

Cap. 1. Vobis donatum eſt pro Chriſto vt in eum credatis. pagin. 44. numero 1.

Cap. 2. Oro vt charitas veſtra magis,ac magis abundet. 394.2.

Ex Epiſtola ad Coloſſenſes.

Cap. 2. Nemo vos ſeducat volens in humilitate Angelorum, & religione. pag. 391.1.

Cap. 3. Super omnia Charitatem habete, quæ eſt vinculum perfectionis. p. 224. num. 1.

Ex Epiſtola I. ad Theſſalonicenſes.

Cap. 5. Sine intermiſſione orare.pagin.384. num.1.

Prophetias nolite ſpernere.p.62.n.4.

Ex Epiſtola I. ad Timotheum.

Cap. 1. Circa Fidem naufragauerunt. p.58. num. 5.

Cap. 2. Vnus eſt mediator Dei, & hominum Chriſtus Ieſus. pagin. 388. numero 14.

Vult omnes homines ſaluos fieri. pag. 395.1.

Volo viros orare in omni loco leuantes puras manus.p.349.n.5.

Cap. 3. Eccleſia eſt columna,& firmamentum veritatis p.11. num.4. p.84.n.19.& p.144 n.14.

Omnis Scriptura diuinitus ſpirata vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, &c. p.62.n 5.& p.140.n.1.

Cap. 6. Depoſitum cuſtodi deuitans prophanas vocum nouitates, & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ. pagin.66 numero 9.

Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, &c. 395.1.

Ex Epiſtola II. ad Timotheum.

Cap. 1. Formam habe ſanorum verborum quæ à me audiſti, bonum depoſitum cuſtodi per Spiritum ſanctum qui habitat in nobis.p.66.n.9.

Cap. 3. Omnes qui piè volunt viuere in Chriſto Ieſu perſecutionem patientur. p.318.n.49.

Ex Epiſtola ad Titum.

Cap. 1. Vt potens ſit exhortari in doctrina ſana,& eos qui contradicunt arguere. p. 93 n.13.

Vt conſtituas per ciuitates presbyteros. p. 97.n.13.

Cap. 2. Expectantes beatam Spem, & aduentum gloriæ magni Dei. pag.170.n 1.

Cap. 3. Hæreticum hominem poſt vnam,& ſecundam

ſecundam correptionem deuita, &c. p. 75.n.1.& p.112.n.24.

Ex Epiſtola ad Hebræos.

Cap. 1. Multifariam multiſque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis. p.74.

*Cap.*6.Interpoſuit iuſiurandum vt per duas res immobiles, quibus impoſſibile eſt mentiri Deum, fortiſſimum ſolatium habeamus.p.31.n.6.& 33.n.11.

Qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem, quam ſicut anchoram habemus animæ tutam,ac firmam.p.194.n.1.

Cap. 11. Non ſurrexit Propheta vltra in Iſraël ſicut Moyſes.67.n.1.

Accedentes ad Deum oportet credere quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit ibid pag.14.num.1.pag 16. n.6. p. 50.n.4. & p 55.n.3.

Fides eſt ſubſtantia ſperandarum rerum argumentum non apparentium. p.50. n.1.p.62.n.3.& p 74.

Vnigenitum offerebat qui ſuſceperat repromiſſiones ad quem dictum eſt: In Iſaac vocabitur tibi ſemen, &c.37. numero 14.

Sancti per Fidem vicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam,&c.p.156.n.5.

Henoch Fide tranſlatus eſt,& placuit Deo, ſine Fide enim impoſſibile eſt, placere Deo.p.50.n.3.

Cap. 12.Eſau non inuenit locum pœnitentiæ quamquam eum lacrymis inquiſiſſet eam.p. 148.n.3.

Cap. 13. Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete.p.106.n.5.

Ex Epiſtola Iacobi.

Cap. 1. Poſtulet in Fide nihil hæſitans. pag.2.

*Cap.*4 Deus ſuperbis reſiſtit,humilibus autem dat gratiam p.345.n.2.

Cap. 5. Orate pro inuicem vt ſaluemini. p. 383.n.2.

Ex Epiſtola I. Petri.

Cap. 2. Subiecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum. pagin. 95. numero 6.

Dabo operam, & frequenter habere vos poſt obitum meum, vt horum memoriam faciatis.p.389 n.16.

Superædificamini domus ſpirituales.p.84. n.21.

*Cap.*3.Quarum non ſit extrinſecus capillatura,aut circumdatio auri, &c p.44. numero 2,

*Cap.*5.Paſcite qui in vobis eſt gregem Dei, &c. p.106.n.5.

Salutat vos Eccleſia quæ eſt in Babylone collecta.p.109.n.15.

Ex Epiſtola II. Petri.

Cap. 1. Habetis firmiorem propheticum ſermonem cui benefacitis attendentes. p.11.num.1.& pag.90.num. 1. & p.140. num.1.

Hoc primum intelligentes quod omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit. pag.75. num. 1. & p.140. num.1.

Memores ſitis eorum quæ prædixi verborum à ſanctis Prophetis, & Apoſtolorum veſtrorum. pagin. 140. numero 1.

*Cap.*3. In quibus ſunt quædam difficilia intellectu, &c. pag.34. num.4. & pag.74. & pagin. 88. num 9. & pagin. 141. numero 2.

Ex Epiſtola I. Ioannis.

Cap. 1. Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis noſtris teſtamur, & annunciamus vobis. pagina 74.

*Cap.*2. Si quis venit ad vos,& hanc doctrinam non affert, nolite recipere in domum,&c.p.72.n 1.

Et non neceſſe habetis vt aliquis doceat vos, &c. pag. 84 num.20. & p.85.n.22. p.141.n.4.

Quoniam omne mendacium ex veritate non eſt.p 31 n.6.

Cap. 3. Hoc eſt mandatum eius vt credamus in nomine Filij eius. pagin.55. numero 2.

Cùm apparuerit ſimiles ei erimus. pagin. 179.n.1.

*Cap.*4.Chariſſimi,nolite omni ſpiritui credere,ſed probate ſpiritus ſi ex Deo ſunt. p.78.n.14.

Qui manet in Charitate, in Deo manet.p. 54.n.9.

Omnis qui diligit ex Deo natus eſt, & cognoſcit Deum.p.215.n.3.

In hoc cognoſcimus quoniam in eo manemus,& ipſe in nobis.ibid.

*Cap.*5. Eſt peccatum ad mortem non pro illo dico vt roget quis. pagin. 398. numero 11.

Tres ſunt qui teſtimonium dant in terra &c.p.54.n 9.

Ex,

Ex Apocalypſi.

Cap. 6. Sub Throno ſancti clamant. p.401. num.2.

Cap. 8. Quia data ſunt Angelo incenſa multa,&c.p.377.n.4.

Aſcendit fumus incenſorum de orationibus Sanctorum,&c.p.388.n.11.

Cap. 9. Audiui tanquam vocem tubæ magnæ,&c.p.456.n.15.

Cap. 12. Mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus eius,&c.p.465 n.2.

Cap. 13. Agnus occiſus ab origine mundi. p.50.n.5.

Cap. 14 Et audiui vocem de cœlo tanquam vocem aquarum multarum, &c.456. numero 15.

Cap. 18. Ideò in vna die venient omnes plagæ eius, mors, luctus, & fames, & igne comburetur.p.477.n.2.

Cap. 19. Audiui quaſi vocem turbarum multarum in cœlo dicentium, Alleluia, &c.p.454.n.7.

Cap. 20. Et lucerna eius eſt Agnus. p.391. num.2.

Cap. 22. Qui iuſtus eſt iuſtificetur adhuc, & Sanctus ſanctificetur adhuc. p.394. num.2.

SECVNDÆ SECVNDÆ DIVI THOMÆ.

QVÆSTIO PRIMA. DE FIDE.

CVM *D.Paulus ad Heb.* 11.Fidem definiens dixerit, *eſt ſperandarum rerum ſubſtantia, &c.*& nomine *ſubſtantiæ* idem intelligat atque baſim,& fundamentum totius ſupernaturalis ædificij, ſicut in naturalibus prima ſubſtantia omnibus ſubſtat accidentibus, optime in hac *Secunda ſecunda*, vbi de Virtutibus, & Vitiis in particulari ſermonem inſtituit *Sanct.Thom.*à Fide ſupernaturali exordium ſumit, debet enim à primò fundamento recta veri Chriſtiani ſtructura incipere, præcipuè cum fides finem noſtrum manifeſtet, quod in agibilibus rationem habet principij, vt tradit idem *D.Thom.*1.2. *Quæſt.* 34.*art.*4.*ad primum.*

Obſtare autem ſtatim huic determinationi videtur quod *Ariſtotel.* ſæpè ab imperfectioribus initium ſumendum eſſe decreuit; conſtat autem fidem omnibus eſſe Virtutibus præſtantiorem, vna ſola Charitate excepta, teſte *D.Paulo* 1.*ad Corinth.*13. dicente: *Nunc autem manent fides, ſpes, Charitas tria hæc, maior autem horum eſt Charitas.* Non ergo à fide erat incipiendum. Sed facile ad hoc Reſpondetur maximam illam *Ariſt.* intelligendam eſſe quando ſpecialis ratio non cogit ad oppoſitum, vt in præſenti. Quod & feciſſe ipſum *Ariſt.* ſæpè, conſtat præcipuè in Ethicis, vbi à fine incepit dicens: *Bonum eſt quod omnia appetunt*,& poſteà de virtutibus quæ media ſunt ad talem finem. Item ipſe *Ariſt.* acturus de triplici anima, intellectiua, ſenſitiua, & vegetatiua, ab intellectiua quæ principalior eſt ſermonem inſtituit. *Et* 2. *de Anima Tractatu de quinque ſenſibus* incipiens, à ſenſu viſus exordium ſumpſit, qui tamen præcipuus inter omnes eſt, vt teſtatur 1. *Metaphyſica*,& ad ſcientiam aptiſſimus.

Quia verò *Ariſt.* præcepit 1. *Poſt text.* 20. quod prius præſupponatur nomen rei de qua diſſeritur, operæ pretium erit quod nomen *fides* ſignificet inueſtigare. De qua re mirum eſt quam multiplices acceptiones huius nominis authores tradant. Alij duas alij quinque, alij decem, alij verò plures, & pauciores. Nos verò vt clariori modo procedamus dicimus fidem poſſe ſumi prout pertinet ad voluntatem,& prout pertinet ad intellectum, quatenùs pertinet ad voluntatem ſolet dupliciter vſurpari, *vno modo* prout ſignificat idem quod *fidelitas*, quæ eſt virtus moralis,& ſolet vocari *veritas*, de qua egit *Sanct.Thom* infra *Quæſt.*109.à verbo *fieri*, quaſi fiat quod dicitur, aut permitti-

tur, vt notauit *Sanct. Auguſt. in Epiſt. 9. ad Hieron.* Vnde fides in acceptione iſta à *Cicerone lib. 1. de Officiis* definitur ſic *fides eſt dictorum, conuentorumque ſubſtantia, & veritas;* & de illa intelligitur illud *D. Pauli ad Roman. 3 Nunquid incredulitas illorum fidem Dei euacuauit?* id eſt, conſtantiam, & veritatem Diuinam in adimplendis promiſſis, Quare Reſpondet *Abſit*, eſt autem Deus verax. Et vſus huius nominis frequentiſſimus eſt in ſacra ſcriptura in hac acceptione.

Secundò hoc nomen *fides* prout ad voluntatem pertinet ſignificat *fiduciam* à verbo *fidere*, de qua fiducia agit *Sanct. Thom.* infrà *Quæſt. 129. art. 6.* & dicit quod *fiducia eſt quædam forma, & roborata ſpes.* Non me latet quod *Magiſt., oto lib 2 de Natura & Gratia cap 6.* in odium Hæreticorum negat quod hoc nomen *fides* accipiatur pro *fiducia* in ſacris litteris, eo quod Hæretici taliter extollebant fiduciam iſtam, vt aſſeuerarent illam ſolam ad iuſtificationem ſufficere; quem errorem damnat *Concilium Tridentinum ſeſſio. 6 cap 9. & 12.* Sed tamen quamuis multoties reperiatur in Sacra Scriptura diſtinctio inter fidem, & iſtam fiduciam, vt patet ex illo ad Epheſ. 3. *In quo habemus fiduciam, & acceſſum in confidentia per fidem eius*, tamen negari non poteſt quod aliquando accipiatur *fides* pro *Fiducia*, ſic enim interpretari ſolet illud Iacobi 1. vbi de eo qui erat dubius dicitur: *Poſtulet in fide nihil haſitans, vel in fiducia.* Et 1. ad Corinth. 13. *ſi habuero fidem ita vt montes transferam, &c.* Nonnulli etiam volunt quod accipiatur fides pro obedientia, iuxta illud Pſalm. 118. *Quia mandatis tuis credidi*, id eſt obediui. Sed tamen in his acceptionibus non agimus in præſenti de fide.

Fides autem prout ad intellectum pertinet, etiam multipliciter vſurpatur, *primo* pro *Promiſſione*, quæ ad intellectum pertinet, ſicut & votum, vt affirmat *D. Thom* infrà *Quæſt. 88. artic. 1. in corpore*, & in hoc ſenſu intelligitur illud Pauli 1 ad Corinth. 3. *Primam fidem irritam fecerunt*, quod exponens *D. Auguſtin* in Pſalm 75 ait: *Quid eſt* (inquit) *primam fidem irritam fecerunt, vouerunt, & non reddiderunt*, quod vulgo dicitur: *Non cumplieron ſu palabra. Secundo modo* accipitur pro dictamine rationis, aut conſcientia, qua ratione, tam in iure Canonico quàm ciuili dicitur aliquis poſſeſſor bonæ, vel malæ fidei, & in iſta acceptione intelligitur illud D. Pauli ad Roman. 4. *Quod non eſt ex fide peccatum eſt*, iuxta expoſitionem gloſſæ interlinealis ibidem, ac ſi diceret, Quandoquis facit contra conſcientiam, peccatum eſt. *Tertio* autem magis in particulari accipitur *fides* pro aſſenſu, aut iudicio intellectus, quo quis credit quod non videt innitendo authoritati dicentis. Et ſic fides accepta diuiditur in Humanam, & Diuinam, quia poſſumus credere quod non videmus innitendo authoritati humanæ, & hæc dicitur *fides humana*, aut innitendo authoritati diuinæ, & hæc dicitur *fides diuina*, de qua in præſenti eſt ſermo. Differentia autem inter vtranique fidem eſt, quod fides humana fallibilis eſt, vt pote quia teſtimonium humanum fallibile eſt, quia & falli, & fallere poſſunt Fides autem diuina eſt infallibilis eo quod teſtimonio diuino innititur, quod nec falli, nec fallere poteſt, cum ſit ſumma ſapientia, & ſumma veritas. Etſi tandem aduertendum quod fides iſta diuina, de qua hic agimus aliquando accipitur pro obiecto ipſo quod creditur, ſicut ab Athanaſio in illis verbis: *Hæc eſt fides Catholica, quam niſi quiſque fideliter firmiterque crediderit.* Aliquando autem accipitur diuina fides pro aſſenſu, aut pro habitu inclinante ad aſſenſum, qui explicandi ſunt per obiectum eorum de quo in initio *Diu. Thom.* ſermonem inſtituit

ORDO

ORDO
HVIVS MATERIÆ, ET ALIARVM QVÆ
TRACTANTVR IN HAC SECVNDA SECVNDÆ.

EGIMVS In tractatu generali de connexione omnium partium ſummæ *Diu. Thom.* Et quod attinet ad iſtum de fide quatuor inuenimus tractari à *Diu. Thom.* in præſenti de hac virtute, tractat *Diu. Thom.* de fide *primò* de ipſa fide per ſeptem quæſtiones. *Secundo* de dono intellectus, & ſcientiæ, quæ correſpondent fidei, *quæſt.* 8. *&* 9 *Tertiò* de vitiis oppoſitis ipſi fidei, & actui exteriori confeſſionis eius, & donis ei correſpondentibus, vſque ad *quæſt.* 15. *Quartò*. & vltimo de præceptis fidei, *Quæſt.* 16.

In præſenti ſolum agimus de his, quæ pertinent ad partem ſpeculatiuam huius virtutis, & prioribus ſeptem quæſtionibus continentur. In tradenda autem, & explicanda hac virtute ſummo, & ſcientifico ordine proceſſit *D. Thom.* à cauſis videlicet ad effectus, & ita primo conſiderauit omnes cauſas fidei vſque ad *quæſt.* 6. deinde effectus eius *quæſt.* 7. cum autem ſint quatuor cauſæ, finalis, & formalis, materialis, & efficiens, per omnes illas diſcurrit *D Thom.* in explicanda ratione fidei nam de finali & formali ſpecificante, agit *q.* 1. in fide enim (cum ſit virtus Theologica) coincidunt obiectum ſpecificans, & finis vltimus, habet enim pro obiecto immediato ſpecificante Deum in ſe, ſeu veritatem primam, qui tamen reſpectu aliarum virtutum non theologalium non eſt obiectum, ſed ſolum finis vltimus. Conſiderato autem obiecto ſpecificante, neceſſe fuit conſiderare rem ſpecificatam; correſpondens enim ſibi ſpecificans, & ſpecificatum, ab obiecto autem ſpecificatur primo actus, deinde habitus, & ideo *D. Thom.* agit de actu fidei, *quæſt.* 2. *&* 3. eo quod eſt duplex actus fidei, ſcilicet interior, qui eſt *credere*, & exterior, qui eſt *confiteri fidem*, iuxta illud Roman. 10. *Corde creditur ad iuſtitium, ore autem confeſſio fit ad ſalutem*. deinde verò *quæſt.* 4. agit de ipſo habitu fidei, qui ſpecificatur ab actu, & obiecto ; & ſic manet conſiderata cauſa formalis ſpecificans, & res ab illa ſpecificata, ſcilicet actus tàm interior, quam exterior, & habitus. Poſt cauſam autem formalem, quæ etiam finalis eſt (vt diximus) ſequitur agere de cauſa materiali, & efficienti, & prior eſt cauſa materialis, quia magis coniuncta, & intima ipſi fidei, vtpote cum ſit ſubiectum inhæſionis, & ita agit *quæſt.* 5. de ſubiecto fidei, *quæſt. autem* 6. de cauſa efficiente, ſeu infundente fidem Explicatis autem cauſis à quibus pendet tota quidditas fidei, agit de eius effectibus, non quidem qui ſunt actus eliciti, de his enim egerat *quæſt.* 2. *&* 3. Sed de imperatis, qui reducuntur ad duos, ſcilicet ad *Timorem*, & *Purificationem cordis*, de quibus agit *quæſt.* 7.

SVMMA TEXTVS
DIVI THOMÆ,
IN
SINGVLIS QVÆSTIONIBVS.

IN *Prima Quæſtione*, non diſputat *D. Thom.* de ipſa Fide, quoad an eſt, ſed abſolutè incipit tractare de Obiecto Fidei, quia dari Fidem, & virtutes Theologicas, quod pertinet ad an eſt, ſupponitur tractatum, & explicatum in *Quæſt.* 62. 1. 2. vbi hoc latè tractatum inuenies

Eſt autem formalis ratio ſpecificata Fidei *Veritas diuina reuelans*, vt explicat *art. 1. D. Thom.* & Nos infrà dicemus. Ex illa autem oriuntur quatuor conditiones requiſitæ ad obiectum Fidei, quas in reliquis Articulis explicat *D. Thom.* duæ tenent ſe ex parte ipſius Veritatis diuinæ; duæ ex parte Reuelationis, ſicut diſtinxit *Sanct. Doct. in art. 6. ad* 1. ex eo enim quod veritas diuina eſt conſequitur *primò*, & requiritur neceſſario, quod in ſe ſimpliciſſima ſit, licet à nobis complexè attingatur, & ideo in *art.* 2. determinat D. Thom. hoc *Obiectum Fidei eſſe ſimplex in ſe, licet complexum quoad nos Secundò* ſequitur quod ſit Veritas infallibilis, cui falſum ſubeſſe non poteſt, & ideò *artic.* 3. determinat, *Quod Fidei non poteſt ſubeſſe falſum.*

Similiter ſequuntur aliæ duæ conditiones, ex eo quod illa veritas ſit reuelans nobis. *Prima eſt*, quod obiectum ſic reuelatum non poſſit eſſe viſum, neque ſcitum à nobis, quia cum ratio formalis ſit reuelatio teſtificans non manet intrinſeca in ipſo obiecto, neque per intrinſeca principia illud manifeſtat, quia cum ſit *Authoritas Dicentis* non poteſt reddere obiectum intrinſece euidens, vel per propria, & intrinſeca principia, & ideo *art.* 4. *&* 5. determinat D. Thom. quod *Obiectum Fidei debet eſſe non viſum, & non ſcitum.* Ex quo vlterius ſequitur quod cum ea quæ non videntur difficilia intellectui appareant, vbi occurrit ſpecialis difficultas in obiectis credibilibus orta ex obſcuritate rei non viſæ, ſpeciales etiam Articuli Fidei diſtinguuntur, & ideo ex neceſſitate diſtinguendi Articulos Fidei agit *art.* 6. & de eorum incremento, numero, ac diſpoſitione agit *art.* 7. 8. *&* 9.

Secunda *conditio requiſita*, ſeu conſequuta ad reuelationem prout nobis fit eſt applicatio eius ad nos, ſicut in calore, verbi gratia applicatio ad lignum non eſt ratio formalis agendi, ſed conditio; reuelatio autem diuina primis Fundatoribus fidei applicata fuit immediatè per loquutionē Dei, *qui loquutus eſt olim Patribus in Prophetis, & nouiſſimè loquutus eſt in filio*, ad Hebr. 1. Nobis autem non applicat Deus fidem loquendo immediatè per ſe ipſum, ſed proponit res fidei per Eccleſiam tamquam per organum loquutionis ſuæ, & hæc dicitur ab Apoſtolo, *Columna, & firmamentum veritatis*, 1 ad Timoth. 3. cuius caput eſt Summus Pontifex ad quem pertinet confirmare in fide, & ordinare ea, quæ credenda ſunt, & de hoc agit *Artic.* 10.

In *Quæſt.* 2. incipit agere *D. Thom.* de rebus ſpecificatis per obiectum ſpecificatiuum Fidei, & *primò* occurrit actus ſpecificatus, deinde habitus; & primo agit de actu interiori, qui eſt *credere*, Deinde de exteriori, qui eſt *Confiteri Fidem*, circa interiorem conſiderat tria. *Primò* quidditatiuam rationem actus credendi. *Secundò* obiecta materialia ad quæ ſe extendit. *Tertiò* proprietates, ſeu accidentia talis actus. Et quantum ad primum explicat in primo articulo definitionem actus credendi, quæ eſt *cum aſſenſu cogitare*, & ita ex parte aſſenſus importat firmitatem, & quietem, & ex parte cogitationis fluctuationem, & motum quia ille qui non videt, nec conuincitur ab obiecto, quaſi fluctuat, & non quietatur, vnde indiget affectu voluntatis inclinante ad aſſenſum, & ex illa habet determinatam adhæſionem, & firmitatem. Ex quo ſequitur, vt docet *art.* 2. Quod actus Fidei habeat triplicem reſpectum, ſcilicet, credendi Deum, tamquam rem creditam, & obiectum materiale primarium; credendi Deo tamquam dicenti, quæ eſt ratio formalis credendi; & denique credendi in Deum, tamquam in finem ad quem mouetur ex inclinatione voluntatis faciente adhærere illi.

Secundum *verò*, Quod conſiderat in actu Fidei, ſcilicet obiecta ad quæ ſe extendit, conſiderat *D. Thom.* quantum ad duo, ſcilicet, quantum ad ipſa obiecta in ſe, & quantum ad modum tendendi in illa, obiecta enim quæ attingit Fides non ſolum ſunt res ſupernaturales, vt Myſterium Trinitatis,

tis, & Incarnationis, ſed etiam plura naturalia, quæ de Deo creduntur, vt Deum eſſe Creatorem, Sapientem, Omnipotentem, &c. & hoc oſtendit *art.* 3. & 4. Modus autem attingendi hæc obiecta ſumitur penes implicitum, & explicitum, diſtinctum, vel confuſum modum credendi & ſic oſtendit in primis *D. Thom.* teneri Omnes ad credendum aliqua obiecta fidei explicitè, & diſtinctè *art.* 5. non tamen æqualiter teneri omnes ad fidem explicitam de omnibus rebus fidei, vt oſtendit *art.* 6. eſſe tamen neceſſarium ad ſalutem credere Myſterium Incarnationis, & Trinitatis *art.* 7. & 8.

Tertium *Denique*, ſcilicet accidentales proprietates, ſeu conditiones actus Fidei tractat *art.* 9. & 10. oſtendens quod actus fidei poſſit eſſe meritorius procedendo ex motione Gratiæ, & quod hoc meritum non diminuitur ex rationibus inductiuis ad credendum.

In *Quæſtione tertia* agit *D. Thom.* de exteriori actu fidei, & tractat duo. *Primum*, quod eſt actus elicitus à fide, licèt fiat mediante organo corporeo linguæ. *Secundò* quod eſt neceſſarius ad ſalutem quando conducit ad honorem Dei, vel eccleſiæ neceſſitatem, aut proximi vtilitatem.

In *Quæſt. quarta* agit *D. Thom.* de habitu fidei, qui etiam ſpecificatur ab obiecto, ſicut actus; & in eius conſideratione procedit *D. Thom.* hoc ordine, quod primò proponit diffinitionem ipſam fidei, Deinde explicat eius quidditatem per ſingulas partes, ſeu prædicata, incipiens à genere remoto, explicando genus proximum, & *Tertiò* differentiam illius. Igitur definitionem fidei explicat *art.* 1. ſcilicet, quod ſit *Habitus, quo inchoatur in nobis vita æterna, faciens intellectum aſſentiri non apparentibus*: Quod alius verbis tradit Apoſt. ad Hebr. 11 *Fides eſt ſubſtantia* (vel fundamentum, & inchoatio) *ſperandarum rerum, argumentum non apparentium.*

Secundo *explicat genus remotum* huius virtutis, *art.* 2. 3. & 4. in quibus oſtendit, quod fides eſt habitus intellectus non abſolutè prout conuincitur ab obiecto ex euidentia illius, ſed vt mouetur ab inclinatione voluntatis, & ideo charitas eſt forma fidei quatenus imperat, & dirigit illam; ſed quia non eſt forma informans, ſed mouens extrinſecè poteſt manere eadem fides formata, & informis: genus autem proximum eſt, quod iſte habitus ſit Virtus ex ſua propria ſpecie, licet non ſemper habeat ſtatum virtutis perfectæ, quia aliquando fides eſt informis, & hoc determinat *art.* 5. Quod verò ſit vna virtus vnitate ſpecifica ex obiecto, & vnitate indiuiduali ex ſubiecto, determinat, *art.* 6.

Tertio *explicat* differentiam fidei in comparatione ad alias virtutes, tùm quia fides eſt ſimpliciter prima inter omnes, quia attingit vltimum finem ex parte cognitionis, & hoc tractat *art.* 7. Tum quia virtutes intellectuales naturales ſuperat in certitudine, & hoc oſtendit *art.* 8.

In *Quæſt. Quinta agit S. Doct.* de cauſa materiali, ſeu ſubiecto fidei, & primò explicat in quibus ſubiectis fuerit, Deinde à quibus excludatur. De ſubiecto in quo ſit fides agit *art.* 1. oſtendens quod tam homo, quam Angelus in ſtatu viæ habuerunt fidem, ſine qua nullus poteſt placere Deo, nec mereri beatitudinem. *Secundò* excludit à fide theologica Dæmones, & damnatos, ſaltem ex defectu piæ voluntatis ad credendum, licèt habeant fidem aliquam acquiſitam ex euidentia ſignorum ortam: excludit etiam Hæreticos à fide non ſolum circa articulos quos negant, ſed etiam circa illos quos fatentur, quia non aſſentiuntur illis ex regula infallibili eccleſiæ proponentis, ſed ex arbitrio electionis propriæ, quæ eſt omninò fallibilis, ac denique ex his concludit fidem in vno ſubiecto poſſe eſſe maiorem, quam in alio, tùm intenſiuè, quia maiori feruore credit; tum extenſiuè, quia ad plura ſubiecta ſe explicat.

In *Quæſt.* 6. duplici articolo agit de cauſa efficiente fidei, & *in primo* oſtendit fidem diuinam eſſe infuſam à Deo, nec habere initium in viribus liberi arbitrij, cum eleuet hominem ſuprà totum ordinem naturæ. *in ſecundo* verò oſtendit etiam fidem informem infundi à Deo, quia ſupernaturalis eſt, & eiuſdem ſpeciei cum formata

Denique *in Quæſt.* 7. explicat duplici articulo duplicem effectum reſultantem ex actibus fidei. *Primus eſt, timor*, ſiue filialis, ſiue ſeruilis, qui naſcitur ex conſideratione diuinæ magnitudinis, quam fides attingit. *Secundus eſt, purificatio cordis*, tùm intellectu, quem fides purificat ab errore, tùm in voluntate, quàm fides purificat à culpa non per ſe iuſtificando, ſed iuſtificationem inchoando. Circa hanc materiam ſic explicatam à *D. Thom* ſit.

DISPVTATIO PRIMA.

De obiecto ſpecificante Fidem, eiuſque Reſolutione.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Obiectum formale Fidei ſit veritas Prima Reuelans?

DVo ſupponenda ſunt, antequam punctum difficultatis euoluamus. *Primum*, tamquam generale in omni quæſtione de obiecto formali alicuius habitus, vel potentiæ. *Secundum*, ſpeciale circa terminos propoſitos in dubio de *Veritate prima*, & reuelante.

1 Primum *Præſuppoſitum eſt*, in quolibet obiecto ſpecificante diſtingui rationem materialem, & formalem, & materialem communiter vocant obiectum *quod*, formalem vero obiectum *quo*, quia primum eſt id *quod* cognoſcimus, ſecundum vero id *quo* res redditur cognoſcibilis. Vnde etiam ratio formalis cognoſcendi ſi ſit vltima qua obiectum redditur cognoſcibile, ſeu proportionatum tali ſcientiæ, dicitur ratio formalis *ſub qua*, quia ſub illa reliqua attinguntur, & quia contingit, quod id quod ſe habet, vt res cognita poſſit eſſe alteri ratio cognoſcendi, non repugnat aliquid ſecundum diuerſas conſiderationes pertinere ad obiectum materiale, vel formale, ſicut color eſt res viſa, & tamen corpori eſt ratio, & forma viſibilitatis, ideoque reſpectu corporis dicitur obiectum formale viſum, reſpectu verò lucis eſt obiectum materiale, & lux eſt forma, & ratio vltima videndi, etiam reſpectu coloris, vnde obiectum materiale, & formale, non eſt neceſſe quod diſtinguantur tamquam duo obiecta, ſed tamquam duæ conſiderationes, ſeu formalitates eiuſdem obiecti, & *D. Thom. hic art.* 5. non dixit in quolibet habitu cognoſcitiuo eſſe duo obiecta, ſed in quolibet habitu cognoſcitiuo habere obiectum duo &c.

2 Eſt *tamen aduertendum*, Quod ſicut ex parte obiecti datur ratio formalis *ſub qua* reddens obiectum vltimo porportionatum, & cognoſcibile à ſcientia, vel potentia, ita correſpondet ex parte potentiæ ratio *ſub qua* cognoſcitiua, quæ eſt virtus aliqua, ſeu lumen vltimò habilitans, & determinans potentiam, ad eliciendum talem cognitionem: ſicut in potentia viſiua eſt aliquis fulgor, ſeu lux pertinens ad virtutem videndi, & in intellectu aliquis habitus, ſeu lumen determinans ad intelligendum. Eſt autem diſcrimen inter iſtas duas rationes, quod ratio *ſub qua* obiectiua etiam poteſt eſſe cognita directe, & ſemper eſt ratio cognoſcibilitatis obiecti, ſicut lux eſt viſa, & ratio viſibilitatis in colore; At verò ratio *ſub qua* ex parte potentiæ ſe tenens non eſt res cognita, niſi reflexè, neque ratio cognoſcibilitatis paſſiuæ in obiecto, ſed ratio cognoſcendi actum per modum virtutis ex parte potentiæ.

3 Specialiter *in Scientiis*, Quia obiectum cognitum ſcientificè eſt aliquod complexum, ſcilicet concluſio illata per diſcurſum, quæ neceſſario debet conſtare aliquo ſubiecto, cui conueniat illud prædicatum, quod per talem illationem cognoſcitur illi conuenire; formalis autem ratio, quæ redditur ſcitum, eſt medium, ſeu præmiſſæ quibus probatur, & manifeſtatur Concluſio. Et hinc intelligitur, (quod Multi dicunt) ſumi diſtinctionem ſpecificam ſcientiarum ex diuerſa abſtractione, ſeu immaterialitate obiecti, non quod ipſa abſtractio ſit ratio formalis probatiua concluſionum, & manifeſtatiua, ſed eſt principium vnde ſumitur diuerſa ratio formalis in obiectis ſcientiarum, quia enim immaterialitas eſt radix intelligibilitatis, & ſecundum diuerſum modum immaterialitatis, ſeu denudationis, & abſtractionis à materia ſumitur diuerſus gradus intelligibilitatis (vt docet *D. Thom. 1. p. Quæſt. 14. art. 1.*) inde eſt, quod principium, ſeu radix, vnde vltimatè deſumenda eſt diuerſa ratio formalis in ſcientiis eſt diuerſa abſtractio à materia, vt *Sanct. Thom.* dicit *Opuſc 70. Quæſt. 6. & 1. Poſt lectione 41. & 6. Metaph. lect. vltim.* Sed tamen id quo formaliter demonſtramus, & manifeſtamus obiectum ſcientificum, quod eſt concluſio illata, eſt medium ſub tali abſtractione formali poſitum, & ſecundum illam illuminans concluſionem: ſicut Aſtrologus, & Phyſicus, vtuntur diuerſis mediis ad probandum ſuas concluſiones, & iſta media ſunt principia, ſeu diffinitiones quibus propriæ paſſiones manifeſtantur ſunt autem definitiones diuerſæ, & materia diuerſa, quia diuerſo modo intelligibili, & conſequenter diuerſa immaterialitate traduntur definitiones in vna ſcientia, & in alia.

Secundum *quod præſupponimus hic eſt*, quid intelligimus nomine *Veritatis primæ reuelantis*, ſeu *teſtificantis*, nam *Veritas* ſumi poteſt tripliciter, in eſſendo, in cognoſcendo, in dicendo, ſeu ſignificando. *Primo modo*, eſt veritas tranſcendentalis, ſeu paſſio entis, & hac ratione dicitur Deus verus, quatenus diſtinguitur à falſis Diis, habendo veram Diuinitatem. *Secundo modo*, eſt veritas formalis, vel adæquatio intellectus iudicantis ad rem cognitam, & iudicatam *Tertio modo*, eſt veritas reuelans, ſeu manifeſtans, quod in nubis fit per aliquod ſignum expreſſiuum veritatis cognitæ; Deus autem loquitur imprimendo interius aliquod lumen, ſeu ſpecies quibus manifeſtat quod vult, vnde ly *Reuelans* poteſt ſumi dupliciter, *vno modo* purè efficienter, ſeu actiuè, & ſic ſolum dicit actionem Diuinam infundentem lumen ad cognoſcendum id quod reuelatur, ſiue infundat ſcientiam, ſiue fidem: *Alio modo* ſumitur reuelatio formaliter, prout ipſamet loqutio, ſeu reuelatio Dei accipitur, vt ratio aſſentiendi, non vt paſſiuè ſe tenet ex parte noſtra, ſic enim potius eſt auditio, quàm loquutio, ſed vt tenet ſe actiue ex parte Dei loquentis, & imprimentis talem reuelationem in nobis. 4

Sic ergo Punctus difficultatis reducitur ad hoc, An ratio formalis obiecti fidei ſit Deitas 5

ipſa

ipſa ſub ratione Deitatis; An ſub ratione alterius attributi? Et ſi ſub ratione attributi, An ſub ratione Veritatis Diuinæ in eſſendo, vel in cognoſcendo, vel in dicendo & ſi ſit in dicendo, quod eſt in ratione *veracitatis*, An ſit ſub ipſa ratione veracitatis, vt præcisè ſe tenet ex parte Dei; An etiam vt connotat aliquem effectum creatum?

6 Conueniunt *ergo omnes*, debere rationem formalem obiecti fidei aliquid Diuinum continere, & ex ipſo conſtare, neque enim poteſt aliquid creatū manifeſtare nobis infallibiliter myſteria ſupernaturalia, & diuina, quæ fides credit, nam vt inquit Apoſtol. *Quæ ſunt Dei nemo nouit, niſi ſpiritus Dei*; & cum fides ſit virtus theologica oportet, quod obiectum ſpecificatiuum illius, & primarium ſit ipſe Deus, ſeu aliquid diuinum iuxta illud quod habetur in Symbolo Athanaſij: *Hæc eſt fides Catholica, vt vnum Deum in Trinitate, & Trinitatem in vnitate veneremur*, & Ioann. 14. *Creditis in Deum; & in me credite.*

Cæterum variant, & diſſentiunt Authores in aſſignando hoc diuinum, quod eſt ratio formalis obiecti credendi. *Quidam*, ipſam Deitatem ſub conceptu Diuinitatis aſſignant pro formali, & vltima ratione fidei, ita *Aureolus, & Capreolus.*

7 Fundamentum *eſt duplex. Primum*, Quia reſolutio Fidei vltimo ſiſtit in Deitate, nam cum inquirimus. Quare hoc creditur infallibiliter? *Reſpondetur*, Quia Deus dixit, qui eſt prima veritas; ſi vero quæratur. Vnde conſtat quod eſt prima veritas? *Reſpondetur*, Quia Deus eſt; ergo in Deitate ſiſtit reſolutio fidei. *Secundum eſt*. Quia in fide theologica idem eſt obiectum ſpecificans, & finis vltimus; ergo illa ratio formalis conſtituet obiectum fidei, quæ conſtituit finem vltimum; ſed finis vltimus conſtituitur in Deo ſub ratione diuinitatis, quia Diuinitas eſt, qua fruimur vita æterna, ergo illa eſt obiectum formale fidei.

8 Secunda *Sententia* conſtituit obiectum formale fidei in aliquo attributo, determinato ſcil. in Veritate diuina quatenus eſt attributum, ſeu propria paſſio illius, non autem in eſſentia diuinitatis: ſed quia vt diximus, veritas eſt triplex, in eſſendo, cognoſcendo, & dicendo. Quidam vt Caietanus in *hoc art.* 1. ponunt Veritatem in eſſendo pro obiecto formali fidei.

9 Ratio *eſt*, Quia infallibilitas teſtificationis Diuinæ reducitur in veritatem diuinam in eſſendo, ſcilicet, quia Deus eſt verus, & verè habet ea quæ Dei ſunt: cur autem non dicatur Deus, ſeu diuina eſſentia obiectum Fidei (vt volebat *Aureolus*) ſicut dicitur Veritas prima, ideò eſt (inquit *Caietanus*) quia fides eſt virtus pertinens ad intellectum, qui verſatur circa verum, & non circa eſſentiam. *Tum etiam*, Quia circa Deitatem, vt Deitas eſt poteſt verſari opinio, vel etiam ſcientia naturalis, quæ attingit veritatem quatenus ipſam entitatem attingit; at verò fides non opinatiuè, ſed infallibiliter verum attingit, nec mediante entitate cognita veritatem, ſed mediante veritate teſtificante entitatem attingit, & ideò potius *Veritas diuina*, quam *Diuinitas*, dicitur obiectum Fidei.

10 Tertia *Sententia* eſt Aliorum dicentium Veritatem in cognoſcendo ex parte Dei eſſe formalem rationem fidei, ita *P. Valentia 3. Tom. Diſp. 1. Quæſt. 1. puncto 1.* Ratio eſt. Quia infallibilitas teſtificationis reſoluitur in ſcientiam Dei, quæ falli non poteſt, ſicut efficacia teſtimonij in ſcientiam teſtis, vnde teſtis oculatus quia melius ſcit, præfertur omnibus aliis.

Quarta *Denique ſententia* reducit formalem 11
rationem fidei ad Veritatem in dicendo, ita præcisè quod nullo modo reducitur ad attributum ſcientiæ, ſed ſiſtit in Veracitate, & hoc attribuit *P. Suarez Diſp. 3. de Fide Section. 4. D. Thom. & Caietano*, & frequentiori Theologorum Sententiæ, eo quod Deum cognoſcere infallibiliter non eſt ratio credendi, ſed Deum dicere infallibiliter, ita quod ſi per impoſſibile non cognoſceret, & tamen infallibiliter diceret, & tamquam prima Veritas, ſic loquens quod in eo quod loquitur non poſſet eſſe falſitas, infallibiliter etiam illi crederemus; ergo per ſe formaliter ad credendum ſolum concurrit dicere ex parte Dei, non cognoſcere, licet de facto illud præſupponatur. *Alij vero* reducunt formalem rationem fidei in duo attributa, ſcilicet ſummæ Scientiæ, quæ falli non poteſt, & ſummæ fidelitatis, quæ fallere non poteſt, quæ eſt Sententia *P. Suarez* vbi ſupra.

Quinta *Sententia* ponit pro ratione formali 12
fidei Diuinæ, non ſolum aliquid Diuinum, ſed etiam aliquid creatum, eo quod formale obiectum fidei non ſolum eſt Veritas prima, ſed etiam obſcurè reuelans, & ideò Aliqui ipſam obſcuritatem, ſeu rationem *non viſi* ponunt pertinere ad rationem formalem Fidei, quia hæc conditio diſtinguit Fidem à Prophetia, & aliis habitibus euidentibus. *Quidam verò* ipſam reuelationem, ſeu loquutionem diuinam, etiam vt eſt actio Dei explicans ad extra obiectum credendum, exiſtimant eſſe ſolum conditionem, ſeu applicationem, totam verò rationem formalem conſumi in authoritate Diuina ſecundum ſe; *Alij verò* reuelationem ipſam prout dicit aliquem effectum ad extra, ſeu lumen fidei nobis infuſum exiſtimant pertinere, & ingredi ipſam rationem formalem fidei, nam *Pater Molina 1. part. Quæſt. 1. art. 3. Diſp. 2.* exiſtimat ipſum habitum fidei complere, & vltimatè determinare obiectum in ratione formali credibilis. *Fundatur*, Quia exiſtimat reuelationem Dei eſſe indifferentem ad fidem infuſam, & acquiſitam, vt patet in hæretico credente myſterium Trinitatis ea fide acquiſita, & Catholico ea infuſa; ergo ſola reuelatio Dei non conſtituit obiectum formale fidei infuſæ, ſed vlterius requiritur ordo, & determinatio ad habitum infuſum, ita vt illud dicatur credibile fide Diuina, quod tali habitu tangitur.

Et *iuuatur hæc Sententia* ea Quorundam do- 13
ctrina, qui cenſent obiectum formale ſcientiarum illuminari ab ipſo habitu, & lumine exiſtente in noſtro intellectu, quod ſequitur *Bañez hic artic. 1. Dub. 1. Concluſ. 6. & ad 3.* Sicut enim non repugnat in ſenſu diffundi aliquod lumen ex oculis, quo illuminantur obiecta, vt patet in animalibus de nocte videntibus, ita cum obiecta intelligibilia lumine intellectuali illuſtrentur, quod ſolum eſſe poteſt intra intellectum, conſequenter ab ipſo habitu in intellectu exiſtente procedit illuminatio in obiectum intelligibile, & ſimiliter à lumine fidei in obiectum teſtificatum, & propoſitum nobis intra intellectum.

Sexta, *& vltima Sententia* reducit rationem formalem fidei in veritatem Diuinam, quatenus præſupponit notitiam acquiſitam qua nobis conſtet Deum fallere, & falli non poſſe, & ſimiliter Deum hoc dixiſſe, & hoc affirmant ad euitandum

circulum, vel proceſſum in infinitum, in reſolutione fidei, de qua dicemus *dub. ſequenti*, Quia ſi ego credo Deo dicenti, quia eſt prima veritas, & quod ſit prima veritas credo, quia Deus dixit, committo circulum à dicente ad veracem, & à verace ad dicentem, vel dabitur proceſſus in infinitum, ſi credo Deum hoc dixiſſe, quia hoc ipſum dixit, vel deueniendum eſt ad aliquod quod ſit ex terminis notum & non per aliud medium credibile, ſcilicet quia certum eſt lumine naturali Deum eſſe primam veritatem, quæ nec fallere; nec falli poteſt.

14 Dico *ergo primò* Ratio formalis fidei in ratione credendi eſt diuinum teſtimonium, ſeu veritas prima in teſtificando; requiritur tamen præſuppoſitiuè, licet non vt ratio formalis, duplex reſpectus in illo teſtimonio, ſine quo fidelitas, & veracitas Dei ſumme infallibilis non eſt, ſcilicet reſpectus ad ſummam ſcientiam, qua falli non poteſt in ſe ipſo, & reſpectus ad ſummam bonitatem qua non poteſt fallere alios; neque enim *Diu. Thom. hic articul.* 1. poſuit quod certitudo fidei inde ſolum prouenit, quia Deus fallere non poteſt, ſed etiam quia falli non poteſt, vt expreſsè affirmat *infra Quæſt. 4. art.* 8. *ad* 2. Requiritur ergo reſpectus ille ad ſcientiam infinitam, quia impoſſibile eſt intelligere in Deo ſummam veritatem in dicendo, niſi intelligamus non poſſe falli in cognoſcendo, quia ille qui poteſt falli in cognitione non repugnat quod non poſſit fallere in locutione: ergo vt nullo modo fallere poſſit neceſſe eſt quod non fallatur, ſi non ex malitia, ſaltem ex ignorantia: ſi tamen conſideretur per impoſſibile quod non poſſit loqui niſi ea quæ vera ſunt, licet poſſet falli in cognoſcendo quoad ſe, ſed non in his quæ diceret ad alios, talis quidem veracitas ſaluaret rationem formalem fidei, quia ſaluaret veritatem primam in dicendo, quia nec falli poſſet, nec fallere quando loqueretur. ſed quia hoc in re eſſe non poteſt, ideò in re præſupponitur ille duplex reſpectus vt Veritas *in dicendo* ſit infallibilis.

15 Hæc *Concluſio deducitur ex Diu. Thom. in* 3. *diſtinction.* 14. *quæſt.* 1. *articul.* 1. Vbi poſtquam diſtinxit obiectum formale, ſicut lux in viſu, & materiale ſicut color, & accidentale, ſicut quantitas, ſubdit: *Quod credibile non habet quod ſit actu credibile, niſi ex prima veritate, & ideò veritas prima eſt formale in obiecto fidei.* Similiter hic *articul.* 1. inquit: *Quod ſi conſideremus in fide formalem rationem obiecti, nihil eſt aliud quam veritas prima, non enim fides de qua loquimur aſſentit alicui niſi quia eſt à Deo reuelatum.* Vbi loquitur *Diu. Thom.* de formali ratione ex parte obiecti in illis verbis: *Si conſideremus rationem formalem obiecti. Secundo* loquitur de veritate vt reuelante; probat enim veritatem primam eſſe obiectum formale, quia non aſſentimus, niſi quia eſt à Deo reuelatum, ergo veritatem primam ſumit pro veritate reuelante. Item excludit omnes alias ſententias, & ſolum includit in conceptu formalis obiecti veritatem primam reuelantem, in illis verbis: *Nihil eſt aliud, quam veritas prima, &c* ergo omne aliud non pertinet ad obiectum formale: Denique pondero id quod dicit *Diu. Thom. in quæſt.* 14. *de veritat. articul.* 8. *ad* 16. *Ipſum* (inquit) *teſtimonium veritatis primæ ſe habet in fide vt principium in ſcientiis demonſtratiuis.* Sed nulla ſcientia reſpicit ſuum principium vt vlterius reſoluendum in aliud principium, vel formalem rationem, ſed ſiſtit in principiis tamquam in vltimo; imo ſi ſcientia ſit ſubalternata, & inferior neque ſic reſoluit vltra ſua principia, ſed relinquit ea alteri ſcientiæ reſoluenda, & probanda; ergo hoc ipſo quod *Sanct. Thom.* comparat teſtimonium primæ veritatis principiis ſcientiarum, affirmat teſtimonium eſſe vltimam rationem formalem, neque vlteriorem reſolutionem pertinere ad fidem.

Fundamentum *huius concluſionis eſt*, Quia totum motiuum formale, quo mouetur aliquis ad credendum eſt authoritas, & pondus teſtimonij dicentis; ergo illa erit formale obiectum fidei diuinæ, vbi per ſe primò inuenitur formaliter authoritas diuini teſtimonij: conſtat autem quod teſtimonium, ſeu teſtificatio formalis non inuenitur in ipſa cognitione in ordine ad ſe, nullus enim indiget teſtificari ſibi, ſed inuenitur in ordine ad alterum, cui fit teſtificatio: hoc autem fit per loquutionem: & teſtimonium: ergo non pertinebit veritas in cognoſcendo, vel eſſendo ad rationem formalem fidei pro ea parte, qua exigit teſtimonium. Sed neque ratione authoritatis infallibilis; nam hæc non competit veritati primæ ex eo quod ſit veritas in eſſendo, vel cognoſcendo, ſed præcisè quia veritas prima eſt, etiam ſi tantum in dicendo reperiatur, etenim conceptus veritatis primæ ex ipſa præciſa ratione quia veritas prima eſt, eſt talis quod repugnat illi omnis falſitas, tam paſſiua, quàm actiua, nam ſi aliquam falſitatem admitteret non eſſet prima veritas, & ſumma, poſſet, enim aliqua maior cogitari: ergo cum ex vna parte ratio ipſa teſtimonij formaliter inueniatur in loquendo, ſeu dicendo, & ex alia etiam reperiatur ibi veritas prima, in ſola formalitate iſtius teſtimonij in dicendo ſaluatur tota authoritas teſtificans, etiam ſi non cogitemus de veritate in eſſendo, vel recognoſcendo; ergo reperitur totum quod requiritur ad formalem rationem motiuam fidei. 16

Quod verò ipſum dicere ſequatur ad cognoſcere, & cognoſcere ad eſſe, hoc non conducit ad rationem credendi, ad hoc enim ſufficit teſtimonium infallibile in ratione teſtimonij, ſed conducit ad probandum, & oſtendendum, quod hæc infallibilitas in Deo ſit, aliud eſt autem requiri ad hoc vt ſit in Deo, aliud verò eſt requiri ad hoc præcisè vt nobis ſit ratio credendi: ſicut color vt ſit obiectum viſûs ſufficit quod ſit viſibilis, vt autem conueniat corpori requiritur mixturam quatuor qualitatum, ſed tamen viſus non tranſit ad cognoſcendum talem mixturam, ſed ſiſtit in ipſa ratione viſibilis: ſic vt teſtimonium diuinum ſit infallibile, & conueniat Deo requirit eſſentialiter, & in primo modo per ſe eſſentiam, & cognitionem diuinam; non tamen ad formalem rationem credendi ſe habet in quarto modo per ſe cognitio, & eſſentia diuina, ſed ſola teſtificatio dicentis reliquas ſententias quæ aliquid creatum requirunt ad formalem rationem fidei conſtituendam, ſtatim reiicimus, conſtat enim quod nihil creatum poteſt infallibilitatem ſummam præbere qualem habet fides, licet poſſit eſſe effectus, vel aliquid connotatum à tali teſtimonio infallibili. 17

Dico *Secundo*. Reuelatio diuina non importat loquutionem Dei, tamquam conditionem, ſed vt prædicatum quidditatiuum, ſumendo illam prout eſt actio ex parte Dei; ratio autem non viſi, & ratio reuelati vt paſſiuè ſe tenet in obiecto, & ratio reuelationis 18

uelationis nobis impreſſæ, quæ eſt ipſum lumen, ſeu habitus à Deo infuſus non pertinent ad rationem formalem, ſed ad effectus ab ipſa reuelatione Dei connotatos.

19 Hæc *Concluſio quoad primam partem probatur*. Quia Reuelatio vt actu loquens, & prout dicit ordinem ad audientem non concurrit ſolum vt applicans, ſeu proponens, relinquendo obiectum vt ratione ſui moueat, ſicut quando proponitur demonſtratio, & ipſa per ſe mouet ad aſſentiendum concluſioni; ſed qui credit habet pro motiuo non veritatem propoſitam ratione ſui, ſed ratione proponentis, in quantum per loquutionem formaliter explicat authoritatem teſtimonij; ergo pertinet ad rationem formalem Fidei ipſa loquutio proponentis. *Minor probatur*. Quia ratio formalis Fidei eſt authoritas Teſtificantis; ergo id quod formaliter conſtituit rationem teſtimonij, & authoritatem ipſam formaliter reddit mouentem ipſum, qui audit, pertinebit ad rationem formalem Fidei; authoritas autem non loquens, ſed in potentia, & in actu primo, neque eſt formaliter teſtificans, neque formaliter mouens audientem, neque habet authoritatem in actu ſecundo, ſed in potentia, & in actu primo; ergo non poteſt conſtituere formalem rationem credendi, niſi mediante loquutione.

20 , Confirmatur. Quia nullus credit authoritati perſonæ vt perſonæ eſt, ſed dictis eius, quantumcumque enim perſona habeat authoritatem, ſi in dicendo, vel loquendo deficiat, nulla Fides illi adhibetur, & ſi per impoſſibile nullam haberet authoritatem in perſona, & in dictis non poſſet deficere, adhiberetur illi Fides; ergo ipſa dictio, ſeu loquutio non eſt mera applicatio authoritatis, & rationis formalis, ſed etiam ipſa pertinet ad formalem rationem credendi. *& additur ad hoc*, quod in Fide diuina ipſa Dei loquutio, vt ex parte ipſius ſe tenet eſt aliquid diuinum; ergo non pertinet ad conditionem, ſeu applicationem, quia quod diuinum eſt tenet ſe ex parte obiecti in Fide, & ſic *Scriptura* ſemper explicat rationem Fidei per actualem reuelationem, ſeu loquutionem, vt Matthæi 16. *Quia Caro, & Sanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus, &c.* Ioann. 1. *Vnigenitus qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit vobis.* Et Ioann. 15. *Si non veniſſem, & loquutus eis fuiſſem, peccatum non haberent.*

21 Secunda *pars Concluſionis conſtat*. Quia omnia illa ſunt aliquid creatum, ſeu extra Deum, ergo non poſſunt pertinere ad rationem formalem Fidei niſi per modum conditionis. *Patet conſequentia*. Quia nullum creatum poteſt formaliter dare ſummam infallibilitatem; ratio autem formalis Fidei debet eſſe infallibilis formaliter, quia Fides ipſa in quantum ſpecificata eſt infallibilis; ergo etiam ratio formalis eius. Cætera ergo creata vel ſunt effectus, vel conditio, non ratio ipſa formalis Fidei ex diuina loquutione prout manifeſtat ad extra, & reuelat ſequuntur duo effectus, qui omninò requiruntur, & connotantur à Fide, alter ex parte obiecti, alter ex parte ſubiecti, in obiecto enim reuelato conſequitur denominatio extrinſeca, qua dicitur *reuelatum*, & ſimiliter priuatio euidentiæ qua dicitur *non viſum*, eo quod reuelatio euidens non eſt. & hæc priuatio non eſt quæ formaliter diſtinguit à Prophetia Fidem, ſed ipſa reuelatio teſtificans, quatenùs fundat hanc obſcuritatem, & non reuelat euidenter: in ſubiecto autem, cui fit reuelatio cauſatur lumen Fidei, ſeu habitus quo credimus Deum, & iſte habitus non poteſt pertinere ad formale ſpecificatiuum, ſeu vltimo determinare ſpecificando; quia ipſe habitus eſt res ſpecificata ab obiecto; ergo non poteſt eſſe ſpecificans reſpectu ſui, aliàs cauſaret ſe ipſum, & præſupponeretur ad ſe ſpecificando.

Ex *quo conſtat*. Obiectum formale Fidei eſſe aliquid reale, & non rationis, eſt enim ipſa reuelatio, vt tenet ſe ex parte Dei, in quo aliquid reale eſt ipſa actio loquendi, ſeu manifeſtandi: denominatio autem extrinſeca reuelati reſultans in obiecto, vel etiam ipſa ratio obſcuri, & non viſi non eſt ratio formalis, ſed connotationes conſequutæ, & iſta ſunt aliquid rationis: imò ipſa reuelatio ſumpta pro actione infundente habitum Fidei, quæ eſt reuelatio effectiua non eſt ratio formalis credendi, ſed reuelatio vt teſtificans, & per authoritatem explicans obiectum. 22

Ad *Fundamenta primæ Sententiæ Reſpondetur*. Ad Primum dicimus, Quod Deitas ſub conceptu Deitatis eſt ratio diuinæ veritatis, & infallibilitatis in eſſendo, & quantum ad radicem, ſeu rationem conueniendi Deo, ſicut eſt ratio omnium attributorum, non autem ſub conceptu Deitatis eſt determinata, ſeu præciſa ratio credendi, & teſtificandi, ſed eſt generalis, & communis ratio omnium eorum, quæ conueniunt Deo, vnde quærenti cur credimus hoc? *Reſpondemus*, quia *Deus dicit*, qui eſt prima veritas: Si autem vlterius inquiratur, vnde conſtat Deum eſſe primam veritatem, & falli non poſſe? Hoc non pertinet ad credere, ſed ad ſcire, credere enim ſiſtit in teſtificatione propter quam creditur, ſicut ſuprà diximus, quod videre ſiſtit in colorato, quatenùs viſibile: cognoſcere autem vnde habeat corpus quod ſit coloratum, non pertinet ad viſum externum, ſed ad diſcurſum. 23

Ad *Secundum* Reſpondetur, Quod in Virtutibus Theologicis eſt idem finis vltimus, & obiectum proximum quaſi materialiter, & identicè, non autem quod formalitas finis, quæ pertinet ad cauſam finalem ſit formalitas obiecti, quæ pertinet ad cauſam formalem ſpecificantem, aliàs ſi iſtæ rationes finis, & obiecti non diſtinguerentur, omnes Virtutes Theologicæ haberent eandem rationem formalem obiecti, quia habent pro obiecto aliquid diuinum, quod eſt in ſe finis vltimus: itaque fides habet pro obiecto aliquid Diuinum, quod in ſe eſt finis vltimus, ſub ratione tamen formali veritatis reuelantis. *Et ſi inſtetur*, *Quia Diu. Thom. 1. part. Quæſt. 1. articul. 7.* expreſsè docet quod ſubiectum fidei, & Theologiæ eſt idem, ſcilicet Deus, conſtat autem theologiam tractare de Deo ſub ratione Deitatis, & non alicuius attributi tantùm: ergo etiam ratio fidei eſt Deitas ſub ratione Deitatis. *Reſpondetur Diu. Thom.* loqui de ſubiecto, non de obiecto formali, ſubiectum enim vt ſupra notauimus in ſcientiis, & aliis habitibus reſpicientibus veritatem complexam pertinet ad materiale de quo fit aliqua prædicatio, & infertur paſſio in concluſione. 24

Ad *Fundamenta* ſecundæ ſententiæ pro ea parte qua ponit Veritatem tranſcendentalem vt formalem Fidei, idem Reſpondetur quod ad Sententiam *Aureoli*; talis enim veritas potius conſtituit rem in ſe entitatiuè veram; quam authoritatiue credibilem, vnde perinde eſt reiicere entitatem à ratione formali, ac reiicere entitatem veram. 25

ram. Alij verò modi dicendi inſufficientes ſunt, nam ſola teſtis ſcientia ſine fidelitate in dicendo nihil infallibilitatis ponit in dictis, quibus ſolum adhibetur fides, non ſcientiæ in actu primo, ſi fideliter non ſe explicat. Vnde licèt requiratur in teſtimonio exteriori reſpectus ad ſcientiam infallibilem, quia ſine hac in re non inuenitur, tamen formalis ratio teſtimonij infallibilis non ex ſumma ſcientia, ſed ex ſumma fidelitate in dicendo deſumitur, vt explicatum eſt.

26 Ad *Tertiam ſententiam* quantum ad omnes modos, qui ponunt aliquid creatum pertinere ad rationem formalem obiecti fidei, conſtat ex dictis omnes illas rationes creatas ſolum poſſe connotari, non autem conſtituere formalem rationem obiecti fidei theologicæ, quia non poſſunt formaliter infallibilitatem ſummam præbere authoritati cui innititur fides, licèt authoritas ſumma non poſſit obiecta reuelare, & proponere, quin effectus illi creati conſequantur, & connotentur.

27 Ad *Fundamentum* autem *P. Molinæ* Reſpondetur, reuelationem diuinam, vt procedit à Deo, non eſſe indifferentem ad fidem infuſam in Catholico, & acquiſitam in Hæretico, ſed determinatè eſſe ad fidem infuſam, nam Hæreticus non accipit diuinum teſtimonium, vt procedit à Deo, ſed vt ſibi videtur, & ideò non innititur teſtimonio diuino, ſed fertur in rem teſtificatam ex proprio iudicio, quo ſibi perſuadet rem illam eſſe dictam à Deo, non per illud medium quo Deus dicit, ſcilicet per Eccleſiam, vnde credit fallibiliter, quia dependenter à proprio iudicio, per quod vult diſcernere teſtificationem diuinam, & hoc iudicium fallibile eſt, vnde ſi ſibi benè videbitur mutabit illud, & non credet, quare non reſpicit Hæreticus teſtimonium diuinum prout à Deo, & eo modo quo eſt à Deo, ſed vt ſubiectum proprio iudicio fallibili, & ideò talis fides Hæretici non eſt infuſa à Deo, ſed acquiſita ab ipſo, ſicut alia fides humana.

28 Quod *ſi inſtes*. Ergo fides non habet pro ratione formali teſtimonium Dei, ſed propoſitionem Eccleſiæ. *Sequela probatur*. Quia iſte non eſt hæreticus, quia negat teſtimonium Dei, ſed quia non recipit propoſitionem Eccleſiæ: ſed Infidelitas directè contrariatur rationali formali fidei, quia illam deſtruit; ergo propoſitio Eccleſiæ, & non teſtimonium Dei erit ratio formalis fidei, quia teſtimonio non opponitur Infidelitas.

29 Reſpondetur Hæreticum negare verum Dei teſtimonium, & deſtruere illud negando propoſitionem Eccleſiæ cui alligatum eſt verum Dei teſtimonium, non tamquam rationi formali, ſed tamquam conditioni applicanti, & organo diuini teſtimonij, nec ad deſtruendum aliquam formam requiritur opponi illi directè, ſed ſufficit deſtruere conditiones requiſitas, ſine quibus talis res non ſubſiſtit, ſicut qui tolleret obſcuritatem à fide fidem deſtrueret, licet obſcuritas ſit conditio: & qui deſtruit diſpoſitiones requiſitas, vt anima ſit in corpore occidit hominem; & qui ſigillum Regis frangit, teſtimonium Regis contemnit, licet dicat ſe credere Regi, ſed non ſigillo.

30 Ad *id verò* quod in confirmationem Sententiæ Molinæ adducitur, *Reſpondetur*, habitum, ſeu potentiam interiorem in tantum poſſe illuminare obiecta, in quantum poteſt componere, ſeu diſponere ſpecies ſub hoc, vel illo modo, vt tali cognitioni deſeruiant, & ex ipſis producere actum cognoſcendi, & conceptum, ſed tota hæc illuminatio eſt effectiua, vtpotè procedens à potentia effectiuè, nec ſpecificat formaliter ipſum actum, ſed obiecta ipſa quæ attinguntur, quatenus fundant intelligibilitatem, id eſt proportionem in genere intelligibili, qua proportionantur huic lumini, ſeu habitui potius quam alteri, & hoc non habent ab habitu, ſed ex ſe, vel à teſtificatione extrinſeca qua reuelantur, & proportionantur fidei ad credendum. Lux autem emiſſa ab oculis animalium ad obiecta externa eſt lux materialis, ſicut quæ emittitur à quolibet luminoſo, & talis non ſpecificat quatenus effectiuè procedit ab oculis, ſed quatenus reddit obiecta illuminata, & viſibilia in actu, ſicut lux emiſſa ab alio luminoſo.

ARTICVLVS II.

Quæ ſit reſolutio Fidei, & an fiat per diſcurſum?

IN *præcedenti Articul.* expediuimus formalem rationem fidei, & conſequenter reſolutionem eius ex parte ipſius Dei teſtificantis, quatenùs ibi ſiſtit ſin veritate prima dicente, & non tranſit reſolutio in vi fidei ad Deitatem, vel Sapientiam, quæ eſt radix iſtius attributi veracitatis. Nunc reſtat inquirere de reſolutione fidei ex parte noſtra, ſcilicet vnde nobis conſtet, Deum hoc, vel illud dixiſſe, quæ ſanè eſt tota difficultas ex parte credentium, nullus enim eſt tam inſanæ mentis, qui nolit credere Deo loquenti, quando conſtat illi Deum loqui, ſed vnde conſtat nobis Deum eſſe loquutum infallibiliter? Hæc eſt tota Difficultas nam ſi conſtat quia Eccleſia dicit, reſtat inquirere, vnde conſtat Eccleſiam non poſſe falli? Et hoc reducimus iterum ad hoc quod Deus dixit Eccleſiam falli non poſſe, quod eſt circulum committere: Quod ſi id reducimus ad motiua credibilitatis, vel ad miracula, & ſigna, quibus mouemur ad credendum; ergo etiam reducimus totam infallibilitatem credendi ad aliquid creatum, qualia ſunt miracula, & alia ſigna, & motiua credibilitatis, quæ diſcurſu humano deducuntur. 1

Vnde *vlterius ſecundò dubium eſt*, An iſta Reſolutio fidei fiat per diſcurſum? An ſimplici actu credendi? Nam videtur neceſſariò admittendus diſcurſus, non quidem probatiuus per medium intrinſecum, ſed per medium extrinſecum teſtificationis; credit enim fides quia Deus dixit, & quia Deus verax eſt, ita quod iſtæ propoſitiones, quibus mihi conſtat de reuelatione diuina, eiuſque infallibilitate, ſunt tota ratio aſſentiendi; ergo ex aſſenſu vnius deuenio ad aſſenſum alterius, & conſequenter per actus diſtinctos habentes ordinem inter ſe; ergo per diſcurſum, in hoc enim conſiſtit diſcurſus, quod cognoſcam vnum propter aliud, & ex vi alterius deductum, vt docet *Diu. Thom. 1. part. quæſt. 14. Artic. 7.* Ac denique Dubium eſt tertio, An in iſta reſolutione fidei intret formaliter propoſitio Eccleſiæ, vel quomodo? 2

Vnde

Vnde nobis conſtet Deum hoc, aut illud dixiſſe?

1 OMiſſis variis dicendi modis, vt rem totam clarius explicemus, *Notandum eſt.* Quod reſolutio fidei ex ſpecie ſua non petit fieri in propoſitionem Eccleſiæ, etiam tamquam in conditionem, & inſtrumentum proponens, vt patet in fide Prophetarum, & Apoſtolorum, & primi Angeli, & eorum quibus Deus immediatè reuelauit fidem; iſti enim nihil acceperunt ab Eccleſia, ſed potius Eccleſiæ tradiderunt ideóque Eccleſia dicitur *Fundata ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum* ad Epheſ. 2. Quare reſolutio fidei quantum ad hunc articulum, in quo eſt Difficultas quoad nos, ſcilicet vnde conſtat ipſis credentibus Deum eſſe qui loquitur, in primis in illis quibus Deus immediatè loquutus eſt, vt in primo Angelo, vel in primis fundatoribus fidei, illis conſtitit reuelationem eſſe diuinam per lumen Propheticum, quo interiùs illuſtrabantur, & ſic vel habuerunt euidentiam teſtificationis, quod eſſet à Deo, vt ſentit *Caietanus 2.2. quæſt. 171. artic. 5.* vel per aliquam internam inſpirationem omninò certificati ſunt, quod verè Prophetabant, & mittebantur à Deo, ſicut dicitur Hieremiæ 26. *in veritate miſit me dominus ad vos.* Quod totum reducitur ad aliquam euidentiam interiorem, ſiue per aliquem effectum, ſiue per immediatam euidentiam ipſius reuelationis diuinæ, nam ſine tali lumine Prophetico non poterat eis conſtare de teſtimonio fidei, nec enim proponebatur illis per aliquod organum, ſeu inſtrumentum Dei externum, ſicut nobis, igitur per lumen aliquod Propheticum, & per donum intellectus excellentius dabatur illis notitia euidens, non quidem de ipſis rebus credendis, ſed de earum teſtificatione, quod eſſet à Deo, & ſic propoſitio fidei, quæ modo fit per Eccleſiam reſoluitur in lumen Propheticum, ideóque dicimus fundati *ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum*, & 2. Petri 1. dicitur: *Habetis firmiorem Propheticum ſermonem, cui benefacitis attendentes.* Vbi Propheticus ſermo dicitur firmior, id eſt, euidentior, nam certior fide eſſe non poteſt, & quia firmat propoſitionem noſtræ fidei dicitur firmior.

2 Loquendo *autem* de Reſolutione fidei, prout in nobis, quia accipimus propoſitionem credibilium ab illis Prophetis, & Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus, id eſt, Pontificibus, qui ſunt caput Eccleſiæ dubium eſt, Quomodo euitetur ille circulus, quia credimus ſcripturam hanc eſſe canonicam, & legitimam, quia Eccleſia ſic proponit, dicente Auguſtin. in Lib. contra Epiſtolam Fundamenti, cap 4. *Euangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ authoritas perſuaderet.* Et rurſus. *Credo Eccleſiam non poſſe errare in proponendis rebus fidei, quia id habetur in Scriptura.*

3 De *hac difficultate egimus 1. part. ſuper quæſt.* primam *Diu. Thom. diſputatione prima art. 3* in ſumma *reſpondemus*, quod iſtæ duæ rationes, ſcilicet propoſitio Eccleſiæ facta à Prophetis, vel eius ſucceſſoribus, & teſtimonium Dei loquentis per eos tamquam per inſtrumentum, & organum ſe habent vt duæ cauſæ diuerſi generis, quæ ſibi mutuò ſunt cauſæ, ad hoc vt nobis conſtet, & diſcernatur fides legitima à ſuppoſita, nam teſtimonium diuinum iubet nos credere Prophetis, iuxta illud 1. Paralipom. 20. *Credite in Domino Deo veſtro, & ſecuri eritis, credite Prophetis eius, & cuncta euenient proſpera.* Nomine autem *Prophetarum* intelliguntur quicumque Miniſtri per quorum verbum credere debemus. Vnde *Ioan.* 17. ad Patrem inquit, *Nec pro eis rogo tantum, ſed & pro eis qui credituri ſunt per verbum eorum in me.* Quaſi ad eos tantum ratio Chriſti ſe extendat, qui per verbum Apoſtolorum, & Eccleſiæ ei, ſuccedentis credituri ſunt. Rurſus Eccleſia proponit nobis hoc Euangelium, & iſtas ſcripturas tanquã legitimas, & de fide, quia pertinet ad officium Petri, ſeu Eccleſiæ id proponere, iuxta quod dicitur Petro Luc. 22. *Confirma fratres tuos.* Et Ioan. 21. *Paſce oues meas.* Et ipſe Petrus *Actor.* 15 dicit: *Vos ſcitis quoniam ab antiquis diebus Deus elegit in nobis per os meum audire gentes verbum Euangelij, & credere.* Et Apoſtoli ipſi ibidem dixerunt: *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis nihil vltra imponere vobis oneris.*

4 Conſtat *ergo* à Spiritu Sancto procedere infallibilitatem teſtimonij reuelantis, & infallibilitatem Eccleſiæ proponentis in Miniſtris ſuis ſucceſſoribus Apoſtolorum, quæ infallibilitas Eccleſiæ ſignificatur *ad Timoth.* 3. cum dicitur: *Quod Eccleſia eſt columna, & firmamentum veritatis.* Et *Luca* 22. dicitur de Petro. *Oraui pro te vt non deficiat fides tua.* Quare vtraque iſta cauſa eſt à Deo, & vtraque habet infallibilitatem in diuerſo genere, Eccleſia vt proponens, & applicans tamquam inſtrumentum, & organum Dei loquentis; teſtimonium autem Diuinum tanquam formalis ratio, & authoritas prima proponens: ſicut Rex condens legem, & dat authoritatem legi vt valida ſit, & Miniſtris vt illis credatur tanquam proponentibus legitimam legem, & proceſſus ab vno ad aliud non eſt circulus, quia eſt in diuerſo genere cauſæ à proponente ad reuelantem, & à reuelante ad proponentem: cauſæ enim ad inuicem ſunt cauſæ ſine vitio circuli, vt latius *lib. Poſteriorum ex Ariſtot.* docuimus, & in 2. *Phyſi*, oſtendendo, quomodo cauſæ ad inuicem ſint cauſæ, & quia ſunt cauſæ vniuerſales, & ſupremæ in ſuo genere, vnaquæque eſt ratio formalis manifeſtandi ſe, & obiectum, & per ſe ipſam conſtat de ſe ipſa in linea credendi: ſicut enim quando videmus aliquod obiectum, conſtat nobis non ſolum de obiecto viſo, ſed etiam de ipſa viſione per experientiã, nec poteſt reddi ratio vnde conſtat nos videre, niſi quia videmus; ita teſtimonium Diuinum eſt ratio formalis credendi res teſtificatas, & ipſummet teſtimonium, & Eccleſia eſt inſtrumentum proponendi infallibiliter ex aſſiſtentia Spiritus Sancti res credibiles, & ſe ipſam, quia propter ſuam vniuerſalitatem iſtæ cauſæ reflectunt ſupra ſe, nec eſt quærenda alia ratio cur credamus Eccleſiæ ſic infallibiliter proponenti, niſi quia ipſa dicit, & teſtimonio Diuino, quia Deus dicit.

5 Cæterum licèt hæc ſufficiant pro aſſignanda ratione formali ſpecifica, & intrinſeca ex parte teſtimonij Diuini: & infallibilitate proponentis ex parte Eccleſiæ, tamen etiam quia indigemus cauſis extrinſecis diſponentibus, & manu ducẽtibus ſenſibiliter ad veritates Diuinas teſtificatas, tanquam oſtendentes credibilitatem veritatum fidei, non vt dantes infallibilitatem formalem, ideò præter rationem formalem aſſignatam, & infallibilitatem Eccleſiæ proponentis ex aſſiſtentia Spiritus Sancti dantur motiua quædam extrinſeca creata, quibus tanquam ſignis ſenſibilibus manuducimur ad

intelligen-

intelligendom infallibilitatem noſtræ Fidei, ſicut ſunt miracula coniuncta cum puritate doctrinæ, & morum; ſimiliter tot Martyrum ſanguis effuſus per tot ſæcula ad confirmandam iſtam veritatem; tot populorum conſenſio; tot doctiſſimorum virorum approbatio, continuata ſucceſſio Sedis Apoſtolicæ, & hæc omnia neque fundata ſunt, neque creuerunt fauore ſæculari, neque voluptatum admiſſione, ſed contradictione perſequentium, & contentione diſputantium, & per pauperes, & ignobiles homines. Vnde impoſſibile eſt hæc omnia potuiſſe ſubſiſtere, & perdurare, niſi per Diuinam potentiam. Quare *Aug. loco citato contra* Epiſtolam Fundamenti apprimè dixit: *Multa ſunt quæ in Eccleſia Dei me iuſtiſſimè tenent, tenet conſenſio populorum, & gentium; tenet ab veritas miraculis confirmata, Spe aucta, Charitate firmata, vetuſtate nutrita, tenet ab ipſa Sede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oues ſuas Dominus mandauit vſque ad præſentem Epiſcopum, ſucceſſio Sacerdotum; tenet denique ipſum* Catholicę *nomen, quod non ſine cauſa inter tam multas hæreſes ſola hæc Eccleſia obtinuit.* Sic Auguſt. cui adiungo, quod *Sanct. Thom.* dicit 1. contra Gent. c. 6. *Confirmationis fidei modus tangitur, ad Hebr.* 2. vbi dicitur: *Quæ ſcilicet humana ſalus cum incepiſſet enarrari per Dominum, ab eis, qui audierunt confirmata eſt in nos, conteſtante Deo ſignis, & portentis, & varijs Spiritus Sancti diſtributionibus. Hæc autem tam mirabilis mundi conuerſio ad fidem Chriſtianam indicium certum eſt, præteritorum ſignorum, vt ea vlterius iterare neceſſe non ſit, cum in ſuo effectu appareant euidenter, etenim omnibus ſignis mirabilius eſt, ſi ad credendum tam ardua, & ad operandum tam difficilia, & ad ſperandum tam alta, mundus abſque mirabilibus ſignis inductus fuiſſet à ſimplicibus, & ignobilibus hominibus, quamuis non ceſſet Deus etiam noſtris temporibus ad confirmationem fidei, per Sanctos ſuos miracula operari.* Hæc *Sanct. Thom.*

Qualis Diſcurſus interueniat in Reſolutione fidei?

Circa diſcurſum in fide *Reſpondetur*, duplicem diſcurſum nos poſſe ici illa imaginari, vnum antecedenter, & remotè, qui non verſatur circa aſſenſum veritatum fidei, ſed circa credibilitatem; & de hoc diſcurſu non agimus hic, pertinet enim ad motiua quibus perſuadetur, & proponitur credibilitas fidei quam certum eſt, perſuaderi rationibus per diſcurſum deductis, & non ſolùm authoritate proponentis (de quo dicemus diſputatione ſequenti) alter diſcurſus eſt pertinens ad ipſam reſolutionem formalem fidei, & de hoc Inquirimus hic, An requiratur ad credendum? Poteſt autem triplici modo fieri *Primo*, ex aliqua præmiſſa, ſeu principio cognito per lumen naturale. *Secundò*, ex vna propoſitione credita colligendo aliam, ſicut ſi ex reſurrectione Chriſti colligatur reſurrectio mortuorum. *Tertiò*, ex ratione formali credendi procedendo per diſcurſum ad rem naturalem creditam, ſicut qui colligeret debere credi, quod Deus eſt Trinus, quia Deus dixit.

1 Non *defuerunt* authores qui aliquem ex prædictis diſcurſibus fidei attribuerunt, nam primum dari affirmant illi, qui exiſtimant fidem dependere ab aliqua notitia acquiſita, non ſolum tanquam à conditione, ſeu diſpoſitione remota, ſed tanquam à ratione per ſe concurrente ad fidem, ita quod fides reſoluatur in hanc propoſitionem naturali lumine notam, *Deus eſt verax, & Deus dixit* prout cognitione humana, & acquiſita attingitur, de quo præcedenti dubio diximus: hic tamen diſcurſus omnino excludendus eſt, quia aſſenſus fidei eſt certior omni cognitione naturali, ſeu acquiſita, cum habeat infallibilitatem ſummam, & ſupernaturalem; ergo illa veritas prout tantum cognita lumine naturali non poteſt per ſe influere in certitudinem fidei: ergo neque certitudo fidei in illã veritatem reſolui, vt cognitam lumine naturali; ſolum ergo illa veritas poterit deſeruire præparatoriè, & diſpoſitiuè ad veritatem fidei, quatenùs deſeruit ad eius credibilitatem.

Secundum *verò* diſcurſum admittunt aliqui authores, tribuiturque *Magiſtro Cano lib. 6. de locis cap vlt. & Vega lib. 9. in Trid. c. 19.* Qui tamen in hoc ſenſu non loquuntur, ſed aſſerunt propoſitionem deductam ex duabus de fide pertinere etiam ad fidem, quod longè diuerſum eſt ab eo, quod in præſenti tractamus, An vna propoſitio credita reſoluatur in credendo per diſcurſum in aliam etiam de fide creditam. 2

Tertium denique diſcurſum admittit *Durand. in 4. diſt. 14. q. 1. n. 8. aliique ex Nominalibus, & Vazquez 1. p. diſp 5. c. 2.* Fundaturque præcipuè in ratione dubitandi ſupra allata, in principio dubij Exiſtimat enim quod credere propter reuelationẽ eſt credere propter illam tanquam prius cognitam, & creditam, & ſic fidem includere duos aſſenſus, alterum in reuelationem, alterum in rem reuelatam, & ex primo deduci ſecundum, quod planè ſufficit ad diſcurſum, quia ex vno aſſenſu, & propter illum deuenitur ad alium. Vnde licèt *Vazquez* diſtinguat inter diſcurſum deductum ex articulis creditis, & deductum ex teſtimonio diuino, quod primus eſt Theologicus, ſecundus verò fidei, tamen in re incidit in idem inconueniens, quia diſcurſus iſte ex teſtimonio non educitur niſi quatenus teſtimonium eſt creditum, & non ſolum ratio credendi, quia deducitur ex illo quatenus cognitum, & per priorem aſſenſum attactum, ſed cognitio illa, & aſſenſus non attingunt teſtimonium, niſi credendo; ergo ex illo vt credito deducitur ille ſecundus diſcurſus. 3

Quare *dicendum eſt*, fidem ſine vllo prorſus diſcurſu procedere in credendo à ſua ratione formali ad rem creditam. *Ratio eſt:* Quia omnis diſcurſus ſiue formaliter, ſiue virtualiter fiat, ſi ſit verè reſolutorius debet procedere ex principiis notioribus, & in vi connexionis eorum cum concluſione; ſed fides in credendo non reſoluit in principia notiora, neque procedit in vi connexionis vnius cum alio; ergo non procedit per diſcurſum. *Maior conſtat:* Quia ſi in aliquo diſcurſu antecedens eſt æquè notũ ac conſequens non eſt maior ratio cur vnum reſoluatur in aliud, quam è conuerſo, neque vnum poteſt illuminare aliud, cum vtrumque ſit æque notum, ergo neque poteſt eſſe ratio aſſentiẽdi alteri. *Minor verò probatur:* Quia quidquid fides aſſumat pro principio credendi, ſiue ſit ipſum teſtimonium, ſiue alia propoſitio credita, illud non poteſt eſſe euidenter cognitũ euidentia ſupernaturali, ſic enim fides reſolueretur in lumen euidens, non in obſcurè reuelans; ergo debet eſſe cognitum obſcurè, ergò creditũ, & non certius quã alia, quæ per fidem creduntur, quia infallibilitas eſt eadẽ in quocumque credito per fidem diuinam; ergo non eſt magis notum vnum, quam aliud. Similiter ſi in 4

vi connexionis cū aliquo creditur, ergo in vi alicuius probationis; ergo non in vi authoritatis, & teſtimonij dicẽtis. Imo ſi ſemel admittamus diſcurſus reſolutorius in fide, ſequuntur duo magna inconuenientia. *Primū*, quod aſſenſus circa veritatẽ inferentem erit diſtinctę ſpeciei ab aſſenſu circa veritatẽ illatam, & ad diuerſos habitus pertinebunt, ſicut habitus principiorum, & habitus concluſionum ſpecie diſtinguuntur, quia alter ſine diſcurſu, & ſine probatione aſſentitur veritati, alter per diſcurſum, & probationem. *Idem ergo erit in fide*, ſi per diſcurſum infert veritatem quam credit ex alio principio, oportet enim deuenire ad principium non creditum per illationem, ne detur proceſſus in infinitum; ponere autem habitum diſtinctum à fide quo attingantur principia illarum veritatum fidei eſt impoſſibile, quia vel ille habitus eſſet euidens, & certus, & talem euidentiam non experimur, neque fides reſoluitur in euidentiam; vel eſt incertus, & obſcurus, & ſic pertinet ad fidem. *Secundum inconueniens eſt*. Quod ſi aſſentimur veritatibus fidei per diſcurſum, aſſentimur ex vi alicuius connexionis extremorum cum medio; ergo tantum certificamur de illa quantum ipſa connexio manifeſtat, non quãtum authoritas mouet, ſed illa connexio, ſeu deductio diſcurſiua non fit per lumen infuſum, ſed per lumen naturale, quo cognoſcitur bonitas conſequentiæ; ergo dependeret aſſenſus fidei ex lumine naturali, & acquiſito, quantum ad ſuam certificationem.

5 Ex *dictis* infertur virtualem reuelationem, ſeu mediatam, vel deductam per diſcurſum, qualis inuenitur in theologia diſtingui ſpecie à reuelatione immediata, quæ habetur ex teſtimonio dicentis, & attingit id quod eſt credendum de fide, vt latius tradidimus *1. p. q. 1. diſp. 1. art. 4.* vbi retecimus duas ſententias extremas, alteram *Vaſquez 1. part. diſp. 5. cap. 3. num. 8.* qui ſentit concluſionem deductam ex præmiſſis de fide, ita eſſe certam reſpectu ſcientis diſcurſum, ſicut propoſitio definita per eccleſiam, alteram *P. Molina 1. part. quæſt. 1. art. 2. diſp. 1. & 2.* qui ſentit, quod etiam ſi definitio Eccleſiæ ſuperueniat alicui propoſitioni, quæ antea non erat de fide, non faceret illam immediatè de fide, ſed Spiritum Sanctum ſolum aſſiſtere Eccleſiæ ne erret, non autem vt rem faciat de fide, quæ antea de fide non erat. Quæ ſententiæ citato loco videri poſſunt impugnatæ.

6 Ad fundamentum *P. Vaſquez*. Reſpondetur. Rationem formalem fidei, ſeu teſtimonium diuinum non attingi diſtincto actu, & aſſenſu ab eo, quo attinguntur res teſtificatæ, & reuelatæ, ſed eodem: ſicut eodem actu viſionis attingimus lucem, & colorem, & eodem motu attingitur imago, & exemplar, & in vniuerſum quælibet ratio *ſub qua* cum ipſa ratione *quæ*: hoc autem non ſufficit ad diſcurſum, neque ex parte obiecti, neque ex parte actuum, ſeu ſubiecti diſcurrentis: nam etiam viſus externus videt corpus propter colorem, & lucem, non tamen diſcurrit, quia non mouetur ex vno ad aliud, ſed in vno cognoſcit aliud ſimul, & per modum vnius; ſic vnico actu res creditur propter authoritatem, non ex connexione vnius veritatis mouetur ad aliam.

7 Nec obſtat, quod non poſſimus formare diſcurſum ex vna propoſitione fidei ad aliam, & talis diſcurſus erit obſcurus, & certus; ergo non poterit pertinere niſi ad fidem, verbi gratia, ſi dicamus; *Deus dixit, verbum caro factum eſt, ergo id eſt verum. Eccleſia non poteſt errare in proponendo, &* *Eccleſia hoc dicit; ergo hoc eſt credendum.*

Reſpondetur duplicem eſſe diſcurſum, alterum verè illatiuum, & probatiuum, quia deducitur ex principio quod ſe habet, vt verè inferens veritatem deductam: alterum qui licèt habeat modum diſcurſus ex parte formæ, non tamen eſt verè illatiuus, & probatiuus concluſionis, ſed ſolum magis explicat id quod continetur in antecedenti; ſicut quando ex vniuerſali propoſitione infertur ſingularis in illa contenta quod non eſt propriè diſcurſiua, ſed id quod modo vniuerſali, & confuſo ponitur in antecedenti explicare in conſequenti: vnde non indiget artificio probatiuo ad id inferendum: & talis diſcurſus poteſt inueniri circa prima principia, & circa ea quæ per externos ſenſus cognoſcimus, ſicut poſſum formare hunc ſyllogiſmum; *Quidquid lumine principiorum cognoſcitur eſt verum, ſed lumine principiorum cognoſcitur quod omne totum eſt maius ſua parte; ergo hoc eſt verum. Quidquid video oculis eſt exiſtens, ſed Petrum video oculis; ergo eſt exiſtens.* Qui diſcurſus non tollunt quod poſſit cognoſci lumine principiorum & ſenſibus externis veritas ſui obiecti immediatè, & in ſe, quia non ſunt tales diſcurſus probatiui ſed explicatiui eiuſdem veritatis quæ eſt in antecedenti, & hoc modo ſe habent diſcurſus allati in argumento, qui non opponuntur ipſi fidei, ſed ſolum explicant per illum apparentem ſyllogiſmum rationem teſtimonij diuini; quod in ipſo aſſenſu fidei etiam omni diſcurſu remoto continetur. 8

Quomodo ad reſolutionem fidei interueniat propoſitio Eccleſiæ.

RE ſpondetur ex dictis, Eccleſiam nullo modo concurrere ad rationem formalem, & ſpecificatiuam fidei, niſi tanquam conditionem, ſeu intrinſecum applicatiuum nobis ea quæ fidei ſunt, & hoc ſufficit vt ſe habeat tanquam regula fidei in proponendo, non ſpecificando. *Explicatur hoc:* Nam ratio formalis fidei eſt authoritas diuina, quæ ſolum infallibilis eſt ex ſe, hæc autem nulli extra Deum communicatur tanquam cauſæ principali; vnde ſoli Deo credimus tanquam authori fidei. Cæterum communicari poteſt applicatio iſtarum veritatum alteri extra Deum tanquam miniſtro, & organo diuinæ loquutionis, & ſic primò loquutus eſt Deus Prophet. & Apoſt. & per ipſos notificauit Eccleſiæ per Eccleſiam autem nobis: vnde ſicut Prophetæ dicebantur quaſi calamus Dei ſcribentis; ita Eccleſia dicitur *columna, & firmamentum veritatis*, & ſicut qui audierunt fidem à Prophetis non reſoluebant illam in ipſos Prophetas tanquam in rationem formalem, ſed tanquam in miniſtros, & inſtrumenta quibus Deus loquebatur. ita nunc non reſoluimus fidem in Eccleſiam tanquam in rationem formalem, ſed tanquam in inſtrumentum, & organum, per quod applicatur nobis ipſum teſtimonium, & loquutio Dei; & licet in iſto genere Miniſterij, & applicationis habeat infallibilitatem, non tamen habet illam per ſe & principaliter, ſed participatiuè, & miniſterialiter, & ideo non ſiſtit ratio formalis fidei in infallibilitate Eccleſiæ, ſed per illam tanquam per medium tranſit ad primam veritatem dicentem, quæ per ſe, & principaliter eſt infallibilis. 1

ARTICVLVS III.

Quodnam ſit obiectum materiale fidei?

1 RESpondeo, *& dico primò.* Obiectum materiale primarium, ſiue ſubiectum formale veritatum fidei eſt Deus ſub ratione Deitatis. Sumitur ex *Sanct. Thom.* in præſenti *quæſt.* 1. *art.* 1. dum dicit: *Omnia alia extra Deum credi ſecundum quod habent aliquam habitudinem ad Deum.* Et clarius in 1. *par. quæſt.* 1. *art.* 7. vbi inquit: *Quod in theologia omnia tractantur ſub ratione Dei.* Et ſubdit probationem; *Quia ſubiectum fidei eſt ipſe Deus; eſt autem idem ſubiectum principiorum, & ſcientiæ.* Quod ergo Deus ſit obiectum materiale, id eſt, creditum, & cognitum per fidem conſtat ex ſupra dictis, dicitur enim Ioan. 14. *Creditis in Deum, & in me credite.* Ad Hebr. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt.* Similiter fides eſt virtus theologica, ergo habet pro materia circa quam verſatur, ſeu pro obiecto materiali Deum, in hoc enim differunt virtutes theologicæ ab aliis, quod habent pro materia circa quam verſantur id quod aliæ habent pro fine.

2 Quod *autem dicimus* eſſe ſubiectum formale fidei, idem eſt, quod eſſe ſubiectum primarium, ſeu attributionis de quo creduntur plura prædicata quæ Deo attribuuntur per fidem, ſicut eſſe trinum, eſſe incarnatum &c. Et dicimus eſſe *Deum ſub ratione Deitatis*, vt comprehendantur omnia, quæ in Deo ſunt, & attribuuntur per fidem; non enim ſolum credimus de Deo vnum, vel aliud attributum, verbi gratia, quod ſit ſaluator, vel omnipotens, &c. ſed omnia attributa credimus de illo; ergo ſubiectum iſtorum attributorum debet eſſe illud cui omnia conueniunt, & hoc eſt ſecundum ſe, ſeu ratione Deitatis, non ſecundum vnum tantum attributum, licèt verum ſit quod omnia iſta ordinet fides ad ſalutem noſtram tanquam ad finem, qui eſt effectus, & ideò ſpecialiter conſiderare dicitur de Deo, vt ſaluatore. Denique dicitur *formale ſubiectum*, quia cætera omnia de quibus fides aliqua credit non attingunt ab ipſa, niſi prout dicunt aliquam habitudinem ad Deum, vt iam explicamus.

3 Dico *Secundò.* Ad obiectum ſecundarium materiale fidei non ſolum pertinet Deus, ſed multa alia præter Deum, vt tamen dicunt aliquam habitudinem ad ipſum, & ita Deus non eſt adæquatum obiectum materiale fidei extenſiuè loquendo, ſed poteſt dici obiectum adæquatum formaliter, quia alia non ſunt credita, niſi ſub habitudine ad Deum. Tota iſta concluſio conſtat ex littera articuli primi, & prima eius pars eſt manifeſta, cum multa ſint reuelata in ſacra ſcriptura, quæ non ſunt Deus. *Secunda vero pars etiam conſtat:* Quia ſi obiectum principale fidei vt eſt virtus theologica eſt Deus, omnia quæ ſunt extra Deum non pertinebunt ad talem virtutem, niſi vt induunt aliquam habitudinem ad Deum, vel vt ſunt aliquid Dei, vel aliquo modo ad Deum ordinantur.

4 Dico *Tertiò.* Non repugnat dari ordinem inter ipſa obiecta materialia fidei, ita quod quædam ſint principaliora aliis, & implicitè contineant alia, non tamen inter illa eſt aliquis ordo illationis, vel maioris infallibilitatis in credendo. Prima pars concluſionis ſumitur ex *D. Thom.* in hac *quæſt.* 7. vbi inquit: *Ita ſe habent in doctrina fidei articuli fidei, ſicut principia per ſe nota in doctrina naturali, in quibus in principiis ordo quidam inuenitur, vt quædam in aliis implicitè contineantur, ſicut omnia principia reducuntur ad illud, tanquam ad primum, impoſſibile eſt ſimul idem eſſe, & non eſſe, & ſimiliter omnes articuli reducuntur, & continentur in aliquibus primis, quales ſunt illi duo, quod Deus eſt, & quod remunerator eſt, ſicut dicitur* Hebr. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.* Conſtat etiam non omnes æqualiter obligari ad fidem explicitam circa credibilia, omnes tamen obligari ad ea quæ ſunt principaliora, & in quibus alia continentur, præcipuè enim ſunt digniora ea, quæ de Deo credenda ſunt, quam de creaturis: non ergo repugnat fidei prioritas, ſeu ordo principalitatis, & dignitatis inter credibilia, neque quod aliqua implicitè contineantur in aliis, tanquam in principalioribus, nec tamen hoc ſufficit ad diſcurſum, nam etiam in principiis ſine diſcurſu notis vnum principium continetur in alio, tanquam in digniori, nec tamen vnum principium probatur per diſcurſum ex alio, non ergo quæcumque continentia vnius in alio implicitè ſufficit ad fundandum diſcurſum per medium probationis, & illationis, licèt ſufficiat ad explicandum magis id quod implicitè continetur in alio.

Secunda *vero pars concluſionis* quantum ad hoc, quod non ſit ordo illationis inter credibilia in ordine ad actum credendi *conſtat ex dictis præcedenti articulo.* Quia credere non eſt probare, neque diſcurrere: quod verò non ſit ordo credibilitatis, ſed tanta ſit credibilitas in vno obiecto, ſicut in alio, nec vnum præſtet alteri credibilitatem, videtur negari ab aliquibus, quibus accedere videtur *Suarez diſp.* 2. *de fide ſect.* 4. reuera tamen non loquitur de ipſis obiectis materialibus, quaſi vnum prius creditum præſtet alteri rationem credendi, ſed ſolum loquitur de ordine inter obiectum formale, & materiale: conſtat enim quod ratio formalis credendi, ſeu teſtimonij præbet credibilitatem obiectis materialibus creditis, non tamen propoſitiones aliquæ creditæ prius in quantum creditæ ſunt præbent aliis rationem formalem credendi. 5

Ratio *ergo huius partis eſt.* Quia credibilitas obiectorum ſolum fundatur in Authoritate, & teſtimonio dicentis; ergo vnum credibile non accipit ſuam rationem formalem ex alio prius credito ratione alicuius connexionis cum illo, ſed ex ſola authoritate dicentis; ergo non eſt ordo, & prioritas inter ipſa credibilia in ratione credibilitatis, ita quod vnum ſit alteri ratio credendi. Benè verum eſt, quod inter ipſa credibilia vnum proponitur, & apprehenditur prius quam aliud, quia non ſemper omnia proponuntur, & ipſa explicatio fidei ſucceſſu temporis creuit, ſed hoc per accidens eſt fidei, & non ab intrinſeco, ſed ex parte ſubiecti credentis, cui ſucceſſiuè res proponuntur. Vnde in Angelis inuenitur fides, ſicut in nobis, ſine hac ſucceſſione. 6

Quod *autem exiſtimat Suarez,* quando fides 7 in initio generatur in nobis diſtinctis actibus credi illud principium, *Deus dixit, & Deus eſt verax.* Deinde alia credibilia, verbi gratia,

Deum

Deum eſſe Trinum, & Incarnatum, &c. ita quod prius credatur Deũ dixiſſe, deinde ipſa res dicta, id quidem incertum eſt, non oportet vt ſemper fiat diſtinctis actibus, quin potius illa propoſitio *Deus dixit* nunquam creditur ſeparata ab aliquo credibili, quod eſt dictum, nec enim credimus Deum dicere vt ſic, ſed Deum dicere hoc, vel illud, & ideo illa propoſitio *Deus dixit* ſemper includitur in aliis credibilibus, quæ ratione talis dicti, & teſtimonij credẽda proponuntur, & ita eodem ſenſu attingi poſſunt, illa autem propoſitio *Deus eſt verax, ſeu prima veritas*, licet poſſit etiam ſeorſum credi ab aliis credibilibus; quia ipſum attributum veritatis etiam eſt res credita, tamen in ipſo teſtimonio Dei propter quod credimus alicui veritati neceſſariò imbibitur illa ratio primæ veritatis; credimus enim illi propoſitioni vt teſtificatæ à prima veritate, & conſequenter ipſi primæ veritati credimus vt dicenti; continetur ergo ibi prima veritas, ſeù Deum eſſe veracem, & ſic non ſemper ſeorſum ab aliis veritatibus attingitur. Itaque ſicut lux non ſolum eſt ratio videndi colores, ſed etiam res viſa, ita & ipſum teſtimonium Dei vt à veritate prima eſt res credita in ſe & ſimul ratio credendi alia, non tamen debet præſupponi aliquod principium ex iſtis, vt cognoſcitur lumine naturali, ſicut fide humana, quæ cum ſit fallibilis benè poteſt iuuare, & præſupponere aliã cognitionem certiorem, à qua firmetur, vt quod per experientiam cognoſcatur hunc hominem loqui, & eſſe veracem: at verò fides diuina non poteſt ſumere firmitatem ex aliqua cognitione luminis naturalis, cum certitudo eius ſit generis longe ſuperioris ſcilicet ſupernaturalis.

7 Vnde *licet* lumine naturali cognoſcatur Deum eſſe veracẽ, & ipſa experientia videamus Eccleſ. aliqua nobis proponere de fide tamen fides non accipit aliquam firmitatem, vel credibilitatem ex illis vt cognitis lumine naturali, vel experimentali, ſed ex ſolo teſtimonio diuino, licèt ea quæ lumine naturali cognoſcuntur poſſint ad fidem̃ præſupponi tanquam aliqua diſpoſitio remota, ſeu tollens impedimentum.

8 Si *Inquiras* an inter obiecta materialia fides Theologicæ, & Chriſtianæ computari debeant illa, quæ priuatis reuelationibus aliquibus reuelantur, ſed non proponuntur per Eccleſiam, neque pertinent, aut conducunt ad ea, quæ ſunt contenta in ſcriptura, vt ſi Deus reuelatet mihi quot ſtellæ ſunt in Cœlo, vel quot arenæ in mari. Ad hoc reſpondebitur infrà *Diſp.* 3.

DISPVT. II.

De certitudine, & obſcuritate fidei.

TRIPLICEM *poſſumus* euidentiam conſiderare, & de eius oppoſitione cum fide diſputare. *Prima eſt* euidentia ipſius obiecti ſecundum ſe. *Secunda eſt* euidentia ipſius teſtimonij, & reuelationis Diuinæ *Tertia eſt* euidentia ipſius credibilitatis. De *prima* eſt dubium an formaliter excludat

fidem à ſubiecto? De *ſecunda* an excludat fidem ſi non formaliter, ſaltem virtualiter, & per diſcurſum formatum ex euidentia reuelationis cum euidentia infallibilitatis diuinæ? De *tertia* eſt dubium an euidentia credibilitatis attingatur ab ipſo habitu fidei?

ARTICVLVS I.

Vtrùm Euidentia Obiecti repugnet cum fide in eodem ſubiecto?

DVpliciter poteſt intelligi quod fides petat *ineuidentiam, vno modo*, ex parte medij, ſeu motiui aſſentiendi veritatibus, quas attingit, ita quod hoc medium ſit obſcurum in ſe: *alio modo* ex parte ſubiecti; ita quod requirat pro ſubiecto capaci fidei, quod tale ſubiectum non videat id quod credit, & ſic reſultet in obiecto credito denominatio extrinſeca *non viſi*, ſicut è contra, à vidente reſultat in obiecto denominatio *viſi*, vnde ſi obiectũ ſit viſum amittetur fides, quia de ſi eſt conditio neceſſariò requiſita in obiecto. ſcil. non eſſe viſum à credente, & *primo modo*, nullus poteſt dubitare fidem eſſe ineuidentem, & obſcurã, tùm quia id apertiſſimè docet ſcriptura Hebr. 11. *fides eſt argumentum non apparentium.* D.Thomas explicans hæc verba Apoſtoli. Id eſt (inquit) certa apprehenſio eorum quæ non videntur. Quod ſi quis vellet iſta verba ad debitam formam reducere, poſſet dicere quod fides eſt habitus mentis quo inchoatur vita æterna in nobis, faciens intellectum aſſentire non apparentibus hactenus D. Thom. Item 3. contra Gent. cap. 40. n. 3. Qui credit (inquit) aſſenſum præbet his quæ ſibi ab alio proponũtur quæ ipſe non videt, vnde fides magis habet cognitionem auditui ſimilem quam viſioni. Rurſus. D. Paulus 1. ad Corinth. 13. *videmus nunc per ſpeculum, in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* D. Thomas explicans hæc verba, nos (inquit) cognoſcimus Deum in vita iſta, in quantum inuiſibilia Dei per creaturas cognoſcimus, & vt dicitur Rom. 1. & ita tota creatura eſt nobis ſicut ſpeculum quoddam, quia ex ordine & bonitate, & magnitudine quæ in rebus à Deo cauſata ſunt venimus in cognitionem ſapientiæ & eminentiæ Diuinæ, & hæc cognitio dicitur viſio in ſpeculo, *per ſpeculum*, inquit Apoſt. ad denotandam viſionis obſcuritatem, *in ænigmate* ad denotandam cognoſcendi difficultatem; Nam ænigma propriè quæſtio eſt ſeu propoſitio quà ſub inuolucris ſignorum quæritur aliquid, proindeque ad coniectandum & explorandum difficilis eſt. Dicet aliquis vllam implicare contradictionem quod aliquis habeat fidem & ſimul habeat euidentiam reſpectu eiuſdem obiecti. D. Ioannes c. 20 dicit de S. Thoma Apoſtolo ipſe vidit & credidit. Præterea euidẽtia & ineuidentia ſunt compatibiles circa eandẽ rem ad minus ſucceſſiuè vt patet in diaphano quod modo eſt lucidũ & modo tenebroſum vnde concluditur quod aliquis poteſt euidenter per demonſtrationem aliquid cognoſcere & tandem facta reuelatione id credere quod antea cognoſcebat vt patet

de Philoſopho Chriſtiano qui habet demonſtrationem euidentem de hac veritate *Deus eſt*, qui ſi conuertatur ad fidem debet credere eandem veritatem, & tamen non admittit demonſtrationem; ergo non repugnat ſimul in eodem intellectu eſſe actum euidentem ſcientiæ & obſcurum fidei, ſiquidem iſti duo actus & aſſenſus non confunduntur, & coaleſcunt in vnum tertium, ſic enim ſe corrumperent, & neque crederet talis homo, neque ſcientiam haberet de illa veritate, quod eſt contra experientiam. *Minor conſtat*: quia iſte Philoſophus ſic conuerſus ad fidem non amittit demonſtrationem philoſophicam quam ante habebat ſicut neque illam amittit Theologus, qui habet fidem, & demonſtrat Deum eſſe. *Maior autem eſt certa*: quia ille Philoſophus conuertitur ad Deum, & fit fidelis; ergo credit per fidem Deum eſſe, nam iuxta Apoſtolum Hebr. 11. *Credere oportet accedentem ad Deum, quia eſt.* quod *Trident. ſeſſ. 6. c. 6.* explicat de actu fidei.

5 Reſponſiones ad hoc argumentum, principaliter reducuntur ad tres. *Prima*, quod ille qui habet demonſtrationem de Deo ſi conuertatur ad fidem non credit actu illam veritatem, ſed ſolum in præparatione animi, nec habet maiorem certitudinem de illa veritate, quam Philoſophus qui non eſt fidelis. *Secunda*, quod de facto habet maiorem certitudinem quantum ad illum actum, quia habet fidem de illa veritate, & non ſcientiam. *Tertia*, quod habet ſimul actum euidentem ſcientiæ cum certitudine fidei quod dupliciter explicatur, *vno modo*, dicendo, quod eſt vnus actus, qui ſimul habet vtramque rationem, & euidentiæ ſcientiæ, & certitudinis fidei: *alio modo*, quod eſt vnus actus ſpecie diſtinctus à ſcientia & fide eminenter tamen continens vtramq; perfectionem.

6 Contra iſtas ſolutiones inſurgit *P. Suarez*, contra primam: quia incredibile eſt, quod ille Philoſophus fidelis non aſſentiatur firmius illi veritati, quam Philoſophus Gentilis, & minus firmiter quam fidelis ruſticus, & ſic erit deterioris conditionis ex eo præciſè, quod habet ſcientiam de Deo. Similiter ſequitur inconueniens ſupra allatum, quod non poterit ille Philoſophus iuſtificari, ſiquidem non poteſt credere quod *Deus eſt*, quod requiritur, vt ad Deum accedat: imo nullus Angelus potuit habere fidem de iſtis veritatibus quia euidentius cognoſcit Deum eſſe, quam quilibet Philoſophus.

7 Secunda *vero ſolutio* ea eo reiicitur quia fides non poteſt expellere demonſtrationem, & ſcientiam quam habet philoſophus: tum quia experientia teſtatur manere in Philoſopho fideli demonſtrationē ſicut antea: tum quia demonſtratio euidens perfectè conuincit intellectū ad aſſentiendū; ergo fortior eſt quam aſſenſus obſcurus fidei non cōuincens illū; ergo non poteſt ab eo expelli.

8 Tertia *denique ſolutio* videtur difficilior, quia ſi in eodem actu demonſtrationis concurrit formalitas euidentiæ, & certitudinis ſupernaturalis, vel illa euidentia ſpecificè eſt ſcientifica, & illa certitudo eſt formaliter fidei, vel non? *Si primum* ergo non repugnāt ratio ſcientię, & fidei in eod. actu, ergò multò minus in eodem ſubiecto, quod tamen negamus. *Si ſecundū*, ergo iā illa certitudo non erit fidei, & ſequitur inconueniens ſupra allatum, quod ille Philoſophus non habebit tantam certitudinem, ſicut Ruſticus nec poterit iuſtificari, quia non credit Deum eſſe.

Deinde ſi *illa* certitudo non eſt fidei, & tamen eſt ſupernaturalis cuius ſpeciei erit? & ad quem habitum ſpectabit? præſertim cum illa certitudo ſolum innitatur authoritati, & teſtimonio Dei; ergo nihil illi deeſt, quominus ſit fidei, & ſic certitudo fidei inuenietur ſimul cum actu demonſtrationis; dicere autem quod ille actus habet eminenter vtramq; rationem fidei, & ſcientiæ adhuc difficilius eſt, tum propter rationem nuper factam, quia non eſt aſſignare ad quam ſpeciem, & habitum pertineat ille actus ſic eminens: tum quia vel ille actus eſt determinatè ſupernaturalis vel determinatè naturalis, vel ſuperior ad naturalē, & ſupernaturalem, hoc tertiū nec imaginari poſſumus, cum nihil ſit ſuperius ratione ſupernaturali: ſi eſt ſupernaturalis, eſt certitudo fidei, cum non habeat euidentiam, ſed obſcuritatem: ſi naturalis tantū deerit illi firmitas ſupernaturalis, & inciditur in inconueniens allatum: *ac denique*, quia non eſt aſſignare habitum & rationem formalem ſub qua eliciatur ille actus euidens, & ſuperior ad ſcientiam & fidem, neque poteſt procedere ab vtroque illo habitu fidei & ſcientiæ, quia ſic ſimul concurrerent operatio, ſeu actus fidei, & ſcientiæ.

Hæc omnia ſine dubio oſtendunt quanta ſit propoſita difficultas, cui adiungo difficilem authoritatem *D. Thom.* nam. 2.2 *quæſt. 67. artic. 3.* inquit: *quod cognitio perfecta & imperfecta ex parte medij impoſſibile eſt, quod conueniant in vno medio, ſed nihil prohibet quin conueniant in vno obiecto, & in vno ſubiecto, poteſt enim vnus homo cognoſcere eandem concluſionem per medium probabile, & demonſtratiuum.* Et in 3. *ſent. diſt. 31. q. 2. art. 1.* inquit: *quod ſcientia & opinio quamuis ſint de eodem, non tamen ſecundum idem medium, ſed ſecundum diuerſa, & ideo poſſunt eſſe ſimul.* Ex quo formatur argumentum. ſecundum *D. Tho.* Opinio, & ſcientia poſſunt eſſe ſimul in eodem ſubiecto, quia per diuerſa media procedit, Opinio quidem per medium obſcurum, ſcientia vero per medium euidens; ergo ſi non repugnat obſcuritas opinionis, & euidentia ſcientiæ in eodem ſubiecto, quia ſunt per diuerſa media, ſimiliter non repugnabit obſcuritas fidei, & euidentia demonſtrationis, quia procedunt per diuerſa media. 9

Nihilominus *expreſſa ſententia ſanct. Tom.* eſt fidem, & ſcientiam, & quemcunque actum euidentem repugnare ſimul in eodem ſubiecto propter effectus, & conditiones repugnantes, quas ex parte ſubiecti important, vnde aduertendum eſt valdè *ſanct. Doct.* perpetuò probare repugnantiam inter fidem, & ſcientiam, quia repugnant ſecundum perfectum, & imperfectum ex parte ſubiecti in videndo, & non videndo, non autem quia præciſè repugnant ex parte medij (inquit) enim 1.2. *queſtione 67. art. 3. cit. quod fides in ſui ratione habet imperfectionem ex parte ſubiecti ſcilicet quod credens non videat id quod credit.* Et in hac *q. 1. artic. 4.* dicit, *quod fides non ſufficienter mouet intellectum, ſicut mouet cognitio euidens, quæ intellectum conuincit*, & inde infert *articul. 5. ad primum*, quod fides & ſcientia repugnant, quia *creditum eſt non viſum, & ſcitum eſt viſum*, non dicit quia teſtimonium eſt obſcurum, & demonſtratio euidens, ſed quia *creditum eſt non viſum, & ſcitum eſt viſum*, ratio autē *viſi* eſt denominatio proueniens à ſubiecto vidēte, & ratio *non viſi* eſt denominatio proueniēs à 10

non

non videre Quod acutè notauit *Caietanus* 1. 2. *quæſt.* 67. *art.* 5. *in calce commentarij*, inquiens, quod quando inuenimus obiectum fidei eſſe non viſum, ly *non viſum* eſt denominatio proueniens à non vidente; ergo imperfectio fidei, ratione cuius pugnat cum euidentia non ſolum debet ſumi ex parte medij, quia vnum eſt obſcurum, & aliud euidens, ſed quia hoc vt recipiatur fides in ſubiecto, requiritur quod ipſum ſubiectum in ſe & abſolutè ſit non videns, vt ipſum obiectum creditum reddatur non viſum denominatione ſumpta ex ſubiecto non vidente.

11 Vt autem profunditas rationis, & fundamenti *S. Thom.* intelligatur, quia tota fundatur in imperfectione fidei ex parte ſubiecti, non autem præciſe in claritate & obſcuritate medij, oportet prius explicare quid ſit fidem eſſe imperfectam ex parte ſubiecti, quod explicat *Caietanus* 1. 2. *quæſt.* 67. *artic* 5. ex doctrina *D. Thom.* ibidem *& in art.* 4. quia actum eſſe imperfectum ex parte ſubiecti poteſt duplici ſenſu intelligi, *vno modo*, quod ſubiectum reddatur imperfectum ex ipſo actu, quia ſcilicet actus eſt in ſe imperfectus, & poſitus in ſubiecto reddit illud imperfectum. *Alio modo*, è conuerſo, quod actus eſt imperfectus imperfectione deſumpta à ſubiecto, eo quod de ſe petit ſubiectum in ſtatu imperfectionis. *Exemplum primi eſt*, in cognitione probabili, & demonſtratiua, aut etiã in diuerſis ſciẽtiis, quarum vna eſt imperfecta, alia perfecta, vt ſubalternans, & ſubalternata, & ex imperfectione talis cognitionis intellectus denominatur imperfectus. *Exemplum ſecundi* eſt in motu, motus enim *eſt actus entis in potentia*, ita quod eſſentialiter petit ſubiectum non eſſe in termino, ſed carere illo, & eſſe in potentia ad illum vt moueatur, & ſic imperfectio illa, ſeu priuatio termini non ſolum in ipſo motu debet eſſe, ſed in ſubiecto, vt ſit capax motus, vnde debet ſupponi ſubiectum abſolutè, & ſimpliciter carens termino, quia ſi illum habet, etiamſi ex alio principio habeat repugnat moueri ad illum. Sicut ſi lapis exiſtit in aliquo loco ex vi ſuæ generationis repugnat, quandiu in illo exiſtit, per quemcumque alium motum moueri ad illum, quod autem dentur diuerſæ formæ quarum vna eſt imperfecta, & alia perfecta, licet non dentur ſimul in ſubiecto, id non repugnabit ex vi ſubiecti antecedenter ad tales formas, ſed ex illarum contrarietate, vel priuatione conſequuta.

12 Hac *ergo ratione* probat *D. Thom. loco citato prima ſecundæ quæſtione* 67. *articul.* 4 Spem non poſſe manere in patria cum poſſeſſione rei ſperatæ, quia ſpes importat motum ad poſſeſſionem termini, & conſequenter ſupponit ſubiectum carere illo abſolutè, & ſimpliciter & eadem ratione probandum eſt, quod fides non poteſt ſtare cum euidentia, quia fides importat motum quendam intellectus ad viſionem in qua quietatur, ſic enim Apoſtolus vocat fidem 2. *Corinth.* 5. dum inquit: *Quandiu ſumus in corpore peregrinamur à Domino, per fidem enim ambulamus, & non per ſpem.* Ergo fides comparatur motui cum dicit, *per fidem ambulamus.* Formatur ergo ratio ſic; actus fidei eſt aſſenſus intellectus, non perfectè conuicti, neque coacti ab ipſo obiecto, ſed inſufficienter moti, & ideo indigentis inclinatione voluntatis, a qua libere mouetur ad aſſenſum; ergo ſupponit obiectum non eſſe conuictum, nec neceſſitatũ etiam per aliud mediũ, & nõ ſolum per ipſam fidem. *Conſequentia probatur*: Quia ſi intellectus ſupponitur conuictus, & neceſſitatus ab euidentia obiecti, etiam per aliud medium, ſeu Principium, ergo eſt immobilis & quietatus circa tales veritates; ergo repugnat quod libere moueatur circa eandem veritatem etiam per aliud medium, quia libere moueri ſupponit indifferentiam in ſubiecto ad aſſentiendum, vel diſſentiendum; ergo ſi hæc indifferentia ablata eſt & per neceſſitatem demonſtrationis, nõ remanet intellectus liberè mobilis, quia iam eſt 13 incapax illius motionis indifferentis, & ſine quiete in obiecto.

Dices, non repugnat dari actum neceſſarium, & liberum voluntatis circa idem obiectum; ergo neque repugnabit intellectum neceſſitari, & liberè moueri circa idem obiectum, per diuerſa media. *Antecedens patet*, in charitate Chriſti, per quam in quantum comprehenſor neceſſariò ferebatur in Deum, & in quantum viator ferebatur liberè ſiquidem merebatur per illam, vt docet *D. Thom.* 3. *p. quæſtione* 19 *articulo quarto, ad primum.* Ergo multo melius poteſt moueri liberè, neceſſario & circa idem obiectum per diuerſa 14 media.

Reſpondetur, dato quod actus Charitatis vt ferebatur in Deum, & regulabatur per ſcientiam beatam in Chriſto erat neceſſarius, vt autem regulabatur per ſcientiam infuſam, erat liber, de quo tamen plerique dubitant, ne cogantur duos actus Charitatis ſimul ponere in Chriſto. Nos autem (omiſſa diſputatione hac) dicimus eſſe latam differentiam, inter intellectum, & voluntatem, quia voluntas de ſua intrinſeca perfectione eſt potentia libera, & liberè moueri non eſt imperfectio in ipſa, ſed ex ſua naturali facultate fertur liberè in omne illud, quod ſibi cum indifferentia proponitur, vnde motus & quies in voluntate non attenditur penes liberum, & neceſſarium, ſed penes poſſeſſionem finis, & tendentiam ad poſſidendum; quieſcit enim voluntas dum fruitur re deſiderata, mouetur autem dum tendit ad fruendum illa, & ideo ſpes non quia eſt actus liber, ſed quia tendit ponderans in poſſeſſionem rei ſperatæ comparatur motui, ſupponitq; in voluntate non eſſe poſſeſſionem rei ſperatæ etiã per aliud mediũ. At vero intellectus nõ habet de ſua perfectione liberè & indifferenter moueri, ſed potius ab euidẽtia obiecti neceſſitari, & cogi: vnde tunc quieſcit, cum ab euidentia obiecti conuincitur: tunc autem mouetur quando cum indeterminatione, & in euidentia tangit obiectum, quia inſufficienter mouetur, & ideò non plene quieſcit quouſque videat, ergo talis motus in euidens ſupponit intellectum non eſſe conuictum, & quietatum ab euidentia obiecti etiam per aliud medium.

Inſtabis, nam fides eſt quidam motus quo 15 tendimus ad viſionem Dei, & ideo poſita euidentia viſionis beatæ ceſſat fides, & euacuatur. Cæterùm poſita euidentia ſcientiæ, quæ non attingit Deum in ſe, ſed per effectus, non continuo debet ceſſare fides: quia fides non eſt motus tendens ad ſcientiam naturalem vt ad terminum, ſed ſolum ad viſionem beatam, non autem ſequitur quod poſito vno motu careat ſubiectum omni termino, ſed ſolum illo ad quem tendit talis motus non vero termino ad quẽ non

tendit, & in hoc videtur fundari *Vazquez*, dum admittit fidem ſtare non poſſe cum euidentia viſionis, benè tamen cum ſcientia abſtractiua, quæ ſolum per effectus Deum oſtendit.

16 Nihilominus *in ſententia S. Thom.* indubitatum eſt fidem non minus repugnare cum ſcientia abſtractiua, quam cum euidentia viſionis, nam expreſse *in hac quæſt. art. 4. ad quartum*, docet, *quod de eodem ſecundum idem non poteſt eſſe ſimul in vno ſcientia, nec cum fide, nec cum opinione, quia cū ſcientia procedat per principia per ſe nota, oportet: quod quæcumque ſunt ſcita, aliquo modo ſint viſa.* & infra *quæſt. 2. art 4. ad ſecundum*, dicit: *quod de eodem non poteſt eſſe ſcientia, & fides, apud eundem, ſed id quod eſt ab vno ſcitum poteſt eſſe ab alio creditum.* Ac denique *in quæſt. 14. de verit. art. 9. in fine corporis articuli*, inquit *Sanct. Doct.* *quod nihil prohibet quod aliqua ſint ab aliquibus ſcita, qui habent eorum demonſtrationes, & ab aliquibus credita, ſed impoſſibile eſt, quod ab eodem ſint ſcita, & credita.* Quare ſecundum *S. Thom.* non ſolum viſio beata, ſed etiam demonſtratio ſcientiæ, quæ eſt apud nos repugnat cum fide, & hoc idem probat ratio ſupra facta, quia non poteſt intellectus ſimul eſſe conuictus per ſcientiam, & inſufficienter motus per fidem.

17 Ad argumentum ergo factum reſpondetur, quod eſſe terminum fidei ſtat dupliciter, *vno modo* ſpecialiter ex parte ſtatus, in quantū viſio terminat ſtatū viæ, in qua per fidē tendimus ad cognitionem perfectam in patria. *alio modo* generaliter ex parte conditionis requiſitæ ad omnem fidem, ſiue diuinam, ſiue humanam, ſcilicet quod intellectus non ſit conuictus, nec quietatus ab euidentia obiecti: fides ergo requirit viſionem gloriæ, tanquam terminum ſtatus viæ, & tanquam præmium ſibi correſpondens, & hoc modo non reſpicit fides euidentiam cuiuſcumque ſcientiæ, ſed ſolum viſionem beatam. At vero *Secundo modo*, reſpicit quamcumque euidentiam tanquam terminantem, & quietantem intellectum, & ſic tollentem conditionem neceſſariam ad fidem, ſiue humanam, ſiue diuinam, quatenus non relinquit in intellectu indifferentiam ad aſſentiendum ſed neceſſitatem, & coactionem ponit.

18 Alia *Ratio* pro noſtra concluſione ſumi poteſt, ex eo quod fides, & ſcientia, inducunt effectus priuatiuè oppoſitos in intellectu, ſcilicet videre eandem veritatem, & non videre, eſſe in tenebris, & in claritate, quod nec etiam per diuerſa media ſtare poteſt in eodem ſubiecto, ſicut non poteſt aër ſimul habere tenebras, & lucem, licet ex diuerſis cauſis, & principiis procedant; imo iſti effectus oppoſiti ferè nunquam procedunt niſi ex diuerſis cauſis, & mediis, vnde nunquam opponerentur, nec expellerent ſe ab eodem ſubiecto ſi ad oppoſitionem requirerent procedere per eandem cauſam vel medium. De hac autem ratione videri poſſunt quæ diximus in Logica *quæſt. 26. artic. 5.*

19 Quare *ad fundamentum P. Suarez* duplici via reſponderi poteſt. *Primò* ſuſtinendo primam ſolutionē ibi aſſignatam, quod Philoſophus Chriſtianus ſolum eſt certior gentili in promptitudine animi, ſed habitu, non actu, quia promptus eſt ad credendum illam veritatem, ſi tollatur à Deo impedimentum demonſtrationis: manet autem habitus fidei, quo exercetur, & credit actu alia obiecta fidei, circa quæ non habet demonſtrationem. Et hanc ſolutionem indicat *Sanct. Thom.* hac *quæſtione 2. artic. 10 ad primum*, vbi inquit: *quod quandoque habet homo voluntatem credendi ea quæ ſunt fidei, etiamſi habeat rationem demonſtratiuam ad aliquod verum puta ad hoc, quod eſt Deum eſſe, non propter hoc ponitur, vel diminuitur meritum fidei.* Solum ergo ex parte meriti videtur ponere certitudinem credendi, non ex parte actualis aſſenſus. Quare in hac ſolutione non eſt formidandum concedere quod Angelus, vel Philoſophus non eſt ita certus, ſicut Ruſticus fidelis quantum ad actualem aſſenſum, ſed ſolum radicaliter, & in habitu quantum ad illam veritatem, *Deus eſt*, demonſtratam, aliunde tamen incomparabiliter excedit Ruſticum in ipſo modo intelligendi & ſciendi ſecundum euidentiam, & ideo ſimpliciter eſt perfectior.

Nec obſtat inſtantia ibi allata, quod iuxta 20
ſententiam Pauli ad iuſtificationem oportet credere, quia *Deus eſt*, quod *Suar.* vult intelligi de actu credendi Deum eſſe, etiam vt author naturæ eſt, & ita non ſufficit Philoſophum, qui conuertitur credere in habitu ſed in actu illam veritatem. Hoc (inquam) non obſtat nam in illo loco Paulus non exigit actum credendi circa exiſtentiam Dei, vt eſt author naturæ tantum, ſed præcipuè vt eſt author ſupernaturalis, vt eſt in ſe, & de hoc non habet demonſtrationem Philoſophus, & hoc conſtat ex his, quæ docet *S. Tho.* in hac *quæſt. art. 7.* quod prima credibilia, in quibus cæteri articuli fidei continentur, ſunt illa duo, quæ Paulus ibi proponit, ſcilicet *Deum eſſe, & remuneratorem eſſe*, Deus autem vt continens myſteria ſupernaturalia non eſt author naturæ, ſed author ſupernaturalis; ergo creditur eſſe vt author gratiæ, & non ſolum ſicut per naturalem philoſophiam demonſtratur, ſed ſuperiori modo, quam vllus Philoſophus, vel Angelus aſſequi poſſet, quod etiam *D. Tom.* docet, *quæſt. 14. de verit. art. 9. ad 8.* dicens: *quod vnitas eſſentiæ Diuinæ talis qualis ponitur à fidelibus, ſcilicet cum omnipotentia, & omnium prouidentia, & aliis huiuſmodi, quæ probari non poſſunt, articulum conſtituit*, non autem prout demonſtratur cognitione naturali, in hoc ergo quod eſt Deum eſſe, vt author ſupernaturalis non ſolum habitu ſed etiam actu Philoſophus Chriſtianus non eſt minus certus, quam Ruſticus.

Secundò, *Reſpondetur* argumento propoſito 21
conformius *D. Thom.* Philoſophum non ſolùm habitualiter, ſed etiam actualiter habere maiorem certitudinem participatam ab ipſa fide, in quo etiam contradicimus ſententiæ *P. Lorca qui diſp. 14. citata*, in fine exiſtimat, quod quando Philoſophus Chriſtianus aſſentitur per demonſtrationem, non habet maiorem certitudinem, quam gentilis, & ſequitur etiam *P. Torres diſp. 5. dub. 6.* vbi dicit Philoſophum Chriſtianum habere actum fidei de hac propoſitione *Deus eſt*, ſed non ſimul cum ſcientia actuali, ſed diuerſo tempore, & hoc modo eſt magis certus. Cæterum in doctrina *D. Thom.* oppoſitum eſt dicendum, ſcilicet demonſtrationem Philoſophi eſſe certiorem actualiter ex coniunctione ad fidem, nec poſſe demonſtrantem intellectum, etiam poſtquam ceſſauit demonſtratio, & viſio, elicere actum fidei circa eandem veritatem iam viſam. Conſtat hoc, nam *Sanct. Doct.* in hac 2. 2. *quæſt. 2. art. 4. & 1. contra Gent. cap. 4.* inter rationes quibus oſtendit fidem debere nobis proponere etiam illas veritates, quæ naturali ratione cognoſci

poſſunt

poſſunt de Deo, vna eſt, vt *Certius cognoſceamus ea quæ naturalis ratio de Deo aſſequitur, quia ratio humana* (inquit) *eſt multum deficiens, in rebus diuinis, cuius ſignum eſt quod Philoſophi de rebus diuinis perſcrutantes naturali inueſtigatione in multis errauerunt, & ſibi ipſis contraria ſenſerunt, vt ergo eſſet indubitata, & certa cognitio apud homines de Deo, oportuit quod diuina eis per modum fidei traderentur quaſi à Deo dicta, qui mentiri non poteſt.* Sic D. *Thom.* Ergo per fidem corrigitur deficientia rationis naturalis, ne habeat periculum errandi ſicut in Philoſopho Gentili; ergo ſi ipſa ratio naturalis firmatur per fidẽ in iis, quæ de Deo aſſequitur, etiam demonſtratio procedens à ratione naturali ſic firmata, certior erit, & perfectior, quam ſi procederet à naturali ratione nuda. Et præterea in hoc 2. 2. quæſtio. 4. articul. 8. ad 2. dicit Diuus Thomas *Quod cæteris paribus viſio eſt certior auditu, ſed ſi ille à quo auditur, multum excedit viſum videntis, ſic certior eſt auditus, quam viſus. Sicut aliquis parua ſcientia magis certificatur de eo, quod ſibi ſecundum ſuam rationem videtur. Et multo magis homo certior eſt de eo, quòd audit à Deo, qui falli non poteſt quam de eo, quòd videt propria ratione, quæ falli poteſt.* Vbi pondero illud, *magis certificatur de eo quòd audit, quam de eo quod videt*; ergo ſtat benè quod videns, ſeu demonſtrans ex eo quòd audit à Deo maiorem certitudinem habeat, quam non audiens, & conſequenter vltra propriam certitudinem naturalem illa demonſtratio aliquid certitudinis participat à fide in ſe ipſa, ſuppoſito quod non ſtat

22 ſimul cum actu fidei iuxta principia allata *D. Thom.*

Quod *verò ſemel* habita viſione, vel demõſtratione nõ poſſit vti actu fidei pro diuerſo tẽpore, ex eo patet. Quia manẽte ſcientia, & memoria demõſtrationis præteritæ ſæpe manet impedimẽtum fidei, ſicut qui ſemel vidit Romam non poteſt amplius credere Romam eſſe, licet actu non videat illam, quia memoria viſionis ſufficienter conuincit, & quietat intellectum; ergo etiam memoria demonſtrationis. Quod ſi aboleretur memoria illius tunc poſſet habere fidem, ſicut ſi nunquam ſcientiam eius habuiſſet.

23 Dices: Sequitur quod Paulus ſemel videns Diuinam eſſentiam totaliter amiſerit fidem etiam poſtquam ceſſauit illa viſio, quod *Sanct. Thom.* negat. 2. 2. *quæſt.* 175. *art.* 3. Sequela patet: Quia vidit Diuinam eſſentiam, quæ eſt obiectum primarium fidei; ergo tunc non habuit actum fidei quando illam vidit; ergo ſi ſufficit ſemel videre rem vt non poſſit amplius haberi fides de illa, non potuit Paulus habere vlterius actum Fidei amittendo illam circa primarium obiectum. Huius obiectionis meminit *Caietanus citat. loco Secunda Secundæ*, & concedit quod qui ſemel vidit aliquid, verbi gratia, Romam non amplius credit Romam eſſe, quia viſio illa in memoria exiſtens impedit moueri intellectum indifferenter, & obſcurè credendum, & ita Paulus de his myſteriis, quæ vidit in eſſentia Diuina, non amplius eliciuit actum fidei, quia tamen non vidit omnia myſteria, ſiquidem ipſe fatetur ignoraſſe, An in corpore, vel extra corpus fuerit in illo raptu, ideo adhuc remanſit Fides circa aliqua myſteria.

24 Sed *tunc argumentum vrget*: Quomodo viſo primario obiecto quod eſt Diuina eſſentia, & conſequenter ſublata fide quoad illud, manſerit fides circa alia myſteria, quæ ſe habent vt obiecta ſecundaria. *Reſpondetur*, Quod viſo obiecto primario formaliter tollitur fides etiam circa obiecta ſecundaria, quæ in illo primario continentur ſi autem ſolùm videatur materialiter non tollitur. Tunc dicitur videri obiectum primarium formaliter quando videtur ſub ea formalitate qua continet, & infert ſecundarium: Tunc autem videtur materialiter quando videtur quidem in ſe, ſed non vt continet tale, vel tale myſterium, ſiue effectum quale habet vt obiectum ſecundarium. Et tunc Dicimus, quod non tollitur fides reſpectu talis obiecti ſecundarij non viſi, quia licèt Deus videatur in ſe poteſt tamen credi in quantum eſt contentiuus illius myſterij, quod non videtur; ſicut ſi quis frueretur Deo taliter quod poſſet amittere viſionem adhuc poſſet habere actum ſpei circa obiectum ſecundarium, verbi gratia, circa gloriam corporis, quia nondum frueretur Deo vt continente infallibiliter cauſam gloriæ corporis, quæ eſt viſio Diuina, & conſequenter adhuc gloria corporis poſſet repræſentari vt ardua, licèt frueretur Deo in ſe ipſo, qui eſt obiectum primarium ſpei: ſic ſimiliter non repugnat ex natura rei intellectum videntem Deum habere fidem de aliquibus quæ in Deo non videt, licet modo de facto in ſtatu beatifico non detur reuelatio aliqua per fidem, quia non decet illum ſtatum aliqua cognitio imperfecta, & obſcura.

Ad *Argumentum* ergo *Pat. Suarez*, ſequendo hanc ſolutionem, & ad replicam contra illam 25
dicendum eſt, Quod illa maior certitudo quam habet ſcientia ex coniunctione ad fidem eſt participata ab ipſa fide, & ita actus demonſtrationis eſſentialiter quidem procedit à ſcientia, & ab ipſa habet certitudinem ſcientificam communem, cum aliis Scientiis, vt autem ſubiicitur fidei, & ab ea corrigitur, & illuminatur ſic procedit ſub altiori certitudine accidentaliter communicata ſcientiæ.

Pro *cuius intelligentia* ſupponendum eſt ex 26
doctrina *D. Thom.* Quod virtus ſuperior aliquando perficit inferiorem, & communicat illi modum operandi vltra ſuum proprium ſpecificum, vt tradit 1. 2. *quæſt.* 17. *art.* 1. & optimè in *quæſt.* 22 de Voluntate *art.* 13. vbi id probat eleganti diſcurſu, quia ſicut videmus, aqua maris ex ſua propria natura habet motum tendendi deorſum, ex influxu autem Lunæ habet motum acceſſus, & receſſus; & ſimiliter orbes Planetarum habent ex propria natura moueri ab Occidente in Oriẽtem, ex virtute autem primi mobilis rapiuntur ab Oriente in Occidentem. Ita voluntas ex propria ratione ſolùm habet velle, ex participatione autem intellectus habet velle modo quodam collatiuo, ſicut actus electionis procedit à voluntate comparando, & accipiendo vnum præ alio, & actus intentionis reſpicit finem comparatiuè ad media; comparare autem, & conferre proprium eſt rationis, & inde participatur in voluntate. Et ſimiliter ratio participat à voluntate efficaciam, ſicut imperium eſt actus ordinans efficaciter, & hoc quod eſt ordinare habet ab intellectu, modum autem efficaciæ à voluntate participat quæ eſt primum mouens ſecundum exercitium, & efficaciam; eodem modo lumen Angeli ſuperioris confortat, & perficit, intellectiuam potentiam inferioris, proponendo

illi obiectum altiori modo illuminatum, & ſic communicat illi perfectiorem modum intelligendi, quam ſecundum ſe poſſit Angelus inferior, vt docet *Sanct. Thom. 1. part. quæſt.* 106. *art.* 1. *& qu.* 111. *art.* 1. *& quodlib.* 9. *art.* 10. *& qu.* 9. *de verit. art.* 1. præſertim *ad* 1. vbi explicat modum quo lumē ſuperius confortat, & perficit inferius.

27 Ad tertium dicendum *eſt D. Thom.* Quod licet lumen ſuperius, aut virtus ſuperior perficiat inferiorem, non tamen communicat illam perfectionem eo modo quo eſt in ſuperiori, ſed iuxta capacitatem inferioris, vt conſtat ex eodem *D. Thom. quæſt.* 106 *art.* 4. vbi docet, Quod quando Angelus ſuperior illuminat inferiorem non recipitur illuminatio illa in inferiori ita excellenter ſicut in ſuperiori. *Et ideo ſuperiores ſemper remanent in altiori ordine, & perfectiorem ſcientiam habentes, ſicut vnam, & eandem rem plenius intelligit Magiſter quam diſcipulus qui ab eo addiſcit.* Ita ergo Philoſophandum eſt in fide, quæ eſt lumen ſuperius ad ſcientiam naturalem, ex coniunctione enim ad fidem operatur ſcientia demonſtrationem certam non ſolum certitudine ſibi propria, ſed etiam ſuperaddita, & participata à fide, ſicut Angelus inferior intelligit melius ex illuminatione ſuperioris, quam ex ſola propria virtute, nec tamen iſta certitudo participatur in ſcientia omni eo modo quo eſt in fide, quia non eſt capax obſcuritatis, ſed ſolum certitudinis.

28 Et *Ad inſtantiam* Argumenti *Suarez*, Reſpondetur, illam certitudinem non eſſe formaliter fidei, ſed participatiuè, ſine participatione obſcuritatis, ſicut lumen quod ponitur in Angelo inferiori non eſt formaliter ſuperius, ſed participatiuè; & motus receptus a Cœlo in Mari non eſt formaliter cœleſtis, ſed participatiue. Ad *conſequentiam.* Ergo eſt minor certitudo, *negatur,* minor ſcilicet quam fidei, aliud eſt enim quod ſit certitudo minor in ratione firmitatis, aliud quod modo inferiori, & participatiuè ſe habeat, certitudo enim tunc eſt minor quando diminuta eſt, & non æque firma, ſicut quando non præciſè deſumitur ex fide, ſed ex aliquo diſcurſu naturali, vt in theologica concluſione: at vero certitudo iſta de qua loquimur non communicatur demonſtrationi naturali à fide per diſcurſum, & illationem vllam ex fide, ſed per ſolam repræſentationem, & propoſitionem certitudinis fidei ipſe intellectus exit in aliquam demonſtrationem cum maiori ſecuritate, & adhæſione ad illud obiectum. Vnde illa certitudo deriuata à fide ſupernaturalis manet, non verò naturalis eſt, ſic enim eſſet diminuta. *Ad aliam inſtantiam,* Quod ille actus eſt euidens, & certus; ergo formaliter eſt ſcientiæ, *concedimus vnam partem* cum verò dicitur quod habet certitudinem innixam authoritati dicentis; ergo eſt fidei, *Diſtinguens antecedens,* innixam authoritati dicentis formaliter, & proximè, *nego antecedens:* præſuppoſitiue, & in ſua cauſa *tranſeat antecedens:* Authoritas enim dicentis eſt formalis ratio aſſenſus fidei, ex tali autem aſſenſu reſultat effectus quidam (vt ſtatim explicabitur) in quo communicatur certitudo, & non repræſentatur obſcuritas fidei, & ibi non eſt formalis aſſenſus fidei, ſed aliquid participatum ab illius aſſenſu.

29 Et *cum rurſus Inſtatur,* Cuius ſpeciei eſt illa certitudo ſic participata, & à qua ratione formali elicitur? *Reſpondetur,* Quod eſt eiuſdem ſpeciei cum fide reductiuè, non formaliter; tanquam aliquid ex fide conſequutum non elicitum; ſicut motio qua mouetur virtus inferior à ſuperiori, vt Religio à Charitate eſt eiuſdem ſpeciei reductiuè cum charitate, quia tendit ad eundem finem, & obiectum, ſed non eſt formaliter actus charitatis: & motio qua mouetur aqua Maris eſt eiuſdem ſpeciei cum actione cœli reductiuè, non formaliter, nec enim eſt in cœlo, & ſic eſt de alijs.

Sed *Reſtat nunc argumentum difficile.* Nam fides non poteſt communicare certitudinem circa hanc veritatem *Deus eſt,* niſi eliciat aliquem actum, ſeu aſſenſum circa illam, ſiquidem ſine aliquo actu non poteſt actualiter communicare certitudinem ſuam, non eſt autem alius actus fidei quam actus credendi, qui eſt obſcurus: ſed fides impeditur ab ipſa ſcientia, ne eliciat talem actum; ergo etiam impeditur ne communicet illam certitudinem. *Confirmatur,* Quia quilibet actus fidei, quo talem certitudinem communicat debet eſſe obſcurus, & ipſa certitudo participata obſcura eſſe debet; ergo neceſſario ponenda eſt obſcuritas fidei cum ſcientia, nec enim intelligi poteſt, quod fides præſcindat certitudinem ab obſcuritate, & communicet vnam, & non aliam.

Reſpondetur fidem non communicare certitudinem ſcientiæ circa illam veritatem *Deus eſt* per aliquem actum credendi, & aſſentiendi elicitum circa illam ſimul cum ſcientia, ſed ſufficit præceſſiſſe ante ſcientiam actum fidei circa illam veritatem, vel etiam poſt ſcientiam actum fidei ſubſequi circa alias veritates, & quod in confuſo cognoſcatur etiam in fide contineri illam veritatem *Deus eſt.* Vnde ad formam argumenti reſpondetur *diſtinguendo antecedens,* non poteſt communicare hanc certitudinem, niſi eliciat actum qui tantum ſit actus elicitus. *Nego antecedens:* qui præter actum elicitum relinquat alium effectum, ſeu iudicium continens certitudinem, & non obſcuritatem, *concedo antecedens,* & ille actus, quem elicit fides non eſt neceſſe quod eliciatur quando habet ſcientiam, neque circa eandem veritatem de qua fit demonſtratio, niſi tantum implicitè, & virtualiter. *Explicatur hoc.* Nam continget, quod antequam aliquis habeat certitudinem per demonſtrationem, de hac ratione *Deus eſt,* habuerit actum fidei circa illam, poteſt etiam contingere quod poſtquam habuit demonſtrationem, incipiat habere actum fidei, non quidem circa illam veritatem, ſed circa aliam, in qua illa continetur, verbi gratia, *Deum eſſe Trinum, & Vnum,* vel eſſe authorem ſupernaturalem, vel ſaltem cognoſcat reflexè illam veritatem contineri in fide; quomodocumque autem ponatur attingentia illius veritatis à fide format intellectus duplex iudicium circa veritatem fidei, quod non eſt actus ipſe credendi, ſed aliquid relictum ex actu credendi, & formatum, quaſi effectus eius. Alterum iudicium eſt *abſolutum,* ſcilicet, quod illa veritas *Deus eſt,* eſt vna ex contentis in fide, & ſic ſub certitudine fidei continetur, ita quod impoſſibile ſit aliter ſe habere, multò magis quam quælibet ratio naturalis oſtendat, quod iudicium non repugnare cum fide docet *D. Thom.* in hac *quæſtio. articul.* 5. *ad* 4. & in tali iudicio quod reflexè ſe habet ſupra fidem, repræſentatur eius certitudo, & omittitur illius obſcuritas, quia de hac non formatur iudicium, ſed ſolum 30

dc

de certitudine. Alterum iudicium eſt, *Comparatiuum*, quo ſcilicet homo iudicat non ita eſſe adhærendum rebus ſenſibilibus, & rationi naturali, vt ex ijs velimus metiri ea quæ diuina ſunt, hoc enim modo, & per hoc iudicium fides purificat cor ab errore, & iſta purificatio eſt effectus fidei, vt docet *D. Thom.* infrà *quæſt. 7. art. 2. præſertim ad 2.*

31 Poſitis *ergo* iſtis duobus iudicijs, quæ ſunt effectus fidei, non actus ipſi credendi, cum in illis repræſentetur id quod certitudinis eſt, non id quod obſcuritatis, ſiquidem ſolum iudicatur de certitudine in illis, non de obſcuritate, ſcientia inferior perficitur ad eliciendam demonſtrationem cum firmiori adhæſione circa illam veritatem, quam demonſtrat, quatenùs repræſentata ſibi, & iudicata certitudine fidei ſecurius, & certius, & ſine periculo erroris procedit, & ita operatur non ſolum certitudinem propriam, & ſcientificam ex vi proprij luminis, ſed etiam ſuperiorem certitudinem ex participatione ſuperioris luminis in illo iudicio repræſentati. Et quod iſto modo fides participet firmitatem inferioris ſcientiæ ex eo fit veroſimile, quia non aliter lumen Angeli ſuperioris confortat, & firmat inferioris lumen, niſi mediante propoſitione, & repræſentatione obiecti ſic illuminati à ſuperiori Angelo, & diſpoſiti iuxta capacitatem inferioris, ex hoc enim quod inferior Angelus attendit ad conceptum ſuperioris ſibi manifeſtatum, in quo repræſentatur obiectum ſuperiori modo illuminatum, & diſpoſitum, perfici dicitur à lumine ſuperioris Angeli, vt docet *D. Thom quæſt. 6. de verit. art. 1. ad 2.* & ex illo explicat *Caietan. 1. part. quæſt. 106. art. 1.* & ſic ſcientia certificari dicitur à lumine fidei mediante illa propoſitione, & repræſentatione certitudinis facta in illis iudicijs.

32 Ad *Confirmationem reſpondetur*, quod ſi loquamur de illo iudicio, quod eſt effectus fidei, & à quo proximè regulatur certitudo ſcientiæ, non eſt obſcurus repræſentatiuè, ſed ſolum repræſentat certitudinem fidei omiſſa obſcuritate, de qua tunc non iudicat; præſuppoſitiuè autem præcedit ante hoc iudicium aliquis actus obſcurus, ſcilicet aliquis aſſenſus fidei, quo creditur illa veritas, vel alia, vt explicatum eſt.

33 Reſtat *ergo*, reſpondere ad authoritatem *D. Thom.* qua probabatur opinionem non repugnare cum ſcientia ex parte ſubiecti, ſed ex parte medij, cum tamen ſit ita obſcura ſicut fides. Et ſupponendum eſt *Diu. Thom.* expreſsè tenere, quod ſcientia, & opinio non poſſunt eſſe ſimul, dicit enim *quæſtion. 14 de veritate art. 9. ad 6.* quod non videtur eſſe poſſibile, quod aliquis de eodem habeat ſcientiam, & opinionem, quia opinio eſt cum formidine alterius partis, quam ſcientia excludit, & ſimiliter non eſt poſſibile, quod ſit de eodem ſcientia, & Fides, & in hac *quæſt. 1. art. 5. ad 4* expreſſe etiam dicit, quod opinio, & ſcientia non poſſunt eſſe ſimul de eodem in eodem ſubiecto; quando ergo dicit *D. Thom.* loco citato in argumento ex 1. 2. quod in eodem ſubiecto poteſt eſſe medium probabile, & demonſtratiuum circa eandem concluſionem, non loquitur de actu opinionis formaliter, & in exercitio, ſic enim importat incertitudinem, & obſcuritatem, quæ repugnant actui ſcientiæ, ſed loquitur de medio probabili quatenus reflexè, & in actu ſignato cognoſcitur, ita quod per ſcientiam plenior cognitio habetur de eius probabilitate, & efficacia, quam explicationem tradidimus in *logica quæſt. 16. art. 5.* vbi latius videri poteſt, nunc ſufficit illam oſtendere ex D. Thom. 3. part. quæſt 9. art. 3. ad 2. vbi inquit: quod *opinio ex ſyllogiſmo probabili cauſata eſt via ad ſcientiam, qua tamen acquiſita poteſt remanere cognitio, quæ eſt per ſyllogiſmum dialecticum, quaſi conſequens ſcientiam demonſtratiuam, quæ eſt per cauſam, quia ille qui cognoſcit cauſam ex hoc magis poteſt cognoſcere ſigna probabilia, ex quibus procedit dialecticus ſyllogiſmus* Ergo ſecundum *D. Thom.* medium probabile quod manet cum ſcientia in tantum dicitur remanere, in quantum conſequitur ex ſcientia maior cognitio probabilitatis ſignorum ex quibus dialecticus ſyllogiſmus procedit.

Vel *ſecundo explicari*, aut reſpondere poteſt, 34
quod quando dicit *D. Thom.* quod medium probabile, & demonſtratiuum repugnant ex parte medij, & poſſunt eſſe in eodem, non loquitur de opinione adæquatè conſiderata, ſed ſub ratione præciſa probabilitatis. Itaque in opinione ſunt Tria, *primum eſt*, formido, ſiue incertitudo qua iudicatur non vt certum, ſed vt poſſibile aliter ſe habere id de quo eſt opinio, & hoc modo repugnat cum ſcientia, quæ habet contrarium iudicium de ſuo obiecto, qua ratione non repugnat ſcientia cum fide, vt docet *D. Thom.* hic. *Secundum eſt*, inuidentia, & obſcuritas, & hoc modo repugnat cum ſcientia ex parte ſubiecti, ſicut fides, dicit enim *D. Thom.* in illo *loco citat. ex* 1. 2. quod ex parte ſubiecti differunt ſecundum perfectum, & imperfectum opinio, fides, & ſcientia; iam ergo agnoſcit *D. Thom.* opinionem etiam ex parte imperfectionis ſubiecti repugnare cum ſcientia, conſiderata ſcilicet eius obſcuritate. *Tertium eſt*, modus procedendi per diſcurſum, & medium probabile quod non habet fides, quia non vtitur rationibus; nec per diſcurſum procedit; opinio autem poteſt habere rationes probabiles; quæ etſi non conuincunt propter imperfectionem adiunctam, mouent tamen ex parte obiecti ſuadendo, & probando, & hac ratione medium probabile, & demonſtratiuum non repugnant ex parte ſubiecti. Vnde non dixit *D. Thom.* quod opinio ſub formalitate opinionis non repugnat ex parte ſubiecti, oppoſitum enim dixerat in principio corporis, ſed dixit quod non repugnat medium probabile ex parte ſubiecti, opinio enim dicit probabilitatem, & obſcuritatem adæquatè, medium autem probabile ſolam probabilitatem explicat, & ita explicauit, ſeu correxit *D. Thom.* id quod dixerat *in 3. diſt. 31. citata.* quod opinio, & ſcientia quamuis ſint de eodem non tamen ſecundum idem medium, ſed ſecundum diuerſa, ideò poſſunt eſſe ſimul, loquitur enim de opinione inadæquatè conſiderata, quando verò addit, quod fides, & viſio patriæ ſunt de eodem, & ſecundum idem medium, ipſa ſe explicat, quod loquitur de eodem medio genericè, non ſpecificè, quia fides (inquit) aſſentit veritati primæ propter ſe, & ſimiliter viſio gloriæ, & ideo perfectio vnius non patitur imperfectionem alterius, & ſenſus eſt, quod quia vtraque cognitio ab eadem veritate prima deſcendit manifeſtante ſe per vnam, & dicente authoritatiuè per aliam, ideò imperfectio vnius medij, & alterius adinuicem repugnant, vbi ly *perfectio*, & *imperfectio* indicant diuerſitatem ſpecificam ab eadem veritate prima originatam.

Ex *dictis colligitur* actum ſcientiæ naturalis 35
non

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

non repugnare cum habitu fidei, nec habitum ſcientiæ cum habitu fidei, quia licet actus ſcientiæ naturalis pugnat cum actu fidei circa eandem veritatem, non tamen circa alias, ad quas fides inclinat, & quia non poteſt manere habitus fidei inclinans ad vnam veritatem, & non ad aliam, quia indiuiſibilis eſt pro omnibus, ideò manet habitus fidei ſimpliciter, licet impeditus ad exeundum in actum circa illam veritatem de qua eſt ſcientia, ſi tamen daretur vna ſcientia complectens euidenter omnes veritates fidei, quæ ſine dubio deberet eſſe ſupernaturalis, ſicut ſcientia infuſa in Chriſto, vel lumen gloriæ habitum per modum permanentis, & non tranſeuntis, ſine dubio excluderet habitum fidei, tanquam inclinatio illi repugnans, & oppoſita quoad omnes veritates.

ARTICVLVS II.

Vtrùm fides poſsit ſtare cum euidentia in atteſtante?

1 VOcamus *Euidentiam in atteſtante* euidentiam non ipſius rei reuelatæ, ſed ipſius reuelationis, & teſtificationis nobis factæ, ita quod clarè, & euidenter alicui conſtet reuelationem illam eſſe à Deo, & inquirimus an cum iſta euidentia poſſit ſtare fides, & obſcuritas circa ipſam rem reuelatam, vel huiuſmodi euidentia dari poſſit ſine hoc quod ipſe Deus videatur? Cuius oppoſitum ſentit *Bannes* ſuper hanc *quæſtio.* 5. *art.* 1. ſed communiter tenetur oppoſitum, *& ratio eſt*, Quia reuelatio diuina fit per aliquem exteriorem effectum qui dicitur loquutio Dei, ſiquidem percipitur ab audiente, & eſt aliquid factum de nouo in tempore, ergo eſt cognoſcibile extra Verbum, aliàs daretur aliquod ens in rerum natura, quod ſecundum ſe non eſſet cognoſcibile, & in ſua propria natura; ſicut ergo poteſt cognoſci extra verbum lumen gloriæ, & viſio beata, & alij effectus ſupernaturales, cur non etiam reuelatio Dei exterior & ſicut poſſumus cognoſcere vocem alicuius hominis loquentis ſine hoc quod ipſum videamus, cur non etiam poterit Deus manifeſtare vocem ſuam, vel exteriorem illum effectum quo loquitur, ſine hoc quod eius ſubſtantiã videamus.

2 Hoc ergo ſuppoſito poteſt euidentia teſtificationis dupliciter comparari cum fide, vno modo *ſolitariè*, ideſt per ſe ſolam, & inquirimus an ipſa ſola expellat fidem ſine alio adiuncto, Alio modo *vt coniuncta cũ alia propoſitione euidenti* cum qua formare poſſit diſcurſum contrarium fidei, verbi gratia, ſi cum euidentia teſtificationis habeat ſimul aliquis euidentiam, quod Deus nec de potentia abſoluta poteſt dicere falſum, & ſecundo, quod etiam conſtet euidenter, & non ſolum per fidem, in quo ſenſu Deus loquatur, ſcilicet ſine Metaphoris, vel figuris, ſed planè in ſenſu litterali, tunc enim poteſt formari iſte diſcurſus, Euidens eſt Deum nõ poſſe dicere falſum; & ſimiliter euidens eſt Deũ mihi dicere, *Quod Verbum Caro factum eſt*, & euidenter cognoſco Deum loqui in ſenſu litterali; ergo euidens eſt ita eſſe à parte rei; difficultas eſt, An iſta euidentia repugnet fidei; Duplex eſt ſententia in hac parte, altera *Caietani, in hac quæſt.* 5. *art.* 1. *& Ferrara* 3. *contra gent. cap.* 40. & aliorum plurium recentiorum, qui exiſtimant euidentiã in atteſtante non excludere fidem eandem ſequitur *Suarez. lib. de fide diſp.* 3. *ſection.* 8. *numero* 16. Sed alia ratione, quia exiſtimat, nullam euidentiam, etiam ipſius rei teſtificatæ pugnare cum fide, & *Vaſquez* 1. *part. diſp.* 134. *cap.* 3. *& Torres hic diſp.* 9. *dub.* 1. Altera ſententia eſt *Bannes*, vbi ſupra, & pro ea etiam citatur *Durand. in* 3. *Diſt.* 23. *quæſt* 9. *numero* 12. & *Victoria* apud *Aragon.* 2. 2. *quæſtio.* 5. *articulo primo.* qui negat euidentiam in atteſtante ſimul ſtare poſſe cum fide, præſertim facto illo diſcurſu.

Dico *Primò*. Euidentia teſtificationis ſe ſola, & formaliter non contrariatur fidei omni alio ſecluſo. *Probatur efficaciter*, Quia formæ quæ per ſe ipſas contrariantur omni alio ſecluſo, in quocumque ſubiecto ſe expellunt, ſed non ita ſe habent euidentia teſtificationis, & fides; ergo non ſunt formaliter oppoſitæ omni alio ſecluſo. *Conſequentia eſt euidens*, & *Maior certa*. Quia formæ, quæ omni alio ſecluſo repugnant inter ſe non requirunt ad contrarietatem aliquid aliud præter ſe ipſas; ergo vbicumque ponantur, contrarietatem debent exercere etiam omni alio ſecluſo: *Minor verò probatur*, Quia ſi ponatur aliquod ſubiectum quod ignoret Deum non poſſe de potentia abſoluta dicere falſum, aut etiam non intelligat euidenter in quo ſenſu determinato Deus loquatur, licet cognoſcat euidenter Deum eſſe qui loquitur, in tali ſubiecto illa euidentia loquutionis per ſe ipſam non manifeſtat rem reuelatam, ſicut etiam modo quando euidenter cognoſcimus loquutionem hominis, talis euidentia non manifeſtat nobis rem dictam, nec poteſt etiam per diſcurſum euidentem rem illam manifeſtare, quia non cognoſcit euidenter ſenſum loquutionis, aut quod loquens non poſſit dicere falſum, ergo talis euidentia loquutionis non tollit ineuidentiam fidei circa rem dictam, ſicut quando ego video hominem mihi narrantem aliquid, ex illa euidentia hominis loquentis non tollitur fides circa hiſtoriam narrantem.

Dico *Secundo*. facto illo diſcurſu, qui innititur non ſoli euidentiæ in atteſtante, ſed etiam euidentiæ aliarum propoſitionum, ſcilicet quod Deus non poteſt dicere falſum, & quod euidenter cognoſcitur ſenſus in quo loquitur, in tali caſu probabile eſt, quod tollitur obſcuritas fidei, & probabile etiam eſt, quod manet fides: *Hæc Concluſio* conſtabit adducendo fundamenta vtriuſque ſententiæ. Igitur ſententia affirmans, quod ille diſcurſus tollat fidem, præcipuè fundatur in hoc, Quia ille diſcurſus infert euidentiam rei teſtificatæ quoad an eſt; ergo repugnat quod maneat fides circa ipſum obiectum ſimiliter quoad an eſt, *conſequentia conſtat* ex dictis præcedenti articulo, vbi oſtendimus repugnare euidentiam cum fide circa idem obiectum; ergo in eo in quo habetur euidentia, ſcilicet quantum ad an eſt, tollitur fides, conſtat autem quod aſſenſus fidei præcipuè fertur in ipsũ an eſt, nec enim penetrat quidditatem, ſed ſolũ credit eſſe, vel nõ eſſe, quod proponitur, *Antecedens antẽ probatur*, Quia iſte diſcurſus eſt euidens, implicat Deum dicere falſum, & euidens eſt Deum dicere in ſenſu plano, & litterali, Quod *Verbum & Incarnatum*; ergo ita eſt. Procedere autem à veritate dicta ad obiectum immediatum veritatis quod eſt ita eſſe in re, eſt procedere per intrinſecam

conne

connexionem, & euidentiam; ergo cui eſt euidens dari veritatem dictam, vel conceptam de aliqua re, neceſſariò eſt euidens dari obiectum talis veritatis, quod eſt rem ita eſſe, vel non eſſe.

5 Vnde non valet Reſponſio, quæ communiter datur ex *Caietano*, Quod ex vi talis diſcurſus cognoſcimus rem euidenter, vt teſtificatam, & vt ſubeſt illi denominationi extrinſecæ, ſcilicet rem eſſe dictam, vel teſtificatam; non autem cognoſcimus rem ipſam abſolutè, quia neque cognoſcimus cauſam eius, neque effectum, quod requiritur ad euidentiam, quæ opponitur ipſi fidei; Nam contra iſtam ſolutionem eſt duplex replica: *Prima*, Quia in diſcurſu facto non ſolum procedimus ad probandum rem eſſe dictam, & teſtificatam ex eo quod Deus dicit, ſed rem ita eſſe à parte rei, quia datur conceptus, & teſtificatio vera de illa, qui eſt proceſſus à ſpecificato ad ſpecificatiuum, nam obiectum ſpecificatiuum conceptus veri in quantum verus eſt ipſum eſſe, vel non eſſe rei, ſicut obiectum ſpecificatiuum viſionis ocularis eſt color, & obiectum ſpecificatiuum viſionis beatæ eſt eſſentia diuina; ergo ſicut qui cognoſcit dari viſionem euidenter infert dari colorem procedendo ab actu ſpecificato ad obiectum ſpecificatiuum, & qui euidenter cognoſcit viſionem gloriæ, euidenter infert dari eſſentiam diuinam, nec ſolum infert dari illam vt viſam, ſed abſolutè dari in ſe, ita qui euidenter cognoſcit dari teſtimonium verum, euidenter infert rem dictam eſſe ita. *Secunda replica eſt*, Quia ad faciendam euidentiam de aliquo obiecto non requiritur procedere per cauſam, vel effectum talis rei, ſed ſufficit procedere per aliquid quod habeat neceſſariam connexionem cum alio, & quantum ad hoc ſemper proceditur per locum intrinſecum, hoc ipſo quod proceditur per connexionem neceſſariam quantum ad hoc quod eſt reddere intellectum determinatum, & conuictum circa illam veritatem, ergo hoc ipſo non manet intellectus capax aſſenſus liberi, & indifferentis, & qui indigeat moueri à voluntate, ſiquidem totam rationem repugnantiæ inter Fidem, & euidentiam ex eo probauimus, Quia repugnat ſimul intellectum eſſe quietatum, & eſſe in motu, eſſe conuictum, & eſſe indifferentem circa eandem veritatem; ergo vndecumque intellectus neceſſitetur, & conuincatur, ſiue per medium extrinſecum, ſiue intrinſecum circa veritatem *an eſt* alicuius obiecti, hoc ipſo remanet incapax habendi actum fidei circa illam.

Soluuntur Argumenta.

1 FVndamentum oppoſitæ ſententiæ ſumitur primò ex authoritate *D. Thom.* in hac 2. 2. quæſt. 5. art. 2. vbi dicit: *Si aliquis Propheta prænuntiaret in ſermone Domini aliquid futurum, & adhiberet ſignum, mortuum ſuſcitando, ex hoc ſigno conuinceretur intellectus videntis, vt cognoſceret manifeſtè hoc dici à Deo, quia non mentitur: licet illud futurum quod prædicitur, in ſe euidens non eſſet, vnde per hoc ratio fidei non tolleretur.* Hæc *D. Thom.* Ex cuius verbis formatur argumentum ad deſtruendum fundamentum oppoſitæ ſententiæ. Poteſt conuinci intellectus ſecundum *D. Thom.* vt cognoſcat manifeſtè aliquid dici à Deo, etiam ſuppoſito quod non mentiatur, & tamen per hoc non tollitur Fides, nec datur euidentia circa ipſam rem; ergo quod intellectus ſit conuictus ex manifeſta, & euidenti cognitione teſtificationis diuinæ, etiam ſuppoſito quod cognoſcitur Deum non poſſe mentiri, non tollitur fides, nec inducitur euidentia rei; eſt autem valde materiale, & per accidens quod conuincatur intellectus ab illo ſigno, vel ex clara reuelatione teſtificationis, quia ſi ad hoc peruenitur, vt conuincatur intellectus, per accidens eſt quod per hoc, vel per illud medium conuincatur; ſufficit enim quod permaneat fides non obſtante, quod cõuincitur intellectus.

Secundo, & fortius vrgetur pro iſta ſententia, quia ſecundum *D. Thom.* in hac *quæſt.* 5. *art.* 1. Angelus ante beatitudinem dum fuit viator habuit Fidem, & tamen ſupremus Angelus habebat euidentiam quod Deus ſibi reuelabat talem Fidem, ſiquidem euidenter cognoſcebat non dari aliam creaturam, mediante qua poſſet illuminari, quia à nullo inferiori poteſt, & ipſe euidenter cognoſcebat ſe eſſe ſupremum, & primum Angelorum, imo omnes Angeli videntur immediatè fuiſſe illuminati à Deo in fide, quia in primo inſtanti ſuæ creationis habuerunt actum fidei, & in primo inſtanti non poterat eis loqui, niſi Deus qui illos creabat, & cum omnes ſimul creati fuerint non poterat aliquis eorum præſupponi; vt alium illuminaret; ergo omnes euidenter cognoſcebant ſe immediatè illuminari à Deo: & tamen habebant fidem; ergo Fides ſtat cum euidentia teſtificationis diuinæ. 2

Denique *probatur hæc ſententia*, quia quantumcumque alicui fiat euidentia teſtificationis diuinæ adhuc non cognoſcit euidenter ipſam veritatem teſtificatam, neque in ſe, neque in aliqua cauſa, vel effectu, vbi fundatur talis veritas, ergo poteſt manere fides circa illam veritatem, ſi quidem in ſe manet non viſa, & obſcura. *Antecedens probatur*, Nam quod illa veritas non videatur in ſe apertiſſimum eſt, cum ſolum fiat euidentia teſtificationis, non verò rei teſtificatæ: quod etiam non videatur per diſcurſum ſecundum cauſas, vel effectus ſuos ex eo patet, quia illa reuelatio extrinſeca non cauſat veritatem rei reuelatæ, ſiquidem ſine tali reuelatione ſubſiſteret illa veritas; nec etiam cauſatur ab illa veritate reuelatio tamquam effectus eius, quia ſolum cauſatur ab ipſo dicente, & reuelante; ergo nullam habet connexionem neceſſariam cauſæ, vel effectus cum tali reuelata, ergo non fundat euidentiam talis rei *patet conſequentia*, Nam omnis notitia euidens reſolui poteſt in cauſas, & principia talis euidentiæ, ſi enim non poſſum reſoluere rem in ſua principia non habeo euidentiam ergo ſi illa reuelatio nec eſt cauſa, nec effectus talis veritatis reuelatæ, non poteſt ſubſiſtere euidentia eiuſdem veritatis per reſolutionem in illam. Hæc ſunt fortiora fundamenta vtriuſque ſententiæ, & ſine dubio vtramque probabilem reddunt; qui ergo voluerit defendere primam ſententiam, ſic poterit ad argumenta ſecundæ ſententiæ reſpondere.

Ad *Primum* ex authoritate *D. Thom.* Reſpondetur, id illo loco *Sanct. Doctorem* non agere de euidẽtia teſtificationis in ſe, ſed de euidentia credibilitatis, quam nos admittimus ſtare poſſe cum fide, imò & ab ipſo habitu Fidei attingi, vt docet *D. Thom. quæſt.* 1. *art.* 5. & ſequenti dubio explicabimus, vnde in illis verbis D. Thom. *Conuincitur intellectus, vt cognoſcat manifeſtè hoc dici à Deo*: Senſus eſt, quod conuincitur vt cognoſcat manifeſtè hoc eſſe credibile credibilitate diuina, 3

diuina, nam eodem modo ibidem dicit ſtatim D. Thom. *Dæmones videre multa manifeſta indicia quibus percipiunt doctrinam Eccleſiæ eſſe a Deo*, quod certe intelligi non poteſt de euidentia in atteſtante, ſed de euidentia credibilitatis. Nec illud ſignum ſuſcitationis mortui aliquid amplius oſtendit, quam credibilitatem fidei diuinæ: at verò per euidentiam teſtificationis non ſolum oſtenditur credibilitas fidei, ſed etiam ipſum medium quo fides aſſentit, ſcilicet reuelatio: ſicut aliud eſt euidenter cognoſcere ipſum medium quo opinio aliqua procedit, aliud cognoſcere euidenter ipſam probabilitatem opinionis, hoc enim ſolum eſt cognoſcere quandam proprietatem illius, illud vero eſt cognoſcere ipſam rationem formalem, per quam procedit opinio. Quare ea euidentia credibilitatis non infertur euidenter ipſa veritas in ſe, quia non habet illam pro obiecto, ſed potius eſt quid conſequutum ad ipſum obiectum fidei, at verò reuelatio vera habet pro obiecto rem ita eſſe, vel non eſſe, & conſequenter euidentia teſtificationis fertur in ipſum an eſt, tanquam in obiectum.

5 Ad *Secundum* difficilè reſpondetur ab Authoribus, niſi confugiendo ad miraculum, vel ad inaduertentiam Angeli ſupremi, ſcilicet, quod vel ipſe exiſtimaret Deum occultare per miraculum aliquam creaturam, qua mediante proponerentur ſibi res fidei, vel non aduerteret ad illam propoſitionem, *Deus non poteſt mentiri*, nam illius ignorantiam habuiſſe eſt omnino improbabile, cum ratione naturali id à nobis demonſtretur. Cæterum iſtæ ſolutiones ſine fundamento ſunt, nam quis prohibebat Angelum aduertere ad illam propoſitionem, aut vnde poterat ſuſpicari ſibi proponi res fidei ab aliqua creatura, quæ illum lateret, cum euidenter cognoſceret ſe eſſe ſupremum Angelorum, & ſibi naturaliter deberi cognitionem alterius Angeli ſi daretur? Et præterea iſtæ ſolutiones confugiunt ad miraculum, vel inaduertentiam Angeli vt in eo ponant fidem, & ſic videntur fateri quod ſine miraculo, & ſine inaduertentia iuxta curſum ordinarium non poſſit in Angelo eſſe fides. Quare ſolum reſtat alia probabilior via, ſcilicet non reuelaſſe Deum Angelo euidenter determinatum ſenſum in quo loquebatur, ſed loquutum fuiſſe cum aliquo myſterio, & includendo plures ſenſus, quorum determinationem non euidenter, ſed in aliqua obſcuritate Deus proponebat Angelo, ſicut modo in ſacra ſcriptura multa myſteria ſunt recondita, quorum nec ipſi Prophetæ quando illa dicebant, nec modo fortaſſis etiam ſupremus Angelus determinatum, & genuinum ſenſum euidenter cognoſcit. Si autem ſemel concedamus Angelo euidenter reuelaſſe Deum ſuam teſtificationem, & ſenſum determinatum in quo illi loquebatur, non video quomodo illa prima ſententia ſaluare poſſit actum fidei in Angelo, niſi ſolum in præparatione animi. Eſt autem ſatis durum concedere Angelum circa nullum obiectum fidei habuiſſe actum credendi niſi tantum in præparatione animi, vt quid enim præparatio animi ad id quod ſibi erat impoſſibile? Sic enim etiam poſſemus in Beatis, & in Chriſto Domino ponere fidem ad illam præparationem animi, (quod tamen omnes negant) quia pro illo ſtatu non eſt poſſibilis, nec decet actus fidei. Si ergo Angelo, quia ſupremus eſt, euidentia atteſtantis eſt debita, & hæc repugnat actui fidei, ad quid ſeruit fides in præparatione animi? Vnde dicendum eſt Deum non reuelaſſe Angelo euidenter determinatum, & genuinum ſenſum. Cui ſolutioni maximè fauet doctrina *D. Thomæ in 2. diſt. 22. quæſt. 1. art. 2. ad 1.* dicit enim de primo parente quod fortè crediderit præceptum Dei de non comedendo fructum, metaphoricè intelligendum eſſe, & tamen probabile eſt ipſum habuiſſe euidentiam in atteſtante, quia non habuit alium hominem à quo inſtrueretur, ſed immediatè fuit inſtructus à Deo, ſicut de Prophetis ſentit *Caietanus* habuiſſe euidentiam teſtificationis diuinæ.

6 Quod *ſi inſtes*: Manere adhuc eandem difficultatem, nam ille Angelus credebat aliquid determinatum, alias nihil crederet, ergo in aliquo ſenſu determinato credebat: Inquiro ergo, Quis proponebat illi Angelo hunc determinatum ſenſum? non alius Angelus, quia ipſe erat ſupremus, & hoc euidenter cognoſcebat; ergo etiam euidenter ſciebat quod Deus ſibi determinabat iſtum ſenſum; ergo ſi euidentia in atteſtante tollit fidem, etiam tollebatur fides circa hunc ſenſum determinatum in quo credit: & ſic currit argumentum factum, & impertinenter confugimus ad multiplicationem ſenſuum, ſiquidem in ipſa determinatione ſenſus, quæ credenda eſt per fidem currit eadem ratio.

7 Reſpondetur. Quod quando Deus manifeſtat euidenter ſe loqui, & poteſt eius loquutio intelligi in pluribus ſenſibus, tunc determinatio ſenſus poteſt fieri obſcurè, ſi fiat à Deo per interiorem inſtinctum, ſeu directionem, & non per manifeſtam euidentiam & in iſta directione, & inſtinctu eſt obſcuritas, quia ita fit a Deo, quod poteſt aliquis dubitare, vel ſaltem non euidenter cognoſcere an fiat à ſe ipſo, quia valdè difficile diſcernitur an inſtinctus aliquis ſit à Deo, an à ſe ipſo, licet quando eſt à Deo certitudo detur interior quod à Deo eſt, ſed non euidentia: quare ſicut quando aliquis accipit res fidei mediante propoſitione creata ſiue Eccleſiæ, ſiue Prophetæ, ſiue Angeli, hoc ipſo non habet euidentiam quod res illa ſit à Deo infallibiliter, licet habeat certitudinem. Ita licet aliquis habeat certitudinem de ipſa loquutione Dei, ſi tamen non habet euidentiam de ſenſu in quo Deus loquitur, ſed hoc habetur per inſtinctum, in quo poteſt dubitari, an oriatur à ſe ipſo, vel à Deo, iam datur locus habendi certitudinem, & non euidentiam, eo quod non cognoſcit euidenter an ille inſtinctus determinans ſenſum ſit à ſe ipſo, & conſequenter mediante aliqua creatura, an immediatè à Deo.

8 Ad *Tertium reſpondetur* demonſtrationem euidentem non requirere reſolutionem in cauſas, vel in effectus entitatis, ſed in cauſas, & fundamenta veritatis, ad quod ſufficit quælibet connexio neceſſaria; vbicumque autem inuenitur aliquid cum quo habeatur neceſſaria connexio, ſiue illud ſit conditio requiſita, vel medium extrinſecum, ſiue cauſa intrinſeca, ſufficit ad generandam notitiam euidentem, & conuincentem intellectum, ſicut multæ demonſtrationes Mathematicæ procedunt ex rationibus omnino extrinſecis, & tamen veram ſcientiam generant, & demonſtrationes deducentes ad inconueniens, vel procedentes à ſimili per extrinſecum medium procedunt, & tamen quia in vi connexionis neceſſariæ demonſtrant, ſimpliciter notitiam euidentem generant; vnde ipſa authoritas dicentis, licet ſit medium extrinſecum ſi haberet neceſſariam connexionem veram demonſtrationem generaret. Vnde quod aliqui dicunt aliquos eſſe ſyllogiſmos euidentes, qui non ſunt demonſtrationes omnino falſum eſt, vt ex *P. Vazquez*

afficit

aſſert *Torres* hic *diſp.* 9. *dub.* 3. nam omnis ſyllogiſmus eſt opinatiuus, aut demonſtratiuus, aut erroneus, ſed ſyllogiſmus euidens quicumque ſit non eſt error, neque opinio, quia vtrumque opponitur euidentiæ veræ; ergo eſt demonſtratio.

9 Ad *fundamentum.* Primæ ſententiæ reſpondetur ſolutione ibi data. Pro cuius explicatione, & ſolutione replicarum notandum eſt, quod euidentia teſtis veri habet quidem connexionem cum ipſo *an eſt* rei teſtificatæ ſecundum rationem communem, non ſecundum aliquam particularem, & propriam, vnde ſolum cognoſcitur euidenter ſub aliqua ratione communi, non particulari, & quaſi per accidens, non per ſe; talis autem euidentia non excludit fidem ſimpliciter, ſed ſolum ſecundum quid. Itaque teſtificatio vera non ſolum eſt medium extrinſecum, ſed etiam non habet connexionem neceſſariam, & per ſe cum veritate, vt talis eſt in particulari, ſed ſolum ſub ratione communi quatenus eſt res teſtificata, & dicta ab aliqua teſtificatione vera, nam huius veritatis *Verbum eſt Incarnatum*, non eſt cauſa, & ratio per ſe talis veritatis in particulari, quod ab aliquo teſte vero, ſiue ſit Deus ſiue Angelus dictum fuerit, quia etiam ſi non daretur, poſſet illa veritas ſtare, & rurſus teſtificatio ipſa ea vi, & natura teſtificationis æquè indifferenter ſe habet ad hanc veritatem *Verbum eſt Incarnatum*, vel ad illam *Abraham habuit filium*, vel ad quamlibet aliam, dummodo veritas illa ſubijciatur teſtificationi; ergo ſignum eſt quod teſtificatio vera non habet connexionem ex natura rei cum ipſo *an eſt* rei teſtificatæ, niſi ſecundum rationem communem, ſcilicèt quatenùs res illa eſt ſubiecta teſtificationi, quod eſt in quantum dicta, ſeu teſtificata, quæ eſt ſolutio *Caietani*; ſicut etiam euidentia credibilitatis diuinæ dicitur à *D. Thom.* in hac *quæſt.* 1. *articul.* 4. *ad* 2. Quod eſt euidentia rei credibilis in generali, non in ſpeciali, & ideò non opponitur fidei.

10 Ad *Argumentum.* ergo in forma reſpondetur. Quidquid Deus dicit euidens eſt ita eſſe in re *diſtinguo*, euidentia propria, & ſpeciali: & ex natura rei attingente illud an eſt *nego*: euidentia communi, & quaſi materialiter ſolum attingente rem iſtam prout teſtificatam, *concedo maiorem.* Ad Minorem: euidens eſt Deum hoc mihi dicere, *concedo*; ergo euidens eſt ita eſſe in re *diſtinguo*, euidentia ſecundum quid, & ſecundum rationem communem, ſcilicet quatenùs teſtificata eſt *concedo*: euidentia propria, & per ſe iſtius obiecti *nego ad primam replicam* contra hanc ſolutionem reſpondetur negando quod hoc diſcurſu cognoſcatur ſpecificatiuum proprium, per ſe huius teſtificationis. *Et ad probationem dicitur*, Quod aliquam cognitionem, ſeu dictum eſſe verum ſolum infert obiectum ſuum eſſe in re, vel non eſſe, non in ſpeciali ex vi ſuæ rationis formalis, & ſpecificæ, ſed ſolum in communi, quatenùs exigitur ad hoc quod ſit materia, ſeu obiectum iſtius teſtificationis veræ hic, & nunc, quod eſt inferre illam veritatem vt teſtificatam, non ſpecialiter vt eſt in ſe, & quantum eſt ex natura ipſius rationis formalis inferentis neque inde ſequitur quod qui videt ipſam viſionem beatificam, non cognoſcat euidenter Deum eſſe quoad *an eſt*, Quia viſio illa ſpecificatur in particulari ab illo obiecto, vnde qui euidenter illam cognoſcit, cognoſcit etiam obiectum eius connaturale, & proprium, & vt per ſe ſpecificatiuum illius, quod eſt Deus; at verò reuelatio teſtificans non habet ex natura ſua connexionem neceſſariam cum iſta, vel illa veritate in particulari, ſed per accidens eſt quod hoc, vel illud reueletur prout voluerit ipſe teſtificans; quare licet euidenter cognoſcatur hanc reuelationem eſſe à Deo, & eſſe veram, non infertur abſolutè ipſum obiectum eſſe ita in re, niſi quatenus dictum, & teſtificatum: non pugnat autem cum obſcuritate fidei, niſi euidentia rei in ſe, non autem vt dicta, & teſtificata.

Ad *Secundam replicam reſpondetur*, Quod ad euidentiam rei non eſt neceſſe procedere per locum intrinſecum, ſed ſufficit medium extrinſecum conuincens intellectum, ſed dicimus hoc medium extrinſecum eſſe duplex, aliud determinate, & in ſpeciali reſpiciens rem, vt res talis eſt, aliud ſolum in communi, & in ratione obiecti teſtificati, vel credibilis, quod de ſe non magis connectitur cum hoc obiecto, quam cum illo, niſi prout voluerit ipſe, qui teſtificatur; & quando primo modo ſe habet infert euidentiam ſimpliciter, & expellit fidem: quando ſecundo modo ſolum infert euidentiam in communi, & per accidens tangentem hoc obiectum, vel illud in particulari, & ſic non facit euidentiam ſimpliciter, nec tollit fidem. Et de hoc dubio iſta ſufficiant.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Euidentia credibilitatis compatiatur cum fide, & eliciatur ab ipſa, an non?

INter euidentiam teſtificationis, & credibilitatis hæc eſt differentia, Quod *euidentia teſtificationis* eſt euidentia de ipſa ratione formali qua credimus eſſe, ſcilicet de teſtimonio Dei reuelantis: *euidentia* autem *credibilitatis* eſt euidentia de ipſa habitudine, ſeu diſpoſitione obiecti vt reddatur dignum creditu, poteſtque non euidenter cognoſcendo teſtimonium, cognoſcere euidenter quod aliquod obiectum eſt idoneum, & dignum vt credatur, quidquid ſit an res exiſtat vel non, quia ad credibilitatem vt ſic non requiritur veritas, ſed veriſimilitudo, ſeu exiſtimatio veritatis cum non apparentia repugnantiæ, & impoſſibilitatis. Inquirimus ergo an poſſit dari euidentia de tali credibilitate ſimul cum fide, & à quo principio eliciatur, illa euidentia credibilitatis iam dicta? 1

Eſt *autem* valdè notandum, & ſupponendum dari euidentiam talis credibilitatis in rebus fidei diuinæ, quia vt dicitur in Pſal. 92. à Regio Propheta *teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis.* Vbi non ſolum dicitur eſſe teſtimonia Dei credibilia quomodocumque, ſed credibilia ſtrictiſſimè, ſcilicet *nimium* credibilia; non eſſet autem *nimis* credibile ſi de illius credibilitate non conſtaret certò, & euidenter. *Et ratio eſt*, Quia credibilitas non poteſt nobis conſtare certò, niſi etiam conſtet euidenter, nam ſi conſtaret certò, & ineuidenter, conſtaret nobis per fidem quæ eſt certa; & obſcura; repugnat autem quod credibilitas conſtet nobis per fidem, tamquam res credita, quia 2

cognitio credibilitatis de aliquo obiecto antecedit aſſenſum fidei, ergo ſi credibilitas crederetur vel deberet fides antecedere aſſenſum fidei quod repugnat, vel deberemus ponere aliam fidem per quã talis credibilitas crederetur, & ſic eſſet proceſſus in infinitum. Quare ſi conſtat nobis certò de credibilitate rerum fidei, debet etiam conſtare euidenter; quod ſi obſcurè conſtat, & non per fidem diuinam, debet conſtare obſcurè, & incertè, & ſic ſolum fide humana, vel opinione cognoſceremus credibilitatem, & conſequenter non poſſet dici *nimis* credibile, de cuius credibilitate ſumus incerti; ergo ſi teſtimonia diuina credibilia facta ſunt *nimis*, vtique certò debent eſſe credibilia: ſi certò, & non per fidem, ergo certò, & euidenter. Rationes autem quibus credibilitas iſta euidenter infertur, ſatis tradidimus, 1. *p. q.* 1. *diſput.* 1. & ſuprà, viderique poſſunt apud interpretes *D Thom.* hic, præſertim *Bañez, Suarez, Lorca.* Nos breuiter dicimus omnes iſtas rationes inueniri breuiter inſinuatas ab Auguſt. in lib. ſuperius citato contra Epiſt. fundamenti c. 5. vbi ſic inquit: *Multa ſunt quæ in Eccleſia me rectiſſimè tenent, tenet conſenſio populorum, & gentium, tenet authoritas miraculis confirmata, ſpe aucta, & vetuſtate nutrita, tenet ab ipſa Sede Petri Apoſtoli cui paſcendas oues ſuas Dominus mandauit vſque ad præſentem Epiſcopum ſucceſſio ſacerdotum; tenet denique ipſum Catholicæ nomen, quod non ſine cauſa inter tam multas hæreſes ſola hæc Eccleſia obtinuit.* ſic Auguſt.

3 Ex *cuius* verbis formatur hæc euidens ratio: Vt aliquid ſit materia apta credi per fidem ſupernaturalem ſufficit quod concurrant illæ conditiones, quæ ſi eſſent naturales, & in materia naturali facerent rem dignam fide humana, ſed euidens eſt quod concurrunt in noſtra fide omnes conditiones, quæ faciunt rem aliquam dignam, & aptam vt credatur; ergo euidens eſt res fidei eſſe credibiles. *Maior conſtat* explicando conditiones allatas à *D. Auguſt.* nam euidens eſt quod concurrit *Conſenſio Populorum, & gentium* affirmantium, & credentium res iſtas eſſe dictas à Deo, ſicut autem euidenter credibile eſt Romam eſſe, quia tot homines, & tam diuerſis temporibus in [illegible] affirmando conueniunt cur non erit euidenter credibile res fidei eſſe à Deo. Quia tot populi & gentes in eo affirmando conueniunt. Concurrunt deinde *Miracula* in confirmationẽ talis veritatis, quæ ſunt vera miracula, & à ſolo Deo factibilia, ſicut vera reſuſcitatio mortui, non apparenter, ſed permanenter viuentis; vera illuminatio cæci, qui antea non videbat, & modo experitur ſe videre, Deus autem non poteſt confirmare miraculis mendacium. Concurrit etiam *firma Charitas Martyrum*, qui in teſtimonium illius veritatis vitam effuderunt, licet enim contingere poſſit quod vnus, vel alter non propter veritatem, ſed propter pertinaciam erroris moriatur, tamen quod tanta hominum multitudo tam aduerſis, & continuatis temporibus pro aliqua veritate vitam ponat, non videtur naſci ex pertinacia, ſed ex veritatis efficacia. Concurrit etiam *Spes aucta.* & adimpleta in Prophetarum oraculis, omnia enim quæ prædixerunt, & ſperauerunt videmus impleta. Concurrit etiam *vetuſtas*, ſeu *antiquitas doctrinæ*, quia nihil ita ſolet veritatem oſtendere, ſicut decurſio temporum, conſtat autem hanc fidem vetuſtatiſſimam eſſe, & longè antiquiorem cæteris ſectis, & doctrinis, cum ceperit in Patribus, & Prophetis, & vſque nunc continuetur. Concurrit denique *continuatio Sedis Apoſtolicæ*, quæ nobis proponit fidem: & tamen non innititur potentiæ, aut multitudini temporalium virium, quin potius à multis fuit ſæpiſſimè oppugnata, etiam Regibus, & Imperatoribus fortiſſimis; & tamen ſemper perſeuerat in continuatione ſuorum Epiſcoporum; & in his omnibus hæc fides non prædicat, nec docet aliquid facilè, & delectabile hominibus, ſicut ſecta Mahumeti, vel Hæreticorum, quin potius ipſa doctrina ſtrictiſſimè coërcet voluntates, & nimietatem temporalium; nec etiam fauore hominum creuit, ſed multis perſequutionibus ſemper eſt affecta, & per pauperes homines in toto mundo diſſeminata: Aliæ verò Sectæ humano fauore indiguerunt, vel parum durauerunt; ergo euidens eſt tot argumentorum concurſum oſtendere res fidei eſſe dignam, & aptam materiam, vt credantur tamquam aliquid ſupernaturale; ſicut in naturalibus euidenter iudicamus aliquam materiam eſſe aptam, vt credatur, quando ſimiles conditiones concurrunt, verbi gratia, multitudo teſtium aliquid aſſerentium, vetuſtas temporum, & correſpondentia, ſeu conſenſio multorum, &c. videatur *S Tho opuſc.* 6. de expoſitione ſymboli.

Dubium *tamen eſſe poteſt*, An in omnibus fidelibus, vt credant fide infuſa, requiratur quod habeant certitudinem, & euidentiam de credibilitate rerum fidei: An vero ſine ipſa poſſint credere fide infuſa? Videtur enim ex vna parte quod leuiter crederet, atque adeo non ſupernaturaliter, ſi ſine ſufficientibus motiuis induceretur ad fidem: ex alia vero parte videmus multos eſſe fideles valde rudes, qui nihil de motiuis credibilitatis fidei, nedum de euidentia illorum perceperunt, ſed ſolum à ſuis parentibus, vel parochis, inſtructi ſunt, & in Fide illorum credunt; & tamen illos omnes actibus fidei infuſæ priuare duriſſimum eſt; ſic enim priuarentur vera pœnitentia, & iuſtificatione, Quia *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo*, fides autem ad pœnitentiam, & iuſtificationem requiſita eſt fides infuſa, ſcilicet proueniens à præueniente Spiritus Sancti adiutorio, vt definit *Trident. Seſſ.* 6. *Can.* 3. 4

Reſpondetur, non eſſe neceſsè ad credendum fide infuſa deducere in particulari per conſequentiam, rationes, & motiua credibilitatis euidentis, id enim pertinet ad ſapientes, & Theologos, ſed tamen requiritur aliquod ſaltem motiuum credibilitatis euidenter attingere, quantum requiritur ad prudenter credendum, qui enim ſine aliquo motiuo credibilitatis credit, leuiter, & imprudenter credit, licet non ſciat rationes motiuorum per cauſas euidentes deducere, & defendere; motiuum autem principale ad perſuadendum credibilitatem noſtræ fidei eſt, quia ſic proponit Eccleſia vniuerſalis, quæ eſt congregatio ampliſſima, in qua tot egregij viri, tot Sancti, & Doctores, & Martyres includuntur, quorum propoſitioni, & doctrinæ qui credit, non imprudenter credit, & intentio credentis ſemper debet ferri in id, quod proponit vniuerſalis, & Catholica Eccleſia, non iſta, vel illa particularis: hoc autem motiuum nulli deeſt, quantuncumque rudi, nam quicumque credens ſymbolum, vel articulos dicit ſe credere quod credit Sancta Eccleſia, & propter hoc non habent excuſationem qui à pueritia nutriuntur inter Hæreticos, quia licèt ipſi credant, quod ſibi à ſuis Miniſtris proponitur, & 5

non

non habent alios à quibus doceantur de vera fide, tamen in hoc deficiunt, quod non fertur eorum intentio ad credendum id quod credit ſancta, & vniuerſalis, & Catholica Eccleſia, cum potius negent Eccleſiam Catholicam, ſed ſolum fertur eorum intentio ad credendum ſuo particulari Miniſtro, vel ſuæ particulari Eccleſiæ, vnde ne alicui deeſſet hoc motiuum habetur in Symbolo, *Vnam Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam*, ſcilicet vniuerſalem, non iſtam, vel illam in particulari. Omnes autem quantumcumque rudes tenentur ſcire Symbolum fidei, vt infrà dicemus.

6 Ex *hoc autem* colligitur optimè ſtare euidentiam credibilitatis rerum fidei cum ipſa fide; quod male negauit *Capr. in 3. diſt. 24. q. 1. in ſolutione argumentorum contra primam Concluſionem.* Sed communiter oppoſitum tenent theologi cum *D. Thom.* hic *q. 1. art. 4. ad 2. & 3. & art. 5. ad 1.* vbi docet rem non poſſe eſſe ſimul rem viſam, & creditam in ſpeciali, in generali autē eſſe viſam in ratione credibilis, & ſic ſunt ſcita ab eo qui credit. Verba autem *D. Thom.* ſunt hæc: *Quod ea, quæ ſubſunt fidei, dupliciter conſiderari poſſunt. Vno modo in ſpeciali, & ſic non poſſunt eſſe ſimul viſa, & credita, alio modo in generali, ſcilicet ſub communi ratione credibilis: & ſic ſunt viſa ab eo qui credit.* Vbi ly *viſa*, ſumitur propriè pro euidenti, alias non diceret *D. Thom.* non poſſe rem eſſe ſimul viſam, & creditam in ſpeciali, ſi ly *viſa* non ſumeretur pro euidenti cognitione; *Et ratio eſt*, Quia euidentia credibilitatis non eſt euidentia rei creditæ, ergo non opponitur obſcuritati, & ineuidentiæ ipſius rei in ſe; vbi autem remanet ineuidentia rei poteſt manere fides, quæ ſolum exigit rem non eſſe ineuidentem, neque intellectum conuincere ratione ſui. Quod autem euidentia credibilitatis non ſit euidentia rei, *ex eo patet*, Quia eſt euidentia de ipſa aptitudine materiæ vt credatur, & vt ſit digna fide. Iudicium autem Dei de honeſtate materiæ vt credatur, non eſt iudicium de ipſa veritate rei in ſe, neque habet connexionem neceſſariam cum ipſa veritate rei, ſiquidem benè ſtat aliquid eſſe falſum in re, & eſſe maximè credibile propter veriſimilitudinem qua proponitur, & rationes, quibus perſuadetur: euidentia ergo credibilitatis non manifeſtat intellectui, neque determinat, nec conuincit illum aſſenſum veritatis ſicut poteſt aliquis habere iudicium euidens de probabilitate alicuius opinionis, & tamen incertus eſſe, & cum formidine aſſentiri veritati opinatæ; ergo euidentia probabilitatis non neceſſitat, neq; certificat ipſum intellectum de tali veritate.

Dices: ſi euidenter iudicatur aliquid eſſe credibile fide ſupernaturali; ergo euidenter iudica-
7 tur eſſe verum in ſe. *Patet conſequentia*, nam licèt multa credibilia poſſint eſſe falſa, & ſufficiat eſſe veroſimilia, tamen vt credibilia ſint fide ſupernaturali hoc non ſufficit, ſed requiritur quod in ſe ſint vera, quia Deus non poteſt proponere ad credendum aliquid falſum; ergo euidentia credibilitatis diuinæ obſtat fidei, ſicut ſi aliquid eſt euidenter ſcibile, hoc ipſo eſt euidenter verum, & bonum in re. *Confirmatur.* Quia ſi euidenter iudicatur eſſe credibile, ergo euidenter iudicatur non eſſe impoſſibile. *Patet conſequentia*, Quia quod eſt impoſſibile eſt incredibile quando impoſſibile iudicatur; ergo quod iudicatur eſſe euidenter credibile, iudicatur euidenter non eſſe impoſſibile, ſed poſſibile, & non impoſſibile æquipollent ergo ſi iudicatur euidenter non eſſe impoſſibile iudicatur eſſe poſſibile, & ſic poſſibilitas myſterij Trinitatis, & incarnationis erit nobis euidens.

Hoc *argumentum* ſemper ſolet eſſe importunum, & ferè coincidit cum argumento de euidentia in teſtificante, & ideo aliqui dixerunt, quod ſolum eſt euidens practicè quod aliquid ſit credibile, & ideo non eſt euidens, quod prudentialiter procedatur in credendo, talibus ac tantis motiuis, licet non ſit euidens ſpeculatiuè quod detur talis credibilitas. Cæterùm ego non video quomodo hic poſſit diſtingui euidentia ſpeculatiua de ipſa credibilitate, & euidentia practica de conueniētia credēdi, etenim credibilitas in ſua natura nihil aliud eſt quam idoneitas, & aptitudo materiæ vt credatur; ergo ſi euidenter cognoſcitur hanc materiam eſſe talem, quod in illa credenda prudenter proceditur, euidens eſt conuenire illi naturam, & eſſentiam ipſam credibilitatis cum in nullo alio conſiſtat, ergo repugnat dari euidentiam de prudentiali proceſſu in credendo, & non dari euidentiam ſpeculatiuam de ipſa credibilitate, cum in hoc ipſo credibilitas conſiſtat, quod tale obiectum ſit materia prudentialis proceſſus in credendo. 8

9 Ad *arg. erg. ergo reſp.* Quod licet nihil ſit credibile ſupernaturaliter, niſi verum ſit in re tamen motiua quæ oſtendunt credibilitatem, non oſtendunt euidenter omnes conditiones ſine quibus credi non poteſt in particulari, ſed in confuſo, & in communi, nam potius id quod proponitur credendum ſupernaturaliter, proponitur vt valdè arduum, & excedens rationem naturalem, & de eius conuenientia, vel poſſibilitate neſcitur; in vi autem motiuorum credibilitatis, v.g. miraculorum, & ſimilium ſolum cognoſcitur hoc debere credi ſupernaturaliter, non modo quem humana ratio dictet, Quid autem requiratur in particulari, & determinatè ad credendum ſupernaturali iſto modo, an quod res ipſa ſit vera in re, an ſolum veroſimilis, euidenter non oſtenditur, licet in re quando creditur aliquid tanquam dictum à Deo neceſſario debeat eſſe verum in re, & ſic bene ſtat, quod aliquid euidenter cognoſcatur ſupernaturali modo eſſe credibile, loquendo in communi, licet omnes conditiones in particulari ad id requiſitæ non videantur, ſicut bene ſtat me cognoſcere euidenter hominem venientem à longè, & tamen non cognoſcere euidenter an ſit Petrus, vel Paulus. De hoc autem termino *ſcibile* aliud ſentit *Caiet* hic art. 4. Quia ſcibile dicitur aliquid ex proprijs & intrinſecis principijs rei, vnde non poteſt euidenter cognoſci quod aliquid ſit ſcibile, niſi euidenter cognoſcatur in communi, inde enim conſtabit aliquid eſſe verum in eſſe rei per connexionem neceſſariam, & per ſe cum talibus principijs eſſe autem *credibile* habetur ex principijs omnino extrinſecis, & ita notitia in communi de credibilitate, non infert in particulari conditiones requiſitas ad veritatem illius.

Ad *Confirmationem reſpondetur*, non valere illam conſequentiam, *euidenter iudicatur eſſe credibile; ergo euidenter iudicatur, non eſſe impoſſibile*, ſed deberet inferri; *ergo euidenter iudicatur non apparere impoſſibile*, quia vt aliquid ſit credibile non eſt neceſſe quod iudicetur in re non eſſe impoſſibile, ſed ſufficit quod non appareat 10

eius impoſſibilitas, vnde conſequentiæ iſtæ ferè ſemper peccant variando appellationem ab eo quod eſt *apparere*, ſeu cognoſci, ad id quod eſt *eſſe*, ſicut illa alia conſequentia non valet, *Non eſt euidens, ſeu non apparet eſſe impoſſibile, ergo eſt euidens, ſeu apparens eſſe non impoſſibile*, ab affirmatiua ad negatiuam infinitato prædicato, *negatur enim conſequentia*, quia in conſequenti debet etiam ly *euidens* teneri ex parte prædicati, ſicut in antecedenti infinitari, & deberet inferri; *ergo eſt non euidens eſſe impoſſibile*, & ſic nihil contra nos.

11 Sed *tunc* reſtat difficultas à quo principio eliciatur hæc euidentia credibilitatis? & ſupponimus non eſſe Dubium elici aliquando euidentiam ab alio principio, quam à fide, quando enim adultus ſuſcipit fidem, prius ei proponitur eius credibilitas, & format iudicium de illa iuxta rationes euidentes, quæ de tali credibilitate illi proponuntur, aliàs non prudenter moueretur, & tunc euidentia illius credibilitatis non elicitur à fide, cum antecedat iudicium de credibilitate ipſam fidem. Difficultas ergo eſt. An etiam poſt fidem ſuſceptam poſſit elici talis euidentia ab habitu fidei? *Caietanus* hic *articulo* 4. ex verbis *D. Thom. & Bannez*, alijque Thomiſtæ communiter tenent etiam habitum fidei inclinare in talem euidentiam, licèt non in omni ſubiecto, ſed quando ſubiectum eſt ad id diſpoſitum; & è contra *Suarez lib. de fide, diſputatio. quarta. Sect. 6. & Lorca hic, diſp. 16. memb.* 4. tenent hanc euidentiam credibilitatis ab habitu fidei oriri non poſſe, ſed per humanum diſcurſum, qui ex illis motiuis colligit euidenter dari illam credibilitatem, cui etiam poteſt accedere aliquando interior inſtinctus Spiritus Sancti quo compleatur iudicium omninò firmum de illa credibilitate.

12 Vt *rem totam* explicemus, & facilius argumenta ſoluantur, notandum eſt, quod credibilitas rerum fidei poteſt euidenter attingi dupliciter, *vno modo*, vt obiectum directè, & principaliter attactum, & ſic requirit procedere ab aliquo lumine euidenti, ſiue per diſcurſum, ſiue ſine illo; *alio modo*, poteſt attingi tamquam modus, ſeu conditio quædam in exercitio attacta in obiecto ipſo quod creditur; nec enim aliquis virtuosè, & prudenter credit, niſi rei credibiliter propoſitæ, vel cum conditionibus requiſitis ad credibilitatem, & tamen neque ipſas conditiones, neque credibilitatem credit; vel directè attingit, ſed rem ſub modo credibilitatis attingit, & hoc eſt attingere credibilitatem in exercitio, vel rei credibiliter propoſitæ aſſentiri, & non credibiliter propoſitæ non aſſentiri, vbi ly *credibiliter* non attingitur vt res cognita, ſed vt modificatio rei cognitæ, & quando proponitur credibilitas euidenter dicitur cognoſci, ſeu credi res aliqua, vt propoſita credibiliter euidenter, & habitus qui inclinat ad credendum rem ſic propoſitam dicitur inclinare in ipſam euidentiam credibilitatis, vt modificat rem quæ proponitur ad credendum.

13 Ex *his reſoluo* difficultatem duabus concluſionibus. *Prima*. Euidentia credibilitatis cognitæ, vt obiectum directum non oritur ex fide, ſed procedit ex aliqua experientia, ſeù diſcurſu humano prudentiæ, vel ſcientiæ, & aliquando ex interiori aliquo inſtinctu Spiritus Sancti, vel à dono ſcientiæ, ſiue intellectus. Ita ſumo ex *Caietano hic art* 4. & conſentit *Suarez* vbi ſuprà *art. 5. ſect. 5.* & probatur. Nam euidentia miraculorum quando de facto fiunt ad cõfirmandam fidem videtur ipſa experientia, & ex illis ratio per diſcurſum oſtendit rem propoſitam dignam eſſe vt credatur, quia confirmatur tali miraculo, & ita *Sanct. Thom.* fatetur in hac *quæſt. 1. art. 4. ad ſecundum*, quod propter euidentiam ſignorum, vel aliquid huiuſmodi res videtur eſſe credenda. Item qui vult naturam credibilitatis oſtendere, hoc eſt rem aliquam eſſe aptam vt credatur, procedit per rationes, & conditiones concurrentes ad conſtituendam hanc aptitudinem, vt ſupra vidimus; tunc autem conditiones conſtant nobis partim ipſa experientia, quia eas videmus, partim relatione aliorum, vel lectione librorum ex quibus colligimus aptitudinem, quæ ineſt talibus rebus vt credantur; ergo credibilitas poteſt per diſcurſum, & experientiam attingi, tanquam res cognita. Quod etiam ex inſtinctu interiori attingitur vt conſtat ex *Sanct. Thom.* in hac *2.2. quæſt. 2. art. 9. ad tertium, & quodlib. 2. artic. 6.* vbi oſtendit, non ſolum per miracula, ſed per interiorem inſtinctum hominem duci ad credibilitatem rerum, iuxta illud Ioan. 6. *Omnis qui audit à Patre, & didicit, venit ad me*. Denique quod pertineat ad donum ſcientiæ diſcernere credenda à non credendis ex illuminatione Spiritus Sancti docet *Sanct. Thom. 2.2. quæſt. 9. artic.* 2. præſertim *ſolutione ad ſecundum*, ſiquidem donum ſcientiæ deſeruit ipſi fidei, non quidem ſciendo ipſam veritatem creditam, ſic enim opponeretur fidei; ergo ſolum ſciendo credibilitatem eius.

Vnde *conſtat* omnes credentes ſi prudentialiter, & virtuoſe credunt aliquam habere euiden- 14
tiam de credibilitate, & ſic omnes non æqualem, quia vel ex ſignis, & motiuis, magis, vel minus cognitis, vel ex inſtinctu interiori, vel ex dono ſcientiæ diſcernunt credenda à non credendis, & credibilitatem ipſam attingunt. Quod ſi aliquando ſine ſufficienti propoſitione credibilitatis credunt, non ex fide infuſa credunt, quia non indubitanter, & firmiter credunt, ſed libenter, & ex quadam fide acquiſita, vt benè notat *Lorca, & Suarez*, vbi ſuprà.

Dico *Secundò*. Euidentia credibilitatis attin- 15
gitur ab habitu fidei in ipſo exercitio credendi per modum conditionis requiſitæ ex parte obiecti. Hæc concluſio ſumitur ex *Sanct. Thom.* præſertim in hac *quæſt. 1. art. 4. ad tertium*, vbi inquit: *Quod lumen fidei facit videre ea quæ creduntur: ſicut enim per alios habitus, virtutum homo videt illud, quod eſt ſibi conueniens ſecundum habitum illum, ita etiam per habitum fidei inclinatur mens hominis ad aſſentiendum his, quæ conueniunt rectæ fidei, & non aliis*. Et *quæſt. 2. art. 3 ad ſecundum*, inquit: *Quod ſicut homo per naturale lumen intellectus aſſentit principiis: ita homo virtuoſus per habitum fidei habet rectum iudicium de his, quæ conueniunt illi virtuti. Et hoc modo etiam per lumen fidei diuinitus infuſum homini, homo aſſentit his, quæ ſunt fidei, non autem contrariis*. Et hoc pacto *Caietanus*, vbi ſuprà *ad ſecundum* aduertit, quod ſicut actus aliarum virtutum, verbi gratia, temperantiæ, quæ eſt in parte appetitiua occaſionaliter ſolum facit videre, hoc eſt practicè, & prudentialiter iudicare id, quod eſt conueniens tali virtuti, & diſcernere ab eo, quod eſt diſconueniens, ita fides in parte intellectiua inclinando in ſibi conueniens, & diſcernendo credenda à non credendis facit euidentiam ſibi poſſibilem, ſcilicet euidentiam credibilitatis. Ex quo ſumitur ad fidem

non

non pertinere proponere ſufficienter credenda oſtendendo credibilitatem rerum, ſed inclinare in credendo ſufficienter propoſitam; ergo pertinet ad fidem inclinare in ipſa credibilia, quia ſic propoſita ſufficienter, ſcilicet inclinando in ipſa credibilia vt euidenter credibilia, non autem pertinet ad ipſam ferri in ipſam credibilitatem tanquam in rem directè à ſe cognitam, quia nec fertur in illam credendo, ſiquidem credibilitas non creditur, nec fertur in ipſam oſtendendo illam per rationem, & diſcurſum, quia fides (vt ſuprà dictum eſt, & repetitum in hac Materia) non diſcurrit, nec probat, ſed ſolum teſtimonio innititur, non autem probatione, ſeù diſcurſu, & hoc antecedenter fit ad fidem, quando perſuadetur, & proponitur ad credendum, nec immediatè illuſtrando credibilitatem, quia aliàs in ſubiecto, cui non eſſet facta propoſito ſufficiens rerum fidei, & tamen haberet habitum fidei, vt ſi puer baptizatus nutriretur in ſyluis per ipſum lumen fidei poſſet facere euidentiam credibilitatis, & ſic non indigeret prædicante ad cognoſcendas res fidei, quod eſt abſurdum, ergo ad fidem ſolum pertinet attingere euidentiam credibilitatis in ipſo exercitio credendi, tanquam conditionem ſui obiecti propoſiti.

16 Dices. Quod hoc hoc non eſt facere euidentiam, ſed factam ſupponere per ſufficientem propoſitionem rerum fidei. *Reſpondetur.* Quod non eſt facere euidentiam primo, & ſimpliciter de ipſa credibilitate tanquam de obiecto directè cognito, ſed ſolum attingere illam, vt conditionem obiecti propoſiti, & inclinare in illam prout requiritur ad credendum, non enim pertinet ad fidem facere euidentiam credibilitatis directè, & per ſe, quia neceſſario debet ſupponere ſufficientem propoſitionem fidei, atque adeò euidentiam credibilitatis per illas rationes mouentes ſufficienter ad fidem; repugnat ergo quod primam euidentiam credibilitatis faciat, ſed ſolum pertinet ad ipſam inclinare in euidentiam iam propoſitam, & per illā diſcernere credenda à non credendis, & ita vtitur euidentia illa credibilitatis, & facit illam quantum ad vſum diſcernendi credenda à non credendis, non quantum ad primam manifeſtationem credibilitatis.

Soluuntur Argumenta.

17 EX his ſoluuntur argumēta *Pat. Suarez, & P. Lorca*, obiicit enim *Suarez* ſic Ratio formalis fidei eſt authoritas obſcurè reuelans, ſed credibilitas neque eſt res reuelata à Deo, neque eſt obſcura, ſed euidens ergo eſt extra rationem formalem fidei. *Secundò obiicit.* Iudicium de credibilitate non eſt actus fidei: *Tum* quia præcedit ad credendum; *Tum* quia per diſcurſum demonſtratiuum talis credibilitatis generatur; ergo non eſt actus fidei. *Tertio obiicit Suarez.* Quia iudicium de credibilitate non eſt tàm certum, & infallibile, ſicut actus fidei: *Tum* quia generatur per diſcurſum humanum, & ex principiis acceptis per experientiam, non ſupernaturaliter: *Tum* quia qui negaret illam euidentiam credibilitatis non eſſet Hæreticus, ſicut qui negaret ea quæ creduntur per fidem; ergo illa credibilitas non attingitur per fidem, aliàs haberet infallibilem certitudinem. *Quartò obiicit.* Quia actus fidei numquam eſt formaliter euidens; ergo repugnat quod eliciat actum euidentem circa aliquod obiectum etiam circa credibilitatem. *Quintò, & vltimò obiicit Vaſquez.* Quia fides humana etiam verſatur aliquando circa euidenter credibilia, & tamen non elicit illam euidentiam credibilitatis, ergo neque fides diuina.

18 Vltimo arguit *Lorca.* Quia ante infuſionem fidei habetur euidentia credibilitatis quando alicui proponuntur motiua ad credendum ſufficientia, & è contra, poteſt aliquis habere habitum fidei, & non elicere euidentiam credibilitatis, vt puer baptizatus, qui nihil audiuit de fide, poſteà factus Adultus non habet euidentiam credibilitatis; ergo non elicitur iſta euidentia à fide. Alia argumenta *Lorca* coincidunt cum argumentis relatis *P. Suarez*, vt quod fides non reſpiciat credibilitatem, ſed credenda: quod fides ſolum habet obſcurum aſſenſum, &c.

19 Ad *Primum reſpondetur.* Quod ratio formalis fidei circa obiecta credenda eſt authoritas obſcurè reuelans, circa credibilitatem verò non facit euidentiam, ſed præſupponit, & vt conditionem credendi attingit, vnde ex eo quòd credibilitas non ſit reuelata obſcurè ſolum ſequitur quod non ſit credita vt obiectum, non tamen quod non ſit attacta vt modus, & conditio ſe tenens ex parte obiecti credibilis; & ſicut rem eſſe ſufficienter propoſitam vt credatur non eſt extra rationem formalem fidei, non tanquam obiectum, ſed tanquam conditio requiſita, & præſuppoſita, vt obiectum ſit, ita nec attingere illam credibilitatem ſufficientem, & conſequenter euidentem non vt obiectum credendum, ſed vt conditionem obiecti vt credatur.

20 Ad *Secundum reſpondetur* eadem diſtinctione. Quod iudicium de credibilitate tanquam de obiecto, & re cognita non eſt fidei, benè tamen iudicium de credibilitate, vt de conditione obiecti propoſiti ad credendum, ſufficienti, ſeù euidenti propoſitione, & ita iudicium de credibilitate tanquam de re cognita eſt præuium ad fidem, & poteſt generari per noſtrum diſcurſum, & rationem, vt dictum eſt. Iudicium autem de credibilitate vt exercita, & per modum conditionis conſideratæ eſt aſſenſus in ipſam rem credibilem prout propoſitam, & modificatam ipſa credibilitate euidenti, vnde eſt actus fidei pro ea parte qua fertur in rem credibilem, ſolum vero reſpicit euidentiam credibilitatis, vt conditionem requiſitam, vt tale obiectum credatur.

21 Ad *Tertium reſpondetur.* Quod iudicium de illa credibilitate tanquam de re cognita, & obiecto directè attacto non eſt ita infallibile ſicut actus fidei, quia nec procedit à fide, iudicium autem de credibilitate vt exercita, & vt conditio quædam eſt obiecti credendi non fertur in ipſam tanquam in rem creditam, & ab Eccleſia propoſitam, ſed tanquam in conditionem, iuxta quam proponitur obiectum credendi, & ideo non eſt Hæreticus, qui negaret euidentiam illius credibilitatis, quia ſolum eſt Hæreticus, qui negat aliquid creditum, per fidem, non qui negat aliquid, quod requiritur vt debitè, & ſufficienter proponatur res fidei.

22 Et ſi *Inquiras:* An iſtud iudicium de credibilitate vt exercita ſit actus diſtinctus ab aſſenſu credendi; licèt à fide elicitus? *Reſp.* ſatis probabiliter dici poſſe quod eſt duplex actus fidei, alter *abſolutus* quo tendimus præcisè in rem creditā ex diuina authoritate, alter *cōparatiuus* quo diſcernit fides ea quæ credenda ſunt à non credendis,

quia illa ſunt ſufficienter propoſita, non iſta, & iſte actus diſcretiuus, ſeù comparatiuus ponitur expreſsè à *D. Thom.* locis ſupra citatis in ſecunda concluſione, & à *Caietano hic artic.* 4. Et ratio quare vt. que actus pertinet ad fidem ea eſt: quia authoritas Diuina mouet ad credendum non ſolitariè, ſed ſupponendo ſufficientem propoſitionem credibilium, vnde non ſolum pertinet ad fidem attingere obiectum vt rem creditam ex authoritate dicentis, ſed etiam attingere modum quo res proponitur ad credendum ex vi ſufficientis propoſitionis, & vbi non inuenerit talem modum proponendi, non acceptabit rem illam vt credendam, & hoc eſt diſcernere, & comparare credenda cũ non credendis, quod vt notat *Caiet. citato loco* non eſt actus fidei in omni ſubiecto, ſed ſolum in ſubiecto diſpoſito, quod valet diſcernere credenda à non credendis faciendo comparationem ipſius modi, quo res proponuntur & ſi non per diſcurſum, & non eſt inconueniens quod pro ea parte qua attingit modum proponendi res credibiles illud iudicium comparatiuum ſit minus infallibile, quam aſſenſus abſolutus, qui fertur præcisè in rem creditam, non autem in modum quo res præſuppoſitiuè ſupponitur propoſita vt credatur, ſicut diſpoſitio vltima ſupponitur ad formam.

13 Ad *quartum patet ex dictis*, quod actus fidei non eſt formaliter euidens circa rem creditam, benè tamen attingit euidentiam credibilitatis, vt conditio requiſita. *Ad quintum*, & *vltimum reſpondetur primò.* Quod non eſt inconueniens concedere de fide humana quod etiam fertur in euidentiam credibilitatis tanquam in conditionem requiſitam, ſi fortè illam habet. *Secundo reſpondetur.* Quod fides humana non eſt virtus, vt docet *Sanct. Thom.* hic *quæſt.* 4 *art.* 5 *ad ſecundum*, ſed innititur teſtimonio debili, & fallibili, quod ex natura ſua non poſtulat ferri in obiectum ſuppoſita ſufficienti propoſitione, & euidentia credibilitatis, ſicut petit teſtimonium diuinum, & ita cum fides diuina ſit virtus petit inclinari in obiectum ſufficienter propoſitum, & conſequenter cum euidentia credibilitatis, quia ſine ipſa non habet firmitatem ex parte propoſitionis requiſitam, vt virtuosè credat. *Ad id quod obijcit Lorca. reſpondetur ex dictis*, Quod ante infuſionem fidei habetur euidentia credibilitatis tanquam de ſe cognita, ſed per fidem ſolum attingitur vt conditio requiſita, quatenùs per habitum fidei inclinatur ad aſſentiendum his, quæ conueniunt rectæ fidei, & non aliis, vt docet *S. Thom. in hoc art.* 2 *ad ſecundum*, & *tertium*. In illo autem caſu de puero baptizato, qui nihil audiuit de fide. *reſpondet Caiet.* ſuper ipſum *art.* 4. Quod non poteſt facere, aut attingere euidentiam credibilitatis ob indiſpoſitionem ſubiecti, & defectum materiæ, quia non eſt facta illi ſufficiens propoſitio rerum credibilium, & conſequenter non poteſt attingere euidentiam credibilitatis tanquam conditionem requiſitam, neque enim in omni ſubiecto fides attingit iſtam euidentiam, ſed ſolum in ſubiecto ſic diſpoſito, vt poſſit diſcernere credenda à non credendis, & cui eſt ſufficienter propoſita materia fidei.

ARTICVLVS IV.

Vtrum fidei aliquando poſsit ſubeſſe falſum?

EX duplici principio poteſt intelligi quod aliquod falſum ſubſit fidei, vel ex Deo dicente, vel ex Homine credente. Ex Deo dicente poteſt eſſe difficultas.

An Deus poſsit dicere falſum abſolutè loquendo, ſiue id fiat cum formali mendacio, vel cum malitia volendi decipere ſiue non.

CIrca quam difficultatem fuit quorumdam Hæreticorum error affirmantium Deum eſſe Authorem mendacij, & falſitatis, vt inde colligerent licitum eſſe nobis mentiri, & illud firmare iuramento propter ſeruandum ſecretum. Huius erroris Author fertur fuiſſe *Priſcillianus Epiſcopus Abulenſis* circa annum Domini 388. tempore Siriaci Papæ, & Valentiani II. Imperatoris. De quo videri poteſt Prateolus ſub titulo *Priſcillianiſtæ*, & *D. Auguſt. lib. de Hæreſibus Hæreſi* 70 Huic errori ſubſcripſiſſe Armenos teſtatur idem *Prateolus cap.* 3. *titulo Armeni*, & *Guido Carmelita de erroribus Armenorum*, quamvis *Caſtro de Hæreſibus* verbo *Deus Hæreſ.* 4. vehementer redarguat Guidonẽ affirmans talẽ errorem ſine fundamento Armenis impenxiſſe, eo quòd licet Hæretici fuerint, tamen ſcripturas ſacras non reiiciebant, in quibus multoties dicitur, Deum eſſe ſummè veracem, & nullatenus mentientem. Inter catholicos autem aliqui affirmarunt quod licet Deus de potentia ordinaria non poſſit mendacium dicere, benè tamen de potentia eius abſoluta, cuius ſententiæ dicitur fuiſſe Holcoth, & Aliacenſis, cum aliis quos refert *Magiſter Bañez in hoc art. Dub.* 1. Pro quorum Sententia, & Hæreticorum errore multa, & varia congerere poſſemus Argumenta, inferius tamen ea ſolum adducemus, quæ difficiliora videntur. 1

Pro *luce huius* Difficultatis Notandũ eſt. *Primò* Non eſſe idem formaliter *dicere falſum*, atque *mentiri*, eo quod *mentiri* eſt contra propriam ſententiam, & mentem dicere, vnde qui habet ſententiã, aut opinionẽ falſam, & iuxta illã loquitur, falſum dicit, ſed non mentitur; & è contra contingere poteſt, quod reuera aliquis affirmet illud quod in re ita eſt, ſicut ipſe dicit, quia tamẽ ille per errorem exiſtimat illud quod dicit eſſe falſum, mentiatur: verbi gratia, ſi quis exiſtimans Regem commorari Matriti, rex tamen non commoratur niſi Cæſarauguſtæ. ſi cum hac falſa exiſtimatione quam habet quod ſit Matriti, dicat alteri, rex commoratur Cæſarauguſtæ, diceret quidem illud quod à parte rei eſt verum, & tamẽ mentitur, quia contra propriam mentem illud profert. In Deo autem iſta duo ſeparari non poſſunt, quia cum Deus errorem aliquem in ſe non poſſit admittere, eo ipſo quod per impoſſibile diceret falſum mentiretur, eo quòd aliquid affirmaret contra ſuam propriam mentem. 2

Secundo *notandum eſt*. Quod dubitari ſolet apud theologos an ad rationem mendacij vltra hoc quod eſt dicere contra mentẽ, requiratur vt 3

dicat

dicat illod animo fallendi alium? In qua diffi-cultate *Magiſter Bañez hic memb.* 1. affirmat hoc vltimum ita eſſe intrinſecè neceſſarium ad rationem mendacij, quod ſine illo nullatenus mendacium conſtare poſſit. Vnde infert quod ſi aliquis falſum contra propriam mentem proferat ſecreto vbi à nullo audiri poſſit, cum deficiat tūc fallendi animus, deficit etiā mendacium: & ſimi-liter quia dicat Ioan. tū non es Ioānes, licet falſū dicat, & contra propriam mentem, non mētitur, quia illud non poteſt dicere cum animo fallendi ipſum Ioannem, & confirmari videtur hæc ſen-tentia ex *D. Auguſt. Lib. de mendacio cap. 3. & 4. & lib. contra mendacium cap. 14.* vbi ait. quod mentiri eſt dicere ea quo alius decipiatur.

4 Sed tamen ſententia iſta niſi in bonum ſen-ſum reducatur falſa eſt, & contra *ſanct. Thom.* ſi ſi enim intelligatur, quod regulariter mendacium dicitur animo fallendi alium, veriſſima eſt: ſi ve-ro quod ea neceſſitate talem animum petat, ad hoc vt mendacium ſit propriè mendacium, falſa eſt. Nam *Ariſ. 4. Ethicor.* ſolum dicit conſiſtere mendacium in hoc, quod aliquis ex propoſito intendat falſum aſſerere. Nihilominus in gra-tiam *Magiſtri Bannez* poſſumus ſententiam eius alio modo explicare in hunc modum, quod ani-mus fallendi poteſt dupliciter conſiderari. *primo modo* ea parte ipſius mentis quaſi implicitè, & ve-luti in radice ex parte ipſius operis, nam ille qui mentitur, ex ipſo mendacium profert dicit ver-bum ex ſe deceptorium, & in hac conſideratio-ne animus fallendi poterit ad eſſentiam menda-cij pertinere. *alio modo* poteſt conſiderari animus fallendi explicitè, & veluti extra mendacium ip-ſum, ita vt ille qui mentitur non ſolum expreſsè intendat mendacium proferre, ſed vltra hoc me-dio tali mendacio alium decipere, & iſto modo talis animus fallendi non poteſt ad eſſentiam mendacij pertinere, ſed eſt extrinſeca quædam perfectio accidentalis eius, & effectus ex men-dacio conſequutus. Et hoc videtur apertè con-ſtare ex doctrina *ſanct. Thom.* infra *quæſtione* 110. *artic. 1. in corpore,* vbi ait: *Si ergo illa tria con-currunt, ſcilicet quod falſum ſit id quod enuncia-tur, & quod adſit voluntas falſum enunciandi, & iterùm intentio fallendi, tunc eſt falſitas materia-liter, quia falſum dicitur, & formaliter propter voluntatem falſum dicendi, & effectiuè propter voluntatem falſum imprimendi, ſed tamen ratio mendacij ſumitur à formali falſitate ſecundum hoc ſcilicet, quod aliquis habet voluntatem falſum enunciandi, vnde & mendacium nominatur ex eo quod contra mentem dicitur.* Hæc D. Thom.

5 In quibus verbis apertè docet rationem eſſen-tialem, & formalem mendacij conſiſtere in illo ſecundo ante animum fallendi, quod clarius in eodem articulo in fine expoſuit dicens: *Quod autem aliquis intendat falſitatem in opinione alte-rius conſtituere fallendo ipſum, non pertinet ad ſpeciem mendacij, ſed ad quandam perfectionem ipſius.* Et ſolutione *ad tertiam* eiuſdem articuli ait: *Ad tertium dicendum, quod cupiditas fallen-di pertinet ad perfectionem mendacij, non autem ad ſpeciem ipſius, ſicut nec aliquis effectus perti-net ad ſpeciem ſuæ cauſæ.* Et in articulo tertio il-lius quæſtionis ſolutione ad ſextum, ait: *Men-dacium ergo iocoſum ex ipſo genere operis habet rationem fallendi, quamuis ex intentione dicentis non dicatur ad fallendum.* Ecce quomodo in illa prima acceptione docet *D. Thom.* quod ratio fal-lendi pertinet ad ſpeciem mendacij, non vero in ſecunda acceptione, vt apertiſſimè conſtat ex eius verbis. Si ergo *Magiſter Bannez* in primo ſenſu loquatur, veriſſimum dixit, & conformi-ter ad *D. Thom.* Si vero in ſecundo ſenſu, nulla-tenus audiendus eſt, cum expreſsè *D. Thom.* op-poſitum doceat. videtur tamen loqui in hoc ſe-cundo ſenſu, vt patet in exemplis eius. vnde di-cimus, quod quamuis in ſecreto, & nullo au-diente proferatur falſum ab aliquo intentione, & animo dicendi contra mentem reuera eſt men-dacium licet abſit fallendi animus. Et ſimiliter eſt verum mendacium quando quis Ioanni di-ceret, tu non es Ioannes, proferendo illud con-tra propriam mentem, licet in altero deceptio ſequi non poſſit Et hoc videtur neceſſario affir-mandum eſſe, nam certiſſimum eſt multos Deo mentiri, vt de Cain conſtat *Geneſ. 3.* quādo inter-rogatus à Domino *vbi eſt Abel frater tuus?* Reſ-pondit, *neſcio Domine,* & Sara mentita eſt quan-do dixit, *non riſi, Geneſ. 18.* nam Dominus reſ-pondit, *non eſt ita, ſed riſiſti,* & tamen non pote-rant habere animum fallendi Deum, cum co-gnoſcerent omnia nota eſſe illi, nec deceptionem pati poſſe. Imo mendacium iocoſum verum mendacium eſt, cum ſit contra propriam men-tem prolatum, & peccatum veniale, & tamen non ſolet eſſe cum animo fallendi, ſed intentio-ne placendi. ad auctoritatem *D. Auguſt.* addu-ctam à *Magiſt. Bannez,* Reſpondet *D. Thom. 1. in quæſt. 110. cit. art. 1. ad tertium,* quod erat formatum ex authoritate eiuſdem Doctoris, quod hæc intentio fallendi requiritur ad com-plementum malitiæ mendacij, non autem ad eſ-ſentiam eius. *Secundo* explicat *artic. 3. ſolut. ad ſextum.* Quod mendacium natura ſua ex parte operis habet rationem fallendi. *Tertio* alij expli-cant *S. Auguſt.* de mendacio quod eſt in pro-miſſione de futuro, nam vt ſit mendacium in ta-li promiſſione requiritur voluntas decipiendi, aut non adimplendi promiſſum, vnde ſi quando promiſit habuit intentionem adimplendi, poteſt poſtea non adimplere ſine mendacio, ſi ſubue-niat cauſa neceſſaria aut rationabilior non ad-implendi, quare non frangitur iuramentum pro-miſſorium, vt in eius materia dicitur, quando quis habuit cum actu iurandi intentionem ad-implendi, ſi poſtea iuſtis de cauſis videat melius eſſe non adimplere quod iuramento promiſſorio affirmauerat; eſſet autem falſitas in tali iuramen-to, & conſequenter peccatum mortale, ſi in ipſo actu iurandi non haberet intentionem adimplen-di. His dictis circa eſſentiam mendacij pro reſo-lutione dubij ſit.

Prima *Concluſio.* Deus de facto non eſt author mendacij, aut falſitatis, neque ex Deo dicente fidei poteſt ſubeſſe falſum etiam de potentia Dei abſoluta. Concluſio iſta eſt certa, & aſſerta à *S. Thom. in hac quæſtione 1. art. 3. & 1 p. quæſt. 14. art. 15. ad tertium in fine.* Latiſſimè eam probat *Magiſt. Cano lib. 2. de locis cap. 3.* & in Scriptura expreſsè habemus, vt numer 23. *Non eſt Deus quaſi homo vt mentiatur, neque vt filius hominis vt mutetur.* Ad Hebr. 6. loquens Paulus de pro-miſſionibus, quas Deus fecit Abrahæ, qualiter eſſent firmæ, & ſtabiles, inquit, *interpoſuit iuſiu-randum vt per duas res immobiles* (ſcilicet pro-miſſionem, & iuramentum) *quibus impoſſibile eſt mentiri Deum, fortiſſimum ſolatium habeamus.* Et 1. Ioan. 2. *quoniam omne mendacium ex veritate non* 6

eſt. Sed ſermo Dei eſt ipſa veritas Ioan. 17. *ſermo tuus veritas eſt*; ergo ea Deo non poteſt eſſe mendacium. Sic etiam intellexerunt ſancti Patres, vt Ambroſ. lib. 6. Epiſt. 37. *Impoſſibile iſtud* (inquit) *non infirmitatis, ſed virtutis eſt, & maieſtatis, quia veritas non recipit mendacium, nec Dei virtus leuitatis errorem.* Et Auguſt. 22. de ciuit. cap. 25 *ſi volunt inuenire quod omnipotens non poteſt, habent prorſus, ego dicam, mentiri non poteſt.* D. Chryſoſt. Hom. 1. de Symbolo Tom. 5. explicans illam particulam *omnipotentem* ſic ait; *quid non poteſt omnipotens? falli, fallere, mẽtiri non poteſt.* Et quod concluſio vera ſit etiã de potentia abſoluta non ſolum colligitur ex eo quod ſic communiter patres intelligunt loca allata ſcripturæ, ſed quia *Lucæ* 1. dicitur: *Cælum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt.* Quæ verba Doctores explicant, quod licet de potentia abſoluta Dei, cœlum & terra deſinerent eſſe (nam per ordinariam impoſſibile eſt) verba tamen mea per nullam potentiam deſinere poſſunt. Et Athanaſius lib. de incarnat. Verbi, aſſerit: *Abſurdum eſt, dicere Deum poſſe mentiri, ſi enim dixit Deus quod perituri ſumus, non eſſet Deus ſi non periſſemus.* Et ſanctus Anſelmus lib. 1. cur Deus homo cap. 12. & 13. *Ex hoc* (inquit) *quod Deus mentiretur non ſequeretur mendacium eſſe iuſtum, ſed quod non eſſet Deus.* Quæ omnia manifeſtè probant prædictam concluſionem veram eſſe, etiam loquendo de potentia Dei abſoluta, & cum ſit vnanimis conſenſus Patrum cum fundamento in locis ſacræ Scripturæ probant etiam, quod oppoſitum illius pluſquam temerarium eſt, & valde proximum errori licet aliqui Authores affirmauerint de potentia abſoluta poſſe Deum mentiri, licet non ea malitia, quod eſt formale mendacium.

6 Ratio *huius* à poſteriori quidem ex eo ſumitur: quia ſi Deus poteſt mentiri de potentia abſoluta tota noſtra fides euertitur, vnde enim ſcire poſſumus quod Deus non fuerit vſus illa potentia ob aliquam cauſam nobis occultam, ſi enim diceremus Deum non eſſe vſum illa potentia abſoluta, quia id reuelauit contra hoc ipſum inſtat ratio facta, quia in hoc ipſo potuit mentiri, quando magis aſſerebat ſe non mentiri. *A priori autem ratio eſt.* quia Deus eſt prima veritas, & prima veracitas, ſed ea veritate non poteſt naſci mendacium, ergo Deus non poteſt mẽtiri. *Maior eſt manifeſta*: quia non eſt alia veritas maior & perfectior quam Dei: ergo ipſe eſt prima veritas. *Minor aſſeritur* loco citato 1. *Ioan.* 2. vnde ſumpſit *S. Tho.* ſuam rationem *in hoc art.* 3. *quia* (inquit) *ſub veritate prima non poteſt ſtare falſum, ſicut neq; ſub ente, non ens, nec malũ ſub bonitate.* Et explicatur hoc modo; quia omne mendacium eſt deuiatio à veritate; ergo proferẽs falſitatem, ſeu mendaciũ habet veritatẽ deficientẽ, & fallibilẽ: ſed veritas prima eſt pura & indeficiẽs, quia eſt veritas ſine vlla imperfectione, nõ alias eſſet actus purus. & infinitus in genere veri; ergo impoſſibile eſt quod ex illa veritate aliqua falſitas oriatur. An vero mendacium poſſit carere malitia, vt putant *Gabr., & alij Nominales*, & ita proferri à Deo non ſub ratione peccati, ſed ſub ratione falſi, non oportet hic indagare, nam licet certum ſit mendacium intrinſecè eſſe peccatum, nec poſſe expoliari malitia, tamen nos non probamus repugnare Deo mendacium, quia peccatum eſt, & opponitur bonitati, ſed quia falſum, & quia opponitur ſummæ veritati, à qua repugnat procedere.

Tertia *Concluſio.* Deus non eſt cauſa falſitatis, aut erroris directè, etiam ſine mendacio. contrariũ huius concluſionis tenent aliqui Theologi, ſed tamen noſtra concluſio eſt communis DD. qui aſſerunt Deum erroris, aut falſitatis eſſe cauſam permittentem, aut eſſe cauſam poſitiuam actus pro materiali tantum, non pro formali, vt ſcilicet eſt falſus aut erroneus, & vt certa ab incertis ſeparemus notiſſimum eſt, quod ſi ſit error eorum quæ quis tenetur ſcire, Deus non poteſt eſſe cauſa talis erroris, eo quod talis error eſt culpa mortalis cuius Deus ſolum pro materiali eſt cauſa: ſi autẽ ſit error circa ea quæ non tenemur ſcire, non ita eſt certum Deum non poſſe eſſe cauſam talis erroris. Probabilius tamen exiſtimo Deum ſolum poſſe eſſe cauſam directam pro materiali actus, non tamen pro formali. *Probatur concluſio*: quia error intellectus adeo eſt malum vt non poſſit ab homine eſſe directè volitus ſub hac formali ratione, nam licet homo aliquando velit neſcire per ignorantiam affectatam, hoc non eſt niſi vt liberius, peccet, & non vult errorem propter ſe ipſum; ergo multò minus Deus poterit directè velle errorem, & illum cauſare formaliter in intellectu hominis, aut Angeli. *Confirmatur primò*: Quia Deus non excitat, neque inuitat ad errandum, ſicut nec excitat ad peccandum; ergo non eſt cauſa directa erroris, vt ſic. *Confirmatur ſecũdo.* quia tam verax eſt Deus, quam bonus, ſed ex eo quod eſt ſummè bonus non poteſt velle aliquid mali ſub illa formalitate etiam in nobis; ergo nec etiã poterit eſſe cauſa directa erroris, aut falſitatis ſub hac formalitate in nobis. Imo ex hoc principio in materia de incarnat. dici ſolet à Theologis quod in intellectu animæ Chriſti non poteſt eſſe aliquis error, quia ſi intellectus humanus Chriſti erraret, etiam Deus erraret tanquam Suppoſitum illius naturæ

Contra iſtam tamen concluſionem ſunt duo argumenta. *Primum eſt*: quia error poteſt habere rationem pœnæ, ſed mali pœnæ Deus poteſt eſſe cauſa; ergo etiam erroris. *Secundum arg. eſt.* quia Deus poteſt infundere habitum erroris, ſiquidem in ipſis habitibus nec meremur, nec demeremur, ſed ſolum in actibus; ergo poterit eſſe cauſa erroris. *Ad primum horum reſpondetur.* quod licet error poſſit eſſe malũ pœnæ, tamen illa pœna conſiſtit in eo quod Deus permittat errorẽ propter priora peccata, ſicut *prima ſecundæ q.* 87. dicitur quod vnum peccatum eſt pœna alterius, quia permittit Deus vnum peccatum propter peccatũ præcedens. Et hac ratione S. Patres communiter docent cum Scolaſticis quod Deus eſt cauſa excæcationis, & indurationis in pœnam peccatorum præcedentium. *Ad ſecundum argumentum reſpondetur.* Negando antecedens, quia habitus erroneus directè inclinat ad actum non ſolum pro materiali, ſed etiam pro formali, vt ſcilicet actus erroris eſt, atque adeo non poteſt infundi immediatè à Deo *quod ſi iterum inſtes.* quod habitus erroris producitur actibus noſtris ad quos Deus concurrit; ergo etiam ſine noſtris actibus Deus poſſet immediatè illum cauſare. *Reſpondetur*; Negando conſequentiam, quia ad actus erroris qui ſunt in nobis non concurrit Deus directè, & formaliter, vt erroris ſunt, ſed tantum materialiter quare eodem modo ſolùm concurrit ad productionem habitus, qui ex talibus actibus

produci

producitur. Attamen ſi Deus ſe ſolo produceret habitum erroris, concurreret ad illum formaliter vt erroris eſt directè, & ex hoc principio in materia de peccatis probari ſolet quod habitus vitioſus non poteſt eſſe infuſus à Deo immediatè.

9 Quarta *Concluſio*. In his quæ pertinent ad fidem Deus non eſt occaſio alicuius deceptionis etiam per accidens ratione alicuius impropriæ, vel metaphoricæ loquutionis. Hæc concluſio non eſt minus certa, quam eſt certum fidem noſtram eſſe indubitabilis, & infallibilis certitudinis, vnde dicitur in *Concilio Trident. ſeſſ. 6. cap. 9.* certitudinem fidei eſſe talem cui non poteſt ſubeſſe falſum. Et probatur ex ſcriptura Pſalm. 144. *fidelis Dominus in omnibus verbis ſuis* Pſal. 118. *Principium verborum tuorum veritas* Ioan. 16. *Cum venerit ſpiritus veritatis docebit vos omnem veritatem.* Si autem ex modo loquendi diuina loquutio eſſet occaſio noſtræ deceptionis in iis, quæ neceſſaria ſunt ad fidem non doceret nos omnem veritatem, ſed potius obſcuraret, & occultaret illam impropriis loquutionibus: vnde eodem capite dixit Chriſtus: *Venit hora, cum iam non in prouerbiis loquar vobis, ſed palam de Patre meo annunciabo vobis.* Et ſubditur: *Dicunt ei diſcipuli eius: Ecce nunc palam loqueris, & prouerbium nullum dicis.* Ergo conſtat quod veritates multas ſine prouerbiis, & loquutione impropria dixit Chriſtus, & ſic loquutio Dei non eſt occaſio deceptionis in fide, licèt enim plures veritates ſub metaphoris, & impropriis loquutionibus tradantur in ſcripturis, tamen ea quæ neceſſaria ſunt ad credendum ſi in vno loco obſcurius ponuntur, in alio declarantur vel ſaltem ipſa traditione apoſtolica, vel per Eccleſiæ declarationem proponuntur; ergo in his quæ credenda ſunt per fidem, & proponuntur per Eccleſiam nulla latet æquiuocatio, vel cauſa deceptionis

10 Dices; currere hic idem argumentum quod ſupra fecimus, quod ſi ſemel Deus poteſt mentiri etiam de potentia abſoluta, non conſtat nobis verùm de facto mentiatur in hac ſcriptura; ergo ſimiliter ſi ſemel ſcriptura vtitur metaphoris, & impropriis loquutionibus, vnde conſtat nobis, quod quando dedit talem traditionem apoſtolis, & poteſtatem Eccleſiæ ad declarandas res fidei non fuerit vſus impropria loquutione? & conſequenter non erit certum nobis an talis poteſtas infallibiliter ſit in Eccleſia. *Reſpond.* id conſtare *tum à poſteriori*, quia alias relinqueret Chriſtus Eccleſiam in perpetua confuſione, & ſine principio certo habendi infallibilem regulam fidei, ſi maneret dubium id à quo pendet tota certitudo fidei ſcil. declaratio, & & propoſitio veritatis in ſenſu plano, & litterali. *Tum à priori.* Quia promiſſus eſt Spiritus Sanctus Eccleſiæ vt doceret illam omnem veritatem *Ioan. 16.* conſtituta eſt Eccleſia columna, & firmamentum veritatis 1. *ad Timoth.* 2. Promiſſa eſt Petro indefectibilitas in fide *Lucæ 22.* Ædificata eſt Eccleſia ſuper petram, aduerſus quam portæ inferi non præualebunt *Matt. 16* Quæ omnia verba manifeſtiſſima ſunt, & ſine vlla metaphora, vel loquutione impropria: vbi autem in verbis ſcripturæ non apparet impropria loquutio ſtandum eſt ſimplici ſignificationi verborum, aliàs ſcriptura quæ de ſe omnibus doctrinis eſt certior, omnibus redderetur incertior, & inutilior, ſi formidandum eſſet non litteraliter in ea ſignificatione quam verba ipſa de ſe habent.

11 Quinta *Concluſio*. Deus nec de potentia ordinaria, nec de abſoluta poteſt mentiri per alium tanquam per miniſtrum, Angelum, ſcilicet vel hominem. Hæc concluſio quoad vtramque partem colligitur ex teſtimoniis Sacræ ſcripturæ adductis pro 1. & 2. *Concluſ.* & præcipuè ex illo ad Hæbr. 6. *Vt per duas res immobiles, &c.* quia illæ res immobiles ſunt iuramentum, & promiſſio Dei facta Abrahæ per Angelum, & de his dicit Diuus Paulus eſſe impoſſibile Deum mentiri. Vbi ponderandum eſt primò illud verbum *impoſſibile*, quo etiam de potentia abſoluta loquitur iuxta expoſitionem communem Doctorum. Secundò ponderandum eſt, quod promiſſio illa de qua Apoſt. mentionem facit, fuit facta Abrahæ per Angelum; ex quibus apertè colligitur quod etiam per miniſtrum impoſſibile eſt Deum mentiri. *Secundò probatur Concluſio.* Quia ſi non eſſet omninò impoſſibile Deum mentiri, etiam per miniſtros, ſequeretur quod noſtra fides, quæ diuinæ reuelationi innititur non habere firmum, & ſtabile fundamentum: conſequens nullatenus admitti poteſt, ergo nec antecedens. *Probatur ſequela:* Quia tota fere ſacra ſcriptura reuelata eſt nobis à Deo per Miniſtros Angelos, Prophetas, Apoſtolos, & Euangeliſtas, ergo ſi non eſſet omninò certum Deum per illos non poſſe mentiri non haberet noſtra fides omnino indubitabile fundamentum. *Tertio probatur*: Quia quando Deus loquitur per miniſtros, loquuntur tales miniſtri ex diuina inſpiratione, & reuelatione, ergo mendacium illorum (ſi poſſibile eſſet) refunderetur in Deum inſpirantem, & reuelantem. *Probatur conſequentia*: Quia quando principale agens operatur aliquid per miniſtrum actio illa, aut effectus potius tribuitur agenti principali quam miniſtro, vt patet in iuſtificatione medio Sacramento applicato per miniſtrum, & in eo qui medio miniſtro tribuit Eleemoſynam pauperi; ergo ſi miniſter Dei mentiretur vt miniſter tale mendacium principaliter tribueretur Deo. *Antecedens autem primum probatur.* Quia vt ex Sacra ſcriptura conſtat, miniſtri Dei loquuntur in perſona Dei, imò Deus per illos loquitur, ſecundum illud Matthæi 10. *Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis.* Et 2. *ad Corinth.* 13. dixit Paulus *An loquitur Chriſtus.* Et Pſal. 44. *Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis*, id eſt, Spiritus Sancti à quo velociter mouetur. Et 2 Reg. 23. *ſpiritus Domini loquutus eſt per me.* Ergo omninò impoſſibile eſt Deum per miniſtros mentiri.

Quarto *probatur Concluſio*. Quia ſi Deus lo- 12
quitur ad homines per miniſtros, verbi gratia, per Angelum, aut hominem immediatè loquitur Deus ad aliquem illorum, nec enim poteſt mediatè loqui ad nos quin immediatè loquatur ad miniſtrum ergo ſi impoſſibile eſt mentiri, aut falſum dicere loquendo immediate per ſe ipſum, etiam erit impoſſibile mentiri per alium. *Confirmatur, & explicatur amplius ratio iſta.* Quia quando Deus loquitur per miniſtrum, aut miniſter dicit idem ipſum quod illi loquutus eſt Deus, aut dicit aliud. Si dicit idem, ergo mentiente miniſtro mentitur Deus immediatè loquens illi; ſed impoſſibile omnino eſt Deum mentiri per ſe ipſum (vt ſupra probatum eſt) ergo etiam erit impoſſibile quod mentiatur per miniſtrum. Si verò dicatur quod miniſter loquitur aliud, quam illi Deus loquutus fuerit, tunc apertè ſequitur miniſtrum mentiri ex ſe ipſo, & non mentiri

Deum

Deum per illum, ſicut in humanis quando ſeruus loquitur aliter quàm Dominus eius præcepit ei loqui, non mentitur Dominus, ſed ſeruus. Quod argumentum efficaciter probat Deum de ſua potentia abſoluta per Miniſtrum non poſſe mentiri. Ergo ſi neque per Miniſtrum, neque per ſe mentiri poteſt, nec falſum dicere etiam de abſoluta potentia fidei ex parte Dei dicentis nullatenùs poterit ſubeſſe falſum.

Soluuntur Argumenta.

1 PRimo *Arguitur* ad probandum Deum de facto mentitum fuiſſe, & fuiſſe authorem mendacij. *Primo* Quia *Geneſis* 4 cum dixiſſet Cain ad Deum, *omnis qui inuenerit me interficiet me*, reſpondit illi Deus *Nequaquam ita fiet*; & tamen occiſus fuit Cain à Lamech, vt in eodem *capite* habetur ergo Deus de facto mentitus eſt. Deinde 3. *Regum* 20. dum quæreret Deus Quis deciperet Achab? Reſpondit ſpiritus malus: *Ego decipiam*: & rurſus dum iterum interrogaret Deus, *In quo decipies?* Reſpondit, *ego ero ſpiritus mendax in ore omnium Prophetarum eius*: Tunc dixit Deus, *Decipies, & præualebis, egredere, & fac ita.* Ergo præcepit Dæmoni vt deciperet, & mentiretur: fuit ergo author mendacij. Item *Iob.* 12. dicitur: *Qui immutat cor principum, & decipit eos, & errare facit eos ſicut ebrios.* Et Iſai 19. & 63. conqueruntur homines de Deo his verbis: *Quare nos errare feciſti Domine de vijs tuis?* Et Ezech. 14. dixit Deus, *Si Propheta deceptus fuerit, Ego Dominus decipi eum.* Et ad Roman. 1. *Tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, vt faciant, quæ non conueniunt.* Ergo vt ex omnibus iſtis authoritatibus colligitur, & Deus mentitur, & author eſt mendacij.

2 Ad *hoc Argumentum*, vt reſpondeamus aduertendum eſt, quod circa loca Sacræ Scripturæ multa poſſent pro reſponſione dici iuxta placita Sanctorum Patrum: quia tamen Nos breuitati conſulimus, tantum ea quæ ſcholaſtico more neceſſaria ſunt ad argumentorum ſolutionem adducemus. *Ad Primum locum reſpondetur Primò.* Quod licèt Sacra Scriptura dicat Lamech occidiſſe virum, non eſt certum, quod iſte vir occiſus à Lamech ſit Cain, ſed potuit eſſe alius, cum Sacra Scriptura nihil de hac re determinet. *Secundò reſpondetur.* Quod dato quod Lamech occiderit Cain nihil probat argumentum: Quia Deus non dixit Cain abſolutè quod non eſſet occidendus, ſed quod impunè eſſet occidendus, addidit enim, *qui occiderit Cain ſeptuplum punietur*: vnde ſi Lamech occidit Cain, non impunè occidit, vt ex eodem capite colligitur, *Quod ſi inſtes*: Quia timor quem habebat Cain non erat de punitione ſui occiſoris; ſed de occiſione ſua, dixit enim: *Omnis qui inuenerit me, interficiet me.* Et ad hoc videtur Deum reſpondiſſe, *Nequaquam ita fiet.* quaſi diceret, nullus interficiet te & tamen occiſus eſt, ergo. *Reſpondetur*, Quod turbatus Cain exiſtimabat omnem hominem, aut aliud animal habere poteſtatem ſupra vitam ſuam, atque adeò qui illum prius inuenerit eum interficeret, & ad hoc reſpondit Dominus, *Nequaquam ita fiet*, quaſi diceret, nequaquam habet aliquis poteſtatem ſupra vitam Cain, nec quilibet poterit occidere illum pro ſua voluntate, ſed qui occiderit ſeptuplum punietur, & hoc totum verum fuit, & impletum.

3 Ad *omnia autem loca*, quæ poſteà ſequuntur in primo argumento, vt Reſpondeamus aduertendum eſt cum communi ſententia interpretum Sacræ Scripturæ, quod quotieſcumque in Sacra Scriptura reperitur quod Dominus præcipiat, aut conſulat, aut velit aliquod malum culpæ, vel erroris, vel falſitatis, ſemper debet intelligi, quod permittit, ſicut quando dixit Iudæ volenti illum tradere, *Quod facis, fac citius*, & Ratio eſt aperta. Quia abſurdum eſſet concedere illud quod Deo repugnat, quod verò repugnat illi decipere, aut talia imperare actu poſitiuo, conſtat ex concluſionibus præcedentibus, & earũ probationibus. Quod ſi aliquis dicat ſolutionem iſtam eſſe omninò voluntariam, & ſine fundamento. *Reſpondetur*, negando id, nam expoſitio iſta fundamentum habet in eadem Sacra Scriptura, in qua aliquando præcipere, & permittere pro eodem accipiuntur, nam *Marci* 10. dixerunt Phariſæi Chriſto Domino. *Moyſes permiſit libellum repudij ſcribere.* & Chriſtus reſpondit, *ad duritiam cordis veſtri ſcripſit vobis præceptum iſtud.* Item *Matthæi* 19. dicunt Phariſæi: *Quid ergo Moyſes mandauit dare libellum repudij?* Reſpondit Chriſtus: *Ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere vxorem.* Ecce quomodo pro eodem vſurpatur *præcipere, & permittere.* Attendenda ergo eſt ſemper materia circa quam cadit præceptum, vel conſilium, & ſi fuerit Deo repugnans, intelligi debet permiſſiuè. Sic etiam interpretanda ſunt illa loca in quibus dicitur Deum excæcare, indurare, decipere, & errare facere aliquem, non enim intelligi debent poſitiuè, ſed negatiuè tantum, ſcilicet quia Deus malum, & peccatum, aut errorem impedire poſſet, conferendo alia maiora auxilia, & cognitionem clariorem, cum quibus non poſſet ſtare peccatum, deceptio, aut error. Id tamen ſuo iuſto iudicio non facit, ſed cadere permittit videatur de hoc *Damaſce. lib. 4. ſuæ Theologiæ cap. 14. & D. Thom. 3. contra Gent. c. 162. & 1. 2. quæſt. 79. art. 3. D. Gregor. lib. 11. Moral. cap. 16. & D. Hieronym. Epiſt. ad Edibiam cap. 10.*

Vbi aduertendum eſt, quod licèt reſpectu deceptionis, aut indurationis Deus ſe habeat ſolum permiſſiuè, tamen poſitiuè vult aliquã occaſionem offerri, ea qua nouit hominem fore decipiendum, non tamen ea intentione vt decipiatur, aut erret: vnde 2. *Petri* 3. dicitur de Epiſtolis S. Pauli *in quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & inſtabiles deprauant, ſicut & cæteras Scripturas ad ſuam ipſorum perditionem.* Nouit igitur Deus indoctos, & inſtabiles illos ſumpturos occaſionem ex Epiſtolis Diui Pauli ad ſuam perditionem, non tamen intendit Deus talem illorum perditionem, Obſeruandum etiam eſt cum *Magiſt. Baniz* hìc, quod latius dici ſolet in materia de prædeſtinatione, quod quamuis reſpecto primi peccati dicatur Deus permiſſiuè ſe habere, tamen excæcare, indurare, aut errare facere (eo modo quo dictum eſt non dicitur Deus niſi præſuppoſito alio peccato, & in pœnam illius, hoc enim denotatur in illo verbo Sancti Pauli, *Propter quod tradidit illos Deus in reprobum ſenſum.* Quid eſt propter quod? *Quia cum cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt*, quod & in alijs authoritatibus inuenitur, aut aliquid ſimile.

Secundo *Arguitur.* Nam Deus eſt author Sacræ Scripturæ, & qui nobis reuelat quæ in illa contenta ſunt; ſed in Sacra Scriptura multa mendacia continentur; ergo author fidei, qui eſt Deus mentiri poteſt, imò mentitus eſt de facto. *Maior nota eſt, & conſequentia legitima. Minor* verò in qua eſt 5

difficultas

difficultas *probatur*. Nam *Iob* 7. dixit ipſe loquens cum Deo *Peccaui, Quid faciam tibi? &c.* & tamen 17. dixit idem de ſe ipſo, *Neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea.* Et alibi *Non peccaui, & in amaritudinibus moratur oculus meus*: Ergo vnum iſtorum apertè falſum eſt, ſiquidem verba contraria ſunt. Item *Geneſ.* 1 dicitur: Quod lux creata fuit in prima die apparet autem hoc eſſe falſum, quia lua creata fuit cum ſole, cuius productio dicitur facta quarta die, Deinde *Geneſ.* 23. dicitur quod Abraham emit ſepulchum ab Ephron filio Seor Hethei in ciuitate Arbiæ, quæ eſt Hebron; hoc autem videtur falſum iuxta illud quod in actibus Apoſtolorum ſcribitur *cap.* 7. ibi enim habetur quod *Patres noſtri tranſlati ſunt in Sichem, & poſiti ſunt in ſepulchro quod emit Abraham pretio argenti a filiis Hemor, filij Sichem*: ergo non ab Ephron filio Seor, atque adeò vnum, aut alterum mendacium erit. Præterea 3. *Regum* 8. dicitur. Quod in arca nihil aliud erat niſi tabulæ teſtamenti, & tamen ad *Hebr.* 9. dicitur, quod *erat ibi Manna, & virga Aaron, quæ fronduerat*: ergo vel primum, vel ſecundum eſt falſum. Item 4. *Reg.* 8. dicitur, Quod *Ochozias cœpit regnare cum eſſet annorum* 22. & tamen 2. *Paralip.* 22. dicitur, quod *erat annorum* 42. *cum regnare cœpiſſet*. Hoc autem vltimum non ſolum videtur eſſe falſum, quia non conuenit cum loco ex 4. *Reg.* 8. ſed etiam quia ſi hoc vltimum verum eſſet, ſequeretur quod Ochozias eſſet duobus annis maior Patre ſuo Ioran, dicitur namque in eodem *lib. Regum*, quod *Ioran erat* 32. *annorum cum regnare cœpiſſet, & regnauit* 8. *annis, & mortuus eſt, cum eſſet annorum* 40. Ergo ſi eſſet verum quod filius eius Ochozias cœpit regnare cum eſſet 42 annorum, apertè ſequitur quod filius erat excedens Patrem ſuum in ætate duobus annis.

6 Confirmatur *Primò*: Quia in ſacra ſcriptura non ſolum non reprobatur mendacium, ſed laudatur, & remuneratur, ergo Deus mentiri poteſt. *Probatur antecedens*, quia Abraham ex inſtinctu Dei, vt vult *S. Ambroſ. lib. de Abraham cap.* 8. dixit, quod *Sara* non eſſet ſua vxor, ſed ſoror, & vt idem diceret, ſuaſit illi, *dic quod ſoror mea es*, vt patet *Geneſ. cap.* 20. & poſteà Abimelech conquæſtus eſt quod illum deceperint, & tamen propter hoc factum nec Abraham, nec Sara reprehenduntur in ſacra ſcriptura, ſed potius laudantur, ergo. Item *Geneſ.* 34 dixit Ioſeph de ſe ipſo quod erat Augur, & tamen non erat, & de hoc non reprehenditur. Item *Geneſ.* 22 dixit Abraham ad pueros ſuos cum aſcenderet in montem ad immolandum filium Expectate hic, & cum adorauerimus, reuertemur ad vos, & tamen non habebat tunc animum vt reuerteretur Iſaac, ſed potius illum immolandi: ergo ex inſtinctu Dei mentitus eſt.

7 Confirmatur *Secundò*. Nam Deus per ſuos miniſtros ſæpè inuenitur mentitus fuiſſe in ſacra ſcriptura; ergo eſt author mendacij. *Probatur antecedens*, quia inſtructu Dei Iacob mentitus eſt patri ſuo illum decipiens dicendo. *Ego ſum filius tuus primogenitus Eſau, feci ſicut præcepiſti mihi*: & cum Iſaac interrogaſſet, *Tu es filius meus Eſau?* Reſpondit Iacob *Ego ſum*: mentitus eſt ergo Iacob. Quod & indicare videntur verba Patris eius dicta ad Eſau *venit* (inquit) *frater tuus fraudulenter, &c.* Item Iacob. *Geneſ.* 49. dixit ſpiritu Dei: *Non auferetur ſceptrum de Iuda, & dux de femore eius donec veniat qui mittendus eſt*, hoc eſt Chriſtus; ſed hoc non fuit adimpletum, ergo mentitus eſt Deus per ſuum miniſtrum. *Probatur minor*. Quia poſt egreſſionem de Ægypto, & legem acceptam cœpit populus Iſraël habere Principes, & Gubernatores, diſſimili tamen modo pro diuerſitate temporum, aliqui enim vocati ſunt Duces, vt Moyſes, & Ioſue, & gubernarunt populum 66. annis, neuter tamen illorum fuit de Tribu Iuda, nam Moyſes fuit de Tribu Leui, & Ioſue de Tribu Ephraim Poſt tempus autem iſtud vſque ad Saulem, ſpatio videlicet 300. annorum, & amplius fuit principatus penes iudices, qui tamen cum eſſent numero 15. ſoli duo videlicet Othoniel, & Abeſam erant de Tribu Iuda.

8 Poſtea verò imperium fuit per reges, quorum primus fuit Saul, erat autem ex Tribu Beniamin, poſt illum autem fuit Dauid vnctus in regem, qui erat de Tribu Iuda, & in illa Tribu remanſit principatus regalis penes poſteros Dauid vſque ad captiuitatem Babilonis per annos 473. & poſt reditum Hebræorum ad patriam ſuam ex tali captiuitate vſque ad Herodem per ſpatium 520. annorũ gubernabatur populus per ſacerdotes, qui ſimul erant reges; illi tamen erant de Tribu Leui, nam de Tribu Iuda nullus altario præſto fuit, vt ait *Diuus Paulus ad Hebr.* 7. Ex his omnibus quæ vera eſſe conſtant ex ſacra ſcriptura colligitur quod cum ab egreſſione Hebræorum de Ægyptio vſque ad Herodem præterierint pluſquam mille & trecenti anni, de omnibus illis ſolum per ſpatium 473. annorum regnauit Tribus Iuda; ergo illa Prophetia Iacob falſa fuit, ſiquidem vniuerſaliter dixit, nunquam auferendum eſſe ſceptrum de Iuda donec veniret, qui mittendus erat, id eſt Chriſtus. Alia ſunt plura loca quæ hoc ipſum videntur confirmare, quæ breuitatis cauſa ommittuntur, qui autem latè videre voluerit legat *Mag. Cano de locis lib.* 2. *c.* 2. *& Seraphinum in Conciliatione locorum ſacræ ſcripturæ D. Auguſt. & Ianſenium in Concordia Euangeliſtrarum.*

9 Ad *Secundum* argumentum reſpondetur negando minorem, & ad primam probationem eius de Iob ſolet reſponderi communiter, quod quando *cap.* 7. dixit *Peccaui*: loquitur de aliquo peccato leui quod commiſit ante illam tribulationem, cum autem poſtea *cap.* 27. dixit: *Neque reprehendit me cor meum in omni vita mea.* Loquutus eſt de peccato in re graui, præcipuè de peccatis illis quæ ſibi obiciebantur ab amicis maior difficultas eſt in eodem *Iob* quia cum *cap.* 1. *&* 2. dicitur: *In omnibus his non peccauit Iob, nec ſtultum aliquid loquutus eſt labiis ſuis.* Poſtea *cap.* 39. idem *Iob* dicit de ſe ipſo, *leniter loquutus ſum*, & infra, *vnum loquutus ſum, quod vtinam non dixiſſem*, & cap. 42. *Inſipienter loquutus ſum, &c.* In quibus locis maior contradictio eſſe videtur. Nihilominus ad iſta loca reſpondere poſſent facile ſequendo ſententiam aliquorum Expoſitorum, qui dicunt, quod licet *Iob*. in principio ſuæ tribulationis non peccauerit, neque etiam venialiter (in quo ſenſu verificatur illud quod dicitur *cap.* 1. *&* 2.) tamen poſtea aliquale peccatum licèt leue commiſit, defendendo nimis ſuam innocentiam coram amicis, vel dum conquerebatur de iudicio Dei. Sic ſentit *Caietanus*, & alij quos refert *Pineda c.* 39. *& c.* 42. *cit.* Qui dicunt illa verba leuiter, aut inſipienter loquutus ſum referri ad id quod dixit Iob *Vtinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas quam patior in ſtatera, quaſi arena maris hæc grauior appareret*, vel ſecundo referri ad id quod dixit: *Elegit ſuſpendium anima mea*: vel *Tertiò* cum

dixit,

dixit, *ſi flagellat, occidat.* Vel denique quando ſibi promiſit certam victoriam ex iudicio Dei dicens: *Scio quod inueniar iuſtus in iudicio.*

10 Nihilominus multo melius reſpondetur cum *D. Tho.* ſuper eadem verba, quod *Iob* in prædictis locis nec ſtultum aliquid reuera dixit, nec venialiter peccauit, ſed loquutus fuit verba quæ habuerunt aliquam ſpeciem mali, præ nimio dolore cruciatuum quos patiebatur, quod optimè colligit *Sanct. Tho.* ex verbis quæ dixit Deus ad *Iob cap. 38. quis eſt iſte inuoluens ſententias ſermonibus imperitis?* In his ergo quæ loquutus eſt *Iob* nihil ſtultum, ſed ſententias dixit, ſermonibus tamen imperitis, id eſt qui haberent aliquam ſpeciem mali, & apparentiam, & ideò dixit *leuiter & inſipienter loquutus ſum. Diuus* etiam *Gregorius* excuſat alia via Iob à peccato veniali, & à ſtultitia toto tempore ſuæ tribulationis, videlicet quod cum dixit, *leuiter & inſipienter loquutus ſum*, loquebatur comparatiue ad Deum, apud quem etiam noſtræ iuſtitiæ vocantur ſicut *pannus menſtruata*, non tamen quia peccata ſint iuſtitiæ noſtræ: ſic etiam ſententiæ Iob quamuis reſpectu aliorum hominum eſſent ſententiæ, tamen comparatiue ad Dominum erant ſtultitiæ, & loquutiones leues, & multa loca ſacræ ſcripturæ habent hanc expoſitionem. Iſtas vltimas duas expoſitiones *Sanct. Tho. & Sanct. Gregor.* adducit doctiſſimus quidam Thomiſta, & quantum ad *Sanct. Gregor.* veriſſimè dixit, cæterum quantum ad *Sanct. Thom.* non videtur locutus iuxta mentem, & doctrinam eius, quia in illo *cap. 42.* non omnino à leui peccato excuſat Iob, nec de illo intelligit verba illa *cap. 38. quis eſt iſte inuoluens ſententias? &c.* ſed de *Eliu* de quo loquebatur Deus in illis verbis licèt in littera dicatur, *Reſpondens Dominus Iob de turbine, &c* Sic etiam interpretatur *Hugo Cardinalis, & D. Gregor. & Gloſſa*, vnde ſolutio *Caietani* videtur conformiter *Sanct. Thom. in cap. 41.* quamuis in *cap. 38. Iob.* excuſet, & ſolum dicat exceſſiſſe in modo loquendi.

11 Ad *illud de creatione lucis*, Quod lux creata fuit primo die, & tamen Sol dicitur creatus quarto die, reſpondetur quod reuera vtrumque tàm lux, quam ipſa ſubſtantia ſolis creata fuit primo die, de quo videatur *Magiſt. Bañez. 1. p. quæſt. 67. art. 4. dub. 2* Dicitur autem ſol quarto die creatus, non quia tunc ſecundum ſubſtantiam creatus fuerit, ſed per recapitulationem, quia videlicet iterum refertur creatus, vt inter alia ſydera annumeraretur illud quod præclariſſimum eſt. Cuius exemplum eſt etiam in eodem *c.* nam productio mulieris quæ reuera *ſexto* diç facta fuit narratur à ſacra ſcriptura poſt finem omnium dierum; & alia ſunt exempla in ſacra ſcriptura, de quibus videri poteſt *D. Auguſt. lib. 3. de Doctrina Chriſtiana cap. 36.* Reſponderi etiam poteſt cum *D. Thom. 1. p. quæſt. 67. art. 4. ad ſecundum*, ex ſententia etiam *D. Dionyſ. cap. 4. de diuinis nominibus*, quod ſubſtantia ſolis, & lucis fuit producta prima die, ſed quaſi informis, quæ poſteà quarta die formata fuit, & determinata ad particulares effectus in ſole, & ideo dicitur creata quarto die. Verba *D. Thom.* ſunt: *Dicendum eſt vt dicit D. Dionyſius, quod illa lux* (videlicet quæ prima die creata eſt) *fuit lux ſolis, ſed adhuc informis, ſed poſtmodum data eſt ſpecialis, & determinata virtus ad particulares effectus.* Et ſic nulla eſt contradictio in illis locis.

12 Ad *illud* de Abraham, qui emit ſepulchrum ab *Ephron* Reſpondet *Caieta.* quod ille *Ephron*, ſeu Pater eius *Seor* nominatus fuit etiam *Hemor*, atque adeo vno nomine in *Geneſ.* altero in *Actibus Apoſt.* nominatur. Ad locum ex *3. Reg. 8.* dicitur quod in arca erat diſtinctio quædam, ita vt aliquid poſſet eſſe in medio arcæ, & aliquid ad latus: in medio igitur nihil aliud erat niſi tabulæ teſtamenti, & ſic verificantur illa verba; in latere autem arcæ erat virga Aaron, & vrna aurea cum Manna. Hæc autem diſtinctio arcæ aperte colligitur ex *Deuteron. 31.* vbi dicitur: *Tollite librum iſtum, & ponite illum in latere arcæ*, & illud latus non vocabatur arca communiter. Apoſtolus autem latiori vocabulo accepit arcam, & ideò dixit quod erant in illa Tabulæ, & Manna, non ergo eſt ibi aliqua contradictio. Ad locum ex *4. Reg. 8.* Reſpondetur cum *Sanct. Hieronym.* ibi, & cum *Hugone de Sancto Charo*, quod reuera Ioram Pater Ochoziæ vixit 40. annis, ſed tamen quia 20. annis male regnauit, ideò non computantur in ſacra ſcriptura niſi tantum 8. quibus bene regnauit; ſed quia error poſſet in Hiſtoria prouenire ſi illi 10. anni penitus omitterentur, ideò filio eius *Ochoziæ* tribuuntur, qui non amplius quàm 22. annis vixiſſe perhibetur, & vno anno regnaſſe, & tamen in *2. Paralipom.* dicitur, quod 42. annorum erat Ochozias quando cœpit regnare, quod intelligi debet cum additione illorum 20. ſui Patris. Et eſt ſimile illud *1. Reg. 13.* vbi dicitur de *Saul Filius vnius anni erat Saul cum regnare cœpiſſet, & duobus annis regnauit ſuper Iſraël*, quod conſtat non eſſe intelligendum vt littera ſonat: nam 21. annum habebat *Saul* quando regnare cœpit, & per multos annos regnauit. Indicatur ergo in illis primis verbis, quod in principio ſui regni erat humilis, quaſi paruulus in oculis ſuis, poſtea vero ſuperbus: in aliis autem verbis, ſcilicet *duobus annis regnauit* denotatur, vt ait *Hugo & Gloſſa* communis, quod duobus annis iuſtè rexit populum, & in amicitia Dei, poſtea autem fuit quaſi tyrannus, & ideò alij anni non computantur in numero regni ſui.

Ad *Primam* Confirmationem reſpondetur ne- 13
gando antecedens, & ad primam probationem eius dicit *D. Iſidorus*, quod Abraham non fuit mentitus quando dixit vxori, *Dic quod Soror mea es.* Sed vſus fuit quadam æquiuocatione verborum, quia vxores etiam ſorores à maritis vocabantur tunc, imo modo moris eſt apud coniugatos. Dicit ergo ibi: *Vtere mecum nomine fratris, & tace nomen mariti, & Ego vtar tecum nomine ſororis, tacendo nomen vxoris, & ſic nec ego occidar, nec tu captiua duceris*, in quo nullum mendacium fuit. Quod autem poſtea Abimelech conquæſtus eſt quod illum deceperint, nihil probat, quia ipſe ſe decepit non intelligens æquiuocationem, aut diuerſum modum colloquendi inter vxoratos. Præterquam quod verè erat ſoror eius, filia ſcilicet Patris ſui, & non Matris ſuæ, vt patet *Geneſ. 20.* Nec etiam *Ioſeph* mentitus eſt quando dixit, quod erat augur, quia per illud verbum indicabat quod futura prædicebat ex inſpiratione diuina, quod veriſſimum erat, prædixit enim annos pinguedinis, & annos famis validæ, & alia multa, non tamen erat augur ſi accipiatur in malam partem, in qua ipſe non loquebatur, ſed in ſenſu dicto. Ad illud ex *Geneſ. 22.* reſpondet primò *Adrianus quodlib. 1. artic. 1.* quem ſequitur *Magiſt. Cano lib. 1. de locis cap. 4.* Quod Abraham mentitus eſt in illis verbis, ſed tamen non fecit ex

inſtinctu

inſtinctu Dei, ſed ex motiuo proprio vt celaret ſacrificium *Iſaac* filij ſui. Hæc autem reſponſio non placet, ſed ſequenda eſt illa quam tradit *D. Thom quæſt.* 110. *art.* 3. *ad* 3. excuſando viros virtutis exemplaris, qualis erat *Abraham* à mendacio, vnde cum *D. Aug.* in ſerm. de *Iſaac* quos etiam ſequuntur communiter expoſitores, *D. Thom.* in loco, & *Scholaſtici in* 3. *diſt.* 38. dicendum eſt *Abraham* non fuiſſe mentitum in illis verbis, quia quando dixit, *cum adorauerimus, reuertemur ad vos*, certo credebat, & ſperabat, quod licet ſacrificaret filium occidendo illum, reſurrectoris tamen eſſet virtute Dei, vt adimpleret in illo Deus promiſſionem quam ante fecerat de multiplicanda poſteritate Abrahæ per *Iſaac*, & ideò dixit de *Abraham diuus Paulus* ad Hebr. 11. *Vnigenitum offerebat qui ſuſceperat repromiſſiones, ad quem dictum eſt in Iſaac vocabitur tibi ſemen arbitrans, quia & à mortuis ſuſcitare potens eſt Deus.* Vnde ſine mendacio, ſed potius propheticè dixit: *Cum adorauerimus reuertemur ad vos.*

14 Ad *ſecundam* confirmationem reſpondetur negando antecedens, & ad primam probationem eius reſpondet *Caietanus, Lyra, & Scotus in* 3. *diſt.* 38. *quæſt.* 1. quod quando *Iacob* dixit ad Patrem: *Ego ſum primogenitus*, non fuit mentitus propter ius quod habebat ad primogenituram, quam emerat à fratre ſuo Eſau *Gen.* 25. Cæterùm dicendo ſe eſſe *Eſau* mentitus eſt, non quidem ex inſtinctu Dei, ſed ex ſe ipſo, aut ex conſilio *Rebecca* matris ſuæ. Nihilominus verior, & communiſſima ſententia eſt ſanctorum patrum, & Doctorum, quod Iacob in nullo illorum verborum fuit mentitus, ſed verum dixit: ſic *D. Ambroſ. de Iacob, & vita beata cap.* 2. *&* 3. *d. Auguſt. in quæſtionibus ſuper Geneſ. cap* 74. *& lib.* 16. *de ciuit. cap.* 17. *d. Chryſoſt. Homil.* 53. *in Geneſ. & homil.* 6. *ad Coloſ. Innocentius Pontifex c. gaudemus de diuortiis*, & refertur 22. *quæſt.* 2. *cap. quæritur*, & præcipuè *d. Thom.* 2. 2. *quæſt.* 110. *art.* 3. *ad* 3. apparet autem *Iacob* non fuiſſe mentitum in eo quod dixit: *Ego ſum primogenitus tuus* vt dicebant authores primæ ſolutionis, ratione ibi data, & etiã quia diuina ordinatione erat à Deo electus in illam dignitatem maioratus, neque etiam in eo quod dixit, *ſum Eſau*, quia non debet intelligi quod dixerit, ego ſum Eſau in perſona, ſed myſticè, quia etiam nomina propria per tropum, & figuram accipi aliquando in ſacra ſcriptura conſtat ex illo ad Rom. 9. *Non omnes qui ex Iſrael ſũt hi ſunt Iſraelitæ.* Vbi Apoſt. vocat Iſraëlitas metaphoricè eos, qui ſecundum imitationem fidei dicuntur filij *Abraham*; ſed clarius conſtat ex *Matth.* 11. *cap.* vbi Chriſtus Dominus appellat Ioannem Baptiſtam Eliam dicens: *Elias iam venit & ſi vultis recipere ipſe eſt Elias*, non quidem in perſona, ſed quia venit in ſpiritu, & virtute Eliæ. Sic *Iacob* dixit, quod erat Eſau non in perſona, ſed in eo quod habebat ius ad benedictionem Patris ſicut Eſau. *quod ſi contra arguas*: quia Iacob tenebatur reſpondere ad intentionem Patris interrogantis *quis es tu fili mi*? ergò cùm non reſponderit mentitus eſt, reſpondetur negando antecedens, ſi loquamur de intentione quam Pater habebat ex ignorantia; reſpondit autem Iacob ad intentionem quam debuit Pater habere ſi ſciret illam eſſe voluntatem Dei. Et hoc ſatis apertè colligitur ex eo quod Iſaac dixit Eſau, *benedixitque ei, & erit benedictus*, quia in illo ſtu-

Ioan. à S. Thoma in 2. 2. *D. Thom.*

pore vehementi cognouit Dei voluntatem, & ratum habuit quod fecerat, alias benè poſſet mutare ſententiam cognito quod deceptus eſſet à filio, fraus enim & dolus non deberent patrocinari Iacob. Ad illud autem quod ibidem tangitur videlicet, *venit frater tuus fraudulenter* Reſpondetur primò, quod *fraudulenter* ibi ſumitur materialiter, non formaliter, hoc eſt, quod qui myſterium ignorabant poterant iudicare quod ibi eſſet fraus, & mendacium. Secundò reſpondetur quod fraus in ſacra Scriptura ſumitur aliquando in bonam partem, vt Ierem. 20. *Seduxiſti me Domine, & ſeductus ſum*: Vnde d. Paulus *Cum eſſem aſtutus dolo vos cepi.* Et quod illam ſimulationem faceret Iacob propter diuinam reuelationem quam antea habuerat colligi poteſt ex eo quod mater eius cùm conſuluiſſet Dominum eo quod paruuli rixabantur in vtero reſponſum accepit, *duæ gentes ſunt in vtero tuo, &c. & maior ſeruiet minori*, quam reſponſionem veriſimilius eſt quod indicauerit ipſa filio ſuo Iacob, præcipuè quando timens non audebat accedere ad Patrem, ne pro benedictione maledictionem tribueret.

Ad vltimam probationem ſecundæ probationis confirmationis reſpondent aliqui, quod à Tribu Iuda non receſſit ſceptrum; etiam poſt reditum ex captiuitate Babylonis, quia licet tunc eſſet principatus apud Pontifices, & illi eſſent ex tribu Leui quantum ad Patres, erant tamen ex tribu Iuda quantum ad Matres, vt patet in Aaron; qui matrimonio copulauit ſibi Elizabeth filiam Aminadab de tribu Iuda vt patet *exodi* 6. Et licet iſta expoſitio ſatis communis ſit, non tamen placet, tum quia non ſemper Sacerdotes ducebant vxores de tribu Iuda, & dato quod illas acciperent, ſemper, tamen apud Iudæos non indicabantur homines eſſe huius, vel illius tribus propter genus maternum, vt patet quia *d. Paulus ad Hebr.* 6. affirmauit quod Chriſtus non fuit Sacerdos ex tribu Leui, quia Chriſtus fuit ex tribu Iuda, & tamen mater Chriſti, licet paterno genere fuerit ex tribu Iuda, tamen ex materno fuit ex tribu Leui. 15

Melius ergo reſpondetur, quod locus ille debet intelligi non in particulari de tribu illa Iuda ſecundum quod erat tribus diſtincta ab aliis, ſed in vniuerſali de gente illa Iudaica, quæ erat diuiſa in duodecim tribus, & iuxta hanc expoſitionem ſenſus illorum verborum erat, quod ſceptrum regale, & imperium non deficeret de gente iudaica, vſque ad aduentum Meſſiæ. Hanc expoſitionem tradunt grauiſſimi Patres, *diuus Ambroſius in libro de benediction. Patriarc.* qui explicans illa verba relata: *Non auferetur ſceptrum, &c.* dixit, *vſque ad ortum Saluatoris fides regalis ſucceſſionis apud Iudæos integra conſeruata eſt*: & diuus Auguſtinus 18. de ciuitat. capite 45. dixit: *Non defuit Iudæorum Princeps ex ipſis Iudæis vſque ad Herodem.* Euſebius etiam libro 1. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, capite 6. dixit: *Ex quo tempore Principes & Duces ex Iuda, hoc eſt, ex Iudæorum gente, ac familia progeniti Remp. illam regere deſiuerunt, hoc ipſo tempore aduenit Chriſtus.* 16

Contra iſtam tamen expoſitionem argui poteſt, quia Iacob illa verba protulit loquens cum filio ſuo Iuda, & non cum aliquo alio filio, ergò debent intelligi non de tota gente omnium tribuum, ſed ſpecialiter de illa tribu iuda, imò non 17

videtur ratio congrua inuenit ad hoc, vt illa quæ dicebantur de Iuda ad alios filios transferantur, vel ſi loquebatur in illis verbis Iacob cum omnibus filiis eius, quare illud magis voluit proferre quando loquebatur cum Iuda, quam loquẽdo cum aliquo alio filio? reſpondetur quod licet tunc ſpecialiter cum Iuda loqueretur Iacob, tamen benè potuit proferre verba quæ omnibus filiis accommodarentur. Et ratio quare id fecit magis loquendo cum Iuda, quam cum alio filio fuit Quia cognouit quod particularis illa tribus longiſſimo tempore erat habitura ſceptrum, & magna cum maieſtate: Item quia tribus Iudà erat nobiliſſima pars illius populi, & pars præcipua multoties ponitur pro toto populo in ſacra Scriptura, vt patet quia etiam multoties ponitur Sion, vel Ieruſalem pro omnibus Iudæis ſolùm propter excellentiam, & maiorem maieſtatem. Sic in noſtro caſu.

18 Tertiò *Principaliter Arguitur*. Quia multoties Deus per ſe, & per alios loquitur in ſacra Scriptura ironicè; ſed ironia eſt ſpecies quædam mendacij, vt docet *Ariſt. 4. Æthic. cap. 7. & D. Thom. infra quæſt.* 110. *art.* 2. Ergo probatur maior. Quia *Geneſ.* 3. dixit Deus ironicè poſtquam Adamus peccando vidit ſe eſſe nudum. *Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt*. Item *Matt.* 9. dixit Chriſtus: *Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores*, Quod ironicè dictum eſſe docet *D. Chryſoſt. Homil.* 31. *in Matthæum*. Hoc idem comprobatur Deum feciſſe per alios, nam 3. *Reg.* 22. cum interrogaret Rex Iſraël Michæam: *Ire debemus in Ramoth, Galaad ad præliandum, an ceſſare?* Reſpondit Michæas: *Aſcende, & vade proſper, & tradet Dominus in manus Regis, &c.* Item *D. Paulus* 1. *ad Corinth.* 4. etiam ironicè dixit: *Iam ſaturati eſtis, iam diuites facti eſtis, ſine nobis regnatis, &c.*

19 Reſpõdetur, quod ſicut aſſerit *D. Thom. infra quæſt.* 113. *articulo* 1. Ironia eſt duplex, vna eſt quædam loquutio falſa per quam aliquis fingit & de ſe explicat minora quam de ſe verè æſtimat, quæ quidem eſt vitium per extremum oppoſitum iactantiæ, & iſto modo nuſquam Deus loquitur ironicè, & de hac loquitur *d. Auguſt. ſerm.* 29. *de verbis Apoſt.* dicens: *quod quando aliquis humilitatis cauſa fingit in ſe aliquod peccatum quod reuera non habet, eo ipſo peccator eſt, quia illa ironia eſt peccatum, quæ eſt ſpecies peccati.* Alia autem eſt ironia, quæ eſt figurata loquutio vtens verbis quaſi à contrario ſenſu, & irriſorio, ita vt licet verba vnum videantur ſignificare, geſtu tamen, vel affectu ſignificarent aliud, & hæc ironia fit ſine mendacio aliquo, & valdè pertinet ad leporem ſermonis, & hæc inuenitur in ſacra Scriptura multoties in locis adductis in argum. Illud autem Chriſti Domini, *Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores*, non eſt neceſſarium quod intelligatur ironicè dictum, ſed ſenſus eſt, quod Chriſtus principaliter venit propter peccatores in mundum, nam ex vi decreti quo determinatus eſt eius aduentus non fieret niſi *Adamus* peccaſſet, & reliqui in illo.

20 Quartò, *arguitur*, nam Chriſtus Dominus mentiri potuit, imo mentitum eſſe de facto colligitur clarè ex ſacra Scriptura, ergo etiam Deus. Probatur conſequentia, quia omnes actiones Chriſti deliberatè regulabantur, & dirigebantur ab intellectu diuino, & erant illi conformes. Antecedens probatur, nam ſecundum *Ariſt. & d. Thom.* locis citatis in argumento præcedenti, mendacium eſt quòd verbis aut factis, aut nutibus ſignificamus contra id quod habemus in mente: ſed Chriſtus Dominus nutibus, & factis ſignificauit aliquid contra id quod in mente habebat quando ſcilicet euntibus diſcipulis in Emmaus finxit ſe longius ire, cuius intentionem nõ habebat, ſed potius erat in mente, & animo ibi remanere; ergo mentitus eſt. *Confirmatur primò*, quia ſi Verbum diuinum aſſumeret naturam humanam deſtitutam omni dono ſupernaturali, vt fieri potuiſſe ſupponimus ex dictis à nobis in materia de incarnatione, tunc intellectus Chriſti non haberet aliquam ſcientiam, aut cognitionem qua dirigeret operationes, vel loquutiones ſuas; ergo ſicut modo homines ex defectu cognitionis mentiuntur & falſum proferunt, ſic poſſet facere Chriſtus, & conſequenter ipſe Deus. *Confirmatur ſecundò*: quia ſecundum fidem eſt certum quod Chriſtus mori potuit in natura aſſumpta; ergo erit verum affirmare, quod potuit mentiri in natura humana? Probatur conſequentia, quia ſicut Verbum aſſumens talem naturam eſt ſumma vita, ita etiam eſt ſumma veritas, ſed non repugnat ſummæ vitæ mors in natura aſſumpta, ergò nec etiam repugnabit ſummæ veritati mendaciũ in eadẽ natura. Patet conſequẽtia quia non videtur aliqua ſpecialis repugnantia in vno quã alio.

Reſpõdetur quod olim fuit quorumdam error 21 dicentium Chriſtum Dominum mentitum fuiſſe, vt refert *diuus Auguſtinus ſerm.* 192. *de tempore*, ſed tamen vt patet ex noſtris concluſionibus, & earum probationibus conſtat Deum non poſſe mentiri per Chriſtum vt hominem, ſiquidem nec poteſt per miniſtrum aliquem qui non ſit Deus per vnionem hypoſtaticam. quare ad argumentum reſpondetur ex doctrina *d. Auguſt. lib. de quæſtionibus Euangelij*, quam adducit *d. Thom.* 3. *part. quæſt.* 55. *art.* 4. *ad* 1. dicens: *Non omne quod fingimus mendacium eſt, ſed quando illud fingimus quod nihil ſignificat, tunc eſt mendacium: cùm autem fictio noſtra refertur in aliquam ſignificationem non eſt mendacium, ſed aliqua figura veritatis, alioquin omnia quæ à ſapientibus viris, vel etiam à Domino figuratè dicta ſunt, mendacia deputabuntur: ſicut autem dicta, ita etiam finguntur facta ſine mendacio ad aliquam rem ſignificandam.* Ex quibus verbis apertè patet quod Chriſtus quandoque finxit ſe longius ire, non eſt mentitus, quod obſeruauit etiam *diuus Gregorius Homil.* 23. *in Euangelia*, vbi dixit: *fingere namque, componere dicimus, vnde & compoſitores luti figulos vocamus*, nihil ergo ſimplex veritas per duplicitatem facit, ſed talem ſe eis exhibuit in corpore, qualis apud illos erat in mente: vel voluit ſe ſignificare longius iturum in cœlum, interim tamen velle hoſpitio ab ipſis recipi.

Quod *ſi adhuc contra arguas*: Quia Chriſtus 22 non ſolùm nutibus, aut factis, ſed etiam verbis aliquid fecit contra propriam mentem, ergo reuera mentitus eſt: *Probatur antecedens*. Nam Ioan. 7. dixit Chriſtus Dominus diſcipulis ſuis: *Vos aſcendite ad diem hunc, ego non aſcendam*. Et in eodem cap. dicitur, quod reuera Chriſtus non aſcendit, ergo verbis ſignificauit aliquid contra propriam mentem. *Ad hanc replicam* dupliciter reſpondetur: *primo*, quod in illis verbis voluit dicere Chriſtus quod nullatenus aſcenderet ad diẽ feſtum, ſed quod non aſcenderet cum Diſcipulis

ſuis

ſuis, ſed ſeorſum, quod eſt ſatis conforme textui græco. vbi legitur: *Ego non aſcendo* de præſenti, quaſi diceret, non aſcendo modo vobiſcum: *Secundo reſpondetur*, quod in illis verbis indicare voluit quod non eſſet aſcenſurus palam, & manifeſtè, ſed in occultò, & hoc modo dicitur poſtea aſcendiſſe. Hac autem ratione interpretari debet illud quod dicitur 1. Reg. 15. *Quod Samuel non vidit amplius Saulem*, id eſt manifeſtè, ſed occultè ſine cultu regio, nam conſtat ex c. 19. quod iterùm vidit illum nudum, prophetantem inter Prophetas.

23 Ad *primam confirmationem*, Reſpondetur negando conſequentiam, vt enim conſtat ex dictis à nobis in materia de incarnatione, Deus in qualibet alia natura non vnita hypoſtaticè benè poteſt permittere peccata & errores, hoc autem omnino repugnat permittere in natura ſibi hypoſtaticè vnita. Et ratio eſt, quia ſuppoſitum illud diuinum gerebat vices ſuppoſiti humani, atque adeo ad ipſum ſpectabat non permittere in natura humana aliquem errorem, aut aliquod peccatum, aliàs voluntaria iſta eſſent ſuppoſito, quod impleat, tenebatur ergo illud ſuppoſitum diuinum dirigere ſpecialiter illam humanitatem, ne in aliquo erraret, vt talis error non tribueretur Deo, quia intellectu humano Chriſti errante, neceſſarium erat quod diuina voluntas Verbi illum errorem vellet ſaltem tanquam moralis cauſa.

4 Ad *ſecundam confirmationem*, Reſpondetur negando conſequentiam; ad cuius probationem dicimus, eſſe valdè diſparem rationem inter mortem ex vna parte, & errorem, aut falſitatem, ex altera, quia mors cum tantum dicat priuationem vitæ, quæcumque illa ſit, & tantum habeat rationem mali naturæ, bene poteſt reperiri in natura humana aſſumpta, & à Deo approbari, quia non moritur in ſe Deus ſed in natura ſibi extrinſeca. cæterùm peccatum, aut error, vel falſitas ſunt mala moralia, vel principalia proxima mali moralis, vnde ſi Deus eſſet cauſa moralis illorũ, abſolutè diceretur peccare, & poſitiuè errare, aut decipere, quia tenebatur regere humanitatem illam ſecundum regulas rectæ operationis. Quare ſi illa humanitas deficeret moraliter, ſuppoſitum diuinum denominaretur peccans, aut errans,

25 quod eſt omninò impoſſibile.

Quintò *arguitur*, quia Deus obligat homines, vt ſequantur conſcientiam erroneam; ergo ipſe Deus eſt author erroris, atque adeo mentiri non poteſt. *probatur antecedens*, quia communiter fatentur Theologi contra durandum quod ſequi tenemur illam conſcientiam erroneam, eo quod voluntas debet ſequi iudicium intellectus, cum dependeat eius actus ab obiecto ſecundum quod per iudicium rationis proponitur, ergo ſi proponitur aliquid ſub ratione boni tenetur voluntas illud proſequi, aliàs peccaret, quia fugit quod ſub ratione honeſti repræſentatur, ſicut ſi aliquid quod reverà licitum eſt proponeret tanquam illicitum tenetur voluntas illud no proſequi; *Conſequentia autem probatur primò*, quia iſta obligatio non prouenit ex aliquo præcepto humano; ergò prouenit ex diuino; quod docuit *D. Tho. in* 2. *diſt.* 39. *art* 3. *in corp. & in ſol. ad* 1. *&* 2. Et probatur ratione, quia quando conſcientia erronea dicta aliquid eſſe faciendum, vel non faciendum, hoc non facit intimando illud, quaſi proprium placitum hominis, ſed tanquam præceptum diuinum, ergo ex hoc vltimo prouenit obligatio ſequendi talem conſcientiam. *Probatur iſta conſequentia* exemplo aperto, quia quando imperium Regis non venit immediatè ad ſubditos eius, ſed mediante aliquo Gubernatore, tunc ſi talis Gubernator proponeret aliquid eſſe iuſtum à Rege licet reverà non eſſet, teneretur populus obedire; non quia talis Gubernator propria virtute obligat ad obediendum, ſed quia intimat illud eſſe Regis præceptum; ergo ſimiliter conſcientia erronea non obligat virtute propria, ſed quia proponit illud eſſe præceptum diuinum.

Reſpondetur quod Deus non obligat nos per ſe vt ſequamur conſcientiam erroneam, ſed ſolum vt non faciamus aliquid quod iudicamus eſſe malum, & contra Deum, quod quidem bonũ eſt, contingit autem per accidens quod illud quod non ſequimur exiſtimantes eſſe malum, ſit bonũ, & ex ignorantia proponatur voluntati tanquam malum *Quod ſi iterum arguas*, quia qui præcipit finem præcipit etiam medium neceſſarium ad talem finem, ſed præcipit Deus ſequi conſcientiam erroneam, ergo etiam præcipit medium omninò neceſſarium ad illum finem. 26

Rurſus, ſed ad talem finem hic non eſt neceſſarium dicere mendacium ſuppoſita conſcientia erronea, ergo lex diuina, quæ obligat ad ſequendam conſcientiam talem obligat conſequenter ad proferendum mendacium, quod eſt medium ad illum finem. *reſp. diſtinguendo maiorem*, qui præcipit finem; præcipit etiam medium neceſſarium, ſi illud medium ſit per ſe neceſſarium, *concedo maiorem*: Si autem illud medium ſit neceſſarium per accidens, & ſuppoſita conſcientia erronea, *Nego maiorem*: ſicut homo appetit beatitudinem ſupernaturalem quæ haberi non poteſt in hac vita, imò vt aliqui volunt appetitu naturali, non tamen appetit mortem appetitu naturali, quia mors non eſt medium per ſe ad beatitudinem, ſed per accidens: idem dicendum eſt in noſtro caſu. Præterquam quod poteſt talis homo non facere contra conſcientiam erroneam deponendo illam, quare nullo modo concedendum eſt, quod Deus nos obliget ad mendacium, vel ad aliquod malum faciendum. 27

Sextò, & vltimò arguitur; quia veritas Dei defectibilis eſt, ergo fides quæ innititur illi poterit inclinare ad falſum, antecedens probatur, nam illa veritas quæ indiget firmari aliquo alio ſupponitur defectibilis, alias nulla confirmatione indigeret, ſed veritas Dei multoties ad ſui confirmationem adducit iuramentum quo firmetur, vt patet Geneſ. 22. *per me metipſum iuraui quia feciſti hãc rem, benedicã tibi, &c.* & pſal. 88. *Iuraui Dauid ſeruo meo, vſq; in æternum præparabo ſemen tuum*. ergo talis veritas diuina ſine iuramento defectibilis erat, & decipere poſſet, aliàs omnino impertinenter iuramẽto confirmaretur, quod dici nequit. *Confirmatur*, quia licet Deus non poſſit eſſe cauſa peccati, vt latè dici ſolet 1. 2. q. 79. *art.* 1. *ad* 2. tamen poteſt eſſe cauſa aſſenſus falſi quem habet homo inculpabiliter in ſuo intellectu; ergo poterit Deus ad mendacium inclinare. *antecedens probatur*, quia falſus ille aſſenſus non eſt culpabilis, ergo non repugnat quod Deus ſit cauſa illius. *Conſequentia vero probatur*, quia qui inclinat ad falſum decipit circa veritatem rei, cum inclinet ad rem aliter quam eſt, ergo ſi Deus ad falſum inclinat poterit nos decipere. 28

Reſpondetur negando antecedens, & ad eius 29

probationem dicitur, Quod diuina veritas de ſe ita infallibilis,& firma eſt,vt non indigeat firmari aliquo alio,neque etiam iuramento, quia iuramentum nullum robur illi addit ſecundum ſe. Quod verò aliquando Deus dicta,aut promiſſa ſua iuramento firmauerit, nullatenus prouenit ex defectu veritatis eius,ſed loquitur Deus more noſtro, qui veritates noſtras iuramento firmamus, vt alij maiorem, & certiorem nobis adhibeant fidem; Deus autem ita infallibiliter dicit ſine iuramento, atque cum illo. *Ad Confirmationem.* Reſpondetur ex *tertia concluſ.* videlicet quod Deus nec peccati, nec aſſenſus falſi poteſt eſſe cauſa directa,& poſitiua,ſi peccatum aut falſum accipiantur formaliter, benè tamen ſi accipiantur materialiter, nam hoc ſecundum non repugnat Deo ſicut primum,rationibus adductis in illa *tertia concluſ.*

30 Plura *alia* argumenta fieri poſſent ex diuerſis locis Scripturæ ſufficiant dicta,& verba *D. Auguſtin.* aduertere, *epiſt.* 19. *ad Hieronym* & habetur in cap. *Ego ſolis*, diſt. 9. *Si aliquid* (inquit) *in Scripturis offendere, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud exiſtiment quam mendoſum eſſe codicem, vel non eſſe aſſequutum interpretem quod dictum eſt, vel me minimè intellexiſſe aut ambigam.*

31 Reſtat ſecundum punctum ſuprà in initio præcedentis articuli explicare, vt clarius infallibilitas fidei nobis innoteſcat. Vtrum videlicet aliquod falſum poſſit ſubeſſe fidei ex homine credente,id eſt, An ex ignorantia inuincibili,vel ex deceptione alicuius putans ſe verum credere poſſit falſum attingere.

Reſolutio huius dubij ſequenti concluſione declaratur,

1 Fidei ſupernaturali non poteſt ſubeſſe falſum etiam per accidens,& materialiter, ex eo quod aliquis exiſtimet tamquam de fide id quod de fide non eſt inuincibiliter, ſed ſi tunc credit, non credit fide infuſa,ſed acquiſita. Hæc ſententia communis eſt inter Theologos,& à *D. Th.* intenta in hac *quæſt.* 1. *a.* 3. Nam in ſolutionibus argumentorum nullam deceptionem, neque etiam materialem, & per accidens in Fide admittit,& idem ſignificant verba *Concil. Trident* ſupra relata, quod certitudo fidei talis eſt, quod non poteſt illi ſubeſſe falſum; ſi autem materialiter, & per accidens fides poſſet aſſentiri falſo, vtique certitudini eius poſſet ſubeſſe falſum. Cæterùm non ita facilè reddi poteſt ratio huius concluſionis; eo quod inuenimus à ſimili, quod poteſt prudentia etiam ſupernaturalis ferri in aliquid, quod in re ſit falſum,ſed probabiliter iudicatur conueniens,& rectum, eo quod prudentia non fertur in verum, prout eſt in re, ſed prout iudicatur conueniens iuxta regulas rationis & ſimiliter virtutes etiam ſupernaturales, vt Charitas, poſſunt ferri in aliquid, quod apparet bonum, licèt in re non ſit,ſicut poteſt benefacere pauperi,qui talem ſe fingit, & Iuſtitia dictat aliquid eſſe reddendum,quod in re non debetur, ſolum quia probatur deberi; & religio adorat hoſtiam, quæ proponitur vt conſecrata, licet conſecrata non ſit;Similiter ergo diceret aliquis quod fides ſolum formaliter fertur in verum, id eſt, in quantum iudicatur, & proponitur modo prudentiali ad credendum, licet in re falſum. Et ratio eſt, Quia fides dirigitur circa credibilitatem rerum à prudentia; ergo ſufficit quod res aliqua prudentialiter appareat vera, & proponatur tamquam de fide, non verò quod in re ſit vera. Et ſic explicari poteſt locus *Concilij Trident.* Quod certitudo fidei eſt, cui non poteſt ſubeſſe falſum formaliter, & prudentialiter, non autem etiam materialiter, & per accidens.

Nihilominus ratio *D. Thom. in art.* 3. ſi rectè expendatur valdè efficax eſt, & apertè diſcriminat fidem ab aliis virtutibus quantum ad hoc, quod non poſſit tendere in falſum etiam materialiter, & per accidens. *Et ratio D. Thom. eſt*, Quia nullus habitus, vel potentia poteſt ferri in aliquod obiectum etiam materiale, & per accidens, niſi ſubiiciatur ſuæ rationi formali,& ſub illa attingatur, ſicut oculus non poteſt attingere obiectum,niſi ſub luce: ſed formalis ratio fidei ſupernaturalis eſt veritas prima vt reuelans; ergo non poteſt aliquod obiectum materiale attingere niſi vt ſubeſt tali veritati; ſed ſub prima veritate teſtificante nullum falſum poteſt contineri, ergo repugnat quod fide diuina attingatur aliquod falſum etiam materialiter, & per accidens. Primus ſyllogiſmus eſt legitimus,& *maior omnino certa*, Quia ſi aliquis habitus attingeret aliquod obiectum materiale, & non ſub ratione formali propria excederet ſuum proprium ſpecificatiuum; ergo excederet ſuam propriam ſpeciem, ſeu eſſentiam ſpecificatam. *Minor autem etiam eſt certa ex ſupra dictis*, vbi oſtendimus primam veritatem eſſe obiectum formale fidei,vt teſtificans eſt. *Antecedens duplici enthymemate conſtat*, Quia illud continetur tamquam obiectum materiale ſub teſtificatione diuina quod ab illa denominatur vt teſtificatum, & dictum, obiectum enim materiale denominatur à formali; ergo oportet, quod obiectum materiale fidei ſit teſtificatum, & prolatum à Deo; ſed veritas prima nullo modo poteſt proferre falſum, alias deuiaret à veritate; ergo non poteſt aliquid falſum contineri ſub diuina veritate teſtificante,& in hoc conſiſtit tota vis huius rationis, per quam diſcriminatur fides à prudentia, & reliquis virtutibus, quibus per accidens, & materialiter poteſt ſubeſſe falſum, nam obiectum fidei vt ſit materiale contentum ſub formali debet eſſe teſtificatum,& dictum à Deo,non vero ſola noſtra ratione inquiſitum, aut propoſitum;implicat autem quod ſit dictum à Deo, & ſit falſum: obiectum autem prudentiæ, & aliarum virtutum, quæ à prudentia gubernantur non eſt dictum à Deo, ſed ratione noſtra diſpoſitum, & inquiſitum,& ſic non repugnat, quod in re ſit falſum, dummodo conuenienti modo ſit propoſitum. 2

Dices: Ratio formalis fidei eſt teſtimonium diuinum verè, vel prudentialiter exiſtimatum tale, eo quod in aſſenſu fidei mouetur aliquis iuxta prudentem propoſitionem rerum, ad prudentiam autem ſufficit exiſtimatio rationabilis, non autem requiritur quod in re ſit talis. *contra eſt*, Quia ſi hoc ſufficit ad ſpecificam rationem fidei; ergo fides ex ſua ratione formali non inclinabit in obiecta ſub infallibili certitudine, & per modum virtutis, ſed modo fallibili, atque adeò non ſolùm per accidens, & ex ignorantia inuincibili credentis, ſed per ſe, & ex ipſa ratione formali erit fallibilis. *Patet conſequentia.* Quia ex ſua ſpecie, & formali 3

ratione

ratione innititur fides teſtimonio diuino, vel vero, vel exiſtimato; ergò ſolum petit illud diſiunctum, ſcilicet verum vel exiſtimatum, ſed vna pars illius diſiuncti eſt fallibilis, ergo ſi ſufficit ad conſtituendam ſpeciem fidei vna pars diſiuncti, ſcilicet teſtimonium exiſtimatum, ſufficiet aliquid fallibile; ergo non ſolum per accidens, & materialiter, ſed ex ipſa ſpecie ſua formali fides erit fallibilis: at hoc nullus dicet, cum fidei certitudo ſupernaturalis ſit ex ſpecie ſua, & ſubſtantia rerum ſperandarum; imo ſequeretur quod fides non eſſet virtus, quia ad rationem virtutis requiritur quod firmiter procedat, non infirmiter, nec fallibiliter, virtus enim & infirmitas opponuntur; non procedit autem firmiter ſi ſolum exiſtimato teſtimonio fertur, nam exiſtimatio noſtra ab intrinſeco falli poteſt, & de facto ponitur caſus quod in re falſum attingat. *Denique* ſequeretur quod fides infuſa poſſet manere in Hæretico, quia ipſe aliquando exiſtimat ſe rectè ſentire, illumínatumque eſſe; ergo ſi ſufficit teſtimonium exiſtimatum non eſt cur non poſſit manere in Hæretico. Et ſi dicatur requiri quod illa exiſtimatio ſit certa. *Contra eſt*, quia vel debet eſſe certus de illa certitudine fidei, ita quod in re ita ſit, & tunc redit argumentum, quod in re non poteſt eſſe certus ſi in re falſum attingit: ſi autem exiſtimatio illa non eſt certa certitudine fidei, ergo eſt fallibilis, & ſic ſi fides ex ſua ſpecie innititur teſtimonio exiſtimato, fallibili modo nititur.

4 *Ex his* patet ad oppoſita exempla. Prudentia enim innititur teſtimonio diuino, ſed regulis rationis quæ de ſe arbitrariæ ſunt, & contingentes, nec regulantur veritate phyſica, ſed morali conuenientia; ſimiliter charitas reſpicit bonum propoſitum per rationem, & ita vbi proponitur aliquid vt amabile propter Deum, fertur in illud ſic propoſitum, ſiue exiſtat in re, ſiue non, hoc enim non poteſt a regula charitatis ſciri. quod vero additur de hoſtia non conſecrata quæ proponitur adoranda. *Reſpondetur*, adorandam eſſe in particulari ſine vlla conditione, quandiu non eſt ratio dubitandi quod non ſit conſecrata, non tamen credi à fide hanc hoſtiam in particulari, ſed ſolum ſecundum rationem communem Sacramenti Eccleſiæ, vt affirmat *D. Thom. in hoc articulo 3. ad 4.* Ratio diuerſitatis eſt, quia adoratio eſt actus religionis, & cultus qui eſt actus virtutis moralis, & ſic regulatur à prudentia, quæ omnium virtutum moralium directiua eſt, prudentia autem dictat abſolutè & ſine conditione hanc hoſtiam numero eſſe adorandam, quia nulla ratio dubitandi in particulari ſe offert ad oppoſitum, nec reſpicit quid in re ſit, vel non ſit, ſed ſolum quid appareat ad dubitandum, vel non dubitandum: adoratio autem ſub conditione naſceretur ſuppoſita aliqua dubitatione, quæ hic non apparet (vt ſuppono) At vero fides non regulatur in credendo a prudentia, ſed à teſtimonio diuino reuelante; teſtimonium autem diuinum ſolum reuelat, quod quælibet hoſtia ritè conſecrata continet corpus Chriſti. quod vero iſta vel illa ſit ritè conſecrata hoc non eſt reuelatum, neque per communem acceptationem Eccleſiæ determinatum ſicut determinatur quod hæc perſona Pontificis eſt ritè electa quia acceptatur pacificè à tota Eccleſia. Vnde hanc hoſtiam numero eſſe ritè conſecratam non eſt materia fidei, ſed ſolum quod ſuppoſita conſecratione in illa eſt corpus Chriſti.

Soluuntur Argumenta.

Ex his denique ſolutæ manent aliæ obiectiones, ſeu exempla quæ opponi ſolent. Nam verbi gratia, pueri, vt perueniunt ad vſum rationis, & incipiunt exercere actus fidei, & ſimiliter homines Ruſtici non credunt, niſi prout audierunt à ſuis Parochis, vel parentibus ſine vlla diſcuſſione, ergo ſi contigerit audire ab illis tanquam de fide certum, quod in re ſit falſum, credent illud tanquam de fide: & tamen in re falſum erit. ergo. *Vrgetur argumentum*, Quia illi pueri, aut ruſtici, qui non habent alium à quo inſtruantur, niſi parentes, vel parochos, ſi audiant ab illis rem aliquam eſſe definitam de fide quam credere teneantur, ſi non credant, peccabunt, quia facient contra dictamen de obligatione credendi. Si autem credere velint, non poſſunt, quia (vt diximus) non poteſt talis aſſenſus procedere à fide infuſa, credere autem fide acquiſita non ſufficit quia proponitur ipſis, quod credant fide diuina: ergo manebunt perplexi. 1

Secundo eſt illud argumentum vulgare de tempore natiuitatis Chriſti, tunc enim in lege veteri fides dictabat Chriſtum eſſe naſciturum, ergo ſi in illa nocte natiuitatis aliquis continuaret illum actum fidei, *Chriſtus naſcetur*, & ipſo continuante naſceretur, iam incipiebat falſificari ille actus & tamen continuabatur prior aſſenſus fidei, ſiquidem nulla mutatio intercedebat ex parte credentis: ergò. 2

Reſpondetur *ad primum*, quod in credendis his quæ de nouo dicuntur diffinita nullus prudenter mouetur ad credendum ex nuda relatione priuata, ſiue fiat a parentibus, ſiue à parochis, ſiue ab aliis, ſed ex ſolemni & iuridica promulgatione, ex notitia illius ſufficienter facta, quod conſtet non eſſe nudam narrationem priuato modo factam, ſed authenticam, quod ſi alio modo credat, leuiter credit, & ſic non mirum quod à fide infuſa non procedat. quod ſi demus quod iuridicè promulgetur per fictionem tanquam diffinitum de fide, vel à multis affirmetur ſic eſſe promulgatum, & tamen in re ſit falſum, tunc fides ex tali deceptione fertur in falſum. *Reſpondetur*, quod (vt ſupra diximus) fides non fertur in propoſitionem rerum, vt ſit ab iſto, vel illo proponente in particulari, qui eſt inferior miniſter, & poteſt fallere, vel falli, nec habet aſſiſtentiam Spiritus Sancti infallibilem, ſed directè fertur in propoſitionem Eccleſiæ Catholicæ, vt deſcendit à Pontifice, qui errare non poteſt, & ita ſi hoc quod iſte Miniſter proponit eſt falſum non periclitatur fides, quia non elicit aſſenſum circa rem propoſitam abſolutè, & vt eſt ab iſto Miniſtro, ſed vt eſt propoſitum ab Eccleſia, quantumuis enim ſit Ruſticus ſemper credit id quod credit Eccleſia, & hoc virtualiter includitur in omni actu credendi, & ita ſi talis res non eſt definita non creditur à fide. Si verò aliquis feratur in rem illam omnino abſolutè, & non ſupponendo illam conditionem quod eſt definita verè ab Eccleſia catholica, non credit fide infuſa, ſed acquiſita, vnde ceſſat omnis perplexitas, quia numquam 3

proponitur alicui aliquid credendum ſub præcepto niſi mediante Eccleſia Catholica, à qua tale præceptum emanat, ſicut definitio etiam fidei. Si autem falſo alicui dicatur eſſe præceptum, quod in re non eſt non debet credere prout dicitur ab iſto, ſed ſi ita eſt ab Eccleſia propoſitum, quovſque ſibi magis in particulari conſtet ita Eccleſiam proponere, vel quia videt ſic communiter ab aliis credi, vel quia videt ſic in Eccleſia iuridicè promulgari.

4 Ad *ſecundum reſpondetur* ex *Diu. Thom. hic quæſtion. prima, articul. 3. ad 3.* Quod fides antiquorum ante aduentum Chriſti non ferebatur in circunſtantiam determinatam temporis, in qua Chriſtus naſceretur, quia hoc non erat expreſſum in ſcriptura, ſed quod naſceretur circa illa tempora plus, vel minus, vnde ſi vellet tunc fidelis elicere actum fidei, & determinare circunſtantiam temporis, illa determinatio non attingeretur à fide, quia nihil in particulari de illa dictabat: ſi autem ſine determinatione temporis diceret illa nocte, quod *Chriſtus naſcetur*, hoc ipſo quod determinatè loqueretur de futuro, non ſolum intelligens, quod circa illa tempora naſceretur Chriſtus, ſed in qualibet prolatione determinando, quod etiam reſpectu illius inſtantis adhuc de futuro Chriſtus naſceretur, in hoc loqueretur humana coniectura quantum ad illam determinationem temporis, quia hoc non determinabat fides (vt dictum eſt) vnde circa illa tempora nullus poterat determinatè de futuro, vel de præterito credere fide diuina, quod Chriſtus veniſſet, ſed ſed ſolum quod circa illa tempora veniret, & omnis alia determinatio erat humanæ coniecturæ, quovſque per prædicationem Chriſti, vel miracula, & ſigna, manifeſtatum eſt iam veniſſe.

5 Ex dictis in iſto articulo conſtat nobis veritas, & infallibilitas fidei, cui neque ex Deo dicente, neque ex homine poteſt falſum ſubeſſe; innititur enim prima veritate reuelanti, cuius certitudo valde reuerenter eſt obſeruanda à concionatoribus, taliter quod contra reuerentiam illi debitam facit, & iniuriam ei infert qui in concionibus vtitur mendaciis, aut falſis, & fictitiis miraculis ad confirmandas res fidei, vel ad confirmandos fidelium mores: propter quod dicitur Iob 13. *Nunquid Deus indiget noſtro mendacio, vt pro illo loquamini dolos?* Quod latè proſequitur, & confirmat D. Auguſtin. *in libr. contr. mendac.* & præcipua ratio huius habetur *cap.* 4. Quis ſi ſic fides propagaretur, ſcilicet mendaciis, periclitaretur ſanè dum quis ſemel comperto mendacio vno, de aliis merito inciperet dubitare, imò qui cum mendacio confirmat fidem quantum eſt ex parte ſua, mendacem facit Chriſtum, & Eccleſiam cuius legatione Prædicator fungitur Deo exhortante per ipſum, vt aſſerit *D. Paulus 2. ad Corinth.* 5. Et ob hanc cauſam *in Concilio Lateranenſi 3. ſub Iulio II. & Leone X. ſeſſion.* 11. excommunicantur qui in prædicationibus ad populum miracula falſa, aut incerta, aut Prophetias quæ ex ſacra Scriptura non conſtant prædicare auſi fuerint, verum autem eſt quod *Dominus Caietanus in ſumma verb. Excommunicatio capit.* 81. circa finem dubitat an iſta excommunicatio, & ſimiles aliæ illius Concilij fuerint vſu receptæ, & idem dubitat noſter *Bartholomæus Carranca* in ſumma conciliorum in fine illius tertij Concilij Lateranenſis. Hæc tamen omnia intelligi debent quando Prædicator ordinat mendacium ex propoſito ad confirmationem rerum fidei, nam aliàs ſi mendacium diceret leue, aut allegaret falsò teſtimonium alicuius Sancti, vel Prophetæ, ne ſuam inſcientiam, aut oblivionem proderet, non eſſet mortale peccatum, ſed veniale graue ſecundum circumſtantias temporis aut loci, ſi autem in re graui mentitur, aut ex propoſito, & deliberatè falſo allegaret Prophetam aut Sanctum, peccatum mortale committeret.

DISPVT. III.

De pia Affectione Voluntatis ad credendum.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum pia affectio voluntatis concurrat ad ſpecificationem fidei

SENSVS *dubij eſt*, an ſpecies illius 1
actus credendi, quod ſit aſſenſus potius quam diſſenſus circa res credendas dependeat ex affectu, & motione voluntatis; An verò ſolùm dependeat iſte actus quoad exercitium ab actu voluntatis ad hoc vt egrediatur, vel non egrediatur, An vero dependeat quoad ſpecificationem, & ex parte obiecti mouentis; ſpecificatiuè omnis enim motio ſpecificatiua tenet ſe ex parte obiecti, ſicut motio quoad exercitium ex parte ſubiecti.

Difficultas autem conſurgit ex duobus. *Primò*, Quia aliquando ſaluatur ſpecies, & eſſentia fidei ſine pia affectione, vt patet in Dæmonibus, qui credunt, & contremiſcunt, quaſi coactè credentes propter euidentiam ſignorum. Et ſimiliter quando credo Romam eſſe, ex tanta multitudine teſtium ſine vlla motione voluntatis credo; ergo non requiritur ad ſpecificationem fidei acquiſitæ affectus credendi, ergo neque ad infuſam; poteſt enim proponi cum tanta euidentia credibilitatis ſicut acquiſita. *Secundo*, Quia non apparet quid voluntas ponat ex parte obiecti formalis fidei, vt moueat intellectum præſertim ſpeculatiuum, in quo eſt fides, vt ſuppono ex *Diuo Thoma hic, quæſtione quarta, articulo ſecundo, ad tertium.* Nam cum illud obiectum ſit de ſe inſufficiens ad monendum, aliàs ſi eſſet inſufficiens non indigeret voluntatis motione, oportet quod iſta inſufficientia ſuppleatur ex parte ipſiuſmet obiecti; voluntas autem ex parte obiecti addere non poteſt niſi denominationem voliti, quæ denominatio non ſpecificat, neque complet ſpecificationem obiecti intellectus; ergo non poteſt dici, quod motio voluntatis intret ſpecificationem fidei, ex eo quod obiectum eſt inſufficiens; aut explicetur quomodo hæc inſufficientia per actum voluntatis ſuppleatur.

Nihilo

3 Nihilominus *dicendum eſt*, affectum voluntatis requiri ad ipſam ſpecificationem actus credendi in tantum quod vt bene notat *Caietanus* 2. 2. *quaſtio*. 171. *articul*. 1. Lumen fidei non eſt lumen intellectuale, vt ſic, ſed eſt lumen intellectus vt moti a voluntate, neque illuminat intellectum intra limites intellectus, ſed vt ſubeſt voluntati. Et *D. Thom.* perpetuo docet obiectum fidei non mouere ſufficienter in ratione obiecti ipſum intellectum, & ideò indigere motione voluntatis; ergo ſuppletur per voluntatem, id quod ſe tenet ex parte obiecti, & conſequenter id quod ſe tenet ex parte ſpecificationis obiecti fidei; de quo videri poteſt hic *quaſt*. 1. *art*. 4. & *quaſtio*. 14. *de veritate articul*. 1. *ad* 3. & 9. vbi ait. *Quod eſt ex parte voluntatis eſt eſſentiale fidei* Et hoc etiam ſenſu accipitur verbum Auguſtini Tractatu 26. in Ioann. *Credere non poteſt aliquis niſi volens*. ſumitur etiam hoc ex *Concilio Arauſicano Canon*. 2. *cap*. 5. vbi inquit. *Quod credulitatis affectus quo in eum credimus, qui iuſtificat impium datur nobis Spiritus ſancti ſpiratione corrigente voluntatem noſtram ab infidelitate ad fidem*. Si ergo voluntas corrigitur vt credat; ergo requiritur voluntas ad credendum; & non requiritur ſolum quoad exercitium; ergo quoad ſpecificationem. *Minor probatur*. Nam voluntas quoad exercitium etiam requiritur de facto ad credendum, & ad exercendum actum demonſtrationis, & ſcientiæ, nec tamen propterea dicimus quod ad ſciendum debet corrigi voluntas, & inſpirari affectus, ſiquidem ſcientia & demonſtratio etiam cogit inuitum, & nolentem. Nec indiget corrigi voluntas, vt ex non ſciente reddatur ſciens, ſed ſufficit proponi intellectui demonſtrationem; & ex alia parte motio quoad exercitium non corrigit ab infidelitate ad fidem, nam poſtquam eſt quis fidelis, & habet habitum fidei, adhuc indiget motione voluntatis quoad exercitium ad credendum de facto, & tamen non corrigitur ab infidelitate ad fidem; ergo illa voluntas corrigens non ſolum requiritur ad exercitium, ſed etiam ad ſpecificationem.

4 Et *ratio eſt*, Quia in actu fidei intellectus non habet cauſam neceſſitantem eius aſſenſum ex parte obiecti ſpecificantis; ergo obiectū ſpecificans in fide ſolum inducit aſſenſum voluntarium, & non neceſſarium; ergo ex ſua ſpecie, id eſt, ex vi obiecti dependet à motione voluntatis liberè. *Antecedens patet*, Quia obiectum ſpecificans actum fidei eſt veritas inuidens; ergo inſufficienter mouens, ſi enim eſt inuidens, ergo non ſufficienter mouens, latetque intellectui pro ea parte qua non videtur, & ſi latet non mouet ſufficienter; ergo neque conuincit, aut neceſſitat intellectum, ergo vel ſuſpendit aſſenſum, vel ſi elicit, actum voluntatis elicit, quia poteſt non elicere, vtpote non neceſſitatus, ſed hoc quod non eſt neceſſitari intellectum ad aſſenſum, tenet ſe ex parte obiecti, quod non ſufficit ad talem aſſenſum neceſſitandum; ergo tenet ſe ex parte ſpecificationis, quia quod ſe tenet ex parte obiecti, dicitur ex parte ſpecificationis teneri, quia obiectum eſt principium ſpecificandi. Vnde vlterius ſequitur, quod non ſufficit voluntatem ſe habere negatiuè, vt illum aſſenſum eliciat, quia voluntas negatiuè ſe habens non poteſt præbere aliquam vim determinandi ipſi obiecto propoſito, nec magis ſe habet ad aſſenſum, quam ad diſſenſum, ergo non ſufficit negatiuè ſe habere, ſeu ſuſpendere actum, vt dicatur determinari intellectus ex eo quod ſibi placet per voluntatem, ſi enim negatiue ſe habet, non placet illi, ſed ſuſpendit actum.

Soluuntur Argumenta. 1

AD *Primum* ergo reſpondetur, Quod *D. Thom.* excludit à fide dæmonum voluntarium, quod ſit omnibus modis tale, & cui placeat obiectum ſimpliciter, non tamen excludit voluntarium ex metu, quaſi coactum, vt videri poteſt 1. *p. q.* 64. *art*. 2. *ad* 5. & 3. *part. q.* 76. *art*. 3. & *in* 3. *diſt*. 23. *q*. 3. *art*. 3. *ad* 3. *in hac* 2. 1. *q*. 5. *art*. 2. Quare dicendum eſt, quod ſicut ad proiiciendum merces in mare tempore tempeſtatis requiritur quidem voluntas, ſine qua non proiicerentur, ſed eſt quodammodo coacta, & inuita, ſeu inuoluntaria ſecundum quid, vt doceri ſolet 1. 2. *q*. 6. *art*. 6. ita in Dæmonibus concurrit voluntas ad credendum, non quidem quæ ſit pia affectio, & dilectiua boni propoſiti, ſed quæ ſit electiua actus credendi, ne maneat intellectus ſuſpenſus. Ideòque aſſimilatur voluntati ex metu, ratione cuius dicuntur credere, & contremiſcere, id eſt, quaſi ex metu credere. 2

Si *autem inquiras*. Quid ſit iſte metus, qui ita cogit dæmones ad credendum? *reſpondetur*, quod dæmones ex vna parte vident tantam vehementiam ſignorum, quibus comprobatur noſtra fides, præſertim quia clarè experiuntur multos damnari in inferno ob negatam fidem, & multos ſaluari ob confeſſionem illius, ipſi autem nollent fidem ita confirmari, ſed potius illam abominantur. Ex alia vero parte non poſſunt illi diſſentiri propter tantam comprobationem, quare coguntur vel ſuſpendere actum omnino, vel fidem confiteri; ſuſpendere autem omnem actum eſt maximè violentum naturæ, vnde ne incurrant in ſuſpenſionem, eligunt potius credere, & ſic credunt, & contremiſcunt, vnde dicit *S. Thom.* quæſt. 14. de veritate artic. 9. ad 4. *Quod credere dicitur æquiuocè de dæmonibus, & de fidelibus, quia credere dæmonum eſt fides acquiſita, ad quam ſufficit voluntas electiua actus credendi, quia non vult manere ſuſpenſus, ſed nō dilectiua obiecti propoſiti*, At verò ad fidem infuſam nō ſufficit quod quis habeat voluntatē credēdi, ſed quod habeat principium affectum ad ipſas res creditas. *Cuius ratio eſt*, Quia fides infuſa eſt radix charitatis, & iuſtificationis, *nam fides per dilectionem operatur*, vt dicitur *ad Galat*. 5. Ergo requirit non ſolum voluntatem credendi, ſed etiam affectum ad res creditas De alio vero exemplo quando credimus romam eſſe, *reſpondetur*, Quod etiam ibi interuenit aliqua voluntas ſaltem electiua actus credendi, licet non indigeat intellectus multum firmari circa talē veritatem propter multitudinem teſtium, vel ſi abſque vllo voluntatis actu aſſentit intellectus illi veritati verè non credit, ſed habet euidentiam illius fundatā in alio principio. quia impoſſibile eſt tantam multitudinē teſtium, qui viderunt romam conuenire ad decipiendum nos, res autem fidei quantumcūque miraculis, & alijs motiuis confirmentur, non tamen fundantur quoad nos in multitudine teſtium ocularium, quia ex his à quibus fidem accipimus, nullus vidit illa obiecta fidei, nec omnino conſtat habuiſſe euidentiam in teſtificante.

Ad *ſecundum argumentum Pater Torres* multis exaggerat eius difficultatem in præſenti *diſput. 59. dub. 1.* Cæterum non eſt quod tantopere in eo laboremus. *Reſpondetur enim* voluntatem non addere aliquid obiecto ex parte veritatis, vt poſſit ſufficienter mouere quod aliàs de ſe non poterat, ſed addere aliquid ex parte conuenientiæ, quia id ad quod mouet voluntas repræſentatur vt conueniens ipſi voluntati, & ex hoc mouetur intellectus ad aſſentiendum illi non quia viſum, ſed quia placens, & conueniens: vnde cum obiectum obſcurè propoſitum non ſit ſufficiens ad mouendum conuincendo, & neceſſitando intellectum, ſit tamen ſufficiens ad mouendum ad aſſenſum voluntarium, voluntas mouendo intellectum reddit illum diſpoſitũ, vt ſit mobilis ab illo obiecto obſcuro quoad veritatem, apparente autẽ quoad conuenientiã, & complacentiam, ſæpè enim nobis placent res cognitæ in confuſo, & in obſcuro, vnde voluntas duplici ratione pertinet ad ſpecificatiuum fidei *Primò* quatenùs reddit intellectum mobilem ab obiecto fidei ſecundum conuenientiam rei propoſitæ, licet non ſecundum viſionem veritatis. *Secundò* quatenus ex parte obiecti addit aliquam repræſentationem, non quidem penetrando veritatem, ſed conuenientiam obiecti vt moueat ad aſſenſum. Vnde dicit D. Tho. 14 de veritate art. 5. ad 10. *Quod voluntas determinat intellectum ad aſſentiendum his, quæ ſunt fidei, ſed illa voluntas neque eſt actus charitatis, nec ſpei, ſed quidam appetitus boni repromiſſi.* Mouet ergo voluntas ex parte obiecti intellectum, non ſolum quia facit repræſentari illud vt volitum, ſed etiam vt conueniens ipſi voluntati, tamquam bonum quoddam repromiſſum.

4 Ex *Dictis* infero requiri actum voluntatis quoties de nouo creditur aliqua veritas, neque enim eſt maior ratio de iſta quæ de nouo creditur, quam de aliis, quando primo ſuſcepta eſt fides; ſemel tamen credita ſufficit virtualiter manere voluntatem, nec requiritur noua expreſsè, & formaliter. *Secundo infero* non poſſe Deum etiam de potentia abſoluta ſupplere hunc actum voluntatis, ita vt aliquis credat non volens proponendo rationes inductiuas cum tali efficacia, vt ſine voluntatis actu eliciatur aſſenſus credendi, vt male ſentit *Torres loco ſupra citato dub.* 4 etenim ſi eſſentialiter ille eſt actus fidei, ex ſua eſſentiali ratione petit obiectum non ſufficienter mouens intellectum, nec per aliquem diſcurſum probabilem, ſicut opinio, ſed ex ſola authoritate dicentis, ſed authoritas dicentis quãuis multis rationibus proponatur ad conuincendam credibilitatem, non tamen mouet ſufficienter intellectum, nec facit videre veritatem ex vi talium rationum, neque ex vi authoritatis dicentis, aliàs mutaret ſpeciem fidei; ergo ſiſtendo intrà limites fidei non poteſt mouere niſi liberè, & mediante voluntate, non autem conuincendo, vel perſuadendo, ſicut ſcientia, & opinio.

* * *

ARTICVLVS II.

Vtrùm iudicium prærequiſitum ad piam affectionem ſit ſupernaturale?

SVpponendum *eſt* ipſam voluntatem, ſeu pium affectum ad credendum fide infuſa debere eſſe ſupernaturalem non ſolum quantum ad modum, ſed etiam quantum ad ſubſtantiam. 1

Quod ſit ſupernaturalis patet, Quia reſpicit res ſupernaturales, ſcilicet ea, quæ ſunt credenda per fidem, ad quæ afficiunt piè ipſa voluntas, & procedit ex principio ſupernaturali, ſcilicet ex auxilio Gratiæ, quod datur tanquam initium fidei, ſiquidem ex inſpiratione illius voluntatis corrigitur voluntas noſtra ex infidelitate ad fidem, vt conſtat ex *concilio Arauſicano 2. ſupra citato Canon.* 4. *&* 5. Et conſtat quod illud auxilium eſt auxilium gratiæ, qua ſumus Chriſtiani, ſiquidem per illud volumus credere in Chriſtum; ergo eſt auxilium ſupernaturale. *Patet conſequentia.* Quia tranſitus de infidelitate ad fidem Chriſtianam eſt initium fidei, quod neceſſario debet eſſe ex gratia Chriſti, & non ex natura, vt *Auguſtin.* latè deducit *libr. de prædeſtinatione ſanctorum capit.* 3. Et deducitur ex illo Philippenſ. 1. *vobis donatum eſt pro Chriſto vt in eum credatis.* Et actor. 16. *cuius dominus aperuit cor intendere his, quæ à Paulo dicebantur.* Qui vtique annuntiabat illis fidem. Et 2. corinth. 3. dicitur: *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis.*

Ratio *autem eſt*, Quia voluntas credendi eſt primum initium fidei Chriſtianæ, quæ eſt fundamentum iuſtificationis, vt docet *Tridentin. ſeſſion. 6. capit* 8. Si autem non eſſet ordinis ſupernaturalis, ſed naturalis, eſſet ex proprijs viribus hoc initium fidei, quia vires naturales ſunt propriæ, hoc autem pertinet ad errorem Semipellagianorum, qui dicebant initium fidei eſſe ex nobis, id eſt, ipſum deſiderium, ſeu voluntatem credendi, & operandi, vt conſtat ex *Auguſt. lib. de Prædeſtinatione ſanctorum cap.* 2. & ſequentibus, & ex Epiſtolis *Proſperi*, & *Hilary* ad *Auguſtinum.*

Nec *dici poteſt* Concilium Arauſicanum ſolum definire affectum credulitatis indigere gratia, quando eſt ad credendum fide viua, quod fit per Charitatem, ſiquidem loquitur de fide, qua in Deum credimus, quibus verbis deſignari ſolet fides viua, non vero definire quod requiritur gratia ſupernaturalis ad affectum credendi etiam fide informi: Non (inquam) hoc dici poteſt. *Tum* quia Concilium loquitur de affectu corrigente voluntatem noſtram ab infidelitate ad fidem, correctio autem iſta fit ante charitatem, quia prior eſt fides charitate; *Tum* quia charitas non poteſt dici initium fidei, ſed conſummatio, & perfectio, concilium autem definit contra Semipellagianos initium fidei eſſe ex gratia Dei; ergo non loquitur de ipſo affectu charitatis, ſed de illo qui præcedit fidẽ, atque adeò & charitatem. Quod verò hæc voluntas ſit ſupernaturalis quoad ſubſtantiã *inde probatur*, Quia non eſt ſupernaturalis propter modũ producendi aliquid naturale ſupernaturali modo, ſicut quando viſus

reſtituitur

reſtituitur cæco, tunc enim eſt ſupernaturale quoad modum, non quoad ſubſtantiam, quando res quæ producitur in ſe naturalis eſt, verbi gratia oculus, ſed modus producendi non eſt naturalis, ſed miraculoſus; in præſenti autem voluntas credendi non eſt ſupernaturalis propter modum producendi, ſed propter rem ipſam quam attingit, quia ſcilicet illa voluntas eſt affectus circa res ſupernaturales initians in nobis fidem, ergo non habet ſupernaturalitatem ſolum ratione modi quo producitur, ſed ex parte ipſius rei productæ, & obiecti ſupernaturalis circa quod verſatur, quod eſt ex ſua ſpecie, & obiecto eſſe ſupernaturale.

4 Quod *ſi Dicas.* Poſſe aliquem habere voluntatem credendi ex aliquo prauo fine, & tunc illa voluntas non eſt ſupernaturalis, cum ſit peccatum, & ſufficit mouere nos ad credendum, ergo ſine voluntate ſupernaturali poteſt aliquis velle credere. *Reſpondetur.* Quod talis homo dupliciter poteſt ſe gerere. *Primo* quod habeat duas voluntates ſe concomitantes, ſcilicet velle credere res ſupernaturales abſolutè, & ſimul velle adhærere fini prauo; ſicut qui ſuſcipit Baptiſmum animo ſuſcipiendi verum ſacramentum, ſed cum adhæſione ad peccatum, imò etiam ſi ſuſcipiat fidem, vt magis iubetur ad finem prauum conſequendum, animo tamen verè ſuſcipiendi fidem, & tunc voluntas credendi diſtincta à voluntate peccandi eſt merè ſupernaturalis, nec vitiatur ex alia voluntate peccandi, quia merè concomitatur, nec influit in illam. *Alio modo* poteſt habere vnam tantum voluntatem, quæ ſit volunt[illegible] credendi propter finem prauum, tanquam pro[illegible] motiuum primarium, & per ſe, & tunc ex vi [illegible]s voluntatis non recipit fidem infuſam, ſed acquiſitam, qualis etiam inuenitur in hæretico reſpectu articulorum quos credit, *& Ratio eſt.* Quia talis non credit ex affectu ad res creditas, nec vult illis adhærere firmiter, deficiente enim motiuo temporali peccati (quod vt ſupponimus eſt motiuum per ſe illius voluntatis) deficiet voluntas credendi, & ita potiùs vult irridere fidem, quam ſuſcipere, vt inquit *Auguſt. lib. de Cathechizandis rudibus cap.* 1.

Hoc *ſuppoſito* cum omnis voluntas oriatur ex aliqua cognitione, & iudicio, difficultas eſt circa illud iudicium quo intellectus proponit voluntati vt habeat affectum credendi: An ſit iudicium ſupernaturale? Et ratio difficultatis eſt: quia ſi illud iudicium eſt ſupernaturale, maximè quia fertur ſuper aliquod obiectum ſupernaturale, hoc autem ſtare non poteſt, ergo *Minor probatur.* Quia ſi cognoſcit aliquid ſupernaturale, vel cognoſcit illud obſcure, & credendo, vel clarè videndo. *Primum ſtare non poteſt*, Quia ſi crederet per illud iudicium, crederet antequam vellet credere, & antequam haberet fidem ſiquidem illud iudicium præcedit voluntatem credendi. *Secundum multominus ſtare poteſt*: Quia ſic melius cognoſcerentur res ſupernaturales ante fidem per illud iudicium quam poſt, ſiquidem euidenter cognoſceret per illud iudicium, poſteà autem obſcure *Et obſtat etiam ipſa experientia*: Quia nunquam ante fidem talem euidentiam percipimus.

Confirmatur: Quia vel illud iudicium eſt liberum, vel neceſſarium: ſi liberum, ergo præcedit illud aliqua voluntas à qua determinetur, & rurſus illam voluntatem præcedet aliqua cognitio, & iudicium, de quo rurſum inquiretur an ſi liberũ; & ſic in infinitum: ſi autem eſt neceſſarium; ergo eſt euidens, quia intellectus à ſola euidentia neceſſitatur. Quod ſi eſt euidens, vel euidentia ſupernaturali, & hæc non datur (vt oſtendi) nec eſt conueniens quod ad habendam fidem obſcuram præcedat tanquam diſpoſitio euidentia ſupernaturalis: vel illa euidentia eſt naturalis, & ſic illud iudicium ſupernaturale non erit.

Confirmatur *Secundo*: Quia illud iudicium antecedens eſt iudicium de credibilitate rerum fidei, ex illa enim afficitur voluntas ad credendum, neque enim ſine aliquo motiuo poſſet intellectum mouere, neque eſt aliud, quam credibilitas rei, nec poteſt explicari aliud motiuum ſupernaturale, quod per tale iudicium intellectus amplectatur, tunc enim adhuc nihil ſupernaturale credit, vel cognoſcit, ſed illa credibilitas humano diſcurſu attingitur ante fidem (vt ſupra diximus) ergo illud iudicium eſt naturale, & non ſupernaturale.

In *hoc puncto* ferè omnes conueniunt illud iudicium debere dicere ordinem ad aliquod ſupernaturale & procedere ex aliqua gratia, quia cum ex illo generetur in nobis voluntas credendi, quæ circa ſupernaturalia verſatur, & ex inſpiratione Spiritus Sancti procedit, vt ex Conciliis oſtendimus, neceſſe eſt quod tali voluntati correſpondeat in intellectu principium aliquod eiuſdem ordinis, & habitudinem dicens ad rem ſupernaturalem, ſiquidem illam proponit voluntati vt appetendam, & vt afficiatur illi; ſed diſcrimen inter authores conſiſtit in hoc, quod aliqui exiſtimant ad iſtam voluntatem credendi ſufficere aliquid ſupernaturale ex parte rei cognitæ, & obiecti materialis, non tamen ex parte ipſius cognitionis formalis; poſſunt enim ſupernaturalia etiam aliquando modo naturali cognoſci, & ita illa cognitio dicetur ſupernaturalis obiectiuè, & materialiter, non tamen formaliter, licèt ſit indebita naturæ, & ſic eſt ex gratia. Alij verò exiſtimant non ſufficere ſupernaturalitatem ex parte rei cognitæ, quæ eſt ſupernaturalitas quaſi obiectiua, ſed etiam ex parte ipſius, iudicij; ſed adhuc diſſentiunt, quod quidam exiſtimant eſſe iudicium elicitum ex aliquo inſtinctu interiori, qui ſubſtantialiter, & in re eſt quidam actus fidei, non quidem eſſentialis ipſis rebus, ſed ſolum credibilitati earum propter diuinam authoritatem, nam etiam hæc de ipſa credibilitate teſtificatur: alij exiſtimant eſſe actum prudentiæ infuſæ, vt *P. Torres hic quæſt.* 4. *art.* 2. *diſp.* 15. *num.* 8. *& diſp.* 31. *num.* 8. Alij dicunt eſſe actum doni intellectus, vel denique eſſe illuminationem ſupernaturalem, non propter credibilitatem rerum fidei attingendam, ſed vt iudicium de tali credibilitate habeat efficaciam mouendi ſupernaturaliter voluntatem, & huic ſententiæ tandem adhæret *Pat. Suarez diſp.* 6. *de fide ſect.* 8. *num.* 14. 5

Dico *Primo.* Datur aliquod iudicium, & cognitio ſupernaturalis præcedens fidem, quæ non ſit aſſenſus fidei Sumitur ex *D. Thom* hic *quæſt.* 8. *ad ſecundum*, vbi ponens ſimile argumentum, quo nituntur dubitationes ſupra factæ, quia fides eſt totius ſpiritualis ædificij fundamentum, & ita fides prior videtur quam intellectus, ſeu quælibet alia cognitio ſupernaturalis. Reſpondet *D. Thom.* Ad ſecundum dicendum *quod fides non poteſt vniuerſaliter præcedere intellectum, non enim poſſet homo aſſentire credendo aliquibus propoſitis, niſi ea aliqualiter intelligeret*; ergo ſecundum *D. Thomam* ante fidem homo intelligit ea, quæ ſunt fidei aliquo modo, vt ſcilicet ex vi intelligentiæ poſſit aſſentiri credendo, id eſt, mouere ad aſſenſum. Quæ ſit autem ſta cognitio, ſeu qualis intelligentia, *D. Thom.* non 6

explicat;

explicat, certum tamen eſt, quod non eſt aſſenſus perfectus, & completus, quia iſte eſt præcipuus actus fidei, vt dicit *Sanct. Thom. quæſt. 6. art. 1. & quæſt. 8 art. 3. ad tertium*. Sed eſt aliquid imperfectum diſponens ad aſſenſum credendi, & ideò reductiuè pertinet ad fidem, ficut imperfectum ad perfectum. Ad hoc ergo explicandum.

7 Dico *Secundò* iudicium de credibilitate rerum fidei non ſufficit ad generandam voluntatem, ſeù piam affectionem credendi, licet requiratur ante, & præſupponatur tale iudicium de credibilitate, ſiue, acquiſitum, ſiue ſupernaturale. *Prima pars* eſt expreſſa *D. Thom* hic *quæſt. 6. articulo 1.* vbi ſic inquit: *Quantum ad aſſenſum hominis in ea quæ ſunt fidei poteſt conſiderari duplex cauſa, vna quidem exterius inducens, ſicut miraculum viſum, vel perſuaſio hominis inducentis ad fidem, quorum neutrum eſt ſufficiens cauſa, videntium enim vnum, & idem miraculum, & audientium eandem prædicationem, quidam credunt, quidam non credunt, & ideo oportet ponere aliam cauſam interiorem, quæ moueat hominem interiùs ad aſſentiendum his, quæ ſunt fidei*. Ergo ſecundum *S. Thom.* Iudicium de credibilitate etiam firmatū per viſionem miraculi non ſufficit ad generandam voluntatem efficacem credendi, vt ratio eius allata manifeſtè conuincit: *Et vlterius conſtat*: Quia iudicium mouens voluntatem debet eſſe practicum proponens illi obiectum in ratione boni, & conuenientis; ergo non ſufficit ſola euidentia credibilitatis, quaſi ſpeculatiuè habita, ſed vlterius requiritur dictum iudicium de conuenientia credendi.

Secunda *verò Pars*. Quod iudicium credibilitatis prærequiratur ſupra oſtenſum eſt *diſput. 2. art. 3.* & etiam conſtat ex *D. Thom. qu. 8. art. 4. ad ſecundum*, vbi dicit: *Quod licet non omnes habentes fidem plenè intelligant ea, quæ proponuntur credenda, intelligunt tamen eſſe ea credenda, & ab eis nullo modo eſſe deuiandum*. Non eſt autem aliud intelligere ea eſſe credenda, quam intelligere eorum credibilitatem, quia digna ſunt creditu. *quæſt. 2. art. 1. ad primum* inquit: *Quod fides non habet inquiſitionem rationis naturalis demonſtrantis id quod creditur, habet tamen inquiſitionem quandam eorum, per quæ inducitur homo ad credendum, puta quod ſunt dicta à Deo, & miraculis confirmata*. Vbi primo loco ponit *Sanct. Thom.* credibilitatem habitam lumine ſupernaturali doni intellectus: in ſecundo autem loco, lumine naturali inquiſitionis rationis; ergo ſi in omnibus habetur Iudicium de credibilitate rerum fidei, ſaltem per inquiſitionem, & diſcurſum, vtique prærequiritur ad voluntatem credendi in omnibus iudicium de credibilitate, de quo ſupra iam ſatis dictum eſt.

8 Dico *Tertiò*. Iudicium præcedēs voluntatē credendi formaliter non procedit ab infuſa prudentia, neque à donis Spiritus ſancti. *Probatur*. Quia tàm prudentia infuſa, quàm dona Spiritus ſancti regulantur à fide, fundantur in illa, *Cuius ratio eſt*: Quia prudentia dirigit virtutes morales circa media, & conſequenter ſupponit cognitionem, & intentionem circa finem; ergo in ordine ſupernaturali prudentia infuſa quæ dirigit virtutes morales infuſas præſupponit cognitionem finis ſupernaturalis; hæc autem habetur per fidem, & ideo virtutes Theologicæ præſupponuntur ad virtutes morales infuſas, vnde non poteſt prudentia dirigere fidem, ſed præſupponere. Et eadem ratione dona ſpiritus Sancti præſupponunt virtutes Theologicas, vt docet *D. Tho. 1. 2. quæſt. 68. art. 8.* eo quod dona ſpiritus Sancti ordinantur ad hoc vt homo reddatur benè mobilis à ſpiritu Sancto, vt regulante ſpeciali modo operationes noſtras in intellectu, & voluntate: vnde præſupponunt hominem eſſe vnitum deo tanquam fini in voluntate per amorem, & in intellectu per fidem; ergo illud iudicium quod præcedit voluntatem credendi, & eſt ante fidem, non poteſt procedere à donis ſpiritus Sancti, neque à prudentia infuſa.

Dico *vltimè*. Illud iudicium quatenùs practicum, & mouens voluntatem ad credendum procedit ex aliquo actuali auxilio, & illuſtratione, qua res credendæ ſic repræſentantur, vt non ſolum proponantur tanquam veræ modo obſcuro, ſed etiam vt bonæ, & afficientes voluntatem ad credendum, ſumitur ex *D. Thom. quæſt. 14. de verit. art. 2. ad decimum*, vbi dicit: *Quod inchoatio fidei eſt in affectione in quantum voluntas determinat intellectum ad aſſentiendum his quæ ſunt fidei, ſed illa voluntas neque eſt actus charitatis, neque Spei, ſed quidam appetitus boni repromiſſi*. Si ergo eſt appetitus boni repromiſſi neceſſe eſt quod procedat ex aliquo iudicio repræſentante conuenientiam boni repromiſſi, & ideò quamdiù ſola credibilitas fidei repræſentatur, & non ipſa ratio, & conuenientia boni non ſequitur voluntas ad credendum. Similiter in hac *2. 2. quæſt. 8. art. 5. in corpore, & ad primum*, inquit: *Quod ſi aliquis intellectus non mouetur à ſpiritu Sancto, vt habeat rectam æſtimationem de fine vltimo, nondum conſequutus eſt donum intellectus quantumcumque illuſtratione Spiritus ſancti alia quadam præambula cognoſcat*. Ergo ſupponit *Sanct. Tho.* antecedenter ad fidem cognoſci ex illuſtratione Spiritus ſancti ea quæ ſunt præambula ad fidem. Et denique in hac *quæſt. 2 art. 9. ad tertium*, inquit. *Quod ille qui credit habet ſufficiens inductiuum ad credendum, inducitur enim Authoritate diuina doctrinæ miraculis confirmata, & quod plus eſt, interiori inſtinctu Dei inuitantis*. Ergo agnoſcit *D. Thom.* moueri voluntatem ad credendum, & induci aliquo interiori auxilio, ſeù illuſtratione, aut inſtinctu. 9

Ratio *autem eſt*: Quia ad voluntatem credendi per fidem infuſam, non ſolum requiritur quod voluntas velit ipſum actum credendi, ſed etiam afficiatur ad res creditas (vt ſupra diximus) ergo oportet quod non ſolum moueatur voluntas ex credibilitate euidenti, & poſtulante actum credendi, ſed ex repræſentatione boni ſupernaturalis, mouente voluntatem, & afficiente ad res creditas, & hoc iudicium eſt diſtinctum à iudicio de credibilitate. In quo diſſentimus à ſententia *Patris Suarez*, qui dicit, Quod in illo iudicio credibilitatis conſideratur efficacitas ad mouendum voluntatem; & quaſi eleuandum ad actum ſupernaturalem. Nos autem dicimus, quod in illo iudicio hoc non conſideratur, ſed poſt illud, & tanquam diſtinctum iudicium ab eo infunditur ad modum gratiæ excitantis, & illuminantis, nam vt vidimus in *Secunda Concluſione ex Diuo Thoma*. ſtat benè aliquem euidenter iudicare de credibilitate viſo miraculo, & tamen nolle credere ex ſua peruerſitate; ergo quando vult credere alio modo iudicat 10

practicè

practicè, quam quando non credebat; dicere autem quod idem met iudicium credibilitatis poteſt aliquando habere, aliquando non habere illam efficacitatem ad mouendum, & tamen manere idem iudicium practicè nullum habet fundamentum, quia datur diuerſum obiectum, & diſtinctus modus cognoſcendi in illis iudiciis, in vno enim repræſentatur credibilitas euidenter euidentia ſpeculatiua: in alio repræſentatur ratio boni vt conuenientis, & mouentis ad ſui affectum, & poteſt inueniri vnum ſine alio, vt probatum eſt; ergo concurrunt omnia principia ad diſtinguendum iſta iudicia.

11 Denique ex hoc manet probatum non ſufficere iudicium ſupernaturale ſolum ex parte rei cognitæ, & non ex parte modi cognoſcendi. *Tum* quia ſupernaturalitas ſolum ex parte rei cognitæ ſaluatur etiam in fide acquiſita hæretici credentis aliquod myſterium, vel etiam Dæmonis credentis ſine fide infuſa; attingunt enim rem ſupernaturalem, verbi gratia, myſterium Incarnationis, quod credunt, modo tamen naturali; ergo amplius requiritur ad fidem infuſam. *Tum* quia illud iudicium debet afficere voluntatem ad res omnino ſupernaturales, quales ſunt quæ proponuntur per fidem, vt autem voluntas concipiat ſupernaturalem affectum indiget cognitione orta ex gratia ſupernaturali, ſcilicet ex illa, qua Chriſtiani ſumus, quia per illam mouemur ad fidem Chriſtianam; ergo non ſufficit illuſtratio, & auxilium ordinis naturalis, ſed illuſtratio ſupernaturalis tale iudicium ſupernaturale formans in nobis.

Soluuntur Argumenta.

1 AD *Argumenta.* oppoſita reſpondetur. *Ad Primum* concedo, quod per illud iudicium cognoſcitur aliquid ſupernaturale, ſcilicet id quod proponitur credendum, & cui afficitur voluntas: *Concedo etiam* quod proponitur obſcurè; *Nego* tamen quod credatur, & ita non indiget præcedente affectione, & motione voluntatis, quia motio iſta ſolū requiritur ad aſſenſum perfectum, & determinatum circa res obſcuras. Quando autē aſſenſus non eſt perfectus, ſed deliberat aliquis, & cogitat, an debeat aſſentire ad talia iudicia imperfecta nō prærequiritur motio voluntatis, ſed ſufficit proponi aliquam cogitationem à Deo, quæ incipiat diſponere, & mouere voluntatem; in rebus enim obſcuris & dubiis non ſtatim generatur aſſenſus perfectus, ſed paulatim diſponitur intellectus, & deliberat, pōderátque rationes, & tandem ad vnam partē inclinat, & aſſentit motus à voluntate. Quando ergo iudicat deliberando, & cogitando, nondum autem plenè aſſentiendo, obſcurè quidem tangit obiectum, de quo iudicat, ſed non credendo, aut ex motione voluntatis ſe determinando, quia nondū ſe determinat, & aſſentit, ſed diſponitur, & tendit ad aſſenſum, & ſic non eſt aſſenſus obſcurus, vel euidens loquēdo de aſſenſu perfecto; ſed eſt cogitatio obſcura diſponens, & proponēs voluntati, vnde moueat ad aſſenſum perfectum.

2 Ad *Primam confirmationem reſpondetur.* Quod iudicium de credibilitate, quod præcedit fidem, eſt iudicium neceſſarium, quando iudicat cum euidentia de credibilitate (vt ſuprà Diximus) iudicium autem practicum de conuenientia, & bonitate ad mouendum voluntatem quando primo incipit in ipſa excitatione, & motu deliberatio, eſt neceſſarium non neceſſitate euidentiæ, ſed indeliberationis, ſicut primus motus, & prima illuſtratio Gratiæ incitantis incipere ſolet per aliquem actum intellectus indeliberatū, quo ſubito proponitur aliquid tanquā conueniens, & voluntas illud amplectitur indeliberatè, ex illa autem voluntate indeliberata rurſus mouetur intellectus, vt conſideratius, & cum maiori deliberatione proponat & tunc incipit liberè moueri, ſed ad hoc iudicium iam præſupponitur prior aliqua voluntas à motu indeliberato cauſata; ſed quia in actibus voluntatis, & intellectus non eſt proceſſus in infinitum, ſiſtimus in voluntate, & iudicio indeliberato, vnde primo incipit quis excitari, & deinde diuerſis motibus & iudiciis intellectus, & voluntas mouentur, obſcurè quidem in cogitando, nondum autem firmiter ex aſſentiendo, & ita nondum eſt actus fidei.

Ad *Secundam confirmationem reſpondetur.* Quod illud iudicium non eſt ſolum de credibilitate rerum fidei, ſed de conuenientia boni repromiſſi, vt appetatur à voluntate (ſicut diximus ex *D. Thom.*) nec enim ex ſola credibilitate quantumcunque euidenter propoſita mouetur voluntas, niſi interueniat iudicium practicum de conuenientia, & bonitate obiecti, vt in *Secunda concluſione* Dixi. *Ad id quod additur*, Non poſſe explicari quodnam motiuum ſupernaturale ibi interueniat, quod non ſit cognitum per fidem, iam dixi interuenire ibi iudicium de conueniētia boni ſupernaturalis, ſeù de myſteriis fidei, quæ ſunt bona repromiſſa, & iudicium de iſtis tali modo, quod afficiat voluntatem ſupernaturaliter debet eſſe ſupernaturale; ſic autē cognoſcuntur res ſupernaturales ante fidem, non quidem per aſſenſum perfectum, ſed per aliqualē propoſitionē, & intelligentiam illarum rerum, quæ proponuntur credendæ ſic enim diſponitur ad aſſentiendum illis, vt ex *S. Thom.* hic *q.* 8. *art.* 8. *ad ſecundum* diximus, & expreſſius videri poteſt in 3. *diſt.* 23. *q.* 2. *art.* 5. *ad quintam.* 3

ARTICVLVS III.

Vtrùm requiratur aliquis habitus in voluntate ad hanc piam affectionem?

COmmuniter Omnes conueniunt requiri aliquod principium per modum habitus ad connaturaliter eliciendum hanc piam affectionem credendi, & ſumitur ex *D. Tho.* hic *q.* 4. *art.* 2. & *q.* 14. *de verit. art.* 4. & generaliter id tradit 1. 2. *quæſt.* 56. *art.* 4. Quod quando aliquis actus virtutis dependet à duobus potentiis, quarum vna mouet aliam, ſi actus eſt perfectus oportet quod vtraque potentia ſit perfecta per habitum; non ſolum potentia quæ mouet, & imperat, ſed etiam quæ mouetur, & exequitur. Quæ ratio currit non ſolum in fide formata per Charitatem, ſed etiam in informi, ſiquidem eius actus dependet à voluntate, & intellectu; ergo oportet quod vtraque potentia ſit perfecta per habitum, principaliter quidem intellectus, quia ibi conſumatur, & perficitur actus credendi, inchoatiuè autem in voluntate à qua incipit moueri intellectus ad credendum, vnde aliquando vocatur à *D. Tho. diſpoſitio*, & non habitus in 3. *diſt.* 23. 1

art. 1

art. 1. ad 1. & 4. Quia ante charitatem illa inclinatio piæ affectionis non eſt ita firma, neque habet omnem perfectionem debitam in genere amoris, ſicut charitas. Et ex defectu iſtius firmitatis magis vocatur *diſpoſitio*, quam *habitus*, & hoc ideo eſt, quia non poteſt affectus in aliquo firmari per amorem, in quo intellectus nondum eſt firmatus per aſſenſum, & hac ratione potius habet modum diſpoſitionis, quam habitus, & virtutis conſummatæ, eſt tamen verè, & propriè *qualitas*, ſeu *diſpoſitio*, quæ importat principium operationis in voluntate.

2 Et *hoc efficaciter probatur ex dictis*. Quia ille actus voluntatis, ſeu piæ affectionis eſt actus ſupernaturalis, & determinatæ ſpeciei: ergo exigit pro principio non voluntatem nudam, à qua eliciatur, ſed determinatam, & eleuatam aliquo principio ſibi intrinſeco, & inhærente, hac enim ratione theologi ponunt habitus infuſos, vt poſſint potentiæ operari per principia intrinſeca actus ſuos vitales, qui procedere debent à principiis intrinſecis ſecundùm ſuam ſpeciem, & vitalitatem. Vnde niſi actus procedens à voluntate habeat principiũ productiuum talis ſpeciei determinatæ, non poterit ille actus ſecundum illam ſpeciem vitaliter, & intrinſece procedere à volũtate. Nec ſufficit auxilium à Deo collatum, quia licèt auxilium intrinſece inhæreat, & aliquando poſſit ſupplere habitum illum, connaturaliter tamen non datur auxilium ad aliquam ſpeciem actus, niſi ſupponat aliquod principium in ipſa cauſa, cui tale auxilium connaturaliter debeatur, ergo præter auxilium debet poni habitus, ſeu qualitas informans per modum principij, vt detur ei tale auxilium.

3 Dices: Quando intellectus mouet voluntatem vt eliciat piam affectionem, non requiritur in intellectu aliquis habitus, ſed ſufficit auxilium, & illuſtratio actualis (vt præcedenti articulo diximus) ergo neque in voluntate requiretur habitus ad eliciendum piam affectionem, & mouendum intellectum vt credat, *reſpondetur*. Quod intellectui ſufficit auxilium, & illuſtratio actualis, quando primo incipit moueri, & diſponi ad proponendum res fidei, tunc enim non poteſt ſupponere habitum ſibi infuſum, & ideò pro tali ſtatu datur illi auxilium, & illuſtratio actualis, non præſupponendo habitum cui ſit connaturale, ſed quia diſponit, & mouet intellectum ad recipiendum talem habitum, poſtquam Deo aliquis credidit, & habet habitum fidei ſibi infuſum, ratione illius naturaliter ſibi debetur auxilium, non ſolum ad aſſenſum credendi, ſed etiam ad proponendum voluntati vt velit credere: & ipſi voluntati ad hoc vt habeat auxilium connaturaliter ad volendum credere, non ſolum in primo actu, & quando primo mouetur ad credendum, ſed etiam permanenter pro omni alio tempore; requiritur quod voluntas ſit perfecta, & eleuata aliquo habitu, vel diſpoſitione, tanquam principio operandi, cui illud auxilium ſit connaturale. Et negamus non dari difficultatem in iſto actu voluntatis, quæ vincatur per habitum, vt ſit ſupernaturalis, & excedat vires naturæ, cum contingat multos videre rationes conuincentes credibilitatem, nec tamen velle credere.

4 Difficultas *reſtat* in explicãdo quis ſit iſte habitus voluntatis? De quo multi latè diſputant, præſertim *P. Torres diſp. 37.* Aliqui ergo exiſtimant eſſe virtutem obedientiæ, contra quos expreſsè docet *D. Thom.* hîc *q. 4. art. 7. ad* 1. Cuius rationem infrà referemus. Alij dicunt eſſe virtutem religionis: alij ſtudioſitatem, quod ſentit *Torres citatus*, & *Valent. Tom. 3. diſp. 1 q. 1. punct. 4. Salas 1. 2. Tom. 2. tract 1. diſp. 6. ſect. 6.* in fine. Quia per ſtudioſitatem habet homo rectum appetitum applicandi vim cognoſcitiuam ad hoc, vel illud cognoſcendum, vt docet *S. Thom. 2. 2. q. 166. art. 1.* vbi ſolum loquitur de applicatione quoad exercitium moderante curioſitatem, & negligentiam cognoſcendi. Omitto opinionem aſſerentem, quod iſte actus voluntatis ſit actus charitatis, vel ſpei, cum conſtet ſine charitate ſtare fidem, & ſimiliter ſine ſpe: & ſaltem fides eſt prior quam ſpes, cum regulet illam, & à fortiori voluntas credendi, quæ antecedit fidem, antecedit etiam ſpem. Cæterùm omnes iſti modi dicendi alieni ſunt à veritate, nam omnes iſtæ virtutes morales, quæ aſſignantur tanquam principium per ſe, & connaturale piæ affectionis non poſſunt eſſe virtutes naturales, & acquiſitæ, ſed infuſæ, & ſupernaturales, ſiquidem actus piæ affectionis (vt diximus) eſt ſupernaturalis quoad ſpeciem; ergo non habet pro principio per ſe virtutes acquiſitas, & naturales. At verò virtutes morales infuſæ non infunduntur, neque exiſtunt in ſubiecto ſine charitate, vt docent Theologi cum *D. Thom. quæſt. 77. art* 1. Quia virtutes morales ſupponunt appetitum rectificatum circa finem, & ſi ſunt ſupernaturales rectificatum ſupernaturaliter circa finem ſupernaturalem, quod ſolum fit per charitatem, ſed actus piæ affectionis datur ſine charitate, vt patet in peccatore habente fidem, & in eo qui conuertitur ad fidem; ergo non poteſt eſſe actus alicuius virtutis moralis infuſæ propriè, & per ſe, quia hæc ſine charitate non datur.

Vidit *hoc* Argumentum *Pat. Torres* vbi ſuprà 5
dub. 5. ſolutione ad *quintum*, reſpondet ex *P. Vazquez*. Quod licet habitus virtutum moralium infuſarum infundantur, & amittantur cum charitate, poteſt tamen actus virtutis infuſæ eſſe in peccatore, & ſic dabitur actus ſtudioſitatis infuſæ ante charitatem, & fidem. cæterùm hæc reſponſio diuertit à difficultate propoſita, nec enim negamus poſſe aliquando actum virtutis infuſæ elici non ab ipſo habitu, ſed ante ipſum ab aliquo auxilio ſupplente vices habitus, ſed quod dicimus eſt, Quod ſi pia affectio, quæ per ſe loquendo præcedit fidem, & conſequenter charitatem, quæ eſt poſterior fide, oportet quod proprius, & per ſe habitus illius præcedat fidem, & charitatem: iſta autem ſolutio aſſignat pro proprio habitu piæ affectionis virtutem moralem, quæ non habetur niſi cum charitate, & conſequenter non aſſignatur illi habitus niſi quando fides eſt formata, hoc autem eſt inconueniens. *Tum* quia quando fides eſt formata, potius à charitate elicietur ille actus, quam ab iſtis virtutibus moralibus, cum ad charitatem pertineat ferri per amorem in obiectum fidei *Tum* quia ſicut fidei habitus remanet ſine charitate, vt connaturaliter eliciatur actus credendi in peccatore, aliàs amitteretur fides quolibet peccato mortali contra diffinitionem *Trident. ſeſſio. 6. can.* 28. Ita cum in peccatore remaneat actus piæ affectionis, oportebit aſſignare habitum, quo connaturaliter eliciatur in peccatore, in quo tamen nulla virtus moralis infuſa remanet. *ac denique* currit ratio *Sanct. Thom.* in præſenti *quæſt. 4 art. 7. ad tertium*, qua probat obedientiam vt eſt ſpecialis virtus non dari ante fidem: licèt obedientia modo generali accepta dari poſſit *quia per fidem manifeſtatur homini Deum eſſe*,

cui

cui debemus obedire ſupernaturaliter , & quem debemus colere ſupernaturaliter per Religionem. Et circa cuius cognitionem , nec nimis curioſè , nec nimis negligenter agendum eſt; quod pertinet ad ſtudioſitatem infuſam,ergo omnes iſtæ virtutes ſunt poſteriores fide ; ergo etiam pia affectione, quæ præcedit fidem.

6 Quare *dicendum eſt*,quod ille habitus piæ affectionis non eſt directè , & per ſe virtus moralis, ſed eſt qualitas quædam habitualis reductiuè pertinens ad fidem, quatenus eſt quædam inchoatio eius, & vocatur à *D.Thom.* obedientia fidei generali modo loquendo de obedientia, non vt eſt ſpecialis virtus *3.p. quaſt. 7. art. 3. ad primum* , & appellatur etiam *appetitus boni repromiſſi* per fidem , *quaſt.14. de veritate art. 2. ad decimum.* Ratio eſt, quia actus fidei (vt diximus) eſt actus intellectus vt mouetur à voluntate , & ita dependet ab iſta duplici potentia , à voluntate vt mouente, & inchoante, ab intellectu autem vt eliciente, & conſummante actum fidei. Quando autem ad ſpeciem alicuius virtutis requiritur habitus in duplici potentia,ille qui eſt in potentia vbi conſummatur talis actus dicitur principaliter illa virtus; qui autem eſt in potentia mouente , & inchoante pertinet reductiuè ad principalem virtutem , non autem habet ſpeciem per ſe , & directè diſtinctam. Exemplum eſt apud *D.Thom.1.2. quaſt.56. art.4. & 5 ad primum*,vbi docet ſubiectum virtutis moralis , quæ verſatur circa paſſiones eſſe appetitum ſenſitiuum, quatenùs mouetur à ratione,& voluntate ; & quia in appetitu conſummatur moderatio paſſionum , & terminatur ibi motus rationis, ideò habitus talium virtutum principaliter, & directè ſunt in appetitu ſenſitiuo, ſicut temperantia, & fortitudo. Nihilominus tamen etiam in voluntate , ſeu ratione mouente debet eſſe aliquis habitus perficiens, & mouens , qui tamen non dicitur virtus conſummatè, & perfectè, ſed inchoatiuè, & reducitur ad virtutem ipſam conſummatum, tanquam imperfectum ad perfectum. Sic in præſenti dicendum eſt , quod habitus piæ affectionis eſt inchoatio fidei tanquam mouens ad credendum,& reducitur ad ſpeciem fidei tanquam imperfectum quoddam in illo genere, non autem ponitur ad ſtudendum, vel obediendum,vel ad alias functiones morales , ſed ſolum ad volendum credere ſicut oportet , & cum ſubiectione, & affectu ad regulam fidei , in quo differt à voluntate credendi per modum fidei acquiſitæ , qualis eſt in hæretico etiam circa ſupernaturalia. Neque hoc eſt ponere quatuor virtutes theologicas , quia hic habitus piæ affectionis non conſtituitur virtutem, ſed eſt aliquid imperfectum in genere virtutis,tanquam inchoatio , & diſpoſitio quædam ad fidem, ad quam reducitur.

7 Obijcies. Quia non eſt ponenda aliqua virtus infuſa,& ſupernaturalis , cui non reſpondeat aliqua ſimilis acquiſita moralis circa eandem materiam;nulla autem acquiſita reſpondet huic habitui infuſo , quem ponimus pro pia affectione ; ergo *Min. Probatur*.Quia circa fidem humanam,ſeu acquiſitam non datur talis habitus in voluntate;ergo non datur talis virtus acquiſita.*Confirmatur*:Quia aliàs ad actum reflexum circa alias virtutes,v.g.ad volendum actum prudentiæ,vel charitatis requireretur diſtinctus habitus à talibus virtutibus , quod nemo dicit.

8 Reſpondetur antecedens eſſe verum de virtutibus moralibus infuſis in materia agibilium,non de infuſa circa credibilia , quia hæc reducitur ad virtutem Theologicam fidei,& ideò non eſt neceſſe , quod ei correſpondeat virtus aliqua acquiſita. Quod autem non detur ſimilis habitus ad fidem humanam,ideò eſt:Quia fides humana cum ſit fallibilis non eſt virtus, quia non eſt perfecta in genere cognitionis, vnde ſimiliter non requirit habitum perfectum in voluntate, ſed ſufficit aliquis affectus addiceutem. *Ad confirmationem reſpondetur*: Quod actus illi reflexi non petunt habitum ſpecialem , quia ſolum explicant exercitium volitionis,quando enim dico, *Volo habere actum prudentiæ , vel charitatis* volitio illa ſolum eſt ad exercendum actum ſimiliter quando dico, *Volo credere*, ſi ſolum dicerem exercitium actus credendi , ac hoc ſolum non poneretur ſpecialis habitus in voluntate, quia hoc ipſo quod actus virtutum voluntarij ſunt,non indigent ſpeciali habitu, vt à voluntate imperentur ; habitus autem piæ affectionis requiritur ad ſpecificationem fidei,vt per affectum voluntatis ſuppleatur quod deeſt ex parte obiecti mouentis , & ſic ad captiuandum intellectum in obedientiam fidei requiritur ſpecialis habitus.

DISPVT. IV.

De Obligatione ad credendum.

DVPLEX *neceſſitas*, & obligatio diſtingui ſolet. Alia eſt *neceſſitas medij*, alia *præcepti*.Illa fundatur in ipſa connexione quam aliquid habet cum fine aſſequendo , ſiue ex natura rei , ſiue ex aliqua inſtitutione dantis talem finem. Iſta verò , ſcilicet præcepti , ſumitur ex ſubiectione , quam habemus ad ſuperiores , quibus obligamur obedire. Ex quo ſequitur , quod ea quæ neceſſaria ſunt neceſſitate medij quomodocumque non ponantur,ſiue ex ignorantia, ſiue ex impotentia , ſiue ex malitia,ſemper impeditur aſſequutio finis , quia neceſſitas medij propter ſe ipſam requiritur , quia vel ex natura rei, vel ex inſtitutione Dei ſic eſt inſtitutum,vt ſine ipſo non detur finis , ſicut paruuli ſine Baptiſmo pereunt etiam ſi ex impotentia illo careant. Quæ verò ſunt neceſſaria neceſſitate præcepti tantum aliquando poſſunt excuſari ex ignorantia, vel impotentia , quiacum ſolum obligent ratione legis,& præcepti, quod eſt regula actuum humanorum , actus autem humani exigunt aduertentiam,& cognitionem , hac deficiente lex non obligat ad conſequutionem finis, ſeu ad illud medium pro conſequutione, ſed excuſatur ab impletione præcepti. 1

Similiter *neceſſarium* in præſenti ſumitur non pro neceſſario abſoluto,ſed reſpectiuo,id eſt in ordine ad finem , finis autem eſt ſalus noſtra,quæ eſt duplex,ſcilicet *prima ſalus*,quæ eſt iuſtificatio, & *ſecunda*,quæ eſt glorificatio : duo ergo ſunt dubia hic , quæ diſtinctè à nobis proponentur , alterum circa ea , quæ credenda ſunt de neceſſitate medij , alterum circa ea,quæ credi oportet de neceſſitate præcepti,licèt non ſint de neceſſitate medij. 2

ARTICVLVS I.

Vtrum fides explicita Chriſti, vel Trinitatis ſit neceſſaria neceſſitate medij.

1 VT *ad ea* quæ difficiliora ſunt ex facilioribus aſcendamus aliquæ propoſitiones tanquam certæ præſupponendæ ſunt. *Prima propoſitio.* De fide eſt ſupernaturalem fidem eſſe neceſſariam neceſſitate medij ad vtramque ſalutem. Voco *fidem ſupernaturalem* non ſolum quia obiectum aliquod ſupernaturale credit, ſed etiam quia modo ſupernaturali credit, id eſt, ea motiuo ſupernaturali, quia Deus dicit, & cum affectu ſupernaturali ad res, quas credit, & captiuando intellectum regulæ diuinæ, quia Eccleſia proponit, non autem ea propria electione, aut iudicio, ſic enim etiam credunt hæretici fide acquiſita eos articulos, quos non negant. Hæc propoſitio eſt definita ab Eccleſia, in primis in Symbolo Athanaſij: *Hæc eſt fides Catholica, quam niſi quiſque fideliter, firmiterque crediderit, ſaluus eſſe non poterit,* vbi ly *hæc fides* deſignat fidem ſupernaturalem ea obiecto, quia paulo ante de obiectis iſtius fidei locutus fuerat, & ly *fideliter, ac firmiter* denotat modum ſupernaturalem credendi. Item in Trident. Seſ. 6. cap. 8. *fides eſt humana ſalutis initium, fundamentum, & radix omnis iuſtificationis, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, & ad conſortium filiorum eius peruenire.* Quod conſortium vtique fit per gratiam, quæ eſt prima ſalus, & Concilium Arauſican. 2. can. 5. *Qui fidem qua in Deum credimus naturalem eſſe dicit, omnes eos, qui ab Eccleſia ſunt alieni fideles quodammodo eſſe dicit.* Et conſtat ex Paulo ad Heb. 11. dicente, *fidem eſſe ſperandarum rerum ſubſtantiam.* In quo tangitur eius ſupernaturalitas, & quod *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo,* quod pertinet ad neceſſitatem medij. Videatur de hoc *S. Thom.* hic *quæſt. 2. art. 3.*

2 Secunda *Propoſitio.* Fides ſupernaturalis ita eſt neceſſaria ad ſalutem, quod in nullo caſu poteſt per aliquid aliud ſuppleri. Intelligitur concluſio de fide habituali in paruulis, quæ ſimul cum gratia infunditur, de actuali autem in adultis. Hæc Propoſitio eſt contra *Vegam lib. 6. in Concilium à cap. 17.* qui contendit, ſi aliquis inuincibiliter ignoret res fidei poſſe per naturalem Dei cognitionem iuſtificari, & tunc ſuppleri illam fidem, quod maxime fecit iſte author ne diceremus Deum reliquiſſe ſine prouidentia ad ſalutem homines inuincibiliter ignorantes res fidei. Communiter quidem reprobatur à Theologis hæc aſſertio, & *Suar. diſp. 1. de fide ſect. 1. num. 5.* cenſet eſſe errorem in fide, & certè loca allata in prima propoſitione ita generalia ſunt, quod nullam admittunt exceptionem, præſertim illud *Trident.* ibi citati, cui adiungi poteſt quod dicit idem Concilium eadem *Seſſi. 6. cap. 7. ſine qua fide nulli vnquam contingit iuſtificatio,* vbi excludit omnes perſonas in illo verbo *nulli,* & omnia tempora, & caſus in illo verbo *vnquam,* & fundamentum eſt Nam ſi fides eſt fundamentum, & initium omnis iuſtificationis; ergo ſi datur aliquid prius in cuius virtute continetur, & per quod ſuppleri poteſt fides, illud erit primum initium, & fundamentum omnis iuſtificationis, & non fides: quidquid autem ante fidem eſt, ordinis naturalis eſt, & ita non poteſt eſſe radix iuſtificationis: & licet præcedat fidem illuſtratio ſupernaturalis ad piam affectionem, tamen hæc non ſufficit ſine fide, vt ſit initium iuſtificationis, quia per hanc illuſtrationem, ſolum mouetur aliquis vt velit credere, nondum autem de facto credit, nec habet adhuc ipſam fidem. Concilium autem non dicit quod initium, & radix iuſtificationis eſt motus ad credendum, ſed ipſa fides, neque illa illuſtratio ſufficit ſine fide ad habendam veram Charitatem, hæc enim ſolum naſcitur ex fide, vt docet *Sanct. Thom. 1. 2. quæſt. 62. art. 4. & 65. art. 5.* Quia antequam aliquis credat alteri non poteſt intelligi quod habeat veram amicitiam ad illum, & ſic dicit *Sanct. Auguſt.* ſuper *Pſalm. 67. quod nemo amat Deum, niſi credendo in Deum,* ſine Charitate autem, quæ eſt amicitia non habetur iuſtificatio, vt dicit *Concilium citato loco cap. 7.*

Denique infirmaretur illa conſequentia Apoſt. 3
ad Hebr. 11. *Henoch fide tranſlatus eſt, & placuit Deo, ſine fide enim impoſſibile eſt placere Deo.* Inſtaretur enim hæc probatio, quia fides poteſt ſuppleri per cognitionem naturalem, vel aliquid aliud, quod non ſit fides, ergo in nullo caſu neceſſitas fidei ſuppletur.

Tertia *propoſitio.* Credere aliquid determinatè, 4
& explicitè ſemper fuit neceſſarium neceſſitate medij. Sumitur ex Apoſt. ad Hebr. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator eſt.* Vbi illa duo credibilia *Deum eſſe, & remuneratorem eſſe* explicitè, & determinatè ponuntur tanquam neceſſaria, in illis autem continentur implicitè alia credibilia, vt docet *D. Thom. quæſt. 14. de veritat. art. 9. ad octauum,* vbi dicit: *quod vnitas eſſentia talis, qualis ponitur a fidelibus, ſcilicet cum omnipotentia, & omnium prouidentia, & aliis huiuſmodi, quæ probari non poſſunt, articulum conſtituit.* Ergo ſecundum *D. Thom.* vnitas Eſſentiæ Diuinæ includitur in fide, quatenùs modo ſupernaturali cognita, id eſt, ſecundum quod probari non poteſt ratione naturali. Quod dixerim contra *Suarez,* qui *diſp. 12. de fide ſect. 3.* intelligit *Deum eſſe* vt pertinet ad fidem, ſumi à Paulo pro exiſtentia Dei authoris naturalis, id eſt, vt ratione naturali probari poteſt, ſic enim non poſſet virtualiter, & implicitè alios articulos fidei ſupernaturalis continere.

Quarta *propoſitio.* Ante promulgatum Euan- 5
gelium fides Chriſti, & Trinitatis ſaltem implicite fuit omni tempore neceſſaria; explicite vero probabilius eſt, quod non fuit tunc neceſſaria neceſſitate medij quoad omnes: probabile eſt etiam quod aliqua explicatio de ipſo mediatore Chriſto fuit tunc neceſſaria ordinariè loquendo, & per ſe. Prima pars traditur à *Diu. Thom. hic quæſt. 2. art. 7.* & ſumitur ex illo Actuum 4. *Non eſt aliud nomen datum ſub cælo in quo oporteat nos ſaluos fieri.* Et loquitur de nomine Chriſti Domini. Et *Apocalipſi. 13.* dicitur: *Agnus occiſus ab origine mundi.* Quia ſcilicet in fide illius omnes ab origine mundi iuſtificabantur. *Ratio autem eſt.* Quia pari neceſſitate requiritur neceſſitas redemptionis Chriſti, & neceſſitas fidei illius, per fidem enim applicatur redemptio Chriſti, iuxta illud ad Roman. 3. *Iuſtitia Dei per fidem Ieſu Chriſti in omnes, & ſuper omnes, qui credunt in eum* redemptio autem Chriſti neceſſaria eſt omnibus neceſſitate medij, vt docet Apoſtolus

Paulus

Paulus in epiſtola ad Roman. 5. *Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, ſic etiam per vnius iuſtitiam in omnes homines in iuſtificationem vitæ.* & 1. Corinth. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Chriſto omnes viuificabuntur.* Ergo fides redemptionis ita neceſſaria fuit omnibus, ſicut ipſa redemptio, loquendo de fide Chriſti, ſiue explicita, qua in ſingulari credebatur perſona Chriſti, ſiue implicita, qua credebatur officium redemptionis, licèt nõ exprimeretur perſona.

6 Secunda *pars* concluſionis, ſcilicet non fuiſſe neceſſariam fidem explicitam Chriſti pro omnibus ante Euangelium, probatur ex *D. Thom.* hic *quæſt. 2. art. 7. ad tertium* dicente: *Quod ſi qui tamen ſaluati fuerunt, quibus reuelatio non fuit facta, non fuerunt ſaluati abſque fide mediatoris, quia etſi non habuerunt fidem explicitam, habuerunt tamen fidem implicitam in diuina prouidentia, credentes Deum eſſe liberatorem hominum ſecundum modos ſibi placitos.* Et ſimiliter in 3. *diſt. 25. quæſt. 2. art. 2. quæſtiunc. 2.* docet: *Quod poſt peccatum ante Chriſtum maiores habebant fidem redemptoris explicitè, minores implicitè.* Et de gentilibus quidem conſtat non fuiſſe omnibus propoſitam explicitam fidem Chriſti, imò nec populo Iudaico; *quia omnia in figura contingebant illis,* vt dicitur 1. Corinth. 10. & ad Galat. 3. *Priuſquam veniret fides, ſub lege cuſtodiebamur incluſi in eam fidem, quæ reuelanda erat.* Ergo non proponebatur omnibus explicita fides Chriſti ſicut nunc, & conſequenter non poterat neceſſitate medij obligare omnes. Verum quidem eſt, quod omnes illi antiqui iuſti ante ſuam glorificationem habuerunt explicitam notitiam de Chriſto, quia ante aduentum Chriſti in Lymbum, vbi manebant detenti, cognouerunt aduentum Chriſti, ſaltem ex relatione eorum, qui illuc ante Chriſtum deſcenderunt.

7 Tertia *pars* propoſitionis, quæ etiam eſt explicatiua præcedentis, ponitur propter aliqua teſtimonia *Auguſtini*, quæ in hac parte valde vrgent, nam in *lib. 2. contra Pelagium, & Celeſtium c. 24.* inquit: *quod ſine fide Incarnationis, & mortis, & reſurrectionis Chriſti, nec antiquos iuſtos, vt iuſti eſſent, à peccatis potuiſſe mundari, & Dei gratia iuſtificari, veritas Chriſtiana non indicat,* vbi *Auguſt.* videtur poſtulaſſe in antiquis tam explicitam cognitionem de Chriſto, ſicut in lege gratiæ, cognoſcendo, ſcilicet Incarnationem, mortem, & reſurrectionem, & ſic poſſunt reſpondere quod loquitur de illis myſteriis ſecundum fidem implicitam, & velatam, quia vt ipſe ait epiſt. 89 quæſt. 3. *Fides quæ tempore veteris teſtamenti velabatur, tempore noui teſtamenti reuelatur.* Vel ſi loquitur *S. Auguſt* de fide omninò explicita, intelligendus eſt, quòd fuit ante legem gratiæ in toto corpore Eccleſiæ, quia nunquam defuit aliquibus perſonis, ſaltem maioribus, licèt non fuerit neceſſaria ſingulis, vt exponit *Hugo de Sancto Victore 1. de Sacramentis, part. 10. cap 6.* Vel denique dicendum, quod fidem eſſe explicitam habet aliquam latitudinem, poteſt enim eſſe explicita, vel quantum ad perſonam Chriſti, quod ſit Deus, vel vlterius quod ſit verbum, vel tertio quantum ad modum redimendi, verbi gratia per mortem, paſſionem, &c. & ita fides explicita de Chriſto quoad iſta omnia, ſolum erat tunc apud maiores, verbi gratia Prophetas, & ſapientes, ſed quoad aliqua etiam erat in minoribus, alioquin non ſufficienter verificatur quod erat neceſſaria fides Chriſti, ſi nihil explicabat de Chriſto. Vnde *Ioan. 12.* turba quæ erat de minoribus dixit: *Nos ſcimus ex lege, quod Chriſtus manet in æternum,* & *Ioan. 4* dixit Samaritana, *ſcio quia meſſias venit qui dicitur Chriſtus.* De illius tamen morte, & reſurrectione non ita certi erant, ſed dubitabant, quod eſt ſignum non habuiſſe communiter de Chriſto fidem explicitam ſaltem perfectè. Et videri etiam poteſt *Auguſt. 18. de ciuit. cap. 47.*

Contra *iſta*, propoſitiones non ſunt argumenta alicuius momenti, quæ ex doctrina data, & danda ſolui non poſſint, vel tangunt materiam communem de iuſtificatione, an poſſit aliquis ex lege naturali iuſtificari, quod hic non eſt tractandum, ſed ſupponendum quod viribus naturalibus nemo poteſt ad gratiam ſe diſponere, quia nihil ſupernaturale poteſt in virtute naturali contineri. Quæ verò tangunt illam difficultatem, an denegetur alicui auxilium ſufficiens ad credendum, pertinet ad materiam de prædeſtinatione, & infrà *quæſt. 10. art. 1.* tractari ſolet. Reducitur ergo tota quæſtio ad illam difficultatem, an poſt promulgatum euangelium fides explicita de Chriſto neceſſaria ſit omni homini adulto neceſſitate medij, non quidem ex ipſa natura iuſtificationis, ſiquidem ante aduentum Chriſti dabatur vera iuſtificatio ſine iſto medio ſaltem aliquando, ſed ex inſtitutione Chriſti, ita quod ſicut in lege noua remedium contra peccatum originale mutatum eſt, & requiritur de neceſſitate Baptiſmus etiam pro paruulis, & qui nihil audierunt de fide, nam etiam illi ſine tali remedio peribunt, ita ſit mutata neceſſitas explicitæ fidei, & modo requiratur maior explicatio de neceſſitate medij quam antea. Et ne laboremus in æquiuoco, nomine *fidei explicitæ de Chriſto* intelligimus ſecundum *S. Tho. in 3. diſt. 25.* citata quatuor articulos de Chriſto, ſcilicet, Natiuitatem eius, ſeu Incarnationem, Paſſionem, Reſurrectionem, & futurum iudicium, quod ibi optimè explicat *S. Doctor.* 8

In *hoc ergo* puncto ſunt duæ ſententiæ extremæ contrariæ, & duæ mediæ prima extremæ contraria affirmat ad vtramque ſalutem eſſe neceſſariam neceſſitate medij explicitam fidem Chriſti Domini. Hanc tenet *Lorca hic diſput. 22.* & pro ea citatur *Alenſis, Bonauent. Scotus, & alij antiqui.* Secunda extremæ etiam contraria aſſerit ſimpliciter non eſſe neceſſariam neceſſitate medij explicitam fidem Chriſti; tribuitur *Durando in 3. diſtinct. 25. quæſt. 1. & Richardo ibidem art. 4. quæſt. 4.* Mediæ ſententiæ ſunt modificatiuæ iſtarum. Prima aſſerit fidem explicitam Chriſti non eſſe per ſe neceſſariam ad primam ſalutem, id eſt, ad iuſtificationem, ſed ſine illa poſſe obtineri, eſſe tamen neceſſariam ad ſecundam ſalutem, ita quod nullus de facto conſequitur gloriam ſine fide explicita Chriſti Domini. Hanc ſententiam inuenit, *Cano in relectione de Sacramentis in genere part. 2. concluſion. 2.* eamque ſequitur *Banez 2. 2. quæſtion. 2. artic. 8. dubio vltimo, Aragon ibidem quæſt. 2. artic. 5. & alij.* Altera ſententia affirmat fidem implicitam Chriſti pro aliquo caſu neceſſitatis, ſeu ignorantiæ inuincibilis ſufficere, & per eam ſuppleri poſſe fidem explicitam, per ſe tamen fides explicita eſt medium neceſſarium ad ſalutem; ſicut Baptiſmus eſt medium neceſſarium, & tamen per Baptiſmum in voto ſuppleri poteſt in caſu neceſſitatis. 9

Ita Soto in 4. diſtinctione 5. quæſtione 2. art. 2. & lib. 2. de Natura, & Gratia c. 11. & 12. Cordoba lib. 2. quæſtione 5. in 2. Aſſertione Michael de Medina, & alij quos ſequitur *Pat. Suarez, diſput. 12. de fide ſectione 4. numero* 18.

10 Reſpondeo, *ergo*, *& Dico*. Poſt promulgatam legem Euangelij ſufficienter probabiliſſimum eſt explicitam fidem Chriſti neceſſariam eſſe neceſſitate medij ad vtramque ſalutem: Probabile etiam eſt hanc fidem explicitam ſuppleri poſſe in aliquo caſu per fidem implicitam. *Prima pars concluſionis probatur vnico fundam.* In Sacra Scriptura poſt legem Euangelicam habetur expreſſa neceſſitas fidei explicitæ Chriſti; & non habetur aliquid quo illa neceſſitas ſuppleatur, à Patribus autem intelligitur de neceſſitate medij ſimpliciter: at verò de baptiſmo licèt in Scriptura habeatur neceſſitas medij, habetur tamen in ipſa quod ſuppleri poſſit per baptiſmum in voto, & ita explicant Patres; ergo aſſerendum eſt fidem explicitam Chriſti eſſe ſimpliciter neceſſariam neceſſitate medij, amplius quam baptiſmus in re. *Antecedens ſigillatim per ſuas partes probatur*. Nam in primis loca Sacræ Scripturæ eiſdem verbis ſignificant neceſſitatem medij, quibus Theologi colligunt neceſſitatem medij in baptiſmo, & Pœnitentia, dicitur enim Marci 16. *Prædicate Euangelium omni creaturæ, qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur*. Sed Euangelium continet explicitam notitiam fidei, & Chriſti; ergo qui non credit Euangelio, ſeu in Chriſtum explicitè, condemnabitur.

11 Dices. Hoc intelligi ſuppoſita prædicatione, ideò enim præmittit. *Prædicate Euangelium, &c.* ergo ſaltem in eo cui non eſt prædicatum, dabitur excuſatio, & ſic non erit neceſſaria fides Euangelica neceſſitate medij. *Sed contra inſtatur* ex illo *Ioann.* 3. vbi independenter ab omni prædicatione dicitur, *Qui credit in eum non iudicatur, qui verò non credit in eum, iam iudicatus eſt, quia non credit in nomine vnigeniti filij Dei*. Vbi pondero ly *in nomine*, & ly *vnigeniti Filij*, nomen enim eſt deſignatiuum perſonæ, & ly *Vnigeniti Filij*, eſt diſtinctiuum à cæteris perſonis; ergo loquitur de fide explicita Chriſti. Item Roma. 2. *Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei, iuſtificati gratis per Gratiam ipſius, & redemptionem quæ eſt in Chriſto Ieſu, quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius*. Vbi pondero ly *propoſuit* quod denotat nouam inſtitutionem, qua inſtituit Deus propitiari hominibus per fidem Chriſti, ſi autem loqueretur de ſola fide implicita, non opportebat de nouo proponere, quia hoc etiam requirebatur in lege Antiqua. Apoſtolus autem loquitur expreſſe de hoc tempore Gratiæ ſubdit enim: *ad oſtenſionem iuſtitiæ eius in hoc tempore, vt ſit ipſe iuſtus, & iuſtificans eum, qui eſt ex fide Ieſu Chriſti*, nam ly *in hoc tempore*, aliquid peculiare deſignat in tempore Gratiæ, quod ante non erat. Denique *Ioann.* 14. dixit Chriſtus *Creditis in Deum, & in me credite*. Vbi æquiparat fidem Dei, quæ indubitanter requiritur neceſſitate medij ipſi fidei, quæ eſt in Chriſto tanquam in obiectum diſtinctum; ergo requiritur fides illius neceſſitate medij. Omitto multa teſtimonia, quæ paſſim occurrunt, & ſimilem vim habent.

12 Ex *Patribus* in primis pondero verba *Concilij Tridentini ſeſſione 6. cap.* 6. vbi loquens de diſpoſitione ad iuſtificationem, & de iis quæ ad illam obtinendam debent credi, inquit: *Liberè mouentur in Deum credentes, vera eſſe, quæ diuinitus reuelata, & promiſſa ſunt, atque illud in primis à Deo iuſtificari impium per Gratiam eius, per Redemptionem quæ eſt in Chriſto Ieſu*. Vbi pondero ly *in primis*, nam ſi hoc credere de redemptione in Chriſto Domino eſt in primis neceſſarium; ergo nihil magis neceſſarium, quam illud; ergo explicita fides Chriſti eſt inter prima credibilia neceſſarium. Ad hæc *Sanctus Bernardus, Epiſtola* 77. exponens illud ſupra relatum: *Qui verò non crediderit condemnabitur, cautè igitur, & vigilanter* (inquit) *non repetiuit, qui verò baptizatus non fuerit, ſed tantum qui verò non crediderit cōdemnabitur, innuens ſolam interdum ſufficere fidem ad ſalutem, & ſine illa ſufficere nihil*. Loquitur autem *D. Bernardus* de fide Euangelij, de qua ille locus Marci loquebatur, quæ vtique eſt fides explicita Chriſti Domini; ergo ſentit eſſe magis neceſſariam, quam baptiſmum, & nullo modo ſupplebilem.

Apertius *Sanct. Auguſt.* Nam præter locum ſuprà allegatum ex *lib. 2. contra Pelagium, & Cœleſtium capit.* 24 vbi adeò amplè hoc intelligit, vt etiam Antiquos iuſtes includat, extat alius inſignis locus *lib. de Corrept. & Gratia cap.* 7. vbi inquit: *Ab hac damnatione non ſe liberabunt qui poterunt dicere, ſe non audiſſe Euangelium Chriſti, cum fides ex auditu ſit*. Et infrà. *Ac per hoc, & qui Euangelium non audierunt, & qui eo audito venire ad Chriſtum, hoc eſt, in eum credere noluerunt, & qui per ætatem paruulam, nec credere potuerunt, ſed ab originali noxa ſolo poſſent lauacro regenerationis abſolui, quo tamen non accepto mortui perierunt; non ſunt ab illa conſperſione diſcreti, quam conſtat eſſe damnatam, euntibus omnibus ex vno in condemnationem*. Vbi *Auguſt.* etiam loquitur de fide explicita Chriſti, quia loquitur de fide Euangelij, & neceſſitatem illius omninò inexcuſabilem ponit, etiam ex ignorantia inuincibili, quod pertinet ad neceſſitatem medij, & in adultis comparat neceſſitatem fidei huius neceſſitati baptiſmi in paruulis, quem conſtat pro illis eſſe ita neceſſarium, vt per nihil aliud ſuppleri poſſit, ergo fides explicita Chriſti ita eſt neceſſaria adultis ſicut baptiſmus paruulis. 13

Accedit *denique D. Thom.* qui apertè videtur habere hanc Sententiam, nam in *3. diſt. 25. q. 2. art. 2. Quæſtiuncu.* 2. inquit: *Quod poſt aduentum Chriſti omnes, tam maiores, quam minores tenentur ad credendum explicitè, & ſi aliquis inſtructionem non haberet, Deus ei reuelaret, niſi ex culpa ſua remaneret*. Ergo ſentit *Sanct. Thom.* eſſe neceſſariam neceſſitate medij hanc fidem explicitam, aliàs enim ſi inſtructorem non haberet, excuſaretur à tali præcepto, quod *Sanct. Thom*, non admittit, ſed recurrit ad extraordinarium modum inſtruendi, qui pro tunc eſſet debitus. Et in hac *2. 2. quæſtione* 2. *artic.* 7. loquens in principio corporis de eo quod eſt neceſſarium credere neceſſitate medij, concludit fidem Chriſti Domini aliqualiter debuiſſe credi omni tempore: *Poſt tempus autem legis gratiæ teneri omnes tam maiores, quàm minores explicitam fidem Chriſti*. Ergo loquitur de neceſſitate medij, aliàs non loqueretur conſequenter. 14

Secunda vero Pars Concluſionis habet ſuum Fundamentum in argumentis, quæ ſtatim afferemus. 15

mus,& ſoluemus. Si tamen hæc ſententia defen-
datur ad authoritates allatas debet reſponderi,
quod probant neceſſitatem fidei explicitæ de
Chriſto Domino abſolutè, & ordinariè loquen-
do,non tamen quod pro aliquo caſu ſit inſup-
plebilis per fidem implicitam. Quæ tamen ſolu-
tio vix accommodari poteſt *D. Auguſtino.* Ter-
tiam denique ſententiam non admittimus, quia
nec habet fundamentum ſolidum, nec condu-
cit ad explicandam hanc quæſtionem, nam ſi
ſemel admittimus, quod homo poteſt conſequi
gratiam ſine fide explicita Chriſti Domini, hoc
ipſo habet integrum, & plenum ius ad glo-
riam, dummodo à gratia non dicedat, ita quod
nihil aliud illi deſit, quominus ſuo tempore ſi
in gratia deceſſerit gloriam conſequatur, vt
determinat *Concilium Tridentinum ſeſſione 6.
cap.* 16. Ergo ſine fundamento poſt obtentam
Gratiam exigitur alia conditio fidei explici-
tæ, ſi poteſt ſine illa iuſtificatio obtineri. Non
conducit autem ad iſtam quæſtionem expedien-
dam, quia eaſdem patitur difficultates, quas alia
ſententia, nam ſi quis ſine fide explicita Chriſti
Domini eſt iuſtificatus, & contingat mori non
habendo copiam Prædicatorum, quidquid dixerit
iſta ſententia faciendum eſſe pro iſto articulo ne-
ceſſitatis, idem dicit alia ſententia pro inſtanti iuſti-
ficationis in ſimili articulo neceſſitatis. Nec Scrip-
tura diſtinguit inter primam, & ſecundam ſalutem,
ponendo maiorem neceſſitatem fidei explicitæ pro
vna, quam pro alia.

Soluuntur Argumenta.

1 OBiicitur *Primò* contra primam partem no-
ſtræ reſolutionis: Quia *Auguſt. lib. 1. ad Sim-
plicianum quæſt. 2. circa principium* docet: *Quod
in quibuſdam tanta eſt Gratia fidei, quanta non
ſufficit ad obtinendum Regnum Cælorum, ſicut in
Cathecumenis, ſicut in ipſo Cornelio, antequam ſa-
cramentorum participatione incorporaretur Eccle-
ſiæ. In quibuſdam verò tanta eſt Gratia vt iam cor-
pori Chriſti, & Sancto Dei templo deputetur.* Sed
Cornelius ante Sacramenti ſuſceptionem erat *iuſ-
tus, & timens Deum*, vt dicitur *Actor.* 10. & non-
dum credebat explicitè in Chriſtum, quia ad hoc
miſſus eſt Petrus, vt ei Chriſtum prædicaret; ergo
poteſt, aliquis iuſtificari ſine fide explicita Chriſti,
licet non obtineret Regnum cœlorum, quod eſt
glorificari.

2 Secundò *Arguitur*. Poteſt aliquis priùs habere
fidem Dei ſupernaturalis authoris, quam fidem
explicitam Chriſti, vel etiam cum ignorantia il-
lius inuincibili, & poteſt tunc antequam habeat fi-
dem explicitam Chriſti moueri motu dilectio-
nis, & contritionis erga Deum vt authorem ſu-
pernaturalem: ergo poteſt iuſtificari ante fidem
explicitam Chriſti. *Antecedens conſtat* in duobus
caſibus. *Primus eſt*, in homine nutrito in ſil-
uis, nam ille cum primo peruenit ad vſum ratio-
nis, tenetur in illo primo inſtanti conuerti ad
Deum, & ſi fecerit quod in ſe eſt, iuſtificabitur,
ſin minus peccabit mortaliter, vt docet *D. Thom.
2. 2. quæſt. 89. art. 6.* Sed in illo inſtanti non
poteſt ſimul edoceri de omnibus articulis requiſi-
tis ad fidem explicitam Chriſti, nam in vnico in-
ſtanti tot articulos intelligere, illiſque aſſentiri, non
eſt iuxta modum humanum intelligendi, ſed iuxta
modum Angelicum, præſertim in illo primo in-
ſtanti, in quo nimis confuſè homo intelligit. Et

Ioan. a S. Thoma in 2. 2. D. Thom.

licet Deus promiſerit illuminationem fidei facien-
ti quod in ſe eſt, modum tamen illuminationis ex-
cedentem humanum intelligendi modum non pro-
miſit: ergo in illo inſtanti poteſt iuſtificari, & tene-
tur, in quo tamen non poteſt explicitam fidem
Chriſti edoceri.

Secundus *caſus eſt*, in quolibet Cathecumeno, 3
qui ſucceſſiuè edocetur de rebus fidei, & prius cre-
dit Deum authorem ſupernaturalem eo modo
quo proponit Eccleſia, deinde edocetur, & cre-
dit articulos humanitatis, neque enim hæc om-
nia fiunt vnico inſtanti; ergo poteſt credere vera
fide vnum articulum, antequam credat alium,
quia ſucceſſiuè proponuntur: poſita autem cogni-
tione ſupernaturali Dei poteſt habere amorem ſu-
pernaturalem erga illum, tamquam erga finem
vltimum ex toto corde, ergo poteſt habere
actum charitatis, qui cum peccato ſtare non
poteſt. Dicere autem quod Deus non dat auxi-
lium ad illum amorem, antequam proponatur
Chriſtus explicitè, eſt omnino voluntarium, nam
poſito obiecto diligibili, quaſi connaturale eſt poſ-
ſe illum diligere, & Deus de ſe ſemper paratus eſt
auxilium tribuere, aliàs non omni hora poſſet ho-
mo conuerti ad Deum, nec Deus illi aperiret, nec
ſtaret ad oſtium pulſando, ſed eſſet author detinen-
di hominem in peccato, præſertim ſi tunc occurre-
ret occaſio mortis, & homo vellet diligere Deum,
quem iam cognoſcit, Deus autem illi deeſt, negan-
do auxilium.

Tertiò *Denique arguitur*. Quia Pœnitentia in- 4
terior eſt per ſe requiſita ad iuſtificationem pecca-
toris, & tamen poteſt aliquando ſine Pœnitentia
iuſtificari, ſcilicet per actum Charitatis, quæ
virtualiter continet Pœnitentiam: Similiter Bap-
tiſmus realiter ſuſceptus eſt per ſe neceſſarius
ad ſalutem, & tamen poteſt ſuppleri per baptiſ-
mum in voto, ſicut etiam confeſſio peccatorum per
confeſſionem in voto, ergo ſimiliter fides explicita
Chriſti, quia ſolum ex inſtitutione neceſſaria eſt.
Denique quia aliàs tempore legis Gratiæ magis eſ-
ſet coarctata via ſalutis, quam antea, cum modo
plura oporteat credi explicitè, etiam pro articulo
neceſſitatis, quod per ſe eſt difficilius, quam ante
aduentum Chriſti.

Ad *Primum reſpondetur*, ſeoſum Auguſtini eſſe 5
pro nobis, quod in aliquibus eſt fides non ſuffi-
ciens ad Regnum Cœlorum, & conſequenter ne-
que ad iuſtificationem, quæ nomine *Regni cœlo-
rum*, etiam intelligitur, de quo dicitur in Euange-
lio, *quod Regnum Cœlorum intra nos eſt*, neque
antequam incorporentur Sacramentis Eccleſiæ in
re, vel in voto, & tamen vt incorporentur per vo-
tum requiritur fides explicita Chriſti, vt diximus
ex *D. Thom. quæſt. 69. 3. part.* & ita ſubdit Auguſti-
nus, *Quod fiunt inchoationes quædam fidei concep-
tionibus ſimiles, non tamen ſolum concipi, ſed &
naſci opus eſt, vt ad vitam perueniatur æternam.*
Illa ergo inchoatio fidei, quam ponit *Auguſti-
nus*, dicimus quod eſt fides imperfecta, id eſt,
nondum explicita Chriſti, in qua nondum habe-
tur baptiſmus nec in voto. & talis fides non ſuf-
ficit ad Regnum Cœlorum, intelligendo nomine
Regni cœlorum, etiam ipſam iuſtificationem, quæ
eſt ius ad Regnum Cœlorum. Ad id verò quod
dicitur de Cornelio *Reſpondetur*, Quod licet ali-
qui exiſtiment Cornelium non dici iuſtum in Sa-
cra Scriptura iuſtitia ſupernaturali, quo caſu
argumentum non currit, tamen oppoſitum eſt
melius, quod ſimpliciter, & ſupernaturaliter erat

iuſtus,& tunc dicimus cum D.Thom.infra quæſt. 10. art. 4. ad 3. Quod *Cornelius habebat fidem implicitam Chriſti, & cum eo iuſtificatus fuit ante manifeſtatam veritatem Euangelij,& vt explicitè inſtrueretur de fide Chriſti,miſſus eſt ad eum Petrus.* Sicut etiam ante ſuſceptum baptiſmum iuſtus erat,& tamen baptiſmus eſt neceſſarius neceſſitate medij,quia ſcilicet iuſtificatus fuit ante promulgationem baptiſmi, & Euangelij. Sic autem requiritur fides explicita Chriſti, ſicut baptiſmus, ſcilicet poſt promulgationem Euangelij.

6 Ad *Secundum argumentum* in quo magnam vim facit Suarez *reſpondetur*,inprimis retorquendo contra ipſum,tam in *Maiori* quàm in *Minori*.In Maiori quidem,nam ipſe fatetur *diſp.illa* 11. *ſection.* 3. fuiſſe neceſſarium ad ſalutem plura credere in articulis diuinitatis, ſcilicet exiſtentiam Dei, independentiam ipſius à quolibet alio, rationem ſupernaturalem excedentem omnem rem creatam; & rationem remuneratoris modo ſupernaturali.Si ergo omnia iſta explicitè credere eſt neceſſarium pro omni caſu quantumuis ſit neceſſitatis, quid prohibet duos,vel tres articulos addere de humanitate Chriſti, vbi tot requiruntur de diuinitate? Similiter retorquetur argumentum in *Minori*, nam poſito primo conceptu, vel ſecundo de diuinitate, poteſt excitari amor ſupernaturalis ad ipſum ex toto corde, ergo poterit quis iuſtificari etiam antequam cognoſcat de diuinitate omnes illos articulos, quos *Suarez* requirit ad iuſtificationem; Quod ergo ille reſponderit, & nos reſpondebimus de articulo incarnationis. Et præterea probaret argumentum quod nulla Fides explicita Chriſti, etiam de officio Redemptoris in communi eſſet neceſſaria ad iuſtificationem, quod tamen ipſe *Suarez* non audet concedere eadem *ſection.* 3. *num.* 17. Sequela patet. Nam ſi quis credat Deum eſſe, & remuneratorem eſſe,antequam credat redemptionem à peccatis, ſucceſſiuè attingit iſta credibilia, & poteſt amare Deum ex toto corde,ergo iuſtificabitur.

7 Quare *ergo* ad argumentum *dicimus*, Quod tam ille nutritus in ſyluis, quam cathecumenus ſucceſſiuè percipiunt res fidei, & credunt, & qui peruenit ad vſum rationis non aperitur illi vnico inſtanti indiuiſibili,ſed modo connaturali homini vtenti diſcurſu, & ideò diſtinguunt Thomiſtæ inchoatiuum, & terminatiuum vſum rationis, inter quæ datur tempus medium, & pro inchoatiuo nondum inſtat præceptum ſe conuertendi,ſed tunc incipit manifeſtari,obligat verò pro altero inſtanti terminatiuo, in quo iam poteſt eſſe ſufficienter inſtructus à Deo de tam paucis, & breuibus articulis humanitatis Chriſti. An vero inter illa duo inſtantia, inchoatiuum,ſcilicèt, & terminatiuum, poſſit pro illo ſtatu habere peccatum veniale ſimul cum originali,alia diſtincta,quæſtio,& controuerſia eſt.*ad quod dicimus*, Quod ſi digreſſio ad peccatum veniale habet tunc periculum non aduertendi ſufficienter ad finem vltimum,qui tunc illi proponitur, & ad quem finem vltimum ſibi propoſitum tenetur conuerti,ratione huius periculi adiuncti reddetur mortale illud peccatum ſaltem pro illo inſtanti terminatiuo, in quo impedit conuerſionem, antecedenter vero ad illud inſtans quia vſus rationis nondum eſt conſummatus, nec etiam conſummatè erit peccatum illud: ſi verò non habet adiunctum periculum omittendi conuerſionem, non repugnabit in illo inſtanti terminatiuo conſummari etiam peccatum veniale,ſed tunc erit ſimul vel cum gratia,vel cum mortali;antecedenter verò ad illud inſtans non eſt peccatum veniale conſummatum,quia nondum eſt terminatus vſus rationis.

Ad *id quod dicitur* de amore elicito ante propoſitam fidem explicitam Chriſti,*reſpondetur*; illum amorem erga Deum authorem ſupernaturalem,fore quidē ſupernaturalem ſed tamen imperfectum,& non ex toto corde,ſicut oportet ad iuſtificationem,& tunc habet locum doctrina D. Aug. 8
Quod in aliquibus eſt tāta gratia fidei,quanta nō ſufficit ad obtinendum Regnū Cælorum;Quod vtique per iuſtificationem obtinetur. *Et huius ratio eſt*. Quia amor ex toto corde,qui eſt Charitas, non eſt ſimpliciter complacentia de ipſo fine vltimo, ſed efficax tendentia, & intentio finis, quæ requirit ordinem ad media, quia intentio non eſt de fine ſimpliciter, ſed in ordine ad media, eſt autem vnicum, & neceſſarium medium perueniendi ad finem redemptio Chriſti iuxta illud: *Ego ſum via, veritas, & vita*. Et iterum: *Ego ſum oſtium, per me ſi quis introierit ſaluabitur*. Ioann. 10. Ergo qui diligit Deum ſine ordine ad hoc medium, & ſi habeat conplacentiam,& amorem ſimplicem de fine,ſed nondum efficacem,quia nondum attendit, nec intendit media neceſſaria ad hunc finem,& licèt iſta fides explicita Chriſti ſit neceſſaria ex eius inſtitutione,tamen intentio finis vt ſit efficax, etiam debet dicere ordinem ad illud medium, quod ex inſtitutione requiritur,ſicut contritio debet modo dicere ordinem ad baptiſmum, vel ad Confeſſionem, & illa habere in voto vt iuſtificet, quod non requirebatur ante legem gratiæ. Quia vero non poteſt votum baptiſmi, aut Confeſſionis haberi niſi in fide explicita Chriſti, oportet quod amor ſupernaturalis vt ſit efficax dicat ordinem ad iſtud medium explicite,in quo alia continentur.

Ad *tertium reſpondetur*,Quod Pœnitentia formalis virtualiter continetur in Charitate, tam- 9
quam in forma eminentiori,& perfectiori,de qua expreſsè habetur in ſacra Sriptura, quod excludit peccatum, & Deo coniungit, iuxta illud: *Qui manet in Charitate in Deo manet*, 1.Ioan.4. Et iterum: *Charitas operit multitudinem peccatorum*. Et ideò Charitas ſupplet vicem Pœnitentiæ. At verò fides explicita non continetur in implicita tamquam in aliqua perfectiori, ſed tamquam in in imperfecta,& confuſa, vnde non conuenienter correſpondet ſtatui Euangelico, qui perfectiorem notitiam fidei importat, nec habetur in Scriptura quod ſupplet fides implicita fidem Euangelij, ſicut Charitas Pœnitentiam ergo non eſt eadem ratio. Ad illud de baptiſmo dicitur, quod eſt neceſſarius neceſſitate medij, tamquam medium externum, quod poteſt ſuppleri per actum internum, id eſt, per fidem viuam Chriſti,qui eſt Baptiſmus flaminis, & etiam ſuppletur per Martyrium,quod eſt baptiſmus ſanguinis,de quo *D.Thom.*& Theologi, 3.*part. queſt.* 66 *art.*11.Inſinuaturque 1.Ioann.5.*Tres ſunt qui teſtimonium dant in terra,Spiritus,aqua, & ſanguis, & hi tres vnum ſunt*, At verò ipſa fides eſt medium internum; id eſt pertinens ad actus internos, & primum inter requiſita ad iuſtificationem, nec habet aliud prius per quod ſuppleatur, ſecundum conuenientiam ad iſtum ſtatum, qui

qui eſt ſtatus legis Euangelicæ, & ita requirit Euangelicam fidem, neque in ſcriptura aſſignatur aliquid quo ſuppleatur. Denique ex hoc non eſt magis coarctata via ad ſalutem, nam ex vna parte datur modò abundantior gratia quam in lege veteri, & ex alia parte ipſa incarnatio facilius non excitat ad amorem Dei, quam ſi non cognoſceretur, *quia dum viſibiliter Deum cognoſcimus, per hunc in inuiſibilium amorem rapimur*, vt Eccleſia canit: neque eſt inconueniens quod lex noua ſit grauior, quam antiqua quoad actus interiores, licet ſit facilior ex gratia, vt ex *D. Auguſt.* docet *D. Thom. 1. 2. quæſt. 107. art. 4.*

ARTICVLVS II.

De neceſſitate præcepti ad credendum.

QVatuor circa hoc præceptum ſunt explicanda. *Primum*, an ſit tale præceptum? *Secundum.* Quale ſit? *Tertium* ad quid ſe extendat? *Quartum*, pro quo tempore obligat.

2 Circa *Primum Dico primò.* Datur præceptum de fide quantum ad exercendum actum credendi? Conſtat ex ſacra ſcriptura vbi fides ponitur tanquam neceſſaria ad ſalutem, ſed obligamur ad ponendum id quod eſt neceſſarium ad ſalutem; ergo obligamur præcepto credendi. *Maior* latè probata eſt præcedenti articulo, & vlterius per modum præcepti dicitur Ioann. 14. *Creditis in Deum, & in me credite.* Et 1. Ioann. 3. *Hoc eſt mandatum eius vt credamus in nomine filij eius.* Vnde *Auguſt. tract. 83. in Ioann.* dicit: *de fide quàm multa mandata ſunt nobis.* Et in *lib. de natura, & gratia cap. 5.* loquens etiam de his, quibus nondum annuntiatum eſt Euangelium, dicit: *quod ſi ſine fide paſſionis, & reſurrectionis Chriſti ſaluarentur, gratis Chriſtus mortuus eſſet.* Ad quod etiam faciunt loca ex *Auguſt.* allata præcedenti Articulo pro neceſſitate medij de fide Chriſti. Friuola autem eſt expoſitio *P. Torres hic diſp. 37. dub. 4. & 7.* Quod hæc loca, & alia ſimilia ſacræ ſcripturæ debent intelligi de fide Chriſti, id eſt, habita ex meritis Chriſti, non autem quod cognoſcat explicitè Chriſtum. *Nam contra eſt*, Quia iſta loca loquuntur determinando expreſsè obiectum quod credi debet, verbi gratia, ipſam Perſonam Chriſti, natiuitatem, paſſionem, mortem &c. ergo non loquuntur de meritis Chriſti, ſed de Chriſto vt de obiecto credendo: *Tum quia* fides habita ex meritis Chiſti fuit communis, tam veteri legi, quam nouæ, ſemper enim fides, & omnia dona gratiæ ex meritis Chriſti ſunt; ergo nihil ſpeciale dicerent illæ authoritates de fide Euangelica pro iſto ſtatu gratiæ, cuius oppoſitum vidimus articulo præcedenti.

3 Circa *Secundum*, ſcilicet, qualitatem huius præcepti, an ſit diuinum, vel humanum; naturalis, vel poſitiui iuris, affirmatiuum, vel negatiuum? *Dico ſecundò.* Aliquod præceptum fidei eſt diuinum poſitiuum, connaturale tamen ſtatui gratiæ, aliquod humanum ſecundum diuerſas conſiderationes Et ſuppono ex *D. Thom.* infra *quæſt. 16. art. 1.* quod primum credibile fidei, ſcilicet *Deum eſſe* non præcipitur aliquo præcepto poſitiuo legis quo credatur, ſed ante omnia præcepta legis, id eſt Decalogi proponitur hominibus tanquam præceptum quoddam connaturale ſtatui gratiæ, *quia accedentem ad Deum oportet credere quia eſt.* Ad Hebr. 11. Et rationem reddit D. Thom *Quia lex non datur niſi ſupponendo ſubiectionem hominum, quibus datur*; prima autem ſubiectio eſt mentis ad Deum, quod fit ſupernaturaliter per fidem hoc ſuppoſito de aliis credibilibus fidei, non determinatè de iſto, vel de illo, ſed de omnibus ad fidem pertinentibus datur præceptum diuinum in ſacra ſcriptura in locis præcedenti concluſione allegatis, & in illis quibus præcedenti articulo oſtendimus, fidem proponi vt neceſſariam ad ſalutem. Ac denique quia præcepit Chriſtus Apoſtolis vt prædicarent omnibus gentibus remiſſionem peccatorum, & Pœnitentiam, *luca vltimo*: ad hanc autem prædicationem pertinet fides, quia ſi non obligantur credere, quomodo obligabuntur Pœnitere? De præcepto, autem Eccleſiaſtico conſtat obligari fideles ad credendum aliqua, ſaltem quæ in Symbolo ſunt, ſumiturque hoc præceptum partim ex traditione, & vſu Eccleſiæ, quia nulli adulto dat baptiſmum niſi ſciat ſymbolum Apoſtolorum, vt patet ex *cap. non licèt, & cap. ante viginti dies, & cap. baptizati.* Et ſimiliter non poteſt miniſtrari Sacramentum Pœnitentiæ neſcienti ſymbolum, ſumitur etiam ex Cathechiſmo Pij V. in principio, vbi dicitur, omnes Chriſtianos debere ſcire, & credere, quæ Apoſtoli certis articulis tradiderunt, & inter Canones attributos 6. Synodo in 3. tom. Conciliorum, ſeptimus Canon docet: *eum qui non ſcit memoriter, & credit firmiter ſymbolum, non eſſe Catholicum*, quod quomodo intelligendum ſit, infra dicemus. *Nec poteſt obiici*, Quod Eccleſia non præcipit actus internos, credere autem actus internus eſt. *Reſpondetur* enim quod Eccleſia non præcipit actum internum, vt præciſè internus eſt, ſed vt ordinatur ad externum, verbi gratia, credere, & ſcire articulos prout ordinatur ad benè operandum, & ad rectè confitendum fidem, & reddendum rationem de illa.

Dico *Tertio.* Datur duplex præceptum de fi- 4
de, alterum negatiuum, alterum affirmatiuum. De negatiuo conſtat, quia tenentur omnes non negare fidem, ſicut tenentur eſſe fideles, neque interius diſſentiendo, nec exterius negando, aut ſuſceptioni illius repugnando. Præceptum autem affirmatiuum tria inuoluit, ſcilicet interius credere, & exterius fidem addiſcere, ille qui neſcit, vel quærere quando habet aliquam notitiam veritatis illius, vel remordetur in conſcientia de propriis erroribus, & *tertio* confiteri in caſu neceſſitatis. Ita communiter authores hic, & videri poteſt *Lorca diſp. 33. memb. 3. Suarez diſp. 13. per totam.* Et hæc omnia ex vno principio deducuntur. Quia homo tenetur eſſe Chriſtianus & Chriſtianè viuere; non viuit autem Chriſtianè ſi neſcit fidem Chiſti, quam profitetur, aut omittit confiteri eam in caſu neceſſitatis, aut interius numquam exercet actum credendi, cum ex hoc prodeant aliæ actiones, quæ ſunt in præcepto circa cultum diuinum, & ſacramenta, & alia pertinentia ad vitam Chriſtianam, quæ ſine fide exerceri non poſſunt.

Circa *Quantitatem*, & extenſionem obiectorum, 5
quæ fideles homines tenentur explicitè credere, in primis ſuppono neceſſitate medij, ſeu præcepti diuini teneri credere *Deum eſſe, & Remuneratorem eſſe*, vt docet *Apoſtolus Hebr. 11.* Quod intelligitur de remuneratione ſupernaturali bea-

 titudinis,

titudinis, ſiquidem illam tenentur homines procurare. Item Myſterium incarnationis, vt iam ſupra declaraui, ac denique myſterium Trinitatis. *Cuius ratio eſt*; Quia non poteſt credi explicitè incarnatio, niſi cognoſcatur perſona filij quæ incarnata eſt, filius autem non poteſt cognoſci, niſi relatiuè ad patrem, vnde iſtæ duæ perſonæ ſuppoſito myſterio incarnationis neceſſariò cognoſcuntur. Tertia autem perſona Spiritus Sancti cognoſci debet: *Tum* ne habeatur fides de perſonis imperfecta, & mutila, cognoſcendo enim ſolum duas perſonas exponitur aliquis periculo erroris non credendi plures: *Tum quia* ipſum myſterium incarnationis creditur Spiritu Sancto factum, quia Chriſtus conceptus eſt de Spiritu Sancto; ſimul ergo inuoluitur tertia perſona. Deinde ſuppono requiri in omnibus etiam Laicis determinatè credere aliqua explicitè, nec ſufficere, quod credant in communi id quod credit Eccleſia, oppoſitum enim tanquam error damnatum eſt, vt refertur in ſecunda parte directorij inquiſitionis, *quæſt.* 10. *art.* 8. Ac denique in his, quæ de præcepto credenda ſunt, oportet diſtinguere, quod quædam ſunt neceſſaria ad benè credendum; alia ad bene operandum; ſimiliter perſonæ aliæ ſunt maiores, aliæ inferiores, ſeu minores, & nomine *Minorum* intelligimus omnes qui neque ex officio, neque ex commiſſione docent plebem, *Maiores* autem qui alios inſtruunt. His ſuppoſitis.

6 Dico *Quartò*. Ad benè credendum tenentur omnes quantumque minores ſcire ſymbolum Apoſtolorum in quo continentur articuli fidei, qui ab aliquibus numerantur 14. ab aliis 12. ſed idem continent quoad ſubſtantiam. Hæc concluſio docetur communiter à Summiſtis, Syluestro: Caietano, Angelo, Armila, verbo *ignorantia*, & Sanct. Thom. hic quæſtion. 2. articul. 7. ait, *Teneri omnes habere fidem explicitam, præcipuè quantum ad ea, quæ communiter ſolemnizantur in Eccleſia, & publicè proponuntur*: non enim fruſtra addidit illud verbum, & *proponuntur*, plura enim proponuntur credenda, quam ſolemnizantur in Eccleſiæ feſtiuitatibus. Sumitur etiam ex illo ſymboli Athanaſij, vbi relatis articulis credendis, quæ in ſubſtantia continentur in ſymbolo dicit: *Hæc eſt fides Catholica, quam niſi quiſque fideliter, firmiterque crediderit, ſaluus eſſe non poterit.* Quod ad minùs de neceſſitate præcepti intelligi oportet. *Et idem conſtat.* Quia Eccleſia nullum adultum admittit ad Baptiſmum, niſi ſciat ſymbolum Apoſtolorum, vt in citatis iuribus dicitur; ergo ſignum eſt in omnibus Baptizatis requiri.

7 Dico *Quintò*. Sufficit minoribus ſcire iſtos articulos quoad ſubſtantiam, non quoad ſubtilitates: vt dicit *Sanct. Thom. citatus*: nec tenentur memoriter ſcire verba ſymboli, aut articulorum, ſaltem ſub peccato mortali, ſed ſufficit ſic memoria tenere, vt facile poſſint reſpondere quærenti. Per *ſubſtantiam* articulorum intelligimus id quod ipſa verba ſignificant ſecundum ſignificationem communem, & ſecundum quod explicantur in Catheciſmis, verbi gratia in myſterio Trinitatis, ſubſtantia erit ſcire eſſe tres perſonas, Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, & vnum Deum: *ſubtilitas* verò, quod vna procedit per expreſſionem cognitionis, altera per impulſum voluntatis, &c. Et ſimiliter in articulo quod ſit Saluator, *ſubſtantia erit* intelligere quod dat nobis gratiam, & remiſſionem peccatorum: *ſubtilitas vero*, quod fiat iuſtificatio per actum, vel habitum, &c. Et de iſtis dixit Auguſtin. in libr. contra Epiſt. fundamenti *turbam fidelium non viuacitas intelligendi, ſed credendi ſimplicitas tutiſſimam facit.* Et conſtat ex praxi Eccleſiæ, quæ non obligat plebem fidelium ad iſtas ſubtilitates, quæ ſolum per ſtudium, & diſcurſum acquiruntur. Secunda vero pars concluſionis docetur communiter à doctoribus, etiam à *Palud. & Nauarro*, qui in contrarium citantur, vt aduertit *Suarez. diſp.* 13. *de fide ſect.* 5. *num.* 8. Nec enim inuenitur aliqua lex ſub graui præcepto iubens memoriter retinere verba Symboli, ſufficit enim res ipſas, non verba recordari, licet ſi ex negligentia omitterentur culpam ſaltem venialem agnoſcit *Suarez & Nauarro* citati propter praxim, & vſum communem Eccleſiæ, & ne aliquis exponatur periculo non retinendi memoriter res ipſas: ſi verò non obſtat negligentia, vel contemptus, ſed naturalis aliqua incapacitas, excuſantur à culpa.

Dico *Sexto*. In ordine ad operandum tenentur 8
omnes ſcire præcepta Decalogi, & præcepta de ſacramentis, præſertim de iis quæ magis neceſſaria ſunt vt Baptiſmus, Pœnitentia, Euchariſtia, & & de aliis quando ſuo tempore recipiuntur, ſicut exigitur in vita Chriſtiana Item circa obedientiam, quæ debetur Prælatos Eccleſiæ, præſertim ſupremo capiti, & habere notitiam neceſſitatis orationis, ſaltem ipſas orationes ſciendo, quamuis ab hoc vltimo *Suarez* vbi ſupra excuſet à culpa mortali, qui neſciret orationem dominicam. Hæc autem omnia conſtant ex ipſa praxi, & vſu Eccleſiæ circa fideles, & quia neceſſaria ſunt iſta ad vitam Chriſtianam, modo Chriſtiano exercendam, ergo neceſſe eſt illa ſcire.

Dico *Septimo*. Maiores in Eccleſia tenentur proportionate ad officia, quæ exercent, ſcire etiam ſubtiliſſima myſteria fidei; tenentur fidem explicare, & defendere. Et poſſumus diſtinguere tres ordines. *Primi* ſunt, qui aliquod ſacramentum miniſtrant plebi, ſed non doctrinam, vt ſimplices Sacerdotes. *Secundi* qui etiam doctrinam miniſtrant ſiue ex officio, vt Parrochi, ſiue ex commiſſione, vt alij Sacerdotes, qui confeſſiones excipiunt, prædicant, aut docent. *Tertij*, qui ſunt ſimpliciter doctores fidei, tàm in defendendo illam ab erroribus, quam in iudicando de illa in Conciliis, & promouendo eam in populis, & tales ſunt Epiſcopi. De quibus omnibus in additionibus quæſt. 36. artic. 2. præſertim ad 1. ſic inquit D. Thom. *Ad primum dicendum, quod Sacerdos habet duos actus, vnum principalem ſupra corpus Chriſti verum, & alterum ſecundarium ſupra corpus Chriſti myſticum* (id eſt ſuper fideles, ſeu Eccleſiam) *& ideo aliqui ad Sacerdotium promouentur, quibus committitur primus actus tantum, ſicut Religioſi, quibus cura animarum non committitur, & à talium ore lex non requiritur, ſed ſolum quod ſacramenta conficiant: & ideo talibus ſufficit, ſi tantum de ſcientia habeant, quod ea, quæ ad ſacramentum perficiendum ſpectant, rite ſeruari poſſint.* (verbi gratia, quod ſciant ea quæ pertinent ad legitimam materiam, & formam ſacramenti, & ceremonias ordinarias.) *Alij autem promouentur ad alium actum, qui eſt ſupra corpus Chriſti myſticum, & à talium ore populus legem requirit, vnde ſcientia legis in eis eſſe debet, non quidem*

vt

vt ſciant omnes difficiles quæſtiones legis, quia in his debet ad ſuperiores recurſus haberi, ſed vt ſciant ea quæ populus debet credere, & obſeruare de lege (ſcilicet quoad mores exponendos, & fidem explicandam, ſicut requirit populus) *ſed ad ſuperiores Sacerdotes, ſcilicet Epiſcopos pertinet, vt etiam ea, quæ difficultatem in lege facere poſſunt, ſciant, & tanto magis, quanto in maiori gradu collocantur.* Hæc *D. Thom.* Quæ valdè obſeruanda ſunt pro pluribus ſcrupulis circa ſufficientiam eorum, qui ordinandi ſunt, vel approbandi ad beneficium parochiale, vel ad confeſſiones audiendas.

9 Circa tempus quo obligat præceptum fidei *dico vltimo* Præceptum affirmatiuum fidei, (negatiuum enim ſemper obligat) quoad illos tres actus, ſcilicet addiſcere, credere, & confiteri fidem, obligat aliquando ratione ſui, & per ſe, aliquando ratione alterius, & per accidens. De hoc poſteriori non poteſt dari certa regula, quia ea, quæ ſunt per accidens non cadunt ſub arte, ſed quando occurrit aliquis actus, qui ſine fide exerceri non poteſt, verbi gratia, aliquis actus charitatis, vel ſpei, aut contritionis, vel religionis circa ſacramenta, aut orationis, quæ ſecundum fidem facienda eſt, tunc ratione iſtius caſus occurrentis, vel ſimilium, quando obligant obligabit etiam præceptum fidei. Per ſe autem obligat actus credendi in initio, & fine vitæ, quia tunc tenetur homo conuerti, & accedere ad Deum: *Accedentem autem ad Deum oportet credere*, vt ait *Apoſt. Hebr.* 11. & vocamus *initium vitæ*, quando peruenit aliquis ad vſum rationis, vel moraliter accipiendo illud inſtans, vel phyſice iuxta varias opiniones: in aliis verò temporibus aliquoties tenetur homo exercere actum fidei, ſicut & aliarum virtutum, quia tenetur viuere vita chriſtiana, quæ per actus virtutum exercetur, ſed tempus non eſt determinatum, licèt aliqui voluerint aſſignare illud in diebus feſtis, vel ſaltem ſolemnioribus, quando aliquis articulus, ſeu myſterium fidei celebratur. Sed ſine fundamento, cum de hoc neque ſit aliqua lex, neque præciſa conſuetudo. Illud tamen aduertendum eſt, ſufficienter ſatisfieri huic præcepto quando aliquis ſe exercet in actibus illarum virtutum, quæ ad ſui exercitium requirunt actum fidei, verbi gratia in charitate, aut pœnitentia, aut ſuſceptione ſacramentorum, & ſimilibus: ſicut etiam pro articulo mortis ſatisfacit qui conuertitur ad Deum, vel ſacramenta ſuſcipit proximè ad mortem, in his enim fides exercetur.

10 Circa *actum* addiſcendi fidem, iam ſupra *concluſion.* 3. Diximus obligari eum, qui neſcit fidem, & quoties illam neſcit; circa actum vero confitendi fidem exterius ſi loquamur de iure diuino regulam tradit D. Thom. hic quæſt. 3. art. 2. *Quod tunc obligat quando ex dimiſſione huius confeſſionis ſubtraheretur honor debitus Deo, & etiam vtilitas proximis impendenda, vt ſi aliquis interrogatus de fide, taceret, & ex hoc crederetur, vel quod non haberet fidem, vel quod fides non eſſet vera, vel alij per eius taciturnitatem auerterentur à fide. In his caſibus confeſſio fidei eſt de neceſſitate ſalutis.* Itaque non ſufficit aliquem interrogari de fide quomodocumque vt obligetur eam manifeſtare, ſed oportet, quod ex omiſſione confeſſionis, vel cedat in iniuriam Dei, vel ipſius fidei, vel in detrimentum proximorum, ſicut communiter accidit in perſecutione martyrij, præſertim quando quis publicè interrogatur à Tyranno.

DISPVT. V.

De ſubiecto & cauſa fidei.

ARTICVLVS I.

In quibus ſubiectis non inuenitur fides?

RESPONDEO, *& Dico primo.* In dæmonibus, & damnatis non manet fides infuſa, poteſt tamen manere acquiſita. De hac ſecunda parte concluſionis iam ſuprà ſæpè diximus, dari in Dæmonibus fidem acquiſitam, quia vt dicitur Iacobi 2. *Dæmones credunt, & contremiſcunt.* In prima autem parte concluſionis conueniunt communiter theologi, & ad minus tanquam improbabilem reputant opinionem Durandi, qui oppoſitum docuit de damnatis, & *Magiſt. Bañez* eum acrius cenſurat. 1

Cæterum cauſa ob quam fides corrumpatur in dæmonibus, & damnatis non facile redditur, ſupponendo quod non habent diſſenſum circa obiecta fidei, neque peccauerunt peccato infidelitatis tam Dæmones, quam fideles, qui damnantur: communiter autem ſolet aſſignari duplex cauſa. *Prima eſt* ex parte Dei, quia ſubtrahit influxum conſeruantem habitum fidei propter ſtatum damnationis perpetuæ, ob quam meretur priuari illo dono ſupernaturali damnatus, & quia fides de ſe ordinatur ad iuſtificationem, quæ in illo ſtatu eſt impoſſibilis. Sic *Caietanus in præſenti quæſt. 5. art. 2. Lorca ibi diſp. 30. Bañez ibidem, dub. 1. Suar. diſp. 7. ſect. 5. Torres diſp 43. dub. 1.* Sed non video fundamentum huius ſubtractionis concurſus, ſuſpendere autem concurſum, ſeu influxum non per introductionem alterius formæ, ſed per puram ſuſpenſionem, eſt annihilatio, docet autem *D. Thom. 1. part. quæſt. 104 art. 4.* Deum neque in ordine gratiæ, neque naturæ aliquid annihilare. Deinde quia in damnatis fidelibus remanet Character qui eſt qualitas ſupernaturalis, & donum quoddam gratiæ, vt communiter docent theologi cum *D. Thom. 3. part. quæſt. 63. art. 5. ad 3.* Et licet non ſit habitus operationis bonæ, vel malæ, eſt tamen receptiuus, vel actiuus miniſterialiter eorum quæ ſunt diuini cultus, & ſanctorum, quibus vel iuſtificatio recipitur, vel præhabetur, quæ omnia in ſtatu damnationis ſunt impoſſibilia, ergo ſicut ille ſtatus damnationis non petit quod Deus annihilet characterem, quomodo petit, quod annihilet fidem? 2

Secunda cauſa affertur à *Magiſt. Bañez, & Lorca* ex parte damnatorum, ſcilicet, quia corrumpitur pia affectio. Contra quod obiicit *Torres*, Quia hoc ſolum probat directè de actu fidei, ad quem requiritur motio voluntatis, non de habitu ad cuius conſeruationem non requiritur pia affectio, nec enim aliquis mouetur à voluntate ad retinendum habitum, ſed ad eliciendum actum. Item quia currit eadem 3

difficultas

difficultas de habitu ipſo piæ affectionis à quo corrumpatur?

4 Et *Ideo* dicendum videtur probabilius, quod voluntas Angeli, vel hominis in ſtatu damnationis manet firmata in malo per obſtinationem habitualem, vt docet *D. Thom. 1. part. quaſt. 64. art. 2. & 4. contr. Gent. c p. 95.* Ex hac ergo diſpoſitione habituali, & per modum ſtatus, qua obſtinatur voluntas in malo, deſtruitur omnis habitualis diſpoſitio ad bonum, & conſequenter habitus piæ affectionis, quo inclinatur voluntas ad credendum, ſicut opportet, ex quo vlterius redundat ad intellectum, quod ſit indiſpoſitus ad credendum modo ſupernaturali, & ſecundum affectum ad ipſas res credibiles: cum autem fides non ſubiectetur in ipſo intellectu abſolutè, ſed vt moto, & diſpoſito à voluntate (ſicut ſuprà diximus, & docet *D. Thom. hic quaſt. 4 art. 2.*) remota habituali diſpoſitione piæ affectionis, remouetur diſpoſitio ad recipiendam fidem, ſicut remoto lumine gloriæ, remouetur vnio eſſentiæ diuinæ in ratione ſpeciei; & remota diaphaneitate remouetur lux à ſubiecto: cæterum character remanet in damnatis, quia eſt qualitas ſupernaturalis purè conſtituens aliquem in ratione miniſtri Chriſti, non autem rectificat potentias animæ, vel actus earum, nec dependet à pia affectione voluntatis, vnde non habet cauſam à qua corrumpatur, repugnat autem cum ſtatu perpetuæ damnationis qualitas benè ordinatiua ſubiecti, vel operationum, non qualitas conſtitutiua miniſtri, quia miniſterium pertinet ad ſubiectionem, quæ conuerſatur etiam puniendo: bona autem ordinatio, etiam initiatiua, & fundamentalis ibi non datur, *vbi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat.*

5 Dico *Secundo.* In hæretico nullo modo manet habitus fidei inſuſæ, neque reſpectu articulorum, quos diſcredit, neque reſpectu aliorum, quos non diſcredit; ſumitur ex *Concilio Tridentin. ſeſſion. 6. cap. 15.* vbi inquit: *Aſſerendum eſt non modo infidelitate, per quam & fides ipſa amittitur, ſed etiam quolibet alio peccato mortali quamuis non amittatur fides &c.* Vbi Concilium abſolute affirmat infidelitate amitti fidem, hæreſis autem infidelitas eſt. Et Paulus dicit de quibuſdam hæreticis 1. ad Timoth. 1. *Quod circa fidem naufragauerunt*, ergo hæretici amittunt fidem, ſicut etiam ſunt extra Eccleſiam, vt determinatur in *Extrauaganti vnam ſanctam de maioritate, & obedientia*: non ſunt autem extra Eccleſiam, niſi quia fidem amittunt, nam ſola amiſſio charitatis non ponit extra Eccleſiam. Quod vero non remaneat fides infuſa reſpectu eorum quæ credit hæreticus probatur, quia fides infuſa reſpectu eorum quæ creduntur per Scripturam, & publicam propoſitionem Eccleſiæ, eſt vnius indiuiſibilis rationis, quia innititur vnico indiuiſibi i motiuo, ſcilicet authoritati diuinæ, vt captiuanti intellectum noſtrum, vnde videmus, quod quando aliquid de nouo definitur, vel proponitur à Deo, non datur nouus habitus fidei, ſed idem fertur in omnia illa credibilia; ergo ſi fidem amittit hæreticus, vt dicit *Concilium Tridentinum* totum habitum fidei amittit, alioquin ratione peccati daretur aliquod donum ſupernaturale, & ad credendum arbitrio id quod vult moueretur aliquis æquali motione Dei, ſeu lumine infuſo.

6 Quia *vero fides* amittitur in hæretico per contrarium diſſenſum; quia non credit ex ſubiectione ad regulam fidei, reſtat explicare, an phyſicè expellatur fides per peccatum infidelitatis, an ſolum moraliter, & demeritoriè? In quo *P. Suarez diſp. 7. de fide ſect. 4.* tenet habitum fidei non expelli phyſicè per infidelitatem, ſed ſolum moraliter morali diſpoſitione, ſeu demeritoria. Dicitur *diſpoſitio*, quia eo ipſo quod diſſentit ab vno articulo, manet impeditus ne eliciat aſſenſum circa alios ex fide ſupernaturali, & ſic ex tali impedimento non remanet in illo habitus; negat autem hanc diſpoſitionem eſſe phyſicam; *Tum quia* ſicut actus boni diſponunt ad habitus infuſos non phyſicè, ſed moraliter, ita actus mali ad expulſionem habituum infuſorum: *Tum quia* licet actus infidelitatis impediret phyſicè, ne exirent actus fidei, non tamen deſtrueret ipſum habitum fidei, quia ſemper homo manet potens ad exercendum actum fidei, mutando actum infidelitatis, ſatis ergo eſt quod illa diſpoſitio ſit moralis Quod vero phyſice non expellat infidelitas fidem probat iſte author, quia neque expellit effectiue, neque formaliter: *non effectiue*, quia infidelitas non cauſat aliquam formam per ſe oppoſitam cum habitu fidei, quoniam ſolum poteſt cauſare oppoſitum habitum erroris, qui tamen neque ſimpliciter producitur primo actu, cum in primo actu expellatur fides, nec etiam ſi producatur, non habet immediatam repugnantiam cum habitu infuſo fidei, quia habitus infuſi, & acquiſiti non contrariantur, vt patet in peccatore habente multos habitus vitioſos, qui non ſtatim expelluntur per gratiam, quando quis iuſtificatur; *Non formaliter*, quia actus nunquam eſt forma oppoſita habitui formaliter, vt etiam docet *D. Thom. 2. 2. quaſt. 24. art. 12.* ſicut in re naturali non repugnant motus ſurſum, & grauitas inclinans deorſum; ergo actus infidelitatis formaliter non expellit habitum fidei. Et præterea actus infidelitatis ſubitus ſine deliberatione, vel per ignorantiam inuincibilem habet totam entitatem phyſicam, quam infidelitas deliberata: & tamen non expellit fidem, ergo non expellitur ab actu phyſicè.

Nihilominus oppoſitum omnino tenendum 7 eſt, & dicendum inter actum infidelitatis, & habitum fidei interuenire veram, & realem oppoſitionem, non ſolum demeritoriam, ſed etiam phyſicam, ſufficientem ad expellendum habitum fidei. Poteſt autem dupliciter explicari hæc oppoſitio, *vno modo*, quia actus infidelitatis ponit diſpoſitionem repugnantem infuſioni ipſius habitus fidei, ſicut qui claudit feneſtram ponit diſpoſitionem repugnantem phyſicè illuminationi, ſcilicet opacitatem, & hoc modo dicit *D. Thom. 2. 2. cit.* Quod peccatum mortale opponitur charitati, & gratiæ, ſcilicet impediendo influentiam Dei in animam ſicut impeditur lux in aëre per corpus opacum: ita hoc modo per actum infidelitatis quod aliquis non vult credere, niſi quod ſibi placet, ponitur obſtaculum infuſioni habitus, qui inclinat ad credendum, captiuando intellectum in omnibus Deo reuelante. Sed quia hic modus oppoſitionis habet eaſdem difficultates, quæ inter charitatem, & peccatum mortale ſunt, an ſcilicet ſit contrarietas ſolum demeritoria, vel etiam phyſica, remitto hoc ad tractatum de charitate.

Alio *modo* opponitur infidelitas ſpecialiter ha- 8 bitui fidei, non ex parte infuſionis Dei tantum,

ſed

ſed ex parte rationis formalis credendi, ita quod ſecluſa omni ratione demeriti, & ſolum conſiderando rationem formalem fidei, & rationem formalem infidelitatis inter ſe contrariantur, non ſicut error circa vnam concluſionem, qui non opponitur toti ſcientiæ, ſed tantum illi concluſioni particulari: ſed quia quælibet infidelitas opponitur toti, & integræ rationi formali fidei, & ideò totam deſtruit, ſicut optime aduertit *Caietanus quæſt. 5. art. 3.* Ratio autem efficax eſt. Quia de intrinſeca ratione hæreſis, & infidelitatis eſt pertinacia, & adhæſio ad proprium iudicium, vt docet S. *Thom. hic quæſt. 5. art. 3.* ergo actus hæreſis affert ſecum conditionem deſtructiuam habitus fidei, quia modo habituali opponitur ipſi rationi formali fidei, quæ eſt veritas prima reuelans, & captiuans intellectum, non autem relinquens eum iudicio proprio: huic autem per diſſenſum opponitur hæreſis, & ſimul ponit habitualem diſpoſitionem, quia affert ſuam pertinaciam diſcredendi; ergo vnico actu poteſt generare diſpoſitionem habitualem contrariam habitui fidei, ſcilicet pertinacem adhæſionem ad proprium iudicium, & conſequenter expellit phyſicè illum habitum, qui ad ſui conſeruationem exigit oppoſitam diſpoſitionem: ſicut ille qui deſtruit diſpoſitiones corporis humani, phyſicè expellit animam quæ ſine illis non poteſt in corpore conſeruari; & ſicut vnicus actus demonſtrationis generat ſcientiam, quia perfecte conuincit intellectum, & ſic vincit illius reſiſtentiam, vt oſtendit *D. Thom. 1. 2. quæſt. 51. art. 3.* & conſequenter expellit oppoſitum errorem, ſic actus afferens ſecum pertinaciam, quæ eſt habitualis diſpoſitio oppoſita fidei, expellit illam à ſubiecto, non formaliter immediate, ſed formaliter diſpoſitiue, & mediate, & quia fides eſt indiuiſibilis pro omnibus credibilibus non poteſt expelli quoad vnum; quin deſtruatur, & expellatur quoad omnia.

9 Ad rationes *P. Suarez.* Negamus actus bonos non diſponere ſubiectum phyſicè ad habitus infuſos, non quidem producendos, ſed infundendos ſubiecto, ſicut diſpoſitiones ad animam rationalem non producunt illam, ſed vniunt corpori, & tamen phyſicè diſponunt, de quo diſputari ſolet in materia de gratia, & Pœnitentia. Sed quidquid ſit de hac quæſtione, ſaltem conſtat habitus aliquos ſiue infuſos, ſiue acquiſitos exigere ad ſui conſeruationem in ſubiecto aliquas diſpoſitiones, ſine quibus in illo eſſe non poſſunt, ſicut ſine conuerſione naturali ad Deum non eſt conuerſio, & rectitudo ſupernaturalis, & ſine prudentia non ſunt virtutes morales, & ſine pia affectione non eſt fides, quæ licet non ſint diſpoſitiones ad recipiendum phyſicè illos habitus, ſunt tamen neceſſariæ ad conſeruandum illos, ſicut anima non recipitur in diſpoſitionibus, & tamen ſine illis non poteſt phyſicè conſeruari in corpore, vnde qui deſtruit diſpoſitiones deſtruit formam, & expellit illam: ſic qui ponit pertinaciam circa errorem fidei, expellit ipſum habitum fidei; & quando inquiritur an expellat habitum effectiuè, vel formaliter? *Dico*, quod effectiuè mediante diſpoſitione pertinacis inhæſionis, quam relinquit in ſubiecto, quæ pertinacia non eſt forma directè oppoſita fidei, ſed diſpoſitiuè, quatenus non compatitur oppoſitam diſpoſitionem, ſcilicet intellectum non eſſe repugnantem, ſed captiuatum Deo, hoc deſtruit pertinacia oppoſita, igitur licet actus formaliter non repugnet habitui, poteſt tamen generari ex actu diſpoſitio aliqua habitualis oppoſita diſpoſitioni requiſitæ ad habitum, & talis eſt pertinacia Hæreſis. Infidelitas autem indeliberata, vel ex ignorantia inuincibili non habet adiunctam pertinaciam, & ſic non opponitur fidei.

Circa *fidem* autem acquiſitam, quæ manet in 10 hæretico, vel damnato eſt aduertendum iſtam fidem non generari ex actibus infuſis, vel ex teſtimonio diuino ſupernaturali modo propoſito, ſicut ad fidem, ſed modo naturali, nam aliquando credimus res fidei ex teſtimonio, ſeu motiuo humano, verbi gratia, ex relatione parentum, vel Prælatorum Eccleſiæ, aut ſimilium; vel ſi de facto non credimus illi teſtimonio, quia fallibile eſt, & non compatitur cum infallibilitate fidei diuinæ, tamen qui fit hæreticus, vel damnatus poteſt recordari illius teſtimonij humani, & vel ex illo, vel ex proprio iudicio, quia ſic ſibi videtur duci ad credendum vnum, & non aliud, vel ſaltem ad credendum id eſſe dictum à Deo, non tamen ex pia affectione, & modo ſupernaturali, ſed ex eo quod non poteſt aliter facere, conuictus tanta credibilitate ſignorum, vt ſupra explicuimus.

Dico *vltimo* In beatis non remanet habitus 11 fidei Eſt communis Theologum, licet in oppoſitum citetur *Durandus*; tenet illam *Diu. Thom. 1. 2. quæſtion. 67. articul. 3. & 5. & hic quæſtion. 1. articul. 4. & 5. & in 3. diſtinct. 31. quæſtion. 2. articul.* 1. deduciturque à Patribus, & doctoribus, & ex illo 1. Corinth. 13. *Cum venerit quod perfectum eſt, euacuabitur quod ex parte eſt.* Sed habitus fidei non eſt perfectus in cognitione clara, ſed *ex parte*, quia obſcurè cognoſcit, ergo euacuatur in Patria. Rationem autem reddere per quam formam euacuatur ille habitus non eſt facile, *P. Suarez diſp. 7. cit. ſect.* 5. recurrit ad ſuſpenſionem diuini concurſus deſtruentis fidem propter perfectionem ſtatus beatifici, & impedimentum quo beati in perpetuum ſunt impediti ad omnem actum fidei obſcurum, non tamen admittit phyſicam oppoſitionem inter lumen gloriæ, & habitum fidei, quia fuerunt ſimul in Paulo in raptu ſimiliter *Lorca hic diſp. 15. numero* 13. recurrit ad imperfectionem habitus fidei, qui ob ſui obſcuritatem non decet illum ſtatum. Cæterum hoc modo multæ virtutes morales, vt Pœnitentia, continentia, & ſimiles non decerent illum ſtatum, quia verſantur circa paſſiones, quæ ibi non ſunt, & habitus remanent, licet non illi actus imperfecti. Alij dicunt tolli habitum fidei, quia erit otioſus, & ſuperfluus Alij per oppoſitionem eius cum lumine gloriæ non abſolutè, ſed vt habet ſtatum perpetuum in beatitudine, & hoc eſt communius inter Thomiſtas, Caietanus 1. 2. *quæſt. 77. art. 5. Conrad. & Medin. ibid. Capreol. in 3. diſt.* 31. Et ſine dubio multum fauet *D. Thom.* nam in loco cit. *in 3. ſent.* apertè dicit, quod quia modus fidei importat imperfectionem, & obſcuritatem tollitur à Gloria, quæ imperfectionem, & obſcuritatem tollit, & 1. 2. *quæſt. 67. art. 5. ad 2.* dicit: *Quod imperfectio fidei, & perfectio gloriæ opponuntur adinuicem, & reſpiciunt idem ſubiectum,*

iectum, vnde non poſſunt eſſe ſimul, ſicut nec claritas aeris cum obſcuritate eius. Et ad 3. addit: *Quod in ſtatu gloria non ſolum actu tollitur obiectum fidei quod non eſt viſum, ſed etiam ſ undum poſſibilitatem propter beatitudinis ſtabilitatem, & ideo fruſtra talis habitus remaneret.*

12 Ex *quibus* vltimis verbis voluerunt aliqui inferre *D. Thom.* ſolum ratione ſuperfluitatis excludere habitum fidei à Gloria, non attendentes quod illa particula *fruſtra remaneret*, infertur à *D.Thom.* ex contrarietate inter gloriam, & fidem, non ſolum quia obiectum eſt actu non viſum, ſed quia non habet vltra poſſibilitatem vt ſit non viſum: ergo ex contrarietate habituali, & ſecundum poſſibilitatem infert fruſtraneam remanentiam, hoc eſt, impoſſibilem. Sic ergo Dicimus, quod lumen gloriæ habitualiter receptum in intellectu Beati cum ſit inclinatio ad viſionem claram circa ipſum obiectum fidei, quod eſt Deus, non minus dicit repugnantiam naturalem, & propriam cum habitu ipſo fidei, quam habitus erroris, & ſcientiæ, habitus opinionis, & ſcientiæ, habitus temperantiæ, & intemperantiæ. Friuolum autem eſt quod docet *Magiſt. Lorca*, quod formalitates, & conditiones actuum non reperiuntur in habitibus, niſi in virtute, & ita non oritur inter habitus formalis repugnantia, niſi quatenus generantur ex actibus formaliter contrariis, natu cauſæ continentes virtute oppoſitos effectus non repugnant inter ſe formaliter, vt videre eſt in Planetis, quorum ſunt contrarij influxus. *Sed hoc friuolum eſt.* Nam planetæ ſunt corpora diſtincta, & ita non mirum quod habeant virtutes contrarias influendi, in eodem verò Planeta non ſunt virtutes contrariæ ad influendum, & certè leuitas ſi poneretur in lapide ſine dubio excluderet grauitatem, licèt illa leuitas non generaretur ex motibus ſurſum, qui ſunt actus leuitatis. *Confirmatur.* Quia actus non poſſunt formaliter intrinſecè expellere habitus, quia formaliter illis non repugnant, ſed talem contrarietatem formalem per ipſos habitus exercent; ergo habitus formaliter intrinſecè habent illam repugnantiam; ergo quod ſint geniti ex actibus contrariis, vel non, parum conducit, dummodo inter ſe habeant formalem contrarietatem, & inclinationem ad ipſos actus oppoſitos, non minus quam ſi ab ipſis generarentur; ergo poſiti in ſubiecto mutuò ſe expellunt, & ſic lumen gloriæ quod eſt habitus clarus expellit fidem, quæ eſt obſcurus.

Soluuntur Argumenta.

1 OBiicies: Lumen gloriæ datum Paulo in raptu non excluſit habitum fidei, vt docet *D. Thom. 2. 2. quæſt. 175. art. 3. ad 3.* ergo ex natura rei poſſunt eſſe ſimul; nam quod lumen illud parum duraret in Paulo, & in beatis ſit perpetuum, non variat intrinſecam rationem illius, ergo nec oppoſitionem formaliter, quæ in illa fundatur: ſicut lux ſolis licet pro breui tempore ſit in aëre expellit tenebras, & peccatum mortale Charitatem; ergo etiam tunc debuit expellere fidem. *Obiicies Secundo.* Quia habitus virtutum moralium, quæ verſantur erga paſſiones dicunt aliquam imperfectionem ex parte ſuorum actuum incompoſſibilem cum ſtatu beatitudinis, ſcilicet reprimere paſſiones, quæ ibi non ſunt immoderatæ: tamen ipſi habitus ibi permanent, ergo etiam habitus fidei permanere poteſt, licèt ex parte obiecti, ſeu actus dicat imperfectionem non videndi ea, quæ ibi eſſe non poteſt.

Ad *Primum* quod eſt *P. Suarez*, & ante ipſum *Durandi in 3. diſtinct. 31. quæſt. 2.* benè reſpondet *Caietanus 1. 2. quæſt. 67. art. 5.* Quod lumen gloriæ in D. Paulo fuit quidem euſdem naturæ cum lumine gloriæ in beatis, non tamen euſdem ſtatus, & perfectionis, quia datum fuit Paulo per modum diſpoſitionis tranſeuntis, non per modum habitualis permanentiæ, oppoſitio autem inter habitus, & formas licet naſcatur ex ipſa natura formarum radicaliter, non tamen exercetur, niſi habeant ſtatum perfectum, & completum, cuius ſignum eſt, quia contraria in gradibus remiſſis compatiuntur in eodem ſubiecto, & virtus acquiſita quando eſt imperfecta, & in gradu remiſſo, compatitur cum habitu vitij, & hoc ideo eſt, quia iſta oppoſitio non eſt priuatiua, ſicut lux, & tenebræ, ſed ex contraria inter habitum, & habitum, contraria autem compatiuntur in ſtatu imperfecto, quia ſe habet ſtatus ille quaſi in fieri, & benè ſtat vnum contrarium eſſe in fieri, & aliud in facto eſſe: In Paulo autem lumen gloriæ fuit in ſtatu imperfecto, & per modum tranſeuntis, vnde ratione ſtatus non expulſit habitum fidei, licet ex parte naturæ ſuæ radicaliter habuerit diſpoſitionem contrariam ad habitum fidei, & *S. Thom.* vbi ſupra dixit: *Quod in gloria non ſolum actu tollitur obiectum fidei, quod eſt non viſum, ſed etiam ſecundum poſſibilitatem*, vbi ergo non ponitur viſio tali modo quod etiam tollat poſſibilitatem, non exercet oppoſitionem cum habitu fidei, vt habitus eſt, quia ad exercendam hanc oppoſitionem non ſufficit natura formæ, ſed etiam conditio habitualis ſtatus. 2

Ad *Secundum Reſpondetur*, Quod licet virtutes morales habeant materiam imperfectam, ſcilicet paſſiones, quas moderantur, non tamen habent modum imperfectum circa talem materiam, ſcilicet reducere illas ad rationem. fides autem è conuerſo ſe habet, quod circa materiam perfectam, id eſt, circa Deum, verſatur modo imperfecto, ſcilicet modo obſcuro, vt docet *Diu. Thom. 3. part. quæſt. 7. art. 3. ad 1.* Vnde habitus virtutum moralium manent in Patria, licet materia illa imperfecta ibi non maneat; ſicut in paupere datur magnificentia, licet non habeat materiam ad faciendos ſumptus. Reſtat explicare circa ſubiectum fidei, an ſit intellectus, vel voluntas? De quo *D. Thom. quæſt. 4. art. 2.* Sed non eſt difficultas ſpecialis, ex dictis enim ſatis conſtat eſſe in intellectu, cum eius actus formaliter ſit cognitio, & aſſenſus credendi, ſupponit tamen motionem voluntatis antecedenter, vt ſæpè dictum eſt, & quantum ad hanc motionem eſt in voluntate. 3

* * *

ARTICV

ARTICVLVS II.

De cauſa fides.

1 Circa cauſam producentem effectiuè fidem, ſolet primò diſputari, Ati fides inſormis in fundatur à Deo? Sed de hoc manifeſtè conſtat fidem illam eſſe ſupernaturalem, aliàs in peccatore non maneret fides infuſa, donum autem ſupernaturale ſolum poteſt à Deo infundi. Quando verò dicit Concilium Trident. Seſſion. 7. c. 7. *ſimul infundi hominem fidem, ſpem, & charitatem*, loquitur de infuſione fidei in ipſa Iuſtificatione, non tamen negat extra illam poſſe infundi fidem informem.

2 Secundò *inquiritur*, An habitus fidei ſit ſupernaturalis quoad ſubſtantiam: *Reſpondetur*, affirmatiuè, dicitur enim habitus, vel actus ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, non quia ſit ſubſtantia ſupernaturalis, hoc enim ſoli Deo conuenit, ſed quia ex ſua ſpecificatione, & obiecto ſupernaturalis eſt, conſtat autem obiectum formale fidei ſupernaturale eſſe, & conſequenter ex ſua ſpecificatione, & ſubſtantia ſupernaturalis eſt: illud autem dicitor ſupernaturale quoad modum, quod licet in ſua eſſentia ſit naturale, tamen modo ſupernaturali producitur, vel afficitur, ſicut illuminatio cæci in ſubſtantia eſt potentia viſiua naturalis, datur taman miraculosè, & modo ſupernaturali.

3 Solùm *Difficilia* ſunt verba *Diu. Thom.* 2. 2. *queſt.* 171. *art.* 2. *ad* 3. vbi inquit: *Quod dupliciter aliquid eſt ſupra naturam humanam, vno modo quantum ad ſubſtantiam actus, ſicut miracula facere, & cognoſcere occulta diuinæ Sapientiæ, & ad hos actus non datur homini habitualis diuina gratia. Alio modo eſt aliquid ſupra naturam humanam quantum ad modum actus, non quantum ad ſubſtantiam ipſius, ſicut diligere Deum, & cognoſcere eum in ſpeculo Creaturarum, & ad hoc datur donum gratiæ habitualis*; ergo ſecundum *Sanct. Thom.* Diligere Deum, & ſimiliter credere, ſolum ſunt ſupernaturalia quoad modum: *Reſpondetur*, Quod expreſsè *Sanct. Thom.* diſtinguit virtutes infuſas, quæ ſecundum ſpeciem ſupernaturales ſunt, ab his quæ ſolum ſecundum modum, vt patet in 1. 2. *quæſtion.* 63. *articul.* 4. *in corpore, & ad* 1. In verbis autem allegatis longè alius eſt ſenſus, nec *D. Thom.* negat, quod diligere, & credere in Deum ſint actus ſupernaturales quoad ſubſtantiam, id eſt, quoad ſpeciem, quæ ſumitur ex modo tendendi in obiectum, id enim ſignificatur illis verbis: *Quod eleuantur ſupra naturam humanam quoad modum actus*, id eſt, quoad modum ſpecificationis ex obiecto; affirmat autem quod aliæ virtutes eleuantur ſupra naturam humanam quoad ſubſtantiam, id eſt, quoad principium, & fundamentum à quo cauſantur, quia requirunt habere Deum pro principio, qui eſt ſubſtantia ſupernaturalis, ſicut facere miracula ſolum poteſt prouenire à Deo vt cauſa principali, & cognoſcere occulta diuinæ Sapientiæ non poteſt fieri niſi in ipſo Deo clarè viſo, vel ſi extra Deum cognoſcuntur debet eſſe per actualem reuelationem, ſicut eſt in Prophetis, non per aliquod donum habituale.

4 Denique inquiri ſolet, An per fidem infuſam cognoſcamus nos habere fidem, & actum credendi: quod eſt inquirere an fides eliciat actum reflexum circa ſe ipſam? *Reſpondetur*, Quod fides ipſa nõ eſt obiectum credendum per actum reflexum; quia non proponitur nobis inter credibilia, ſed tamen reflexè duo poſſumus cognoſcere de actu illo credendi quem experimur. *Primum*, Quod ſit ſupernaturalis in particulari, & hoc non cognoſcimus per fidem, nec enim eſt de fide hic & nunc exercerià me actum infuſum, ſed ex ſignis, & coniecturis id cognoſcimus, & ex quadam experientia interiori. *Secundum eſt*, Quod ille actus eſt certus, & infallibilis, & hoc ex ipſo effectu quem in nobis præſtat cognoſcimus; videmus enim nos adhærere rebus creditis, & infallibiliter de illis certificari exercendo actum infallibilem, vt docet *D. Thom.* 1. 2. *quæſt.* 102. *art.* 5. *ad* 2 non tamen id immediatè eſt de fide, licet de fide ſit in communi loquendo fidem eſſe infallibilem, non tamen hic & nunc exerceri actum fidei infallibilem. Videatur *Magiſter Bañez in hac* 1. 2. *quaeſt.* 6. *art.* 2. *dub* 2. *& Torres diſp* 42. *dub.* 5.

DISPVT. VI.

De Reuelationibus Priuatis.

5 REVELATIONES *Priuatas* in præſenti diſtinguimus conna eas, quæ nobis reuelantur, & proponuntur per Eccleſiam, vnde poſſunt dupliciter dici reuelationes priuatæ, *vno modo* ſolum quia non proponuntur per Eccleſiam, ſed modo particulari fiunt, ex parte tamen materiæ reuelatæ verſantur circa aliquod contentum in Sacra Scriptura, vel traditionibus Eccleſiæ, vt ſi Deus declararet mihi aliquod Myſterium contentum in Scriptura, quod nondum Eccleſia declarauit, & tales reuelationes dicuntur *priuata* ſolum ex parte modi proponendi, non ex parte materiæ propoſitæ. *Alio modo* dicitur *reuelatio priuata* quando etiam ex parte materiæ non pertinet ad fidem communem, id eſt, ad aliquid contentum in Sacra Scriptura, vel traditione, vt ſi Deus reuelaret mihi quot ſtellæ ſunt in cœlo, vel quot arenæ in mari, aut aliqua ſimilia, ſiue naturalia, ſiue ſupernaturalia. De primis reuelationibus facilè iudico, quod ſi fiant certò, ita quod aliquis interius de illis certificetur, quod creduntur fide Catholica communiter, quia verſantur circa ſuum obiectum, & ordinantur ad eundem finem, & nituntur eidem rationi formali, ſcilicet teſtimonio Dei, & ſolum Deus ſupplet per ſe ipſum propoſitionem Eccleſię, quod non variat eſſentialiter fidem; ſicut Prophetæ, & Apoſtoli habuerunt veram fidem, & tamen Eccleſia non proponebat illis, ſed Deus, & ipſi, Eccleſiæ.

6 De *Secundo* genere reuelationum eſt tota Difficultas in qua *Suarez diſp.* 3. *de fide ſect.* 10. *num.* 5. tenet quod in quacumque materia verſetur reuelatio priuata per fidem communem ei creditmus. Et idem tenet *Bellarm lib.* 3. *de Iuſtificatione c.* 3. Quietiam alios citat *Et fundamentũ eſt*;

Quia ſaluatur eadem ratio formalis in talibus reuelationibus, creduntur enim ob teſtimonium diuinum, ſolum verò eſt differentia in materia, & in proponente, quod ſcilicet nobis non proponantur per Eccleſiam, verumque autem eſt variatio materialis, & accidentalis, quia proponens non pertinet ad ſpecificam rationem fidei, nec quod ſit de iſta, vel illa materia, vnde in Scriptura legimus plures reuelationes priuatas, quæ tamen ſunt creditæ per fidem, vt quando Saræ fuit facta reuelatio de filio, & Iſaac de duobus Geminis, & Dauid quod traderent eū Amalechitæ. Ad hęc in *c. cum ex iniuncto de Hæreticis* dicitur non eſſe adhibendam fidem reuelationi priuatæ, niſi vel miraculo comprobetur, vel euidenti teſtimonio Scripturæ; ergo ſi ſic probetur debet illi adhiberi fides: & in *Concilio Lateranenſi ſub Leone Decimo Seſ.* 11. prohibentur prædicari huiuſmodi ſpeciales reuelationes ſine approbatione, & examine Eccleſiæ; ergo ſupponitur quod ſtante approbatione Eccleſiæ poſſunt credi.

3 Oppoſitum tamen ſentiunt communiter Thomiſtæ *Caietanus 2.2. quæſt. 1. art. 1. & quæſt. 3. art. 3. Bañez quæſt. 1. art. 1. dub. 3 Soto lib. 3. de Natura & Gratia cap. 11. Zumel 1. p. quæſt. 1. art. 3.* nec diſſentit *Lorca hic diſp.* 7. dum ait, tales reuelationes non pertinere ad fidem Chriſtianam, niſi poſſint reduci ad Deum, vel Chriſtum, & conſequenter ad Sacram Scripturam. Et ſumitur ex *D. Thom. 1. p. quæſt. 1. art. 8. ad ſecundum. Innititur* (inquit) *fides noſtra reuelationi Apoſtolis, & Prophetis factæ, qui Canonicos libros Scripſerunt, non autem reuelationi, ſi qua fuit alijs Doctoribus facta.* In hac 2. 2. *quæſt. 5. artic.* 3. inquit: *Quod formalis ratio obiecti fidei eſt veritas prima ſecundum quod manifeſtatur in Scripturis ſacris, vt doctrina Eccleſiæ, quæ procedit ex veritate prima.* Et idem habet *quæſt. 3. de Charitate art. 13. ad ſextum.* Omiſſis verò alijs varijs rationibus quibus fundari ſolet hæc ſententia, illa videtur probabilior: Quia fides noſtra eſſentialiter habet eſſe *ſubſtantia ſperandarum rerum*, vt dicit Apoſtol. in definitione fidei ad *Hebr.* 11. quæ tanquam vera definitio acceptatur à Theologis, & habet eſſe virtus theologica ordinans circa finem vltimum, & hoc conuenit illi eſſentialiter, & per ſe ex obiecto, vt oſtendit *Sanct. Thom.* infrà *quæſt 4. art. 1. & quæſt. 1. art. 6. ad tertium, & quæſt. 2. art. 5.* vbi docet: *Quod obiectum per ſe fidei eſt id per quod homo Beatus efficitur, reliqua autem ſunt per accidens.* Et ratione patet. Quia fides noſtra qua Chriſtiani ſumus eſſentialiter eſt in aliqua ſpecie virtutis, neque enim poteſt eſſe in genere, niſi ſit in ſpecie, non autem in alia ſpecie, quam virtutis theologicæ; ergo opportet quod habeat pro obiecto ſpecificatiuo ipſum Deum, ſeu finem vltimum, nec poſſet ferri in aliqua niſi prout pertinent, & ſubordinantur iſti obiecto, qualia ſunt contenta in Scripturis, & in traditione Eccleſiæ, & ſic ſi alia reuelentur à Deo credi poterunt fide diuina communiter ſumpta, non autem fide theologica, de qua loquimur hîc, & ſic erit alia ſpecies habitus, vel actus de quo ſtatim dicemus Exemplū, eſt in Spe,
2 neque enim poſſumus per Spem theologicā ſperare à Deo niſi Beatitudinem, & ea quæ ad Beatitudinem ordinantur, vt dicetur infrà *q. 17. art.* 2. tamen ſi promittatur à Deo aliquid non pertinens ad Beatitudinem, verbi gratia, creare nouam ſtellam, vel nouum Angelum poteſt id ſperari à Deo Spe communiter dicta, non tamen Spe Theologica.

Ad *Fundamentum* oppoſitum dicimus, Quod 4
in reuelatione priuata non eſt eadem ratio formalis quaſi in ſpecie, & in ratione virtutis theologicæ, ſed quaſi in genere, & ſecundum rationem fidei communiter dictam, vt præcisè dicit credere Deo, actus autem fidei noſtræ non eſt ſolum credere Deo, ſed credere Deum vt obiectum, & in Deum vt in finem vltimum, vt explicat *D. Thom.* hîc *q. 2. art.* 2. Neque Deus vt creditus eſt quomodocumque obiectum materiale fidei, ſed primarium, quod etiam pertinet ad ſpecificationem, ſicut color in viſu, & ſanitas in Medicina, vt docet *D. Thom.* hîc *quæſt. 1. art.* 1. Itaque ipſa propoſitio Eccleſiæ nullomodo intrat ſpecificationem fidei, ſed ſolum ſe habet vt proponens fidem ex parte Dei, ſed obiectum quod per Eccleſiam, vel Scripturam proponitur eſt pertinens ad ſpecificatiuum fidei, & virtus theologica eſt, & ideò quidquid extra tale obiectum reuelatur à Deo, quod vocatur reuelatio priuata ex parte materiæ, ſeu obiecti non creditur per fidem theologicam, ſed per Prophetiam, vel actualem quandam illuſtrationem, qua inclinatur mens ad iudicandum, & aſſentiendum certò de illis rebus reuelatis, nam etiam ad Prophetiam pertinet iudicare, & aſſentiri rebus Prophetatis, vt docet *D. Thom.* 2. 2. *quæſt. 173. art.* 2. & de certis reuelationibus intelligitur illud 1. ad Theſſalonicenſ. 5. *Prophetias nolite ſpernere*, & 1. Corint. 14. *Prophetæ autem duo aut tres dicant, & cæteri diiudicent, quod ſi alij reuelatum fuerit ſedenti, prior taceat.* Ergo ſenſit Apoſtolus iſtas reuelationes, quæ tunc priuatim fiebant, reduci ad Prophetiam.

Quod verò *additur* de reuelationibus priuatis 5
factis in Scriptura, vel quæ fuerunt factæ Apoſtolis, & Prophetis. *Reſpondetur.* Omnes illas non cenſeri priuatas ex parte materiæ, referebātur enim ad fidem noſtram, vel præſignando Chriſtum, vel inſtruendo nos in via Dei, iuxta quod dicitur 2. ad Timoth. 3. *Omnis Scriptura diuinitus inſpirata vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iuſtitia, vt perfectus ſit homo Dei.*

Ad *Cap. cum ex iniuncto.* Reſpondetur, in 6
primis non loqui ibi Pontificem de reuelatione priuata, ſed de miſſione ad prædicandum: *Non ſufficit* (inquit) *vndè tantum aſſerere quod ipſe ſit miſſus à Deo, ſed oportet quod aſtruat illam inuiſibilem miſſionem per operationem miraculi, &c.* Deinde etiam ſi loqueretur de ſpeciali reuelatione, non loquitur de modo quo creditur ab eo cui fit reuelatio, ſed de modo quo eſt acceptanda in Eccleſia, & dicit non eſſe approbandam niſi miraculo, vel ſufficienti Sacræ Scripturæ teſtimonio, nec tamen docet tunc eſſe acceptam, vt rem definitam de fide, ſed permittatur in Eccleſia, aut habeatur pro legitima in ſuo genere, ſcilicet genere reuelationis ſpecialis, ſicut multæ reuelationes Sanctorum ſunt in Eccleſia vt permiſſæ, non vt definitæ, Et eodem modo *Conſilium Lateranenſe* loquitur de permiſſione reuelationis, vt poſſit prædicari in Eccleſia, non vt debeant credere illam. Quando autem in *Concilio. Tridentin. ſeſſ* 6. *cap.* 12. dicitur, non poſſe aliquem ſcire certò ſe eſſe in Gratia, niſi per reuelationem, non loquitur de reuelatione, quæ credatur per fidem

theologicam,

Theologicam ſed per aliquam Prophetiam & illuſtrationem reſpectu eius cui fit reuelatio, licet per illam reuelationem, quæ à Deo eſt infallibilis certitudo habeatur de ſtatu gratiæ.

7 Sed *inquires*. Si iſte cui fit reuelatio priuata nolit credere, & tamen credat iis quæ proponuntur ab Eccleſia, vel Scriptura, an ſit dicendus Hæreticus in foro interiori? *Reſpondet Bannez*, fore Hereticum ex conſequenti, quia exiſtimans Deum ſibi reuelare, & non credens, ex conſequenti dicit Deum mentiri. Sed vrgeamus caſum quod ille homo ſciat Deum non mentiri etiam in hac reuelatione, ſed pro ſua libertate non vult credere, credit tamen propoſitiones ab Eccleſia factas, an tunc erit infidelis, & qua ſpecie infidelitatis? *Reſpondetur* caſum ſatis metaphyſicum videri, quod nolit aliquis credere Deo reuelanti, ſuppoſito quod habet omnem certitudinem, quod illa reuelatio non ſit falſa, & tamen quod velit credere Deo reuelanti per Eccleſiam: Dicimus ergò illum fore infidelem, quia non credit Deo, ſed infidelitate quadam priuata, qua non vult credere Prophetiæ diuinæ particulari. Reducitur autem ad speciem infidelitatis, quæ eſt hæreſis, quia pro ſua libertate diſcredit Deo reuelanti per ſe ipſũ, & non Deo reuelanti per Eccl. licet enim ſolùm ſint tres ſpecies infidelitatis, Paganiſmus, Iudaiſmus, & Hæreſis, tamen iſtæ ſunt ſpecies conſuetæ, illa autem eſt extraordinaria, & ſufficit quod reductiuè ponatur in aliqua iſtarum ſpecierum, tanquam quid imperfectum in illo genere.

ARTICLVS VII.

De effectibus Fidei.

1 DE *his* agit *ſanctus Thomas queſtione ſeptima*, & aſſignat duos effectus fidei, ſcilicet, timorem & purificationem cordis, in quibus tria notari poſſunt. *Primò* diſtingui in fide, ſicut in aliis virtutibus, actum, & effectum, actus virtutis dicitur operatio elicita ab ipſa, effectus dicitur quidquid ex tali operatione relinqui poteſt, ſiue ſit alius actus imperatus, quia ex vno actu excitamur ad alium, ſiue ſit aliqua diſpoſitio, vel motio, vel aliquis modus relictus ex operatione, ſic *diuus Thom.* numerat plures effectus amoris 1.2. *quæſt.* 18. & plures effectus Charitatis 2.2. *quæſt. etiam* 18. *Notandum ſecundò*, illos duos effectus fidei procedere ab ipſa, non vt purè ſpeculatiua eſt, ſed vt practica, quæ proponit obiectum ſupernaturale, vt amandum per charitatem, & ſic facit purificationem cordis, ſeu voluntatis media Charitate: proponit etiam hoc obiectum vt in ſe magnum, & potens inferre malum, & ſic cauſat timorem. Nec tamen ſolùm iſti duo ſunt effectus fidei, ſed alios multos habet in nobis, vt ſpei, deſiderij, doloris &c. ſed quia illi duo ſe habent tanquam primus & vltimus effectus, qui ex fide oriuntur; etiam alij intermedij in illis cenſentur incluſi. Incipit enim homo à timore, qui eſt initium ſapientiæ, concuti, & diſponi ad pœnitentiam, & tandem peruenit ad hoc, vt excludatur culpa, & purificetur cor, non formaliter per ipſam fidem, ſed per

per gratiam, ad quam diſponit fides inchoatiuè.

Nota vltimò, timorem poſſe aliquando præcedere fidem, ſed tunc non erit ſupernaturalis, & ex motiuo ſupernaturali, quia prius eſt credere, & aſſentiri Deo, quem proponit fides, quam Deum timere, qui enim non credit, pœnas non timet, ſicut prius debet Deus credi, quam ſperari. Vt autem timor ſupernaturalis ſit, debet ex motiuo, & cognitione ſupernaturali procedere, vt cum timetur pœna æterna, vel ſeparatio à Deo per culpam, vel ſi aliquando ante fidem datur timor ſupernaturalis mouens aliquem vt accipiat fidem, tunc habebitur ex aliqua ſupernaturali illuminatione præcedente fidem per modum gratiæ excitantis. 4

Ferè nulla remanent dubia, quæ alicuius momenti videantur præter ea quæ in iſto Tractatu examinata relinquuntur. Vt tamen copioſiorem eius notitiam exhibeamus breuiter de credibilibus ipſis explicare placuit, quæ circa articulum 6. 7. & 8. continentur Pro quorum maiori luce ſit in hac diſputatione. 5

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum omnes articuli Fidei contineantur impliciè in illis duobus credibilibus Deus eſt, & inquirentibus ſe Remunerator eſt.

PRo cuius intelligentia notandum eſt primò Deum eſſe, & ſimul eſſe remuneratorem bonorum operum dupliciter poſſe intelligi. *Primò* vt iſta reſplendent in effectibus creatis ordinis naturalis, & ex eorũ cognitione poſſunt à nobis naturaliter cognoſci, nam vt ait *Sanct. Thom.* in Proœmio ad Quartum librum contra gentiles: *Lumen naturale rationis per aſſenſum quendam ex effectibus naturalibus ad Deum cognoſcendum pertingit. Secundò.* poteſt intelligi quatenùs omninò tranſcendunt ordinem naturæ, & ſecundum quod ex effectibus ordinis naturalis nullatenùs ad illa intelligenda peruenire poſſumus; eo quod ipſis naturalibus effectibus non reſplendent, & in priori conſideratione non continent articulos fidei, benè tamen in ſecunda conſideratione, in qua loquutus fuit *D. uus Paulus*, & adducit verba illa *D Thom.* in præſenti. 1

Secundo *Notandum eſt*, Articulos fidei contineri in his veritatibus dupliciter etiam poſſe contingere, *Primo modo*, in ordine ad nos, videlicet cognoſcendo continentiam illorum, & illationem ex illis: *Secundo modo* abſolutè, & in ſe, quamuis continentia illa nobis nota non ſit. Ex hoc dupliciter adhuc intelligitur: *Primo modo* ex natura rei, & neceſſaria connexione aliorum myſteriorum cum illis principiis: *Secundo modo* ex diuina determinatione, quæ ex aliquo principio alia deducit, & deriuari voluit. *Tertio notandum eſt*; Quod Deum eſſe Saluatorem, ſeu remuneratorem bonorum operum etiam poteſt dupliciter intelligi, *vno modo* quaſi in actu ſignato, hoc eſt, quod iſtæ proprietates Deo conueniunt, *altero modo* in exercitio, videlicet quod de facto voluerit ſaluare hominem, & eſſe remuneratorem bonorum operum. 2

Vltimo *notandum eſt*, Quod hæc differentia
3 reperitur inter vniuerſaliſſima principia naturalia, videlicet *quodlibet eſt, vel non eſt*, & alia huiuſmodi, & inter duo iſta principia ſupernaturalia de quibus dubitamus, quæ conſiderantur tanquam dignitates quædam reſpectu omnium articulorum fidei, quod ſcilicet in alijs principijs naturalis ordinis alia continentur taliter lumine naturali nota quod nullo modo inferuntur ex illis, ſed in eis dicuntur contineri, quia illa verſantur circa aliquid vniuerſalius, & magis notum ratione ſuorum terminorum ex quibus alia principia magis nobis innoteſcunt, & iſta vniuerſaliſſima præſupponuntur tanquam præambula illorum. In illis autem duobus principijs ſupernaturalibus, de quibus diſputamus alij articuli continentur, & inferuntur ex illis, quidam ex natura rei, alij ex diuina ordinatione, & voluntate, licèt non ſecundum quod ad fidem ſpectant, quæ cum diſcurſiua non ſit, de illatione non curat, ſed ex virtute Theologici diſcurſus, nam ex eminentia in eſſe bene colligitur eminentia in vnitate, ita vt vnum ſit quaſi ratio alterius ſaltem quoad nos; & ex eminentia ipſius eſſe, & vnitatis ſequitur eminentia virtutis actiuæ, & finalizationis.

4 Prima *Concluſio*. Articuli fidei non continentur implicitè in illis duobus principijs ſecundum quod ſplendent in effectibus à nobis naturaliter notis. hac concluſio certiſſima eſt, & *probatur primò* efficaci ratione quia articuli fidei ſunt ordinis ſupernaturalis, ſed ſupernaturalia non poſſunt implicitè contineri in aliquo naturali, quia ſecundùm ſe excedunt totum ordinem naturæ; ergo non continentur in illis principijs ſecundùm quod ſplendent in effectibus naturalibus. *Secundò probatur*. Quia iſta principia ſunt neceſſaria ad ſalutem, & aliquando illa ſola ſufficiunt, videlicet quando haberi non poteſt cognitio explicita aliorum Myſteriorum, quæ in his principijs implicitè continentur; ergo non continent articulos fidei ſecundum quod reſplendent in effectibus à nobis naturaliter cognoſcibilibus. *Patet conſequentia*. Quia alias ſequeretur quod ad ſalutem cognitio naturalis ſufficeret. *probatur ſequela*. Quia illa duo principia aliquando ſufficiunt ad ſalutem, ſed cognitio illorum ſecundum quod in effectibus naturalibus ſplendent eſt naturalis, & naturaliter acquiritur; ergo ſi ſecundùm iſtam rationem continerent articulos fidei, cognitio naturalis ad iuſtificationem ſufficeret, quod eſt Hæreticum.

5 Sed *contra hoc eſt*. Quia *Sanctus Paulus ad Hebr.* 11. ponit duo illa principia tamquam neceſſario cognoſcenda ante Baptiſmum adultorum, ſed tunc non cognoſcitur Deus niſi ſecundùm ordinem naturæ, cum nondum ſit in ſubiecto habitus fidei, quo credatur vt author gratiæ ergo ſecundum cognitionem naturalem continentur articuli in illis principiis; *reſpondetur*. Quod illa cognitio de qua loquitur D. Paulus eſt ſupernaturalis, & ſi conſideretur ſecundum quod eſt præuia ad Baptiſmum aliquando non elicitur ab habitu fidei, ſed à potentia adiuta auxilio ſupernaturali ipſius Dei; in ipſo autem inſtanti quo fides infunditur, elicitur ab illa, & licèt tunc ſit conſequens gratiam in genere cauſæ efficientis, & formalis, eſt tamen antecedens illam in genere cauſæ materialis, & ſic per illam cognitionem ſupernaturalem accedit homo ad Deum.

Secunda *Concluſio*, ea quæ ſunt de fide, & eſſentialiter competunt Deo ab intrinſeco continentur in illo principio *Deus eſt*, vt pertinet ad 6
ordinem ſupernaturalem. *Probatur concluſio*; quia eo ipſo quod Deus totum ordinem naturæ tranſcendit, includit intrinſecè vnitatem diuinæ eſſentiæ in tribus perſonis, potentiam ad omnes effectus producendos etiam ordinis ſupernaturalis, etiam eſſe finalem cauſam ſupernaturalem, cum cauſa efficiens, & finalis debeant proportionari; ergò omnia iſta optimè reducuntur ad illud principium *Deus eſt*, tanquam in illo contenta, ſecundum quod ad naturalem ordinem ſpectat. *Secundò probatur*, quia eo ipſo quod aliquis videat diuinam Eſſentiam per lumen gloriæ, videt omnia iſta, quæ formaliter in Deo continentur, ſed de illis ſunt articuli fidei in via; ergo continentur in illo principio admodum explicatum in concluſione.

Tertia *concluſio*. in altero principio, ſcilicet, 7
Deus inquirentibus ſe remunerator eſt, continentur omnes alij articuli fidei pertinentes ad prouidentiá quam de facto, & in exercitio Deus habet de hominibus in ordine ſupernaturali. Intelligi debet iſta concluſio de omnibus his quæ de facto Deus decreuit facere in ordine ad ſalutem humani generis, vt eſt Incarnatio filij eius mors & *reſurrectio*, &c. Iſta autem non continentur in illo principio ex natura illius, benè enim ſtare poſſet prouidentia etiam ſupernaturalis multis alijs modis Deo poſſibilibus, ſed ex libera Dei voluntate, qua decreuit per iſta determinata media homines ad cœleſtia regna perducere, atque adeò in illo principio videbuntur clarè per lumen gloriæ in patria ſuppoſita tali voluntate & determinatione diuina.

Soluuntur Argumenta.

ARguitur *primò* contra noſtram reſolutio- 8
nem; quia vt docet *ſanctus Thomas in hoc articulo*, iſtæ duæ veritates de quibus diſputamus habent ſe ſicut vniuerſaliſſima principia, vt eſt illud, *impoſſibile eſt nihil affirmare, & negare de eodem, &c.* Sed in hoc principio non continentur alia principia naturalia, ergò nec in illis veritatib. articuli fidei. *Probatur minor*. quia omnia principia ſunt per ſe, & immediatè cognoſcibilia, omnia enim in hoc conueniunt quod ſine medio cognoſcuntur; ergò etiam alij articuli fidei non continentur in illis veritatibus *Deus eſt, & inquirentibus ſe remunerator eſt*, ſed quilibet illorum immediatè, & per ſe cognoſcitur à fide.

Reſpondetur quod proportio principiorum 9
noſtri dubij cum alijs naturalibus ſolum tenet quantum ad hoc quod ſicut in iſtis continentur ſuo modo alia principia, quæ ſunt magis determinata, & minus vniuerſalia, ita in illis principijs articuli alij continentur: differunt tamen in hoc quod principia naturalia etiam implicitè contenta in vniuerſaliſſimo principio non poſſunt deduci ex illo per conſequentiam quia vtrumque principium eſt immediatum, articuli autem fidei poſſunt inferri ex veritatibus noſtri dubij; quidam enim quaſi ex natura rei, alij verò ſuppoſita diuina voluntate, & ordinatione non per diſcurſum ordinis naturalis, neque

per fidem quæ diſcurſiua non eſt, ſed alia via vt diximus notabili vltimo ante primam Concluſionem.

Arguitur *Secundò*. In cognitione naturali impoſſibile eſt quod contineatur cognitio rei ſupernaturalis;ergo in illis veritatibus non continentur articuli fidei. *Probatur conſequentia*. Quia Deum eſſe, & etiam eſſe remuneratoré bonorum operum, & habere omnium prouidentiam eſt veritas cognoſcibilis naturali lumine, ſed articuli fidei omnino excedunt captum cognitionis naturalis noſtræ; ergo non continentur in illis veritatibus.

8 Confirmatur *Primò*. Quia veritates articulorum fidei, verbi gratia, Incarnatio Chriſti Domini, Paſſio illius, & Sacramentorum Inſtitutio, &c. non poſſunt deduci ex illis veritatibus;ergo non continentur in ipſis *Antecedens probatur*. Nam ex eo quod Deus ſit, & ſit remunerator bonorum operum non ſequitur per ſe quod Deus Carnem aſſumat, patiatur, aut inſtituat Sacramenta, potuit enim aliis infinitis materiis ſibi poſſibilibus bona opera remunerare, ergo. *Confirmatur Secundò*. Quia ex eiſdem veritatibus non inferuntur alia pertinentia ad fidem; ergo non continentur in ipſis. *Probatur conſequentia*. Quia illa quæ in aliquo principio continentur poſſunt ab illo inferri per bonam conſequentiam. *Antecedens autem Probatur*. Quia ex hoc principio *Deus eſt*, non poſſumus inferre quod ſit Trinus in perſonis, &c. & ſpecialiter cum fides non ſit diſcurſiua, ergo nequeunt inferri aliqua ex illis veritatibus, atque adeo fundamentum concluſionis *Sanct. Thom.* nullum erit.

9 Ad *hoc* argumentum reſpondetur illo probari noſtram, primam concluſionem, quod ſcilicet, ſecundum quod naturaliter illa principia cognoſcuntur non continent articulos fidei. *Ad primam Confirmationem reſpondetur* negando antecedens; ad eius probationem dico. Quod ex illo principio, videlicet, *Deus eſt bonorum operum remunerator* non ſequitur naturaliter quod actu per iſta determinata media repararet humanum genus, verbi gratia, per incarnationem, aut mortem filij ſui, ſequitur tamen ea libera, & gratuita ſua voluntate, qua iſta media in particulari elegit, quibus maxime ſuam ſapientiam, bonitatem, & alia attributa manifeſtaret, vt dicitur 3. p. *quæſt. 1. art. 1. Ad ſecundam Confirmationem reſpondetur*, Quod quantum ad nos non inferuntur illa Myſteria ex talibus principiis, quia ex cognitione Dei vnius deuenire non poſſumus naturaliter ad cognitionem Trinitatis Perſonarum, aut Myſterij Incarnationis; inferuntur tamen ſecundùm ſe magis quam quælibet concluſio ex principiis naturalibus, aliqua ex natura rei, alia vero ſuppoſita diuina voluntate, & ordinatione à qua dependent. Neque etiam inferuntur Articuli fidei medio habitu eius ex illis principiis, eo quod fides non diſcurrit, ſed omnia immediatè oſtendit propter Teſtimonium primæ veritatis immediate reuelantis illa.

***

ARTICVLVS II.

Vtrùm poſt Apoſtolos numerus Articulorum fides creuerit, taliter quod in Aliis fuerit Euangelij perfectior notitia, quam in ipſis?

Circa iſtam difficultatem quidam Abbas Ioachim Ordinis S. Benedicti, & Frater Petrus Ioannes Ordinis Sancti Franciſci aſſeruerunt, quod Apoſtoli non perceperunt ſenſum Sancti Euangelij, ſed primus nouit illum Sanctus Benedictus, iuxta ſententiam illius Abbatis, & iuxta ſententiam Petri Ioannis, Sanctus Franciſcus. Quem errorem damnatum refert *Guido Carmelita, & Caſtro de Hæreſibus verbo Apoſtoli, Hæreſi* 1. Dicebant enim iſti diſtinguendos eſſe tres ſtatus hominum, primus erat ab Adamo vſque ad Chriſtum; ſecundus a Chriſto, vſque ad Sanctum Benedictum iuxta ſententiam vnius, vel vſque ad Sanctum Franciſcum, iuxta Sententiam alterius: Tertius erat à Sancto Benedicto, vel Franciſco vſque ad finem mundi. Pro primo ergo ſtatu affirmabant eſſe latam carnalem legem. In ſecundo legem ſpiritualem Euangelicam, ſed non ſpiritualiter intellectam, ſed carnaliter. In tertio ſtatu fuiſſe legem ſpiritualem ſpiritualiter intellectam. Sed tamen relictis his erroribus. 1

Pro luce huius difficultatis notandum eſt primo claritatis gratia durationé mundi ab initio vſque ad finem eius diſtingui in duplicem partem. *Prima* ab initio mundi vſque ad aduentum Chriſti. *Secunda* ab aduentu Chriſti primo, vſque ad ſecundum quando iudicaturus eſt Orbem terræ in æquitate. Prima autem pars optimè diuiditur à *Sancto Gregorio Homil. 19. in Euangel.* in alias quatuor partes. Prima ab Adam vſque ad Noë Secunda à Noë vſque ad Abraham. Tertia ab Abraham vſque ad Moyſem. Quarta à Moyſe vſque ad Chriſtum Dominum. 2

Secundò Notandum eſt pro intelligentia rationis *Sanct. Thom.* Quod ordo propinquitatis ad Chriſtum, aut elongationis ab illo poteſt attendi, vel in ipſis diuerſis ſtatibus, vel in particularibus perſonis illorum. Fundamentum igitur rationis *D. Thom.* non procedit de perſonis particularibus, non enim erat neceſſarium quod omnes homines quanto propinquiores erant aduentui Chriſti, tanto pleniorem haberent notitiam fidei, ſed procedit de ipſis ſtatibus, videlicet quod quanto magis accedebant ad fontem veritatis & lucis, qui eſt Chriſtus, tantò vberior, & expreſſior erat in illo ſtatu cognitio Myſteriorum fidei. 3

Tertiò *notandum eſt*. Quod hæc maior cognitio, quæ ponitur in ſtatibus ratione propinquitatis ad Chriſtum ſolum eſt neceſſario ponenda in ipſis Doctoribus, & Magiſtris, & in lege magis peritis, qui alios de rebus, & Myſteriis fidei inſtruere debebant. Quod ſi comparatio fiat cum aliis Magiſtris aliorum ſtatuum, tunc dicendum eſt, quod Magiſtri illius ſtatus magis propinqui ad aduentum Chriſti excedebant in cognitione Myſteriorum Magiſtros remotioris ſtatus: & ſic videtur apertè colligi ex doctrina *Sanct. Thom.* infra *quæſtio. 174. art. 6.* vbi ponit excellentiam 4

in illis hominibus qui erant Magiſtri cuiuſcumque ſtatus, & tanquam capita aliorum. Itaque Abraham habuit pleniorem notitiam de Myſteria fidei, quam reliqui, qui illum præceſſerunt, & qui ſequuti ſunt vſque ad Moyſem, qui illum exceſſit in claritate cognitionis, præcipuè cum viderit diuinam eſſentiam, vt ex *D. Auguſtin.* docet *D. Thom. quæſt.* modo citat *art. 4. in corpor.*

5 Quarto *notandum eſt*, Quod comparatio iſta non debet fieri cum his qui fuerunt poſt aduentum Chriſti in lege gratiæ, ſimpliciter enim, & abſolutè dicendus eſt excellentior ſtatus; & ideò vt notauit *D. Thom.* hîc *ad quartum*, vocatur à D. Paulo *ad Galat.* 4. tempus gratiæ tempus plenitudinis, quia in eo eſt vberior gratia, & præſtantior cognitio rerum omnium, quæ ad fidem ſpectant, atque adeò Apoſtoli, qui fuerunt Doctores huius legis, & Magiſtri noſtri multo perfectius cognouerunt Myſteria fidei, quam Prophetæ, & Patriarchæ veteris legis. Et colligitur hoc eſſe de fide ex illis verbis ad Epheſ. 3. *Aliis generationibus non eſt agnitum Myſterium Chriſti, ſicut nunc reuelatum eſt Sanctis Apoſtolis, & Prophetis.* Et ratio pro hac doctrina colligitur optimè à *D. Tho.* in ſolutione ad tertium, videlicet *quia manifeſtatio ſpiritus* (hoc eſt cognitio rerum fidei) *datur Doctoribus ad aliorum vtilitatem*, vt ſcilicet alios inſtruant, & ſic dabatur iuxta neceſſitatem inſtructionis aliorum. In lege autem veteri multo minùs explicita cognitio requirebatur ad inſtructionem hominum, quam modo, eo quod lex illa comparabatur nocti, & lex noſtra luci, & diei, vt habetur ad Roman. 13. *Nox præceſſit, dies autem appropinquauit.* Maior igitur lux requiritur in noſtro tempore diei, & ſtatus legis gratiæ, quam in alio, atque adeò Doctores huius legis eminentiam debebant habere ſupra Magiſtros omnium aliorum ſtatuum antiquæ legis. Excipiendus tamen meritò eſt à Magiſtris legis antiquæ, & cum Doctoribus legis Nouæ numerandus Beatiſſimus Ioannes Baptiſta, eo quod tanquam ſponſi amicus in cognitione, & amore illius fuit præſtantiſſimus, & etiam pertinebat ad legem gratiæ, vt ſentit *S. Thom.* infrà *q. 174. art. 4. ad tertium.* His ſuppoſitis ſit.

6 Prima *concluſio*. Nihil modo creditur in Eccl. quod non fuerit reuelatum Apoſtolis clarè, & diſtinctè. Iſta Concluſio ita certa eſt, vt oppoſitum iudicetur communiter error in fide: & Probatur multis Sacræ Scripturæ teſtimonijs, præcipuè ex illo ad Epheſ. 1. *Secundum diuitias gratiæ eius, quæ ſuperabundauit in nobis in omni ſapientia, & prudentia vt notum faceret nobis Sacramentum voluntatis ſuæ.* In quibus verbis de Apoſtolis ſermonem fieri eſt apertum, & in illis dicitur ſuperabundaſſe ſapientiam, & prudentiã, in quibus cognitio rerum fidei ſignificatur. Item *ad Roman.* 8. idem Paulus de Apoſtolis loquens ait, *Nos quidem primitias ſpiritus habentes*, hoc eſt vberiorem gratiam, & pleniorem notitiam Myſteriorum fidei. Et Ioan. 15. dixit illis Chriſtus Dominus: *Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audiui à Patre meo nota feci vobis.* Et cap. 16. de Spiritu ſancto illis promiſſo dicitur: *Ille docebit vos omnem veritatem.* Deinde in Sacra Scriptura multoties comparantur Cœlo influenti ſuper terrã, & nubibus irrigantibus illam, imò & vocantur *Lux mundi.* Quæ omnia abſque dubio manifeſtè indicant in Sanctis Apoſtolis fuiſſe pleniſſimam, & perfectiſſimam fidei cognitionem excedentem omnes tam antecedentes, quàm ſubſequentes.

Secundo *Probatur* Sanctorum Patrum authoritate, nam D. Auguſtin. ſuper cap. 3. ad Roman. ait: *Quamuis omnes de plenitudine Chriſti accepimus, Apoſtoli tamen quantò prius, tanto abundantius perceperunt.* Item *D. Gregor.* ſuper illud *Matthæi 21. Turba quæ præcedebat, & quæ ſequebatur*, aſſerit doctrinam *D. Tho. in hoc art.* videlicet: *Quod quantò Sancti Patres propinquiores fuerunt Chriſto, tantò habuerunt pleniorem notitiam fidei.* Et hæc eſt doctrina receptiſſima inter omnes Sanctos Eccleſiæ Patres, atque adeò aperta erit fides quod Apoſtoli excellerunt & præcedentes, & ſubſequentes ipſos in cognitione rerum fidei. 7

Tertio *Probatur ratione.* Quia Apoſtoli conſtituti ſunt à Chriſto tanquam primi Miniſtri, & Doctores Eccleſiæ ab ipſo immediatè inſtructi, & Spiritus ſancti illuminatione particulari viſibiliter deſcendentis ſuper ipſos confirmati; ergo debet illis tribui ſumma perfectio cognitionis rerum fidei. *Antecedens* nobis manifeſtat Paulus 1. *ad Corinth.* 11. inquiens: *Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis.* Et *Lucæ vlt.* dicitur: *Quod Chriſtus aperuit diſcipulis illis, ſenſum vt intelligerent ſcripturas. Confirmatur.* Quia quæcumque determinat Eccleſia de fide noſtris temporibus non accepit per nouam reuelationem viſibilem, ſed ex doctrina Apoſtolorum, & ex eorum traditionibus, quæ ex ore Domini, aut Spiritus ſancti illuminatione acceptæ ſunt, ergo manifeſtum eſt ipſos Sanctos Apoſtolos taliter eſſe illuminatos de rebus fidei quod fuerint excellentiſſimæ cognitionis, & plenius omnibus perceperint Myſteria gratiæ. 8

Secunda *Concluſio*. Poſt Apoſtolos Sancti Doctores Eccleſiæ reliquos excedunt in cognitione diſtincta Myſteriorum fidei. *Probatur concluſio.* Quia Doctores Sancti fuerunt propinquiores Apoſtolis, & educati ſana eorum fide, & doctrina, & illos dedit Deus Magiſtros, & Doctores, & Sacræ ſcripturæ Interpretes, per quos manifeſtaretur aliis Sanctorum Apoſtolorum doctrina, in quibus tanquam in depoſito fideliſſimo maneret ſana Apoſtolorum veritas, iuxta illud 1. ad Timoth. 6. *Depoſitum cuſtodi deuitans prophanas vocum nouitates, & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ.* Et 2. ad Timoth. 1. *Formam habe ſanorum verborum quæ à me audiſti, bonum depoſitum cuſtodi per Spiritum ſanctum, qui habitat in nobis.* Ergo poſt Sanctos Apoſtolos affirmandum eſt in ſacris Doctoribus Eccleſiæ præcelluiſſe notitiam rerum pertinentium ad noſtram fidem. Ex his ſequitur primò valde errare illos, qui relicta intelligentia ſcripturarum iuxta ſenſum, & intelligentiam antiquorum Doctorum Eccleſiæ, toti ſe tradunt intelligentiæ Sacræ Sripturæ ſecundum Rabinos, de quibus dixit Chriſtus Lucæ 11. *Væ vobis legis peritis, quia tuliſtis clauem ſcientiæ, ipſi non introiſtis, & eos qui introibant, prohibuiſtis.* Sequitur ſecundo quam conſultiſſimè cautum eſt in noſtris ſacris Conſtitutionibus *diſt. 1. cap. 14.* Quod nullus fratrum huius familiæ Prædicatorum legat in Prophetia, & in Pſalmis alium ſenſum litteralem niſi quem Sancti Patres approbant, & confirmant. 9

Tertia *Concluſio*. Noſtris his temporibus occaſione Hæreſum inſurgentium, & refutatione 10

earum

eatum per Sanctos Patres & Doctiſſimos Theologos abundantiſſima eſt cognitio Myſteriorum fidei, & aliqua in particulari, & explicitè cognita quæ nondum cognita erant apud homines Doctos, qui nos præceſſerunt. Hæc conclnſio probatione non indiget altera, quam experientia, quæ quotidie hoc oſtendit.

Soluuntur Argumenta.

1 ARguitur *Primò*. Quia ſi non eſſet modo perfectior cognitio, quam tempore Apoſtolorum maximè propter rationem *D. Thom.* videlicet, quod propinquiores ad lucem, ſcil. ad Chriſtum habuerunt maiorem participationem lucis, ſicut ætas quo propinquior eſt iuuentuti eo eſt perfectior, & robuſtior; ſed ratio iſta eſt paruı momenti; ergo. *Probatur Minor.* Quia Abraham qui valdè remotus fuit à tempore Chriſti pleniſſimam habuit fidei cognitionem, ſiquidem laudatur fidei à Diuo Paulo ad Hebr. 11. & dicitur *Pater credentium:* Moyſes etiam maximè inter aliqs fidei laudatur, dicitur enim de illo, *Quòd non ſurrexit Propheta vltra in Iſraël ſicut Moyſes*, & maximè hoc habebit verum ſi vidit diuinam eſſentiam. Item Dauid inter cæteros habuit pleniorem cognitionem, nam ſic explicat *D. Thom.* verba illius Pſal. 118. *Super ſenes intellexi*, & præcipuè vberiorem habuit notitiam Myſterij Incarnationis, vt expreſsè docet *D. Thom.* infrà *quæſt.* 174. *art.* 4. *ad primum*; ergo falſum eſt aſſerere quod illi qui propinquiores erant Chriſto habuerunt pleniorem notitiam Myſteriorum, & illi qui magis diſtabant ab aduentu Chriſti habuerint imperfectiorem cognitionem.

2 Reſpondetur. Rationem *D. Tho.* eſſe optimam congruentiam deſumptá ex doctrina Sanctorum Patrum, vnde ad probationem Minoris, quæ à nobis negatur, *reſpondetur*, Quod Abraham exceſſit in cognitione fidei priores anteceſſores Patriarchas; Moyſes verò excelluit ipſum Abraham præcipuè quantum ad cognitioné diuinitatis, quem poſteà exceſſit Dauid in cognitione Myſterij Incarnationis, Quæ omnia tradit *D. Tho.* infrà *q.* 174. *art.* 4. *in corp. & ad primum*, & quod dicitur de iſtis Perſonis, dicitur etiam de ſtatibus illorum, videlicet quod ſemper ille ſtatus, qui propinquior erat Chriſto ſecundum ſe habebat pleniorem, & clariorem notitiam Myſteriorum, quia ſic expediebat ipſis ſtatibus hominum.

3 Secundo *Arguitur*. Quia ex eadem ratione *D. Tho.* ſequeretur nos eſſe in hoc ſtatu in obſcuriori, & magis tenebroſa cognitione rerum fidei, quam antiqui, imò & deterioris conditionis eſſe futuros in hac parte, qui poſt nos venturi ſunt, & indies eſſe futuros in remotiori cognitione myſteriorum fidei: conſequens ſapit Lutheranorum hæreſim; ergo non debet affirmari. *Sequela probatur.* Quia nos diſtamus valde ab aduentu Chriſti, videlicet per 1645. annos: & in dies magis diſtabunt, qui poſt nos venturi ſunt.

4 Reſpondetur negando ſequelam quoad omnes eius partes, nec enim ex intento *D. Tho.* aut eius probatione poteſt colligi quod pro ſingulis annis, quo magis elongati ſumus ab aduentu Chriſti ſint ſemper minus docti Magiſtri in Eccleſia, aut quod homines huius ætatis legis gratiæ ſint in obſcuriori cognitione rerum fidei, ſed quod à toto genere tempora illa Apoſtolorum, & eis proximiora fuerunt fœliciora, ſemper tamen affirmandum eſt Deum pro omni ætate Eccleſiæ quantum neceſſe eſt prouidere Doctores, & Magiſtros, & ita ſtatim poſt Chriſtum ſuperexcelluit ſapientia Apoſtolorum diuinitus infuſa, ſtatim autem ſequuti ſunt Patres Sanctiſſimi, qui totis viribus conati ſunt ſacra reuoluere volumina, vt traderent intelligentiam Scripturarum iuxta Apoſtolorum mentem, & Spiritus ſancti ſenſum. Inter quos in hac re merito laudandus eſt Beatiſſimus Hieronymus. Huius rei gratia quando Summus Pontifex accedit ad determinandá aliquam propoſitionem de fide, prius fit diligens inquiſitio per Theologos, & conſulitur doctrina Apoſtolorum ſecundum ſenſum in quo eam ipſi intellexerunt, & Sancti Patres declararunt, & ita in noſtro tempore potiùs floret Eccleſ. doctrina, & quantum ad hoc accidens aliquantulum excedit tempora Sanctorum Patrum, non verò cognitionem ipſorum particularé; ſed exceſſus iſte eſt ſecúdùm quid; meritò enim Doctores ætatis noſtræ comparantur Sanctiſſimis illis Patribus, ſicut pueri conſtituti in humeris procerum Gigantum, qui ſi contingat aliquid inde remotum videre, quod à Gigantibus non videtur, tamen hoc ipſum illis prouenit ex eo quod in humeris Gigantum ſunt.

Tertio *Arguitur*. Quia Apoſtoli, qui contemporanei fuerunt Chriſto videntur aliqua Myſteria non cognouiſſe; ergo non habebant clariorem notitiam quo magis appropinquabant aduentui Chriſti. *Antecedens probatur.* Quia non cognouerunt conuerſionem gentium ad fidem; & hoc didicit Diuus Petrus ex illa viſione diuerſorum animalium in Linteo, vt habetur *Actor.* 10. Item ignorabant pro tunc an gentiles venientes ad fidem deberent ſeruare legem Moyſi, & circuncidi, ſuper quo teſtitit in faciem Diuus Paulus Diuo Petro inquiens: *Si ergo tu Iudæus cum ſis Gentiliter viuis, quomodo cogis Gentes Iudaizare?* Et de hoc habito Concilio inter ipſos Apoſtolos *Actor.* 15. decretum eſt quod gentiles ad fidem venientes cogerentur ſeruare legem Moyſi. Hæc ergo illi tunc ignorabant, quæ modo nos ita in promptu habemus; ergo non habebant Apoſtoli pleniorem notitiam quam nos de rebus fidei. 5

Reſpondetur Apoſtolos nihil eorum, quæ in argumento annumerantur, ignoraſſe, ſaltem ſpeculatiuè, licèt admitti poſſit quod nondum tunc edocti erant in praxi quando illa mandarentur executioni. Vnde *Mag. Bañez* reſpondet optimè quod Concilium illud Hieroſolymis congregatum non fuit ad tollendam Apoſtolorum ignorantiam circa res illas, ſed ad pacandos animos fidelium, qui crediderant ex circumciſione, eo quod exiſtimabant legalia ſeruanda eſſe etiam cum Euangelio. Hæc autem ſolutio currit ſupponendo quod pleniſſimam notitiam habuerunt Apoſtoli de omnibus rebus fidei in ipſo die Pentecoſtes, de quo determinabimus *Art. ſeq.* In ſententia tamen oppoſita, videlicet quod in illo die non habuerunt omnimodam notitiam, dicendum eſt, quod ſaltem ante mortem, & per diſcurſú prædicationis Euangelij ſupremá habuerunt notitiam ad quam nullus alius peruenit. 6

Quarto *Arguitur*. Quia poſt Apoſtolorum tempora multæ veritates fidei notæ ſunt, quæ antea latebant; ergo modo habemus perfectiorem notitiam, & cognitionem de rebus fidei, 7

quàm tempore illo. *Probatur antecedens.* Nam poſt diſceſſum Apoſtolorum congregata ſunt plura Concilia in Eccleſia, & aliqua generalia totius Eccleſiæ, quorum quatuor prima venerabatur *Sanct. Gregor.* tanquam quatuor Euangelia, & in illis Conciliis definita ſunt plura tanquam de fide expreſſa, videlicet quod Proceſſio Spiritus ſancti ſit à Patre, & Filio, quæ veritas definita fuit in *Concilio Lugdunenſi à Gregor. X.* Et in *Concilio Florentino* ſub *Eugenio Quarto* definita fuit Sacramentorum efficacia, & alia multa in *Concilio Tridentino*, & in aliis determinationibus Pontificum, quæ reuera temporibus Apoſtolorum nondum determinata erant.

8 Reſpondetur, Quod nihil eſt de nouo definitum per Eccleſiam, & Summos Pontifices pertinens ad fidem quod Apoſtoli non cognouerint, *& ratio eſt:* Quia quidquid definitur ex Scripturis, aut Traditionibus diuinis deſumitur, quas optimè penetrarunt Apoſtoli Spiritu ſancto illuminati Vnde *S. Tho. art. 10. huius quæſt.* ait: *Quod in doctrina Chriſti, & Apoſtolorum fuit doctrina Euangelica ſufficienter explicata.* Vnde optimè obſeruauit *Vvaldenſis lib. 2. fidei antiquæ capit. 21. & 23.* propter hanc cauſam eſſe conſuetudinem Eccleſiæ conſulere Scripturas, & Traditiones diuinas ad definiendum aliquid de fide. Quando autem definitur aliquid de nouo ab Eccleſia eſt ad expellendos Hæreticorum errores, qui quotidie oriuntur, v.g. definitum fuit in *Concilio Niceno* contra Arrium filium eſſe conſubſtantialem Patri, & in *Epheſino* contra Neſtorium non eſſe duas perſonas in Chriſto. Nullus autem dubitare poteſt quod omnia iſta nouerant Apoſtoli explicitè, ſiquidem ex Scriptura eorundem Apoſtolorum iſtæ definitiones oriuntur. Et ad hoc propoſitum explicat *Diuus Hieronymus* illud *Pſal. 85. Dominus narrabit in Scripturis populorum, & principum horum qui fuerunt in ea.* Hoc eſt in Eccleſia.

9 Quinto *Arguitur.* Quia *Ioann.* 14. promittitur Spiritus ſanctus manſurus in Eccleſia ad docendam omnem veritatem, ergo id de facto contigit, atque adeò Spiritus ſanctus quotidie veritates nouas docet, & ignorantiam purgat; alias fruſtrà daretur tantus Magiſter ſi nihil doceret de facto. Abundat ergo his temporibus amplius quam Apoſtolorum tempore cognitio explicatior rerum ad fidem ſpectantium. *Confirmatur.* Quia labore, & opera Scholaſticorum præcipuè Doctorum Eccleſiæ, & inter omnes *Sanct. Thom.* multa ſunt modo magis explicita circa Myſteria fidei, quam alio tempore; non ergo debet tribui excellentior cognitio illis, qui magis aduentui Chriſti erant propinquiores, nec etiam ipſis Apoſtolis.

10 Reſpondetur, Quod Spiritus ſanctus aſſiſtit Eccleſiæ tanquam Magiſter perpetuus, non quidem docendo illam nouas fidei veritates, quas Apoſtoli non nouerint, ſed vt antiquas veritates ſine errore conſeruet, & rectam intelligentiam Scripturarum, quam habuerunt Apoſtoli infundat; vt etiam aſſiſtat Pontifici ne ſecundum quod talis eſt in rebus ad totam Eccleſiam pertinentibus errare poſſit, & vt Eccleſiam ſanguine Chriſti fundatam omni tempore neceſſitatis tueatur, & defendat. *Ad confirmationem reſpondet Valentia*, Quod doctrina *D.Thom.* debet intelligi de cognitione infuſa, non de acquiſita, quam habent modo Scholaſtici in qua dicit quod excedunt multos prædeceſſores ſuos. Cæterùm Ego exiſtimo quod Apoſtoli cognouerint per cognitionem infuſam veritates, quas modo Theologi per diſcurſum ſunt aſſequuti, pertinentes ad declarationem Myſteriorum fidei, & loquor de veritatibus, non de Opinionibus, quibus falſum ſubeſſe poteſt: ſimiliter Mihi ſuadeo Sanctos Patres ex quorum ſcriptis ſumunt Scholaſtici ſuam doctrinam cognouiſſe veritates, quas Theologi ex illis accipiunt per diſcurſum, & licèt non habuerint ita plenam cognitionem infuſam ſicut Apoſtoli, crediderim tamen multa ex ſpeciali inſtinctu Spiritus ſancti ſcripſiſſe, quæ ad mores, & fidei doctrinam pertinent, & de Angelico Doctore noſtro *D. Thom.* habemus ſe reuelaſſe fratri Reginaldo ſcientiam ſuam, non tàm humano ſtudio, aut induſtria, quam diuinitus accepiſſe.

ARTICVLVS III.

An totam cognitionis plenitudinem rerum pertinentium ad fidem acceperint Apoſtoli in die Sancto Pentecoſtes, vel poſteà?

ALiqui Theologi huius temporis, inter quos eſt *Aragon*, *& Valentia* affirmant circa præſentem difficultatem, quod Apoſtoli edocti ſunt à Spiritu ſancto in die Pentecoſtes de omni veritate, non tamen habuerunt in illa die expreſſam notitiam omnium, ſed ſolum illarum veritatum, quæ pro tunc noſſe oportebat, præcipuè ad hoc vt docerent Iudæos, quibus primò erat prædicandum Euangelium, poſteà verò quando gentes cœperunt recipere Euangelium habuerunt Apoſtoli expreſſam notitiam eorum, quæ ſpectabant ad conuerſionem gentium. Iuxta ſententiam igitur horum authorum non ſunt Apoſtoli plenè edocti de rebus omnibus pertinentibus ad fidem in die Pentecoſtes, ſed poſteà edocti ſunt de aliquibus quæ tunc cognoſcebant, & pro iſta ſententia non deſunt Argumenta vrgentia, quæ infrà adducemus. 1

Nihilominus *ſit Prima Concluſio.* Probabilius exiſtimo quod Apoſtoli in die Pentecoſtes ſaltem quantum ad ſcientiam ſpeculatiuam cognouerunt omnem veritatem de his, quæ erant de neceſſitate ſalutis ab omnibus credenda, & agenda, ita vt nihil circa hoc poſteà fuerit eis de nouo reuelatum. Ita expreſsè tenet *D. Thom. 1. 2. quæſt. 106. art. 4. ad ſecundum*, vbi explicans illa verba Chriſti Ioan. 16. *Quod Spiritus Sanctus aduenien docere vos omnem veritatem*, excipit *D.Thom.* ſolum futura contingentia, de quibus verificatur illud Act. 1. *Non eſt veſtrum noſſe tempora vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate.* Probatur igitur Concluſio primò. Nam *Act. 1.* dixit Chriſtus diſcipulis: *Vos autē baptizabimini Spiritu ſancto non poſt multos hos dies.* Et hoc impletū eſt in die Pentecoſtes, atque adeo ibi repleti ſunt omni ſcientia, & cognitione rerū fidei. Itē *Ioan. 7.* dicitur: *Nondū erat Spiritus datus, quia Ieſus nondū erat glorificatus*, videlicet per Reſurrectionē, & Aſcenſionē in Cœlū, qua facta datus eſt Spiritus in die Pentecoſtes, qui illos de omnibus de rebus ad fidem ſpectantibus illuminauit. 2

Deinde

deinde *Ioan.* 16. Chriſtus promiſit diſcipulis Spiritum ſanctum inquiens, *ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis*; Sed in die S. Pentecoſtes Spiritus ſanctus venit cum magna plenitudine donorum, & chariſmatum cœleſtium ſuper ipſos Apoſtolos, ergo ex tunc edocti ſunt de omni veritate fidei.

3 Secundò *probatur*, quia non minus inſtructi ſunt Apoſtoli tanquam Magiſtri, & Doctores Eccleſiæ per aduentum Spiritus ſancti in die Pentecoſtes, quam Moyſes quando accepit legem in monte à Domino, ſed potius multò maiori perfectione, cum illa lex figura eſſet, & vmbra noſtræ; ſed Moyſes ibi habuit plenam notitiam illorum quæ ad legem ſpectabant, & officium ſupremi Ductoris, iuxta illud exod. 25. *Omnia facito ſecundum exemplar quod monſtratum eſt tibi in monte*; ergò à fortiori Apoſtoli in die Pentecoſtes omnem notitiam acceperunt ſpectantem ad miniſterium Apoſtolatus, *Confirm.* quia inter alias differentias, hæc verſatur inter Apoſtolos noſtros, & Prophetas antiquos, quod Prophetæ per lumen prophetiæ accipiebant notitiam futurorum non per modum habitus, ſed taliter quod Deus per eos loquebatur Eccleſiæ, quæ pro tempore & loco expediebant. At Apoſtoli non ſic, ſed acceperunt donum ſapientiæ, & intellectus per modum habitus cum magna plenitudine ad penetranda myſteria fidei, vt perfecti Doctores eſſent mundo permanentes, ergò cum hoc miniſterium acceperint in die Pentecoſtes, dicendum eſt, quod in illa die plenè edocti ſunt de omni veritate. *Tertio probatur.* Arguendo contra fundamenta oppoſitæ ſententiæ: nam Apoſtoli ignorare non poterant conuerſionem Gentium ad fidem; ergò omnia ſciebant à die Pentecoſtes. *Patet conſequentia.* Quia ſi aliquid ignorarent eſſet illud, vt patebit ex argumentis in oppoſitum. *antecedēs autem probatur.* quia Chriſtus expreſsè eis dixerat: *Euntes docete omnes gentes, baptizātes &c. docentes ſeruare omnia quæcumque mandaui vobis*, & Mar. vlt. *prædicate Euangelium omni creaturæ.* Ergò ignorare non poterant quod omnibus tam Iudæis, quàm Gentilibus eſſet Euangelium prædicandum, & qui conuerterentur, & baptizarentur recipiendi eſſent ad fidem; hæc autem omnia cœperunt executioni mandari à die Pentecoſtes, nam ex illo *cum fiducia loquebantur verbum Dei*, ergò tunc pleniſſimam notitiam habuerunt de rebus fidei.

4 Secunda concluſio; quamuis Apoſtoli habuerint pleniſſimam notitiam myſteriorum fidei ſpeculatiuam à die Pentecoſtes, non eſt neceſſarium affirmare quod ab illo die habuerint omnem perfectiſſimam notitiam practicam. explicatur iſta concluſio. quia licet Apoſtoli cognouerint ſpeculatiuè quod legalia non eſſent obſeruanda, & quod Baptiſmus ſufficiebat ad ſalutem, non tamen ſtatim illa die cognouerunt, quando, & pro qua occaſione eſſent iſta prædicanda. Item licet *d. Petrus* non habuerit à die Pentecoſtes dubium ſpeculatiuum de admiſſione gentium ad Euangelium abſque obſeruatione legalium, quia ad hoc inclinabat fides de qua inſtructus erat, tamen non obſtat, quod potuerit habere dubium practicum, vt gẽtes hic, & nunc eſſent admittendæ cum ſcandalo Iudæorum, & perturbatione populorum, an verò eſſet melior opportunitas obſeruanda. Probari poteſt iſta concluſio ex multis reuelationibus particularibus factis ipſis Apoſtolis circa praxim ad inſtruendos fideles, vt eſt illud *Actor.* 8. quando Angelus reuelauit Philippo vt deſcenderet ab Ieruſalem in Gazam, & iungeret ſe curru Eunuchi Reginæ Candacis, vt illi Euangelizaret paſſionem, & mortem Chriſti, & poſtea illum baptizaret, & alia huiuſmodi narrantur in Epiſtolis *ſancti Pauli*; nam ad *Galat.* 2. dicit ſe aſcendiſſe Ieroſolimam ſecundum reuelationem, vt conferret Euangelium cum Apoſtolis, quod erat gentibus prædicaturus.

Soluuntur Argumenta.

Arguitur *primò*, contra noſtram reſolutionem, quia experientia ipſa hoc docuit, nam poſt diem Pentecoſtes dubitauerunt Apoſtoli, an Euangelium eſſet prædicandum gentibus abſque obſeruatione legalium, quod didicit Diuus Petrus ex viſione illa lintei ſimul cum aduentu illorum Gentilium, qui miſſi erant à Cornelio Gentili; ergò illam veritatem maximè ad fidem pertinentem non cognouit Petrus in die Pentecoſtes. *Confirmatur*: quia *actorum* 11. dicitur, *quod audierunt Apoſtoli, & Fratres qui erant in Iudæa quoniam & gentes receperunt verbum Dei. Cùm autem aſcendiſſet Petrus Hieruſolymam, diſceptabant aduerſus illum qui erant ex circumciſione, dicentes: Quare introiſti ad viros præputium habentes, & manducaſti cum illis?* Ergò ipſi Apoſtoli hoc tunc ignorabant. 1

Reſpondetur, quod diuus Petrus non dubitauit de illa veritate etiam antequam fieret illi viſio, illa tamen facta ſolùm dubitauit quidnam viſio illa ſignificaret. Quod verò dixerit, *abſit à me Domine, quia commune, & immundum nunquam intrauit in os meum*, hoc non fuit quia dubitaret an legalia eſſent obſeruanda, ſed quaſi induit perſonam dubitantis vt Iudæos inſtrueret de veritate, admodum quo magnus Baptiſta miſit duos ex diſcipulis ſuis ad Chriſtum vt illum interrogarent *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* quod non fecit, quia ipſe dubitaret de Chriſto an eſſet, nec ne, ſed vt ex reſponſione Chriſti diſcipuli in cognitione Meſſiæ firmarentur. Et hæc explicatio eſt expreſſa *Sanct. Chryſoſt. Homilia* 12. *in act.* vbi ait, quod per illam viſionem lintei non fuit Petrus inſtructus de ceſſatione legalium, ſed qualiter à murmure Iudæorum poſſet defendi nec iterum obſtat dixiſſe Petrum *In veritate comperi quod non ſit perſonarum acceptor Deus*: nam cognitio iſta non fuit de nouo ſpeculatiua vt in concluſionibus dicebamus, ſed practica, ſicut de Chriſto Domino dicitur *quod didicit ex his quæ paſſus eſt obedientiam*, vbi ly, *didicit*, non ſignificat quod de nouo aliquid ſciret, quod ante ignoraret, ſed quod expertus eſt aliquid, cuius ante non habuerat experientiam. *Ad confirmationem reſpondetur*, ex illa magis probari quæ diximus ſolutione præcedenti, nam ſi Iudæi ſcandalizabantur ex eo quod Apoſtoli communicabant cum gentilibus & eos ad fidem admittebant neceſſe erat vt modo ſuaui tolleretur ab ipſis ignorantia iſta, & intelligerent ſicut antea intellexerant Apoſtoli, quod Gentilibus etiam per Chriſtum Dominum patebat ſalus, & ad hoc ordinatum fuit quod Petrus viſionem lintei narraret, & quod poſtea venirent illi Gentiles ad fidem miſſi à Cornelio, totum autem hoc fiebat 2

bat

bat abſque aliqua ignorantia ſaltem ſpeculatiua ex parte Apoſtolorum.

2 Secundò, & *vltimo arguitur* quia de facto congregatũ eſt Conc. quod vocarũ Apoſt. ad determinandũ ſi gentes quæ conuertebantur ad fidem deberent circũcidi, & ſeruare legem Moyſis, & ad tollendã hanc dubitationem celebratum fuit; patet ergò quod tunc nondum nouerant illam veritatem Apoſtoli, atque adeò non de omnibus plenè edocti ſunt in die Pentecoſtes.

3 Reſpondetur negando quod illud Concilium congregatum fuit ad tollendam aliquam ignorantiam ſpeculatiuam Apoſtolorum circa conuerſionem gentium, & obſeruationem legalium, de hoc enim certiſſimi erant ipſi ante tale Concilium, ſed congregatum eſt pluribus aliis de cauſis. *Primo*, vt nobis traderetur forma inquirendi, & reſoluendi fidei veritates *Secundò*, vt illud cuius antea habebant notitiam, in illo Concilio vnanimi conſenſu determinarent, vt illo modo ſuauius à Iudæis reciperetur auditio ſufficienti examine, & diligentia adhibita ab Apoſtolis ante determinationem illius veritatis, & quomodo ex Scripturis veritas illa probaretur, vt conſtat ex authoritatibus adductis à diuo Iacobo in eodem Concilio. *Tertiò*, vt daretur notitia diuinæ reuelationis ex qua conſtabat gentiles admittendos eſſe ad fidem, qua cognita corda Iudæorum lenirentur erga Gentiles, & animus ſedaretur, erant enim ipſis infeſtiſſimi. *Vltimò* (& fortè eſt vrgentior ratio) quia videlicet Apoſtoli acceperunt à Deo mandatum tale Concilium congregandi, vt ex illo impoſterum conſtaret de authoritate Eccleſiæ in congregandis Conciliis ad determinandas fidei veritates, & erudiendos fideles de rebus maximè neceſſariis ad cognitionem rerum fidei.

ARTICVLVS IV.

Vtrum articuli Fidei conuenienter enumerentur

1 PRo deciſione huius dubij aduertendum eſt primò, quod diuiſio articulorum fidei ex diuerſis principiis ortum habuit, & ſic ſub diuerſa forma fieri conſueuit, nam *Primò* facta fuit ad manifeſtandam fidem, & vt Fidelibus proponerentur, quæ neceſſario ad ſalutem credenda erant. *Secundò* facta fuit vt ſub breui ſumma colligerentur, quæ in ſacra Scriptura diſperſa ſunt, & vt traderentur ſub clariori, & expreſſiori forma fidelibus, quæ non ita expreſſè continebantur in aliis credibilibus. *Tertiò* facta fuit ad extinctionem, & extirpationem hæreſum, quæ contra fidei præcipuas veritates inſurrexerunt. *Ex primo motiuo* factum fuit ſymbolum Apoſtolorum, illud enim per ſe fuit editum ad manifeſtandam fidem, & ad tradendum fidelibus, quæ omninò neceſſariò erant credenda ad ſalutem, & ideò quotidiè recitatur in Eccleſia in matutinis, in prima, & completorio. *Ex ſecundo motiuo*, ortum habuit ſymbolum fidei factum à Patribus in *Concilio Niceno*, in quo ſub breuitate explicantur aliqua difficilia quæ in ſymbolo Apoſtolorum non erant propoſita explicitè; vnde ex eo quod non ad proponendam fidem, ſed ad explicandam illam fuit inſtitutum, ideò non quotidiè canitur in Eccleſia, ſed in præcipuis ſolemnitatibus, & dominicis diebus, in quibus omnes fideles ad Eccleſiam conueniunt. *Ex tertio motiuo*, ortum habuit ſymbolum Athanaſij, quod quidem ſpecialiter editum fuit contra hæreſes inſurgentes tam contra naturam diuinam Chriſti, quam contra naturam humanam eiuſdem. Vbi obiter notandum eſt, quod quolibet iſtorum modorum fiat diuiſio articulorum fidei, optimè ſatisfit præcepto credendi, ſi credantur quantum ad ſubſtantiam quæ in illis continentur, nam quòd ſub hac forma huius ſymboli, vel alterius proponantur, non pertinet ad ſubſtantiam præcepti fidei.

Secundò, *notandum eſt*, diuiſiones iſtas credendorum non eſſe accipiendas, ſecundum rigorem metaphyſicum, ſed ſolum quantùm ad intentum Eccleſiæ, videlicet quod credibilia abſolutè neceſſaria ad ſalutem proponantur fidelibus ſub forma tali, qua facilè intelligi poſſint, & memoriter teneri, ſiue ad plures articulos ſiue ad pauciores reducantur: vnde *ſanct. Tho. in fine corporis articuli* refert aliquos annumerantes tantum duodecim articulos fidei, qui non diſtinguebant articulum conceptionis Chriſti ab articulo Natiuitatis eiuſdem, licet diſtinguerent vnum articulum beatitudinis animæ, & alterum reſurrectionis, & gloriæ noſtrorum corporum. Poſitio autem *diui Thom.* in initio corporis videtur conuenientior propter regulam eiuſdem *S. Thom.* ſupra *art. 6.* videtur quod licet, vbi eſt ſpecialis ratio non viſi, ibi debet ſpecialis articulus diſtingui quæ regula etiam non debet in rigore metaphyſico intelligi, ſed quaſi moraliter ſicut & quædam ratio quam aſſignat *diuus Thomas in 3. diſtinct. 25. quæſtione 3. articulo 2. ad 8.* videlicet, quod in Concilio Niceno non refertur articulus deſcenſionis Chriſti ad inferos, quia ante tempora talis Concilij non præceſſerat aliquis error contra veritatem illius articuli, non enim eſt neceſſarium ad hoc, vt de aliqua veritate diſtinguatur ſpecialis fidei articulus, quod de illa non fuerit ſpecialis error. Traditur autem, & alia ſpecialis ratio ab *Innocentio III.* Quod videlicet cùm illud concilium eſſet congregatum contra Arrium ponentem Chriſtum etiam in quantum Deus minorem Patre, ſi ibi fieret mentio de deſcenſo ad inferos, videretur aliquo modo fauere Concilium illi errori, eo quod ad inferos deſcendere videtur inferioritatem aliquam ſonare.

Prima *concluſio*. Nulla veritas quæ naturali lumine cognoſci poteſt debet annumerari inter articulos fidei. Hæc ponitur vt explicetur primus articulus diuinitatis, non enim ibi credimus tanquam fidei articulum aliquid quod naturali lumine attingi queat, & facilè probatur iſta concluſio ex definitione articuli fidei, *eſt enim indiuiſibilis veritas de Deo ſupra humanam rationem exiſtens*, vel ſecundum Iſidorum: *indiuiſibilis veritas conſtans nos ad credendum*, hoc eſt, ad id ad quod humana ratione pertingere non poſſumus. *Et ratione probatur.* Quia articuli fidei ſunt veritates præcipuæ, & tanquam dignitates, ad quas res fidei reducuntur, ſed quodlibet obiectum per ſe fidei eſt omninò ſupernaturalis ordinis, & excedens capacitatem naturalem creaturæ; ergò de nulla re poteſt eſſe fides ſi naturali lumine cognoſci poteſt, & multò minus articul. fidei. *Secunda concluſio.* Optima diuiſione 3

diuiſione res fidei diuiduntur in 14. articulos: Iſta concluſio ſatis apertè Probatur à *D. Thom* ex authoritate Eccleſiæ, & in *corp. artic.* Quare ſolum reſtat Argumenta oppoſita proponere, & ſoluere.

Soluuntur. Argumenta.

1 ARguitur *Primò* ad probandum quod ſint plures quam 14. Articuli fidei: Quia vt dicit *D. Thom in hoc articulo* fidei articuli ſunt de his, quæ viſuri ſumus in vita beata, vel per quos ducimur ad illam, ſed multa alia præter explicata in articulis fidei ſunt de quibus in Patria fruemur, & etiam multa alia ſunt neceſſaria, vt ad illam perueniamus; non ergo ſufficienter articuli fidei numerantur, ſed plures debent eſſe *Conſequentia eſt bona*, & *Minor quoad primam partem Probatur*, Quia in Patria fruemur omnibus diuinis perfectionibus, & attributis, quæ plura ſunt quam illa quæ continentur in articulis diuinitatis. Quoad ſecundam partem etiam *Probatur Minor*. Quia Sacramentum Baptiſmi, & Pœnitentiæ ſuppoſito peccato ſunt media omnino neceſſaria ad vitam æternam, vt conſtat, & tamen de illis non eſt ſpecialis articulus fidei, ergo inſufficienter annumerantur.

2 Nec *valet ſi dicas*: Iſta contineri in illo articulo, Quod Deus eſt Saluator, quia ibi includuntur Baptiſmus, & Pœnitentia tanquam media quibus ſaluat, *Hoc inquam non valet*, Quia eódem modo poſſent reduci ad articulum illum omnia quæ ad Chriſti humanitatem ſpectant, omnia namque illa ſunt media neceſſaria iuſtificationis, & ſalutis.

3 Reſpondetur. Quod licet illa quæ credimus beatificent nos in Patria, aut ducant nos tanquam media ad illam, non tamen de omnibus quæ nos beatificant, aut ducunt ad beatitudinem debet ſpecialis articulus diſtingui, ſed ſolum de præcipuis, in quibus alia continentur, ad modum quo docet *D. Thom. in ſolutione ad 4.* Deum eſſe ſcientem, & prudentem includi in articulo omnipotentiæ, ex eo quod Deus operatur per intellectum, & voluntatem. Sic ergo Baptiſmus, & Pœnitentia reducuntur ad articulum Saluatoris, Quia ſunt media quibus Deus homines iuſtificat. *Ad Replicam. vero contra hoc decitur.* Quod humanitas Chriſti eſt quid valde præcipuum in noſtra fide, quam etiam videre ſperamus in Patria, Quia per illam ſecundum *D. Paulum* habemus acceſſum in gloriam filiorum Dei, vnde ſecundum diuerſa quæ in illa reperiuntur conducentia ad aſſequendam beatitudinem, ſpeciales articuli proponuntur: Sacramenta verò, & alia ſunt inſtrumenta habentia virtutem ex humanitate Chriſti ad ſanctificandos homines, & ideò optimè reducuntur ad articulum Saluatoris.

4 Arguitur *Secundò*. Quia ſaltem de Sacramento Euchariſtiæ debuit fieri ſpecialis articulus, cum habeat ſpecialiſſimam difficultatem, vt credatur: ergo ſaltem 15. debuerunt annumerari articuli. *Nec ſatisfacit ſolutio D. Thom.* hic *ad 6.* vbi ait difficultatem huius Sacramenti eſſe eandem, quæ in aliis miraculis reperitur, atque adeò reduci debet ad articulum omnipotentiæ *Non inquam ſatisfacit*; Nam etiam Incarnatio, & Natiuitas Chriſti, reſurrectio, & Aſcenſio eius in cœlum ſunt opera miraculoſa, & tamen de illis ponuntur ſpeciales articuli, & non reducuntur ad omnipotentiam; ergo nec ad illam debet reduci miraculum Euchariſtiæ, cum ſit miraculorum maximum. *Nec etiam ſatisfacit ſolutio D. Thom. ad 3. huius ar.* vbi ait, Quod quia contra alios articulos fuerunt ſpeciales errores, oportuit ponere explicitè cognitionem illorum, per articulorum diſtinctionem. *Non inquam ſatisfacit*. Nam etiam contra hoc diuiniſſimum Sacramentum fuerunt ſemper, & modo ſunt apud Hæreticos, errores multiplices, nam exiſtimant non eſſe in illo realiter corpus Chriſti, ſed ſolum tanquam in ſigno. Alij putauerunt manere ibidem ſubſtantiam panis, & Alij aliter errauerunt, vt eſt videre in *Caſtro de Hæreſibus*, verbo *Euchariſtia*, debet ergo addi articulus iſte huius ineffabilis Sacramenti.

Reſpondetur. Solutionem *Sanct. Thom.* eſſe optimam. Ad cuius primam replicam *reſpondetur*. Quod licèt Incarnatio, & reliqua ibi numerata in quantum miracula ſint opera Omnipotentiæ, ſunt tamen fontes ex quibus dimanauit noſtra ſalus, & virtus ſacramentorum, Incarnatio eſt de his quæ videnda ſperamus in Patria, quam etiam præſupponit Euchariſtiæ Sacramentum, & ideò non eſt ſimilis ratio. Reducitur ergo à *D. Thom. ſolutione ad 6.* ad articulum Saluatoris, & ad articulum Omnipotentiæ, & etiam in 3. *diſtinct.* 25. *quæſt.* 1. *art. 2. ad vltimum*, ad articulum quo credimus Sanctam Eccleſiam, quia continet Sacramenta ſanctificantia, quorum præcipuum eſt Euchariſtia. Et ideò in Symbolo Nicæno fit mentio de Sacramento Baptiſmi tanquam de ianua aliorum Sacramentorum. *Sapientiſſimus Magiſt. Soto in 4. diſtinct. 9. quæſt. 1. art. 1.* reducit illud ad articulum communionis Sanctorum, eo quod Sacramentum iſtud eſt communionis, & vnitatis, non ſolum cum Deo, ſed etiam Sanctorum inter ſe, iuxta verba D. Pauli 1. ad Corinth. 10. *Vnus Panis, & vnum Corpus multi ſumus omnes qui de vno Pane, & de vno Calice participamus.* Et D. Thom. in oratione Sacramenti Miſſæ ait: *Eccleſiæ tuæ quæſumus Domine vnitatis, & pacis propitius dona concede, quæ ſub oblatis muneribus myſticè deſignantur.* 5

Difficultas verò in præſenti non modica eſt, Quare cum hoc diuiniſſimum Sacramentum ſit difficilimum crediti, eo enim vocatur, *Myſterium fidei*, & ex altera parte ſit digniſſimum, vtpotè continens corpus Chriſti, & Sanguinem cum diuinitate realiter, & aliæ plures veritates in illo contineantur, vt quod accidentia maneant ſine ſubiecto; quod eſt memoriale paſſionis, & mortis Chriſti; quod tota ſubſtantia Panis conuertatur in corpus Chriſti, &c. Quare non erit ponendus ſpecialis articulus fidei, ſiquidem ex Difficultate, & ex ſpeciali ratione *non viſi*, & ex dignitate videtur quaſi integrari ratio ponendi articulorum diſtinctionem: præcipuè cum etiam fuerint errores contra Sacramentum iſtud, vt dicit vltima Replica argumenti. Ad hoc ſatis optimè *Reſpondet Magiſter Bañez art præcedenti dub. 3. ad 2.* non poni ſpecialem articulum fidei circa hoc Sacramentum, eo quod circa fidem tanti myſterij ſatis erudiuntur fideles in actuali vſu illius, tunc enim admonentur ſatis à Sacerdotibus vt credant verum Chriſtum Deum, & hominem integrum ſicut eſt in cœlo contineri ſub illis ſpeciebus. Poteſt etiam dici quod articuli primò, & principaliter proponuntur vt credantur, quamuis ſecundariò nos ordinant ad operandum, eſt namque fides ſpeculatiua, & practica, & principalius eſt ſpeculatiua; 6

latria, Sacramentum verò Euchariſtiæ primò; & principaliter ordinat nus ad operandum, & conſequenter ad credendum, nam eſt ſignum practicum rei lacræ ſanctificantis nos per cibationem, atque adeò primo ordinat nos ad ſanctitatem recipiendam, & credendum. Ad rationem verò articuli fidei è contra ſe res deberet habere, quod ſcilicet primò, & per ſe ordinaret nos ad credendum, & conſequenter ad operandum, nam in illis ex credibilitate naſcitur operatio non ex operatione credibilitas naſcitur operatio, non ex operatione credibilitas: *Scotus, & Durandus in 4. diſt. 10. quæſt. 1.* exiſtimarunt eſſe ſpecialem articulum fidei de ineffabili hoc ſacramento. Cæterum falſitas huius Sententiæ oon alio conuenientiori modo poteſt oſtendi, quam oſtendendo quod in oullo Symbolo, nec Apoſtolorum, nec Patrum, nec Athanaſij explicitè continetur. Quidam autem exiſtimant *Magiſtr. Soto* fuiſſe huius Sententiæ. Cæterum apertè falſum teſtimonium illi imponunt.

7 Tertiò, *& vltimo arguitur.* argumento primo *D. Thom.* vt ſolutionem eius explicemus; Nam illa quæ naturali lumine cognoſci poſſunt, non debent inter fidei articulos numerari, *ſed Deum eſſe vnum* eſt notum lumine naturali, & etiam eſſe Omnipotentem, & mundum creaſſe, ergo non debent inter articulos fidei numerari. *Minor conſtat* ex demonſtrationibus *Philoſophi 12. Metaphyſicæ* conuincentis vnam eſſe primam cauſam, & etiam ex illo D. Pauli ad Roman. 1. *Inuiſibilia Dei à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque eius virtus, & diuinitas* Ex quo redarguit Gentiles Doctos D. Paulus, & ait inexcuſabiles eſſe, *Quia cum cognouiſſent Deum, non ſicut Deum Glorificauerunt.* Superfluit igitur primus articulus fidei, cum aliquibus in ipſo contentis.

8 Reſpondetur. Omnia illa, quæ naturali lumine attingi poſſunt non ſolum non pertinere ad fidei articulum, ſed nec ad ſimplicem veritatem fidei, cum omnia quæ ipſa proponit excedant captum naturalis luminis. Reſpondetur ergo ex doctrina *D. Thom. in 3. diſt. 25. quæſt. 1. art. 2. ad 2.* dicentis: Quod Deum eſſe vnum, eſſe Creatorem, & habere omnium prouidentiam probari non poteſt naturali ratione, eo modo quo pertinent ad fidem, videlicet quod fuerit Creator rerum in tempore, (Nam Philoſophus exiſtimauit fuiſſe ab æterno) Quod ſit Præmiator bonorum operum in æterna retributione, & ſimiliter malorum vindex, & quod ſit colendus tanquam author donorum ſupernaturalium, & iſto modo benè iſta poſſunt pertinere ad fidem, & conſtitui ſpecialis articulus de illis. Et hoc eſt quod voluit *D. Thom.* dicere in *ſolutione ad primum argumentum huius art.* quando affirmauit, Quod multa per fidem tenemus de Deo, quæ naturali ratione inueſtigare non poterunt Phyloſophi circa prouidentiam eius, & Omnipotentiam, & quod ipſe ſolus ſit colendus. Quæ verba intelligi debent neceſſariò iuxta expoſitionem ſupra traditam ex loco 3. *Sententiar.*

.

ARTICVLVS V.

Ex; licantur ea qua docet D. Thom. in u·ticulo 9.

INquirit ergo *D. Thom. in art. 9. huius quæſtionis*, Verum veritates fidei conuenienter in Symbolo ponantur? *Reſpondet* Concluſione affirmatiua. Pro cuius clariori notitia *Notandum eſt Primò*, Quod hoc nomen *Symbolum*, quod Græcum eſt, duo ſignificat quantum ad præſens attinet. *Primò* ſignificat ſignum, quo aliqui ab alijs diſtinguuntur, qua ratione ſignum quod Militibus datur in bello, quo diſtinguuntur amici ab inimicis vocatur *Symbolum*, & in hac conſideratione optime dicitur Symbolum breuis ſumma credendorum, quia per hoc diſtinguuntur fideles ab infidelibus, quod primi credunt veritates iſtas, alij vero negant. Et hoc inſinuatur à *D. Ioanne Epiſt. 2. cap. 1.* dicente: *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere in domum, nec Aue ei dixeritis.* Secundo ſignificat Symbolum, collectionem multorum in aliquo vno, qua ratione etiam optimè accomodatur Summæ articulorum, *Tum* quia plures Apoſtoli illum collegerunt in vnum; *Tum* etiam præcipuè propter ipſas veritates collectas, & redactas ad certam ſummam, & numerum. Et iuxta iſtam ſecundam acceptionem tradidit definitionem Symboli *D. Auguſtin. Serm. 115. & 119. de tempore* inquiens: *Symbolum eſt ſummum, aut collectio fidei noſtræ ſimplex, breuis, & plena, vt ſimplicitas ruſticitati fidelium correſpondeat, breuitas memoriæ, & plenitudo doctrinæ.* Fuit autem conuenientiſſima ratione conſultum fidelibus, vt talis breuis, & compendioſa ſumma de neceſſario credendis colligeretur per certos, & determinatos articulos diſtincta, vt eſſet conformitas apud omnes fideles in Confeſſione vnius fidei Catholicæ, nam ſi alijs, & alijs verbis apud diuerſos profeſſio fidei fieret, alius, & alius redderetur ſenſus in magnum præiudicium tam ipſarum veritatum, quàm hominum credentium, & etiam vt non ſolùm vnanimiter fideles crederent vno corde ad iuſtitiam, ſed vno ore confiterentur ad ſalutem, vt enim docet *D. Auguſt. locis cit. & D. Cyprian. in expoſitione Symboli*, non poſſent omnes fideles per orbem diſperſi eandem fidem confiteri, niſi in quadam ſumma, qualis eſt *Symbolum*, veritates colligerentur. 1

Secundò *notandum eſt.* Non obſtare vnitati fidei quod plura Symbola in Eccleſia edita fuerint pro diuerſis temporibus, hoc enim factum non fuit ad inducendum nouam fidem, ſed vt eadem amplius, & amplius explicaretur, ſecundum quod temporum neceſſitas propter nouas Hæreſes inſurgentes expoſtulabat. Et quidem optima ratione Apoſtoli antequam per orbem diſpergerentur, Symbolum primum tradiderunt, vt omnes vno ore loquerentur, & venientes ad fidem eadem omnino crederent. Quare valde temerarij iudicandi ſunt *Eraſmus, & Laurentius Valla* affirmantes illud Symbolum non fuiſſe ab Apoſtolis editum: eſt enim hæc aſſertio non ſolum contra communem Sanctorum Patrum mentem, & Scholaſticorum, verùm etiam contra id quod ab Eccleſia communiter receptum eſt, vt colligitur ex *D. Thom. in hoc art.* præcipuè *ad 6.* De quo videatur 2

etiam

etiam *Clem. l.1. epiſt.1. Irenæus lib.1.cap.2. D. Amb. epiſt 81.ad Hiricium Ruffinus in expoſitione Symboli, D. Hieron. in epiſt.ad Pammachium, D. Cyp. epiſt. hom. 1. & 2. in Symbolum, D. Auguſt.ſerm. 115.& 118. de tempore, D. Leo ſerm. 11. de paſſione Domini, & epiſt. 13. ad Pulcheriam.* Nec deſunt aliqui exiſtimantes Symbolum Apoſtolorum taliter ab illis fuiſſe editum, vt ſinguli ſingulas ſententias profeſſent, quod inſinuat *D. Auguſt. loc. cit. & D. Thom. in 3. diſt. 25 q.1. art. 2.* Et communiter ita fertur; hoc autem non eſt ita certum, ſicut eſt ipſos tale Symbolum edidiſſe. Neque ex eo quod ita fecerint vocatur. *Symbolum*, Quia vt optimè hic adnotauit *Caietanus* nomen *Symbolum* non à colligentibus, ſed ab ipſis rebus collectis impoſitum eſt.

3 Quod *Si contra hoc obiicias.* Sequitur quod ſi Apoſtoli tale Symbolum ediderunt, quod inter Canonicas & Sacras Scripturas conſtitui deberet, conſequens eſt falſum, vt eſt notum, ergo non ediderunt illud *Probatur Sequela* Quia quæ Apoſtoli ſcripſerunt ad eruditionem fidelium inter Sacras Scripturas annumerantur, vt eſt videre in Epiſtolis D. Pauli, Petri, Ioannis, Iacobi, & Iudæ.

Reſpondetur ad hoc argumentum. *Primò*, 4
Quod non omnia quæ ab Apoſtolis ſcripta ſunt, etiam ad eruditionem fidelium pertinent ad Sacram Scripturam, vt patet in epiſtola ad Laodicenſes ſcripta à D. Paulo, quæ tota refertur à *D. Anſelmo ſuper Paulum in fine Epiſtola ad Coloſſ. & in epiſt. Pauli ad Senecam*, quæ eſt inter opera Senecæ *Secundo reſpondetur.* Nec ... eſſe ad hoc vt aliqua ſcripta Apoſtolorum fiot de fide, quod etiam ſit de fide ipſos talia ſcripta edidiſſe, non eſt autem de fide quamuis ſit veriſſimum, quod Apoſtoli tale Symbolum ediderunt. Circa Symbolum Patrum aduertendum eſt, illud fuiſſe amplius explicatum, & auctum in multis Concilijs in Conſtantinopolit. 1. & Synodo, Epheſina. Et in pluribus Concilijs *Tolet.* 1. 2. 3. 4. 5. 6 8. & 11. Quæ omnia rectè facta ſunt nouis pullulantibus hæreſibus. Vltimo notandum eſt circa Symbolum Athanaſij, illud non eſſe infallibilem regulam fidei, qua ratione ab ipſo (alias Sanctiſſimo, & Doctiſſimo Patre editum eſt tanquam Doctore particulari) ſed quatenus à tota Eccleſia, & Summis Pontificibus receptum eſt, quod optimè obſeruauit *D. Thom. art. ſequent. ad 3.*

TRACTATVS
DE
AVTHORITATE
SVMMI PONTIFICIS,
SVPER ARTICVLVM DECIMVM QVÆSTIONIS PRIMÆ, HVIVS SECVNDÆ SECVNDÆ.

PROOEMIVM.

TRACTATVRVS *Diuus Thomas* in prima Quæſtione ſuæ 2. 2. de Natura, & Quidditate fidei ſcientifico ordine procedens ex duobus totam eius ſpecificam rationem adæquatè explicat, oſtendens quæ ſit eius ratio formalis, & quod ſit obiectum materiale, quod credendum proponitur per fidem, eiuſque conditiones, Et quidem ratio formalis ſub qua fides obiectum ſuum attingit, & per quam formaliſſimè ſpecificatur, eſt veritas diuina reuelans per modum teſtimonij, ſeu authoritatis teſtificantis, ex quo ſequitur ſumma, & infallibilis eius certitudo in tali teſtificatione, tam actiuè quàm paſſiuè: actiuè quidem, quatenùs ipſe teſtificans eſt ſumma veritas: paſſiuè autem ex parte intellectus credentis, quatenùs ipſa diuina authoritas nobis propoſita facit in nobis electionem voluntariam, per quam intellectus determinatur, vt firmiter inhæreat his, quæ ſunt fidei, & eis certiſſimè aſſentiat vt dixit *S. Thom. ad Hebræos 11. lect. 1.*

Ex *quo obiter colliges*, authoritatem diuinam vt generet aſſenſum, & infundat habitum inclinatiuum ad credendum prius tangere voluntatem, & mediante illa intellectum, iuxta quod dicitur Act 16. *Cuius Dominus aperuit cor intendere iis, quæ dicebantur à Paulo*, qui vtique annuntiabat illis fidem, ita quod prius tangit cor, quàm intellectum, & ideò dixit benè *Caietanus 2.2.q.171.art.2* Quod fides non eſt lumen intellectuale ſimpliciter, ſed lumen intellectus vt moti à voluntate, & hac ratione intrat pia affectio, & requiritur ad ſpecificam rationem fidei.

At vero obiectum materiale fidei, ſeu res credendæ, & attingendæ per talem reuelationem, vt ſint materia fidei duas conditiones requirunt, quas *D. Thom.* hic explicat. *Prima*, Quod talis res ſit non apparens, ſicut expreſſit *Apoſtolus* definiens fidem Hebr. 11. *Argumentum non apparentium.* Cum autem rem eſſe *non viſam*, ſeu obſcuram ſit denominatio extrinſeca ſicut è contra, *eſſe viſam*, ſeu claram eſt denominatio quædam prouueniens, à vidente, vel à luce illuſtrante, hinc eſt quod rem eſſe non viſam, ſeu obſcuram à duplici principio poteſt prouenire, vel ab ipſo medio, vel ratione cognoſcendi; medium enim obſcurum relinquit obiectum obſcurum. Secundò ab ipſo ſubiecto non vidente, à quo denominatur extrinſecè res non viſa, ſicut è contra, à ſubiecto vidente denominatur extrinſecè res viſa. Quando ergo dicitur quod vt aliquod ſit obiectum fidei debet eſſe non viſum vtroque modo intelligitur, ſcilicet obſcurum ratione medij obſcuri, quia cum ratio formalis fidei ſit reuelatio per modum authoritatis, & teſtimonij, non facit rem apparere, ſed obſcuram relinquit.

Similiter etiam intelligitur quod vt aliquid ſit obiectum fidei debet eſſe non viſum denominatione extrinſeca prouueniente à ſubiecto credente, quatenùs ad hoc quod aliquid ſit materia fidei ſupponatur tanquam conditio quod non ſit viſum a credente; vnde docet *D. Thom.* loco citato *ad Hebr* quod propria materia habitus fidei ſunt non apparentia, & expreſſius *Caietanus 2.2. quæſtione 67. articulo 5.* in fine inquit, quod *ly non viſum* in obiecto fidei eſt denominatio quædam extrinſeca proueniens à non vidente: itaque ſicut parietem eſſe viſum eſt denominatio extrinſeca proueniens à vidente, ſic obiectum non eſſe viſum eſt denominatio prouueniens à non vidente, & ideò vt aliquid ſit obiectum fidei debet ſupponere quod intellectus credenns non videat tale obiectum. Et hinc eſt quod fides non ſolum repugnat ſcientiæ, aut euidentiæ ratione medij, quia ſcilicet medium, ſeu ratio formalis eius eſt obſcura, ſicut repugnat opinio cum ſcientia, ſed etiam ex parte ſubiecti quatenùs vt aliquid ſit materia fidei ſupponitur quod non ſit apparens, ſeu non viſa ab ipſo ſubiecto credente, nam ſi videt ſemel quantumcumque ſibi narretur, non credet.

Altera *Conditio* requiſita ad materiam fidei, quæ ad noſtrum pertinet inſtitutum eſt quod ſit propoſita ab Eccleſia Catholica, & ab eius Capite, in quo eſt infallibilis regula fidei, vel eorum quæ ad fidem ſpectant, & de hoc agimus hic. *Quod vt intelligas aduerte.* Quod iſta conditio, & hæc regula viſibilis non requiritur quomodocumque in fide, ſed in ordine ad nos; quia Deus non loquitur nobis immediatè, nec per ſe ipſum immediatè proponit res reuelatas, ſed mediantibus aliis hominibus, quibus ipſe loquutus eſt, partim per Angelos in ſermone prophetico, partim per ſemetipſum in carne apparens, iuxta quod ait Paulus ad Hebræos 1. *Multifariam multiſque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis; nouiſſime diebus iſtis loquutus eſt nobis in Filio, &c.* Vbi *ly in Prophetis*, & *ly in Filio* ponuntur tanquam media, quibus Deus propoſuit res fidei. Si autem Deus etiam nobis immediatè proponeret ea quæ credenda ſunt, non eſt dubium quod nulla indigeremus regula viſibili proponente, ſed certificaremur immediatè ab ipſo ſpiritu Dei de materia propoſita ad credendum, ſicut Apoſtoli, & Prophetæ edocti ſunt, qui non ab Eccleſia acceperunt, ſed ipſi potius tradiderunt Eccleſiæ res fidei iuxta illud Lucæ 1. *Sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipſi viderunt, & Miniſtri fuerunt Sermonis:* Et 1. Ioannis 1. *Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis noſtris teſtamur, annunciamus vobis.* Quia ergo Deus non immediatè proponit nobis veritates fidei, ſed per alios homines tradit, neceſſe eſt, quod inter illos qui tradunt, ſeu proponunt ſit aliqua firma, & infallibilis authoritas per quam diſcernantur ea quæ verè de fide ſunt, ab his quæ non ſunt de fide; aliàs fluctuaremus omni vento doctrinæ.

Neque ad hoc ſufficiunt Solæ Scripturæ Sacræ, & Traditiones, cum iſtæ deprauari poſſint ab hominibus, iuxta quod dicitur 2. *Petri vltimo de epiſtolis Pauli, in quibus ſunt aliqua difficilia intellectu quod indocti, & inſtabiles deprauant.* Vbi inſinuatur duplex ratio, quare non ſufficiunt ſolæ Scripturæ ſine authoritate alicuius proponentis, & propter difficultates intelligendi Scripturas, quarum ſenſus cum ſæpè ſit obſcurus, & occultus, oportet quod per aliquam regulam certam accipiatur certus ſenſus, & non ad libitum cuiuſcumque; & ideò Dominus inter præcipua dona, quæ dedit Apoſtolis, vt dicitur Lucæ vltimo: *Aperuit illis ſenſum, vt intelligerent Scripturas.* Secundò, propter deprauationem, quæ fieret à multis in Scripturis, niſi ab aliqua authoritate Superiori iudicaretur de ſinceritate, & veritate Scripturarum, ſicut ſæpè ab Hæreticis deprauatæ ſunt, vel aliqua Apocrypha inculcata pro veris Scripturis, quæ annumerat *Gelaſius Papa* in Capite *Sancta Romana diſtinctione* 15. Et idcircò Dominus hanc regulam, & fundamentum in Petro conſtituens, eiuſque ſucceſſoribus, inquit Lucæ 22. *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.* Quæ iuxta ea quæ dicta ſunt explicat optimè *Sanctus Leo Papa ſerm. 2. de Natali Apoſtolorum, in Petro* (inquit) *omnium fortitudo munitur, & diuina Gratia ita ordinatur auxilium vt firmitas, quæ per Chriſtum Petro tribuitur, per Petrum Apoſtolis conferatur.* Et ſermon. 3. de ſua aſſumptione. *Tantam* (inquit) *potentiam dedit ei Dominus, quem totius Eccleſiæ Principem fecit, vt ſi quid etiam noſtris temporibus rectè per nos agitur, rectèque diſponitur, illius operibus, illius ſit gubernaculis deputandum, cui dictum eſt, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos:* Conſtat ergo Chriſtum ideò firmaſſe authoritatem Petri, quia ea quæ ſunt fidei, mediante Petro debent aliis infallibili regula proponi, & per ipſum, ac Succeſſores ſuos in Eccleſia in perpetuum conſeruari.

Opportune ergo *D. Thom.* Tractans hic de obiecto materiali fidei, & de his, quæ in Symbolo continentur credenda, Articulum hunc interpoſuit ad oſtendendum, quod pertinet ad Summum Pontificem, ad quem pertinet veritates fidei tradere, vt per eius Authoritatem diſcernamus ea quæ ſunt fidei, ab illis quæ non ſunt, & illum probetur eſſe Hæreticum, & contra veram fidem, qui ab ipſa ſummi Pontificis authoritate tanquam à viſibili regula fidei diſcedit. Neque enim vt dixit *Cyprianus Epiſtol.* 55. Aliunde Hæreſes obortæ ſunt Schiſmata quam inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur,

ratur,

tatur, nec vnus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Iudex vice Chriſti cogitatur. Et ideò optimè *Irenæus lib.3.cap.3.* per fidem Romanæ Eccleſiæ omnium confundi errores confitetur, tanquam per regulam certam credendorum, dum inquit, *Roma fundata, & conſtituta Eccleſia, eam quam ab Apoſtolis habet traditionem, & annunciatam Hominibus fidem, per Succeſſiones Epiſcoporum peruenientem vſque ad nos, indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquomodo, vel per ſui placentiam, malã, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam ſententiam, præter quam oportet colligunt: ad hanc enim Eccleſiam propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt omnem Eccleſiam conuenire.* Conſtat ergo quod ſicut ex authoritate Sedis Apoſtolicæ omnium errorum dependet confutatio, ita in hoc tractatu totius Catholicæ rei Summa diſputetur; ſtabilita enim firma regula fidei, in his quæ credenda ſunt, & tenenda facilè diſſoluuntur errores omnes, & à fide diſcernuntur ſincera.

Vt autem Tractatum iſtum conuenienter proſequamur, primò agemus de ipſa Authoritate, & Primatu Supremi Capitis quantum ad eius inſtitutionem Secundo quantum ad poteſtatem, & obiecta ad quæ ſe extendit, quæ ſunt in duplici genere, nam extenditur ad ſpiritualia, & ad temporalia, ſecundum quod hæc ordinabilia ſunt ad vitam æternam, cum & ipſe Dominus Petro poteſtatem dederit in duplici gladio, iuxta illud Lucæ 22. *Ecce duo gladij hic*, quod *Bonifacius VIII. in Extrauaganti Vnam Sanctam*, intelligit de duplici poteſtate Papæ Spirituali, & Temporali, afferens verba *Bernardi 4. de conſideratione cap.3.* quibus id probat, & ideò de vtroque agendum erit.

SEQVITVR EXPOSITIO
LITTERÆ D. THOM.

IN *Articul. X. Inquirit Sanct. Thom.* Vtrùm ad Summum Pontificem pertineat Symbolum fidei ordinare? Reſpondet triplici Concluſione. *Prima Concluſio*. Ad ſummum Pontificem pertinet finaliter determinare ea quæ ſunt fidei. *Secunda Concluſio*. Ad ſolam authoritatem, Summi Pontificis pertinet noua editio Symboli, & omnia alia quæ pertinent ad totam Eccleſiam, vt Congregare Synodum Generalem, &c. *Tertia Concluſio ad 2.* Ad Summum Pontificem pertinet per ſententiam confirmare Synodum.

DISPVT. I.

De Primatu, & Inſtitutione Supremi Capitis in Eccleſia, qui eſt Romanus Pontifex.

ARTICVLVS I.

Vtrùm neceſſe ſit in Eccleſia ponere aliquam ſupremam poteſtatem viſibilem ad proponendum, & determinandum rei fidei?

1 MOTVM Hæreticorum pondus in hac parte eo veritaté intendit præcipitare, vt probent nullatenus viſibile, & ſupremum caput in Eccleſia conſtituendum eſſe, vt de rebus fidei, & de doctrina iudicet, ſed iudicium de doctrina, & credibilibus ad vniuſcuiuſque Hominis ſpiritum pertinere, quod tùm rationibus tùm Scripturæ authoritatibus infra adducendis comprobare conantur. In contrarium tamen obſtat, Quod ſi eſſet credendum in dubiis fidei, & determinandum id quod tenendum eſt de fide per vniuſcuiuſque Spiritum, fruſtrà Apoſtoli congregaſſent Concilium ad determinandum Quæſtionem de obſeruatione legalium, vt habetur *Actor.* 15. In qua determinatione non ſolum Spiritũ, ſed etiam ſe ipſos pro regula proponunt dicentes: *Viſum eſt Spiritui Sancto, & Nobis.* Itẽ Apoſtolus propterea reiiciendum monet Hæreticum hominem, quia proprio iudicio condemnatur, vt habetur ad Titum 3. *Hæreticum hominem poſt vnam, & ſecundam correptionem deuita, ſciens quia ſubuerſus eſt qui eiuſmodi eſt, & delinquit cum ſit proprio iudicio condemnatus*; ergo ſubuerſio, & delictum Hæretici eſt in ſequendo proprium iudicium, per hoc enim condemnatur. Item 2. Petri 1. *Hoc primum intelligentes quod omnis Prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit, non enim voluntate humana allata eſt aliquando Prophetia, &c.* Ergo non licet nobis propria interpretatione Scripturam proponere, aut credenda determinare. Item Paulus *ad Gal. 2.* contulit Euangelium quod prædicabat in gentibus cum his qui videbantur eſſe aliquid *Ne fortè* (inquit) *in vacuum currerem, aut cucurriſſem.* Ergo neceſſarium eſt in his quæ ſunt fidei recurrere ad aliquam regulam, & authoritatem viſibilem, cum qua conferatur.

Pro huius Quæſtionis dilucidatione antequam Hæreticorum errores, & Catholicam ſententiam pronamus ſupponendum eſt, Quod dupliciter poſſumus intelligere quod in determinatione rerum fidei, & earum propoſitione, & interpretatione Scripturæ ſtandum eſt proprio iudicio, *vno modo*, ſine aliqua omnino relatione ad aliquid exterius per quod confirmetur, vel cum aliquo ordine ad aliquid exterius, & viſibile per quod conſtare poſſit de veritate, & determinatione eius, quod proponitur. Et quidem proprium eſt omnium Hæreticorum proprio iudicio, & electioni niti, non tamen omnium Hæreticorum eſt negare omnem regulam viſibilem per quam iudicetur res fidei. Hæreſis enim vt docet D.*Th.* 2.2.q.11.*art.*1.*ex D. Hieron. ſuper c.5. ad Gal.* Et habetur 24.q.3.*cap. Hæreſis*, 2

Hæreſis Græcè ab electione dicitur, quod ſcilicet eam ſibi vnuſquiſque eligat diſciplinam, quam putat eſſe meliorem. Quod & antea dixerat *Tertullian. lib. de Præſcript.* contra Hæreticos explicans illud Apoſtoli ad *Titum* 3. de homine Hæretico quia ſubuerſus eſt, delinquit proprio iudicio condemnatus. *Ideò* (inquit Tertullian.) *ſibi damnatum dixit Hæreticum, quia & in quo damnatur ſibi elegit, nobis verò nihil ex noſtro arbitrio indulgere licèt, ſed nec eligere quod aliquis de arbitrio ſuo induxerit.* Omnis ergo Hæreticus proprio ſenſu, & iudicio ducitur, ſecundum quod ly *proprium* excludit illum qui eſt Catholicæ Eccleſiæ, ſecundum quod proprium opponitur communi, & vniuerſali.

Cæterum multi Hæretici regulam viſibilem
3 quærebant per quam ſuam probarent, aut confirmarent opinionem, etſi non veram regulam admittebant, & in hoc etiam ducebantur proprio iudicio, quod non ſolum ſententiam in rebus fidei ex proprio ſenſu, ſed etiam regulam exteriorem iuxta ſuum placitum cōſtituebant, vnde & habebant Concilia, ſeu potiùs Conciliabula ad ſua dogmata tractanda, & iudicanda, vt ſecundum formam Concilij ea proponerent, & iudicarent. Et ſic Donatiſtæ Conciliabula Carthagine congregarunt; Arriani ſimiliter, & Semiarriani plura Conciliabula fecerunt ad decipiendos Catholicos, & ſua dogmata confirmāda, vt conſtat ex *Tomo 1. Conciliorum*, ſicut etiam Conciliabulum Epheſinum conuocatum eſt, vbi fuit abſolutus Eutiches, & plura alia in libris Conciliorum ſparſim leguntur. Sic ergo Hæretici iſti etſi ex proprio iudicio, & propria electione contra vniuerſalis Eccleſiæ ſenſum ſuas ſententias edocebant aliquam tamen exteriorem admouebant regulam, etſi ſuo etiam ſenſu introductam ad proponendas determinationes ſuas falſas circa res fidei: ſicut etiam modo Angelicanum Schiſma fatetur debere dari ſupremum caput in ſpiritualibus, illud tamen eſſe regem in vnoquoque regno, Cæterùm alij hæretici recentiores addentes præuaricationem, & implentes menſuram Patrum ſuorum in tantum prolapſi ſunt, quod iudicium de rebus fidei nolunt ad aliquam regulam exteriorem reducere, ſed ad vnumquemque hominem priuatum, qui debeat iudicare iuxta verbum Dei, & Scripturas, an ita ſit quod ſibi proponitur credendum. Ita docuit *Lutherus*, quem ſecuti ſunt *Brentius*, *Caluinus*, *Kemnitius*, cæterique huius temporis Peſtes.

Nihilominus vera, & Catholica ſententia
4 eſt, iudicium de rebus fidei, & earum propoſitionem, ac determinationem pertinere ad aliquam viſibilem regulam exteriùs proponentem, & non ad ſolum cuiuſcumque iudicium. Etſi autem pro Catholicis ſufficeret declaratio *Concilij Tridentin. ſeſſion.* 4. vbi decernit vt nemo ſuæ prudentiæ innixus in rebus fidei, aut morum ad ædificationem Chriſtianæ doctrinæ pertinentium, Sacram Scripturam ad ſuos ſenſus contorquens, contra eum ſenſum, quem tenuit, ac tenet Sancta Mater Eccleſia, cuius eſt iudicare de vero ſenſu, & interpretatione ſacrarum Scripturarum audeat explicare. Et *in Concilio Mileuitano* 2. *cap.* 2. explicans quandam Scripturæ authoritatem, non aliter intelligenda dicitur, niſi quemadmodum Eccleſia Catholica vbique diffuſa ſemper intellexit, quam ibi vocat *Regulam fidei*.

Vt omittam quod habetur in *Can.* 19. *Trullano Tomo* 3. *Concil.* Ne Scripturam aliter interpretentur, quā quomodo Eccleſiæ luminaria, & Doctores ſuis ſcriptis expoſuerunt. Omitto hunc Canonem, quia conſtat Canones iſtos Trullanos non eſſe probatæ fidei, quamuis non leuis probatio ſit authoritas ab inimicis extorta.

Nihilominus quia Hæretici Concilia non
ſuſcipiunt, & de hoc ipſo diſputamus, an illo- 5
rum, & Eccleſiæ iudicio ſtandum ſit in rebus fidei, ideò ad iſtos conuincendos alias probationes oportet afferre: nec tamen ad ſolam, & nudam Scripturam recurrendum nobis eſt, ſiquidem de hoc ipſo cum Hæreticis eſt quæſtio, quiſnam debeat nobis indicare veram, & legitimam Scripturam? Ideòque rectè his hæreticis quadrat id quod pulchrè notauit Tertullian. de Præſcriptionibus contra Hæreticos cap. 19. *Non ad Scripturas* (inquit) *prouocandum eſt, nec in his conſtituendum certamen in quibus aut nulla, aut incerta victoria eſt, aut parum certa. Nam etſi non ita euaderet collatio Scripturarum, vt vtramque partem parem ſiſteret, ordo rerum deſiderabat illud prius proponi, quod nunc ſolum diſputandum eſt: quibus competat fides ipſa, cuius ſint Scripturæ, A quo, & per quos, & quando, & quibus ſit tradita diſciplina, qua fiunt Chriſtiani. Vbi enim apparuerit eſſe veritatem diſciplinæ, & fidei Chriſtianæ, illic erit veritas Scripturarum, & expoſitionum, & omnium traditionum Chriſtianarum.* Ecce neceſſitas regulæ exterioris, ac viſibilis ad rem fidei, ſcilicet vbi apparuerit eſſe veritatem diſciplinæ. Et infra: *Quid prædicauerint Apoſtoli, id eſt, quid illis Chriſtus reuelauerit, & hic præſcribam non aliter probari debere, niſi per eaſdem Eccleſias, quas ipſi Apoſtoli condiderunt.* Si hæc ita ſunt, conſtat proinde omnem doctrinam, quæ cum illis Eccleſiis Apoſtolicis Matricibus, & Originalibus fidei conſpiret veritati eſſe deputandam.

Et *Tandem* poſtea *cap.* 36. percurrens Eccleſias
Apoſtolicas, id eſt ab Apoſtolis fundatas (in- 6
quit) *Habes Romanam Eccleſiam vnde nobis quoque authoritas præſto eſt. Statu fœlix Eccleſia eſt, cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt.* Ecce quas probationes affert *Tertullianus* contra Hæreticos ad oſtendendum apud quos ſit recta fides, & cui regulæ in eius determinationibus ſtandum eſt. Quod etiam ante Tertullianum fecit *Sanctus Irenæus lib. 3. de fide cap.* 3. Vbi Hæreticos prouocat ad traditionem Apoſtolorum toto orbe manifeſtatam in omni Eccleſia, præſertim Romana, *Ad quam* (inquit) *propter potentiorem principalitatem oportet omnem conuenire Eccleſiam:* Et tandem concludit cap. 4. *Tanta igitur oſtenſiones cum ſint hæc, non oportet adhuc quærere apud alios veritatem, quam facile eſt ab Eccleſia ſumere, cum Apoſtoli, quaſi in depoſitorium diues pleniſſimè in ea contulerint omnia quæ ſunt veritatis.* Pulchrè denique *Sanctus Auguſtin. in lib. contr. Epiſtol. Fundamenti Tom.* 6. poſtquam *cap.* 4. numerauit ea quæ ipſum tenerent in Eccleſia Catholica, in qua vera ſapientia inuenitur, nè ab ea diſcederet, ſcilicet conſenſio populorum, authoritas miraculis inchoata, & vetuſtate firmata, ſucceſſio Epiſcoporum in ſede Petri, ipſum denique nomen *Catholica*, ſubdit poſtea c. 5. *Ego verò Euangelio non crederem niſi me Catholica Eccleſiæ commoueret authoritas.* Et infra, *Si dixeris, noli Catholicis credere:*

dere: non rectè facies per Euangelium me cogere ad Manichæi fidem, quia ipſi Euangelio Catholicis prædicantibus credidi. Ecce quomodo per ſolum verbum Dei, ſeu Euangelium ſine authoritate Eccleſiæ proponentis, & iudicantis nemo poteſt cogere, & conuincere ad id quod tenendum eſt, ſiquidem vt Euangelio credam, oportet quod ab aliquo mihi proponatur, cuius authoritati credam.

7 Sic *ergo* ad Quatuor principia reducimus probationes contra Hæreticos de veritate Catholica propoſita. *Primò* ad ipſum verbum Dei, cui ipſi affirmant eſſe credendum iuxta proprium iudicium, oſtendendo quod ſi verbum Dei admittunt, & Eccleſiam proponentem debent admittere quia id continetur in verbo Dei. *Secundò* ad vnitatem fidei, quæ conſeruari non poteſt ſi ad cuiuſque Spiritum reducatur regula credendorum. *Tertiò* ad impoſſibilitatem quam inuoluit hæc Hæreticorum poſitio. *Quartò* denique ad communem conſenſum tot populorum, & gentium quæ ab ipſo naſcentis Eccleſiæ exordio vſque nunc ſuam fidem, & determinationem eorum, quæ credenda ſunt ex aliqua viſibili, & exteriori regula deſumpſerunt.

8 Prima *ergo* probatio ſic deducitur. Si regula fidei eſt ipſum verbum Dei iuxta quod iudicare debemus de eius ſenſu & interpretatione, & de his quæ fidei ſunt; ergo oportet quod etiam ad regulam aliquam viſibilem recurramus in dubiis, & controuerſiis de fide, & conſequenter non ſiſtamus in proprio iudicio. *Sequela probatur* ex variis Scripturæ teſtimonijs, quæ ipſi etiam Hæretici admittunt. Et primum eſt illud Deuteronomij 17 *Si difficile, & ambiguum apud te iudicium eſſe perſpexeris inter ſanguinem, & ſanguinem cauſam, & cauſam, lepram, & lepram, &c. Surge, & aſcende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, venieſque ad Sacerdotes leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore, quæreſque ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem, & facies quodcumque dixerint qui præſunt loco, & docuerint te iuxta legem eius* Vt efficacia huius loci perſpiciatur, refellendæ ſunt reſponſiones quibus illum infirmare poſſunt Hæretici. Nam primo dici poteſt hic non agi de cauſis fidei, ſed de cauſis politicis, aut temporalibus, *ibi inter cauſam, & cauſam, lepram, & lepram.* Secundò non agi de regula Eccleſiæ quoad res ſpirituales, quia remittuntur homines ad Sacerdotem, & ad iudicem qui illo tempore præeſt. Iudex autem vt diſtinguitur à Sacerdote non eſt regula fidei. Tertiò, non ponitur hic iudex cauſarum, & dubiorum abſolutè, ſed cum reſtrictione, ſcilicet, *facies quæ docuerint te iuxta legem.* Ergo non eſt ſtandum iudicio Sacerdotis niſi iuxta teſtimonium legis.

9 Cæterum hæ reſponſiones nihil iuuant, nam quod agatur non ſolum de cauſis politicis ſed de omnibus patet, tum ex generalitate verborum *de omni ambiguo iudicio inter cauſam, & cauſam.* Tum ſecundò, Quia hæc eadem poteſtas Sacerdotum quæ hic datur, explicatur amplius 2. *Paralipomenon* 19. Et explicitè extenditur ad res ſacras, & ſpirituales, & ad ipſam legem in qua certè res fidei continebantur, Dicitur enim ſic: *In Hieruſalem quoque conſtituit Ioſaphat Leuitas, & Sacerdotes, & Principes familiarum ex Iſrael vt iudicium, & cauſam Domini iudicarent habitatoribus eius. Præcepitque eis dicens: Omnem cauſam quæ venerit ad vos fratrum veſtrorum inter cognationem, & cognationem, vbicumque quæſtio eſt de lege, de mandato, de cæremoniis, de iuſtificationibus, oſtendite eis, vt non peccent in dominum. Amarias autem Sacerdos, & Pontifex veſter in his quæ ad Deum pertinent, præſidebit.* Ecce quomodo non ſolum de cauſis politicis, aut temporalibus, ſed etiam de lege, & cæremoniis, &c. quæ omnia in Scriptura continebantur iudicare debebant Sacerdotes, & non ſecundum cuiuſcumque iudicium priuatum determinanda erant. Denique Chriſtus Dominus *Matth.* 23. agens de iſta authoritate Sacerdotum, *ſuper Cathedram* (inquit) *Moyſi ſederunt ſcribæ, & Phariſæi, quæcumque dixerint vobis, ſeruate, & facite:* Vbi illa vniuerſalis. *Quæcumque dixerint*, nihil omnino excludit etiam de cauſis ſpiritualibus, & ad Scripturam pertinentibus.

Secunda etiam Reſponſio refellitur. Quia in eodem loco Deuteronomij ſententia definitiua non ad iudicem temporalem, ſed ad Sacerdotem reducitur, vt patet in illis verbis: *Qui autem ſuperbierit nolens obedire Sacerdotis imperio qui eo tẽpore miniſtrat Domino Deo ſuo ex decreto iudicis morietur, &c* Vbi *Imperium* cui obediendum eſt ſolũ Sacerdoti defertur, *Decretum* verò quod magis ad executionem pertinet, iudici datur vt videlicet decernat authoritate ſua quod res illæ executioni mandentur. Itẽ quia in loco illo *Paralip.* expreſsè diſtinguuntur iſta duo officia, vt in his quæ ad Deum pertinent præſideat Pontifex; ergo non ad iudicem temporalem pertinebat reſolutio vltima rerum Sacrarum, quæ ad Deum ſpectabant. 10

Tertia denique Reſponſio nihil valet, non enim eſt dubium, quod reſolutio, & determinatio iſtorum dubiorum iuxta legem, ſeu Scripturam facienda ſunt, ſicut etiam modo in Conciliis, & definitionibus Pontificum, illæ definitiones iuxta Scripturam faciendæ ſunt, cum Eccleſia non condat nouam fidem, aut Scripturam, ſed antiquam explicet. vnde iuxta legem, & Scripturam id facit, non tamen id debet fieri per iudicium priuatum, ſed per iudicium Eccleſiæ, viſibile, & externum. Alia loca Scripturæ, præſertim ex nouo Teſtamento ſupra in argumento, ſed contra adduximus, & plura alia adducemus ſequentibus dubiis 11

Secunda *probatio*, quæ eſt ex vnitate fidei ſic formatur. Ex verbo Dei conſtat fidem debere eſſe vnam, ad Epheſ. 4. *vnus Dominus, vna fides, vnum Baptiſma.* 1. Ad Corinth. 1. *Id ipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata, ſitis autem perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſententia:* ſed vnitas fidei, & eius ſenſus, atque ſententia retineri nõ poteſt ſi in eius dubiis ſtandum eſt priuato cuiuſcunque iudicio; ergo. *Minor clarè patet*, cum de eodem Scripturæ loco, & eius intelligentia, atque ſenſu ſint diuerſæ opiniones, & ſententiæ, imò quot Hæreſes fuerunt, tot ſententiæ, & ſenſus Scripturarum fuerunt, nam vt rectè dicit Hilarius lib. 1. de Trinit. *De intelligentia Hæreſis, non de Scriptura eſt, & ſenſus non ſermo ſit crimen.* Impoſſibile eſt ergo quod fides maneat vna ſi determinatio eius iuxta priuatum iudicium ſequenda eſt. *Quod confirmatur.* Nam poſito dubio in rebus fidei, & diuerſis interpretationibus Scripturæ, vel teneor aſſentiri meo 12

priuato iudicio, & Spiritui tamquam infallibili fidei determinationi, vel non; ſi non; ergo non reſoluitur certa, & firma determinatio fidei in iudicium priuatum quantuncumque id conferat cum verbo Dei, de tali enim collatione, & iudicio loquimur. Si teneor; ergo ſi alter habeat contrarium iudicium priuatum, & contrariam ſententiam etiam illi tenebitur adhærere infallibiliter, & conſequenter iam fides eſt diuiſa. Quod ſi non tenetur; ergo iam ille contrarium ſentiens debet recurrere ad alienum iudicium, & non ad proprium, vt verum ſentiat. *Quod ſi dicas*: non debere recurrere ad iudicium proprium, ſed examinare an id quod proponitur ſit conforme ad Scripturam, & id tenebit quod iudicauerit illi eſſe conforme. *Contra eſt*, Quia de eodem loco Scripturæ ſunt diuerſæ intelligentiæ priuatæ, & aliter iudicat vnus eſſe conforme Scripturæ quam alter, ergo non poteſt eſſe regula determinatiua iſtorum dubiorum ipſa conformatio, ſeu collatio ad Scripturam, ſiquidem non eſt vna pro omnibus, ſed multiplex, & ſic determinatio eorum, quæ credenda ſunt, & fides circa ipſa non erit communis omnibus, nec vna apud omnes, ſed diuiſa ſecundum diuerſum examen, & intelligentiam Scripturæ, quam vnuſquiſque habet.

14 Tertia *probatio ſic conformatur*. Nam vel vnuſquiſque obligatur credere omnia, quæ determinantur eſſe de fide, vel non: Si non; ergo non omnia habent infallibilem authoritatem, aliàs deberem iudicare illud eſſe verum, & conſequenter credere Et deinde quæ eſſet maior ratio cur aliqua deberem credere, & non omnia, ſi æquè haberent infallibilem authoritatem? Si autem omnia teneor credere; ergo non ſolum ea quæ ego iudico eſſe vera, ſed etiam illa quæ alter iudicat, & quæ alter, & quæ omnes iudicant, ſiquidem ſicut meum priuatum iudicium determinat mihi res fidei, ita & aliis ſuum priuatum iudicium determinat illis res fidei: ergo iam in aliquibus teneor ſequi iudicium alienum, & non proprium, nempè id quod alter iudicat eſſe de fide, & non ego. *Item* teneor credere iudicia contraria, quia ſæpè à diuerſis contraria ſentiuntur, & iudicantur. *Item* non erit neceſſe probare ſpiritus, ſiquidem priuatum cuiuſcumque iudicium eſt regula credendorum; ergo cuiuſcumque ſpiritus non erit amplius probandus, vel ſi probari poteſt cuiuſcumque iudicium; ergo ſimiliter & meum; ergo danda eſt aliqua regula probatiua mei iudicij, & non in ipſo eſt regula fidei. Si autem nullus ſpiritus probandus eſt, ſed omnes credendi, obſtat id quod dicitur 1. Ioann. 4. *Chariſſimi nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus ſi ex Deo ſunt*. Denique ſi quis habeat iudicium circa aliquam propoſitionē fidei. Ego non teneor eidem aſſentiri, niſi egoquoque examinauero, & iudicauero quod ſit de fide: vel ergo debeo iudicare idem quod alter iudicauit, vel poſſum aliter iudicare: ſi idem iudicare debeo; ergo numquam erunt contrarij ſenſus, & determinationes priuatæ circa Scripturam, ſiquidem poſita vna teneor idem iudicare. Si autem id quod alter iudicat eſt infallibilis authoritatis; ergo teneor iudicare idem quod ipſe, nam ſi poſſum aliter iudicare, vel illud quod alter iudicauit non eſt infallibile, vel poſſum ego iudicare contra infallibilem veritatem, & contra fidem, quod eſt impoſſibile. Si autem teneor iudicare idem quod alter iudicat; ergo teneor ſequi quodcumque iudicium alienum, & conſequenter etiam tenebor ſequi id quod iudicat Papa, & etiam contrariū eius quod ego iudico, quando alter oppoſitum iudicauit.

Et *Deinde* ſi poſito iudicio alicuius circa vnā propoſitionem teneor idem iudicare, ergo ſimiliter poſito iudicio Papæ circa eandem propoſitionem tenebor idem iudicare quod Papa, nec enim eſt maior ratio cur tenear iudicare idem quod alter quilibet homo, & non ſimiliter idem quod Papa, & ſic ruit fundamentum Hæreticorum contra Papam. Si vero poſſum aliter iudicare quam ille alter iudicauit; ergo id quod ille iudicauit non eſt de fide, ſiquidem adhuc ego oppoſitum ſentire poſſum, contra fidem autem nemo poteſt ſentire, ergo ſimiliter neque id quod ego ſentio, & iudico erit de fide certum, ſiquidem alius poterit oppoſitum: ſentire igitur poſitio illa de reductione rerum fidei ad priuatum cuiuſcumque iudicium eſt omnino inuoluens contradictoria, ſed neceſſario ſtandum eſt vni regulæ vt fides ſit certa, & ſit vna.

Quarta *Denique* probatio deducitur ex ipſa 15
antiquiſſima, & continuata Eccleſiæ conſuetudine, quæ non aliunde meliùs firmari poteſt, quam ex tot Conciliorum celebratione per omnes ætates ad determinandas res fidei; fruſtra enim determinatio rerum fidei ad Concilia, & ad Pontifices deferretur, ſi vnuſquiſque id determinare poſſet per priuatum iudicium, nec teneretur Eccleſiæ iudicium ſequi De celebratione autem Conciliorum vbi cauſæ iſtæ fidei ventilantur, & iudicantur cum aſſenſu, & confirmatione Pontificis conſtat ex Tomis Conciliorum iam inde ab exordio Eccleſiæ per omnia ſæcula vſque ad nos continuatorum, quorum primum habetur *Actor*. 15. quando docentibus aliquibus circumcidi debere homines de neceſſitate ſalutis conuenerunt Apoſtoli, & Seniores videre de verbo hoc, & tandem protulerunt ſententiam obligatoriam fidelium dicendo: *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris quam hæc neceſſaria, &c*. Ergo ſine expectatione proprij, & priuati cuiuſcumque iudicij poteſt Eccleſia, aut Pontifex determinare ea quæ tenenda, & credenda ſunt, obligando vt alij accipient, ſicut tunc Eccleſia obligauit. Quod & deinceps fecit Eccleſia damnando Hæreſes, & errores contra fidem in Conciliis, quæ toties vſque ad hæc tempora celebrata ſunt, quæ non eſt neceſſe enumerare, & in Tomis Conciliorum videri poſſunt vnde in Canonibus Apoſtolorum *Canon*. 38. præcipitur vt bis in anno Epiſcoporum Concilia celebrentur vt inter ſe inuicem dogmata pietatis explorent, & emergentes Eccleſiaſticas contentiones amoueant, qui Canon eſt ex his, qui ſine controuerſia pro authenticis recipiuntur etiam apud Antiquos, vt colligitur ex *Capit Sancta Roman. diſtinction*. 15. Et in Synodo Antiochena *capit. vigeſimo tertio*. præcipitur Quod in ſingulis Prouinciis bis quolibet anno Concilia habeantur, & in Synodo Nicæna Canon. 5. *Viſum eſt bene habere vt per vnanquamque Prouinciam in ſingulis annis Concilia celebrentur*. & idem in *Concilio Carthagin. 3. cap*. 1. & ante iſta Concilia dixit egregiè. *Tertullian. lib. de Ieiunio* contra Pſychicos capite decimotertio. *Aguntur præcepta per Græcias*

illas

illas certis in locis Concilia ex vniuerſis Eccleſiis, per quæ & altiora quæque in commune tractantur, & ipſa repræſentatio totius nominis Chriſti magna veneratione celebratur.

16 Præter Conciliorum autem tam frequentem celebrationem, quæ eſt euidens ſignum iudicij Eccleſiæ in cauſis fidei, & etiam ſanctorum Patrum traditio, quæ conſtanter ad Eccleſiæ iudicium, non ad priuatum cuiuſcumque Spiritum fidei regulam reduxit. ſanctus Clemens Epiſt. 5. ſic ait: *Diligenter obſeruandum eſt, vt lex Dei cùm legitur non ſecundum propriam ingenij intelligentiam legatur, vel doceatur, ſunt enim plura verba in Scripturis diuinis, quæ poſſunt trahi ad eum ſenſum, quem ſibi vnuſquiſque ſponte præſumpſit, ſed fieri non oportet & ideo oportet ab eo intelligentiam diſcere Scripturarum, qui eam à Maioribus ſecundum veritatem ſibi traditam ſeruauit, vt & ipſe poſſit ea quæ rectè ſuſcepit competenter aſſerere.* ſanctus Irenæus 4 lib contra Hæret. cap. 25. *Vbi Chariſmata Domini poſita ſunt ibi oportet diſcere veritatem apud quos eſt ea quæ ab Apoſtolis Eccleſia ſucceſſio, & id quod eſt ſanum & irreprobabile conuerſationis in adulteratum, & incorruptibile ſermonis, conſtat, hy enim & fidem noſtram cuſtodiunt, & Scripturas ſine periculo nobis exponunt.* ſanctus Cyrillus in libris theſauri quem citat *ſanctus Thomas* opuſc. 1. de erroribus Græcorum. *Debemus nos Capiti noſtro Romano Pontifici adhærere: ad omnes pertinet ab eo quod credendum, ac tenendum ſit accipere.* ſanctus Ambroſius Epiſt. 32. ad Imperatorem Valentinianum. *quis eſt qui abnuat in cauſa fidei Epiſcopos ſolere de Imperatoribus Chriſtianis* (id eſt de fide eorum) *non Imperatores de Epiſcopis iudicare?* Et infra, *ſi conferendum de fide Sacerdotum debet eſſe iſta collatio.* S. Hieron. aduerſus Luciferianos: *ſi non ſit in Eccleſia vna eminens poteſtas, tot futura ſunt ſchiſmata, quot Sacerdotes.* S. Auguſt. tract. 18 in Ioan. *Neque enim nata ſunt hæreſes, & quædam dogmata per uniuerſitatis illaqueantia animas, & in profundum præcipitantia niſi dum Scripturæ bonæ intelliguntur non benè, & quod in eis non benè itelligitur etiam, & audacter aſſeritur.* Et lib. 1. contra Creſconium Grammat. cap. 33. tomo 7. *Eccleſiam* (inquit) *ipſarum ſcripturarum commendat authoritas, vt quoniam ſancta Scriptura fallere non poteſt, quiſquis falli metuit huius obſcuritate quæſtionis eandem Eccleſiam de illa conſulat, quam ſine vlla ambiguitate ſancta Scriptura demonſtrat.* Et lib. 11. contra Fauſtum cap. 2. loquens de veritate librorum ſeu exemplarium, quæ proferri poſſent à Fauſto contra ipſum. *Videas in hac re quid Eccleſiæ Catholicæ valeat authoritas quæ ab ipſis fundatiſſimis ſedibus Apoſtolorum vſque ad hodiernum diem ſuccedentium ſibimet Epiſcoporum ſerie, & tot populorum conſenſione firmatur.* Et lib. 13. cap. 18. *Si alios quos dicat Apoſtolorum noſtrorum codices protulerit, quomodo eis ipſe authoritatem dabit, quam per Eccleſias Chriſti ab ipſis Apoſtolis conſtitutas non accepit, vt inde ad poſteros firmata commendatione tranſcurreret?* Theodoretus in Epiſt. ad Leonem Pontificem. *Si Paulus Prædicator veritatis ad Petrum accurrit, vt his qui Antiochiæ de viuendo ſecundum legem Moyſis diſceptabant quæſtionem expeditam, & ſolutam ab eo auferret, multò magis nos qui puſilli ſumus ad ſolium Apoſtolicum accurremus, vt à vobis medicinam vlceribus noſtris feramus, ſiquidem vobis conuenit in omnibus rebus ſententiam tenere.* Ac denique Bernardus Epiſt. 190. ad Innocentium ſecundum. *Oportet* (inquit) *ad veſtrum referri Apoſtolatum pericula quæque, & ſcandala emergentia in Regno Dei, ea præſertim quæ de fide contingunt, dignum namque arbitror ibi potiſſimum reſarciri damna fidei, vbi non poſſit fides ſentire defectum.* Deniq; ex pluribus ſummorum Pontificum Epiſtolis conſtat grauiores cauſas ab Apoſtolica Sede terminatas eſſe, de quibus, ſicut de aliis authoritatibus, quæ ſpecialiter loquuntur de Pontifice in ſequentibus articulis dicemus.

Soluuntur Argumenta.

ARguitur *Primò*, contra noſtram reſolutionem. Non minus fuit requiſita fides tempore legis ſcriptæ; & legis naturæ quam modo, cùm ſine fide impoſſibile ſit placere Deo, ad *Hebræos* 11. Ergò non minus fuit requiſita regula fidei ad proponendum ea, quæ credenda ſunt modo quam antea; ſed hoc non obſtante toto tempore legis veteris non fuit aliquis Papa ad quem pertineret determinare res fidei, nec talis poteſtas ex tota ſcriptura veteris teſtamenti colligitur, ergò etiam ad fidem quæ modo non eſt neceſſaria talis poteſtas circa certitudinem eorum quæ credenda ſunt. *Si dicas* fuiſſe in lege veteri Prophetas, qui proponebant ea quæ reuelabat Deus. *Contra eſt.* Quia inter Prophetas etiam multi erant falſi, de quorum authoritate dubitabatur, iuxta illud Thren. 2. *Prophetæ tui viderunt tibi falſa, & ſtulta.* Et Ezech. 22. *Prophetæ eius liniebant eos abſque temperamento, videntes vana, & diuinantes eis mendacium.* Et 3. *Reg.* 22. narratur hiſtoria de 400. Prophetis, qui mendacium prophetabant; igitur non poteſt aſſumi pro regula infallibili dictum Prophetæ, ſiquidem adhuc reſtabat iudicandum an eſſet verus, vel falſus Propheta. Nec etiam ad ſummum Sacerdotem pertinebat hæc determinatio rerum fidei: *Tum* quia nullibi in Scriptura aſſignatur ei talis poteſtas aut confirmatio aliorum in fide, cùm tamen omnia Pontificis munera numerentur: *Exod.* 28. & 29. & aliis in locis: *Tum etiam* quia Aaron ipſe primus Pontifex errauit in multis; vt proponendo populo vitulum quem adoraret pro Deo *Exod.* 32. Item loquendo contra Moyſem *num.* 12. & *num.* 23. dicitur Moyſi & Aaron: *Quia non credidiſtis mihi, non introducetis hos populos, &c.* Item Salomon eiecit Abiathar Sacerdotem vt non eſſet Sacerdos Domini 3. *Reg.* 2. Ergò non firma erat, & infallibilis eorum authoritas ad non errandum. 1

Reſp. negando, non fuiſſe in lege antiqua viſibilem regulam fidei ad proponendum infallibiliter ea quæ credenda eſſent, & determinandum dubia, quæ circa res fidei orirentur. Et quidem cum conſtet plurimos tunc fuiſſe Prophetas quorum multi falſi erant, vt inter arguendum probatur neceſſarium erat diſcernere quiſnam eſſet verus Propheta, & quis falſus, & conſequenter ad hoc erat neceſſarium aliquod iudicium ſuperius ad priuata iudicia talium Prophetarum. Vnde *Deut.* 13. præcipitur vt Propheta quantumuis ſigna, & portenta fecerit, ſi contra doctrinam legis docuerit interficiatur, & idẽ præcipitur *cap.* 18. & ponitur ſignum quo intelligerẽ poſſent Prophetam non eſſe verum; ſcil. *ſi non ita euenerit ſicut loquutus eſt.* Hinc eſt quod vt eui- 2

eſt regula ſui ipſius, & cæterorum, & proponit ſuam Authoritatem vt credendam, & ſe eſſe Pontificem. *Contra.* Quia ipſe non poteſt eſſe regula certa reſpectu ſui ipſius, ſi.n.de hoc volumus certificari an ipſe ſit regula quomodo per ipſumet certificabimur, de quo quærimus? oportet enim nos regulari, & certificari per aliquid certius, & nõ per id de quo dubitatur, id.n.eſſet petere principiũ. *quod ſi dicas*, conſtare ipſum eſſe Põtificem, vel ex eo quod videmus eſſe ritè electum, vel ex acceptatione Eccleſiæ: hoc iam eſt recurrere ad aliam regulam, nempè ad Eccleſiæ acceptationem, & hæc etiam poteſt eſſe regula pro aliis credendis.

6 Reſpondetur negando antecedens, ad eius probationem ☞ *Reſpondetur ſolutione ibi data.* Quod Pontifex eſt ſuprema regula & ſui, & aliorum, ſicut illud quod eſt perfectiſſimum in aliquo genere eſt menſura ſui, & cæterorum. Hoc tamen habet Pontifex ſuppoſita acceptatione Eccleſiæ, non quod acceptatio Eccleſiæ ſit regula, ſed requiſitum neceſſarium, ſeu conditio, vt ille homo regula ſit: ſicut enim Eccleſia habet ius eligendi ſibi Pontificem, ita & acceptandi ipſam electionem, & facta ritè electione electum acceptare tenetur; quod ſi non acceptat rationabiliter propter aliquẽ defectũ electionis vel electi, ille non eſt adhuc ritè & certus Pontifex, & ideò non mirum quod de ſeipſo non poſſit iudicare: poſita vero acceptatione electionis ab Eccleſia Papa iudicat & determinat tam de ſe ipſo quam de aliis ea poteſtate accepta à Chriſto in inſtitutione Petri & ſucceſſorum eius: vnde in virtute huius poteſtatis, & directionis diuinæ etiam de ſeipſo iudicare poteſt, quia in rebus fidei etiam perſona Papæ authoritati Papæ ſubiicitur ſicut etiam ligat ſeipſum Pontifex quando definit res fidei, & tenetur credere ea quæ definit: nõ; vi dixit optimè *Caiet.* in fine commentarij ſuper hunc *artic.* 10. Papa in hoc excedit ſeipſum, ſicut Dauid in excedendo ſeipſum, ſe & omnes verè iudicauit mendaces dicens: *Ego dixi in exceſſu meo omnis homo mendax.* pſalm. 115. de hoc tamen infra agemus tractando an ſit de fide per ſe primò hunc hominem eſſe Pontificem? quod autem ipſa Eccleſia Pontificem poſſit eligere, & ipſe ſic electus omnem authoritatem Petri ſuſcipiat, præter probationes inferius adducendas, conſtat ex traditione per ſucceſſiones Epiſcoporum ab Apoſtolis veniente, & vnanimi Eccleſiæ conſenſu ſic ſemper continuantis regimen, & gubernationem ſuam per ſucceſſionem Pontificum eligendo ipſos: vnde & patres cùm probant eſſe veram Eccleſiam hanc noſtram, quam *Catholicam* nominamus, & in ea eſſe legitimam Scripturam diuinam id probant ex traditione Apoſtolorum, & ſucceſſione Epiſcoporum in ipſa, ſicut poteſt videri in *Irenæo* ſupra citato, *libro tertio, capite quarto, Tertulliano de præſcriptionibus, Auguſtino in lib. contra epiſtolam fundamenti capite quarto*; Quorum verba ſupra retulimus.

7 Tertiò, *arguitur.* Pontifex non poteſt determinare, & proponere res fidei niſi præcedente diſputatione, & diſcurſu, res autem fidei per diſcurſum non acquiruntur, ſed ſimplici reuelatione; ergo non debent determinari per Pontificem. *Maior eſt certa,*: Tùm ex communi praxi, & conſenſu Eccleſiæ, in qua nihil definitur niſi magna præcedente diſputatione: Tum ex facto Apoſtolorum *Actor.* 15. vbi conuenientes ad rem quandam definiendam prius magna conquiſitiõ facta eſt. *Minor patet.* Quia dicit Damaſc. 4. fidei capite duodecimo; *Fides non eſt inquiſitus aſſenſus*; ergo non innititur diſcurſui, & inquiſitioni, ſed ſimplici authoritati. *Confirmatur:* Quia ſi ea quæ ſunt fidei ſic determinantur non poteſt Pontifex definire niſi concluſiones Theologicas, & ſcitas, quia per diſputationem præcedentem prius per diſcurſum inferuntur, quam definiantur.

Reſpondetur *diſtinguendo Minorem.* Res fidei non acquiruntur per diſcurſum, ſed ſimplici reuelatione quantum ad rationem formalem credendi, & ipſum aſſenſum, qui eſt actus fidei; *Concedo*, quantùm ad determinationem, & diſcuſſionem quæſtionum circa res fidei, & diſcernendum credenda à non credendis, *nego minorem.* Et hoc modo intelligitur authoritas Damaſcen. *quod fides eſt non inquiſitus aſſenſus*; quantum ad ipſum actum credendi, & rationem formalem eius, quia innititur authoritati diuinæ immediatè, & non diſcurſui noſtro. Ea tamen quæ fidei actum antecedunt, & pertinent ad determinationem eorum, quæ credenda ſunt, & ad iudicanda dubia circa ipſa benè poſſunt pertinere ad diſcurſum. Vnde dicit *diuus Thomas* 2. 2. *quæſt.* 2. *art.* 10. *ad primum.* Quod homo habet inquiſitionem quandam eorum per quæ inducitur ad credendum, puta quod ſint dicta à Deo, & miraculis confirmata, licet fides non habeat inquiſitionem rationis naturalis demonſtrantis. 8

Ad *confirmationem reſpondetur.* Nullum eſſe inconueniens quod res aliqua ſit ſimul credita, & ſcita Theologicè, eodem modo quo Theologia habetur in hac vita, ſcilicet non habendo euidentem viſionem in ſuis principiis. De quo videatur *Magiſter Bannez* in hac 2. 2. *quæſt.* 1. *art.* 5. *dub.* 1. *concluſ.* 4. Deinde *reſpondetur*, non omnia quæ determinantur de fide neceſſario eſſe concluſiones theologicas, nec enim eſt neceſſe ad determinandum aliquid de fide illud inferri ex præmiſſis aliis de fide, ſed ſufficit quod conſtet de eius traditione, aut conſenſu communi Patrum, quod id contineatur in reuelatione Scripturæ, aut Apoſtolica traditione: ſicut etiam vt aliquis canonizetur pro ſancto non eſt neceſſe quod inferatur tãquam concluſio theologica hunc hominem eſſe in cœlo, ſed ſufficit quod viſis & probatis teſtimoniis, de eius ſanctitate, ac miraculis proferatur ſententia canonizationis 9

Quartò *arguitur*, nam probabile eſt Cõcilium generale, etiamſi Papa non ſit præſens, nec legati eius habeant ſpecialem inſtructionem à Papa, etiam ante confirmationem Pontificis non poſſe errare ergò ſufficienter habent Fideles regulam fidei ſine recurſu ad Papam, aut ſaltem non eſt omninò certum ſolum vnam eſſe regulam fidei infallibilem, ſicut *diuus Thomas* intendit in *artic.* probando id ex vnitate Eccleſiæ, & reducendo hanc regulam ad eum, qui præeſt Eccleſiæ: 10

Ad *hoc argumentum latius reſpondebitur* infra vbi de regula quam poſſunt præbere Concilia ad res fidei diſputabitur. *Interim dicimus* quod etſi dubium ſit apud Theologos, an Concilium ritè congregatum ante confirmationem Pontificis & ſine eius ſpeciali inſtructione errare 11

poſſit

poſſit (& probabilius eſt poſſe errare) ita quod non habeat infallibilitatem non errandi independenter à confirmatione Pontificis; tamen quoad præſens attinet dicimus quod adhuc Cõcilium quantum eſt ex propria ratione Concilij non eſt vltima regula credendorum, ſiquidem non per ſe habet Concilium quod omnes in eo concordent in ſententia ferendæ; quo caſu certũ eſt apud omnes poſſe eſſe oboxiũ errori, & indigere ſummi Pontificis regulatione. In aliquo autem caſu admitti poteſt quod Concilium errare non poſſit, ſcilicet quando eſt omnium concors ſententia nemine diſcrepante: tunc enim quia Concilium repræſentat vniuerſalem Eccleſiam, & authoritatiuè eſt tota Eccleſia, etſi non entatiuè, & illa non poteſt errare, ideò dum in vnam conſpirant ſententiam de fide omnes Patres Cõcilij non errabunt: quia tamen maior pars Eccleſiæ errare poteſt, præſertim ante ſummi Pontificis determinationem, & Concilium ex vi Concilij non ſemper habet, imò fortè rarius ex communi, & concordi omnium ſententia procedere, ideo per ſe loquendo Concilium non eſt vltima regula ſed neceſſe fuit dari aliam, quæ nunquam ſe ipſo poſſet deſectum. Item licet errare non poſſet Concilium generale, tamen quia in Concilio generali ſemper ſupponitur ſubordinatio ad caput Eccleſiæ, quã ſubordinationẽ ſi non haberet non eſſet Conciliũ ſicut Eccleſia ſine ſubordinatione ad caput, nõ eſſet Eccleſia; ideò licet errare non poſſit Concilium, id tamen non poteſt ſuppoſita ſubornatione, & illa ſtante, non aliter, ac proinde, vt ipſa ſubornatio ſeruetur, neceſſe eſt quod ſicut Concilium iudicat, ita Pontifex confirmet, & iudicet, ſicut in omnibus cauſis ſubordinatis apparet: licet enim homo generare poſſit hominem vt propria, & per ſe cauſa illius, tamen quia id non habet niſi cum ſubordinatione ad ſolem, neceſſe eſt quod ſol influat, nec ſuperfluit eius cauſalitas, & ſimiliter aliæ cauſæ ſuperiores. Sic licet Eccleſia, vel eius repræſentatio, quæ eſt Concilium errare non poſſit, id tamen non poteſt vt cauſa ſubordinata, atque adeò ex influxu ſuperioris, qui eſt Pontifex non errabit, & illa ſubordinatione ſublata, Concilium non erit, & errare poterit.

12 Quintò *arguitur*. Non requiritur infallibilis authoritas in proximo proponente fidem, ergò neque in primò, & ſupremo proponente. *Antecedens patet*. Nam proximè proponens fidem eſt Doctor paticularis, aut Prædicator, qui docet populo ea, quæ fidei ſunt, cui non eſt facta aliqua promiſſio infallibilis aſſiſtentiæ ne erret. *Conſequentia verò probatur*. Tùm quia populus non accipit immediatè doctrinam fidei à ſummo Pontifice, ſed à Prædicatoribus; ergò ſi ideò requiritur infallibilis regula in primo proponente viſibili, quia Deus per ſe ipſum non proponit, ſed per alios homines, ſimiliter in vltimo proponente requireretur hæc infallibilitas, quia populus nõ recipit à Pontifice fidem, ſed mediãte Prædicatore. *Tum ſecundò*; Quia populus tenetur credere infallibiliter Prædicatori proponenti ſufficienter fidem; ergò deberet conſtare de infallibilitate proponentis, alias ſi poteſt errare, & falſum proponere non poteſt iſtum obligare ex vi ſuæ propoſitionis ad credendum, & ita nonquam obligarentur fideles ad credendum, niſi quando ipſe Pontifex proponeret per ſe ipſum.

Ad hoc argumentum Reſpondet *Pater Suarez in tomo de fide diſput. 5. ſect. 1.* Quod proximè proponens fidem, quando eam ſufficienter proponit habet authoritatem infallibilem quaſi actualiter, & per modum tranſeuntis; Supremum autem proponens, ſcilicet Pontifex, habet eam permanenter, & per modum habitus. *Et ratio eſt*. Quia non poteſt res dicta exiſtimari infallibiliter vera ab audiente, niſi ipſe dicens credatur non poſſe fallere in eo quod dicit. Si ergo res fidei ſufficienter ab aliquo proponitur neceſſe eſt, quod obligetur credere illa eſſe vera, quæ ſibi proponuntur, & conſequenter vt credat ipſum proponentem non fallere; quia tamen vrgeri poteſt iſta reſponſio, quia proximè proponentibus nulla eſt facta promiſſio infallibilis authoritatis nec per modum tranſeuntis, & actualiter nec per modum permanentis; ergo ſine vllo fundamento dicimus illos habere authoritatatem infallibilem, etiam actualiter tantum. *Reſpondet*, verum eſſe quod non habent proponentes, ſeu docentes fidem promiſſionem aliquam infallibilis authoritatis factam ipſis perſonis, ſeu officio quod exercent, id enim eſt proprium Pontificis, ſed eam habere ratione ipſius propoſitionis factæ cum omnibus requiſitis, vt ſit ſufficiens, & alium obliget ad credendum cui coniuncta videtur diuina prouidentia, ad quam ſpectat, vt non ſinat ſufficienter tanquam de fide proponi quod non eſt de fide. Vnde tandem diſtinguit inter eum qui habet infallibilem authoritatem quaſi permanenter ſicut ſummus Pontifex, qui eſt prima regula proponentium, & eum qui habet infallibilem authoritatem quaſi actualiter, & tranſitoriè, ſicut proximum, proponens quando ſufficienter proponit res fidei, quod qui primo modo habet authoritatem infallibilem, quaſi communicat, & dat illam rebus dictis, ſtatuendo, & determinando, quid ſit de fide, quid non. Qui verò ſecundo modo habet authoritatem potius accipit illam ab iſta regula, & à motiuis quibus illam confirmat, & ſic quoties proponit ſufficienter fidem potius habet infallibitatem accipiendo ab ipſa doctrina, quam doctrinam infallibilem ſtatuendo. 13

Cæterùm modus iſte dicendi in verbis videtur non nihil durior, nec enim propoſitio illa, vt iacet admittenda videtur: *Quod proximè proponens habet infallibilem authoritatem ad non errandum etiam actualiter, & non per modum permanentis*; Sed ſolùm quod proponit ſufficienter doctinam infallibiliter credendam, & à legitima regula propoſitam, & Eccleſiæ traditam. Duo enim conſiderare poſſumus in proponente primo, alterum tenens ſe ex parte perſonæ, vt ſcilicet cum ſufficienter proponit non erret, nec poſſit errare ex vi officij, & perſonæ ad id miniſterium electæ; alterum tenens ſe ex parte doctrinæ: & in his duo poſſunt conſiderari, alterum ex parte modi proponendi, ſeu motiuorum, quæ afferuntur ad credendum, quod ſufficientia ſint, alterum ex parte doctrinæ propoſitæ, quod ſcilicet ſit ſufficiens. Quoad primum non poteſt concedi quod proximè proponens habeat infallibilem authoritatem etiam per modum actualis exercitij, nec ipſe *Suarez* concedit, quia ex vi miniſterij, & officij quod exercet etiam quando illud actualiter exercet, non habet ſibi promiſſam infallibilem aſſiſten- 14

tiam

tiam, ſiquidem ſingularis prærogatiua eſt cathedræ Petri, vt ea vi officij, & Cathedræ illius non poſſit errare in fide, & in hoc extollitur à Patribus ſedes illa ſuper omnes alias; quia nulli alteri priuilegium hoc conceſſum eſt, vnde dixit Bernardus Epiſt. 190. ad Innocentium Papam. *Dignum namque arbitror ibi potiſſimum reſarciri damna fidei, vbi non poſſit fides ſentire defectum, cui enim alteri ſedi dictum eſt aliquando Ego rogaui pro te vt non deficiat fides tua?* Quod ſi non alteri ſedi; ergo nec alteri officio, aut Miniſterio.

15 Quoad *ſecundum verò*, ſuppoſito quod proponuntur ab aliquo ſufficientia motiua vt cognoſcatur credibilitas noſtræ fidei, & ipſa vera, & ſufficiens doctrina fidei proponitur, certum eſt quod infallibilem authoritatem habet, & ſufficientem ad obligandum non quidem ex parte proponentis, ſed ex parte rei propoſitæ, & credibilitatis eius explicatæ, hæc enim eſt quæ obligat ad credendum. Quod autem alter teneatur credere quod qui dicit non poteſt ipſum fallere, nullo modo requiritur, quia ipſe non mouetur ab authoritate illius, ſed à rebus ſibi propoſitis, & earum explicatione, quæ ſufficienter ſibi facta eſt; nec enim ad proximè proponentem ſpectat determinare audientibus, quæ ſint res credendæ, vel non credendæ, & dubia circa fidem per authoritatem decidere, & ſententiare, ſed ſolum ea proponere quæ ſufficienter mouent vt ea quæ dicit credibilia iudicentur, ad quod non eſt neceſſe ſpectare authoritatem proponentis quod poſſit, vel non poſſit fallere, ſed ſolum ad motiua, quæ proponit an ſint ſufficientia ad mouendum, vel non. *Et ratio eſt clara.* Quia ille qui proponit ad mouendum aliquem ad fidem non poteſt ſuam authoritatem infallibilem alteri declarare niſi per aliqua motiua quibus alter intelligat, aut credat talem infallibilitatem eſſe in illo homine; ergo impertinens eſt tunc recurrere ad infallibilitatem Proponentis, ſed ſolum ad infallibilitatem motiuorum, quibus alter cognoſcat credibilitatem eorum, quæ ſibi proponuntur: conſtat enim obligationem ad credendum in audiente fidem, tunc naſci quando ſibi ſufficienter proponitur; ſufficienter autem proponitur quando ſufficientia motiua ad credibilitatem fidei oſtendendam explicantur. De quo videatur *Magiſt. Bañez 2. 2. quæſt. 10. art. 1. dub. vltimo.* Vitanda eſt ergo loquutio *Suarez*, quatenus indicare videtur in ipſo proponente eſſe infallibilem aliquam authoritatem, vel aſſiſtentiam diuinæ prouidentiæ ne erret quando ſufficienter proponit, quaſi id neceſſarium ſit, vt audiens fidem iudicet ipſum, qui proponit non poſſe fallere, hoc enim nullo modo neceſſarium eſt, cum ille non ſententiet, & determinet res fidei, ſed moueat ad credendum. Imò ſi id teneretur iudicare ille qui audit fidem à proponente etiam nunc omnes fideles tenerentur iudicare quod ille Proponens non poteſt fallere, ſiquidem omni infallibili veritati tenentur credere; conſtat autem quod ego non teneor credere quod ille non poteſt fallere, & ſi tenear credere res propoſitas ab illo, non tamen quia ab illo, eodem ergo modo tenetur iudicare infidelis qui audit, & mouetur ad fidem.

16 Ad *Argumentum* autem propoſitum facillime *Reſpondetur negando conſequentiam.* Ad primam probationem dicitur quod populus accipit doctrinam fidei immediatè à Summo Pontifice, vt à Proponente per modum iudicis, & regulæ determinantis res fidei; ab aliis autem Prædicatoribus vt à mouentibus, ſeu manifeſtantibus iudicium Papæ: ſicut qui promulgat ſententiam latam à Principe, aut defert eius leges ad alios non habet authoritatem ſanciendi illas etiam per modum tranſeuntis, ſed ſolum applicandi, & manifeſtandi ſententiam, & leges Principis; ſic ſe habent Pontifex in determinando, & Prædicatores in proponendo. Quod autem diximus requiri regulam viſibilem, quia Deus per ſe ipſum non proponit, ideò eſt: Quia Deus per ſe ipſum, nec proponit manifeſtando, nec proponit dubia determinando per ſe ipſum, & ideò neceſſe fuit infallibilem regulam relinquere in determinante, & ſententiante res fidei, non in omni manifeſtante.

Ad *Secundam probationem reſpondetur ex dictis*: Quod populus tenetur credere Prædicatori proponenti ſufficienter non ratione perſonæ, ſed ratione rerum quas proponit, vnde non debet ei conſtare de infallibilitate proponentis, ſed de infallibilitate doctrinæ, aut quia proponitur vt definita, Eccleſia non contradicente, ſi cum catholicis agatur; aut quia proponuntur motiua ſufficientia ad inducendam credibilitatem eorum quæ proponuntur. Vnde poteſt quidem falſum proponere, ſed tunc non obligabit, quia nunquam ſtat quod ſufficienter aliquis proponat aliquam doctrinam vt infallibiliter credendam, & quod proponat falſum, non propter infallibilitatē perſonæ, ſed propter incompatibilitatem doctrinæ falſæ cum ſufficienti propoſitione, ſufficiens enim propoſitio non ſolum requirit miracula, nam etiam Pſeudochriſti; & Pſeudoprophetæ dabunt ſigna, & prodigia magna ita vt in errorem inducantur ſi fieri poteſt etiā electi, vt habetur *Luca* 21. ſed quod miracula vera ſint, & facta in confirmationem illius doctrinæ; & quod illa doctrina ſit conſona rationi, & conſona Scripturæ, & traditioni antiquorum, &c. Quæ omnia non poſſunt concurrere cum falſa doctrina. Quare ſufficienter proponit, id eſt, cum omnibus iſtis motiuis obligabimur ad credendum infallibiliter, non propter proponentem, ſed propter ſufficientiam doctrinæ, & motiuorum eius, quod non eſt inconueniens. 17

Sextò *Arguunt*, & inſtant Hæretici. Quia ſi 18 Pontifex iudicat, & determinat ea quæ credenda ſunt; ergo iudicat, & determinat ipſas Scripturas, earumque ſenſum; ergo habet authoritatem ſuper authoritatem Scripturæ, & conſequenter ſi Scriptura non eſt authentica niſi à Papa proponatur; ergo magis authenticum, & maioris authoritatis eſt verbum Papæ, quam verbum Dei in Scriptura, quod eſt abſurdum. *Confirmat.* Quia ſi fides noſtra, & ea quæ credēda ſunt pendent à iudicio Eccleſiæ; ergo pendet à verbo hominum, & conſequenter debiliſſimo nititur fundamento, quod eſt contra ipſum verbum Dei, quod ſicut Spiritu Dei eſt inſpiratum, ita & Spiritu Dei debet intelligi.

Reſpondetur. Quod authoritas Papæ non eſt ſupra authoritatem Scripturæ, aut eius reuelationem, quæ ex Deo eſt, ſed ſupra explicationem ipſius Scripturæ, & determinationem eorum, quæ dubia ſunt, & non explicata ad credendum. Nec illa conſequentia eſt alicuius momenti: *Scriptura non eſt authentica niſi à Papa proponatur: ergo magis authenticum eſt verbum Papæ, & maioris authoritatis quam Scriptura.* Proceditur enim in hac conſequentia ſecundum quid ad ſimpliciter,

in antecedente enim dicitur Scripturam non eſſe authenticam niſi à Papa proponatur, quia id eſt neceſſarium vt conditio requiſita vt ſit authentica in ordine ad nos, non tamen vt ratio, & cauſa per ſe authoritatis Scripturæ, ſed propoſitionis, & declarationis eius: in conſequenti autem infertur quod magis eſt authenticum verbum Papæ ſimpliciter & abſolutè, ſed inferendum erat quod eſt magis authenticum in proponendo, & explicando Scripturam, quod verum eſt, nam Scriptura non explicat ſe, nec iudicat, & determinat dubia circa fidem, ſed præbet ea vnde faciendum eſt tale iudicium. Sicut non valet ſimilis conſequentia *ignis nō poteſt calefacere niſi applicatus, ergo applicatio magis calefacit. Homo non poteſt ambulare niſi ſuper terram; ergo terra magis ambulat.* Quia videlicet illud axioma *propter quod vnum tale, & illud magis* intelligitur in cauſis per ſe, non in his quæ requiruntur vt conditio.

19 Ad *Confirmat. Reſp.* Quod fides noſtra pendet à iudicio Eccleſiæ vt à conditione requiſita, non vt à cauſa per ſe illius, hæc enim eſt diuina authoritas: vnde non innititur debiliſſimo fundamento, quia propoſitio Eccleſiæ non eſt eius fundamentum. *Adde* iudicium Eccleſiæ non eſſe verbum purè humanum, ſed à Spiritus Sancti aſſiſtentia, gubernatum ratione cuius deficere non poteſt in fide, vnde & appellatur ab Apoſtolo Eccleſia *firmamentū & columna veritatis* ad Timoth. 3. Vnde intelligentia eius Spiritu firmiſſimo procedit, qui eſt Spiritus Dei. *Sed inſtat Lutherus.* Nam vnuſquiſque debet reddere rationem fidei ſuæ ante Deum; ergo ad vnumquemque pertinet approbare eam fidem pro qua ipſe reddere debet rationem, iuxta regulam iuris, *Quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari.* Regula 29. de Regulis iuris in 6. *Reſpondetur* Vnumquemque debere reddere rationem de fide ſua quantum ad rectitudinem fidei, quam tenuit, & impletionem præceptorum de fide, ſicut debet reddere rationem de omnibus aliis, quæ geſſit in hac vita; non tamen debet reddere rationem de determinatione, & iudicio circa res fidei, quia hoc non pertinet ad vnumquemque hominem: ſicut debet reddere rationem de impletione omnium præceptorum, non tamen ad ipſum pertinet determinare, & ſtatuere iſta præcepta, quia non de ſtatuendis præceptis, ſed de obedientia illorum pertinet ad ipſum. Regula autem iuris impertinenter adducitur: *Quod enim omnes tangit debet ab omnibus approbari,* quos tangit de iure, non de facto, id eſt, qui habent ius circa rem aliquam, omnes ad quos tale ius pertinet debent illam approbare, ſeu determinare, qui verò non habent ius circa rem aliquam conſtituendam, aut determinandam, ſed potius iure aliorum ſubduntur, non pertinet ad ipſos approbare id quod tangit eos tanquam ſubditos. v. g. ad electionem Eccleſiæ vacantis debent omnes conuenire, qui habent ius eligendi, vt dicitur in *c. Quapropter de elect.* quia ipſos tangit de iure; ad eos autem quos tangit tanquam ſubditos gubernatio Eccleſiæ, & ipſe qui eligendus eſt non pertinet electio, quia tangit eos quaſi in effectu, non quaſi in iure, alias quia gubernatio, & leges Principis tāgunt ſubditos deberēt à ſubditis approbari & determinari vt eſſent validæ, quod eſt abſurdū. Sic fides tangit omnes quatenus omnes illam debēt habere, non tamen ab omnibus debet determinari; & iudicari, quia ad hoc non habent ius, & authoritatem.

Septimò, *Arguitur.* Ex pluribus authoritatibus Scripturæ, quibus ſignificatur pertinere iudicium de doctrina ad cuiuſcumque ſpiritum, non autem ad vnius ſupremi capitis authoritatem. In primis enim dicitur 1. Ioan. 2. *Et non neceſſe habetis vt aliquis doceat vos: ſed ſicut vnctio docet vos de omnibus, & verum eſt, & non eſt mendacium.* Per *vnctionem* autem intelligitur inuiſibilis virtus Spiritus Sancti, vt explicat *D. Auguſtin. tract. 3. in Epiſt. Ioann.* & ibidem hanc ipſam proponens quæſtionem Sanct. Auguſtin. *Si vnctio (inquit) docet vos de omnibus, quid nos facimus fratres, quia docemus vos?* Subdit ad quæſtionis ſolutionem: *Nolite putare quemquam hominem aliquid diſcere ab homine, admonere poſſumus per ſtrepitum vocis noſtræ, ſi non ſit intus qui doceat, inanis fit ſtrepitus noſter* Igitur regula eorum, quæ docentur non ad cathedram docentis hominis, ſed ad vnctionem loquentis ſpiritus debet reduci. Item Diuus Paulus 2. ad Corinth. vltimo. *Vos metipſos (inquit) tentate ſi eſtis in fide, ipſi vos probate*; ergo probatio fidei pertinet ad vniuſcuiuſque iudicium, non ad iudicium Papæ. Et ſimiliter ad Rom. 8. *Ipſe Spiritus reddit teſtimonium ſpiritui noſtro quod filij Dei ſumus*; ergo à fortiori teſtimonium reddit de fide quam habemus. Vnde & generaliter ad iudicanda ea quæ nobis à Deo donantur ponitur teſtimonium Spiritus 1. ad Corinth. 2. *Nos autem non accepimus Spiritum huius mundi, ſed Spiritum qui ex Deo eſt vt ſciamus, quæ à Deo donata ſunt nobis.* Recurrendum eſt ergo ad Spiritum Dei, quem in nobis recipimus non ad authoritatem alicuius proponentis. Item 1. ad Corinth. 2. *Spiritualis omnia iudicat, & ipſe à nemine iudicatur.* Ergo ſpirituales viri, ſeu recipientes ſpiritum non habent neceſſe ad aliquem recurrere, qui iudicet, & determinet eis cauſas fidei, ſed ipſi iudicare poſſunt. 20

Hinc eſt quod *Actor.* 17. laudantur Berœnſes eo quod ſcrutabantur Scripturas an ita ſe haberent, quæ Paulus prædicabat, & tamen non eſt dubium quod Paulus proponebat eis fidem, eo modo, & ea authoritate, qua Summus Pontifex poteſt proponere; ergo vltra illam propoſitionem neceſſe eſt quod vnuſquiſque ſecundum ſuum ſpiritum per Scripturarum præſertim inquiſitionem iudicet an res ita ſe habeat ſicut proponitur. Eſt etiam inſigne teſtimonium *Ierem.* 31. vbi dicitur: *Hoc erit pactum quod feriam cum domo Iſrael, poſt dies illos dicit Dominus, dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam, & non docebit vltra vir proximum ſuum dicens cognoſce Dominum, omnes enim cognoſcent me à minimo vſque ad maximum.* Hoc autem teſtimonium intelligi de tempore legis Gratiæ conſtat ex Apoſtolo *ad heb.* 8. vbi expreſsè illud explicat de nouo teſtamento, per quod antiquum excluditur; ergo in hoc tempore non debemus recurrere ad aliquem, qui doceat, & determinet nobis ea, quæ cognoſcenda ſunt de Deo, ſed ad legem, & ſpiritū, qui in corde ſcribitur à Deo. Omitto alia loca, quæ minus difficultatis habent, vt quod Deus debeat coli in ſpiritu, eos qui adorant eū in ſpiritu, & veritate oportet adorare Ioan. 4. & 1. Petri 2. *Superædificamini domus ſpirituales, &c.* vbi indicatur ædificium Eccleſiæ non ad viſibilem authoritatem, ſed ad ſpiritualem pertinere; & denique quia fides eſt de non viſis, ergo non debet credere vnum caput viſibile; nec ab eo determinari, 21

determinari, & proponi ipſæ res fidei. De quibus argumentis videatur *Bañez in præſeati.*

22 Reſp. Loca illa Scripturæ non oſtendere quod determinatio credendorum, & rerum fidei pertinet ad cuiuſcumque ſpiritum, ſed vel loquuntur de priuato iudicio tractandi res fidei, non de authoritatiuo, vel loquuntur de ſpiritu Dei, quo illuminat in nobis fidem, & habitum infundit, ac dona Spiritus S. non de eo quod pertinet ad proponendas, & determinandas res fidei. Vnde illum locum Ioan. *Vnctio docet vos de omnibus*, rectè intelligit *Sanct. Thom. in hac 2. 2. quæſt. 8. art. 4. ad primum*, de inſtructione, quæ fit in nobis à Deo per dona Spiritus S. præſertim per donum intellectus, quo ex inhabitatione Spiritus S. diſcernit homo credenda à non credendis: iſta autem inſtructio per donum Spiritus S. quod eſt commune omnibus habeotibus gratiam, vt diſtinguamus ab ea quæ fit ſecundum inſpiratıonem; ſicut eſt Prophetica illuminatio, non fit independenter ab exteriori proponente, quia *fides ex auditu*, vt ait Apoſtolus, & conſequenter ab exteriori regulante, & determinante ea quæ fidei ſunt authoritatiuè. Item *D. Thom.* ſuper hunc locum *Ioan.* cum *Hugone, & gloſſ.* intelligunt illam particulam. *Non neceſſe habetis vt aliquis doceat vos*, comparatiuè, non abſolutè, id eſt, minus indigetis exteriori doctrina, quia *Vnctio*, ſeu interior illuminatio docet vos. Clarum eſt enim quod ille, qui docetur intus à Spiritu Sancto minus indiget exteriori doctrina, non tamen eſt omninò independens ab illa, quia *fides ex auditu*, licet Deus poſſit extraordinariè etiam ſine auditu homini tradere res fidei. Vnde notauit, benè *Caietanus* ſuper hunc locum Ioannis quod ordo litteræ, & contextus loquitor de hominibus iam ſcientibus res fidei, qui non habent neceſſe doceri exterius, ſed ſolum interiori ſpiritu dirigi ne errent in his quæ didicerunt.

23 Denique *Auguſt.* in illomet loco ſcilicet *tract. 3. in Epiſtolam* Ioannis optimè explicat Ioannem non excludere ibi Magiſterium exterius non ſolum authoritatiuum, ſed etiam particulare, ſed ſolum indicare vnde Magiſterium hoc ſortiatur virtutem, & effectum ſuum, ſcilicet ex Spiritu, qui intus operatur. Verba *Auguſtini* ſunt: *Tu dixiſti quia vnctio ipſius docet vos de omnibus vt quid talem Epiſtolam feciſti, quid illos tu docebas, quid inſtruebas, quid ædificabas? Iam hic videte magnum Sacramentum fratres, ſonus verborum noſtrorum aures percutit, magiſter intus eſt.* Et infra, *Magiſteria forinſecus adiutoria quædam ſunt, & admonitiones, Cathedram in cælo habeo, qui corda docet, &c.* Sicut ergo ex loco Ioannis non conuincitur tollenda eſſe Magiſteria particularia, quibus homines docentur, ſic neque magiſterium authoritatiuum quo iudicantur, & determinantur ea quæ credenda ſunt. Ad illum locum Pauli *vos metipſos tentate ſi eſtis in fide*, in primis *Chryſoſt. Homilia 29. in ſecundam Epiſtolam ad Corinth.* intelligit hic Paulum loqui de fide miraculorum, quæ eſt vna ex gratiis gratis datis, de qua Paulus 1. ad Corinth. 12. *Alij datur ſermo ſcientiæ, alij fides in eodem ſpiritu*, Fides ſcilicet agendorum, non credendorum ait *Caietanus* ibidem: ſed etiam ſi intelligatur Paulus de fide data ad credendum, ſicut explicat *D. Thom. 2. ad Corinth. vltimo, lect. 2.* ſenſus planus eſt, quod homines debent examinare ſuam conſcientiam an rectè credant, & in vera fide perſeuerent, ſicut etiam examinant conſcientia de operibus bonis an benè vnuſquique operetur: non autem loquitur hic Apoſtolus de examine, & iudicio determinatiuo dubiorum circa fidem, vnde pari modo loquitur Apoſtolus de examine fidei dicendo: *vos tentate ſi eſtis in fide*, & de examine operum dicendo: *Ipſi vos probate*, vt ibi aduertit *Diu. Thom.* Loquitur ergo de examine, quo diſcutitur conſcientia, non quo fidei dubia reſoluuntur.

24 Similiter *in alio loco 1. ad Corint. 2.* vbi dicitur, *Spiritum qui ex Deo eſt accepimus, vt ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis*, Loquitur Paulus de ipſis Apoſtolis, quibus dedit Deus ſpiritum ad habendam ſpecialem notitiam certam de donis Dei ſibi collatis, vt interpretatur *Caietanus in præſenti*, & fauet *Diu. Thom.* in expoſitione huius loci, idque poſtulat ipſe ordo litteræ, illa enim particula, *Nos accepimus &c.* ad ipſos Apoſtolos dirigi videtur. Sed quidquid ſit de hoc, adhuc intelligendo verbum Apoſtoli de ſpiritu communi omnibus fidelibus *Dicimus*, Quod ſenſus eſt planus, quia ea ſpiritu diuino, ſeu ordinis diuini, & ſupernaturalis vt diſtinguitur à ſpiritu mundi, ſeu ordinis naturalis cognoſcimus ea quæ donata ſunt nobis, id eſt, bona ſeu obiecta ſupernaturalia, quæ propriè Dei ſunt. Quis enim dubitat quod res ſupernaturales, & quæ à Deo ſupernaturaliter donata ſunt, non niſi per ſupernaturalem cognitionem, & ordinis diuini cognoſcimus? Inde autem inferri non poteſt quod ad habendam hanc cognitionem non requiratur exterior propoſitio, & exterior confirmatio, ac determinatio in his quæ pertinent ad obiecta fidei, & implicitè in Scriptura continentur.

25 Ad illum locum Pauli *Spiritualis iudicat omnia, &c. Diu. Thom. 1. ad Corinth. 2. lect. 3. & hac 2. 2. quæſt. 45. art. 1.* intelligit loqui ibi Paulum de iudicio quod habetur de rebus diuinis per donum ſapientiæ, ex eo enim quod homo redditur ſpiritualis per inhabitantem Spiritum S. rectè iudicat de omnibus pertinentibus ad ſalutem, neque ipſe in hoc iudicio habendo iudicatur, id eſt, condemnatur ab aliis, quia rectum eſt, Hoc autem iudicium, quo homines iudicant per dona Spiritus S. de rebus pertinentibus ad ſalutem non excludit iudicium Eccleſiæ authoritatiuum ad proponendum, & determinandum ea quæ tenenda ſunt, quia etſi ex Spiritu S. in vnoquoque naſcatur rectitudo iudicij in ordine ad ſe, & ad ſuam ſalutem, non tamen in vnoquoque naſcitur omnium credendorum determinatio etiam ad docendum, & proponendum aliis, præſertim authoritatiuè, & ideo iudicium viri Spiritualis non tollit iudicium authoritatis Spiritualis. *Chryſoſt.* ſuper hunc locum *Homil. 7. in 1. ad Corinth.* illud verbum *iudicat omnia* intelligit pro eo quod eſt *reprehendit, arguit, ſeu deſpicit omnia*, ſcilicet quæ in hoc mundo ſunt, & hoc quia ſpiritualis eſt. Contraponit Apoſtolus hominem ſpiritualem homini animali, qui ſolum attendit ad ea quæ ſunt in mundo & in vita animali, & iſte non iudicat, id eſt, arguit omnia; ſpiritualis verò iudicat. Quare ex hoc loco Apoſtoli nihil habetur contra nos.

26 Ad illud quod dicitur *Actor. 17.* de Berœenſibus rectè obſeruauit *Caietanus* ſuper acta illos dum ſcrutarentur Scripturas adhuc non ſuſcepiſſe fidem, ſed cum aliqua dubitatione circa Pauli prædicationem tenerentur, voluiſſe inquirere in

Scripturis an illa quæ Paulus dicebat conformia eſſent doctrinæ Scripturarum, in cuius ſignum poſt illa verba *Scrutabantur Scripturas, &c.* ſubdit textus, *& multi crediderunt ex eis.* Non ergo adhuc credebant quando ſcrutabantur Scripturas, ſed quaſi in diſputatione, & perſuaſione circa Pauli doctrinam verſabantur, & ideo Paulus ſolum ſe habebat ad illos vt Prædicator annuntians fidem his, qui eam ignorabant, non vt definiens his, qui iam ſuſceperunt illam, & ideo licebat ipſis ſcrutari Scripturas non vt determinarent res fidei, ſed vt congruitatem, & conuenientiam fidei noui teſtamenti cum veteri teſtamento viderent, & inde conuincerentur, ſicut Chriſtus dixit iudæis Ioann. 5. *Scrutamini Scripturas, & illa ſunt quæ teſtimonium perhibent de me.*

27 Denique ad vltimum locum qui affertur ex *capit. 31. Ieremiæ*, & intelligitur ab Apoſtolo de nouo teſtamento. *Reſpondetur.* Quod vt aduertit optimè *D. Thom. ad Heb. 8. lect. 3. & Caietanus ſuper idem caput 8. ad Hebr.* in illis verbis non ſolum agitur de ipſo nouo teſtamento quod quantum ad gratiam, quam confert ſcribitur in corde, ſed etiam de effectibus noui teſtamenti quorum vnus eſt quod *non docebit vir proximum ſuum, dicens, cognoſces Dominum*, qui effectus plene, & quantum ad omnes homines erit in alia vita, in qua ad cognoſcendum Deum, vnus non docebit alium, ſed ſolus Deus dabit lumen gloriæ, & ſe ipſum manifeſtabit omnibus, in hac enim vita conſtat dari Doctores, & Paſtores ad docendam doctrinam de Deo, ſicut deſignat Apoſtolus ad Epheſ. 4. *Alios dedit Paſtores, & Doctores, &c.* Quoad aliquos autem homines etiam in hac vita datur iſte effectus, vt non doceantur niſi à Deo immediatè, ſcilicet Apoſtolis, qui fuerunt primi fundatores noui teſtamenti, & immediatè fuerunt à Deo inſtructi, vt ait *Sanct. Thom. ibidem.* Reliqui autem ab ipſis, & ab eorum ſucceſſoribus inſtruuntur, vel per ſe, vel per ſuos Miniſtros.

ARTICVLVS II.

Vtrùm hæc poteſtas proponendi, & determinandi res fidei alicui determinatæ Perſonæ conceſſa ſit à Chriſto Domino?

1 DEterminauimus in præcedenti articulo debere in Eccleſia eſſe aliquam Poteſtatem, ſeu authoritatem ad explicandas, proponendas, & determinandas res fidei, ita quod non poſſunt iſta diiudicari, & reſolui in proprium cuiuſque ſpiritum: nunc reſtat indagare quænam ſit iſta regula, ſeu poteſtas determinatiua rerum fidei, & in quo ſubiecto inueniatur? Cum autem agamus in præſenti de regula exteriori, & viſibili, per quam dirigamur in proponendis rebus fidei, conſiderare poſſumus, & diſcurrere circa regulas exteriores, in quibus continetur infallibilis authoritas fidei. Sunt autem quatuor regulæ exteriores, duæ inanimatæ, duæ animatæ, ſeu viuæ. Inanimatæ ſunt Sacra Scriptura, & traditiones Apoſtolicæ, iſtæ enim non explicant ſenſum, ſed explicandum præbent: & ad Scripturam reducitur quæcumque Prophetia facta à diuerſis hominibus. Regulæ verò animatæ ſunt Concilium, & Papa, id eſt, aut congregatio, ſeu multitudo Prælatorum Eccleſiæ, quæ repræſentatiuè, & authoritatiuè eſt tota Eccleſia, aut vnus ſingularis Prælatus, qui habeat poteſtatem ſuper omnes, ipſa autem Eccleſia integrè accepta includit tam Prælatos, & ſubditos, quam ſupremū caput, & ideò nō diſtinguitur ab his duabus regulis. Et ad iſtos reducitur authoritas hominum priuatorum, qui per miracula, & vitæ ſanctitatem, aut Martyrium comprobant veritatem fidei, & & illi teſtimonium reddunt, an illi poſſint etiam eſſe regula fidei? Alia autem ſunt quæ magis dici poſſunt loci Theologici ex quibus ſcilicet argumenta promuntur ad confirmandas, vel defendendas res fidei, quam regula ipſius fidei, ſicut eſt conſenſus Patrum, aut Scholaſticorum, Rationes humanæ, authoritates Philoſophorum, aut Hiſtoriarum; iſta enim omnia per ſe non faciunt rem de fide, ſed ſupponunt, nam etiam conſenſus Patrum ſi non ſit conſenſus aſſerens rem eſſe de fide, non facit illam de fide: ſi autem aſſerat rem eſſe de fide ex aliqua regula ſupponitur de fide eſſe, & ipſi Patres ſeruiunt vt teſtes huius determinationis de fide, aut Apoſtolicæ traditionis. Quapropter negare ea quæ communiter Patres dicunt erit temerarium, aut etiam fractio præcepti Eccleſiaſtici, ſed non Hæreticum, niſi aliunde habeat eſſe de fide. Et ſic *Concilium Trid. ſeſſ. 4.* ſolum per modum præcepti decreuit vt contra vnanimem conſenſum Patrum nullus Scripturam audeat interpretari. Igitur in præſenti articulo tractabimus de primis duabus regulis. In ſequentibus verò de aliis duabus.

Vt autem punctus difficultatis præſentis circa regulas inanimatas aperiatur, ſupponendum eſt dari aliquam Scripturam diuinitus inſpiratam, & Dei authoritate conſcriptam, ſeu dictatam. Quæ veritas apud nullum Chriſtianum probanda eſt, cum ſit primum principium in noſtra fide. Apud Paganos autem, qui Scripturas non recipiunt hæc veritas aliunde probatur, ſcilicet ex conſenſu tot, tantorumque librorum Sacrorum à diuerſis authoribus editorum. Quo argumento vtitur *Auguſt. 18. de Ciuitate cap. 41.* cum in aliis authoribus, quando propria ſua proferunt vix conſenſus in vno inueniatur; ſimiliter etiam ex ipſa ratione Prophetiæ, quæ tam frequens eſt in ipſa Scriptura; prædictio enim futurorum diuinæ authoritatis proprium eſt, vnde dicitur Iſaiæ 41. *Annunciate nobis quæ ventura ſunt, & dicemus quia Dij eſtis vos.* Et apud omnes gentes hoc fuit receptiſſimum vt hi à quibus oracula futurorum expoſcerentur Deos eſſe exiſtimarent. In Scriptura autem Diuina nihil frequentius inuenitur quam Prophetiæ, & quod vera Prophetia ſit, ex infallibili impletione comprobatur iuxta quod Dominus in Euangelio dicit: *Cælum, & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt.* Lucæ 21. & iterum *Deuteronomij* 18. ponitur ſignum ad cognoſcendum an Prophetia ſit vera ſcilicet, *ſi ita euenerit ſicut Propheta prædixit.* Illa ergo Scriptura, quæ prædictionem futurorum continet cum infallibili impletione tanquam Diuinæ authoritatis Scriptura habenda eſt. Vnde dixit optimè Auguſt. 18. de ciuit. cap. 40. *Cui narranti melius præterita credimus, quam qui etiam futura prædixerit, quæ præſentire tam videmus.* Suppoſita ergo diuina, & infallibili Scripturæ authoritate relinquimus modo omnes illas quæſtiones de libris, qui verè, & ſine dubio 2

canonici

canonici ſint, de tranſlationibus Scripturæ & eius cenſibus, & an aliquid in Scriptura corruptũ ſit, aut deprauatum, de his infra tractando de authoritate Papæ ſupra declarationem Scripturarum agendum erit. Illud ſolum in præſenti inquirimus an in Scriptura ſacra ita contineantur ea quæ authoritate diuina reuelata ſunt, vt etiam contineantur deciſio omnium controuerſiarum pertinentium ad fidem; ita quod ſicut iudex ſcripto ſuo definit, & determinat controuerſias in litibus, ſic Deus qui eſt ſupremus iudex controuerſiarum de fide, non ſolum in Scriptura tradat ea quæ nos credimus tanquam res reuelatas, & à Deo dictas ſimpliciter, ſed ea quæ ſunt determinatiua quæſtionum, & dubiorum circa fidem, atque adeò non indigeamus iudice humano, qui nobis res illas determinet, ſed ſolum inſpicere ea quæ Scriptura tradit vt à Deo definita, & ſic ſit regula determinandi dubia, & non ſolum exhibendi res fidei.

3 In hac controuerſia recentiores quidam hæretici partem affirmatiuam mordicus defenſarunt in colloquio Ratisbonenſi habito ann. 1610. eamque variis authoritatibus, & rationibus confirmare conati ſunt, quæ parum momenti habent. Poſſunt autem in duplici ſenſu procedere. *Vno modo* aſſerendo quod Scriptura ſola continet in ſe iudicium & determinationem omnium quæſtionum de fide, ita vt ly *Sola* excludat & traditiones Apoſtolicas, ſeu verbum non ſcriptum, & definitiones Eccleſiæ. *Alio modo* aſſerendo quod Scriptura ſimul cum traditionibus, id eſt, verbum Dei ſcriptum, & traditum ſufficienter contineant determinationem circa res fidei, & ita ſolum excludant regulam viuam, quæ in definitionibus Eccleſiæ continetur. Et licèt ipſi videantur in primo ſenſu procedere, in quo peius errant non admittendo traditiones Eccleſiæ, tamen etiam in ſecundo error eorum refellendus eſt, & argumentis quæ proferunt reſpondendum.

4 Itaque *Catholica* ſententia docet, & ſecundum fidem fatendum eſt in Eccleſia dari poteſtatem determinandi, & iudicandi ea quæ de fide tenenda ſunt, ita vt non ſolum Deus per Scripturas, & traditiones iudicet, ſed humanæ poteſtati à Deo conceſſum ſit in cauſis fidei iudicare. Nec oportet ad huius quæſtionis euidentiam niſi duo aduertere. *Primum eſt.* Quod in omni controuerſia, & quæſtione iudicanda, & debet dari ius, & debet dari iudex. Et quidem ius habet ſe tanquam obiectum iuſtitiæ, quia dicit ipſum opus iuſtum, vt ait *Diu. Thom.* 2. 2. *quæſt.* 57. *art.* 1. Ipſa autem regula, & ratio per quam hoc iuſtum conſtituitur vocatur etiam *Ius*, & ſi in Scriptura ponatur dicitur lex, quia vt ait Iſidorus cap. ius diſt. 1. *lex eſt iuris ſpecies, & lex eſt conſtitutio ſcripta.* Oportet ergo ad iudicandum attendere ad regulam, ſeu conſtitutionem, & Scripturam tanquam ad id in quo continetur ratio eius materiæ, ſeu obiecti determinandi, & iudicandi. Vnde iſta regula iudicat, ſeu dirimit eam tanquam continens ius, & obiectum determinandum, non tanquam proponens ipſum ius, & ſententians, quia hoc pertinet ad iudicem, qui authoritatiuè ius illud proponit, & iuxta illud de rebus determinat. Vnde etiam ſi in rebus fidei aliqua controuerſia dirimenda eſt oportet hæc duo concurrere ſcilicet, ius, & iudicem, & ipſa Scriptura tanquam regula continens ius, iuxta quod iudicandum eſt, & conformiter ad ipſum regulare poteſt, non tanquam perſona iudicans, aut dirimens controuerſiam.

Secundum *eſt*, quod neceſſitas ponendi iudicem animatum humanum, ſuppoſito quod Deus per ſe non reuelat, nec gubernat oritur ex duplici principio *Primum*, quod in Scriptura non omnia ſunt ita diſtinctè, & determinatè tradita, & iudicata, etiam quoad nos, quod nullam quæſtionem, aut ambiguitatem habeant, nec deprauatè ab aliquibus explicari poſſint, etiamſi Deus in illa iudicet, nam ſi adhuc aliqua reſtat ambiguitas, aut quæſtio circa ea quæ Deus iudicat in Scriptura, neceſſe eſt per alicuius authoritatem vltimatè determinari, & reſolui. 5

6 Secundum *eſt*, quod non ſit Eccleſiæ conceſſa poteſtas ad obligandum homines vt acceptent ea, quæ fidei ſunt, & eius publicationem, aut declarationem, nam etiam dato quod omnia quæ ſunt de fide ex parte obiecti, & materiæ credendæ ſint iudicata, ac reſoluta à Deo in Scripturis, adhuc tamen ſi inter homines quæſtio circa fidem oxoritur, neceſſe erit quod ex declaratione illa, & iudicio Scripturæ terminetur, & ſic proponatur, & publicetur. Oportet ergo eſſe aliquam poteſtatem, quæ illos obliget ad acceptandam declarationem hanc, & determinationem Scripturæ, quæ antea illis non erat manifeſta quamdiu dubitabant. Sicut etiam ſi per ſupremum principem latæ ſint leges continentes ea, quæ in aliquo iudicio ſententianda ſunt, tamen neceſſe eſt dari aliquam authoritatem iudiciariam, quæ iuxta illas leges obliget homines acceptare ſententiam, & ſeruare quæ iudicata fuerint. Hæc igitur eſt duplex neceſſitas vt ſit regula animata in Eccleſia, ſeu iudex authoritatem habens iudicandi, & determinandi res fidei, tum ex parte ipſius materiæ, ſeu obiectorum fidei, quia in ipſa materia, ſeu rebus contentis in Scriptura ſunt multa obſcura, & dubia & ſic debent determinari, & iudicari quid ſit de fide tenendum, quid non, quando dubium eſt de illo. Tum etiam ex parte perſonarum, vt ſcilicet obligari poſſint ad acceptandum iudicium datum de rebus fidei, etiam ſi daremus illud non deberi iudicari ab homine, ſed ſolum promulgari vt iudicatum in Scripturis, hæc enim promulgatio authoritatiuè facienda eſt vt homines obligentur à iudice promulgante.

Igitur quod hoc modo fatendum ſit dandam eſſe authoritatem iudicandi res fidei, & controuerſias, quæ de ipſa ſunt, manifeſtum eſt ex Scripturis, & Sanctorum Patrum traditione, ac perpetuo Eccleſiæ vſu, nam vt præcedenti articulo oſtendimus *Deuteronom.* 17. deſignatur iudex ad quem debet recurri quando ambiguum iudicium fuerit inter cauſam, & cauſam, lepram, & lepram, & ea quæ continebantur in Scriptura, qui iudex dicitur eſſe Sacerdos: & eadem poteſtas amplius explicatur 2. *Paralipom.* 19. vt ibidem oſtendimus, & à Chriſto Domino fuiſſe deſignatur Matth. 23. cum dicitur: *Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi; omnia ergo quæcumque dixerint vobis facite.* Vbi ex vtroque loco colligitur authoritatem iudicandi circa res fidei, tum quoad determinationem dubiorum ex parte rei creditæ, tum quoad obligationem Perſonarum vt acceptent, quæ ſibi proponuntur, nam in *Deuteron.* expreſsè ponitur dubietas, & ambiguitas circa ipſas res determinandas, ſcilicet *inter lepram, & lepram, ſanguinem, & ſanguinem, cauſam, & cauſam*, quæ omnia (vt ſupra articulo præcedenti ponderauimus) pertinebant ad dubia orta ex ipſa Scriptura, ſiquidem in 7

Scripturam tradita erant multa de lepra, & ſanguine, &c. & quod iſtud ambiguum, & difficile iudicium per humanos iudices deberet terminari patet ex verbis textus., nam dicitur: *Et iudicium intra portas tuas videris verba variari: ſurge & aſcende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, venieſque ad Sacerdotes, & ad iudicem qui fuerit illo tempore, quæreſque ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem, & facies quæcumque dixerint qui præſunt loco quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius ſequeriſque ſententiam eorum, &c.* Vbi totum quod ponitur ad dirimendam controuerſiam per modum iudicij, & ſententiæ, & ſecundum formam iudicandi deſcribitur. Similiter in illo loco *Paralip.* ponitur dubietas, ſeu controuerſia aliqua ex parte rei, ſeu obiecti iudicandi, *vbicumque* (inquit.) *eſt quæſtio. de lege, de mandato, de iuſtificationibus de ceremoniis, oſtendite eis, &c.* Vbi ſupponitur in Scriptura non eſſe omnia determinata, & iudicata à Deo, aliàs non exorirentur quæſtiones determinandæ, & oſtendendæ per Sacerdotes circa ipſam legem, & quæ in ea continentur. Et denique obligatio imponitur hominibus vt ſequantur ſententiam Sacerdotis Deuteron. 17. & Matth. 23. *Omnia quæ dixerint facite.* Ergo ſupponitur in Sacerdote authoritas ad obligandum vt ſequantur homines, quæ ipſi determinauerint, & quæ dixerint, & pronunciauerint, etiam in materia tangente res Sacræ Scripturæ, vt vidimus, ergo hæc authoritas eſt authoritas iudicandi, & de facto à Deo communicata eſt hominibus, quamuis ipſe eam principaliter habeat.

8 Secundo Probatur hæc aſſertio Catholica ex illo *Actor.* 15. Vbi definiens Petrus controuerſiam de fide, in qua multa conquiſitio facta eſt propter eius difficultatem ſententialiter pronuntians dixit: *Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis nihil vltra imponere vobis oneris.* Ergo iudicare non ſolum pertinet ad Spiritum Sanctum, ſed etiam ad homines, ſed Spiritui Sancto principaliter, & per modum ſupremæ cauſæ, hominibus participatiuè. Quod ſi illi loquebantur dictante Spiritu Sancto hoc non tollit authoritatem iudicij, *tum* quia ipſi diſtinguunt *Spiritui Sancto, & nobis*, tum quia illud iudicium factum eſt modo ordinario, præmittendo diſputationem, & inquiſitionem, non autem ex ſola Dei inſpiratione. *Item* illi ad quos pertinet præcepta ponere circa ea quæ de fide tenenda ſunt, habent authoritatem iudicandi, & non ſolum indicandi, hoc autem conuenit hominibus: ergo, *Minor patet* ex eodem *capite* 15. *Actor.* Vbi dicitur de Paulo quod *perambulabat Syriam & Ciliciam confirmans Eccleſias, præcipiens cuſtodire præcepta Apoſtolorum, & Seniorum*, erant autem illa præcepta circa ea quæ determinauerant Apoſtoli in illo Concilio de non ſeruanda lege Moyſi, de hoc enim ipſi Apoſtoli dixerunt: *Viſum eſt nihil vobis imponere oneris, &c.* Illud autem *onus* idem eſt quod præceptum, hoc enim homines onerantur à ſuperiore; ergo circa determinationem rerum fidei commiſſum eſt hominibus ponere præcepta, & conſequenter qui Apoſtolicam authoritatem habet circa gubernationem Eccleſiæ poterit præcepta eadem ponere. *Maior vero manifeſta eſt.* Quia ponere præceptum eſt actus iuriſdictionis, & ſuperioris, iuriſdictio autem pertinet ad iudices, ſeu ad illum qui dicit ius. *leg. vlt. ff. de iuriſd. omnium iud.* ergo ſi circa determinationes fidei, & declarationes à ſe factas potuerunt Apoſtoli ponere præceptum, circa hoc habuerunt authoritatem iudiciariam, quæ eſt authoritas dicendi ius. Denique Luc. 22. dicitur Petro: *Rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.* Hæc autem confirmatio facienda erat circa res fidei in eo enim confirmare debebat fratres in quo non poterat deficere, aliàs incongrue vnum ex altero inferretur. Authoritas autem confirmandi in fide intelligi non poteſt ſine authoritate determinandi ea, quæ dubia ſunt, & proponendi authoritatiue id quod eſt tenendum. Vnde Bern. Epiſt. 190. *Oportet* (inquit) *ad veſtram referri Apoſtolatum pericula quæque emergentia in regno Dei, ea præſertim, quæ de fide contingunt, cui enim alteri dictum eſt*, ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. *Ergo quod ſequitur à Petri ſucceſſore exigitur*, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos *in eo planè Petri impletis vicem, cuius tenetis & ſedem ſi veſtra admonitione corda in fide fluctuantia confirmatis, ſi veſtra authoritate conteritis fidei corruptores.* Et Hieron. 10 Epiſt. ad Damaſc. de tribus hypoſtaſibus, *inde mihi Cathedram Petri, & fidem Apoſtolico ore laudata cenſui conſulendam, inde nunc animæ meæ poſtulo cibum, vnde olim Chriſti indumenta ſuſcepi, à Sacerdote victimam ſalutis, à Paſtore præſidium ouis flagito.*

Et ex hoc tertiò. Probatur concluſio ratione deducta ex ſacris litteris, & patribus. Nam quantumcumque res omnes, & controuerſiæ de fide iudicatæ à Deo ſint in Scriptura, adhuc quoad nos non eſt ita clarum, & euidens hoc iudicium quod ab omnibus intelligatur per ſe, cum videamus tam variè, & tam contrariè à multis intelligi Scripturas, nec etiam ipſæ Scripturæ immunes ſunt à deprauationibus, & corruptis intelligentiis multorum, iuxta illud quod iam citauimus 2. Petri vltimo: *in quibus difficilia intellecta, quæ indocti, & inſtabiles deprauant, ſicut & cæteras Scripturas in ſuam ipſorum perditionem.* Vbi valdè ponderandum eſt quod dicat: *ſicut & cæteras Scripturas*, hoc enim euidenter datur intelligi nullam partem Scripturarum eſſe liberam à deprauationibus hominum perditorum, & à difficultate intelligendi. Si ergo Deus eſt iudex controuerſiarum, & difficultatum fidei in Scriptura, & ibi in quibuſcumque Scripturis continentur multa difficilia intellectu, & deprauationibus hominum ſunt obnoxiæ, oportet quod de talibus difficultatibus extra Scripturam iudicetur, & determinetur, ne homines ſemper fluctuent non habentes determinationem infallibilem, quam ſequantur in rebus fidei, & in cognoſcendis legitimis Scripturis, ſed extra Scripturam Deus non iudicat per ſe immediatè iſta dubia, vt conſtat experientia; ergo oportet quod id iudicetur, & determinetur per aliquam authoritatem humanam, & conſequenter detur regula animata fidei, *Et confirmatur hoc argumentum.* Nam iudicium quo Deus iudicat in Scripturis, & determinat ea quæ in fide controuerſa ſunt, vel habetur in Scriptura diſtinctè, & clarè & ſeorſum ab ipſis rebus de quibus dubitatur, vel non. *Primum dici non poteſt*, nec enim omnia loca obſcura, quæ ſunt in vna parte Scripturæ declarantur in alia: verbi gratia circa illa verba, *Hoc eſt Corpus meum* volunt Hæretici quod *ly eſt* ibi figuratè accipiatur pro eo quod eſt ſignificare Corpus Chriſti; Catholici autem quod *ly eſt* ſumatur propriè pro eo quod verè eſt tale, vbinam in alia parte Scripturæ hoc eſt iudicatum, & determinatum à Deo clarè, & diſtinctè ita vt tollatur controuerſia 9

ſine

ſine aliquo exterius iudicante? Et ſimilia ſunt ſexcenta in ſcriptura. Si autem iudicatum quidem eſt à Deo id quod controuertitur, non tamen nobis omninò apparet, ſed inuolutum eſt cum aliis, quæ obſcurè traduntur; ergo oportet quod eorum explicatio reducatur ad aliquam authoritatem extra Scripturam determinantem, & reſoluentem authoritatiuè talem obſcuritatem, & controuerſiam, non autem ad Deum extra loquentem per ſemet ipſum, quia per ſe immediatè non definit, nec determinat iſtas difficultates; ergo mediantibus hominibus.

10 Sed *obiicies ex D.Thom. 1.part.quæſt.1. art.9. ad 2.* vbi ſic ait: *Vnde ea, quæ in vno loco Scripturæ traduntur ſub metaphoris, in aliis locis exponuntur.* Ergo planè dictis Angelicus Doctor aduerſatur aſſerens omnia expreſsè in ſcriptura contineri. *Reſpondetur D. Thom.* non dicere abſolutè quod ea quæ traduntur in vno loco ſcripturæ in alio expreſſius exponuntur, ſed quod ea quæ traduntur ſub metaphoris, id eſt ſub figuris, & ſignificationibus diuerſarum rerum, quæ non pertinent ad litteralem ſenſum, ſed ad ſpiritualem, ſeu ſymbolicum, vt ipſe tradit eadem quæſtione art.10. ad 1. inquiens: *Quod nihil ſub ſpirituale ſenſu continetur fidei neceſſarium quod ſcriptura per litteralem ſenſum alicubi manifeſtè non tradat.* Quod quidem veriſſimum eſt; non tamen negat *D.Thom.* quod ea quæ litterali ſenſu expreſsè traduntur, ſecundum quod *ly expreſsè* diſtinguitur contra *ſymbolicè*, ſeu *figuratè* non habeant aliquam difficultatem, aut de prauatam intelligentiam, contra quam neceſſe ſit authoritatem alicuius perſonæ iudicantis, & determinantis quod tenendum eſt conſtituere. Ex dictis etiam conuincitur non ſufficere ad iudicandum de ſcripturæ difficultatibus circa res fidei, ipſas traditiones non ſcriptas, nam iſtæ traditiones cum non ſint ſcriptæ ſeruantur apud aliquam regulam viuam, ſcilicet in ſucceſſione Epiſcoporum per quos ad nos deuenerunt, præſertim Romanæ Eccleſiæ, vt ex *Ireneo, Tertulliano, & Auguſtino*, ſuperiori articulo oſtenſum eſt in illis locis in quibus agunt de fide inuenienda apud Eccleſias Apoſtolicas per Epiſcoporum ſucceſſiones, & conſequenter admitti non poſſunt traditiones niſi admittatur regula animata fidei: *& deinde*, quia oportet diſcernere veras traditiones à falſis, nam & Chriſtus Dominus traditiones Iudæorum damnat *Matth.* 15. & *Marci* 7. Oportet ergo ab aliquo id diſcerni, & iudicari, non autem à ſcriptura, aut ab aliis traditionibus; de hoc enim idem dubium eſſet, & ſic procederetur in infinitum; ergo ab aliquo homine habente ad id authoritatem.

11 Denique iſta concluſio conſtat ex communi Eccleſiæ vſu iam in Apoſtolis vſque ad nos continuato, nam quotieſcumque exortæ ſunt hæreſes, & controuerſiæ circa fidem, per Conciliorum definitiones, & Pontificum confirmationes iudicatæ, & determinatæ ſunt. De quibus agendum erit infrà cum oſtenderimus hanc authoritatem eſſe in Romano Pontifice. Sufficit interim duo, aut tria ex antiquis teſtimonia ad hoc afferre. Primò enim in Nicæna Synodo tractata eſt controuerſia fidei de conſubſtantialitate fibj Dei contra Arrium, atque ibi per modum Conſtitutionis, & ſententiæ determinata eſt, vt ea confirmatione Beati Syluestri planè colligitur licet *Athanaſius in libr. de Synodis* aduertat cum de fide ageret Concilium non dixiſſe, *viſum eſt*, ſicut in aliis decretis, ſed *ad iſtum modum credit Catholica Eccleſia*, vt oſtenderet eam non eſſe nouam fidem, ſed Apoſtolicam. Cæterum D. Syluester in Concilio Romæ coacto pro confirmatione Nicænæ Synodi per modum ſtatuti, & definitionis Synodum proceſſiſſe declarat, & ipſe etiam authoritatiuè confirmans, ſic dicit: *Quidquid in Nicæa conſtitutum eſt ad robur Sanctæ Matris Eccleſiæ Catholicæ, & Apoſtolicæ à Sanctis Sacerdotibus 318. noſtro ore pariter confirmamus, omnes qui auſi fuerint diſſoluere definitionem Sancti, & magni Concilij, quod apud Nicæam congregatum eſt, anathematizamus* ecce quomodo per modum iudicij res fidei determinatæ ſont; tum per modum ſtatuti, definitionis, & confirmationis eas tradendo, tum per modum obligationis reſpectu fidelium vt eas acceptarent; Quod etiam teſtatur *Fælix Papa IV. in Epiſt. 5. Synodica.* Expreſſius Socrates lib. 2. hiſtoriæ capite 13. *Eccleſiaſticus (inquit) canon vetat ne decreta abſque ſententia Epiſcopi Romani Eccleſiis ſanciantur.* Similiter Marcianus apud Chalcedonenſem Synodum *actione 3.* & habetur *lege 4. Codice de ſumma Trinitate, & fide Catholica* prohibens ne de fide publicè liceret diſputare, rationem reddit: *Nam iniuriam facit iudicio Romanæ Synodi ſi quis ſemel iudicata, & rectè diſpoſita reuoluere, & publicè diſputare contendit.* Vbi manifeſtè agnoſcit imperator Synodum determinationes fidei iudicatas tradere, & per modum iudicij, & determinationis authoritatiuæ. Et in *Concilio Aquileienſi* legitur Epiſtola Gratiani Auguſti, qui ad Epiſcopos referens iudicium in dubiis circa fidem, *vt à quibus (inquit) proficiſcantur inſtituta doctrina ab eiſdem diſcordia traditionis repugnantia ſolueretur.* Et Sanctus Auguſtin. art. præcedent. cit. lib. 1. contra Creſcentium capite 33. *Quiſquis (inquit) falſi metuit huius obſcuritate quæſtionis Eccleſiam de illa conſulat.* Denique videri poteſt Vincentius Lyrinenſis in aureo illo opuſculo aduerſus hæreſes, & prophanas vocum nouitates, tum in principio, tum circa finem. *Hic forſitam (inquit) requirat aliquis cum ſit perfectus Scripturarum canon, ſibique ad omnia ſatis, ſuperque ſufficiat, quid opus eſt vt ei Eccleſiaſtica intelligentia iungantur authoritas? quia videlicet Scripturam Sacram pro ipſa ſua altitudine non vno eodemque ſenſu vniuerſi accipiunt, ſed eiuſdem eloquia aliter, atque aliter, alius, atque alias interpretatur, vt pene quot homines ſunt, tot illius ſententiæ erui poſſe videantur.*

Adbuc *tamen* hæretici reſpondent duplicem eſſe fidem, ſcilicet *ſaluificam*, & *hiſtoricam*, & *ſaluifica* pertinet ad dogmata, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis, *hiſtoricam* verò, quæ continet id quod ad hiſtoriam pertinet, & fatentur aliquid quod pertineat ad fidem hiſtoriam poſſe peti ex aliquo teſtimonio extra Scripturam, ſcilicet ab Eccleſia, fidem verò *ſaluificam* non ita; ſicut verbi gratia, quod hic liber ſit, vel non ſit Canonicus hoc dicunt pertinet ad hiſtoriam, & ita determinari poteſt ab Eccleſia. *Cæterum* hæc ſolutio ex omni parte repugnat. *Primò*, Quia ex his quæ allata ſunt conſtat Eccleſiam iudicaſſe, & definiſſe ea quæ verè ſunt dogmata, ſicut in Concilio Apoſtolorum *actor.* 15 definitum eſt nō obligare legem Moyſi in Concilio Nicæno 12

filium Dei eſſe verum Deum &c. Et denique Petrus non ſolum dixit quod in Scriptura eſt aliquid difficile intellectu quoad hiſtoriam, aut quod cæteræ Scripturæ ſolum quoad hiſtoriam deprauentur, ſed abſolutè, & quod omnia, imò ipſa dogmata, & myſteria difficiliora ſunt ad intelligendum quam hiſtoriæ; & circa dogmata fidei plures ſunt controuerſiæ, vnde magis ex hac parte iudex requiritur, qui eas determinet. *Secundò.* Quando Eccleſia proponit: & determinat illam fidem hiſtoricam, verbi gratia, hunc librum eſſe canonicum, vel id determinat tanquam de fide diuina, & infallibili, vel non. *Si Primum*; ergo eſt neceſſarium ei credere, ita vt qui non credat, ſit hæreticus, vt potè non recipiens aliquid quod eſt de fide diuina, & ſic iam pertinet ad fidem ſaluificam. *Si ſecundum*; ergo illa determinatio Eccleſiæ non eſt infallibilis, neque obligat ad recipiendum infallibiliter librum illum pro canonico, & conſequenter neque ea quæ in illo continentur infallibiliter pro canonicis haberi poſſunt. *Tertiò.* Fides hiſtorica eſt eiuſdem authoritatis, atque dogmatica, ſeu ſaluifica, omnes enim hiſtoriæ Scripturæ infallibilis ſunt authoritatis, & ad ſalutem pertinet eis credere, nam vt dicit Apoſtolus ad Rom. 15. *Quæcumque ſcripta ſunt ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt.* Et iterum, *Omnis Scriptura diuinitus inſpirata vtilis eſt, &c.* Et Auguſt. lib. de vera religione cap. 50. *diſtinguimus* (inquit) *quæ ſit ſtabilis fides ſiue hiſtorica, & temporalis, ſiue ſpiritualis, & æterna ad quam omnis interpretatio authoritatis dirigenda ſit*; ergo hiſtorica fides eodem modo ſicut & dogmatica habenda eſt.

Soluuntur Argumenta.

1 PRo *parte hæreticorum argui poteſt*, tum authoritate, tum ratione. Authoritates ipſi multas proferunt ex Scriptura, & patribus, quæ tamen magna ex parte ſolum deſeruiunt ad oſtendendum Scripturam continere ea quæ credenda ſunt, & ab eius infallibili authoritate accipiendam eſſe regulam fidei, iuxta ipſam iudicandum eſſe de his quæ dubitationem, & controuerſiam habent. Solum ergo illas authoritates adducam, quæ ipſi ſcripturæ, ſeu ſermoni aliquem modum iudicandi videntur tribuere, Ioan. 12. *Qui ſpernit me, & non accipit verba mea, habet qui iudicet eum: ſermo quem loquutus ſum, ille iudicabit eum in nouiſſimo die.* Item Ioan. 5. *Ego teſtimonium ab homine non accipio, ſed hæc dico vt vos ſalui ſitis. Ego habeo teſtimonium maius Ioanne, opera quæ dedit mihi pater vt perficiam ea ipſa teſtimonium perhibent de me*: Et infra ſubdit: *Scrutamini Scripturas, & illæ ſunt quæ teſtimonium perhibent de me.* Ex quo loco arguitur. Teſtimonium circa fidem Christi, & quæ ad ipſum pertinent, ab homine non eſt recipiendum, etiamſi ille Ioannes ſit, & teſtimonium eſt accipiendum ab operibus Chriſti, & Scripturis; ergo nullus homo iudicare poteſt, & teſtimonium dare, ſed ſolum in Scripturis datum publicare.) Similiter Ioan. 7. dicitur: *Si quis voluerit voluntatem eius facere cognoſcet de doctrina vtrùm ex Deo ſit.* Ergo non eſt neceſſe recurrere ad aliquam aliam authoritatem humanam ad hoc cognoſcendum. Item afferri poteſt locus ille Iſaiæ 8. *Numquid non populus à Deo ſuo requiret pro viuis à mortuis? Ad legem magis & ad teſtimonium. Quod ſi non dixerint iuxta verbum hoc non erit eis matutina lux.* Vbi ad litteram agitur de inquiſitione veritatis, & credendorum, quam populus requirere debet, remittuntur autem ad legem & ad teſtimonium; ergo ibi continetur tanquam iudicatum, & deciſum quidquid populus quærere poteſt. Denique 2. Petri 1. dicitur: *Et habetis firmiorem Propheticum ſermonem cui benefacitis attendentes tanquam lucernæ lucenti in caliginoſo loco.* Et ſubditur, *non enim voluntate humana allata eſt aliquando prophetia, &c.* Ergo in ſermone Scripturæ nulla humana voluntas attendenda eſt, ſed attendendo ad ipſum ſermonem propheticum inuenire poſſumus omnem firmitatem.

Reſpondetur loca illa Scripturæ ſolum probare quod Scriptura habet iudicare, & teſtimonium dare in ſuo genere, ſcilicet, tanquam regula inanimata, & continens ſenſum fidei, non vt explicans: ſicut etiam lex Principis dicitur iudicare per modum iuris, non per modum iudicis. Itaque iuxta id quod continetur in Scriptura iudicandum eſt, non tamen ipſa iudicat. Et hoc modo intelligitur ille locus Ioann. 7. *Sermo quem loquutus ſum ille iudicabit eum*, eo modo quo lex iudicat ſuum tranſgreſſorem; non eo modo quo iudex. Nec ibi agitur de iudicio determinationis circa res fidei, ſed de iudicio condemnationis in tranſgreſſores, ſeu contemptores legis, & ſermonum Dei. Similiter in illo loco *Ioann.* 5. vbi teſtimonium de Chriſto non refertur ad aliquem hominem, ſed ad Scripturas, & ad opera quæ ipſe faciebat, *Reſpondetur*, ibi loqui de teſtimonio humano, & in authoritate humana fundato, nec Ioannis teſtimonium reiecit, cum de illo ſcriptum ſit: *Hic venit in teſtimonium, vt teſtimonium perhiberet de lumine*, ſed eſſe aliud teſtimonium altius indicatur, ſcilicet ipſum Deum, qui per opera manifeſtabatur, & in Scripturis manifeſtatus erat. Cum 3
autem ad ſcrutandas Scripturas eos mittit, non ex hoc oſtenditur Scripturam eſſe regulam per modum iudicis, ſed quaſi continens in ſe teſtimonium diuinum, quod nemo negat, & ibi inueniri poteſt, ſed tamen vt inueniatur quando obſcurum eſt, aut controuerſum indiget aliquo extrinſeco demonſtrante, & determinante authoritatiuè propter diuerſos ſenſus, qui adhiberi ei poſſunt & obſcuritatem illius. Vnde *Chryſoſtom.* explicans hunc locum homilia 40. in Ioann. *Non* (inquit) *ad lectionem ſimplicem Scripturarum, ſed ad ſcrutationem exquiſitam eos mittebat, quia ea quæ in Scripturis de eo dicebantur, deſuper obumbrabantur, neque in ſuperficie exprimebantur, ſed velut quidam Theſaurus recondebatur.* Ad illum locum Ioann. 7. *Si quis voluerit voluntatem eius facere cognoſcet de doctrina, &c. Reſpondetur* ibi non explicari quis ſit iudex doctrinæ, ſed quæ ſit bona diſpoſitio ad cognoſcendam veram doctrinam, ſcilicet facere voluntatem Dei, & non peccare, peccans enim non ita eſt aptus ad intelligendum: quæ eſt explicatio *Chryſoſt. hom. 48. in Ioann.* vel iuxta Auguſtinum, *facere voluntatem Dei eſt credere in eum, cognoſcere autem doctrinam eſt intelligere, ergo noli quærere intelligere vt credas, ſed crede vt intelligas. Et hoc eſt quod dicit, qui fecerit voluntatem cognoſcet, &c.*

Ad *Locum* illum Iſaiæ patet reſponſio ex ipſo textu, dicit enim recurrendum eſſe ad legem, & teſtimonium Scripturæ, non verò ad incantatores, & phythones. Quis hoc neget; cæterum hinc non probatur, niſi quod Scriptura ſit vera regula 5

continens

continens in ſe teſtimonium, & veritatem, quæ requirenda eſt, tanquam lex, & ius nnn tamen eſſe iudicem obſcoritatis, & difficultatis eitca intelligentiam eius, ſed hoc pertinete ad aliquam tegulam viuam, vnde & præmiſerat ante Propheta. *Liga teſtimonium, ſigna legem in Diſcipulis meis*, hoc eſt *in Apoſtolis, & Apoſtolicis viris*, vt exponit Hieronym. lib 3. in Iſaiam ſuper cap. 8. ad legem ergo tecutrendum eſt, ſed *vt ſignatur in Diſcipulis, ſeu Apoſtolis*, qui nobis eius obſcuritatem explicant. In cuius ſignum Dominus Lucæ 24. *Aperuit Apoſtolis ſenſum, vt intelligerent ſcripturas.* Quod certè neceſſarium non eſſet ſi ipſa ſcriptura in ſe haberet indicatum à Deo determinatè, & diſtinctè quidquid cootrouerſiæ, aot difficultatis in illa eſt citca dogmata fidei. Denique eodem modo teſpondetur ad vltimum locum ex epiſtola Petri, quod debemus attendere ad propheticum ſermonem non quomodocumque, ſed vt propoſitum, & explicatum ab Eccleſia, non vt in ſuis difficultatibus per ſe notum, & determinatum. Vnde nec humana voluntate allata eſt Prophetia, ſed diuina, quia & inſpiratur diuinitus, & proponitur, ſeu determinatur eius difficultas ab Ecclesia anthoritate accepta à Deo, nō ab homine.

4 Secundò *arguunt* authoritatibus vatiis Sanctorum Patrum, quarum pleraque ſolum oſtendunt Scripturam Sacram habere infallibilem authoritatem, & eſſe normam, & regalam per quam omnia; quæ pettinent ad fidem, & bonns mores determinanda, & declaranda ſunt Sed quia de hoc noo agimus in præſenti, ſed ſolum de modn habendi hanc authoritatem an pet modum iudicantis, an ſolum per modum indicantis, & eahibentis res creditas, ideo illas authoritates omitto, & ſolum illas afferam, quæ iudicium circa ſcripturas hominibus negant, & in ipſis ſcripturis contineri ſignificant. Et in primis *Aug. lib. 13. confeſſionum cap. 23.* loquens de ſctipturis, quas nomine *firmamenti* intelligit, & illud Apoſtol. exponens, *ſpiritualis omnia iudicat*, ſic inquit, *ſpirituales ergo, ſiue qui præſunt, ſiue qui obtemperant ſpiritualiter iudicant, non de cognitionibus ſpiritualibus, quæ lucent in firmamento, non enim oportet de tam ſublimi authoritate iudicare, neque de ipſo libro ſuo etiamſi quid ibi non lucet, quoniam ſubmittimus ei rerum intellectum, &c.* & infrà, *Homo licet iam ſpiritualis, factor tamen debet eſſe legis, non Iudex.* Et idem Aug. lib. 2. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 6. *Afferamus diuinam ſtateram de Scripturis Sacris, & in illa quid ſit grauius appendam, & à Domino appenſa recognoſcamus.* Ecce qnomodo nidicium qnod ex ſcriptutis profertur à Deo eſſe factum *Auguſt.* fatetur. Et denique Chriſtum eſſe indicem, qui controuerſias iſtas dirimit fatetur idem Auguſt. lib. 2. de nuptiis, & concupiſcentia cap. 33. *Hæc* (inquit) *controuerſia indicem requirit iudicet ergo Chriſtus, iudicet cum illo & Apoſtolus, quia & in Apoſtolo ipſe loquitur Chriſtus.* Ergo Chriſtus in his quæ dicta ſunt ab Apoſtolis, quæ vtique ad ſcripturam petrinent, vicem iudicis agit. Item S. Baſilius in epiſt. ad Euſtachium medicum. *Scriptura diuinitus inſpirata inter nos arbiter eſt, & Iudex, & apud quos inueniantur dogmata diuinis oraculis conſona, illis omnino veritatis adiudicetur ſententia.* Et Sanctus Iſidorus, vt refertur 11. quæſt. 3. c ſi is qui præeſt: *Is qui præeſt ſi præter voluntatem Dei, vel præter quod in Sacris Scripturis euidenter præcipitur, dicit aliquid, vel imperat, tanquam falſus teſtis Dei, aut ſacrilegus habetur.* Sanct. Cyrill. Alexand. lib. 7. in Iulianum. *Sufficit quidem diuina ſcriptura ad faciendum eos, qui in illa educati ſunt ſapientes, indigemuſque ad hoc prorſus nihil externis magiſtris.* Denique Chryſoſt. ſuper cap. 6. Ioan ad illa verba: *Nemo poteſt venire ad me niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum* (inquit) *vides fidei dignitatem quod non ab hominibus, neque per hominem, ſed per proprium Deum ea imbuendi ſunt.* Et clarius Hom. 41. ſuper Matth. *Quidquid quæritur ad ſalutem totum iam adimpletum eſt in ſcripturis.* Igitur iuxta *Chryſoſt.* neque vt imbuamur fide, neque vt quæramus aliquid ad ſalntem ab haminibus, vel per homines aliquid debemus accipere ſed totum habemus in ſcripturis. Omitto plura alia, quæ ſolum probant Scripturam Sacram plenè continere totam fidem, nec debere nns ab ea diſcedere, quæ non ita vrgent, nec ad propoſitam diſficultatem pertinent.

Ad *hoc argumentum*, ferè eodem modn. Reſpondetur ſicut ad præcedens, & ad ptimam authoritatem *Auguſtin.* Dicitur qnod aliud eſt iudicare de authoritate Sacræ Scripturæ, aliud de obſcuritate, vel difficultate, verbi gratia, an ſit, vel non ſit liber Sacræ Scripturæ, vel de difficultate eorum, quæ Scriptura continet. *Auguſt.* ergn negat quemquam iudicate per ſe de ipſa authoritate Scripturæ, quæ pro Scriptura recepta eſt, de hoc enim quis dubitet? de obſcuritate tamen Scripturæ pottò poteſt iudicari, quod nec ipſe *Auguſt.* negat, cum lib. 1. contra Creſcon. cap 33. inquit: *Quiſquis falli metuit huius obſcuritate quæſtionis Eccleſiam de illa conſultat.* Ad aliam authnritatem ex *lib. 2. de Baptiſmo contra Donatiſtas, Reſpondetur*, verum eſſe quod ea quæ appenſa ſunt in Scripturis quaſi in ſtatera à Domino appenſa ſunt, cum ab ipſo ſint inſpirata. Cæterùm ex hoc non negat *Auguſt.* quod etiam multa ſint extra Scripturam, quæ ad fidem pertinere poſſunt per traditinnes non ſcriptas, & quod ea quæ appenſa ſunt in Scriptura etiam ab hnmine anthoritatem habente à Deo appendi poſſint, & iudicari quantum ad obſcuritatem, & controuerſiam quam habeant, etſi nnn quoad primariam authoritatem; vtrumque enim dicit *Auguſt.* & quod appendamus in ſtateris quantum ad homines, & quod appenſa à Deo recognoſcamus quantum ad authoritatem ipſius Scripturæ, ſed id poſtquam appenſum fuerit, & propoſitum à iudice humano. In alio autem loco ex *lib. 2. de nuptiis, & concupiſcentia, Auguſt.* dicit Chriſtum, & Apoſtolum iudicare, non tamen negat hominem etiam iudicare tamquam vicarium Chriſti, & ſuceeſſorem Apoſtoli, quando enim Eccleſia iudicat, etiam iudicat Chriſtus, hic principaliter, illa miniſterialiter, & participatiuè. Sicut iudicante Vicario Regis, iudicat Rex.

6 Ad *locum Baſilij reſpondetur*, quod cum dicit quod *Scriptura arbiter eſt, & Iudex*, intelligitur iudicare per modum iuris, & legis, nnn per modum iudicantis, & ſententiantis, qnod ſcilicet iuxta ea quæ continet ſctiptura iudicandum eſt, nec tamen ex hoc negat traditiones nnn ſcriptas, quia etſi ſcriptura ſit arbiter, & iudex, non tamen ſola, nec ſe ſola id facit, ſed tanquam regula rerum fidei in ſuo genere.

7 Ad *locum ex Iſidoro reſpondetur*, videri ſenſum eſſe eundem quem Apoſtolus ſignificat ad Gal. 1. *Sed licet nos, aut Angelus de cælo euangelizet vobis præterquam quod euangelizauimus vobis anathema ſit*, vbi *ly præter* vt optimè explicat *D. Tho.*

lect. 2. ſuper cap. 1. ad Gal. idem eſt ac ſi diceret omnino alienum ab eo quod Euangelizauimus, ita quod nec implicitè, nec explicitè contineatur in Sacra Scriptura, nam vt Cyrillus dixit in Concilio Epheſino, & refertur in diſputatione habita in Florentino, *non tolerabimus vt ab aliquo fides mutetur.* Si autem implicitè continetur, etſi non explicitè bene poteſt Euangelizari, ſeu dici: neque hoc eſt addere fidei, ſed explicare fidem, ſicut multa in varijs Concilijs de fide determinata ſunt, quæ ante non erant explicitè credita, & in ipſo Symbolo fidei aliqua ſunt addita, quæ ante non habebantur, vt patet intuenti Symbolum Apoſtolorum; & illud quod in Nicæna Synodo factum eſt, in tertia Synodo pro de fide datum eſt, & receptum Et in Symbolo ſeptimæ Synodi vbi addita eſt illa particula *ex filioque procedat*, & ſimiliter in Symbolo, ſeu expoſitione Agathonis Papæ ad Imperatorem Conſtantinop. Quod autem græci contendunt non poſſe in Symbolo fieri aliquod additamentum etiam in verbis per modum maioris explicationis, & dilucidationis, falſum eſſe infra oſtendemus tractando de Poteſtate Papæ ſupra definitionem fidei, & ordinationem Symboli, & latè diſputatum eſt in Concilio Florentino à Cardinali Iuliano contra Marcum Epheſium.

8 Iſidorus ergo ſimiliter intelligitur quod qui dicit aliquid præter quod continetur in Sacris Scripturis euidenter, euidentia ſcilicet explicita, vel implicita (neque etiam id quod implicitè continetur euidenter deduci poteſt per conſequentiam ex Sacris litteris) eſt falſus teſtis. Cæterùm vt id quod implicitè ſe habet proponatur, & determinetur infallibiliter, neceſſe eſt dari iudicem, & authoritatem extra Scripturam, qui id faciat. *Ad locum Cyrilli Reſpondetur*, nihil obſtare, cum dicit Scripturam eſſe ſufficientem ad faciendum ſapientes eos, qui in illa educati ſunt; ſufficiens enim eſt ad hoc Scriptura in ſuo genere, ſcilicet tanquam continens in ſe totius ſapientiæ ſenſum, non tamen vt explicans obſcuritatem ſuam, aut determinans legitimam intelligentiam de ſuis difficultatibus, id enim relinquitur authoritati regulæ viuæ. Cum verò addit *Cyrillus* nos non indigere ad hoc *magiſtris externis*, non excludit magiſterium externum, quod nobis Scripturam explanet, & obſcuritatem tollat, ſicut diximus ex Auguſtino *articul. præcedenti*, aliàs quid ipſe Cyrillus tam multa ex Scripturis explanauit, & docuit? Sed excludit magiſterium externum, id eſt, extra Eccleſiam, quod propriam, aut nouam affert doctrinam, ſeu ſectam, qualefuit magiſterium Phyloſophorum, qui tot ſectas induxerunt, & ſimiliter hæreticorum. *Ad locum Chryſoſtom. facilè patet reſponſio*, quod fides non eſt ab homine, neque per hominem, ſed per Deum, tum quoad eius reuelationem, & infuſionem habitus, tum quoad inſpirationem, qua dictauit Scripturas, tum quoad authoritatem quam dedit hominibus eas infallibiliter explicandi. Hæc omnia in fide non per hominem, ſed per proprium Deum habemus, & in his ab ipſa imbuimur. *Quod verò addit Chryſoſtom. Homil. 45. in Matth.* totum quod queritur ad ſalutem eſſe adimpletum in Scripturis, verum eſt ibi eſſe adimpletum, & contentum, ſed non omnino explicatum, quia implicitè multa ſunt ibi adimpleta, & contenta. Vnde & iuuari debemus à traditionibus Eccleſiaſticis, quæ ſunt verbum Dei non ſcriptum, & ab Eccleſia eas conſeruante, & iuxta eas determinante, nam vt habetur in Anathematiſmis 7. Synodi. *Si quis omnem traditionem Eccleſiaſticam, ſiue ſcriptam, ſiue non ſcriptam irritam facit, anathema ſit.*

Tertio *Denique arguitur ex ratione.* Nam tunc requiritur iudex ad proferendam ſententiam quando lex ipſa continens ius iuxta quod iudicetur, & ſententia proferatur, non continet diſtinctè, & determinatè, ea quæ iudicari debent; ſed Scriptura pleniſſimè continet omnia, quæ credenda ſunt ad ſalutem; ergo ad ipſam pertinet regulare per modum regulæ proferentis ſententiam, ſeu id quod tenendum eſt. *Maior probatur.* Nam quando lex lata à Principe continet in ſe quod determinatè faciendum eſt in aliquo caſu, & quæ ſententia ferenda eſt, iudex inferior iudicans ſolum eſt miniſter legis, vnde neque in tali lege diſpenſare poteſt, ſicut docent Theologi cum *Sanct. Thom. 2.2. quæſtion. 67. art. 3.* Et ſumitur ex ipſo iure *cap. In iſtis diſtinction. 4. & cap. ſummopere 11. quæſt. 3.* Et videri poteſt *Suarez lib. 5. de legibus cap. 11.* Ergo ſi in Scriptura continetur diſtinctè quid tenendum ſit de fide, ille qui id explicat, & tradit, non tanquam iudex, ſed vt miniſter ſuperioris iudicis ſe habet. *Minor probatur.* Nam apertè dicitur Ioan. 20. *multa non eſſe ſcripta de Chriſto Domino, illa autem quæ ſcripta ſunt ad hoc eſſe vt credamus, & credentes vitam æternam habeamus.* Ex quibus verbis deſumitur argumentum. Quæcumque neceſſaria ſunt ad credendum de Chriſto in Scriptura ſufficienter continentur, ea verò quæ omiſſa ſunt, & poſſent in Scriptura poni non fuerunt neceſſaria ad credendum, aliàs ponerentur etiam in Scriptura, ſiquidem in ea, poſita ſunt ea, quæ neceſſaria ſunt ad credendum; ergo quæcumque pertinent ad credendum pleniſſimè in Scriptura continentur. *Item* quia vt dicitur 2. ad Timoth. *Omnis Scriptura diuinitus inſpirata vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iuſtitia vt perfectus ſit homo Dei.* Ergo in Scriptura pleniſſimè continetur quidquid neceſſarium, & vtile eſt, ſiue ad doctrinam, ſiue ad eruditionem credendorum, aliàs non haberet vtilitatem ſufficientem, vt per eius Doctrinam perfectus fieret homo, non enim perfectus eſſe poteſt, niſi per omnia illa, quæ ad credendum neceſſaria ſunt. 9

Denique. Quia vbi deſignatur in Scriptura officium declarandi, & determinandi ea quæ dubia ſunt, vt *Deuteronom. 19.* apponitur limitatio, vt ſequamur ea quæ docuerint nos Sacerdotes iuxta legem, ergo Sacerdotibus ſolum tribuitur facultas docendi, & publicandi ea quæ ſunt in lege, non vero iudicandi, & definiendi res de fide abſolutè. Vnde & Apoſtoli vocantur ſolum *Miniſtri ſermonis*, non iudices, Lucæ 1. *Sicut tradiderunt nobis qui ab initio viderunt, & Miniſtri fuerunt ſermonis.* Et 1. Corinth. 3. *Quid igitur Apollo, quid vero Paulus? Miniſter eius cui credidiſtis.* Prohibentur etiam vocari Magiſtri, Matth. 23. *Nec vocemini Magiſtri, vnus enim eſt Magiſter veſter Chriſtus.* Ergo multo minus vocari debent iudices doctrinæ fidei; ergo in ordine ad ea quæ fidei ſunt, & quæ pertinent ad Scripturas ſolum homines habent miniſterium, non verò iudicium. 10

Confirmatur *hoc argumentum.* Nam Deus eſt ſupremus iudex controuerſiarum fidei, ergo debet explicare 10

explicare ea quæ iudicat per aliquod verbum, vel ſcripturam, ſed non per verbum hominem, & humana induſtria tractatum, ac diſputatum, quia totum hoc eſt fallibile; ergo per verbum inſpiratum à Deo; Deus autem non profert verbum inſpiratum per Papam, aut Epiſcopos, ſed per ſcripturam, aut prophetiam; ergo ad ſcripturam pertinet continere iudicium, & determinationem Dei, non ad Papam.

12 Reſpondetur *primò ad maiorem*. Quod quando lex continet aliquid diſtinctè, & determinatè iuxta quod iudicetur, adhuc indiget authoritate iudicis, tum ad applicandam legem caſui occurrenti vt iuxta illum proferat ſententiam, quia vt dicit *Auguſtin. lib. de vera religione cap. 31. iudicibus non licebit de ipſis legibus iudicare, ſed ſecundum ipſas*. Tum ad obligandum homines vt talem ſententiam, & decretum iuxta legem factum accepte nt; tum denique, quia aliquando in aliquo ſingulari caſu poteſt lex reddi iniqua ſi obſeruetur, & tunc iudicandum eſt ſecundum æquitatem, vnde non eſt purè miniſter legis authoritas iudicantis, cum non ſemper ſecundum litteram, ſed ſecundum mentem legiſlatoris iudicet. De quo videatur *Sanct. Thom. 2. 2. quæſtion. 60. articul. 5. ad 2*. Ad minorem vero argumenti, *reſpondetur* Scripturam multas obſcuritates, & difficultates ad intelligendum continere, & poſſe etiam patere deprauationibus multorum, prout ex ipſa ſcriptura probatum eſt, & quando hoc ex ipſa experientia non ita eſſet notum, conſtat non caruiſſe obſcuritate ſcripturam, ſiquidem vt ab Apoſtolis intelligerentur. *Aperuit eis ſenſum Chriſtus Dominus, Lucæ 24*. Et ideo dixit Iuſtinus Martyr in Dialogo cum Triphone, *Diuina oracula non ſunt cuiuis perſpicua, ſed ſolis quibus intellectum dat Deus, & Chriſtus eius*. Et Clemens Alexandrin. lib. 2. Stromatum cap. 6. *Neque Propheta* (inquit) *neque Saluator ſic locuti ſunt diuina myſteria vt ea facilè capi poſſent à quibuſlibet*. Videatur Ambroſ. in Pſal. 118. ad illum verſum: *Iuſtificationes tuas doce me. Hieronym. epiſt. ad Paulinum, Auguſt. lib. 2. de Doctrina Chriſtiana, cap. 6. & lib. de vera religione cap. 7.*

13 Et ad probationem *reſpondetur*. Quod ea quæ ſcripta ſunt ſufficiunt ad hoc vt credamus, ſcripta ſunt tamen cum myſterio, & obſcuritate, ac profunditate ſermonis, prout decebat eloquia Dei. Vnde neceſſe eſt, & quod recognoſcantur tanquam legitima ſcripta, & à Deo deriuata, & quod eius obſcuritas, ac difficultas, ſi qua ponitur in controuerſia determinetur, & ita ſtat benè Scripturam plenè continere ea quæ neceſſaria ſunt ad credendum, non tamen ita ab omni difficultate, & controuerſia libera, vt nullo determinante, & iudicante indigeant. Et ſimiliter licèt: *Omnis Scriptura diuinitus inſpirata ſit vtilis ad docendum vt perfectus ſit homo Dei*, tamen hoc ipſo quod vtilis eſt ad arguendum indicatur poſſe admittere controuerſias, & difficultates, & contrarias intelligentias, quæ argui, ac iudicari debent, iuxta quod de Epiſcopo dicit Apoſtolus ad Titum 1. *Quod potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt arguere*: Supponitur ergo Scripturam eſſe vtilem, quia in ſe habet omnia illa, ex modo tamen habendi non repugnat aliquas circa ipſam controuerſias eſſe poſſe, quæ iudice determinante indigeant. Quod vero ponitur limitatio vt ſequamur ſententiam Sacerdotis, ſi iudicauerit iuxta legem, hoc ſolum oſtendit quod ipſa lex continet per modum iuris id quod definiendum eſt, & quaſi implicitè ita quod indigeat aliquo authoritatiue declarante, non tamen quod per modum iudicis ſe habet, aut vt explicitè iudicatum continens id quod difficile eſt, & controuerſum; alias non iuxta ipſam iudicandum eſſet, ſed ipſa iudicium proferret, aut explicaret. Similiter etiam *ly iuxta legem* non excludit ea quæ extra Scripturam legis ſunt, ſi ipſi legi ſunt conformia, ſed quæ legi ſunt contraria, & ita benè poteſt iudicari de aliqua controuerſia fidei iuxta ea, quæ in traditione Apoſtolica non ſcripta continentur, ſicut de facto definitum eſt in ſeptima Synodo generali circa articulum de adoratione imaginum, licèt id non ſit ſcriptum in Sacra Scriptura. Vnde neceſſe eſt eſſe iudicem per modum regulæ viuæ, quandoquidem etiam ex his quæ non ſunt ſcripta determinari poſſunt quæſtiones fidei. Quod verò Apoſtoli vocentur *Miniſtri ſermonis*, & prohibeantur vocari magiſtri nihil obſtat, nam non eſt dubium quin ſint miniſtri Chriſti, ſed miniſtri iudicantes, & authoritatem habentes ad gubernandam Eccleſiam, & declarandam fidem, & controuerſias circa ipſam. Sicut etiam Rex in regno ſuo habet iudices, qui ſimul etiam Miniſtri ſunt Regis, quia ſunt iudices participatiuè, & tanquam Vicarij Regis. Prohibentur etiam vocari magiſtri, vel quantum ad inanem gloriam ambiendi magiſterium, vt exponit *Chryſoſt. homil. 73. in Matth.* vel prohibet vocari magiſtros eo modo docendi, quo ſolus Deus eſt magiſter, ſcilicet tanquam principalis cauſa doctrinæ, non vt exterius adiuuantes vt alij addiſcant, ſicut exponit *S. Thom. 1. part. q. 11. art. 1. ad 1. & Auguſt. tr. 3. in epiſt. Ioan.*

Ad *confirmationem argumenti reſpondetur*, 14
Deum eſſe iudicem ſupremum per modum vniuerſaliſſimæ cauſæ, & vniuerſaliſſimi iudicis, vnde non pertinet ad ipſum per ſe immediatè omnia iudicare, quæ controuertuntur in fide, ſed mediantibus aliis hominibus, ſicut ex eo quod vniuerſaliſſima cauſa eſt operatur mediis cauſis particularibus. Vnde per aliqua verba ſe explicat, & iudicat, tùm per verba Scripturæ, tùm per verba hominis iudicantis, in Scriptura quidem tanquam in libro continente res fidei implicitè, vel explicitè, cum difficultate tamen aliqua, aut obſcuritate, quæ explicari neceſſe ſit. Per verba autem hominis iudicantis tanquam per eum qui determinat, & declarat ea quæ implicitè continentur in Scriptura, & hoc ex infallibili aſſiſtentia Spiritus ſancti ne erret, qui promiſit Petro vt non deficiat fides eius in confirmandis fratribus, vnde non eſt verbum fallibile, nec purè humanum, ſed ab aſſiſtentia Spiritus ſancti gubernatum, de quo infrà amplius dicetur.

* * *

ARTICV

ARTICVLVS III.

Vtrùm poteſtas ſuprema determinandi res fidei ſit tantum in vero, & legitimo ſucceſſore Petri Romano Pontifice?

1 OStendimus in præcedentibus articulis poteſtatem determinatiuam rerum fidei debere eſſe aliquid viſibile, & non ſolum ſpiritum inuiſibiliter loquentem cuicumque homini, nec ſufficere declarationem viſibilem à ſpiritu factam in Scriptura, ſed vlterius requiri authoritatem viſibilem hominibus, ſeu Eccleſiæ ab ipſo Spiritu ſancto traditam, vt taoquam à regula viua, & iudicè determinarentur ea, quæ circa fidem controuerti poſſunt. Nunc reſtat declarare cui perſonæ, aut perſonis conueniat poteſtas iſta, & authoritas infallibiliter proponendi fidem. Et quia nemo dubitare poteſt hanc authoritatem extra Eccleſiam eſſe, cum conſtet ipſam poteſtatem determinandi res fidei eſſe fundamentum Eccleſiæ, dicente Christo ad Petrum, *ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*, itemque ad ipſum pertinere Eccleſiæ gubernationem, & infallibilem fidem in proponendo, quæ omnia intra Eccleſiam eſſe debent, & ad illam maximè, pertinere, ſicut caput maximè pertinet ad corpus: idcirco vt inueſtigemus ſubiectum huius authoritatis ſolum oportet diſcurrere per ea, quæ in Eccleſia inueniuntur, & ex quibus Eccleſia conſtat, vt illud inuenire poſſimus.

2 Eſt *autem* ſupponendum quod in præſenti non ponimus pro regula, & iudice in rebus fidei totam Eccleſiam entitatiuè acceptam, & vt dicit collectionem tàm Epiſcoporum, quàm ſubditorum, aliud eſt enim totam Eccleſiam entitatiuè acceptam errare non poſſe, nec deficere in fide, aliud eſt totam Eccleſiam eſſe regulam iudicantem, & ſententiantem res fidei. Primum enim neceſſariò admittendum eſt, cum vniuerſalis Eccleſia ſit Sancta, & Catholica, quod non eſſet, ſi à fide deficeret. Secundùm vero eſt impoſſibile cum tota Eccleſia ſecundum omnes ſuas partes congregari non poſſit vt ſententiam proferat, nec omnes partes, & membra Eccleſiæ authoritatem iudicandi habeant, neque enim omnes poſſunt eſſe Paſtores, aut doctores, vt inquit Apoſtolus 1. *ad Corinth.* 12. Oportet enim quod in Eccleſia, ſicut in qualibet congregatione, & Republica alij ſint ſubditi, alij Rectores, alij docentes, alij doctrinam recipientes: & ſicut eſſet impoſſibile quod omnes in vna republica haberent authoritatem iudicandi, & gubernandi, ſic enim deſtrueretur Corpus reipublicæ ſi omnes imperarent, & non haberent quibus imperarent: & ſicut in corpore naturali eſſet inconueniens quod omnia membra eſſent oculus, aut caput; ſic eſt impoſſibile quod tota Eccleſia ſecundum omnes ſuas partes habeat authoritatem regulandi, & determinandi res fidei, & ſic regula fidei non poteſt eſſe æquè immediatè in tota Eccleſia, ſed ratione alicuius, vel aliquarum partium: ſicut etiam in Eccleſia non poſſunt omnes eſſe boni, ita quod Eccleſia ſit Sancta ſecundum omnes ſuas partes, & membra, ſicut non omnia, quæ ſunt intra corpus humanum eodem modo à Spiritu informantur, ſed quædam ſolum à vegetatiuo gradu, quædam etiam à ſenſitiuo, &c. & quædam ſe habent in corpore, vt excrementa eiicienda, quædam vt in carnem tranſmutanda: ſic in Eccleſia quædam membra ſunt, vt reiicienda, & purganda, quædam vt purificanda, & ſpiritu gratiæ informanda, & quædam ſe habent vt palea, quædam vt granum. Sicut ergo tota Eccleſia non poteſt amittere ſanctitatem, nec tamen omnes Eccleſiæ partes ſunt ſanctæ, ſic neque tota Eccleſia poteſt deficere à fide non tamen iſta indefectibilitas eſt æquè in omnibus partibus Eccleſiæ, & conſequenter neque regulatio infallibilis fidei, quæ fundatur in indefectibilitate à fide æquè eſt in tota Eccleſia, licet vniuerſali, & toti Eccleſiæ conueniat, ſicut toti homini conuenit videre, ſed non in toto corpore eſt viſus.

3 Punctus ergo difficultatis reducitur ad hoc vt videamus, an iſta authoritas pertineat ad Principales partes Eccleſiæ; illæ autem ſunt principales partes, quæ ſunt poſitæ ad regendum Eccleſiam, quales ſunt Epiſcopi, iuxta id quod dixit Paulus Actor. 20. *In quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* De his ergo quærimus, cuinam, vel Quibus conueniat infallibilis authoritas definiendi res fidei? Etſi vni conuenit, an ille ſit Romanus Pontifex Petri Succeſſor? loquimur etiam de ſuprema poteſtate determinandi res fidei, quia etſi in collectione, ſeu Concilio Epiſcoporum ſit authoritas definiendi, & determinandi res fidei, non tamen omnino independens à confirmatione ſupremi capitis talia Concilij, quod eſt ſummus Pontifex. Vnde non diſputamus modo de Poteſtate Concilij, an habeat, vel non habeat poteſtatem determinandi res fidei, & an habeat poteſtatem ſupra Papam, præſertim quando non conſtat eſſe legitimum Pontificem, ſed inquirimus de illa ſuprema Poteſtate in rebus fidei ita infallibili quod vlterius ab aliqua confirmatione dependens non eſt, an de facto in aliqua perſona Eccleſiæ reperiatur, & in qua?

4 Circa hanc ergo quæſtionem varia fuerunt Hæreticorum Placita, & errores impugnantes, & denegantes authoritatem iſtam Apoſtolicæ ſedi Romanorum Pontificum. Et in primis ſi loquamur generaliter, omnes Hæreſes in ipſo exercitio authoritatem iſtam negant, quia ab eius diffinitionibus recedunt, quo ſenſu rectè dixit Cyprianus Epiſtol. 55. *Neque enim aliunde Hæreſes obortæ ſunt, aut nata ſunt Schiſmata, quam inde quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus iudex vice Chriſti cogitatur.* Quis autem ſit iſte Sacerdos, & quæ Cathedra iudicis eadem Epiſtola infert Cyprianus dum inquit: *Nauigare audeat, & ad Petri Cathedram, atque ad Eccleſiam principalem vnde vnitas Sacerdotalis exorta eſt, nec cogitare eos eſſe Romanos, quorum fides Apoſtolo prædicante laudata eſt, ad quos perfidia habere non poſſit acceſſum.* Et Epiſtola 40. *Vna Eccleſia* (inquit) *& Cathedram vna ſuper Petrum Domini voce fundata, quiſquis alibi collegerit ſpargit.* Præter hanc autem omnium Hæreticorum generalitatem à Petri Cathedra, & Apoſtolica Sede recedentium fuerunt peculiares errores de ipſo Romani Pontificis Primatu. Variè enim & quaſi gradibus quibuſdam

hanc

hanc veritatem , imò potius totius veritatis fidei promptuarium diabolus expugnare conatus eſt. *Primò* per ſchiſmata , & irriſiones, ſeu blaſphemias. *Secundò* per negationem ſingularis prærogatiuæ eius ſuper cæteros. *Tertiò* per totalem abnegationem poteſtatis eius. In primo ordine incœpit Tertullianus cùm ad Montani Hæreſim , & Cataphrygum lapſus eſt , in Romanum Pontificem inuehi , vt patet in *lib. de Pudicitia contra Pſychicos*.vbi quaſi per irriſionem eum *Epiſcopum Epiſcoporum*, nominat, & eius edictum de indulgendo his qui peccauerunt , ſi pœnitentiam oſtendant, non recipit. Poſtea Donatiſtæ Apoſtolicam Sedem *Cathedram peſtilentiæ* nominabant , & ab ea diuiſionem fecerunt , quam etiam Berengarius, Vualdenſis, Vvicleph , & alii miris iniuriis Romani Pontificis authoritatem infeſtarunt. Supra omnes autem Dioſcorus damnatus in Concilio Calcedonenſi auſus eſt intorquere ſententiam Anathematis in Romanum Pontificem Sanctum Leonem vt habetur in actione 1. eiuſdem Concilij.

5 In ſecundò ordine incœperunt Græci , & Armeni ſingularitatem Primatus Romani Pontificis denegare , nam in primis cum in ſecundo Synodo generali, vt colligitur ex Apendice Canonis 5. tentaſſent Epiſcopopum Conſtantinopolitanum in Patriarcham ſublimare, eique ſecundum locum poſt Romanam Sedem tribuere (quod tamen ab Apoſtolica ſede pro tunc non videtur receptum) poſtea in Synodo Calcedonenſi *actione* 16. cum iam Congregatio eſſet ſoluta , & Legati Apoſtolici abſentes clanculum Orientales Epiſcopi Canonem ediderunt in quo Conſtantinopolitanæ ſedi ita ſecundum locum poſt Romanam dedere, vt tamen æqualia ei priuilegia concederent. Quod poſtmodum amplius extendere volentes tempore Pelagij ſecundi , & Sancti Gregorij titulum *vniuerſalis Epiſcopi* Conſtantinopolitanus Epiſcopus ſibi arrogauit. Ac denique apertè Pontificis Romani ſupremam authoritatem denegarunt dicentes eum ab hac poteſtate decidiſſe , eo quod contra prohibitionem 2.& 3. Synodi generalis addiderit Symbolo illam particulam , *filioque procedit* , vt colligitur ex epiſtolis Leonis V. ex Segeberto in Cronicon. Similiter etiam Nilus quidam Epiſcopus Theſſalonicenſis librum euulgauit contra Primatum Pontificis Romani. Item Vualdenſes , qui ſe ab obedientia Romani Pontificis ſubtraxerunt , eiuſque negarunt ſingularem authoritatem , quia vt refert *Caſtro de hæreſibus* verbo *Papa*, docebant omnes Presbyteros eſſe pares, neque vnum eſſe alio ſuperiorem ; quæ fuit olim hæreſis Aerij ; vt refert *Epiphanius hæreſi* 75. & videri poteſt *Auguſtin. de hæreſibus* , ad Quod vult Deum *hæreſ*.53. Et ſimiliter id docuit Marſilius quidam Paduanus , & Ioannes de Sanduno, qui ante 500. annos cenſuit Chriſtum ſolum dediſſe ſacerdotibus poteſtatem miniſtrandi Sacramenta, & prædicandi , non vero ad obligandum, vel præcipiendum.

6 Denique Anglicana hæreſis ex alio fundamento longè diuerſo vnitatem capitis ſupremi in Eccleſia negauit exiſtimans vnumquemque Principem temporalem ſupremum in ſuo regno , ſupremam etiam authoritatem ſpiritualem habere, quia exiſtimant poteſtatem politicam non à populis regi collatam, ſed à Deo immediatè , & cum ea recepiſſe etiam Principes tempore legis naturæ , & ſcriptæ poteſtatem circa ſpiritualia, eamque manſiſſe tempore gratiæ, in quo iubentur omnes Chriſtiani ſubiici principibus ſæcularibus ad Rom. 13. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit* , &c. Et iterum 1. Petri 2. *Subditi igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum , ſiue regi, quaſi præcellenti*, &c. Vnde Tertullian. in lib ad Scapulam de Chriſtianis, *Colimus* (inquit) *& nos Imperatorem quomodo nobis licet vt hominem à Deo ſecundum , & quidquid eſt a Deo conſequutum ſolo Deo minorem , ſic enim omnibus maior eſt dum ſolo vero Deo minor eſt*. Igitur regia poteſtas, etiam in lege gratiæ à Deo ipſo immediatè dimanat, & ſoli Deo immediatè ſubeſt , non Papæ.

Tertiò ordine ſunt in primis Fraticelli, qui docuerunt ceſſaſſe in Romana Eccleſia authoritatem Petri , & ad ipſos eſſe tranſlatam , de quo videatur *Turrecremata lib.4. de Eccleſia part.* 2. *cap.* 37. Similiter etiam Vviclephiſtæ , & Huſſitæ, vt conſtat ex *Concilio Conſtantienſi ſeſſion.* 8 *&* 15. contra authoritatem Romani Pontificis inſurrexerunt. Ac denique noſtro tempore Lutherus , Caluinus: & omnes quotquot ſunt hæretici in hoc potiſſimum omnes ſuas vires intendunt vt ſupremam Pontificis poteſtatem negent , & impugnent. Et in ſumma cenſent omnes Chriſtianos in Sacerdotio pares eſſe , & diſtinctionem cleri à populo tollunt : addunt vero Romanum Epiſcopum aliquando fuiſſe ſicut vnum de cæteris Epiſcopis, & ſi non ſuperiorem illis, qui tanquam paſtor quidam (& concionator illius Eccleſiæ ſe habuerit , imitantes in hoc verba Tertulliani lib. citat. de Pudicitia , *& ta* (inquit :) *quantis potes miſericordia illecebris bonus Paſtor, Benedictus Papa concionaris* , *& in parabola ouis capras tuas quæris*, &c. Addunt vero hæretici nunc Papam nihil aliud eſſe quam Anti-chriſtum exiſtimantes *Anti-chriſti* nomine non aliquam ſingularem perſonam , ſed regnum aliquod maximè tyrannicum, & violentum deſignari, quod ipſi putant in Pontificali regimine compleri. Igitur ea quæ difficultatem aliquam in hac materia inducere poſſunt , conformiter ad iſtarum hæreſum ordinem tractanda ſunt, & ad duo capita reducenda, & primo oſtendemus iſtam authoritatem ſupremam eſſe tantùm in vno : ſecundò determinatè in Romano Pontifice Petri ſucceſſore ; ſit ergo. 7

Prima *concluſio*. In Eccleſia ſuprema authoritas determinandi res fidei in vno ſupremo capite ponenda eſt. De hac concluſione videatur *D. Thom. 4: contra gent.capit.* 76. *& in addition. quæſt.*40. *artic.* 6. eſt autem de fide definita in *Concilio Conſtant.* vbi damnatur tanquam error 27. articuli Vvicleph. Quod non oporteret eſſe vnum caput in ſpiritualibus regens Eccleſiam, quod ſemper cum ipſa militanti Eccleſia conuerſetur , & conſeruetur. Vt autem contra hæreticos etiam probetur , & de fide eſſe oſtendatur pro maiori intelligentia aduertendum eſt quod loca Scripturæ , in quibus vnitas capitis huius habetur, & authoritas ſuprema circa res fidei ſunt præcipuè tria, ſcilicet Matth. 16. *Tu es Petrus & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam* , *& tibi dabo claues regni cœlorum*. Lucæ 22. *Ego rogaui pro te vt non deficiat fides tua* , *& tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos*. Et Ioan. vlt. *Paſce oues meas*. In quibus locis ſine dubio 8

aliqua

aliqua poteſtas, & authoritas datur, vt patet cum dicitur, *Tibi dabo claues Regni cælorum, & confirma fratres tuos in fide*, ac denique *Paſce oues meas*: hæc enim omnia ſignificant actus poteſtatis, & authoritatis. Ipſa enim metaphora *Clauium* in Scriptura poteſtatem deſignat, vt Iſaiæ 22. *Poteſtatem autem dabo in manu eius, & dabo clauem domus Dauid ſuper humerum eius.* Et Apocal. 3. *Hæc dicit Sanctus, & Verus, qui habet clauem Dauid, &c.* Ipſe etiam actus confirmandi in fide authoritatem deſignat, aliàs non fieret confirmatio ſi infallibili authoritate dubietas non tollitur. Denique ipſum *Paſcere* poteſtatem deſignat regendi. Vnde in Scriptura Rex, & gubernator *Paſtor* appellatur, Iſaiæ 44. *Qui dico Cyro Paſtor meus es.* Ezech. 34. *Suſcitabo ſuper eas Paſtorem vnum, qui paſcat eas, ſeruum meum Dauid: ipſe paſcet eas, & ipſe erit eis in Paſtorem: Ego autem Dominus ero eis in Deum: & ſeruus meus Dauid Princeps in medio eorum.* Vbi pro eodem reputatur nomen *Paſtoris & Principis*: & quod loquatur de hominibus conſtat per id quod ſubditur *Vos autem Greges mei Greges paſcuæ meæ homines eſtis.* Igitur *Paſcere oues Domini* authoritatem, & poteſtatem importat ſuper homines: & ſic in Pſal. 22. illud verbum *Dominus regit me*, legitur iuxta Hieron *Dominus paſcit me*, pro eodem ſumens *Regere, & Paſcere.*

9 Secundò pro conſtanti teneri debet hanc authoritatem alicui certæ perſonæ eſſe commiſſam, quod patet ex ipſa deſignatione perſonæ per pronomina deſignatiua videlicet, *Tibi dabo, tu es Petrus, tu confirma fratres tuos. Simon Ioannis paſce oues meas*, ergo ille ſingularis homo ex vi talis deſignationis aliquam recepit poteſtatem, & authoritatem. Vnde dixit *Caietanus ſuper* 16. *Matth.* non potuit Dominus magis indiuidualiter exprimere perſonam Petri, quam nominando ipſum pro nomine deſignatiuo, & nomine proprio *Simon*, & deſignatione proprij patris *filius Iona*, & deſignatione hominis à Chriſto impoſiti, *tu es Petrus.* Et quod per illa pronomina, præcipuè per illam particulam *ſuper hanc Petram*, non deſignetur alia perſona præter Petrum, licet an referatur ad Petrum, vel ad Chriſtum dubitauerit, *Auguſtin. homil. vltima in Ioan. & hom. 13. de verbis Domini, & lib. 1. retract. cap. 21.* vbi vtramque expoſitionem admittit tanquam probabilem, patet. *Tum* quia eſt communis ſanctorum intelligentia illam *Petram, & fundamentum*, intelligi de Petro, quod eſt fundamentum Eccleſiæ, vt oſtendit *Magiſt. Bañez hic dub. 1. circa primam concluſionem*, ſic enim appellant *Petrum*, fundamentum, & caput Eccleſiæ patres Concilij Chalcedonenſis, & in 6. *Synodo generali act. 4.* & in Concilio Florentino, & in Conſtant. tanquam error Vvicleph. damnatur dicere. Quod Petrus non fuit caput Eccleſiæ. *Tum* quia ſine controuerſia eſt illam ſequentem particulam, *Tibi dabo claues regni cælorum*, referri ad ipſum Petrum, neque enim poteſt referri ad ipſum Chriſtum, nec enim ſibi dare poterat claues dicendo, *tibi dabo*, ſed Chriſtus deſignat ſe vt conferentem, & Petrum vt eum cui confert, cum dixit, *tibi & Simon Ioannis Paſce.* Nec etiam deſignat Petrum in perſona aliorum Apoſtolorum, quia loquitur cum Petro diſcernendo ipſum à cæteris; ergo loquitur perſonaliter, & indiuidualiter cum Petro.

Nec dici poteſt. Quod fundauit Chriſtus Eccleſiam ſuper ipſam confeſſionem fidei abſolutè, quia confeſſio fidei non accepit claues, ſed perſona illa, quæ confeſſionem fidei fecit. Vnde nec Eccleſia dicitur fundari ſuper confeſſione fidei abſolutè ſumpta, & ſecunda quod à quolibet homine fit, vt impiè Lutherani explicant, ſic enim non magis fundaretur Eccleſia ſuper Apoſtolos, & Petrum, quam ſuper quemlibet fidelem, qui tamen non fundamentum ſunt, ſed ædificatio, dicente Apoſtolo 1. ad Corint. 3. *Dei agricultura eſtis, Dei ædificatio eſtis*: de Apoſtolis autem ad Epheſ. 2. *ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum*; ſed fundatur Eccleſia ſuper confeſſione Petri, vt à Petro facta. Quo ſenſu intelligendi ſunt Patres *Hilarius lib. 6. de Trinit. Ambr. lib. 6. in Luc. cap. 9. Chryſ. Homil. 55. in Matth. & alij* dum illam *Petram* in qua fundatur Eccleſia fidem, ſeu confeſſionem fidei intelligunt, non tamen abſolutè, ſed vt à Petro eſt. 10

Ex his ergo duobus notabilibus, ſeu Principiis, ſcilicet quia in citatis locis datur authoritas, ſeu poteſtas aliqua cæteris ſuperior ad confirmandas res fidei, & doctrinam Eccleſiæ, & illa confertur vni perſonæ determinatæ, cum qua Chriſtus loquebatur nominando ipſam, & à cæteris diſcernendo, ſicut *Luc* 22. dixit omnibus: *Ecce Sathan expetiuit vos vt cribraret ſicut triticum*, ad Petrum autem *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* Et ſimiliter *Ioan.* 20. Petrum ab aliis diſcernendo dixit, *Simon Ioannis diligis me plus his?* & ſtatim intulit *Paſce oues meas.* Ex his inquam Principiis conficitur pro noſtra concluſione argumentum ſic. Petrus recepit à Chriſto tanquam determinata perſona poteſtatem aliquam in omni Eccleſia ſuperiorem in confirmandis, & paſcendis cæteris; ergo illa Eccleſia primitiua, quæ tunc erat habuit vnitatem capitis, ſeu gubernatoris in terra, nempe Petrum: ergo & Eccleſia, quæ modo eſt debet vnitatem capitis habere, & gubernari ab vna ſuprema poteſtate, & non debent eſſe plures poteſtates ſupremæ. *Anteced. conſtat* ex locis allegatis, in quibus perſona Petri in authoritate, & regimine præfertur omnibus, & non iſtis, aut illis determinatè; nam vt dixit Innocent. III. in cap. ſolitæ de maioritate, & obedientia: *In illis verbis* Paſce oues meas *non diſtinxit inter has oues, & alias, vt alienum à ſuo demonſtraret ouili qui Petrum, & ſucceſſores ipſius magiſtros non recognoſceret, & Paſtores.* Si autem omnibus Prælatus eſt ſine vlla diſtinctione; ergo nullus illi æqualis fuit in poteſtate illa in qua vnus eſt, aut ſaltem eo modo quo vnus eſt, ſcilicet vt ordinarius Paſtor Eccleſiæ quod etiam Apoſtolos intellexiſſe teſtatur. *Hieron. ſuper cap. 18. Mat.* dum inquit: *Quod quia viderant pro Petro, & Domino idem Tributum redditum, ex æqualitate pretij arbitrati ſunt Petrum cæteris Apoſtolis eſſe prælatum, & ideò interrogant qui maior ſit in regno cælorum.* Et in eodem ſenſu ſemper loquutus eſt Chriſtus nominans illum indiuidualiter, & in actu ſignato à cæteris diſtinguens, vt patet *Ioan.* 20. cum dat illi poteſtatē paſcendi præ cæteris, quia & præ cæteris diligere examinatur; & ſimiliter *Luc.* 22. Inter omnes ei promittitur non defecturum in fide, & iubetur vt confirmet fratres, quando conuerſus fuerit. Aliquid ergo perſonæ Petri vt à cæteris diſtinguitur, tribuitur à Chriſto. *Conſequentia prima argumenti conſtat.* Matth. 23. nam Eccleſia tunc habuit 11

illud

illud regimen, quod Chriſtus in ea poſuit; conſtat enim Chriſtum tunc conſtituiſſe corpus Eccleſiæ tanquam ordinatam Rempublicam diuerſis gradibus diſtinctam, & miniſteriis, vt primo eſſent Apoſtoli, deinde Doctores, &c. vt Paulus narrat 1. *ad Corinth.* 12. *& ad Epheſ.* 4. Ergo ſi in illis ſingularitatem authoritatis ſupra omnes oues tantum Petro tribuit, illud tunc in illo regimine Eccleſiæ ſeruatum fuit, aliàs fruſtra Rempublicam inſtitueret Eccleſiaſticam, & authoritatem ſuper omnes Petro tribueret, ſed id ſeruandum non eſſet. *Secunda vero conſequentia manifeſta etiam eſt*: Quia regimen, & Gubernatio Eccleſiæ ſic continuatum eſt modo ſicut tunc incœpit, cùm maximè ſoliciti fuerint Apoſtoli ſeruare vnitatem Eccleſiæ, quæ ſanè ſeruari non poſſet ſi tunc vno capite regeretur, & poſt modum ipſi in plura capita illam diuiderent. Nam ſi mutaretur modus ille regiminis, qui erat in Eccleſia poſitus à Chriſto, & ſeruatus in Petro non eſſet eadem Eccleſia illa quæ modo eſt cum illa, quæ tunc incœpit. Siquidem vt dicit Philoſoph. 3. Politicor cap. 2. *Ciuitas dicitur manere eadem ſpecie quamdiu remanet eadem forma Reipublicæ*: ſi ergo non remaneret eadem forma gubernandi Eccleſiam, non maneret eadem ſpecie, nec continuaretur illa cum iſta niſi eo modo quo antiquæ legis Eccleſia cum noſtra continuatur.

2 Pro *maiori* autem intelligentia concluſionis poſitæ aduertendum eſt, Apoſtolicam authoritatem, ſeu dignitatem quam Chriſtus Dominus inſtituit aliqua habuiſſe in quibus omnes Apoſtoli pares fuerunt; neque in illis modo vnitatem aliquam primatus conſtituimus: aliqua autem fuiſſe in quibus ſuprema aliqua poteſtas inſtituta eſt à Chriſto vt in Eccleſia permaneret, & de hac ſolum agimus, & in ea Petrum reliquos Apoſtolos præciſè aſſerimus, verbi gratia Apoſtolis data eſt poteſtas in orbe prædicandi Euangelium, cum dixit Chriſtus: *Sicut miſit me Pater ita ego mitto vos*, & conſequenter tribuit eis extraordinariam poteſtatem, qualis requirebatur in illis primis fundatoribus Eccleſiæ per totum mundum, vt ſcilicet haberent poteſtatem delegatam à Chriſto circa Eccleſiam, haberent primitias Spiritus, plenitudinem ſcientiæ, confirmationem in Gratia, donum linguarum, poteſtatem ad miracula, directionem Spiritus ad canonicè ſcribendum, &c. Hæc autem omnia, quæ pertinebant ad extraordinariam illam authoritatem, quam habebant tanquam Fundatores Eccleſiæ, & reſpectu ipſius Eccleſiæ in fieri, vt ita dicam, non oportebat in ſucceſſoribus ordinarie conſeruari, quia ipſi non ſuccedebant vt fundatores Eccleſiæ, & ideò non erat neceſſe accipere illam extraordinariam poteſtatem. *Et huius ratio eſt*: Quia Apoſtoli in hac poteſtate habebant ſe vt legati miſſi immediatè à Chriſto, in hoc autem munere legationis nullus ſucceſſit, & ideò nullus amplius vocatur Apoſtolus, in Eccleſia.

3 Alia poteſtas erat circa regimen Eccleſiæ, & Gubernationem eius, quæ pertinebat ad Eccleſiam, quaſi ad eius conſeruationem, & innitebatur poteſtati ordinis in Apoſtolis. Et hæc poteſtas debebat manere in Eccleſia per ſucceſſores eorum, iuxta illud Pauli ad Epiſcopos Actor 20. *In quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere, Eccleſiam Dei*. Et ad Titum 1. dicitur: *Vt conſtituas per ciuitates Preſbyteros*. Et quale ſit Epiſcopale munus ibidem declaratur: Et 1. *ad Timot.* 3. Nec Eccleſia conſeruari poſſet ſine regimine, & Gubernatione, alias non eſſet congregatio hominum ordinata; oportuit ergo in hoc regimine eſſe ſucceſſores. In his ergo dicimus quod illa loca Scripturæ, quæ tangunt hanc poteſtatem ordinis, & regiminis Eccleſiæ vnitatem ſupremæ poteſtatis deſignant in Petro, quod non fuit in reliquis Apoſtolis: & hoc etiam Patres affirmant, qui fatentur parem honorem in Apoſtolis fuiſſe, ſed non vnitatem capitis, vt in ſolutione primi argumenti oſtendetur. Et hoc patet; Nam quando Dominus loquitur Petro dans illi inter cæteros Apoſtolos aliquid peculiaris excellentiæ, & dignitatis ſemper deſignat aliquem actum regiminis, & ordinis, vt quando dicit: *Tu conuerſus confirma fratres tuos, Tibi dabo claues Regni Cœlorum, Paſce oues meas, &c.* In quibus ſemper denotatur actus regiminis. Quantum ad hoc ergo quod eſt regere, & Gubernare dicimus Apoſtolicam authoritatem vni eminentius collatam eſſe inter cæteros, & tanquam capiti Gubernationis, reſpectu omnium etiam Diſcipulorum Chriſti, vt notauit *Sanctus Damaſus Papa Epiſtol. 4. ad Stephanum, & Concilia Africa.* Vbi Petrum omnium membrorum Chriſti, maximèque Diſcipulorum, Orthodoxæque, & immaculatæ fidei Principem, & Doctorem appellat. Hoc ergo probamus in primis ex eo quod in veteri teſtamento fuit ordinariè vnus tantum Pontifex Summus ex officio, ſicut Aaron, & ſucceſſores eius, licèt extraordinarij Prophetæ cum aliqua extraordinaria poteſtate mitterentur ad Populum. Cæterùm officium, & dignitas Summi Sacerdotis tantum erat in vno, quod etiam ipſi Hæretici fatentur, & ex ipſa Scriptura patet, in qua Pontifex numeratur tanquam vna Perſona vt Aaron, deinde Eleazar, de Phinees, & alij multi, vt videre eſt *numer.* 20. *Deuteron.* 10. *&* 2. *Paralip.* 19. vnus Summus Sacerdos præſidens ponitur Amarias, & alibi ſæpè de aliis Pontificibus, quin *Ioan.* 11. dicitur de Caipha, *cum eſſet Pontifex anni illius*, Si ergo tunc Synagoga vnum viſibile caput habuit in Sacerdotio, & illa fuit Typus Eccleſiæ, & non ſolum Chriſti, cur & modo vnum caput non habebit.

Deinde Secundò id Probatur ex tribus præcipuè locis noui Teſtamenti, in quibus tria ponderanda ſunt, & ex illis ratio demonſtratiua contra Hæreticos conficienda. *Primum eſt* in his verbis deſignari poteſtatem, & authoritatem collatam. *Secundum* deſignari ſubiectum determinatum, cui confertur. *Tertium* deſignari vniuerſitatem ſubiectorum ſupra quæ confertur. De Primo, & Secundo latè ſupra, & de tertiò præter ibi dicta patet ex vniuerſalibus illis clauſulis *Quacumque ſolueris, Quacumque alligaueris.* Item *Confirma fratres tuos*, non hos, vel illos, ſed abſolutè *Fratres*: Item *Paſce oues meas* non has, vel illas, ſed quæ ſunt meæ, iſtæ autem ſunt omnes. Quæ eſt ponderatio *Innocentij* ſupra allata, & Bernardi in lib. 2. de conſideratione: *Oues meas* (inquit) *cui non planum eſt non deſignaſſe aliquas, ſed aſſignaſſe omnes; nihil excipitur vbi diſtinguitur nihil.* 14

Tertiò *Probatur* ex traditione Eccleſiæ à temporibus Apoſtolorum per dicta Pontificum, Conciliorum, & Patrum. Et in primis vnitatem Capitis ſæpiſſimè tradit Sanctus Cyprianus vt in lib. de ſimplicitate Prælatorum in principio: *Super vnum* (inquit) *ædificat Eccleſiam*, Et infrà: 15

Ioan. à S. Thom. in 2. 2. D. Thom.

Hoc erant vtique cæteri Apoſtoli quod fuit Petrus, pari conſortio præditi honoris, & poteſtatis, ſed exordium ab vnitate proficiſcitur, vt Eccleſia vna eſſe monſtretur. Quæ verba ſequutus Hieronym. lib. 1. contra Iouinianum ad tollendam ſchiſmatis occaſionem, vnum caput conſtitutum, dixit & ſi ſuper omnes Apoſtolos fundaretur Eccleſia: & ſimilia habent *Anacletus Epiſt.* 3. poſt principium, *Iulius I. Epiſt.* 1. in fine, *& Leo Papa Epiſt.* 81. in fine. *Gelaſius Epiſt.* 1. c. 11. Qui inquiunt *Quod licèt omnium Apoſtolorum par eſſet electio, vni tamen datum eſt, vt cæteris præmineret. De qua forma Epiſcoporum quædam orta eſt diſtinctio per quos ad vnam Sancti Petri ſedem vniuerſalis Eccleſiæ cura conflueret. & nihil à ſuo capite deſideret.* Idem conſtat ex Patribus ab ipſa Apoſtolorum traditione, vnitatem hanc in Eccleſia agnoſcentibus, nam in primis Sanctus Dionyſius, qui loquens de Eccleſia, quæ ſuo tempore gubernabatur ab Apoſtolis, Petro tribuit ſupremam authoritatem inter omnes, etiam Apoſtolos, dum inquit c. 3. de Diuinis Nominibus; *Aderat autem, & Petrus ſuprema, & antiquiſſima theologorum Summitas.* Sanctus Ignatius Epiſt. ad Philadelphienſes. *Vna eſt caro Domini* IESV, *& vnus ſanguis eius qui pro nobis effuſus eſt: Vnus etiam panis pro omnibus confractus, vnus calix totius Eccleſiæ, & vnus Epiſcopus ſimul cum omnibus Presbyteris, & Diaconis.* Quem loquendi modum ſequutus ſæpè eſt Sanctus Cyprianus, vt Epiſtol. 40 *Vna Eccleſia* (inquit) *eſt, & Cathedra vna ſuper Petram Domini voce fundata, quiſquis alibi collegerit, ſpargit.* Et libr. de exhortatione ad Martyrium: *Cum ſeptem liberis planè copulatur, & mater, origo, & radix quæ Eccleſias ſeptem poſtmodum peperit, ipſa prima & vna ſuper Petram Domini voce fundata.* Videatur etiam Epiſt. 55. & lib. de ſimplicitate Prælatorum vbi ſupra. Item Sanctus Dionyſius Papa Beato Cypriano æqualis Epiſt. 2. quæ habetur Tomo 1. Conciliorum. *Habemus* (inquit) *authoritatem vniuerſalis Eccleſiæ ſubuenire, & quidquid nociuum eſt authoritate Apoſtolica corrigere, & emendare.* Et infrà ſubdit: *Vnumquodque tunc ſalubriter completur officium, cum fuerit vnus ad quem poſſit recurrere præpoſitus.* Item Origenes ſuper initium Euangelij Ioannis. *Nemo nos exiſtimet Petro Ioannem præferre. Quis hoc fecerit? Quis enim eſſet altior illo qui eſt, & dicitur vertex eorum* Et Sanctus Chryſoſt. Homil. 55. in Matth. *Vocatur Petrus omnium Apoſtolorum os vertex conſortij totius, &c.* Et infrà. *Hunc vniuerſo terrarum orbi Chriſtus præpoſuit.* Sanctus Cyrillus Alexandri. lib. 2. Theſauri, quem etiam *D. Thom.* opuſculo 1. contra errores Græcorum. *Vt membra maneamus in capite noſtro Apoſtolico throno, &c. Ipſum venerantes, ipſum rogantes præ omnibus, quoniam ipſius ſolius eſt reprehendere, & corrigere, ſtatuere, ſoluere, diſponere, & loco illius ligare, qui ipſum ædificauit.* Et infrà: *Chriſtus nulli alij quod ſuum eſt, ſed ipſi ſoli dedit, cui omnes iure diuino caput inclinent, &c.* Item Auguſt. in lib quæſt. noui, & veteris teſtamenti quæſt. 75. *Sicut in Saluatore erant omnes cauſa Magiſterij, ita & poſt Saluatorem in Petro omnes continentur, ipſum enim conſtituit caput eorum* Denique Bernardus lib. 2 de conſideratione ad Eugenium. *Fortè præſentes cæteri condiſcipuli erant, cum committens vni oues, vnitatē omnibus commendauit in vno grege, & in vno Paſtore.* Et infrà: *Alij in partē ſollicitudinis, tu in plenitudinem poteſtatis vocatus es. Aliorum Poteſtas certis arctatur limitibus, tua extenditur, & in ipſos qui poteſtatem ſuper alios acceperunt.* Denique teſtimonia, quæ probant ad vnum ſummum Pontificem concilia confirmanda remitti, ad ipſum ab omnibus Epiſcopis appellari, ipſumque omnes vt Primam ſedem recognoſcere, clariſſimè oſtendunt vnitatem capitis Eccleſiæ. Hæc autem commodius aſſerentur infrà oſtendendo hanc authoritatem capitis ſupremi inueniri in Epiſcopo Romano, ne ſæpius eadem repetamus.

Quartò *denique Probatur*. Catholica iſta aſſer- 16
tio ratione: & inter alias præcipua ratio probans hanc vnitatem capitis eſt illa, quam *D. Tho.* poſuit in *præſenti articulo* ex vnitate fidei, & in *Additionibus quæſt.* 40. *artic.* 6. ex vnitate Eccleſiæ. Et ratio quæ deducitur ex vnitate fidei ſic efficaciter formatur. fides debet eſſe vna apud omnes, ergo quicumque habet authoritatem infallibiliter determinandi res fidei debet obligare omnes, qui illam determinationem audierint, ergo implicat eſſe poteſtatem ſupremam ad determinandum res fidei, & illi non ſubeſſe omnes fideles, quia omnes tenentur credere illi determinationi, ſiquidem pertinet ad fidem, & fides vna eſt. *Confirmatur, explicatur amplius iſta ratio.* Nam vel authoritas ſuprema determinandi res fidei eſt in multis quatenus congregantur in vnum, id eſt in Concilio, & Congregatione multorum, ſeu in multis copulatim, vel eſt in multis diuiſiuè, ita vt quilibet ſeorſum haberet poteſtatem determinandi res fidei infallibiliter. *Si Primum*, verum quidem eſt Congregationem Eccleſiæ non poſſe errare, cæterum hoc ipſo indiget aliquo habente poteſtatem ad congregandum: ſi autem ponenda eſt vna ſuprema poteſtas ad congregandum Concilia, etiam & conſequenter ad cognoſcendum de illa re ad quam congregat; eſſet enim magnum abſurdum quod Princeps haberet poteſtatem congregandi ſuos inferiores ad tractandum aliquod negotium, & ipſe non poſſet cognoſcere de eo quod tractant niſi tanquam vnus aliorum, & non vt ſuperior confirmando, vel infirmando ea quæ tractant. *Præterea:* Quia poteſtas hæc congregandi fundatur in poteſtate paſcendi, & confirmandi cæteros, ſicut dictum eſt, *Confirma fratres tuos.* Siquidem congregatio iſta ordinatur ad confirmandum res fidei, ergo ad quem pertinet congregare Eccleſiam, pertinet & confirmare. Si autem non eſſet poteſtas, quæ authoritatem haberet ad congregandum illos multos, in quorum congregatione eſt poteſtas determinandi res fidei, ſemper maneret dubium an eſſet legitima congregatio, & legitimum Concilium, cum non eſſet à quo congregarentur, & obligarentur legitimè conuenire in vnum, & ideò pateret locus ſchiſmaticis, & calumniis ſi vnus vellet, alter non vellet congregari, eſſetque moraliter impoſſibile ſine miraculo omnes vnanimiter conuenire. Quare id eſſet contra conuenientem rationem gubernandi Eccleſiā, & ſubueniendi neceſſitatibus occurrentibus circa ea quæ ſunt fidei, & ideò prouidè in antiqua Eccleſiæ Regula ſeruatum eſt, vt concilia ſine authoritate Apoſtolicæ Sedis congregata legitima non ſint, vt conſtat ex *Concilio Chalcedonenſi act.* 10. *in fine, & in lib.* 4. *hiſtoria tripartita c.* 9. habetur, *Regula Eccleſiaſtica iubet non oportere, præter ſententiam Romani Pontificis concilia celebrari,* &

legi

legi poteſt, *epiſt.* 1. *&* 2. *ſancti Marcelli Papæ, Iulius Papa epiſt.* 2. *cap.* 2. *Damaſus epiſt.* 3. *cap.* 2. *& epiſt.* 5. *ſanctus Athanaſius, & alij in epiſt. ad Felicem II.* multaſque alias authoritates congeſſit doctiſſimus vir *Antonius Auguſtinus lib.* 1. *de Pontifice maximo titul.* 6. *in* 1. *pag. ſuæ Epitomes.*

17 Quod *ſi dicatur* authoritatem; & poteſtatem ſupremam circa res fidei eſſe diuiſiuè in pluribus perſonis, puta diuerſis Archiepiſcopis, vel Primatibus, hoc ſit omninò implicatorium, nam hoc ipſo quod vnus eorum determinaret aliquam propoſitionem de fide ſi ad id haberet infallibilem authoritatem, non ſolum ſui ſubditi, ſed etiam omnes fideles, etiam aliorum Epiſcoporum ſubditi tenerentur acceptare illam determinationem, vt pote cùm eſſet infallibilis de fide, & fides ſit vna apud omnes; ergò in determinatione rerum fidei quilibet eorum debeat habere authoritatem ſuper omnes in ſolidum, & ſic ſuperfluè alij ponebantur hanc ſupremam authoritatem habere, cùm vni neceſſariò omnes deberent ſubeſſe, hoc ipſo quod infallibiliter definiret.

18 Ex vnitate etiam Eccleſiæ deducitur idem argumentum. nam ſi eſſent plures ſupremæ poteſtates habentes diuerſas Eccleſias ſubiectas, vel in his eſſent eadem ſacramenta, eadem fides, idem ſacerdotium, & idem Euangelium, vel non. *Si non eſſet*; ergò non eſſet modo vnum ouile nec vna Eccleſia, quia non conſtaret eodem ſacerdotio, & conſequenter non eſſet eadem lex noua apud omnes, ſiquidem tranſlato ſacerdotio neceſſe eſt, vt & legis tranſlatio fiat, vt ait *Apoſtolus ad Hebr.* 7. & ſic diuiſo ſacerdotio, diuiſa eſſet lex & Eccleſiaſt. *Si autem* deberent apud omnes eſſe eadem ſacramenta, idem ſacerdotium, & ritus, atque eadem lex Chriſti, fruſtra eſſent plures ſupremi Sacerdotes, & plura capita, ſiquidem omnes eodem modo deberent gubernare, & conuenire in his quæ ſunt de ſubſtantia religionis, & ſolùm poſſent differre in his quæ ſunt accidentales cæremoniæ, aut conſuetudines: ſicut modo in diuerſis Eccleſiis diuerſæ ſunt conſuetudines, quæ vt obſeruentur non requirunt ſupremam authoritatem in quolibet Epiſcopo: ſi autem in his quæ ſunt de ſubſtantia religionis omnes illæ ſupremæ poteſtates deberent eodem modo conuenire, & eodem modo regere, aliàs ſi vnus aliter ſe haberet quam alter periret vnitas fidei, & religionis Eccleſiæ, multò melius id efficitur per vnum, quia maius miraculum eſt plures habentes ſupremam poteſtatem conuenire omnino, & numquam diſcrepare, quam ab vno gubernari ea quæ ſub vna lege Euangelica, & vno Sacerdotio, ac religione continentur præſertim quia licet vnus ſit in plenitudine ſupremæ poteſtatis, tamen multi alij vocati ſunt in partem ſollicitudinis, ſcilicet multi Epiſcopi, & alij miniſtri inferiores, quibus totum hoc corpus Eccleſiæ regitur. Vnde vna ex rationibus, quibus Theologi, & Philoſophi probant dari vnum Deum eſt ex regimine totius vniuerſi, quia ſi duo ſuprema principia gubernarent non poſſet in omnibus eſſe eadem vniformitas, & vnitas regiminis.

19 Ex dictis refutata manet Hæreſis Anglicana quatenùs ponit in quocumque Rege ſupremo eſſe ſupremam authoritatem ſpiritualem circa regimen Eccleſiæ, nec enim vnitas Eccleſiæ ſecundum quod conſiſtit in vnitate ſacerdotij, & adminiſtratione ſacramentorum, & eadem lege Euangelica, nec vnitas fidei ſeruari poſſit niſi omnes eidem determinationi infallibili rerum fidei ſubſint, vt explicatum eſt. Specialiter autem id non pertinere ad Reges temporales expreſsè impugnauit ſanctus Ambroſius ſcribens ſuper hac re ad Imperatorem Valentinianum, *epiſt.* 32. vbi ſecundum Scripturas oſtendit Epiſcopos debere de Imperatoribus iudicare in cauſa fidei, non è contra: & idem oſtendit epiſt. 33. *Noli inquit te grauare, &c.* Vnde eſt illud celebre dictum Ioan. Papæ c. ſi Imperator 96. diſt. *Si Imperator Catholicus eſt, filius eſt, non Præſul Eccleſiæ, quod ad religionem competit, diſcere ei conuenit, non docere.* Videri poſſunt plures authoritates in tota illa *diſt.* 96. per plura capita, *& c. ſolitæ de maioritate, & obed.* Nec obſtat fundamentum inferius adducendum pro iſta hæreſi Anglicana: *Tum* quia falſum eſt Reges temporales immediatè inſtitutionem accepiſſe à Deo ſed mediante populo, ſeu Rep. nam hoc ipſo quod homines voluerunt politicè viuere, habuerunt quoq; ius conſtituendi ſibi caput politicũ, quod eos gubernaret, vnde non eſt eadem forma regiminis data omnibus, ſed quidam à pluribus, alij ab vno gubernantur, nec tamen à Deo immediatè mutantur iſtæ formæ regendi, ſed à populo, ſeu Republica. *Tum etiam* quia dato quod inſtitueretur à Deo, non tamen inſtituitur Rex vt habens poteſtatem ſpiritualem, ſed ſolum temporalem. Et de facto in lege veteri ſcripta Reges non habuerunt ordinariam poteſtatem ſpiritualem, niſi fuitè aliquis eorum tanquam Propheta ex ſpeciali Dei commiſſione eam exerceret, ſed diſtinguebantur Reges à ſummis Pontificibus, nec eorum munera exercebant, vnde Oziæ volenti adolere incenſum dixit ſummus Sacerdos 2. Paralip. 26. *Non eſt tui officij Ozia vt adoleas incenſum Domino, ſed Sacerdotum.* Nec Apoſtolus iuſſit Regibus obedire in ſpiritualibus, ſed in temporalibus, vt ita redderentur quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & non alij: & in eo ſenſu loquitur diuus Petrus, nec in ſpiritualibus nos iubet ſubijci Regibus, ſed propter humilitatem id fecit, vt dicit *Innocent in cap. Solitæ.* Verba autem Tertulliani ſufficienter intelliguntur quod Reges habeant poteſtatem conſequutam à Deo non immediatè, ſed mediante populo, & quod ſint ſolo Deo minores in temporalibus non in ſpiritualibu

Soluuntur Argumenta.

Circa primum ergò arguitur ad probandum quod athoritas iſta nõ ſit tantum in vno. Nã in primis omnes Apoſtoli æqualem acceperunt poteſtatem à Chriſto, nam ſicut Petro dictum eſt *Tibi dabo claues regni Cælorum, & quodcumq; ligaueris ſuper terram erit ligatum & in Cælis*: Sic omnibus Apoſt. dictum eſt, Matt. 18. *Quocumque alligaueritis ſuper terrã erunt ligata & in Cœlo.* Imò S. Leo Papa *ſerm.* 3. anniuerſarij ſui illum locum, *Tibi dabo claues &c.* ad omnes Apoſtolos pertinere dixit, nã verba illa proponens, *tranſiuit* (inquit) *in alios Apoſtolos vis poteſtatis iſtius, & ad omnes Eccleſiæ Principes decreti huius conſtitutio commeauit.* Ergò in illo loco non cõmemorat primatus Petri magis quã aliorum Apoſtolorum & ſic authoritas circa res fidei non conuincitur

ad vnum pertinere. Idem ſentiunt ſancti Patres, vt Cyprianus lib. de ſimplicitate prælatorum. *Hoc* (inquit) *erant & cæteri Apoſtoli quod fuit & Petrus pari conſortio prediti, & honoris & poteſtatis.* & ſanctus Hieron. lib. 1. contra Iouinianum. *ſuper omnes Apoſtolos fundatur Eccleſia, & cuncti claues Regni Cælorum accipiunt, & ex æquo ſuper eos Eccleſiæ fortitudo ſolidatur.* difficilius Clem. Alexand. citatus ab Euſebio, lib. 2. hiſtoriæ c. 1. inquit: *Petrus Iacobus & Ioannes poſt aſſumptionem Saluatoris quamuis ab ipſo fuerint omnibus penè Prælati, tamen non ſibi vendicabant primatus gloriam, ſed Iacobum, qui dicebatur Iuſtus Apoſtolorum, Epiſcopum ſtatuerunt.* Epiſcopus autem Apoſtolorum neceſſariò debebat habere primatum in Eccleſia. & *Chryſoſt. Homil.* 3. *in act.* 1. inquit: *Apoſtolos Iacobo conceſſiſſe ſolium.* Igitur non conſtat primatum Eccleſiæ in vno Petro, aut eius ſucceſſore manſiſſe.

2 Confirmatur quia in lege veteri non fuit Pontificatus ſupremus ſolum in vno, ergò neque id videtur ſeruandum in lege noua. *Conſequentia patet à fortiori.* Nam ſi populus Iudaicus cum eſſet tam exiguus vno Pontifice contentus non erat multò magis totus orbis. Item quia præcipuam rationem vnitatis, & Monarchici regiminis in Eccleſia ex forma legis veteris ſumunt Catholici, vt videre eſt in *Bellarm. lib.* 1. *de Romano Pontifice cap.* 9. *antecedens etiam patet.* Nam de tempore Dauid Sadoc, & Abiathar erant ſummi Sacerdotes, & de Sadoc patet, quia deſcendebat ex Aaron per familiam Eleazar, vt habetur 1. *Paralip.* 24. & ille præerat cæteris omnibus: Abiathar autem erat ſummus Sacerdos; qui deſcendebat ab Aaron per familiam Ithamar, qui etiam cæteris omnibus præfuit vſque ad Salomonem qui eum depoſuit, & poſuit Sadoc pro eo, vt habetur 3. *Regum* 1. Et fortius hoc vrgetur quia vt ibidem dicitur *Domus Eleazar præerat cæteris*, & ex cap 25. *numeror.* conſtat quod domui Eleazar per Phinees promiſſum eſt pactum ſacerdotij ſempiternum, vnde non poterit deficere quin Sadoc deſcendens ab Eleazar, & à Phinees eſſet ſummus Sacerdos; & tamen inuenimos Heli, & Achimelech. & Abiathar tempore Dauid fuiſſe ſummos Sacerdotes, qui deſcendebant per Ithamar, vt habetur 1. *Paralip.* 24. & Abiathar fuiſſe ſummum Sacerdotem conſtat, quia vt vidimus ab eo officio depoſitus eſt à Salomone. Ergò non fuit primatus ſacerdotij in vno tantum in lege veteri, ergò neque in noua conſtitui debet.

3 Reſpondetur ex dictis omnibus Apoſtolis eſſe datam parem authoritatem quaſi extraordinariam, & delegatam in ratione Apoſtolatus, non tamen æqualem in ratione ordinaria poteſtatis ad gubernandam Eccleſiam. Quod autem dictum ſit omnibus *Quæcumque alligaueritis*, non eſt dictum illis, & eorum ſucceſſoribus tanquam ſupremis poteſtatibus, ſed vt miniſtris ligandi, & ſoluendi, dependenter tamen ab vna ſuprema poteſtate cui claues iſtæ ſoluendi, & ligandi datæ ſunt, ſcilicet Petri: vnde neque in illo loco *Matt.* 18 quando dicitur *quæcumq; alligaueritis, &c.* dicitur dari eis claues ſicut Petro, ſed miniſterium ligandi, & ſoluendi, quod veriſſimum eſt. Patres autem qui in argumento proferuntur apertè pro nobis ſunt, quia ita dicunt Apoſtolos fuiſſe pares in honore, & poteſtate, quod tamen habuerunt vnum caput, vt vnita ſeruaretur, & ſchiſmatum tolleretur occaſio, vt patet in illis ipſis verbis Hieronymi, Leonis, & Cypriani, qui ibi citantur, vtrumque enim dicunt ibidem. Illa autem verba Clementis apud Euſebium exiſtimat Bellarminus non eſſe legenda, quod Iacobus fuit conſtitutus Epiſcopus Apoſtolorum, ſed Epiſcopus Ieroſolymorum, quod verum eſt, & ita habetur in editione Pariſienſi 1571. in libro hiſtoriæ Eccleſiaſticæ.

Ad *Confirmationem reſpondetur* magnam eſſe 4
difficultatem apud ſacros Interpretes de illis duobus ſummis Sacerdotibus Sadoc, & Abiathar qui fuerunt tempore Dauidis. Et omnes videntur ſupponere tunc in rei veritate duos fuiſſe ſummos Pontifices, id tamen non ſecundum legem ordinariam factum, nam lex omnia quæ loquitur de ſummo Sacerdote tanquam de vno loquitur, vt *exod.* 29. *Leuitici* 21. *num.* 18. Idque conſtat ex linea, & ſucceſſione ſummorum Pontificum, qui fuerunt 82. ab Abraham vſque ad vltimum quando incenſa eſt ciuitas, & templum tempore Titi, ſicut latè illos numerat *Abulenſis* 1 *Paralip.* 6. *quæſt.* 8. & videri poteſt *Rodulphus lib.* 4. *in Leuit. cap.* 3. *Carolus Lionius lib.* 5. *de Rep. Heb. cap.* 2. Cum ergò ſolùm tempore Dauid inueniamus ſimul duos ſummos Sacerdotes, quidam exiſtimant id non iure fuiſſe factum, ſed iniuſtè fundati forſitã in eo quod dicit *Aug. lib.* 3. *q. in leuit. q.* 33. *in fin.* Quod ex contentione cõtigit plures fuiſſe ſummos Sacerdotes, quod contendentibus excellentioribus litis finiendæ cauſa pluribus honor ipſe tribuebatur, *Abulenſ. ſup.* 1. *Paralip. cap.* 14. *quæſt.* 14. exiſtimat aliqualiter factum fuiſſe contra legem in eo quod eſſent duo ſummi Pontifices, quamquam Dauidem excuſat quod ipſe non illos fecit, ſed tolerauit, quia non videbat quomodo eis auferre poſſet ius ſuum. *Mendoza* 1. *Reg.* 2. *num* 32. exiſtimat ex diuina ordinatione fuiſſe duos illos ſummos Sacerdotes, quia vnuſquiſque ius ſuum habebat. Alij denique exiſtimant non fuiſſe vtrumque ſummum Sacerdotem, ſed vnum ſe habuiſſe tanquam coadiutorem, aut vicarium alterius, ſicque manſiſſe ſemper vnum ſupremum caput inter Sacerdotes.

Exiſtimo tamen iuxta dicta *Abulenſis & Au-* 5
guſtini contigiſſe tunc duos fuiſſe ſummos Sacerdotes ex aliquo rationabili dubio propter quod ignorabatur, ſeu non plenè diſcernebatur ius vtriuſque ad ſummum Sacerdotium, quouſq; tempore Salomonis, vt paulò ante iudicatus eſt Sadoc verus, & legitimus Sacerdos, cui de iure competebat, ſicut etiam de tempore *Concil. Conſt.* in illo grauiſſimo ſchiſmate tres fuerunt Papæ ſimul, quorum quilibet habebat ſuum ius præſumptum, & tolerati fuerunt ſic quouſq; omnibus abdicatis *Martinus V.* creatus eſt. Sic ergò dicendũ fuiſſe tũc dubiũ de iure vtriuſq. ad ſummũ ſacerdotiũ tempore Dauidis, & durante illo permiſſos fuiſſe duos in titulo ſummi ſacerdotij. Dubiũ autem inde ortum erat quod cum eſſent duæ familiæ deſcendentes ab Aaron, vna per Eleazar, altera per Ithamar, ſummum Sacerdotium primo anneaum fuit familiæ Eleazar in qua durauit vſque ad tempora Sanſonis, vt docet *Abulenſis* 3. *Reg.* 2. *q.* 10 Tunc autem propter peccata illorum aut ineptitudinem ceſſauit in filiis Eleazar ſummum ſacerdotiũ ex Heli voluntate & tranſiuit ad Heli de familia Ithamar, & in linea, ſeu progenie Heli aliqui habuerunt ſummũ ſacerdotium vſq;

ad

ad mortem Abimelech, quem interfecit Saul 1. *Reg.* 22. in odium Dauid. Exinde orta eſt diuiſio eo quod Abiathar filius eius Abimelech fugit ad Dauid, ab eoque retentus eſt in officio, eo iure quia erat filius eius, qui ſummo Sacerdotio functus fuerat. Sadoc verò apud Saulem eo iure intrauit, quia interfectis à Saule Sacerdotibus deſcendentibus ab Heli, redibat ſummum Sacerdotium iterùm ad familiam Eleazar, videbaturque habere potius ius propter pactum ſactum à Deo cum Phinees filio Eleazari; quod in domo eius perpetuò maneret Sacerdotium. Cū ergò Dauid ſucceſſiſſet Sauli, vterq; iſtorum in officio toleratus eſt, quandiu ius eorum non fuit ita clarum quamquam poſtea inceperit clareſcere ius Sadoc quando Dauid conſtituit, vt familia Eleazari præeſſet cæteris 1. *Paralip.* 24. Et deinde declinante Abiathar poſt Adoniam cōtra Salomonē vnctus eſt Sadoc in Pontificem 1. *Paralip.* 29. tandemq; executiuè à Salomone eiectus eſt Abiathar, ſeu declaratus non eſſe Pontificem, ſed ſolùm Sadoc. 3. *Reg.* 2. quod à Dauide factum fuiſſe erga Abiathar authoritate Prophetica, magis quam regia indicat Innoc III. epiſt. quadam ad Imperatorem Conſtantinopo. ex qua ſumptum eſt. *Caput Solita de maioritate, & obedientia.*

6 Quod *ſi inquiras*: quiſnam eſſet Pontifex pro illis, qui credebant extra Iudæos, & habebant veram fidem Dei, & vtebantur Sacramentis legis naturæ pro iuſtificandis paruulis; nec enim iſti ſubdebantur ſacerdotio Iudæorum, & tamen non poterant veram fidem habere; ergò non obſtat vnitati fidei pluralitas Sacerdotij, & ſupremi capitis in rebus fidei *Reſp.* incertum eſſe quomodo in illo ſtatu naturæ, qui valdè imperfectus erat, gubernabatur ordo Eccleſiaſticus & religio fidei forſitan enim in his quæ dubia erant per Prophetas inſtruebantur homines magis quam per Pōtifices, erat. n. tunc valdè implicita fidei doctrina, nec tamen ante legem defuit ſacerdotium, nam Melchiſedec fuit Sacerdos, & Enos cœpit inuocare nomen Domini *Geneſ.* 4. In his ergò qui extra Iudæos manſerunt cum cognitione veri Dei, & cæremoniis legis naturę Sacerdotium, ſi quod fuit permanebat in primogenitis, & quia erat diuerſa lex apud Iudæos diuerſum quoque erat ſacerdotium, quia tranſlata lege transfertur ſacerdotium, vt dicit *Apoſt. ad Heb.* 7. De modo autem conſulendi dubia in rebus fidei, an ipſis per Prophetas, vel reuelationum Oracula prouideretur, vel alio modo incertum eſt; hoc tamen non obſtat vnitati fidei, nā illis Gentilib. quibus magis explicabatur fides per reuelationē extraordinariā quaſi per modum prophetiæ fiebat, vt cenſet *d. Tho.* 2. 2. *q.* 2. *art.* 7. *ad* 3. quibus autem non fiebat iſta reuelatio ſaluabantur per fidem implicitam: & poterant conſulere Prophetas illos, ſicut etiam apud Iudæos fuerunt prophetæ, etſi Sacerdotes eſſent.

7 Secundò *Arguitur* ex cap. olim 95. diſt. Vbi S. Hyeronymus manifeſtè dicit ſuperioritatem vnius Epiſcopi ſuper Presbyteros introductam eſſe iure poſitiuo, ſeu cōſuetudine, non verò iure diuino, ſed fuiſſe omnes æquales, ergò ſtādo in iure diuino non repugnat authoritatem gubernandi Eccleſiam, aut determinandi res fidei eſſe in pluribus: *Olim* (inquit Hyeronymus) *idem erat Presbyter, qui Epiſcopus, & antequam diaboli inſtinctu ſtudia, vel ſchiſmata in religione fierent communi presbyterorum Concilio Eccleſiæ gubernabantur.* Et infra, *Sicut ergò Presbyteri ſciunt ſe ex Eccleſiæ conſuetudine ei qui ſibi prapoſitus fuerit eſſe ſubiectos, ita Epiſcopi nouerint ſe magis conſuetudine, quam diſpenſationis dominicæ veritate Presbyteris eſſe maiores, & in communi debere Eccleſiam regere.* Ergò ſi regimen Eccleſiæ communiter pertinet ad Epiſcopos, & Presbyteros, & ſolùm conſuetudine quodam ſunt ſuperiores; ergò & authoritatem determinandi res fidei ſuper alios Presbyteros, vel Epiſcopos ex conſuetudine ſolum habere poſſunt; ex ſe autem omnes id haberent attendendo ad ius diuinum. Idem habet *Hiero. epiſt. ad Euagrium, & habetur in cap. legimus* 93 *diſt.* Idem etiam videtur ſentire Ambroſ. in 1. epiſt. ad Timot. cap. 5. *Et Sinagoga* (inquit) *& poſtea Eccleſia ſeniores habuit, quorum ſine coſilio nihil agebatur.* Et Origen. ſup. cap. 16. Matt. *Petrus* (inquit) *& omnis qui imitator eſt Christi, & ſupra omnes huiuſmodi ædificatur Eccleſia, ſi autem ſuper illum vnum Petrum arbitraris vniuerſam Eccleſiam ædificari, quid dicis de Iacobo, & Ioanne, vel ſingulis Apoſtolis?* confirmatur etiam ex illis verbis *act.* 20. *Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* Vbi non vnum Epiſcopum vniuerſo gregi & Eccleſiæ, ſed multos regimini eius præponit; ergo hæc authoritas non eſt penes vnum.

Reſpondetur, quod attinet ad Hieronymum, 8
ipſum pluribus in locis ſenſiſſe debere dari ſuperioritatem in Epiſcopis reſpectu aliorum Sacerdotum, vt in *epiſt.* 2. *ad Nepotianum* vbi dicit hoc eſſe modò Epiſcopus, & Sacerdotes, quod Aaron, & filij eius erant. Et in *epiſt. ad Ruſticum.* Debere eſſe in Eccleſia vnum quem omnes ſequantur oſtendit: Et *in dialogo aduerſus Luciferianos*, inquit, *quod Eccleſiæ ſalus in ſummi Sacerdotis dignitate pendet, cui ſi non exors quædam & ab omnibus eminens detur poteſtas, tot in Eccleſia efficiuntur ſchiſmata, quot Sacerdotes.* Cæterùm licet hoc ſenſerit *Hieron.* difficille tamen eſt planum ſenſum reddere illis verbis, quæ in argum. citantur, & variè expoſitores in eorum explicatione torquentur. *Bellar. lib. de Rom. Pontifice c.* 8. dicit quod *Hieron.* videtur in ea fuiſſe ſententia, vt exiſtimaret Epiſcopos quantum ad iuriſdictionem eſſe maiores Presbyteris de iure Eccleſiaſtico, quod tamen eſt falſum. Addit q; *Hieron.* ſolum loqui de particularibus Eccleſiis, non de regimine Eccleſiæ vniuerſalis. Similiter *Caſtro lib.* 6. *contra hæreſes* Verbo *Epiſcopus.* Hieron. In illa ſententia falli exiſtimat, nec eum excuſat niſi fortè quia illa doctrina nondum fuerat in Quæſtionem deducta, nec ab Eccleſia definita. Cæterum in hoc planè deceptus eſt *Caſtro* Quomodo enim ignorare potuit *Hieronymus* recentem tunc hæreſim Arrianorum, qui vt refert *Aug. lib. de Hæreſibus ad Quoduuldeum hæreſi* 53. dicebant Presbyterum ab Epiſcopo nulla differentia debere diſcerni: *Aug.* autem contemporaneus fuit *Hieronymi*, & ideò ſi *Hieronymus* hanc doctrinam tenuit errauit in doctrina, quæ in quæſtionem fuerat mota, & ab Eccleſia definita, ſeu in hæreſim redacta, cui nullo modo fauiſſe Hieronymum putandum eſt. Vnde Hieron. ad rectum ſenſum interpretatus Turrecremata ſuper dictum *Caput olim* 95. *diſt.* Quod quando dicit Hieron. *olim idem fuiſſe Presbyterum, qui & Epiſcopus,* loquitur de appellatione, & nomine, non de poteſtate, & ordine, eodem. n. vocabulo cōmuniter

conſebantur, non tamen eandem poteſtatem habebant. Poſtea verò ne ſciſmata fierent etiam in vocabulis & appellatione diſtinctio facta eſt. Et quando dicit, quod in communi tractabantur negotia, non loquitur quantum ad Prælationem, ſed quantum ad Concilium tractatum, & conſenſum, quia multa non poteſt Epiſcopus ſine Presbyteris, & Clericis facere Et idem ſentit *Gloſſa* cum *Hugone in c. legimus 93. diſt* Denique author confeſſionis *Hieronymianæ tom. 3. cap. 11. art. 7.* nimis ſenſum Hieronymi torquet dicens Epiſcopos, & Præsbyteros eſſe æquales quaſi ea primaria intentione Chriſti, ex ſecundaria autem ſcil. ex hypoteſi ſchiſmatum, à Chriſto diſtinctio facta eſt. Cæterùm hoc modo etiam Epiſcopi eſſent æquales Laicis, quia ex primaria intentione nullus eſſet gradus ſuperioritatis, nec Hyeronymus loquitur niſi de eo quod à Chriſto de facto inſtitutum eſt, cum dicit quod Eccleſiæ gubernabantur in communi à Præſbyteris, & Epiſcopis.

9 Quare his omnibus relictis exiſtimo ſenſum ſancti Hieronymi accipiendum eſſe ex his quæ docet *Epiſt. 2 ad Nepotianum, & Epiſt. ad Ruſticum Narbonenſem Epiſcopum*, & citatur *in cap. Ecce ego 95. diſt.* Senſus ergò Hieronymi eſt reprehendere in duobus quorumdam Epiſcoporum arrogantiam qui volentes dominari in clerũ, nec permittebant Presbyteros in Eccl. docere, nec in negotiis Eccleſiarum ſe immiſcere, cùm tamen ab initio per eos negotia iſta tractarentur, quia vt dicitur in *dict. cap. Ecce ego*, Presbyteri ab initio iudices negotiorum eſſe mandati ſunt, ſicut nunc etiam videmus quod multa, quæ pertinent ad negotia Eccleſiæ, & eius temporalem gubernationem non Epiſcopus facit, ſed capitulum. De iſta ergò gubernatione negotiorum loquitur Hieron & etiam de poteſtate docendi quando dicit quod *olim idem erat Presbyter, qui Epiſcopus. Et quod in communi gubernabantur Eccleſiæ.* Gubernatione ſcilicet temporalium, & quoad negotia, quæ etiam in Conciliis prouincialibus, aut Synodalibus aliquando agitabantur, in quibus intereſſe debebant Præsbyteri, etſi non eodem modo ſuffragium ferre Vnde & Hyeron ipſe dicit *in d. Epiſt. ad Ruſtic.* cum Epiſcopis loquens, *Dominici patrimonij damna coaequiritis dum ſoli vultis in Eccleſia potentari.* Et in epiſt. ad Nepotianum. *Peſſime conſuetudinis* (inquit) *eſt in quibuſdam Eccleſiis tacere Presbyteros, & ſe tentibus Epiſcopis non loqui, quaſi eis inuideant.* Igitur quia forſitan ea communi illa gubernatione Epiſcopi, & Presbyterorum aliqua occaſio ſchiſmatum oriebatur, introducta eſt maior aliqua Epiſcoporum ſuperioritas in regendis Eccleſiæ negotiis, & patrimonio, qua poſtea Epiſcopi aliqui abutebantur, contra quos *Hieron.* inuehitur. quaſi id habeant ex Eccleſiæ conſuetudine non ex determinatione diuina. Verũ eſt aliquando velle eos æquiparare in nomine, & appellatione *Presbyteri*, quaſi idem ſit *Presbyter*, quod *Senior* ſicque illud nomen conuenire Epiſcopis. vt *cap. legimus 93. diſt* ſed hoc non obſtat noſtro Propoſito. Idem etiam eſt ſenſus verborum Ambroſii. Origenes autem magis loquitur ſecundum ſenſum myſticum, quàm litteralem. *ad confirmationem reſpondeo*, Apoſtolum dicere in plurali *Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*; quia includit, & ſupremum caput, & reliquos principaliter gubernantes, qui ſunt vocati in partem ſollicitudinis habentque ſuas peculiares Eccleſias, licet non in plenitudinem poteſtatis reſpectu totius Eccleſiæ: ſicut ſi diceremus exercitum regi à Ducibus, non proinde excluditur ſupremus Dux.

Tertiò *arguitur*, nam ſi eſſet neceſſaria iſta ſuprema authoritas in vno maximè vt ſeruaretur vnitas Eccleſiæ ratione vnius capitis, ſed ad hoc non requiritur: ergò *minor probatur primò*: nam Eccleſia habet vnum ſupremum caput quod eſt Chriſtus; Pontifex autem, & Epiſcopi ſunt eius Vicarij in terris, ſed in aliqua Monarchia ſufficiẽter ſaluatur vnitas ratione huius ſupremi Regis, licet eius Vicarij, & Proreges multi ſint, quorum ſinguli habent in ſuo vicariatu indepẽdentem poteſtatem, ergò licet ad ſaluandam vnitatem Eccleſiæ ſit neceſſaria vnitas capitis ſupremi, non tamen exigitur vnitas in eo qui gubernat tanquam Vicarius huius capitis. *Secundò*; quia Eccleſia, ſeu regimen Eccleſiaſticum diffunditur per totum mundum, ſicut & regimen politicum: ſed ſufficientiſſimè prouidetur regimini politico per hoc quod ſint plures Reges pro diuerſis Regnis, quorum vnus ab alio nõ pendeat; ergò ſufficienter etiam prouidetur regimini Eccleſiaſtico ſi ſint plures poteſtates ſupremæ, puta plures Archiepiſcopi, vel Primates, quorum ſinguli in ſuis Prouinciis habent independentem authoritatem & ſupremam in gubernatione Eccleſiæ, & determinatione rerum fidei. Neque ex hoc deſtruitur vnitas fidei: *Tum quia* non minor vnitas fidei fuit in primitiua Eccleſia quam modo, & tamen tũc poteſtas Apoſtolica quę eſt ſuprema in regimine Eccleſiæ (dicente Paulo ad Corinth. 12. *Poſuit Deus in Eccleſia primùm Apoſtolos, deinde Prophetas*, in quibus verbis denotatur authoritatem Apoſtolicam primam eſſe in Eccleſia) fuit in 12. hominibus & non in vno ſolo, licet vnus fuerit ordinarius Paſtor Eccleſiæ (vt Paulus dicebat ad ſe attinere ſollicitudinem omnium Eccleſiarum 2. *ad Cor.* 11.) ergò neque periret vnitas fidei ſi eadem poteſtas Apoſtolica in ſucceſſoribus continuaretur, & non ſolùm in ſucceſſore Petri. *Tum etiam*, quia ſi plures Primates haberent ſupremam authoritatem in proponendis rebus fidei, ſeu per id ipſum dicerent, & conſequenter maneret eadem fides, licet à pluribus determinaretur: ſicut etiã in Concilio generali eadem fides determinatur, & docetur, licet plures ſint qui ad illud conueniant, ergò ex vnitate fidei non ſufficienter probatur vnitas capitis Eccleſiæ. *Et denique confirmatur* ex illo difficili loco apud Concilium Nicænum, vbi *Canone 6* ſic dicitur: *In Ægypto, Lybia, & Pentapoli Alexandrinus Epiſcopus omnem habebat poteſtatem. quia Romano quoq; Epiſcopo hæc conſuetudo eſt* Ergò æqualis poteſtas tribuitur Alexandrino Epiſcopo quoad illas Prouincias, ac Epiſcopo Romano & ſic non repugnat apud plures eſſe ſupremam poteſtatem in Eccleſia.

Reſpondetur *negando minorem.* Ad primam probationem *Dicitur*, non ſolùm Eccleſiæ vnitatem requirere vnum ſupremum caput abſolutè, & in omni genere prout comprehendit omnes ſtatus Eccleſiæ ſiue in terris, ſiue in cœlis, ſed etiam vnum ſupremum caput in ſtatu viſibili, & in regimine viſibili huius vitæ (quia Eccleſia eſt vnum corpus viſibile) ſiquidem etiam regimen quod Eccleſia habet pro iſto ſtatu ad vnitatem reducitur, quia habet vnam legem, vnam

fidem

fidem, eadem ſacramenta, & ritus, vnde Apoſtolus probat eſſe vnum corpus, quia *vno pane, & vno calice participamus*. Si ergo forma regiminis vna fuit oportuit ad hanc ſeruandam vnitatem vnum eſſe Principatum, ſeu Sacerdotium viſibile, nec per plures ſupremas poteſtates inter ſe independentes gubernari, vt oſtenſum eſt. Pontifex enim in Eccleſia nil tantè ita eſt Vicarius Chriſti Domini, quod in genere gubernationis viſibilis eſt ſuprema poteſtas: ſicut Reges in temporalibus ſunt Vicarij Dei, ita tamen quod ſunt etiam ſupremi in genere temporalis gubernationis. Vnde in his non tenet ſimilitudo in argumento allata, de vno Rege in regno habente plures Vicarios, ſeù Proreges in diuerſis Prouinciis inter ſe independentes, quia illi Proreges non ponuntur ad conſtituendam vnitatem gubernationis, & Principatus viſibilis; hæc enim in ipſo rege conſtituitur: ſed vt Miniſtri, ſeu Officiales minus Principales intra idem regnum. Pontifex autem ponitur in Eccleſia vt Vicarius Chriſti Domini tanquam caput conſtitutiuum viſibilis Principatus Chriſtiani, & Sacerdotij Eccleſiæ; vnde cum Eccleſia ſit viſibilis Reſpublica remoto Pontifice non remanet caput aliquod viſibile, ſed ſolum inuiſibile, quod eſt Chriſtus, vnde non ſeruaretur vnitas Principatus viſibilis, licèt ſeruaretur vnitas in alio ſuperiori genere: ſicut ſi non eſſet Rex non ſeruaretur vnitas in genere temporalis regiminis, licèt maneret vnitas in genere regiminis Dei ſuper totum vniuerſum.

12 Ad *Secundam probationem Reſpondetur* conſtare ex dictis diſparitatem rationis inter regimen politicum temporale, & Eccleſiaſticum: nam in temporalibus non eſt vnitas Principatus, nec vna lex pro omnibus regnis, & ideò non eſt mirum quod per diuerſos reges gubernetur: in ſpiritualibus autem habemus vnam fidem, vnum Sacerdotium, eoſdem ritus, legem, & ſacramenta, & ſic oportet etiam vnum habere caput, & Principem totius huius regiminis. *Ad id verò quod additur impugnando rationem reductam ex vnitate fidei. Reſp.* in primitiua Eccleſia fuiſſe authoritatem Apoſtolicam in pluribus quaſi extraordinariè, & delegatè propter neceſſitatem fundandi Eccleſiam tunc in toto mundo, cum reſpectu tamen, & ordine ad vnum caput, quod paſceret omnes oues Eccleſiæ, & propterea Apoſtolica authoritas ordinario modo, & vt pertinebat ad regimen Eccleſiæ etiam tunc fuit in vno, vt ſupra probatum eſt. Extraordinario tamen modo non eſt inconueniens fuiſſe in pluribus propter neceſſitatem illius temporis, nempe fundationis Eccleſiæ, qua remota manſit poteſtas Apoſtolica ſolum in vno capite. Et ſicut etiam in Prophetis, & Scriptoribus Canonicæ Scripturæ fuit authoritas tradendi res fidei quaſi fundando illam, qui tamen fuerunt plures; & hoc ideò eſt, quia authoritas fundandi fidem, aut Prophetandi, &c. reſpicit vnitatem fidei, quatenùs ſolum tenet ſe ex parte Dei reuelantis, aut dictantis ex qua parte ſemper eſt vna, licèt ſint multi per quos loquatur: ita authoritas determinandi dubia fidei, & confirmandi in illa reſpicit tollere diuiſionem, & ſchiſmata ex parte noſtri, ad quod requiritur vt id ipſum dicamus omnes, quod fieri non poteſt niſi illi qui infallibiliter dubia fidei determinat, omnes ſubdantur. Quod autem id poſſit conuenire Concilio Generali iam explicatum eſt, conuenire Concilio non abſolutè, ſed dependenter ab vno capite congregante Concilium, & confirmante quæ in eo fiunt.

Ad *Confirmationem reſpondetur* illum Canonem Nicæni Concilij aliquibus Græcis anſam præbuiſſe vt exiſtimarent Romanam Eccleſiam à Nicæno Concilio Primatus ſui priuilegia accepiſſe, cum tamen de iure diuino illi eſſe collata conſtet, vt infrà oſtendimus & latè docet *Nicolaus Papa I. in Epiſt. ad Michaelem Imperatorem*. Occaſio autem deceptionis forſitan inde emanauit, quod Canon iſte VI. mutilus circumfertur communiter inter viginti vulgatos Canones Concilij Nicæni: plures autem Canones editos fuiſſe vſque ad numerum 80. vel 70. conſtat Tùm ex *Epiſt. Athanaſij ad Marcum Papam*, ſi tamen eius eſt illa Epiſtola, quam quidem multi probant, etſi *Baronius, & Bellarminus* eius eſſe negent: Tùm ex *Epiſt. 2. Iulij Papa ad Orientales in cauſa Athanaſij*, & fortaſſis Hæretici Ariani tempore adhuc Athanaſij Nicæni Concilij exemplaria, aut combuſſerunt, aut corruperunt; & cum octoginta Canones, qui ad numerum 70. redacti ſunt in ipſo Concilio editi fuerint, vt teſtatur ipſe *Athanaſ. Epiſt. citata ad Marcum Papam*, & ex Reſcripto eiuſdem Marci Papæ ad Athanaſium conſtat, viginti tantum vulgariter circumferebãtur, quos videntur Ariani non potuiſſe, aut non curaſſe ſupprimere. Inter hos autem viginti Canones ſextus ille qui de Primatu Romani Epiſcopi loquitur non integrè recitatur communiter; nam in *Concilio Chalcedonen. act. 16.* aliter recitatus eſt hic idem Canon à Paſcbatino Legato Sedis Apoſtolicæ quam à Græcis: *Quod Eccleſia Romana ſemper habuit Primatum: Teneat autem, & Ægiptus, vt Epiſcopus Alexandria omnium habeat poteſtatem, quoniam, & Romano Epiſcopo hac conſuetudo eſt*. Græci autem omiſerunt illam primam clauſulam, ex qua tamen Primatum Romani Epiſcopi ſemper fuiſſe in Eccleſia, nec ab ipſa Nicæna Synodo inſtitutum clariſſimè conſtat. Citantur etiam à Iulio Papa in Epiſtola ſupra dicta multi Canones Nicænæ Synodi, in quibus Primatus Romanæ Eccleſiæ non ſolum ſupra vicinos Epiſcopos, vt malè interpretatus eſt Ruffinus, ſed ſupra omnes Epiſcopos aſſeritur, dum ad ipſum omnium cauſæ Epiſcoporum deferuntur, & appellatur *Vniuerſalis Eccleſia Epiſcopus*. Quod verò in illo Canone VI. Alexandrinus Epiſcopus decernitur omnium per Ægyptum habere poteſtatem, *ſicut Romano Epiſcopo conſuetudo eſt*, non in Primatu, aut ſuprema poteſtate cum Romano parificatur, ſed determinatur in quas Eccleſias Alexandrinus Epiſcopus habeat Patriarchalem poteſtatem, ſcilicèt in omnes Eccleſias Ægypti: hæc enim cauſa tunc tractabatur in Concilio contra Meletium quendam, nempè quænam Eccleſiæ deberent ſubeſſe Epiſcopo Alexandrino? Et ita ſententia lata eſt pro ipſo vt in omnes Eccleſias Ægypti eius extenderetur Patriarchatus, quoniam ea eſt conſuetudo Romani Epiſcopi, vt ſcilicet habeat poteſtatem Patriarchatus ſuper Eccleſias, vbi comparatio ſit quantum ad hoc præcisè quod eſt habere ius Patriarchatus firmum, & certum, non quoad modum habendi illum, ſcilicet quoad vniuerſalitatem poteſtatis ſuper omnes Eccleſias. 13

Scio aliam interpretationem adhibere *Bellar-* 14

minum, & Baronium, ſcilicet ſenſum illius Canonis eſſe Epiſcopo Romano hunc eſſe morem, quod ea eius indulgentia Alexandrinus Epiſcopus Eccleſias illas regat. Sed quidquid ſit de hac explicatione, noſtra quam adhibemus ſatis videtur indicata à *Nicolao I. Epiſt.* 8. vbi loquens de Nicæna Synodo ſic ait: *Si Inſtituta Nicana Synodi diligenter inſpiciantur, inuenietur profectò quod Romana Eccleſia nullum eadem Synodus contulit incrementum, ſed potius ex eius forma quid Alexandrina Eccleſia tribueret particulariter ſumpſit exemplum* Intelligitur ergo Canon Nicænus de paſificatione Alexandrinæ Eccleſiæ cum Romana quantum ad formam, & ius Patriarchatus, quod habeat ſibi Eccleſias ſubiectas ſicut Romana, differenti tamen modo, cum vna vniuerſalis ſit, alia particularis Eccleſia. Videatur *Reuerendiſſ. Maſſilienſis 2 p. Monarchia Eccleſiaſtica lib. 4. cap. 1 pag.* 308.

15 Quarto *denique Arguitur quaſi authoritate negatiua.* Nam Apoſtolus enumerans omnes partes Eccleſiæ tum *ad Epheſ.* 4. tum 1. *ad Corinth.* 12. nuſquam meminit vnius Summi Pontificis, ſed ſolum Apoſtolorum, Prophetarum, Doctorum, &c. & ſolum admonet ſeruare vnitatem Spiritus in vinculo pacis. *quia vnum ſumus corpus, & vnus Spiritus*, non autem dicit vnus Pontifex Maximus. Similiter omnes Apoſtolos Chriſtus æqualiter miſit, & dedit eis Spiritum Ioan. 20. *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos*: omnibus etiam prohibuit habere modum imperandi ſicut reges, quod eſt regimen Monarchicum, Luc. 22. *reges gentium dominantur eorum, vos autem non ſic*: & certè ſi Chriſtus Dominus vnum caput omnibus Apoſtolis, & Eccleſiæ præficeret non eſſet cauſa cur diſcipuli contenderent *Quis eorum videtur eſſe maior*: Ergo non eſt reducenda ſumma poteſtas Eccleſiæ ad vnum, ſicut regia poteſtas ad regem.

16 Confirmatur *Primò*. Quia non poteſt ſine miraculo tota Eccleſia per Orbem ab vno ſolo gubernari, cum nec Moyſes potuerit vnicum populum gubernare ſolus, vt habetur *Exod.* 18. & *numero* 11. ergo multo minus poteſt modo Eccleſia ab vno ſolo capite gubernari *Confirmatur Secundo*. Quia vbi eſt regimen Monarchicum omnes qui ſub tali regimine gubernant ſunt quaſi Vicarij regis, & loco ipſius, ſeu quaſi Miniſtri regiminis; ſed in Eccleſia Epiſcopi verè gubernant, & regunt Eccleſiam, vt dicit Apoſtolus *Act.* 20. & tamen non ſunt Vicarij Papæ, ſed poteſtatem habent quaſi iure diuino, aliàs eſſent ſolum legati Pontificis pro illa Eccleſia, quam regunt, quod eſt plane falſum; & ideò *in capit. Nullus*; & *cap. finali* 99. *diſtinction.* prohibetur *Nequis etiam Romanus Pontifex vniuerſalis Pontifex appelletur, quia ſi eſſet vniuerſalis, cæteri non eſſent Epiſcopi*, quod deſumptum eſt ex *D Gregor lib.* 7. *reg. cap.* 30.

17 Reſpondetur. In illis authoritatibus negatiuis non negari vnitatem Pontificatus, & ſupremam eius Poteſtatem in Eccleſia, nam quando Apoſtolus in illis locis numerat inter Eccleſiæ partes Apoſtolos, quos Primo loco ponit, ibi indicat ſupremam authoritatem Apoſtolatus in Eccleſia, quæ extraordinariè erat in pluribus, ordinarie autem in vno (vt dictum eſt) Chriſtus autem mittendo omnes Apoſtolos vt legatos ſuos non negauit in vno eſſe poteſtatem ſupremam ordinariè. Et quando prohibuit modum imperandi ſicut reges terræ, non vnitatem capitis prohibuit, nec ſuperioritatem in Eccleſia, ſed dominandi ambitionem, & libidinem reſtrinxit docens ad hoc non eſſe aliquem ſuperiorem vt dominetur, ſed vt miniſtret, & ſeruiat his, quibus ſuperior exiſtit; expreſsè enim Chriſtus in eo loco ſuperioritatem agnoſcit in ſuis dum dicit, *Qui maior eſt in vobis fiat ſicut miniſter*. Quod autem additur Non poſſe ſine miraculo totam Eccleſiam in orbe diffuſam ab vno gubernari, *reſpondetur*. Id eſſe verum ſi ſolus Papa haberet curam omnium Eccleſiarum in particulari, & non eſſent alij Epiſcopi, qui vocati ſunt in partem ſollicitudinis, per quos ſingulæ Eccleſiæ reguntur, & ſi dependenter ab vno ſupremò Epiſcopo, Sicut etiam Moyſes non poterat ſolus totum populum regere quamdiù omnia negotia in particulari audiebat; quando vero reſeruauit ſibi ſolum maiora negotia, & pro expeditione reliquorum conſtituit Tribunos, & Miniſtros optimè potuit totum pondus regiminis ferre, vt conſtat *Exod.* 18. & *numero vndecimo*. Præterquam quod etiam ab vno maior pars orbis gubernata eſt etiam in regimine politico, ſicut patet tempore Auguſti Cæſaris, de quo dicitur Luc 2. *Exiit edictum à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur, vniuerſus Orbis*: Quid ergo mirum ſi aſſiſtente ſpiritu Sancto gubernationi Eccleſiæ poſſit ab vno tota Eccleſia regi?

Ad *Confirmationem reſpondetur*, Non omnes 18
qui gubernant ſub vno capite ſupremo debere eſſe Vicarios, & Miniſtros ipſius Monarchæ, ſed ſufficit habere authoritatem dependentem ab illo, & quæ poſſit extendi, aut reſtringi ab ipſo, poſſitque cauſas eorum cognoſcere, & ſi opus ſit amouere; ſicut etiam in politicis Monarchiis, præſertim in Romano Imperio multi fuerunt reges, aut Principes ſubditi Imperatori, & ipſius Feudatarij, non tamen in ſuo regimine, aut Principatu ſe habebant vt Vicarij, aut Proreges, vel Præſides, ſed vt veri reges, aut Principes, cum dependentia tamen ab illa Superiori poteſtate, ſicut Hærodes Rex ſubditus erat Cæſari Auguſto, & multi alij ſimiles inueniuntur. Sic ergo Epiſcopi verè ſunt Gubernatores Eccleſiarum non vt legati, aut Vicarij Papæ, ſed vt ordinarij, dependenter tamen à Papa.

ARTICVLVS IV.

Oſtenditur Supremam hanc Poteſtatem eſſe in Epiſcopo Vrbis Roma.

PArs iſta *artic. pracedenti* inſinuata, in præ- 1
ſenti tractanda venit, hanc videlicet ſupremam Poteſtatem determinandi res fidei ita eſſe in vno, quod ille ſit Epiſcopus Romanus, ſiquidem ſi in vno eſſe debet hæc poteſtas, oportet deſignare quiſnam ille ſit; Et poteſt difficultas in præſenti oriri, vel ex communibus, vel ex particularibus: ex communibus quidem procedunt aliqui Hæretici quatenùs negant poſſe aliquem hominem determinare res fidei, quia id ſolum

ſolum pertinet ad Verbum Dei, & ad Spiritum Dei, non ad authoritatem alicuius hominis, quæ nos cogere poſſit ad hoc vel illud credendum; & hæc ſunt communia, quia non ſolum in Romano Pontifice, ſed in nullo altero homine hanc poteſtatem eſſe fatentur, & ita in ſuperioribus iam ſoluta, & explicata ſunt, nec aliquid addendum ſupereſt quod peculiarem difficultatem faciat. Ex peculiaribus autem procedere poteſt hæc difficultas quatenùs aliqui negant Petro non eſſe datam hanc ſupremam authoritatem, & poteſtatem pro ſe, & Succeſſoribus. Alij negant Succeſſorem Petri pro vniuerſali iſta poteſtate eſſe deſignatum Romanum Epiſcopum. Alij negant Romanum Pontificem errare non poſſe, ſed multos afferunt errores diuerſorum Pontificum, & conſequenter non habere infallibilem authoritatem determinandi res fidei. Denique alij putant hanc authoritatem in Romano Epiſcopo non ſemper duraſſe, ſed extinctam iam eſſe. Igitur hæc omnia refellenda ſunt, vt oſtendamus ſupremam hanc poteſtatem verè permanſiſſe, & permanere in Romano Epiſcopo, qui non ſolum illius Eccleſiæ, ſed totius Eccleſiæ Epiſcopus eſt, ſuccedens Petro, tam in Epiſcopatu vrbis Romæ, quàm in vniuerſali Eccleſiæ regimine.

2 Sit ergo concluſio. Romanus Epiſcopus eſt ſucceſſor Beati Petri, non ſolùm in Epiſcopatu Vrbis Romanæ, ſed etiam in vniuerſali regimine totius Eccleſiæ, ita quod ipſe eſt ſuprema regula in definiendis rebus fidei, quæ numquam deficere poteſt cum ex Cathedra docet; duratque hæc poteſtas quamdiu Eccleſia durabit. Hæc concluſio quantum ad fideles Catholicos ſufficienter Probatur ex definitione Eccleſiæ, qua illa definita eſt tamquam de fide. Extat in Concilio Florentino in literis Sanctæ Vnionis iſta definitio, per hæc verba: *Definimus Sanctam Apoſtolicam Sedem, & Romanum Pontificem in vniuerſum Orbem tenere primatum, & ipſum Romanum Pontificem ſucceſſorem eſſe Beati Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiuſque Eccleſiæ Caput, & omnium Chriſtianorum Patrem, & Doctorem exiſtere, & ipſi in Beato Petro Paſcendi, regendi, & gubernandi vniuerſalem Eccleſiam à Domino noſtro Ieſu-Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe.* Item in Extrauagan. Vnam Sanctam de Maioritate, & obedientia ſic determinat Bonifacius VIII *Eſt hæc authoritas & ſi data ſit homini, & exerceatur per hominem, non humana, ſed potius diuina, ore diuino Petro data, ſibi ſuiſque Succeſſoribus*: & infrà. *Porrò ſubeſſe Romano Pontifici omnem humanam creaturam declaramus, dicimus, definimus, & pronunciamus omnino eſſe de neceſſitate ſalutis.* Videri etiam poteſt Nicolaus Papa *in Capit Omnes 22. diſtinction.* vbi dicit *Qui Romanæ Eccleſiæ priuilegium ab ipſo ſummo omnium Eccleſiarum capite traditum auferre conatur, hic proculdubio in hæreſim labitur, & dicendus eſt Hæreticus; fidem quippè violat, qui aduerſus illam agit, quæ eſt mater fidei.*

3 Contra Hæreticos autem hæc Concluſio per ſuas partes probanda eſt, ſimulque refellenda ſunt ea quæ contra Romani Epiſcopi primatum opponere ſolent Prima ergo pars concluſionis, & Fundamentum cæterarum eſt Romanum Epiſcopum eſſe ſucceſſorem Beati Petri in vtraque poteſtate, ſcilicet Epiſcopatus Romæ, & Apoſtolatus reſpectu vniuerſalis Eccleſiæ. Quæ concluſio ex duabus præmiſſis pendet, ſcilicet ex maiori, hanc poteſtatem datam eſſe Petro pro ſe, & ſuis ſucceſſoribus, & ex minori quod Petrus hanc ſucceſſionem allegauit Epiſcopatui vrbis Romæ; ex hoc enim infertur euidenter ipſum Romanum Epiſcopum eſſe Succeſſorem Petri in ſuprema poteſtate regendi totam Eccleſiam. Igitur Maior huius ſyllogiſmi non habet difficultatem in eo quod Petro vt ſingulari Perſonæ data ſit hæc poteſtas, ſicut & cæteris Apoſtolis ad minus, conſtat enim Paulum habuiſſe poteſtatem ſuper omnes Eccleſias iuxta id quod ipſe dicit 2. *ad Corinth.* 11. ad ſe pertinere, ſollicitudinem omnium Eccleſiarum; ergo Petrus minorem poteſtatem habere non debebat ſaltem vt ſingularis Perſona. Et ex ipſo munere, ſeu dignitate Apoſtolatus manifeſtè deducitur, nam vt optimè notat S. Thom. ſuper capit. 12. primæ ad Corinth. Lection. 1. *Ad officium Apoſtolatus omnia pertinent, ſcilicet authoritas gubernandi fidelem populum. Secundo facultas docendi. Tertio poteſtas miracula faciendi ad confirmationem doctrinæ In omnibus autem poteſtatibus ordinatis, illud quod eſt principale reſeruatur ſupremæ poteſtati, alia verò etiam inferioribus communicantur; poteſtas autem faciendi miracula ordinatur ad doctrinam ſecundum illud Marci vltimo ſermonem confirmante ſequentibus ſignis, doctrina autem ordinatur ad gubernationem populi ſicut ad finem, ſecundum illud* Ierem. 3. Paſcent vos in ſcientia, & doctrina, *& ideò primus gradus inter miniſteria Eccleſiaſtica eſt Apoſtolorum, quibus ſpecialiter competit Eccleſiæ regimen.* Hæc D. Thom. Ex quo conſtat primo ipſi ſingulari perſonæ Petri datam eſſe hanc poteſtatem, quamuis Apoſtolus fuit ſicut cæteri. Secundo autem deducitur id quod eſt præcipuum in Apoſtolatu, ſcilicet regimen Eccleſiæ datum eſſe pro Succeſſoribus idque etiam conſtat ex his quæ latè probauimus in præcedenti articulo ex ſcriptura, & Patribus Reducitur ergo difficultas illius propoſitionis ad probandum quod illa ſuprema poteſtas in omnes Eccleſias data ſit Petro pro ſe, & pro ſuis ſucceſſoribus, vt perpetuo maneret Eccleſia, hoc enim negat *Nilus ille Epiſcopus Theſalonic. in libro contra Primatum Papæ, & Caluinus 4 inſtitutionum cap.* 6. §. 8. aliique Hæretici. Cæterum ex his quæ præcedentibus Articulis oſtendimus, non erit difficile hoc etiam demonſtrare Conſtat enim à Chriſto Domino inſtitutam eſſe Eccleſiam, Sacramenta, & Sacerdotium non ſolum pro illo tempore, quo Apoſtoli permanſuri eſſent in mundo, ſed etiam pro omni alio tempore. Vnde Matthæi vltimo dicitur *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi*, aliàs modo non eſſet Eccleſia, neque ea quæ ad Religionem Chriſtianam pertinent; ergo etiam regimen Eccleſiæ non fuit ſolum pro illo tempore, quo durauit Petrus, ſed etiam pro his, qui poſt Petrum ſuccedere debebant; ergo poteſtas regendi Eccleſiam in Succeſſore, vel ſucceſſoribus aliquibus debebat permanere: nec enim Reſpublica aliqua, ſeu congregatio hominum ſiſtere poteſt ſine aliquo regimine & conſequenter ſine poteſtate, quæ inferiores dirigat, & coërceat.

4 Nulla autem alia poteſtas poni poteſt gubernatiua

natiua Eccleſiæ, niſi illa quæ à Chriſto Domino inſtituta eſt, ſed ipſe poteſtatem inſtituit ſolum in vno, cum dixit Petro, *Paſce oues meas, Confirma fratres tuos, &c.* vt præcedenti articulo oſtenſum eſt; ergo hæc ſola eſt quæ perſeuerauit in Eccleſia poſt Petrum. *Solum reſponderi poteſt.* Chriſtum inſtituiſſe poteſtatem hanc in vno pro perſona Petri, aliter verò prouidiſſe pro ſucceſſoribus, vt gubernaretur Eccleſia per multos, vel ipſa ſibi eligeret à quo, vel quibus gubernaretur. Sed hæc voluntariè finguntur, & in re tantimomenti non poſſumus id aſſerere, niſi ex Scriptura, aut reuelatione approbata, vel traditione, & doctrina Sanctorum: nullo autem modo conſtat Chriſtum Dominum, aut inſtituiſſe duas formas regiminis, & poteſtatis, aliam pro Petro, aliam pro Succeſſoribus; aut eam quam Petro tribuit, mutaſſe in ſucceſſoribus. Quod argumentum & ſi videatur ab authoritate negatiua, efficaciſſimum tamen eſt, quia in his quæ ad fidem pertinent ſine authoritate aliquid aſſerere periculoſum eſt, vt docet *D. Thom. 2. 2. q. 10. art. 11. & 3. part. quæſtio. 1. articul. 3.* Vnde optime dixit Hieronym. Epiſt. 65. ad Oceanum de nouis doctrinis, *Vſque ad hanc diem ſine ea doctrina mundus Chriſtianus fuit, eam ſenex teneo fidem, quam à Parentibus accepi, cur poſt quadragentos annos docere nos niteris quod antea neſciuimus?* Conſtat etiam non reliquiſſe Chriſtum Eccleſiæ vt ipſa ſibi prouideret de modo, & forma regiminis poſt Petrum; nec enim Chriſtus Dominus perfectè prouideret Eccleſiæ ſi relinquendo ipſi legem, Sacramenta, & Sacerdotium, de forma regiminis non prouidiſſet, præſertim in ipſo principio Eccleſiæ, & poſt Apoſtolorum mortem, cum ipſa minus poſſet tunc ſibi prouidere, aut mutare regimen, præſertim cum conſtet Apoſtolos ſollicitos fuiſſe de ſucceſſoribus eligendis, quos poſt ſe relinquerent (vt ſtatim oſtendam) ergo non reliquit Chriſtus Dominus ipſi Eccleſiæ vt poſt mortem Apoſtolorum ſibi prouideret de forma regiminis, ſic enim fruſtra Apoſtoli de Succeſſoribus relinquendis eſſent ſolliciti, ſi poteſtas eorum ad ſucceſſores non deberet tranſire. Cum ergo inueniatur à Chriſto inſtituta vna ſuprema poteſtas Apoſtolica ad regendam Eccleſiam, & non inueniatur alia inſtituta, aut mutata pro ſucceſſoribus, & ipſi Apoſtoli de Succeſſoribus prouiderint Eccleſiæ, nec poſſet Eccleſia manere ſine poteſtate gubernatiua, fit conſequens quod illa poteſtas ſuprema data ſit Petro non ſolum pro ſe, ſed etiam pro ſucceſſoribus. *Secundo Probatur eadem Propoſitio.* Quia tota Eccleſia fundata eſt ſuper Petrum in illis verbis: *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*, vt oſtendimus articulo præcedenti, quod illa verba *Super hanc Petram* referuntur ad Petrum; ſed Eccleſia, quæ tunc fundabatur non erat ſolum illa Eccleſia, quæ tempore Apoſtolorum erat duratura, ſed quæ etiam poſt mortem Petri vſque ad finem mundi duratura erat; ergo etiam poteſtas illa, ſuper quam fundabatur Eccleſia non erat duratura ſolum in perſona Petri, ſed etiam in his, qui ſucceſſuri erant, vt loco petri Eccleſiam gubernarent.

5 Et *Confirmatur.* Quia ipſi Apoſtoli ſucceſſores ordinauerunt qui Eccleſias regerent poſt ipſos, tamquam præpoſiti, & Paſtores, ergo poteſtatem habebant, quam illis tribuerent tamquam ſucceſſoribus, *antecedens conſtat* in primis Actor. 20. *attendite vobis, & vniuerſo gregi in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo.* Et quod loquatur illis tamquam gubernaturis poſt ipſum Paulum patet ex verbis immediatè ſubiunctis: *Ego ſcio quoniam intrabunt poſt diſceſſionem meam lupi rapaces, non parcentes gregi, propter quod vigilate, &c.* Loquitur ergo de his qui habituri erant poteſtatem gubernandi Eccleſiam tamquam Succeſſores. Vnde & idem Apoſtolus formam Epiſcoporum præſcribit 1. *ad Timoth. 3. ad Titum 1.* Vnde & ad *Hebr. 13.* inquit: *Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis, &c.* Supponit ergo authoritatem, & poteſtatem fore in Prælatis cui tenerentur homines obedire. Et denique 1. Petri 5. *Paſcite qui in vobis eſt gregem Dei prouidentes non coactè, ſed ſpontaneè ſecundum Deum.* Igitur poteſtas gubernatiua Eccleſiarum taliter data eſt à Chriſto, quod in ſucceſſores tranſire debebat. Sed Chriſtus non ſolum inſtituit poteſtatem gubernatiuam pro ſingulis Eccleſiis, ſed etiam poteſtatem gubernatiuam totius Eccleſiæ, cui commiſſæ ſunt omnes oues, & confirmatio omnium fratrum, & claues regni cœleſtis; ergo ſicut poteſtas Epiſcopalis pro ſingulis Eccleſiis tranſiuit ad ſucceſſores, ſic & poteſtas iſta paſcendi omnes oues, & habendi claues ſuper totam Eccleſiam non eſt ratio cur non ſit data pro ſucceſſoribus. Vnde dixit optimè Sanctus Leo Papa Sermon. 1. Aſſumptionis ſuæ: *Soliditas illius fidei, quæ in Apoſtolorum Principe eſt laudata perpetua eſt, & ſicut permanet quod in Chriſto Petrus credidit, ita permanet quod in Petro Chriſtus inſtituit.* Et Sanctus Cyprianus Epiſt. 27. *Dominus noſter Eccleſiæ ſuæ rationem diſponens in Euangelio loquitur, & dicit Petro: Ego dico tibi, Quia tu es Petrus, & ſuper iſtam Petram ædificabo Eccleſiam meam*, & infra. *Inde per temporum, & ſucceſſionum vices Epiſcoporum ordinatio, & Eccleſiæ ratio decurrit vt Eccleſia ſuper Epiſcopos conſtituatur, & omnis actus Eccleſiæ per eoſdem præpoſitos gubernetur.* Item Chryſoſtom. libro ſecundo de Sacerdotio, *Quanam (inquit) de cauſa ſanguinem ſuum Chriſtus fudit? certè vt pecudes eas acquireret, quarum curam, tùm Petro, tùm Petri ſucceſſoribus committebat.* Denique Auguſtin, lib. de Paſtoribus capit. 13. *Neque enim modo ideò tacentur Paſtores, quia non inuenit Dominus cui commendet oues ſuas, tunc autem ideò commendauit quia inuenit Petrum. Imo verò in ipſo Petro vnitatem commendauit, &c.* Quam vnitatem Eccleſiæ in Petro commendatam, etiam agnouit Cyprianus lib. de vnitate Eccleſiæ circa principium, dum inquit: *Quod Petro Primatus datur vt vna Chriſti Eccleſia, & Cathedra vna monſtretur.* Et ſimilia *Epiſtol. 40.* Sed vnitas Eccleſiæ non conſiſtit in vnitate Perſonarum, ſed in vnitate ſucceſſionis eiuſdem populi, aliàs Eccleſia, quæ modo eſt non eſſet vna Eccleſia, quæ in Apoſtolis cœpit, quia non habet eaſdem Perſonas; ergo ſimiliter vnitas, quæ in Petro commendatur non eſt vnitas Perſonæ, ſed ſucceſſionis in eodem Throno, & regimine. Videndus eſt *Auguſtin. tom. 2. Epiſt. 165.* vbi omnes ſucceſſores Petri in Romana ſede, vſque ad ſua tempora numerat, & *libro de vtilitate credendi capite decimo ſexto & libr. contra Epiſtol. fundamenti capit. 4. & 11.*

contra

contra Fauſtum cap. 2. vbi ſucceſſionem declarat in Apoſtolica Sede, eiuſque ſolidam, & fundatam authoritatem in ſucceſſione Epiſcoporum. Et *optatus Mileuitanus lib.* 2. *contra Parmenianum*, *& Iræneus lib.* 4 *capit.* 3.

6 Circa Minorem autem ſyllogiſmi aſſumpti, ſcilicet, Quod Petrus alligauit ſucceſſionem ſui Primatus Epiſcopatui Romano, difficultas eſt, Quia vel illam alligauit ea aliqua inſtitutione, & præcepto Chriſti; vel ex ſola propria voluntate ſua, vel ex eo præcisè quod in illo Epiſcopatu Romano mortuus eſt cenſetur ibi manere etiam Succeſſionem Supremi Primatus. *Primum dici non poteſt*, Quia de tali inſtitutione Chriſti non extat aliqua ſpecialis reuelatio Scripturæ, vel traditio, vnde ſine fundamento in re tanti momenti poneretur. *Secundum etiam non ſufficit*, Quia ſola voluntas Petri ſecluſo ordine, aut inſtitutione diuina, de qua nobis non conſtat, non habuit maiorem authoritatem quam reliqui Pontificea eius Succeſſores habent, & ſic poſſet modo Pontifex ſi vellet ſeparare dignitatem Pontificiam ab Epiſcopatu Romano, & alteri Epiſcopatui alligare, vel ſeorſum ſine aliquo Epiſcopatu eam conſeruare, etiam ipſe ſibi deligere Succeſſorem, quod non eſt admittendum: nec oportet qualiter voluntas Petri in hoc facto Eccleſiæ ſignificata eſt, cum non extet decretum aliquod, aut lex Petri de hoc, & tamen alligatio iſta ſine aliqua lege fieri non debebat, cum deberet eſſe authentica, & iuridica in Eccleſia. *Tertium denique dici non poteſt*, Quia ea ſola morte Petri in illo Epiſcopatu non apparet quod Succeſſori Epiſcopatus ſit acquiſitum ius ad Pontificatum totius Eccleſiæ, ſi id Petrus non declarauerit, aut ſtatuerit; nam & Petrus habuit Epiſcopatum Antiochenum, & tamen Succeſſor eius non niſi in Epiſcopatu ſucceſſit; & Paulus etiam habuit poteſtatem ſuper totam Eccleſiam, & ſuper Epiſcopatum Romanum; nec tamen ex morte eius in Romana Vrbe aliquis acquiſiuit ius ad ſuccedendum poteſtati Pauli; ergo ſimiliter neque in poteſtate Petri, vt diſtinguebatur ab Epiſcopatu loquẽdo præcisè de iure fundato in ipſa morte Petri, quia ſcilicet mortuus eſt in Epiſcopatu Romano.

7 Cæterum propoſitio aſſumpta cum definita ſit ab Eccleſia, vt ſupra vidimus ea Concilio florentino vbi determinatur Romanum Pontificem eſſe Petri ſucceſſorem conſequenter fateri oportet iſtam ſucceſſionem eſſe materiam de fide, & ſic eſſe reuelatam à Deo; vel in Scriptura, vel in traditione Eccleſiaſtica. & ſic inquirenda ſunt principia in quibus reuelatio iſta continetur. Et quidem hic duo ſunt diſtinguenda, ſcilicet ſucceſſio ipſa. & coniũctio Romani epiſcopatus cũ pontificatu Eccleſiæ, & hoc eſt de fide; deinde modus quo cõiũctio iſta facta eſt. Et circa hoc ſunt opiniones, & quoad primum Spalatenſis recentior Hæreticus apud Reuerendiſſimum Maſilienſem 2. *par. de Monarchia Eccleſia lib.* 4. *c.* 1. *pag.* 268. inquit, Quod ſi credendum ſit fide diuina Petrum Romæ Sedem fixiſſe, in primis neceſſarium eſt vt diuinis oraculis dogma huiuſmodi primarium fundaretur. quod tamen nullo modo oſtendi poteſt cum de hac re Scriptura nihil commemoret; quod ea occaſione factum putat ne in canonica Scriptura Monarchia Eccleſiæ Romanæ fundamentum haberet cenſet ergo ipſe Petrum quidem fuiſſe Epiſcopum Romæ ex eo ſolum quod ibi actu vixerit, non vero quod ibidem ſedem fixerit, Quia hoc (inquit) fuiſſe commune omnibus Apoſtolis, quod ea facultate, & poteſtate Apoſtolatus totius Eccleſiæ gubernationem habebant: dicebantur vero Epiſcopi illius loci in quo actu exercebant munera Apoſtolatus, & ideò quamdiu Petrus fuit Antiochiæ, Epiſcopus Antiochenus dictus eſt, quamdiu Romæ Romanus Epiſcopus. Quod ſimiliter habuit Paulus, qui æqualis erat Petro in Apoſtolatu, & ideò quamdiù Romæ fuit cum Petro Epiſcopus etiam Romanus erat, & ab vtroque Eccleſia illa fundata eſt, & vterque in Epiſcopatu defunctus. Quinimò addit, etiam Ioannem quandò Romæ fuit, & ibi miſſus in feruentis olei dolium, vt refert Tertullianus, fuiſſe etiam eo tempore Romæ Epiſcopum. Hoc igitur pacto exiſtimat Apoſtolicam authoritatem non Epiſcopatui alligatam, ita vt Epiſcopus ille, qui ſuccederet Petro, aut Paulo in Apoſtolica authoritate non ſuccederet, ſed in Epiſcopatu. Vnde vlterius exiſtimat Romanos Epiſcopos ſolum eſſe vicarios Petri quaſi puros miniſtros, & ſeruos, ſic enim multi ex antiquis Pontificibus ſe appellant non Chriſti, ſed Petri vicarij, vt multæ eorum Epiſtolæ teſtantur, quas ea eodem Spalatenſi refert Reuerendiſſimus Marſilienſis vbi ſuprą *pagin.* 247. & conſtat etiam ea *cap. Ego Ludouicus* 63. *diſt.*

Error iſte Spalatenſis & ſi minus impudenter 8
ab ipſo aſſeratur, non minus tamen vanè quàm à cæteris Hæreticis, nam & ſi aliqui Hæretici adeò ſtupidè deſipuerint, vt contra omnem Hiſtoriarum traditionem, imò & Scripturæ, quam veritatem, Petrum etiam Romam veniſſe negauerint, vt Velenus, & Illiricus, tamen alij ſaltem propter Scriptorum conſenſum ibi fuiſſe, & obiiſſe admittunt, vt Caluinus 4. *Inſtitutionum cap.* 6. §. 15. & Magdeburgenſes *centuria* 1. *lib.* 2. *cap* 10. Negant tamen ibi Epiſcopum fuiſſe, & Sedem fixiſſe præſertim longo tempore, quod Spalatenſis ſolo ſuperficiali titulo admittit, ſcilicet quia ibi actu vixerit, Epiſcopum dici poſſe illius vrbis. Addit tamen Caluinus non poſſe euinci, quod ita Romæ collocata ſit Sedes petri, vt quicumque ſit eius vrbis Epiſcopus etiam vniuerſo orbi præſideat, quod etiam eſt intentum *Lutheri lib. de poteſtate Papa*, & ante ipſum *Nili Theſſalonicenſis in libro aduerſus Primatum Papa*. Quare Hæretici totam iuriſdictionem Primatus, & poteſtatem Epiſcopi Romani ſuper alias Eccleſias ad ius poſitiuum humanum deuoluunt, ſed in duas claſſes ſunt diuiſi. Quidam enim emanaſſe dicunt hoc iura ab Eccleſia, quidam à Principibus ſæcularibus, & beneficio Cæſarum. Ab Eccleſia quidam emanare dicunt aliqui qui etiam diuiſi ſunt, nam quidam ab ipſis Apoſtolis, non à Chriſto manaſſe affirmant, quod videtur *Iulius Papa Epiſtol.* 1. *&* *Anacletus Epiſtol.* 2. ſignificare dum dicunt Apoſtolos voluiſſe vt Eccleſia Romana haberet primatum: & huic adiungitur etiam fundamentum Spalatenſis, quod Epiſcopus Romanus non Succeſſor, ſed Vicarius Petri dicitur. Alij à Concilijs præſertim Nicæno emanaſſe exiſtimant, vt Epiſcopus Romanus Primatum quendam inter omnes Epiſcopos haberet, vt inquit Nilus, & præſertim ius appellationum ad ipſum ex omni Eccleſia, nam multi Pontifices præſertim Zozimus Epiſtol. ad Epiſcopos Africæ, vt habetur in Concilio Carthaginenſi 6. & Iulius Papa Epiſtol. 2. ad Orientales, id ea Concilio Nicæno probant. Alij ſimpliciter ab Eccleſia inſtitutam Sedem Romanam exiſtimant,

exiſtimant, ſicut & alias Patriarchales Sedes. Quod attribuitur Ocham in Dialogis, *part.1.lib.1.capit.23.* prout refert *Suarez lib. de fide, diſputatio.10. ſection.4.num.1.* Ex beneficio autem Sæcularium Principum ius iſtud Primatus emanaſſe quidam ſenſerunt, vt refert *Turrecremata lib.2.de Eccleſia capit.39.* Et *cap.42.* id tribuit Marſilio Paduano, quod exiſtimauerit à Conſtantino Magno initium id accepiſſe propter hoc quod habetur in *cap. conſtantianus 96. diſtinctio.* vbi decernendo ſanxit, Epiſcopum Romanũ ſuper omnes Eccleſias orbis habere poteſtatem. Et ex ſimili fundamento recentiorem facit hunc primatum Chriſtianæ Eccleſiæ Caluinus, qui exiſtimat Epiſcopum Romanum à Phoca Cæſare accepiſſe Primatus Dignitatem in Græcos. à Carolo autem in Germanos, & Gallos, quia id edictis ſuis, & legibus præceperunt. Et denique ad Conſtantinum IV. id refert Lutherus falſo fundatus in quodam teſtimonio Platinæ in vita Benedicti. II.

9 Circa *Secundam* verò, ſcilicet de modo, quo iſta coniunctio Epiſcopatus cum Pontificatu facta eſt, an ſcilicèt aliquo iure diuino, ſeu præcepto ſpeciali Chriſti, an verò ex ſolo facto, & applicatione Petri, diſſenſio eſt inter Catholicos. Quidam enim tenent totum hoc ad factum Petri, & humanum ius reduci debere Sic *Soto in 4. diſtinction. 24. quaſtion, 2. art.5.* Quæ opinio etiam tribuitur *Paludano tractatu de Poteſtate Papæ, artic. 2. & 4. & Armachano lib.2.cap.13 & 14.* & in eandem inclinat *Magiſter Bañez 2.2. quaſtion.1. artic.10. dub 4. in explicatione Secunda partis tertia Concluſionis*, quatenùs coniunctionem Epiſcopatus orbis cum Epiſcopatu vrbis de iure humano eſſe affirmat, vniuerſalitatem tamen Epiſcopatus Romani, ſuppoſita illa coniunctione, eſſe de iure diuino. Alij vero exiſtimant etiam coniunctionem ipſam eſſe factam iure diuino, & ſpeciali præcepto Chriſti, vt tenet *Cano lib. 6. de locis cap.4. & capit. vltimo ad 10. Turrecremata in capit. Sacroſancta 22. diſtinction.* Probabiliorem reputat *Suarez diſput. 10. ſectio 3. num.10 Bellarminus lib.2. de Romano Pontifice cap.12. Caietanus* autem quem *Magiſter Bañez* citat pro ſententia *Magiſtri cano*, *Suarez*, autem pro ſua in *tractatu 3. de inſtitutione Romani Pontificis, cap. 13.* dicit rationem ſuccedendi Romanum Pontificem in poteſtate Petri non fuiſſe Euangelicam inſtitutionem, ſed appropriationem ad Pontificatum Petri, firmatam Petri morte, & Chriſti mandato, cum dixit Petro extra vrbem Romanam egredienti *Vado Romam iterum crucifigi.*

10 Dico *tamen Primò*. Ex inſtitutione Euangelica prout facta eſt à Chriſto Domino ante Aſcenſionem ſuam poteſtas Apoſtolica ſuper totam Eccleſiam collata Petro nulli Epiſcopatui determinato eſt alligata. *Conſtat hoc manifeſtè.* Nam Petrus aliquo tempore nullum habuit Epiſcopatum, nam Antiochenum non ſtatim habuit poſt Aſcenſionem Chriſti, & multo minus Romanum, quem poſt Antiochenum habuit, ſed quinto poſt Paſſionem Domini anno Antiochiæ fixit Sedem, vt obſeruat *Euſebius lib.3. Hiſtoria capit. 18. & ex capit.8. actor. Apoſtolorum* colligitur Petrum manſiſſe Ieroſolymis, etiam poſt mortem Stephani, neque alibi fixiſſe Sedem: neque Antiochiæ prædicatum fuiſſe Euangelium, niſi ab illis qui diſperſi fuerant poſt mortem Stephani, conſtat *actor. 11. verſu 19*; neque tunc erat Epiſcopus Ieroſolymorum Petrus: ſed Iacobus. Igitur aliquo tempore fuit in Eccleſia Summus Pontificatus ſibi peculiari aliquo Epiſcopatu, cui alligaretur.

Dico *Secundò*, De facto nullus ſucceſſit Petro 11 in poteſtate Apoſtolica ſupra totam Eccleſiam ſine aliquo determinato Epiſcopatu; & hoc eſt de fide. *Hæc concluſio eſt manifeſta.* Quia ſi talis eſſet ſucceſſor deberet agnoſci ab Eccleſia, & ei eſſe manifeſtus; nullibi autem Eccleſia agnouit tamquam ſucceſſorem Petri in authoritate Apoſtolica aliquem, qui non eſſet Epiſcopus Romanus, ergo de facto nullus fuit Succeſſor Petri in Apoſtolatus poteſtate ſine aliquo determinato Epiſcopatu. Quod verò id ſit de fide manifeſtum eſt ex definitionibus Eccleſiæ, quibus Succeſſorem Petri in vniuerſali poteſtate determinat eſſe Epiſcopum Romanum, vt ſuprà vidimus ex Concilio Florentino, & ſtatim amplius oſtendemus ex traditione. Et ex eadem Eccleſiæ Definitione conſtat non poſſe dari duos ſupremos Pontifices, vnus qui habeat Epiſcopatum determinatum, alter qui non habeat, cum Eccleſia non habeat niſi vnum ſupremum caput, vt oſtendimus articulo præcedenti; ergo.

Dico *Tertio.* Et ſi probabile ſit ex aliquo mandato, aut reuelatione ſufficienti ad inducendum ius 12 diuinum, Petrum coniunxiſſe Pontificatum Eccleſiæ Epiſcopatui vrbis, non tamen eſt certum eam coniunctionem eſſe de iure diuino. Prima pars fundatur in pluribus dictis Sanctorum, qui quandam videntur efficere traditionem, qui dicunt Petrum ex iuſſione Domini Romam veniſſe, & ibi fundaſſe Eccleſiam: nam in Primis *Marcellus Papa Epiſtol. 1.* & habetur in *capit. Rogamus 24. quaſtion. 1.* dicit Petrum ex iuſſione Domini tranſtuliſſe Sedem Antiochiæ Romam: ſuffragatur etiam *Innocentius III. in cap. Per venerabilem qui filij ſint legitimi*, vbi inquit locus quem elegit Dominus Apoſtolica Sedes eſſe dignoſcitur. Et addicit illam Hiſtoriam quod egredienti Petro ex vrbe Chriſtus occurrit, & Romam auocauit, quam Hiſtoriam attingit etiam Ambroſius oratione contra *Auxent. lib.5. Apoſtolorum Epiſt.32. & Athanaſius in Apolog pro ſua fuga, & Ægeſippus de excidio Ieroſolymitano cap. 1.* Fauet Lateranenſe Concilium ſub *Innocentio III. cap. 5.* dum inquit, *Romana Eccleſia diſponente Domino ſuper alias omnes ordinaria poteſtatis obtinet principatum:* & Euſebius Papa in Epiſt. 3. *Benedictus Dominus Deus noſter, qui per miſericordiam ſuam Romanam Eccleſiam Beati Petri Apoſtoli Sacerdotio dicauit.* Et in *c. Sacroſancta 22. diſtinction.* inquit Anacletus Papa, *Quod Romana Eccleſia non ab Apoſtolis, ſed ab ipſo Domino, & Saluatore noſtro Primatum obtinuit.* Et Nicolaus I. in Epiſtola ad Michaëlem Imperatorem, & refertur citata diſtinction. *Cap. omnes* inquit: *Non qualibet terrena ſententia, ſed illud verbum per quod conſtructum eſt cœlum, & terra Romanam fundauit Eccleſiam.* Et plures ſimiles loquutiones in aliis Sanctis, & Pontificum authoritatibus inueniuntur. Quamuis multæ non loquantur de iure applicationis, quo alligata, & applicata ſunt iſta duo, ſed de iure poteſtatis, quo Epiſcopus Romanus ſuppoſita illa applicatione eſt ſuper omnes Eccleſias, quia talis poteſtas à Deo inſtituta eſt. *Et ratio eſſe poteſt principalis.* Quia aliàs poſſet Eccleſia, vel aliquis Summus Pontifex ſeparare iſta duo officia, ſeu poteſtates, ſcilicet Pontificatus, & Epiſcopatus, & conſequenter poſſet per Eccleſiam aliquis ſubtrahi à iuriſdictione

Pontificis

Pontificis Romani priuando illam Sedem Summo Pontificatu, quod eſt omnino abſurdum, & videtur eſſe contra determinationem ſupra relatam Bonifacij VIII. *in Extrauagant. vnam Sanctam*, in qua determinat eſſe de neceſſitate ſalutis, quod omnis humana creatura ſubſit Romano Pontifici. Reliqua vero argumenta potius probant eſſe de fide Succeſſionem Petri eſſe de facto in Epiſcopatu Romano, quam eſſe de iure diuino factam iſtam vnionem, & applicationem, hæc enim ſunt valdè diuerſa.

13 Secunda *vero Pars Probatur*, Tùm quia illa ſententia eſt multorum Catholicorum (vt vidimus) nec oppoſita maiori cenſura quam probabilitatis à ſuis authoribus aſſeritur, Tùm etiam, quia non eſt ſufficiens Fundamentum huius diuini iuris de applicatione Pontificatus ad Epiſcopatum vrbis, nec enim authores oppoſiti proferunt aliud Chriſti oraculum niſi illud quod Petro dixit, *Venio Romam iterum Crucifigi*. Ex hoc autem non colligitur Chriſtum elegiſſe Romam, vt in illo Epiſcopatu eſſet Summus Pontificatus, ſed elegiſſe Romam, vt in ea Petrus martyrio coronaretur; hoc enim ſolum illis verbis Dominus illi ſignificauit Vnde cum multo tempore ante Petrus Romæ ſediſſet, non poterat ex vi illorum verborum fundari illa Eccleſia pro Summo Pontificatu. Neque Innocentius III. *in citat. cap. per Venerabilem* illa Hiſtoria vtitur ad præciſè probandum de iure diuino illam coniunctionem factam eſſe, ſed quod per illa verba voluit Dominus reuocare Petrum ad locum, quem elegerat, vnde ſupponit iam ante Dominum elegiſſe Romam pro Pontificatu. Sed hæc electio non cogit, vt dicamus id fuiſſe iure aliquo diuino ſpeciali factum, ſed loquitur Pontifex eo more, quo omnes Pontifices Romani modo in ſuis litteris ſe diuina prouidentia, & electione aſſumptos ad Pontificiam dignitatem dicunt, & tamen conſtat applicationem Pontificatus ad hanc determinatam perſonam non fieri de iure diuino, ſed mediante electione humana. Et hoc ſenſu intelligi commodè poſſunt reliquæ authoritates, quæ inſinuant ex iuſſione Domini Romanam Eccleſiam accepiſſe primatum, & tranſlatum eſſe ab Antiochena ad Romanam: vel loquuntur non de ipſa applicatione vtriuſque poteſtatis, ſed de ipſa ratione primatus ſecundum ſe ſuppoſita applicatione.

14 Poſtremo videtur non eſſe de iure diuino hanc applicationem, quia aliàs ſi Romana ciuitas funditus extingueretur, ſicut plerique authores, & Patres exiſtimant euertendam tempore Anti Chriſti, ita quod periret tunc Epiſcopatus illius vrbis, hoc ipſo non ſubſiſteret Summus Eccleſiæ Pontificatus, quia iure diuino eſſet applicatus illi vrbi, & ſic eius Epiſcopatu extincto tolleretur ratio Pontificatus, quod tamen dici non poteſt, quia ſicut Eccleſia manebit etiam poſt Anti-Chriſtum, vſque ad conſummationem ſæculi, ita & ſupremum caput Eccleſiæ; ergo ſaltem tunc erit ſeparandum ab Epiſcopatu Romano, & conſequenter non eſt de iure diuino ei alligatus vniuerſaliter loquendo.

15 Dico *Quartò*, Epiſcopum Romanum habere de facto coniunctam ſibi poteſtatem vniuerſalem Eccleſiæ, eſt de fide, licet applicatio ipſa non fuerit facta iure diuino Itaque ſiue ex ſpeciali iuſſione Domini, ſiue ex ſolo facto Petri illa coniunctio facta ſit, eſt tamen de fide illam de facto dari; & Summum Pontificatum determinatè eſſe illi annexum. In quo differt ſucceſſio aliorum Epiſcopatuum, & Romani, quia de aliis non eſt de fide quod ſuccedant Apoſtolis, licet ex Hiſtoriis id habeatur; in Epiſcopatu vero Romano eſt de fide quod ſuccedat Petro, quidquid ſit an de iure diuino iſta coniunctio facta ſit. Eſt enim longè diuerſum aliquid eſſe de fide, vel eſſe de iure diuino: de fide enim eſt quidquid eſt reuelatum à Deo; non tamen eſt de iure diuino quidquid eſt reuelatum à Deo, licèt ſit de iure diuino quod nos illud credamus; eſt enim de fide Petrum negaſſe Chriſtum, & Dauid commiſiſſe adulterium, non tamen id eſt de iure diuino. Sic ergo eſſe coniunctam de facto ſupremam authoritatem Apoſtolicam Epiſcopatui Romano eſt de fide, quidquid ſit an illa coniunctio iure diuino, id eſt, ex ſpeciali ordinatione, & lege Chriſti facta ſit, ſiue non; Et quod ſit de fide fundatur in traditione Eccleſiæ, & definitionibus Conciliorum, & Pontificum, continetur que implicitè in ſcriptura, tùm in communi, quia Chriſtus Dominus poteſtatem ſupremam Petro tradidit pro ſe, & Succeſſoribus, vt oſtendimus iam in hoc articulo, vnde ibi implicite continetur applicatio, & coniunctio illius poteſtatis cum ſucceſſione illius, quæ de facto futura erat & Chriſtus præſciebat, atque adeò in illis verbis eam ſine dubio intelligere volebat, & ideò Eccleſia viſo facto Petri habuit ſufficiens fundamentum, vt ex illis verbis Chriſti Domini talem ſucceſſionem, quæ nunc eſt, incluſam intelligeret: Tùm in ſpeciali iuuat ſatis locus ille 1. Petri 5: *Salutat vos Eccleſia, quæ eſt in Babylone collecta*, nam per Babylonem Romam intelligi communiter Interpretes affirmant (quidquid Hæretici negent) & expreſè *Euſebius 2. Hiſtoriæ cap. 14. & Hieronym. de Scriptoribus Eccleſiaſticis in Marco*. Nec enim de alia Babylone intelligi poteſt vbi Petrus non fuit, & in Scriptura per Babylonem Romam intelligi conſtat ex *Apocalypſ. 17.* vbi mulier habens capita ſeptem vocatur *Babylon. Magna*; & de illa dicitur ſeptem capita, ſeptem montes ſunt ſuper quos mulier ſedet, quod Romæ tantùm conuenire, etiam pueris notum eſt. Vnde & *Tertullian. contra Iudæos cap. 90. & 3. contra Marcionem cap. 13. Babylon.* (inquit) *apud Ioannem noſtrum Romanæ vrbis figuram portat*. De hac ergo dicit Petrus Salutat vos Eccleſia quæ eſt Romæ coëlecta, legendum eſt enim *coelecta*. non *collecta* vt modo emendatum eſt in Bibliis correctis, & colligitur ex loco Euſebij ſupra cit. qui referens verba Petri, ſic illa ſcribit: *Salutat vos Eccleſia noſtra electionis conſors, quæ eſt Babylon*. & *Caietanus* explicans hæc verba 1. Petri 5. *in Babylone collecta*, id eſt, *ſibi electa*. Significat ergo Petrus Eccleſiam Romanam electam eſſe à ſe, & conſortem eſſe electionis ſuæ, quod referri non poteſt niſi ad deſignationem ſucceſſionis ſuæ.

Traditio autem Eccleſiæ ab ipſis Apoſtolis ſufficienter declarat eandem veritatem Sumitur autem hæc traditio primò ab ipſis Romanis Pontificibus, qui variis Epiſtolis hanc ſucceſſionem declararunt non contradicente Eccleſia, neque aliis Epiſcopis, ſed eis obedientibus. Videri poſſunt plures apud *Suarez lib. 3. contra Regem Angliæ cap. 15.* & apud *Bellarmin. lib. 2. de Romano Pontifice capit. 14.* & apud *Magiſtr. Cano lib. 6. de locis* per totum Et latiſſimè *Faſciculus* 16

Aureus de Primatu Petri editus à *Thoma Ramon*;& in *Antonio Auguſt.lib.1.de Pontifice Maximo in 2.part.ſui Epitome iuris*. Specialiter videri poteſt locus *Diui Clementis Papæ in Epiſtol. ad Iacobum fratrem Domini in Tomo 1. Conciliorum*, vbi ipſam reſignationem, & deſignationem Petri narrat, qua Summum Pontificatum Petrus Clementi tradidit; *Clementem*(inquit)*hunc Epiſcopum vobis ordino, cui ſoli meæ prædicationis, & doctrinæ cathedram Credo*:& infra. *Propter quod ipſi trado à Domino mihi traditam poteſtatem ligandi, atque ſoluendi, vt de omnibus quibuſcumque decreuerit in terris, hoc decretum ſit & in cœlis*. Videri poteſt *Epiſtol. Anacleti Papæ ad Epiſcopos Italiæ, & Epiſtol. 3. eiuſdem; Epiſtol. Lucij Papæ ad Epiſcopos Galliæ, & Hiſpaniæ, Marcelli Papæ ad Epiſcopos Antiochenæ Prouinciæ, Epiſtol. Ægyptiorum Epiſcoporum ad Marcum Papam, Epiſtol.1. Iulij Papæ, Epiſtol. Athanaſij ac Ægyptiorum Epiſcoporum ad Liberium, & alia ad Fœlicem Secundum, Epiſtol. Damaſi ad Stephanum, & Concilia Africa*, quæ
5 omnes Epiſtolæ habentur *Tomo 1. Conciliorum*. Eſt autem friuola Hæreticorum reſponſio has Epiſtolas eſſe ſuppoſititias, & recentes, nam ab antiquiſſimis temporibus mentio habetur Epiſtolarum iſtorum Pontificum, eas enim obſeruari iubet, & recipi *Gelaſius Papa in cap Sanct. Romana 15. diſtinction. & Rufinus præfatione in Libros recognitionum Clementis*. meminit Epiſtolæ Clementis ad Iacobum, & Gratianus plura ex Epiſtolis illorum Pontificum in decretis ſuis collegit, & longè ante ipſum Iſidorus quidam Mercator, ſeu peccator collectionem Canonum fecit ex Epiſtolis iſtis antiquiſſimorum Pontificum, de cuius tamen cenſura videndus eſt doctiſſimus Vir *Antonius Auguſtin. in 2.part.ſui Epitomes iuris* agens de Collectoribus Canonum *cap.19*.

Firmatur eadem traditio ex Sanctis Patribus præſertim illis, qui continuatam ſeriem ſucceſſionis Pontificum in Cathedra Petri tanquam in Apoſtolica Sedem, & authoritate tradiderunt Præcipui autem ſunt Sanctus *Irenæus lib.3.contra hæreſes c.3 Sanct. Epiphanius hæreſi 27*.circa finem, *Auguſtin. Epiſtol.165.Hieronym. libr.de Scriptoribus Eccleſiaſticis in Clemente, & Optatus Mileuitanus lib.2.contr. Parmen*. videatur *Cyprianus cuius ſæpè verba* retulimus vnitatem Eccleſiæ ad Cathedram Petri, quæ Romæ eſt deferentis Præcipuè *Epiſtol.40.& 45. & 55.* & alijs, *Sanct. Leo Papa, ſerm.1.de Natali Apoſt.& ſerm.2.& 3.ſuæ Aſſumptionis*, paſſimque in Epiſtolis ſuis, & *Sanct. Gregorius Papa ſuper Pſalm.5. pœnitentialem*, ad illa verba: *Qui laudabant me aduerſum me iurabant*. Nicolaus I. præſertim in *Epiſtol. 8. ad Michaëlem Imperatorem*, & alij quæ habentur *3. Tomo Conciliorum, Sanct Proſper.lib. 2.de vocatione gentium, & lib.de ingratis cap.2. Fulgentius lib. de Incarnatione, & Gratia cap. 11. Bernardus lib. 3. de conſideration. ad Eugen.* & alij Poſteriores Patres ſine vlla controuerſia.

17 Ex Concilijs eadem firmatur Traditio, & quidem efficaciſſimè nam cum in Concilijs Epiſcopi totam Eccleſiam repræſentent, ſi ipſi fatentur Primatum hunc Romani Pontificis, manifeſtum ſignum eſt non ab ipſis aſſumi hunc honorem, qui à tota Eccleſia recognoſcitur. Concilium Nicænum in Canone 6. prout iſte Canon relatus eſt in *act.16*. Concilij Chalcedon. inquit, quod *Eccleſia Romana ſemper Primatum tenuit*. In eodem etiam Concilio Chalcedonenſi paſſim vocatur Sanct. Leo Papa *Vniuerſalis Eccleſiæ Pontifex*, vt *action. 1.2.& 3*. Citat etiam *S. Thom. Opuſc. 1. §. Similis autem* Canonem Concilij, quod non nominat, & videtur fuiſſe Concilium Calcedonenſ. vt annotat Surius in fine *Lection. 15.* eiuſdem Concilij, vbi ſic dicitur: *Veneremur ſecundum ſcripturas, & Canonum definitionem ſanctiſſimum Antiquæ Romæ Epiſcopum Primum eſſe, & maximum Epiſcoporum omnium*. Vnde inaduertenter dixit, *Suarez lib. 3. contra Regem Angliæ cap.16.* hanc authoritatem in *D. Thom.* non inueniri. Item in 6. Synodo generali in Sermone ad Imperatorem vocatur Agatho Papa *Summus Pontifex, & Principis Apoſtolorum Succeſſor*. Similiter in 7. Synodo Act. 2. recipitur, & probatur Epiſtola Adriani I. ad Tharaſium, in qua Sedes Romani Pontificis totius orbis terrarum Primatum tenere, & omnium Eccleſiarum caput eſſe dicitur. Et in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. cap. 5. *Romana*(inquit)*Eccleſia diſponente Domino ſuper omnes alias ordinariæ poteſtatis obtinet Principatum; vtpote mater omnium Chriſti fidelium, & Magiſtra* Denique *Florentin. in litteris vnionis*. idem aſſerit, vt ſupra in principio articuli retulimus.

Vltimo conſtat hæc Traditio ex ipſamet Eccleſia perpetuò agnoſcente vniuerſalem Prima- 18
tum Romani Epiſcopi ſuper omnem Eccleſiam in ipſo exercitio, & in omnibus actionibus, quæ vniuerſalitatem eius Primatus teſtificantur, ſcilicet quia ad ipſum appellatur ab omni Eccleſia, & ab omni Epiſcopo, & in maioribus, & difficilioribus cauſis totius Eccleſiæ conſulitur Romana Sedes. *Item* iuriſdictio in totam Eccleſiam quatenùs leges Epiſcopi Romani ad omnem Eccleſiam extenduntur. *Item* confirmatio Synodorum etiam generalium. *Item* creatio Epiſcoporum, aut depoſitio etiam Patriarcharum, Octo enim Conſtantinopolitanos fuiſſe depoſitos à Romanis Pontificibus numerat *Nicolaus I. epiſtol. ad Michaëlem Imperatorem*, eorumque poteſtatem plus, aut minus limitare, vel extendere. *Item* poteſtas coërcendi, & puniendi quæcumque membra Eccleſiæ, etiam ſupremos Principes: nam etiam ab antiquis temporibus Innocentius I. excommunicauit Arcadium Imperatorem extra Epiſcopatum Romanum conſiſtentem, vt videre eſt in *epiſtol. 17. Innocentij tomo 1. Conciliorum*. & multi alij Pontifices excommunicauerunt Imperatores, & priuauerunt imperio. De his autem omnibus agemus infra tractando in ſpeciali de poteſtate Papæ.

Ad *Rationem* verò dubitandi ſupra allatam cir- 19
ca iſtam difficultatem *Reſpondetur* alligationem, ſeu coniunctionem Pontificatus Orbis cum Epiſcopatu vrbis conſtare ex ipſo facto Petri, vt oſtenſum eſt, & probabiliter ex Chriſti iuſſione, & præcepto, ſicut vidimus, quod voluntas Petri Eccleſiæ ſignificata eſt, *Tum* in ipſo exercitio, vt ex traditionibus allatis conſtat, aliiſque probationibus: *Tum* in illis verbis Clementis, qui illam voluntatem & traditionem Petri factam eſſe ſignificat: *Tum* ex definitionibus Conciliorum, & Eccleſiæ receptione. Quod verò additur de Epiſcopatu Antiocheno, quem prius habuit Petrus, *Reſpondetur*, Quod illum non habuit

ſirmando

firmando ibi Sedem abſolutè, ſed ad tempus, quia adhuc in vita ſua illum dereliquit, & ſucceſſorem in eo deſignauit, ſcil. Euodium, & alibi, id eſt Romæ fixit Sedem, nec eam amplius mutauit, vt ex allatis probationibus conſtat, quibus Romanus, & non Antiochenus Epiſcopus ve ſucceſſor Petri recognoſcitur. An vero ſegregari poſſit Pontificatus ab Epiſcopatu Romano per aliquam authoritatem humanam? De hoc non conueniunt authores, *Magiſter Soto in 4 diſtinction. 24. ſupra cit.* tenet id fieri poſſe, quia exiſtimat coniunctionem illam ſolum ex poteſtate ordinaria Petri factam eſſe, non ex ſpeciali ordine Chriſti Domini. Qui vero de iure diuino illam factam exiſtimant, nullo modo ſeparari poſſe ab Eccleſia aſſerunt. *Magiſter Bañez* vbi ſuprà, etſi teneat non fuiſſe factam de iure diuino, adhuc eſt dubius an poſſit mutari ab aliqua poteſtate humana, quia ſicut inter ius purè naturale, & ius purè humanum, ſeu poſitiuum mediat ius gentium, quod pro quanto participat aliquid de iure naturali non poteſt de facili mutari: Ita poteſt hoc ius Romanæ Eccleſiæ vocari medium inter ius purè diuinum, & ius merè humanum, quatenus dependebat aliquo modo à facto, & morte Petri, & pro ea parte qua aliquid participat de iure diuino non poteſt de facili mutari. Quia tamen hoc ius nouum videtur, nec ſatis fundatum, ad Eccleſiæ determinationem ſe in hac parte remittit.

21 Cæterum: Quia iſta quæſtio parum practicabilis eſt, & magis ſpeculatiua, quia tamen abſolutè non eſt impoſſibilis caſus aliquis in Eccleſia, quo ipſe Pontificatus ab Epiſcopatu Vrbis diuidendus ſit, vt ſi ipſa Romana Ciuitas, & conſequenter Epiſcopatus illius funditus euerterentur nec iterum reædificaretur, vt communiter tenetur ab Anti-Chriſto faciendum, videtur mihi quod abſolutè loquendo in Eccleſia eſt poteſtas vniendi Pontificatum alteri Epiſcopatui, aut illum ſine Epiſcopatu aliquo retinendi, ſicut primis quinque annis antequam Antiochiæ Petrus Sedem figeret in Eccleſia fuit. Moueor ad hoc quia ille caſus euerſionis Romanæ vrbis abſolutè non eſt impoſſibilis, & de facto euenturus putatur tempore Anti-Chriſti; ergo tunc poſſet Pontifex, quia maneret deſtructa Vrbe, aut ipſa Eccleſia deſignare Epiſcopatum aliquem, cui vniretur Pontificatus, aut quod ſine Epiſcopatu maneret, cum ipſa ſuprema authoritas Pontificatus extingui non poſſit, niſi forte diceretur quod tunc Deus per aliquem Prophetam reuelabit quid faciendum ſit, & fortaſsè id fiet ab Elia, & Enoch tempore Anti-Chriſti, ſi tunc Romana Ciuitas euertenda eſt. Sed hoc eſt mera diuinatio, nec ideo Eccleſia deſtituenda eſt poteſtate prouidendi ſibi in hac materia, ſi fortè talis caſus contingeret. Extra hunc verò caſum exiſtimo nullum dari poſſe ita vrgens quod iuſtificare poſſet iſtam ſeparationem, nec etiam validam reddere, quia quantumuis neceſſitas cogeret Romanum Pontificem abeſſe ab Vrbe Romana, ſicut ſæpè abfuerunt, tamen etiam extra Vrbem Romæ poſſent Romani Epiſcopi manere, dummodo Epiſcopatus ille, & Vrbis adhuc exiſteret.

22 Ratio *autem eſt*, Tùm quia eſt probabile quod illa vnio ſit facta iure diuino. Vnde ſi illud ius poteſt per diſpenſationem mutari debet eſſe ex cauſa vrgentiſſima, quamdiù autem Vrbs Romana ſubſiſtat non poteſt dari vrgens cauſa pro illa mutatione, nam etiam ſæuientibus perſecutionibus, & cum cogerentur Epiſcopi Romani exulare, aut abeſſe numquam iudicatum eſt debere transferri Pontificatum ab illo Epiſcopatu. *Addo*, quod etiamſi ab Apoſtolis, & non à iure diuino facta eſt hæc coniunctio, adhuc non conſtat factam ab Apoſtolis per authoritatem ordinariam, in qua ſuccedit Pontifex, ſed veriſimile eſt factam ab illis ſecundum poteſtatem extraordinariam, in quantum erant delegati, & primi fundatores Eccleſiæ, ea qua poteſtate facerent. Sicut autem Apoſtoli ex munere Apoſtolatus extraordinariò, & delegatò habebãt poteſtatem, & authoritatem ſcribendi Scripturam Canonicam, ita ex eodem munere authoritatem habebant explicandi ius diuinum altiori modo, quam nunc explicabatur ab ipſa Eccleſia; vnde non videtur mutari poſſe talis determinatio ab authoritate ordinaria Eccleſiæ, quæ facta eſt ex authoritate Apoſtolica quatenùs delegata, & extraordinaria erat, & ad ipſum actum fundandi Eccleſiam pertinebat; ordinaria enim poteſtas non poteſt mutare ea, quæ à delegata poteſtate ſuperiori facta ſunt, vt eſt Textus expreſſus in *cap. Sunt quia nos de Officio & poteſtate iudicis delegati*. Quod autem Apoſtoli tamquam delegati Chriſti iſtam coniunctionem fecerint fundamentum habet, *Tum quia* ille erat actus fundationis Eccleſiæ. Apoſtoli autem in quantum fundatores Eccleſiæ vtebantur poteſtate delegata, non ordinaria: *Tum quia* id ſignificat Iulius Papa in *Epiſtol.* 1. loquens de Apoſtolis, dicit enim, Quod Eccleſiam Romanam Primatum omnium Eccleſiarum eſſe voluerunt, & idem inſinuat *Anacletus Epiſtol.* 2. Vnde ſi id voluerunt Apoſtoli non videtur à ſolo Petro eam electionem factam eſſe, ſed communicatione aliorum Apoſtolorum, & ita authoritate Apoſtolica quatenùs delegata, & extraordinaria erat, id eſſe factum, nec in ea nunc ordinariam Eccleſiæ poteſtatem diſpenſare poſſe.

Quod vero attinet ad ea, quæ Hæretici afferunt ad probandum incæpiſſe Romani Pontificis Primatum, vel à tempore Concilij Nicæni, aut alterius; vel quod peius eſt, ab Imperatore Conſtantino, vel Phoca, iam ſatis oſtenſum eſt quam inaniter dictum ſit, cum ab ipſis temporibus Apoſtolorum per Traditiones Eccleſiæ, & Patrum, & definitiones Conciliorum, etiam Nicæni, conſtet Romanum Pontificem ſemper habuiſſe Primatum. Optime ergo *Nicolaus I. epiſt. ſæpe cit. ad Michaelem Imperatorem* dixit priuilegia huius Sanctæ Eccleſiæ à Chriſto ſunt donata, à Synodis non donata, ſed celebrata, & honorata: & idem dicendum de Imperatoribus quod ipſi quaſi Eccleſiæ Romanæ Defenſores promulgarunt, & obſeruari fecerunt Primatum iſtum, ſicut fecit Conſtantinus conferens ei etiam temporalia bona, & ſplendorem quaſi Imperialem, vt habetur in *capit. Conſtantinus nonageſima ſexta diſtinction.* nuſquam vero primatus iſte ab aliquo Imperatore conceſſus intelligitur tamquam ab inſtituente, & ordinante, ſed vt à promulgante, vel defendente, vel ei conſentiente. Et Phocas quidẽ, vt ait *Beda lib. de temporib. in Phoca*, ſolum ad inſtantiam Bonifacij Papæ iuſſit, & compulit vt Conſtantinopolitanus Patriarcha non ſe nominaret Primum, ſeu Vniuerſalem Epiſcopum, quo titulo etiam 23

tempore Sanct. Gregorij vti voluit, ſed declarauit id pertinere ad ſolum Epiſcopum Romanum. Similiter & Conſtantinus IV. ſolum Benedicto II. ceſſit ne deinceps conſuetudo illa permaneret, quâ expectabatur authoritas Imperatoris vt conſentiret electioni, ſeu creationi Pontificis, ſicut & alij poſteriores Imperatores videntur aliquando feciſſe, & hoc ſolum Platina refert.

23 Quod *ſi adhuc obyciatur* ab hæreticis id quod habetur in *cap. Primæ Sedis diſtinction 99.* vbi ex Concilio Africano præcipitur vt Primæ Sedis Epiſcopus non appelletur *Princeps Sacerdotum*, vel *Summus Sacerdos*, ſed tantum *Primæ Sedis Epiſcopus*, & in *cap. Nulus*, & in *capit. eis eadem diſtinction.* præcipitur, quod Romanus Epiſcopus non appelletur *vniuerſalis Epiſcopus*, ergo non eſt dicendum Romanum Epiſcopum hanc habere ſupremam authoritatem. *Et confirmatur.* Quia Pontifex iudicari poteſt ab Eccleſia, ſeu Concilio, nam in caſu Hæreſis deponitur, vt habetur in Canone *Si Papa 40. diſtinction.* & Concilium Conſtantienſe etiam extra caſum Hæreſis depoſuit tres Pontifices, Concilium Baſilienſe depoſuit Eugenium IV. & Concilium Sinueſſanum depoſuit Marcellinum Pontificem ex eo ſolum, quod Idolis metu mortis ſacrificauerat, vt refert Nicolaus I. *cit. epiſtol. ad Michalem*; ergo Papa non eſt ſupremus in tota Eccleſia. Item Honorius I. fuit excommunicatus à 7. *Synodo generali act. vltima* quaſi Hæreticus Monothelita, quod vt teſtatur *Adrianus I. in 8. Synodo, act. 7. & in 6. Synodo act. 13.* damnatus Honorius vt Hæreticus. Similiter liberius ab Acacio depoſitus eſt, & in eius locum Fœlix ſubrogatus, vt teſtatur *Hieronym* de viris Illuſtribus. *Reſpondetur* Canones illos in primis non loqui de Ipſa authoritate Pontificis, ſed de nomine, ſeu titulo, quo non decet appellari, & titulus quidem *Principes Sacerdotum*, quia id redolet Synagogam, non Eccleſiam decet; titulus autem *Vniuerſalis* nimiam ambitionem præfert. *Vel Secundò.* Ille Canon Africani Concilij non loquebatur de Epiſcopo Romano, cui legem præſcribere non poterat Nationale Concilium, ſed de Epiſcopo Carthaginenſi, qui erat Primas inter Africanos. Titulum etiam *vniuerſalis* reſpuit Gregorius, tùm propter Patriarcham Conſtantinopolitanum, qui eo vti volebat, & ipſius Gregorij humilitatem: tùm propter æquiuocationem illius vocabuli *vniuerſalis*, nam vel ſignificat vniuerſalitatem quaſi in cauſando, vel quaſi in eſſendo. Et licet Summus Pontifex ſit vniuerſalis quaſi in cauſando ſicut cauſa vniuerſalis, quæ non excludit cauſas particulares, & proximas, non tamen eſt vniuerſalis in eſſendo, quaſi ipſe ſit ita vniuerſalis Epiſcopus, quod proximè, & propriè ſit Paſtor cuiuſcumque Eccleſiæ particularis. Et in hoc ſecundo ſenſu eam reiicit Gregorius, non in primo, vt ex eius ratione patet, dicit enim ſe non eſſe *Vniuerſalem Epiſcopum*, quia ſic alij non eſſent Epiſcopi: quæ ratio non valeret niſi nomine *vniuerſalis* intelligeret talem vniuerſalitatem, quæ excluderet proprietatem aliorum Epiſcoporum, & ſolum haberet illos quaſi Vicarios ſuos.

24 Ad *Confirmationem reſpondetur*, in caſu Hæreſis Papam poſtquam vt Hæreticus declaratus eſt eſſe euitandum ab Eccleſia, & conſequenter vel deſinit eſſe caput Eccleſiæ ipſo facto, vel ab Eccleſia deponitur; ſicut & euitandus declaratur, iuxta quod dicit Paulus *Hæreticum hominem poſt vnam, vel alteram correptionem deuita.* De hoc autem infra agemus, nam multi tenent Papam, etiam vt perſonā priuatam non poſſe eſſe Hæreticum, & in hoc caſu non procedit obiectio, ſed quia oppoſitum eſt probabilius prima ſolutio eſt tenenda. Concilium autem Conſtantienſe depoſuit illos tres Papas, quia ignorabatur quis eorum eſſet legitimus, & quia ea conditione electi fuerant vt cederent Pontificatui, ſi ita expediret Eccleſiæ. Vnde potuit Concilium cognoſcere quis eſſet legitimus eorum, cum ſimul tres Papæ eſſe non poſſent, & ſi de omnibus dubitaretur declarare nullum eorum eſſe Papam, quod & fecit. Eugenius autem iniuſtè depoſitus eſt à Concilio Baſilienſi; vnde & tunc deſiit eſſe Concilium legitimum, & caſſatum eſt ab ipſo Eugenio, & tranſlatum Florentiam, ibique legitimè celebratum eſt Concilium Florentinum, nec depoſitio illa facta eſt cum approbatione, & conſenſu Legatorum Pontificis, nec à toto Concilio, de quo poſteà dicemus. Vnde Seſſiones illæ quæ habitæ ſunt in Concilio Baſilienſi poſt illam depoſitionem vt illegitimæ ab Eccleſia habitæ ſunt.

De *Facto* autem Marcellini multi dubitant, 25 nam & Auguſt. de illo tractans lib. de vnico Baptiſmo contra Petilianum *cap. 16.* dicit, Marcellini crimen etſi à Donatiſtis argueretur, non tamen conuinci, nec tenuiter probari: multas quoque rationes, & coniecturas affert Baronius anno Chriſti 303. quibus illud Marcellini crimen, & illius Concilij acta falſa eſſe probat. Cæterùm etſi demus eſſe legitima, quia ſic ab antiquiſſimis, & grauiſſimis Authoribus admittuntur, præſertim à *Nicolao I.* tamen ipſum Concilium non depoſuit Marcellinum, ſed dixerunt Epiſcopi *Tuo te ore iudica, nam prima Sedes à nemine iudicatur.* Extant ipſa acta in *tomo 1. Conciliorum.* Poſtquam autem ipſe ſe condemnauit, aut declarauit, Epiſcopi ſubſcripſerunt in eius condemnationem, & anathema protulerunt. Quod tamen ſi de vera excommunicatione intelligendum ſit, conſequenter dicendum eſt ipſum Marcellinum ſic declaraſſe crimen ſuum, vt Pontificatui cederet, & ſic in ipſum excōmunicatio eſt prolata: ſi tamen Pontifex manſit, quod verius videtur, quia Pontifex poſteà erat, cum Martyrio coronatus eſt, non fuit verè excommunicatus, ſed aliquam ſuſpenſionem officij ad tempus, & ſeparationem pro pœnitentia ipſe admiſit, & Concilium approbauit, & hoc ſenſu dicitur dānatus à Concilio. De Honorio autem grandis Quæſtio eſt, An verè fuerit Hæreticus? De quo in ſequenti diſputatione aliquid attingemus. Et quidem *Magiſt. Cano lib. 6. de locis*, ipſum nullatenus ab Hæreſi excuſat, non quidem in definiendo, ſed vt priuata perſona; nec enim ipſe definiuit errorem illum de vna tantum voluntate in Chriſto. *Turrecremata lib. 2. de Eccleſia c. 39.* admittit Honorium damnatū à ſexta Synodo, ſed ex falſa informatione, atque adeò in eo iudicio Synodum erraſſe; poteſt enim Concilium errare in quæſt. de facto, licèt non in Quæſtion. de iure, aut in definitionibus fidei. *Bellarminus lib. 4. de Romano Pontifice cap. 11.* cenſet quod quid dicitur contra Honorium in ſexta Synodo ab æmulis eius fuiſſe ibi inſertum, idque dicit teſtari Anaſtaſium Bibliothecarium in ſua

Hiſtoria,

Hiſtoria, & ſic fateri debemus exemplaria ſextæ Synodi in hac parte eſſe corrupta, & præſertim iuuatur Bellarminus ex quadam Epiſtola Agathonis Papæ, quæ in eadem ſexta Synodo approbata eſt *act. 8. & act. 18.* in qua Agatho latè oſtēdit nullum prædeceſſorum ſuorum in confirmanda fide defeciſſe, numeranſque, ac damnans eos, qui hæreſim Monothelitarum defendebant, qui negabant duas voluntates in Chriſto, inter eos non numerat Honorium, ſed ſanctam Sedem Apoſtolicam eximit, quod item facit Concilium Romanum, quod ante ſextam Synodum ſub Martino Papa celebratum eſt in cauſa huiuſmet hæreſis. Addo mihi veriſimile, & ſatis fundatum videri quod tradit Cardinalis Baronius anno Chriſti 645. quod Honorius nunquam negauit duas voluntates in Chriſto alteram diuinam, alteram humanam, ſed negauit duas voluntates in ipſa humanitate ſibi contrarias, & repugnantes, quales nos habemus propter fomitem peccati; & hoc conſtat ex illa Diſp. celebri inter Pyrrhum, & Maximum Monachum, quæ recitatur *tomo 2. Conciliorum*, poſt vitam Theodori Papæ, in qua cum obiiceret Pyrrhus quid de Honorio ſentiret? Reſpondit Maximus conſtare ex epiſtola quadam ſcripta à ſucceſſore Honorij Ioanne IIII. ad Imperatorem negaſſe Honorium duas voluntates contrarias in Chriſto carnis, & ſpiritus, non duas, alteram humanam, alteram diuinam; & quia hoc non ita expreſſerat Honorius exiſtimatus eſt ab hæreticis ſecum ſentire, eique talem calumniam impoſuerunt. Et ſic damnatio illa Honorij ſuppoſititia videtur, non à Concilio facta: vel ſi facta fuit ſolum ſub conditione, aut ſuppoſitione, ſi fortè Honorius id ſenſerit, eum damnauerunt; ſicut in Concilio Francofordienſi cum Elipandus Epiſcopus Toletanus pro ſuo errore, quod Chriſtus eſſet filius Dei adoptiuus adduceret Sanctum Ildefonſum, & Iulianum, &c. Concilium verò diſcutiendo an verè, vel falsè eos allegaſſet ex ſuppoſitione etiam illos damnauit, tanquam à quibus eſſet acceptus ille error. Cum tamen Sanctum Ildefonſum oppoſitum tenuiſſet conſtet ex *lib. de virginitate Sanctæ* MARIÆ *cap. 6. & 11.* Eodem ergo modo Honorius damnatus eſt, ſi forte damnatus fuit.

26 Ad *Vltimum quod dicitur de Liberio* Reſpōdetur in primis ſanct. Hier. non dicere quod Acacius depoſuit Liberium, ſed quod in tantum clarnit quod in locum Liberij felicem Arrianum Epiſcopum conſtitueret. Et certum eſt Liberium non eſſe iuſtè depoſitum, ſed iniuſtiſſimè in exilium deportatum, vt teſtatur *Hilarius in libro aduerſus Conſtantium, Athanaſius Epiſto. ad ſolitariam vitam agentes*, & alij Authores hiſtoriæ illius temporis. Dum autem exularet, Fœlix Diaconus eius in Epiſcopum ab hæreticis ſubrogatur, vt teſtatur *Ruffinus lib. 1 cap. 2 1.* qui habetur poſt Hiſtoriam Euſebij, & ideò ille Fœlix dictus eſt Hæreticus, & Arrianus, quia Hæreticis communicabat, & tunc erat Antipapa. Poſtmodum verò legitimus Papa effectus Hæreſim damnauit. Liberius tamen nunquam depoſitus eſt ſecundum ius quamdiu hæreticis noluit conſentire, poſteà autem cum conſenſit in damnationem Athanaſij, & cum hæreticis communicauit à Clero Romano abrogata eius dignitate Fœlix electus eſt, & ipſe tunc hæreſim damnauit Arrianam.

27 Reſtabat Tractare de ſecunda parte Concluſionis ſupra in principio Articuli propoſitæ, ſcilicet quod Romanus Pontifex non poſſit errare, nec aliquis vnquam errauerit in definiendis rebus fidei. Et ſimiliter quod hæc poteſtas Pontificia ſemper ſit duratura in Eccleſia. Sed quod attinet ad indeficientiam in fide, & quod nunquam aliquis Pontificum errauerit in illa definienda, commodius agetur infrà tractando de poteſtate Pontificis in confirmandis Conciliis: Interim ſufficit indicare quod Sancti Patres, & Eccleſiæ traditio communiter id colligunt ex illis verbis Lucæ 22. *Ego rogaui pro te vt non deficiat fides tua*, ſic intellexit hunc locum Lucius Papa I. in epiſt. ad Epiſcopos Galliæ, & Hiſpaniæ *Tomo 1. Conciliorum, & Agatho Papa in epiſt. ſcripta ad Imperatorem*, & approbata *in ſexta Synodo Generali*, vt habetur *Tomo 2. Conciliorum. Fœlix I. in epiſtola ad Benignum. Nicolaus I. epiſt. ad Michaelem. Leo IIII. epiſt. ad Petrum Antiochenum. Innocentius Tertius capite Maiores de Baptiſmo, & eius effectu. Bernardus epiſtola* 190. *Sanct. Hieron. aduerſus Ruffinum. Cyprianus epiſt. ad Cornelium Papam*, & alij multi de quibus infrà latius agetur. De duratione verò Pontificiæ dignitatis, quam hæretici iam abolitam eſſe dicunt non eſt quod multum curemus, cum ipſi ſolidum fundamentum afferre non poſſint de tempore quo deſierit: aut qua authoritate mutata ſit, & in quale regimen ſit tranſlata, cum conſtet Eccleſiam vnam eſſe, & eandem eſſe nunc, quæ fuit ab initio: non poſſet autem eſſe eadem ſi non maneret eadem forma regiminis, nec poterat poteſtas illa, quæ à Chriſto inſtituta eſt in initio Eccleſiæ mutari, niſi ab ipſomet Chriſto: non eſt autem vnde conſtet Chriſtum Dominum illam mutaſſe, quin potius promiſſiones eius ſine vlla conditione, aut reſtrictione ſunt perpetuæ, nam *Matth. vlt.* dicitur: *Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſeculi.* Et Matth. 16. *Super iſtam Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt aduerſus eam.* Si autem mutaretur poteſtas illa Petri prævalerent aduerſus illam Portæ inferi, illi ſcilicet qui eam mutarent. Denique 1. ad Timoth. 3. dicitur: *Quod Eccleſia eſt Columna, & firmamentum veritatis.* Dicuntur etiam manere fideles Chriſti Domini vſque ad tempus Iudicij Lucæ 21. *Propter electos breuiabuntur dies illi.* Et in vltimis temporibus multa ſcribuntur paſſim in Epiſtolis Pauli, & Petri, & in Apocalypſi, quibus ſignificatur fidem Chriſti Domini, tunc adhuc duraturam; ſi autem fides durabit, etiam & Eccleſia, & conſequenter forma regiminis eius: De hoc autem plura attingemus in ſequentibus.

DISPVT. II.

De his quæ poteſt Eccleſia in Perſonam Papæ; vide electione, depoſitione, & Certitudine Perſonæ electæ.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Poteſtas eligendi Pontificem, & modus eligendi commiſſus ſit Eccleſiæ à Chriſto Domino?

1 IN hac Quæſtione tres præcipuæ difficultates inuoluuntur, *Prima eſt* de ipſa poteſtate eligendi, & deſignandi Pontificem, an iſta ſit commiſſa ipſi Eccleſiæ, & quænam poteſtas ſit? *Secunda eſt*, in quibus reſideat hæc poteſtas ſecundum ſe, ſiue de iure Eccleſiaſtico, ſiue de iure diuino? *Tertia eſt*, An modus eligendi, & determinatio Perſonarum eligentium mutari poſſit à poteſtate humana?

2 In hoc dubio communiter Theologi diſtinguunt de poteſtate deſignatiua perſonæ per electionem in Papam, & de poteſtate collatiua dignitatis Pontificiæ. Et hoc ſecundum dicunt pertinere ad Chriſtum Dominum, quia cum poteſtas Pontificialis ſit ſuprema totius Eccleſiæ, imò & ſuperior ad totam Eccleſiam, non poteſt conferri ab aliqua alia poteſtate Eccleſiæ. Primum vero pertinet ad ipſam Eccleſiam, ſiquidem aliàs non poteſt commodè prouideri ſucceſſor Pontificatus; nam ſi in Eccleſia non eſſet poteſtas ipſum deſignandi, deberet deſignari à Chriſto Domino, quod tamen nec in Eccleſia fit, neque fieri humano modo poſſet, niſi continuum aliquod miraculum poneretur. Neque obſtat quod Apoſtolatus Matthiæ per electionem factus eſt, & tamen viſibili aliquo ſigno à Deo eſt declarata illa electio, hoc enim ſignificant illa verba Actor. 1. *& cecidit ſors ſuper Mathiam*, quod declarans Dionyſius cap. 5. Eccleſiaſticæ Hierarchiæ pag. 3. *Videntur* (inquit) *eloquia ſortem nominaſſe diuinum quoddam donum declarans illi Hierarchico choro à diuina electione oſtenſum.* Nam Apoſtolatus (vt ſæpè diximus *Diſpu. præced.*) prout tunc fuit in illis primis fundatoribus Eccleſiæ includebat ſpeciale munus legationis Chriſti, & ideò non poterat dari niſi ab ipſo Chriſto, vel per ſe immediatè, vel per aliquod viſibile ſignum: vnde etiam apparuit Chriſtus Dominus in propria perſona ipſi Saulo, vt eum conuerteret, & ad Apoſtolatum deſtinaret, tanquam Teſtem Reſurrectionis ſuæ, vt *Sanct. Thom.* dicit *3. p. quæſtion. 57. art. 6. ad tertium.* Et quando Barnabas, & Saulus Apoſtolatum acceperunt, facta fuit reuelatio ſpecialis, vt dicitur Actor. 13. *Dixit illis Spiritus Sanctus ſegregate mihi Saulum, & Barnabam ad opus, ad quod aſſumpſi eos.* Propter hoc ergo ſpeciali reuelatione deſignati ſunt quicunque ad Apoſtolatum aſſumebantur, quia hoc munus ſpecialem delegationem, & commiſſionem Chriſti poſtulabat. At vero dignitas Pontificalis etſi ſuccedat Apoſtolatui in ratione ſupremi regiminis Eccleſiæ, non tamen in ſpeciali illa delegatione, ſed ſolum in poteſtate ordinaria, vnde ſucceſſores per electionem, non per reuelationem Chriſti conueniebat deſignari, & ita fieri neceſſe eſt, cum tales reuelationes modo non habeamus, & tamen Eccleſiam nos habere, & eius poteſtatem gubernatiuam fides docet. Vide plura de hac re apud *Bellarmin. lib. 1. de clericis cap. 5.* vbi oſtendit contra errores Vvicleph, & Ioannis Hus electionem Paſtorum Eccleſiæ non debere fieri à ſolo Deo. Igitur de hac poteſtate deſignatiua Pontificis, ſuppoſito quod debet eſſe in Eccleſia, tota controuerſia eſt an ſit collata immediatè ipſi Eccleſiæ à Chriſto, vel ſolū mediante Poteſtate Papæ?

Dico *Primò*. Probabilius videtur hanc poteſtatem traditam eſſe à Chriſto Domino Eccleſiæ quaſi proximè, & formaliter, & ordinario modo; regulatiuè autem, ſeu architectonicè, & principaliter ipſi Papæ. Pro intelligentia huius Concluſionis aduerte multos ſentire ipſum Papam habere in ſe poteſtatem eligendi ſucceſſorem, atque adeò fatentur electionem ab ipſo factam de ſucceſſore eſſe validam, quidquid ſit an modo in Eccleſia electio iſta aliis Perſonis ab ipſo Papa committatur Et hæc Opinio quoad Primam partem, quod hæc poteſtas ſit in Papa, à quibuſdam attributa fuit Caietano, de quo tamen ipſe ſe explicauit in *Tractatu 2. Apologia pro authoritate Papæ c.* 22. tribuitur etiam *Victoriæ relect. 2. de poteſtate Papæ*, quem etiam ſequuntur multi alij, qui tenent Papam ſolo iure Canonico prohiberi deligere ſibi ſucceſſorem, poſſe verò abſolutè id facere, quam refert *Azor Tomo 2. lib. 4. c. 5.* Quæ ſententia fundamentum habet tùm in facto Petri, qui deſignauit S. Clementem in ſucceſſorem ſuum, vt conſtat ex epiſt. ipſius Clementis ad Iacobum, & ex *epiſt. 2. Alexandri.* 1. & ex *epiſt. Ioan. 3. in Cap. ſi Petrus, & cap. vnde 8. q. 1.* tùm ex *cap. ſi tranſitus 79. diſt.* Vbi ſupponitur poſſe Papam de ſucceſſore decernere in illis verbis: *Si tranſitus Papæ inopinatus euenerit, ita vt de ſui electione ſucceſſoris ante decernere non poſſit.* Cùm denique ex eo quod Pontifex habet poteſtatem determinandi, & ſtatuendi modum obſeruandum in electione Pontificis, & perſonas quæ eligant; ergo etiam in ipſo eſt poteſtas determinandi, & deſignandi ſucceſſorem, ſiquidem vnus ex modis, quibus deſignari poteſt perſona Pontificis eſt, vt ab anteceſſore deſignetur. 3

Secunda verò ſententia tenet hanc poteſtatem immediatè à Chriſto eſſe traditam Eccleſiæ, eique commiſſam, licèt modus eius dirigi, & determinari poſſit à Papa. Quam ſententiam probabilem reputat *Suarez in Tomo de fide diſp. 10. ſect. 4. nu. 13.* & quaſi corollariè tribuit eam *Caietano, Turrecremata lib. 2. de Eccleſia capite 51. Paludano, & aliis*, eſtque conformis ſententiæ illorum, qui dicunt Papam de iure diuino eſſe prohibitum eligere ſibi ſucceſſorem, quæ communior eſt apud Canoniſtas, quos refert *Azor* vbi ſupra. Et fundamentum huius ſententiæ ſumitur ex *cap. finali 79. diſt.* vbi Anacletus Papa dicit: *Electionem Summorum Pontificum, vel Sacerdotum ſibi Dominus reſeruauit, licèt electionem eorum bonis Sacerdotibus, & Spiritualibus populis conceſſiſſet.* Id etiam conſtat ex traditione Eccleſiæ à temporibus Apoſtolorum, nam Eccleſia ſemper vſa eſt electione pro deſignando Papa, nunquā verò ab anteceſſore deſignatus eſt: quod certè eſt validiſſimum teſtimonium Eccleſiam agnouiſſe hanc poteſtatem ſibi eſſe traditam. Quod roboratur amplius: Quia etſi dicamus Petrum deſignaſſe Clementem tanquam ſucceſſorē ſuum, adhuc tamen Eccl. poſt Petrum elegit Linum, & poſteà Cletum, antequam Clemens Pōtificatum iniuiſſet, quia Clemens ipſe ceſſit, & renuntiauit deſignationi Petri, vt ſentit *Epiphanius* 4

Hæreſi

hæreſi 27. & ſic electus eſt Linus in Pontificem: ergò adhuc ab ipſis temporibus Apoſtolorum Eccleſia vſa eſt iure eligendi omiſſa deſignatione ab Anteceſſore facta, quia ſentiebat ſibi hanc poteſtatem eſſe collatam à Chriſto.

5 Inter has autem duas ſententias extremas ſunt quaſi aliæ ſententiæ declaratores, aut conciliatores, ſeu modificantes iſtas, quibus in noſtra concluſione aſſentimur. Sentiunt ergò alij Eccleſiam non expreſſo aliquo iure diuino, ſed ex ſuppoſitione iuris diuini quaſi ex iure naturali, ſeu potius connaturali, habere ius eligendi Pontificem & ex conſequenti Papam, non ſolùm Canonico iure, ſed iure quaſi naturali, ſeu connaturali non poſſe deſignare ſucceſſorem, ſed id pertinere ad Eccleſiam ſecluſo Papa, ita *Azor* vbi ſupra *quæſtione* 3. fundamentum eſt. Quia hoc ipſo quod Chriſtus voluit Romanum Pontificē ſuccedere Petro, habuit Eccleſia Romana ius liberum eligendi ſibi Papam, in hoc ipſo quod habuit ius eligendi ſibi Epiſcopum Romanum, ſicut quælibet Eccleſia quādo eſt viduata paſtore habet ius eligendi illum. At vero *Suarez* vbi ſupra exiſtimat hanc poteſtatem eſſe quidem in Eccleſia per ſe, & quaſi ordinariè loquendo ſecluſo Papa, in caſu tamen aliquo, & quaſi extraordinariè eſſe etiam in Pontifice. Itaque Papa directè, & per ſe ſolum habet ius dirigendi, & præſcribendi modum obſeruandum in electione Pontificis, ſed tamen modum qui iuſtus ſit, & in ædificationem Eccleſiæ. Quare ſi tentaret introducere in Eccleſia tanquam ordinarium modum eligendi, quod deſignaretur ab anteceſſore non valeret, neque eſſet obſeruandum, quia vergeret in perniciem Eccleſiæ. Si tamen in aliquo raro, & extraordinario caſu attenta aliqua vrgente neceſſitate Eccleſiæ id faceret Pontifex iuſtè faceret, & legitima poteſtate vteretur, & ad hoc conuincitur *Suarez* rationibus *Victoria* vbi ſupra. Nec mirum quod hanc poteſtatem ita Chriſtus Dominus conceſſerit, cùm etiam poteſtatem confirmandi de iure ordinario tribuit Chriſtus Epiſcopis, ſeu Sacerdotibus ſummis; extraordinario tamen iure, & ex diſpenſatione Papæ etiam ſimplici Sacerdoti commiſit, vt *ex ſancto Gregorio Papa* docet *ſanctus Thomas* 3. *p. quæſtione* 72. *art.* 11. *ad primum*. Quæ ſit autem neceſſitas vrgens Eccleſiæ, quæ actionem iſtam poſſit iuſtificare authores non explicant; videtur tamen quod ſi rationabiliter timeretur magnū aliquod ſchiſma, aut oppreſſio Eccleſiæ, aut ſi electores omnes, vel ferè omnes ab aliquo Tyranno iniuſtè detinerentur, ita quod non eſſet locus creandi alios, poſſet Pontifex vti illa poteſtate: & ſimiles caſus neceſſitatis occurrere poſſunt, in quibus id licitum, & iuſtum redderetur.

6 Denique *Cardinalis Caietanus in tractatu* 5. *Apologia pro authoritate Papa*, cenſet poteſtatem electiuam Papæ nullo modo eſſe in Papa quaſi formaliter, ita vt Papa poſſit eſſe eſſe elector, & deſignator ſucceſſoris, ſed ſolùm eſſe in illo quaſi eminenter, & regulatiuè, quia Papa poteſt determinare modum ſeruandum in electione Papæ ab Eccleſia, & regulam præbere ſecundum quam electio fieri debeat. vnde poteſt regulare, & dirigere illam electionem, non tamen eligere. Sicut ad artem ſuperiorem, & architectonicam pertinet inferiorem dirigere, non tamen opera inferioris exequi: ſicut equeſtris dirigit frænefactiuā, non tamen facit frænum; & in naturalibus ratio dirigit appetitum, non tamen appetit & cœlum eminenter calefacit, non formaliter. Sic Papa habet poteſtatem imperandi, & dirigendi electionem Pontificis, non tamen eligendi formaliter & habet ſe poteſtas Papæ ad poteſtatem electiuam Papæ quæ eſt in Eccleſia, ſicut ars ſuperior ad inferiorem. Et quod hæc poteſtas eligendi ſit in Eccleſia quaſi formaliter, & proximè in eo fundatur à Caietano: Quia actus eligendi Papam per ſe loquendo non eſt actus non ſupponens Papam, quia eſt factiuus Papæ quantum eſt ex ſe vnde non debet conuenire Papæ per ſe loquendo, ſed Eccleſiæ, quæ manet in mortuo non exiſtente Papa. Vnde hoc ipſum quaſi in re gentium videtur introductum, vt in omni Rep. quæ per electionem creat ſuos Principes, poteſtas electiua non ſit in Principe, ſed in his qui manent non exiſtente Principe, alioquin ſi princeps deſignare debet ſucceſſorem iam id non pertinebit ad electionem; ſed quaſi ad propagationem, ſicut in his qui iure generationis ſuccedunt in principatu. Et ideo in veteri lege, in qua non fiebat Pontifex per electionem iure generationis ſuccebatur, nunc autem quia Pontifices non carnali generatione ſuccedunt, nec ad illos pertinere debet electio, & deſignatio ſucceſſoris, ſed ad poteſtatem, quæ manet ſede vacante, ipſi enim facere debent Pontificem, vnde hoc ipſo quod Chriſtus Dominus ſucceſſionem Pontificum non iure ſucceſſionis inſtituit, poteſtatem electiuam cenſetur dediſſe Eccleſiæ, quæ manet ſede vacante.

Quod *verò Pontifex* habeat poteſtatem determinatiuā quaſi regulatiuè, & architectonicè ſuper modū electionis habēdum, conſtat manifeſtè ex multis canonibus & textibus, vbi id determinatur à varijs Pontificibus, & videri poteſt *textus in cap in nomine diſt.* 23. *& capite* 1. *diſt.* 77. *& cap. licet de elect. & cap. vbi eodem titulo in* 6. *& Clementina ne Romani de elect.* & multa affert *Gratianus diſt.* 63. *& diſt.* 34. Et Iulius II. vt refert ibidē *Caietanus* etiam ſine Concilio generali ſtatutum edidit de electione Papæ; & alij multi Pontifices ſine interuentu Concilij generalis, licet verum ſit quod modus iſte, qui modo in Eccleſia ſeruatur à Concilijs generalibus firmatus, & acceptatus ſit, vt *Latheranenſibus ſub Nicolao primo, & Alexandrino tertio. Vienenſi, & Lugdunenſi ſub Gregorio decimo*. Quare hæc Caietani ſententia mihi ſimpliciter probabilior videtur vt ex eius rationibus conſtat. Et quidem libenter etiam aliquid concederem ſententiæ *Victoria*, *& Suarez*, ſed non video poſſe dari caſum, quo ipſe Papa vtatur poteſtate eligendi, & non ſufficiat præſcribere modum electoribus, aut alios electores inſtituendo, ſi illi qui tunc ſunt iniuſtè impediuntur, aut Epiſcopis, aut concilio id committendo, vel etiam diuinæ prouidentiæ, quæ Eccleſiam ſuam nunquam relinquit. Et præſertim moueor ad hoc, quia etiam grauiſſimis perſecutionibus imminentibus, & cum maximæ oppreſſiones aut ſchiſmata in Eccleſia timeri poſſunt ſicut contigit tempore Liberij, & Damaſi & aliis multis, nunquam tamen Pontifices vſi ſunt hoc remedio, vt ipſi eligerent ſibi ſucceſſores, ſed id Eccleſiæ permiſerūt, præſertim quia multò magis timeri poteſt ſchiſma ſi Pontifex deſignet ſibi ſucceſſorem, ne talis acceptetur poſtea ab Eccleſia, nec velit illi electioni ſtare; ergò non videtur vnquam aſſignari poſſe cauſam 7

ſa vrgentem, quæ iuſtificare poſſit vt illa actio ab electoribus extrahatur & deuoluatur ad ſolum Pontificem, nec poſſit prouideri neceſſitati occurrenti mutando formam electionis, aut alios electores nominando quod Pontifex facere poteſt.

8 Vnde ad ea quę afferebantur pro ſententia Victoriæ *Reſpondetur*. Quod quidquid ſit de facto Petri, an ipſe deſignauerit Clementem, vt in ſummo Pontificatu ſuccederet, vel nó, tamen de facto ſucceſſit prius Linus deinde Cletus quos Pontificatum geſſiſſe concors Authorum ſententia *eſt*, vt patet in *Irenæo lib. 3. c. 3. Optato Mileuitano lib. 2. contra Parmeni. Hier. lib. de ſcriptoribus Eccleſiaſticis in Clem. & ex Rom. Martyrolog. & ex Canone Miſſa colligi manifeſtum eſt*. quare ſi quando aliqui antiqui Authores, & Pontifices dicũt Petrum tradidiſſe pontificatũ Clem. intelligi videntur, quod ipſe Clementem ordinauerit, ſicut *Tertullianus* tradit *lib. de præſcriptionibus contra hæreticos c. 32.* licet Clementem quarto loco pontificem ponat, vel etiam ipſum commendauit, & dignum oſtendit Eccleſiæ, vt ei ſuccederet, licet ipſo etiam Clemente recuſante prius Eccleſia elegerit Linum. Videatur *Baronius anno Chriſti 69. cap. 40. & Caietanus citato loco*. Qui exiſtimat illud factum Petri narrari à Ioanne Papa, non tamen authorizari ab ipſo in illis textibus, qui citantur. Et *Turrecremata* ſimpliciter negat id factum à Petro; *Suarez* tamen cenſet Clementē immediatè ſucceſſiſſe Petro, Linum autem, & Cletum ſolum quaſi adiutores eius fuiſſe. Quod ſi ita eſt pluſquam triginta annos ſedit Clemens, ſcilicet ab anno Chriſti ſexageſimo-nono quo occiſus eſt Petrus vſque ad centeſimum-primum quo Clemens moritur, quod tamen nulli Pontifici tribuitur. ad illum textum ex *cap. ſi tranſitus Reſpondetur* in illis verbis non ſignificari quod Papa deſignare poſſit ſucceſſorem, ſed decernere hoc eſt deliberare, & tractare de ipſo, quod Papæ non eſt prohibitum, non tamen eligere determinatè. *Ad id verò quod vltimò obiicitur*, quod Papa poteſt determinare, & mutare modum eligendi ſucceſſorem, vnus autem modus eſt vt ipſe illum deſignet. *Reſpondetur* poſſe mutare modum & formam electionis iuxta ſuam tamen poteſtatem, & iuxta ſubiectam materiam, ſcilicet præbendo regulam Eccleſiæ, & quaſi regulando, & dirigendo electionem, non tamen ab Eccleſia eam extrahendo, & ſibi arrogando. Sicut poteſt Epiſcoporum iuriſdictionem reſtringere, aut extendere, non tamen ſibi aſſumere Epiſcopatus particulares, ita vt ſit proximus Paſtor aliarum Eccleſiarum, vnde non omnem modum deſignandi Pontificem mutare, aut determinare poteſt, ſed modum qui conueniat Eccleſiæ ita vt Eccleſia eligat, ſiue hoc modo, ſiue illo.

9 Dico *ſecundò*, poteſtas collatiua pontificatus non eſt in Eccleſia, ſed ad ſolùm Chriſtum pertinet; Eccleſia verò ſolùm deſignat, & determinat perſonam, & hoc loco loquendo de poteſtate pontificatus, nam de poteſtate quam habet Papa, vt Epiſcopus Romanus eſt, & illius peculiaris diœceſis, ſic habet illam eo modo quo cæteri Epiſcopi, ſcilicet quoad poteſtatem ordinis per conſecrationem; quoad poteſtatem iuriſdictionis ab ipſo Chriſto Domino mediante poteſtate Papali, ſicut alij Epiſcopi, ſicut eam haberet ſi de facto ſepararetur Pontificatus ab Epiſcopatu, licet quia eſt eadem perſona habens nunc vtramque dignitatem, non eſt ibi diſtincta collatio Epiſcopatus à Pontificatu; quaſi Papa per aliquem actum ſibi conferat poteſtatem illius determinati Epiſcopatus, ſed eſt diſtincta dependentia, quia Epiſcopatus non eſt immediatè à Chriſto, ſed mediante poteſtate papali, & ita Papa ſeipſo quodammodo eſt maior vt dixit *Caietanus ſecunda ſecundæ, quæſtione prima, articulo* 10. Et ſicut perſona Papæ ſubiicitur officio, & definitionibus Papæ, ſic Epiſcopatus eius ſubiicitur Pontificatui, non quaſi Pontifex faciat collationem Epiſcopatus ſibi ipſi, ſed quod ex ſubiectione ad poteſtatem papalem illum habet.

Igitur concluſio quoad illam partem quod 10
pontificatus immediatè confertur à Chriſto Domino, eſt communis ſententia Theologorum de qua videantur Cardinalis *Turrecremata Lib. 2. de Eccleſia cap. 44. & Caietanus in tract. 1. de authoritate Papæ cap. 13. & tractat 2. capite 22. Bellarminus Lib. 2. de Romano Pontifice cap. 27. & Suarez* vbi ſupra *ſectione 4. n. 5. Azor*, & alij ſupra cit. Itaque ſicut homo generat hominem, non quia facit formam, ſed quia diſponit, & quaſi deſignat materiam ad hanc formam, Deus verò formam infundit, ſic in moralibus electores, ſeu Eccleſia per illos quaſi diſponit & deſignat perſonam pro ſummo potificato, Deus vero illam dignitatem confert. *Ratio præcipua fundatur in his quæ ſupra dicta ſunt*. Quia poteſtas collatiua alicuius officij, aut beneficij debet eſſe ſuperior, aut æqualis illi poteſtati, quam confert, poteſtas autem Eccleſiæ ſemper eſt inferior ad poteſtatem Papæ; ergò non poteſt illam ei conferre, ſed ſolum deſignare. *Quod explicatur amplius*. Quia poteſtas Papæ gubernatiua Eccleſiæ non deriuatur ab Eccleſia, ſicut poteſtas regia deriuatur à Rep. ſed eſt poteſtas, quæ fungitur vice Chriſti; ergò ab ipſo Chriſto debet deriuari, & committi ipſi, non verò ab Eccleſia conferri: omnis enim poteſtas commiſſionis, & vices alterius repræſentans, etſi poſſit deſignari perſona ab alio, non tamen deriuari poteſtas & conferri niſi ab eo cuius gerit vices, & cuius commiſſionem, & quaſi legationem habet, & ideò poteſtas Pontificia eſt poteſtas Apoſtolica, quia eſt quaſi delegata à Chriſto Domino, non verò orta ab Eccleſia, & ſic conferri debet à Chriſto ſicut omnis Apoſtolatus à Chriſto fuit datus, vt ſupra vidimus. Quomodo autem, & in cuius virtute conferatus etiam nunc à Chriſto Domino cuicumque perſonæ de nouo deſignatæ in Pontificem? dicemus ſolutione *ad ſecundum*.

Soluuntur Argumenta.

Circa primam difficultatem oritur dubitatio 1
ex duob. *Primo*: Quia à Chriſto Dño nõ eſt deriuata duplex diſtincta poteſtas, altera ipſius Pōtificatus ad Petrũ, & eius ſucceſſores, altera ad ipſam Eccleſiam vel aliqua membra eius ſecluſo Papa, nam de hac ſecunda poteſtate non conſtat, neque ex ſacris litteris, neque ex traditione Eccleſiæ, & ſi talis poteſtas eſſet determinata à Chriſto Domino de iure diuino, competeret aliquibus puta Epiſcopis, vel aliis, conſtat autē nõ conuenire, vt tractabitur in 2. & 3. *difficult.* quia ſic nõ poſſet mutari ab Eccleſia nec diuerſis perſonis committi, ergò de iure diuino non datur

talis

talis poteſtas. *Si autem dicatur* non eſſe diſtinctam poteſtatem deriuatam à Chriſto, vnam ad aligendum, aliam quæ eſſet ipſe pontificatus: tunc ſequitur quod ipſe Pontifex haberet poteſtatem deſignandi ſibi ſucceſſorem, quod non eſt admittendū & per oppoſitum etiam ſequitur quod ſi Pontifex nihil determinaret de modo eligendi ſucceſſorem, & de perſonis quæ ipſum aligerent, remaneret Eccleſia ſine poteſtate aligendi Pontificem, quod eſt magnum abſurdum, ergò talis poteſtas independenter à Pontifice ponenda eſt in Eccleſia.

2 Reſponderur collatam eſſe à Chriſto Domino Eccleſiæ poteſtatem aligendi Papam deſignando ipſum quaſi virtualiter, & implicitè, non autem quaſi explicitè, & formaliter id exprimendo. Quod etiam collata fuerit illi poteſtas conſtat ex ipſa Eccleſiæ traditione à temporibus Apoſtolorum, ſemper enim Eccleſia vſa eſt huiuſmodi poteſtate eligendo Pontificem; ergò ſemper ſenſit hanc poteſtatem habere in ſe ad eligendum, ſiue illa data ſit immediatè à Chriſto Domino ipſi Eccleſiæ, ſiue mediante poteſtate data Petro, in qua virtualiter continebatur poteſtas collata Eccleſiæ ad prouidendum ſibi de Paſtore, ſuppoſito quod ſucceſſio Pontificum, non per carnalem propagationem, vel generationem ſicut in lege veteri, ſed per electionem eſt, inſtituebatur à Chriſto Domino, hoc enim quaſi connaturaliter ſequitur ad talem inſtitutionem: ſicut ſigillum confeſſionis non inuenitur expreſsè, & ſpecialiter determinatum à Chriſto, & tamen de iure diuino eſt, quia ſequitur connaturaliter ad inſtitutionem fori ſacramentalis, quod eſt ſuper omne forum humanum, ſiue ergo mediatè & virtualiter, ſiue immediatè & formaliter ex ipſa traditione, & vſu ſeu exercitio Eccleſia à temporibus Apoſtolorum conſtat hác poteſtatem eligendi commiſſam eſſe Eccleſiæ. *Et quando dicitur*, an fuerit commiſſa Epiſcopis, vel aliis de iure diuino? *Dico* determinatam hanc applicationem non eſſe factam à Chriſto, quia hæc poteſtas eligendi ita commiſſa eſt Eccleſiæ quod eſſet dependens, & regulabilis, ſeu dirigibilis à poteſtate Papæ quæ ſuperior eſt, vt vidimus. Vnde ad poteſtatem Papæ pertinebat determinare iſtam applicationem, & poſſe illam mutare, aut variare, & ſic non debebat de iure diuino eſſe affixa determinatis perſonis. *Et ratio eſt*; quia hæc poteſtas data eſt in ædificationem Eccleſiæ, & ordinatur ad eius vtilitatem: vnde cùm poteſtas Papæ reſpiciat vniuerſalem vtilitatem Eccleſiæ, quam ipſe debet dirigere; oportet vt ei ſubiecta ſit hæc poteſtas electiua, quæ eſt in Eccleſia, vt illam regulare aut variare poſſit, iuxta quod viderit vtilitati, aut neceſſitati Eccleſiæ expedire, ſemper enim poteſtas quæ reſpicit vniuerſaliorem finem, habet ſubiectam poteſtatem minus vniuerſalem, vt illam dirigat, & cum poteſtas Papæ reſpiciat vniuerſaliſſimum finem, id eſt omnem vtilitatem, aut neceſſitatem vniuerſalis Eccleſiæ, debet dirigere poteſtatem electiuam quæ pro vtilitate, aut neceſſitate Eccleſiæ data eſt vnde ad ipſum pertinet applicare illam iſtis vel illis perſonis, ſicut viderit expedire, licet de iure diuino ſit quod illa ſit in Eccleſia, multa enim quæ de iure diuino ſunt in communi determinantur, & applicantur in ſpeciali per poteſtatem papæ & Eccleſiæ.

3 Secundò oritur dubitatio, ex eo quod iſta poteſtas aligendi Pontificem eſt poteſtas collatiua pontificatus, ſiquidem ipſe electus non confirmatur ab aliquo, nec enim habet ſuperiorem, ſed ex vi ipſius electionis habet in facto ſupremam authoritatem Apoſtolatus, ſed non poteſt dari in Eccleſia ſecluſo Papa poteſtas collatiua Pontificatus; ergo neque electiua. *Minor probatur*: nam poteſtas collatiua pontificatus debet eſſe ſuperior, & adminus æqualis cum ipſo pontificatu, nam iſta poteſtas eligendi, vel eſt poteſtas iuriſdictionis, vel ad illam reducitur, vt probat *Pater Sarez tomo 5. de cenſuris diſput. 40. ſect. 1. num. 27.* quod eſt conſequentia Hæreticorum, Papam non eſſe ſuper Eccleſiam; quia Eccleſia eligit Papam. Ita *Bellarmin. libro 2. de Romano Pontifice cap. 17. in 3. ſententia.* Hæc autem non datur in Eccleſ. ſecluſo Pontificatu, cùm Eccleſia ſine capite non habeat poteſtatem capitis, ſed corporis; ergò. *Quod ſi dicas*: Pontificem deſignatum legitimè ab Eccleſia ab ipſo Chriſto Domino immediatè recipere poteſtatem Pontificiam. *Contra eſt*: nam de hac collatione facta à Chriſto non conſtat Eccleſiæ cum neque Chriſtus id reuelet, neque ſenſibili aliquo ſigno declaret, nec ſufficit illa prima collatio facta Petro; virtute cuius fit modo collatio cuicumque legitimè deſignato ab Eccleſia, nam illa prima collatio non poteſt modo operari, niſi acceptetur deſignatio ab ipſo conferente, de hac autem acceptatione nobis non conſtat, ergo neque de collatione facta: imò non apparet, quomodo illa collatio quæ facta eſt Petro in integrum cenſeatur maneta, & tranſita ad ſucceſſores; nec enim aſſignari poteſt virtute cuius tranſeat.

Confirmatur *primò*: Nam quando collatio beneficij pertinet ad diſtinctam perſonam, quam deſignatio, perſona conferens poteſt cognoſcere de idoneitate perſonæ electæ, & ſuppoſita illa confert beneficium; ergò ſi electus in Papam non fuerit dignus, Chriſtus non conferet illi dignitatem Pontificiam, vnde cùm numquam conſtet nobis certò de dignitate electi, nunquam etiam conſtabit de collatione dignitatis Pontificiæ à Chriſto Domino. 4

Confirmatur ſecundò. Nam dignitas pōtificia eſſentialiter eſt Epiſcopatus, & eſt poteſtas ordinis; ergò imprimit Caracterem, qui eſt aliquid reale, & per realem actionem à Deo impreſſus, ſed iſta realis actio non fit de nouo à Chriſto Domino, ita vt nobis conſtet per aliquod ſacramentum, ſeu ſignum ſenſibile, ſicut fit in ſusceptione ordinum, neque fieri poteſt in vi primæ collationis factæ Petro, quia virtus illius non manet in aliquo ſubiecto, vt tranſeat ad ſucceſſorem; ergò nullo modo videtur fieri hanc electionem per poteſtatem collatam ipſi Eccleſiæ. 5

Ad *Arg.* à principio poſitum benè ibi reſponſum eſt vt conſtat ex 2. concluſ. & ſic ſaluari debet, quod poteſtas Eccleſ. ex eo quod poſſit aligere Papam, non eſt ſupra Papam, vt aliqui Hæretici voluerunt inferre, vt refert, & refutat *Bellarminus iam citatus lib. 2. de Romano Pontifice cap. 17. in 3. ſententia.* Nec ſolum illam conſequentiam ſoluimus exemplo *Bellarmini*, quod Imperator creatur ab electoribus, & tamen eſt ſupra illos & populus creat Regem, & tamen eſt ſuper populum, nam Rex licet ſit ſuper populum, tamen eius poteſtas à populo originatur, licet ei non ſubiiciatur, poteſtas autem Pontifi-

cis,

cis, nec ſubiicitur, nec originatur ab Eccleſia: ſed ex eo ſoluitur, quia Eccleſia non eligit conferendo poteſtatem Papæ, ſed ſolum deſignando perſonam, vt ei à Chriſto Domino conferatur poteſtas & ſic non eſt ſupra illum. *Ad replicam* autem argumenti *Reſpondetur*, quod de collatione Pontificatus facta huic qui de nouo eligitur non conſtat per aliquam reuelationem factam de hac perſona, conſtat tamen ex prima illa inſtitutione pontificatus, & collatione illius à Chriſto Domino ipſi Petro, & ſucceſſoribus, vt notat *Pat. Suarez diſput. cit. ſectione 4.* nam hoc ipſo quod legitimè eligitur & deſignatur ad ſuccedendum Petro, ex vi illius primæ collationis ei debita eſt poteſtas illa, quæ Petro data eſt, vt remaneret in ſucceſſoribus, nec indiget noua alia collatione, ſed ſola Eccleſiæ deſignatione, & electione: ſicuti in lege veteri ex vi primæ conceſſionis pontificatus, quæ data eſt Aaron, quicumque ſuccedebat Aaroni poteſtatem pontificatus obtinebat, ſine hoc quod Deus cuilibet ſucceſſori de nouo concederet pontificatum.

7 Et *quando inſtatur* requiri acceptationem illius deſignationis ab Eccleſia factæ, de qua acceptatione nobis non conſtat, *reſpondetur* acceptari à Deo omnem Pontificem ritè electum ex vi illius primæ voluntatis, qua voluit poteſtatem vniuerſalem paſcendi oues ſuas cõmitti Petro, & legitimis eius ſucceſſoribus, ſicut omnes legitimi ſucceſſores Aaron acceptabantur in Pontifices ex vi primæ illius voluntatis, & pacti quo voluit ſacerdotium permanere in Aaron per carnalem ſucceſſionem, vnde quod omnis ritè, & legitimè electus in ſucceſſorem Petri acceptetur à Deo conſtat ex ipſo pacto Dei, & voluntate qua Petro & illis ſucceſſoribus eius hanc poteſtatem tradidit. Quod verò hic in particulari ſit legitimè electus, illique applicetur illa acceptatio, & collatio Chriſti Domini conſtat ea Eccleſiæ acceptatione, qua iuſtum in particulari acceptat tanquam Pontificem indubitatum, & legitimè electum, nam ſi eſſet dubium rationabile de eius electione legitima, adhuc non reputaretur vt Pontifex, quouſque id Eccleſia determinaret (*vt dicemus ſequenti articulo*) ſicq; etiam non conſtaret hunc eſſe acceptatum à Chriſto, & ei collatam poteſtatem pontificiam, & licet in re forſitan eſſet Pontifex, tamen in ordine ad nos, & ad gubernationem Eccleſiæ non ſe haberet vt Pontifex quouſque id determinaretur. *Et denique* quando inquiritur quomodo illa collatio, quæ facta eſt Petro transeat ad ſucceſſores & cuius virtute tranſeat? *Reſpondetur* tranſire, quatenus manet in acceptatione Dei, qui illam poteſtatem dedit Petro, & ſucceſſoribus, & virtute talis voluntatis, & acceptationis prout comprehendit omnes ſucceſſores tranſit nunc ad omnes, nec indiget virtute aliquâ manente in aliquo ſubiecto per quam tranſeat, & conferatur Pontifici electo; nec enim poteſtas iſta per aliquam inſtrumentalem actionem confertur, ſicut effectus ſacramentales, ſed ex vi pacti, ſeu promiſſionis diuinæ, aut traditionis, qua tradidit hanc poteſtatem Petro & ſucceſſoribus.

8 Ad *primam confirmationem reſpondetur*. Aliquos Hæreticos ita ſenſiſſe quod non eſt verus Papa quantumuis electus, niſi ſit vir probus, eo quod Chriſtus Dominus, vt pontificatum Petro daret ter interrogauit illum, an ſe diligeret; imo & alij dixerunt non fore verum Papam, niſi ſit prædeſtinatus, quæ hæreſis damnata eſt in Concil. Conſtantienſi. *Reſp.* ergò quod in collatione poteſtatis pontificialis Chriſtus Dñs non operatur ſecundum merita dignitatis ſubiecti, quia non ſe habet, vt diſtributor talis beneficij, aut poteſtatis, qui enim procedit ſecundum actũ diſtributionis iuſtitię debet attendere ad merita, & dignitatem ſubiecti, & iuxta illa debet conferre, vel non conferre beneficium, ſed ſe habet, vt inſtitutor illius poteſtatis, qui per legem ſuã determinauit, quod validè conferatur illa poteſtas cuicumque legitimè electo in ſucceſſorem Petri: aliud autem eſt attendere validitatem actus, aliud diſtributionem iuſtitiæ, quod enim aliquis actus validus ſit, vel aliqua poteſtas validè collata non pendet ex dignitate, vel indignitate ſubiecti quaſi morali, ſicut patet in impreſſione characteris, & in actibus Characteris, qui validè fieri poſſunt, quamuis ſubiectum ſit indigniſſimum; ſed ſufficit quod ſubiectum ſit capax talium actuum, vel collationis. Sic ergò vt collatio pontificiæ dignitatis ſit valida Chriſtus Dominus non attendit ad aliquam dignitatem ſubiecti, ſed ad hoc præcisè quod perſona ſit capax, & legitimè electa, ſicut hoc ipſo quod quis accedit ad ſacramentum recipit Characterem, quantumcumque indignè accedat, ſic enim expediebat ad conueniens regimen Eccleſiæ, alioquin eſſent omnia confuſa, & perturbata, ſi ad hoc vt eſſet valida collatio characteris, vel poteſtatis pontificiæ requireretur moralis dignitas in ſubiecto. At verò qui confert beneficium tanquam diſtributor, & vt exercens actum iuſtitiæ diſtributiuæ, & non præcisè vt attendens validitatem actus, debet conferre iuxta merita ſubiecti, & conſequenter ſupponere dignitatem moralem in in illo ſicut etiam Chriſtus Dominus in conferendis præmiis, aut pœnis, quia ſe habet vt diſtributor iuſtitiæ dat vnicuique iuxta opera eius. In præſenti autem non loquimur de huiuſmodi collatione, ſed de illa quæ præcisè requiritur, vt aliquis validè & legitimè ſit Papa.

Ad *ſecundam confirmationem reſpondetur*. Aliud 9 eſſe id quod includit poteſtas pontificia abſolutè, aliud eſt id quod addit ſupra poteſtatem Epiſcopatus, abſolutè enim poteſtas Papæ includit poteſtatem Epiſcopalem, & conſequenter poteſtatem ordinis Epiſcopalis, quæ in Charactere conſiſtit, ſupra hanc autem poteſtatem Epiſcopalem non addit aliam poteſtatem ordinis maiorem, aut perfectiorem, aut alium Characterem, ſed ſolum ampliorem poteſtatem iuriſdictionis, ſicut eſſe Archiepiſcopum, aut primatem, non addit maiorem poteſtatem ordinis, aut characterem diſtinctum à Charactere Epiſcopali, ſed ſolum maiorem iuriſdictionem. Ita *Azor vbi ſupra capite quinto, quæſtione prima, & ſanctus Thomas in additionibus quæſtione quadrageſima, articulo ſexto, ad tertium.* Vbi oſtendit quod omnes Epiſcopi in poteſtate ordinis ſunt æquales, & propter hoc quilibet Epiſcopus poteſt conſecrare alium Epiſcopum, etſi electus in Papam non eſt Epiſcopus, conſecratur ab Oſtienſi. Quare ſupra Epiſcopalem Characterem non imprimitur Papæ nouus character pro dignitate pontificali, ſed extenditur, & ampliatur iuriſdictio in qua ſuperat omnes Epiſcopos, & ad hoc non requiritur quod talis iuriſdictio per actionem phiſicam imprimatur.

ſed

ſed per acceptationem,& collationem Chriſti Domini in virtute illius primæ voluntatis, qua illam dedit Petro,& omnibus Succeſſoribus, cenſetur illi conferri.

19 Quod *ſi inquiras*: Si eligatur in Papam ille qui non eſt ordinatus in Presbyterum,vel conſecratus in Epiſcopum, quomodo recipit poteſtatem à Chriſto,cum non habeat poteſtatem ordinis, ſine qua non poteſt dari poteſtas iuriſdictionis, ſicut qui non habet ordinem Sacerdotij,non poteſt habere iuriſdictionem ad abſoluendum; ergo ſaltem quando eligitur in Papam non ordinatus, non recipit à Chriſto immediatè iuriſdictionem,& conſequenter neque poteſtatem Pontificalem. *Reſp.* Quod quando eligitur in Papam ille qui non eſt ordinatus recipit à Chriſto poteſtatem iuriſdictionis quaſi gubernatiuum Eccleſiæ,non autem iuriſdictionem quaſi Sacramentalem,& quæ fundatur in poteſtate ordinis, & requiritur ad conficienda Sacramenta. Vnde *Sanct. Thom. in additionibus quaſt 19 artic* 3.diſtinguit duplicem clauem, vna quæ immediatè ſe extendit ad ipſum Cœlum, quia poteſt remouere impedimenta introitus eius, & hæc eſt clauis ordinis, & ſolis Sacerdotibus competit: alia eſt quæ non immediatè ſe extendit ad ipſum cœlum. & ad tollendam culpam,ſed ad ea quæ pertinent ad conſortium Eccleſiæ Militantis, per quam aliquis ad cœlum vadit, & hæc dicitur clauis iuriſdictionis in foro cauſarum. Et hanc ſecundam clauem, ſeu iuriſdictionem etiam non Sacerdotes habere poſſunt, vt patet,quia poſſunt excommunicare, & ligare, & hanc poteſtatem tanquam ordinariam habent electi in Epiſcopos, etiam antequam conſecrentur, & ex commiſſione legati, etiamſi Sacerdotes non ſint, vt ibidem dicit *D.Thom.& quaſt.26. artic.2* & hanc etiam recipit electus in Papam cum omni plenitudine etiam antequam conſecretur,vt determinatur *cap.in nomine* 23.*diſt*. Poteſtatem autem clauis ordinis,& quæ ordinatur ad Sacramenta conficienda recipit per Sacramentum ordinis, vel conſecrationem Epiſcopalem.

In quibus reſideat hac Poteſtas ſecundum ſe ſiue de iure Eccleſiaſtice,ſiue de iure Diuino?

1 EX dictis facile ſoluitur ſecunda difficultas propoſita ab initio articuli,ſcilicet quibus perſonis competat poteſtas electiua Papæ in Eccleſis, ſiue de iure humano, ſiue de iure Diuino? *Dicendum* eſt enim hanc poteſtatem electiuam eſſe quidem de iure Diuino,non tamen de facto eſſe affixam,aut applicatam ex ipſo iure Diuino ad certas perſonas,aut dignitates in Eccleſia, ſed poſſe id ab Eccleſia, & à Pontifice mutari,aut variari ſecundum quod vtilitas, vel neceſſitas Eccleſiæ poſtulauerit. *Ratio huius* ſumitur ea ſupra dictis, quia poteſtas electiua Papæ, quæ eſt in Eccleſia ſubeſt ipſi Papæ tanquam ſuperiori, quia ad ipſum pertinet ordinare,& prouidere vniuerſali Eccleſiæ,& conſequenter omnia quæ pro vtilitate, aut neceſſitate Eccleſiæ conſtituta ſunt, ipſe poteſt cognoſcere, & ordinare ſicut Eccleſiæ videntur expedire. Vnde cum modus, & forma electionis maximè pendeat ex perſonis quæ ad talem electionem concurrere debent, poterit Pontifex ad quem pertinet hunc modum, & formam determinare,poteſtatem iſtam eligendi applicare iſtis, aut illis perſonis ſecundum quod Eccleſiæ expedierit. Nec ex Scriptura,aut traditione conſtat de iure Diuino determinatis aliquibus perſonis, aut dignitatibus hanc electionem eſſe commiſſam; & ad probandum quod de iure diuino non ſit applicata determinatis perſonis, ſufficit oſtendere quod per Concilium Generale poſſent alij Electores ſuperaddi, & eis committi poteſtas eligendi Papam,etiamſi ante non habuerint illam, nec ſint Cardinales,ſicut factum fuit in *Concilio Conſtantienſi Seſſione* 40. vbi propter ſedandum totaliter ſchiſma, quo Eccleſia laborabat, decreuit Concilium de conſenſu Cardinalium, vt illa vice dumtaxat ad eligendum Romanum, & Summum Pontificem ſex Prælati, vel aliæ honorabiles perſonæ de qualibet natione ipſis Cardinalibus adiungerentur. *Quibus omnibus eadem Synodus eligendi Romanum Pontificem ſecundum formam hic expreſſam,quatenus opus eſt, tribuit poteſtatem.* Ita Concilium, ex quibus verbis apertiſſimè colligitur poteſtatem eligendi Pontificem poſſe ſecundum ius poſitiuum aliquibus perſonis committi,& applicari, & conſequenter idem poterit facere Pontifex, qui habet poteſtatem ſuperiorem Concilio Generali. Quibus addendum eſt Pontifices id ſæpè feciſſe,vt ex pluribus ſupra probauimus explicando Sententiam *Caietani*, & iam amplius conſtabit.

Si *autem Quæras*. Quibus perſonis de iure Eccleſiaſtico commiſſa ſit iſta poteſtas *Reſpondetur*, aliquos diſtinguere varia tempora, quibus in Eccleſia variata fuit iſta commiſſio, ita vt aliquando pertinuerit ad Clerum Romanum, aliquando ad Clerum,& populum, aliquando etiam Principibus Sæcularibus conceſſa ſit, aliquando etiam Canonicis,& Religioſis, & denique aliquando ſolis Cardinalibus,prout ex *Rebuff.* ſuper Rubricam de electione refert Cardinalis Thuſcus verbo *Electio Papa concluſione* 57.*Tomo* 3. Exiſtimo tamen ab ipſo Eccleſiæ exordio poteſtatem hanc electiuam extitiſſe primario, & directè in Clero Eccleſiæ Romanæ,præſertim in principalioribus Clericis; qui Cardinales dicuntur, licèt ſecundum varia tempora etiam alij introducti ſint, non tamquam ordinarij, aut per ſe electores, ſed ad aliqua tractanda, aut ordinanda, quæ concernunt electionem. Et quidem ipſe Summus Pontifex ſemper eſt excluſus ab hac poteſtate electiua, nec permiſſum eſt vt ſibi deligeret Succeſſorem, vt *ſupra oſtendimus*, & probat factum *Bonifacij Secundi*, qui cum ſibi deligeret Succeſſorem congregata Synodo, ipſe Pontifex poſteà hoc retractauit alia Synodo congregata, vt ex Pontificali refert *Antonius Auguſt.in epitome iuris lib.* 1. *de Pontifice titulo* 5.*cap*. 15. Similiter *Concilium Generale*, & multo à fortiori *Prouinciale* non habet ius eligendi Pontificem, quamuis habeat ius deponendi,vt poſteà dicetur. Ita *Cardinalis Thuſcus ſupra citatus ex Abbate in ſua quaſtione* 1. Nec habet parum probabilitatis argumentum ex facto Concilij Conſtantienſis relato, in quo ipſum Concilium conceſſit alijs poteſtatem eligendi Papam,non tamen ipſum Concilium elegit. *Et Ratio eſt*: Quia inuenitur hæc poteſtas commiſſa Cardinalibus Eccleſiæ Romanæ ſimpliciter, & ſine aliqua dependentia a Concilio, nuſquam verò ipſi Concilio legitur tradita. Quod verò Cardinalibus commiſſa ſit, ſeu Clero Romano, 2

&

& in ipſis etiam fuerit ab exordio Eccleſiæ, conſtat in primis ex ipſa traditione Eccleſiæ, quæ præſertim iure Canonico explicata eſt à *Nicolao Secundo capite in nomine 23. diſt. ab Alexandro tertio capite licèt de electione, à Gregorio Decimo capit. vbi periculum eodem titulo in ſexto.* Conſtat præterea fuiſſe id factum à Nicolao Papa, & apud Sanctum Cyprianum *Epiſt.* 30 Clerus Romanus ipſi ſcribens ſede vacante pro corpore totius Eccleſiæ, cuius per varias Prouincias membra ſuggeſta ſunt excubare ſe dicunt, quod non faceret niſi ad ipſos pertineret electio capitis quod Eccleſiam gubernaret: & denique ex ipſo exercitio, & vſu Eccleſiæ, quia quamuis præter Clerum Romanum aliquando admiſſi ſint alij ad electionem Pontificis, puta aliqui Principes Sæculares, vel Religioſi, vel aliqui alij, tamen nunquam Clerus Romanus excluſus eſt ab electione, ita vt alijs ſine ipſis data ſit poteſtas eligendi Pontificem, Cardinalibus, ſeu Clero Romano excluſo; ergo ſemper in Eccleſia receptum eſt poteſtatem electiuam Pontificis eſſe in Clero Romano quaſi per ſe, & directè, ſiquidem iſti nunquam ſunt excluſi, ſed ſemper admiſſi vt ſint electores, in alijs verò licèt aliquando inuenta fuerit, hæc poteſtas, tamen etiam mutata eſt. & variata, nec directè admittebantur ad electionem, ſed ad aliquem aſſenſum, vel approbationem, aut defenſionem electi. Igitur electores per ſe, & directè ſemper fuerunt Clerici Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, præſertim Cardinales.

3 Sed *reſtat quæſtio* de aliquibus præcipuè Perſonarum ordinibus, quomodo ſint aliquando admiſſi ad electionem. *Primo* de populo, nam multi communiter dicunt ad Populum, & Clerum pertinere electionem in multis textibus, quæ citantur *63. diſtinct. capit. noſſe, capit. Epiſcopos, & capit. Sacrorum. Secundò* quomodo pertinuerit ad Imperatores, aut Principes Sæculares. *Tertiò* quomodo pertinere poſſit ad Concilium Generale. *Et denique* quando ad ſolos Cardinales ſpectauerit excluſo reliquo Clero, & Populo? *Reſpondetur.* Populum non habuiſſe ius eligendi Papam, cum electio iſta ſit poteſtas ſpiritualis, quæ Laicis non conuenit, ſed eam Clericis, & Spiritualibus populis commiſſam eſſe docuit *Anacletus Papa capit. finali diſt. 79.* Solum ergo conueniebat populo conſenſu ſuo electionem à Clero factam admittere, & admittendo approbare. Vnde dicitur in *cap. noſſe etc. Sacerdotum eſt electio, & fidelis populi conſenſus adhibendus eſt, quia docendus eſt populus, non ſequendus* Et videri etiam poteſt *cap. vota ciuium eadem diſt. ex Leone Primo Epiſt. 87.* Poſteà autem etiam conſenſus iſte plebis excluſus eſt, & quo tempore præcisè id factum fuerit, neſcitur; quamuis aliqui cenſeant cœpiſſe excludi à tempore Nicolai II.

4 Quod *attinet* ad Imperatores, & Principes ſæculares ex varijs cauſis ipſi ſe introduxerunt in ordinatione Apoſtolicæ Sedis aliquando quidem per poteſtatem vſurpatam, aliquando verò per tolerantiam Eccleſiæ ex vrgente aliqua neceſſitate, nunquam tamen actu, & exercitio eligendi vſi ſunt, ſed tantùm approbandi electionem, aut permittendi vt Pontifex electus conſecraretur, aut componendi diſſenſiones, ſi quæ in electionibus Pontificum contigiſſent Vnde ſi quando ab Eccleſia iure ſunt permiſſi aliquid agere circa ordinationem Pontificum non vt eligentes, ſed vt conſentientes, aut defendentes electum à ſchiſmaticis & inimicis ſe habuerunt, vt dicit *Gratianus in cap. cum longe, & cap. vota ciuium 63. diſt.* Electione verò Sæculares Principes iure nunquam vſi ſunt propter rationem factam, quia hoc non pertinet ad poteſtatem laicam, ſed eſt actus poteſtatis ſpiritualis, quæ in ſæcularibus principibus non eſt. Primò igitur Imperatores cœperunt ſe introducere in ordinatione Sedis Apoſtolicæ titulo componendi ſchiſmata, quæ orta ſunt in electione Sancti Damaſi à Valentiniano, in electione Bonifacij, ab Honorio; in electione Symmachi à Theodorico: & in hoc Imperatores non videntur exceſſiſſe poteſtatem propriam, quia ſolum defendebant Eccleſiam, & veros Pontifices ab intruſis. Deinde Iuſtinianus Imperator grauauit amplius Eccleſiam Romanam, non quidem electioni ſe ingerendo, ſed prohibendo ne electus conſecraretur ante aſſenſum Imperatoris, ea videlicet de cauſa ne in Italia, quæ dudum à Iuſtiniano conquiſita fuerat à Gothis aliquid contra Imperatorem moliretur, ſi eligeretur Pontifex Imperatori minus gratus. Quod quidem contra Ius vſurpauit Iuſtinianus, eiuſque ſucceſſores, vt grauiter conqueritur *Sanct. Gregor. ſuper Pſal. 5. Pœnitentialem* explicans illum verſiculum *tota die exprobrabant mihi inimici mei.* Et videri ea de re poteſt *Aymonius lib 3. de geſtis Francorum c. 74.* agens de electione Gregorij. Hæc autem conſuetudo perdurauit vſque ad tẽpora Benedicti Secundi, cui à Conſtantino V. donatum eſt, vt clerus, & populus Romanus liberè eligerent Papam nullo Imperatoris aſſenſu expectato, licèt alij vt *Beda*, hoc referunt ad Papam Conſtantinum, & Imperatorem Iuſtinianum II. *Et in capite Agatho 63. diſt.* dicitur ab Agathone Papa obtentum ab Imperatore, vt releuaretur quantitas pecuniæ, quæ ſolebat dari Imperatoribus pro obtinenda licentia ordinandi Pontificem, licet expectandum eſſet eius decretum, vt ſecundum eius iuſſionem fieret ordinatio. Tertiò id obtinuerunt aliqui Imperatores ex conceſſione Eccleſiæ. Adrianus Papa I. conceſſit Carolo Magno ius eligendi Pontificem, & poſtmodum Leo VIII. Othoni I. vt refertur in *cap. Adrianus, & cap. in Synodo 63. diſt.* Quibus tamen priuilegijs Ludouicum Caroli ſucceſſorem, & ipſum Othonem renuntiaſſe fatetur ipſe *Gratianus in cap. Ego Ludouicus, cap. tibi domino, & cap. ſacrorum eadem diſt.* Et ſimiliter Adrianus III. & poſteà Gregorius VII. Hæc Imperatorum priuilegia abrogarunt, ſed neque certum eſt Adrianum id conceſſiſſe Carolo, & multi exiſtimant eſſe falſum, quia id *Gratianus* accepit ſolum ex *Segeberto in Chronico*, cum tamen authores qui vixerunt tempore Caroli nihil tale meminerint, de quo videatur *Azor tomo 1. lib. 4. cap. 5. & Bellarmin. lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis in Gratiano.* Quod ſi fortè aliquid Pontifices Imperatoribus in hac parte contulerunt non fuit ius eligendi, loquendo rigorosè de actu electionis, quaſi ipſi ſuffragium ferrent cum clero, ſed ius aliquod approbandi, aut aſſentiendi electioni factæ, non tamen taliter qualiter quod ſine iſto aſſenſu, aut approbatione electio non valeret, quia vt dicitur *cap. cum vna de electione,* non prohibetur miſtis electionibus quin Regis requiratur aſſenſus, non tamen propterea electionem impediri. Sed tamen etiam approbatio iſta, aut aſſenſus Imperatorum pro electione Pontificum abrogatus eſt.

5 Quod *attinet* ad Concilium generale nunquam legimus exercuiſſe in Eccleſia vſum poteſtatis huius electiuæ, nam in Concilio Conſtantienſi,cum tractaretur de depoſitione trium Pontificum, & de tollendo ſchiſmate, eligendoque nouo Papa, tamen Concilium non proceſſit ad electionem, licèt de hoc ibi valde diſputatum fuerit,vt ait *Azor vbi ſuprà cap.* 2. ſed commiſit eam electionem tum Cardinalibus, tùm aliis adiunctis electoribus, idque de conſenſu Cardinalium. Similiter in Concilio Lateranenſi vltimo cum Iulius II. moreretur durante Concilio, tamen Concilium non ſe immiſcuit electioni Pontificis, nec id ab alio Concilio factum legimus. An vero poſit Concilium generale aliquando ad ſe auocare electionem Papæ, multi diſputant. Et in hac parte vnum eſt certum, ſcilicet quod vacante Sede per obitum, aut renuntiationem Pontificis id ad Cardinales pertinere, vel ſimul cum Clero Romano, vt erat ab Antiquo, & ab exordio ipſius Eccleſiæ, vel ad ipſos tantum, ſicut ex iure Canonico à tempore Nicolai II. vel ſaltem Alexandri III. conuenire certum eſt, vt conſtat *ex cap. in nomine* ſæpè cit. *diſtinct.* 23. *& cap. licèt de electione, & cap. vbi periculum eodem tit. in 6.* Idque firmatum eſt per Concilia ipſa generalia, Lateranenſe ſub Alexandro III. & Lugdunenſe ſub Gregorio X videatur *Caietanus* in commentariis ſuper Act. Apoſtolorum cap. 8.vbi inquit, quod aliud eſt quod Cardinales eligant, aliud quod ſoli eligant; & quod ſoli eligant competit eis ex priuilegio, quod vero eligant ſuapte natura, quia ſunt primi Clerici Romani, & ad Clerum Romanum ſuapte natura conuenit electio Romani Pontificis.

6 Difficultas ergo ſolum eſt in duobus caſibus, ſcilicet quando Concilium deponit Papam, an ad ipſum Concilium pertineat eligere Papam, & quando nullus Cardinalium eſſet ſuperſtes, qui poſſet eligere, aut magnum aliquod ſchiſma timeretur,ſi eligerent. Et in primo caſu probabilius eſt ſaltem à tempore quo illud ius eligendi ſolis Cardinalibus commiſſum eſt authoritate Romani Pontificis, & Conciliorum generalium,non poſſe Concilium per ſe eligere Papam, quia abſolutè, & ſine aliqua diſtinctione tale ius tributum eſt Cardinalibus; ergo quocumque modo ſedes vacauerit ſiue per obitum, ſiue per renunciationem, ſiue per depoſitionem, ipſi habent ius eligendi, quia iura in hoc non diſtinguunt, ſed in caſu vacationis ſedis loquuntur. Quare cum nullus ſpoliandus ſit iure proprio ſine culpa,præſertim quando tale ius collatum eſt à ſuprema poteſtate, quæ ad ipſum Concilium generale ſuperior eſt, non debent excludi Cardinales à Concilio generali, quando ex parte ipſorum non eſt aliquis defectus, aut timetur aliquod damnum, ſi eligant, & ita ſentiunt *Cardinalis Thuſcus cum Abbate*, quem citat verbo *electio Papa, concluſ.* 57. *Cardinalis Albanus, tractatu de Cardinalibus, quæſtion.* 35. *Azor. vbi ſupra capite* 3. *quæſtion.*13.

7 In ſecundo verò caſu variè diuiſi ſunt iuriſperiti. Quidam enim exiſtimant tunc electionem pertinere ad Clerum Romanum, & propriè ad Canonicos Lateranenſes, quæ eſt propriè Eccleſia Epiſcopi Romani, & iuxta declarationem quandam Pij V. præcedit omnes Eccleſias orbis: ſicut ſentit *Turrecremata, Ludouicus Romanus, & Cardinalis Albanus quæſt.* 25. & addi poteſt Caietanus vbi ſupra. Alij cenſent tunc pertinere ad Concilium generale, ſicut idem *Albanus* admittit ſi non eſſet difficile illud congregare, quod ſequuntur plures iuriſperiti, & vtrumque eſt probabile, præſertim quia cum iſtud ius ſit primarium in Eccleſia, & ex applicatione Pontificis in Cardinalibus illis ſublatis deuoluitur ad Eccleſiam, quæ repræſentatiuè, & authoritatiue eſt in Concilio generali. Sed deuoluitur ad ipſam authoritatiuè, & principaliter, ſicut poteſtas iſta eſt in Papa,non executiuè. Denique in tertio caſu, ſi vacante ſede Concilium generale cenſet expedire ad vtilitatem,aut neceſſitatem Eccleſiæ, quod Cardinales non eligant, aut non ſoli eligant, id mutare poteſt, ſicut ſentit *Albanus quæſt.* 35. *cit. & Azor.* Et de facto in Concilio Conſtantienſi ſtatutum fuit, vt pro illa vice non ſoli eligerent, & eadem ratione poſſet mandari,quod alij eligerent, vt ſi Cardinales eſſent Hæretici,aut magnum ſchiſma rationabiliter timeretur ex eo quod ipſi eligerent.

8 Et *Ratio eſt*,quia cum hæc poteſtas data ſit Eccleſiæ & ex commiſſione ipſius, & eius capitis Cardinalibus ſit commiſſa,non exiſtente Papa pertinet ad Eccleſiam prouidere ſibi ſecundum neceſſitates occurrentes de electoribus legitimis, & qui legitimum caput eligant, vnde ſi id viderit expedire, poterit à Cardinalibus auferre iſtam poteſtatem, & aliis committere. Vnde colligo contra *Suarez in Tomo de fide diſput.* 10. *ſect.* 4. *numero* 17. in caſu quo Pontifex nihil ſtatuiſſet de modo eligendi ſucceſſorem non deuolui ad Epiſcopos, ſeu Concilium generale ius eligendi, ſed ius prouidendi de electoribus, & de modo eligendi ſicut Papa poſſet facere, quia Epiſcopi, ſeu Concilium generale quod Eccleſiam repræſentat,habet idem ius quod Eccleſia; hæc autem licet habeat poteſtatem eligendi, non tamen habet illam applicatam, ſed applicabilem per ius humanum perſonis determinatis, quæ eligant, nec eſſet expediens, quod totum Concilium ſimul eligeret propter multitudinem eorum, qui ad Concilium concurrere ſolent. Nec eſt verum quod Concilium Conſtantienſe elegit Pontificem, vt refert *Suarez*, ſed oppoſitum conſtat *ex ſect.* 40. quod eam poteſtatem etiam de aſſenſu Cardinalium determinatis perſonis commiſit; *nec capite ſi duo* 79. *diſt.* quod *Suarez* citat pro ſe, ei fauet, dicitur enim ibi, quod ſi duo fuerint electi, neuter ſit Papa, ſed quem ex numero Clericorum noua ordinatione diuinum iudicium, & vniuerſitatis conſenſus elegerit, vbi ly *vniuerſitatis conſenſus* non eſt idem quod conſenſus Concilij generalis, ſed idem quod conſenſus vniuerſalis, ſeu vnanimis, & nõ diuiſus. Et ex hoc etiam manet ſoluta *Tertia Difficultas* à principio poſita.

***

ARTICVLVS II.

Vtrum facta legitima electione Pontificis ſit de fide per ſe Primò, vel per ſe Secundò hanc perſonam in particulari, verbi gratia Innocentium X. *eſſe Papam?*

1 QVæſtio hæc valdè celebris facta eſt his temporibus, variiſque argumentis agitata, nam de ea apud veteres pauca reperiuntur in terminis, quibus modo diſputatur: antequam verò ea quæ difficultatem in hac parte faciunt proponamus, explicandi ſunt duo termini, qui in titulo proponuntur, aut ſupponuntur. Primus eſt ly *facta legitima electione.* Secundus ly *de fide per ſe primo, aut per ſe ſecundo.* Et quoad primum ſupponimus poſſe dari electionem Pontificis non legitimam, ſed dubiam, aut vitioſam, non ſolum ſi fiat à non legitimis electoribus, id eſt à perſonis, quibus ius eligendi datum non eſt ab Eccleſia, vel Pontifice; nam tunc non eſt dubium, electionem non eſſe, ſed violentam extorſionem; ſed etiamſi à legitimis electoribus fiat, id eſt à Cardinalibus, quibus hæc poteſtas nunc in Eccleſia commiſſa eſt. In quo tamen nonnulla difficultas eſſe poteſt, an electio celebrata à Cardinalibus poſſit vitiari, nam in primis ex parte eligentium vitiari non poteſt, quia Cardinales nulla cenſura impediri poſſunt à iure eligendi. Hoc enim eſt ſingulare priuilegium electionis ſummi Pontificis, vt expreſsè habetur *in Clementina ne Romani §. cæterum de electione*, vbi decernitur nullum Cardinalium prætextu excommunicationis, vel cenſuræ poſſe ab electione illa repelli, quod factum eſt vt euitarentur ſchiſmata, & incertitudo electionis, à qua pendet totius Eccleſiæ directio, & gubernatio, vnde hoc ipſo quod Cardinales interſunt electioni inualidari non poteſt ex parte eligentium: deinde neque ex parte ipſius electionis vitiari poteſt, aut dubia reddi propter aſſiſtentiam Spiritus Sancti in illa electione facienda; hanc enim dari multi probabiliter exiſtimant, & præſertim comprobatur ea teſtimonio quodam *Sixti V. in conſtitutione* 50. vbi agit de Cardinalibus, & inter alia inquit, *Quod in illa ſacra electione cenſendi ſunt veri interpretes, atque internuncij voluntatis diuinæ; cuius Spiritu ſicut vniuerſum Eccleſiæ corpus ſanctificatur, & regitur, ita maximè hoc totum eiuſmodi electionis opus eiuſdem afflatu, & inſtinctu abſolui certiſſimum eſt, atque omnibus exploratum.* Vbi Pontifex aliquam peculiarem aſſiſtentiam Spiritus Sancti tribuit electioni illi, quæ non tribuitur aliis operibus, ſeu actionibus communibus, comparatur enim hæc aſſiſtentia illi, qua corpus Eccleſiæ regitur, & ſanctificatur à Spiritu, ſed ex hac aſſiſtentia conſtat Eccleſiam errare non poſſe; ergo ex eadem tenere debemus electionem à Cardinalibus factam errare non poſſe; aut inualida reddi, aliàs in illa non habet ſpecialem aſſiſtentiam ſi aliquando errat, & deficit, aliquando non, id enim in quacumque alia actione inuenitur.

2 Nihilominus dicendum eſt poſſe multis de cauſis electionem reddi vitioſam, aut dubiam quantumque à legitimis electoribus fiat, idque tum ex parte ipſius electionis, tum ea parte perſonæ electæ iuxta defectus, quos ipſa iura aſſignant, ea parte quidem electionis, vt fiat per metum cadentem in conſtantem virum electio illa eſt nulla, vt determinatur *Seſſion. 39. Concilij Conſtantienſis*: & ſimiliter ſi non ſeruetur forma quæ ponitur in *capit. vbi periculum de electione in 6.* vt ſcilicet à duabus partibus Cardinalium ſit electus: ſimiliter ſi per Simoniam eligatur, electio eſt nulla, vt habetur in *conſtitutione Iulij* II. quæ incipit: *Cum tam diuino, anno* 1505. Poteſt etiam contra perſonam electam opponi exceptio hæreſis, vt ſit Hæreticus manifeſtus, qui eligitur, non eſt habendus pro Pontifice, vt conſtat ex eadem *conſtitutione Iulij II.* & ſimiliter aliæ exceptiones iuris naturalis admitti poſſunt, vt ſi non eſſet vir, ſi eſſet iudicio priuatus, &c. Alia vero quæ olim opponi poterant contra electionem Pontificis, vt quod eſſet facta per violentiam, fraudem aut ambitionem iuxta *cap. in nomine diſtinction.* 23. opponi non poſſunt modo contra electum à duabus partibus Cardinalium, quia contra ipſum nulla exceptio huiuſmodi admittitur, iuxta *cap. vbi periculum citat.* exceptis his quæ ex conſtitutione *Iuly II.* aut iure naturalis incapacitatis poſſunt opponi. Denique Concilium conſtantienſe determinat quod iudicare de electione dubia ad ipſum Concilium ſpectat; ergo ſupponit poſſe dari electionem dubiam, aut vitioſam de qua iudicare poſſit.

3 Quarè *ad rationem allatam reſpondeo*, quod licet ex parte perſonarum eligentium non poſſit illis opponi aliqua cenſura, poſſunt tamen opponi alij defectus, vt ſi opponatur quod non ſit verè facta à duabus partibus Cardinalium, hoc enim requiritur ex *cap. licet de electione*, aut ſi opponatur aliquos ex illis duabus partibus verè non eſſe Cardinales, vt *ex Abbate in dicto cap. docet Azor lib. 4 cap. 5 quæſt. 7. §. quoties inſuper*; & ſimiliter ſi aliqui non ſint ordinati eo ordine cuius tituli Cardinales ſunt, vt Diaconus Cardinalis ſit Diaconus, Presbyter Cardinalis Sacerdos; &c. ex quadam conſtitutione *Gregorij. XIII.* ac demum ſi metu cadente in conſtantem virum aliqui eligant, vt ex Concilio Conſtantienſi diximus. Vnde non valet, inhabilitas cenſuræ non poteſt illi opponi, ergo nec aliæ inhabilitates, quæ à iure poſitæ ſunt.

4 Ad *id vero*, quod opponitur ex parte aſſiſtentiæ Spiritus Sancti in electione Pontificis *Reſpondetur*, Pontificem non dicere quod electioni illi eſt ſemper debita infallibilis aſſiſtentia Spiritus Sancti, ità vt nunquam errare poſſint electores; cum ex ſuprà citatis iuribus oppoſitum colligatur, ſed dicit *opus electionis abſolui inſtinctu Spiritus Sancti*; ideſt, quando conſummatur talis electio, & pacificè conficitur; quandiu enim dubia eſt, non abſoluitur, ſed adhuc aliquid reſtat: tunc ergo quando abſoluitur ex inſtinctu Spiritus Sancti fit, id eſt, ex ſpeciali eius prouidentia, & auxilio quo illud electionis opus gubernat, eo modo quo Eccleſiam ſpecialiter regit: multa enim ſunt quæ ex ſpeciali Dei prouidentia, & aſſiſtentia Spiritus Sancti ordinantur, aut fiunt, & tamen non habent infallibilem indeficientiam vt ſemper tale auxilium detur, ita vt illo nunquam careant, ſed concorditer eligant, & debitè, cum de hoc nulla ſit facta promiſſio. Neque etiam Sixtus in illis verbis definitiue procedit, ſed narratiuè ad tollendam Cardinalium dignitatem,

dignitatem, vt ex textu patet. Igitur quæſtio præſens non procedit de certitudine qua creditur hanc perſonam eſſe Pontificem abſolutè, & quacumque electione facta, ſed legitima electione ſuppoſita, ſine qua non poteſt cadere ſub fidem hunc eſſe pontificem, nec eſt inconueniens aliquid cadere ſub fidem ex ſuppoſitione aliqua tãquam conditione requiſita, ſicut vt aliquid definiatur de fide neceſſe eſt, quod præcedat diſputatio, & cõquiſitio ſicut factum fuit in Concilio Apoſtolorum, *act.* 15. & tamen ipſa conquiſitio, & diſputatio non pertinet ad fidem ſed ſupponitur præceſſiſſe tanquam conditio.

5 Secũdus terminus explicandus in titulo eſt *ly per ſe primò, vel per ſe ſecundò de fide*, quod aliis terminis ſolet dici quod aliquid ſit de fide *immediatè; & formaliter, & mediatè, ſeu virtualiter*, & illud dicitur *immediatè, & per ſe primò de fide*, quod lumine Dei & per aſſenſum credendi immediatè attingitur tanquam immediatè reuelatũ. illud autem dicitur *mediatè & per ſe ſecundo* attingi, quod ex propoſitione de fide per illationem attingitur, & ſic pertinet ad lumen theologicum, quod eſt illatiuum ex his quæ ſunt de fide. Itaque *per ſe primò de fide, vel per ſe ſecundò* differunt ſicut principia, & concluſiones in ſcientiis. Adhuc tamen inter ipſas veritates, quæ non mediatè, ſed immediatè pertinent ad lumen fidei, & ſunt reuelata, eſt quædam differentia, & graduatio, quod quædam ſunt de fide, *quoad ſe tantùm*, alia, *quoad ſe, quoad nos*, & in iſtis quædam ſunt de fide, *quoad omnes*, quædam *quoad ſapientes tantùm*, vel *quoad aliquos? Quoad ſe* tantum eſt de fide illud quod eſt quidem de facto reuelatum, & contentum in ſacris litteris, vel traditione Eccleſiæ, non tamen eſt de facto propoſitum ab Eccleſia, vt quod *gratia ſit qualitas, ſeu habitus*: quod *gratia Dei independens ſit inefficacia ab aliquo extrinſeco, ſed ex natura ſua, vt deſcendit à Deo efficax ſit*: quod *Deus prædefiniat omnes actus liberos in particulari ante omnem præuiſionem futuritionis eorum, etiam conditionatam*, & ſimiles aliæ propoſitiones, quæ nondum ab Eccleſia explicatæ ſunt, & tales coincidunt modo cum concluſionibus Theologicis, omnia enim quæ Eccleſia definit, cum ex præſuppoſita diſputatione definiat, prius ſunt concluſiones illatæ Theologicæ per diſputationem, quam definita de fide. Et ideò eſt peculiare in Theologia, quod ea quæ aliquando ſunt concluſiones, poſſunt fieri principia. *Quoad nos* autẽ ſunt de fide, quæcumq; de facto reuelata ſunt ab Eccleſia propoſita, vel per definitionem ſuam, vel quia expreſsè ſunt contenta in ſacris Litteris cæterùm in his quæ *quoad nos* ſunt de fide, quædã ſunt de fide *quoad omnes*, quædam, *quoad aliquos*, ſeu *quoad Sapientes*. cuius differentiæ ratio oritur ex eo, quod ipſa definitio, ſeu reuelatio propoſitionum per quam pertinẽt ad fidem aliquando ita eſt expreſſa, vt ſine controuerſia aliqua apud omnes habeatur, vt quod *Deus eſt trinus & vnus*; aliquando verò cadit ſub opinione, aut dubio, an ſit definita, ſeu reuelata, an non. Et ideò poſſunt aliquando eſſe opiniones circa cenſuram alicuius propoſitionis, an ſit erronea, vel non, quia quantumcumque propoſitio illa ſit reuelata, aut definita, non omninò conſtat apud omnes de eius definitione, & ideò in aliquibus propoſitionibus contingit non ſolũ ipſas eſſe de fide, ſed etiam reflexas earum, vt quod illæ ſint de fide, eſſe etiam de fide; ſicut *Incarnatio Chriſti, & Trinitas perſonarum*, ita ſunt de fide, quod etiam de fide eſt eas eſſe de fide. Aliquando verò propoſitiones ipſæ de fide ſunt, non tamen reflexa earum eſt de fide, quia adhuc manet aliqua controuerſia circa earum definitionem aut an ſint contenta in ſacris litteris, vel traditione, & acceptatione Eccleſiæ. & ſic in præſenti controuertimus an ſit de fide hanc determinatam perſonam quæ legitimè electa eſt eſſe Pontificem & caput Eccleſiæ, vel quo gradu certitudinis id tenendum ſit.

In *hac difficultate* quidam Theologi noſtris temporibus exiſtimarunt nullo modo pertinere ad fidem, *nec per ſe primò, nec per ſe ſecundò* aliquem hominem in particulari poſt D. Petrum fuiſſe Papam, ſed id teneri quadam morali certitudine, aut naturali euidentia, ſeu experientia qua tales homines in ſede Petri Eccleſiam gubernare videmus, & vt ritè electos ab Eccleſia acceptari. Atque ita licet qui negaret hunc hominem eſſe Papam, eſſet ſchiſmaticus, tamen qui negaret, non eſſe de fide quod hic homo ſit Papa, non eſſet ſchiſmaticus, ſed probabiliter id ſentiret. *Pro hac concluſione citat magiſt. Nuño* 2. *tom. quæſt.* 10. *art.* 3. *dub.* 1. plures ex recentioribus ſuppreſſo nomine, quos dicit nondum ſua ſcripta euulgaſſe. At verò *Pater Suarez in tomo de fide diſput.* 10. *ſection.* 5. plures citat ex Thomiſtis, & ex antiquis authoribus pro iſta ſententia, ſcilicet *Turrecremata lib.* 4. *ſumma part.* 2. *capit.* 9. *circa finem, Caietanum* 2. 2. *quæſtion.* 1. *articul.* 3. *in reſponſione ad* 4. *magiſt. Bannez.* 2. 2. *quæſt.* 1. *art.* 10. *in prioribus commentariis dub.* 2. *ad* 2. *Cano lib.* 6. *de locis cap. vltimo, Caſtro lib.* 1. *aduerſus hæreſes cap.* 8. *circa medium, Albertinum, Cordubã, & alios*, qui authores, inquit *Suarez*, tenent non eſſe de fide immediatè hunc hominem in particulari eſſe Papam, ſed morali quadam certitudine id teneri, Ego verò *Albertinum, & Cordubam* non vidi, de reliquis verò hoc formo iudicium, quod *Caſtro* apertè tenet hanc ſententiam, eius enim verba explicationem non patiuntur dum dicit: *Quamuis credere teneantur ex fide, verum Chriſti ſucceſſorem eſſe ſupremum totius Eccleſiæ Paſtorem, non tamen tenemur eadem fide credere Leonem, aut Clementem eſſe verum Petri ſucceſſorem, quia non tenemur ex fide Catholica credere eorum quemlibet rectè, & canonicè fuiſſe electum*: Vnde concludit, quod qui hoc negaret, non eſſet dicendus hæreticus, ſed ſchiſmaticus. *magiſter Cano* in id ſatis inclinat, & dicit, quod licet de fide ſint concilia legitimè congregata eſſe certiſſimæ veritatis, tamen quod legitimè ſit congregatum hoc vel illud Concilium ſola certitudine naturali creditur: & ſimiliter quod ex Euangelio habetur ſucceſſorem Petri habere eius ordinariam poteſtatem; quod verò ille, quem Chriſtus Petro mortuo ſuffecit Romanus fuerit Epiſcopus è re 7
geſta colligitur. Sic *Magiſt. Cano.*

Quod verò attinet ad *magiſt. Bañez* videtur planè indicare iſtam ſententiam, eamque tenere, dum *citato loco*, §. *Veruntamen* dicit, quod hunc hominem eſſe ſummum Pontificem pendet ex quibuſdam circumſtantiis, quæ deficere poſſunt; vt quod ſit baptizatus, & fortaſſe non eſt baptizatus, & tandẽ concludit, quod eſſet valde temerarium, & ſcandaloſum ſi poſtquam acceptauit Eccleſia aliquem, vt ſummum Pontificẽ negaret

illum eſſe ſummum Pontificem verum, niſi oſtenderet illum non eſſe baptizatū, aut non eſſe virum alioquin non ſolum vt vehementer ſuſpectus de hereſi, ſed vt hæreticus meritò puniretur. Vbi *magiſt. Bañez* non audet ſimpliciter condemnare, vt hæreſim, & contra fidem oppoſitum illius propoſitionis, videturque admittere, non eſſe impoſſibile oſtendere, quod ille homo non ſit baptizatus. Caiet. cit. loco dicit, nos adorare ſummum Pontificem, non ſub conditione an ſit baptizatus ſed abſolutè, & tamen inquit, *Quis ſcit ſi ille fuit baptizatus?* Vbi ſaltem hanc circunſtantiam non haberi per fidem videtur fateri. Denique *Turrecremata cit. loco* dicit, quod illa veritas, quod hic homo ſit ſummus Pontifex eſt ſapiens veritatem chatholicam, adiuncta autem vna propoſitione naturaliter nota ſcil. quod iſte eſt electus pacificè, efficitur veritas Catholica: & ideò in Concilio Conſtantienſi, determinatur, vt interrogandus de fide interrogetur an credat hunc hominem canonicè electum eſſe verum Petri ſucceſſorem. Vbi *Turrecremata* non ſimpliciter negat eſſe de fide, quod hic homo ſit Pontifex, ſed inquit, id haberi de fide ſuppoſita quadam veritate naturaliter nota, ſcilicet quod ſit electus ritè.

8 Secunda *ſententia* tenet hanc propoſitionem, ſcil. *quod hic homo in particulari eſt ſummus Pontifex.* ſolùm eſſe mediatè de fide, eo quod infertur ex vna de fide, & altera cognita morali certitudine, aut naturali experientia, ſcil. quod *hic homo ſit ritè electus.* Exiſtimat enim hæc ſententia duo. *primum,* quod illa propoſitio pendet eſſentialiter in ſua veritate ab illa propoſitione tanquam à præmiſſa, quod iſte homo ſit ritè electus eo quod hunc hominem in paratticulari eſſe ſummum Pontificem idem eſt, ac illi eſſe applicatum ſummum pontificatum, quod quidem eſſentialiter, & per ſe pendet ab applicatione actiua quæ fit per legitimam electionem. *Secundum eſt,* quod illa propoſitio, *Hic homo eſt ritè electus,* non eſt nota per fidem diuinam, ſeu per reuelationem, aut definitionem, vel traditonem Eccleſiæ, ſed ſolū per moralem quandam certitudinem, quæ nititur eligentium declarationi. hanc ſententiam videtur tenere *magiſt. Cano ſupra cit.* dum aſſerit in ſimili, quod hoc Concilium eſſe legitimum pendet ex vna de fide, & altera naturaliter nota. Et ad eandē ſententiam accedunt, qui exiſtimant ſolum eſſe temerarium, & ſcandaloſum negare, quod in particulari hic homo ſit ſummus Pontifex, vt videtur tenere *Bañez* vbi ſupra, & probabile cenſet *Azor tom. 2. lib. 4 c. 5. §. in hac controuerſia,* quamuis ipſe teneat eſſe contra fidem. Et hi debent cōuenire in hoc quod aſſenſus talis propoſitionis non elicitur ab habitu fidei, ſed ab habitu theologico (aliàs ſi ab habitu fidei eliceretur, oppoſitum eſſet hæreſis, & contra fidem) quia eſt concluſio illata per diſcurſum, fides autem non aſſentitur per diſcurſum: qui verò Theologiæ habitum non habent in fide aliorum illā videntur tenere.

Tertia ſententia ſimpliciter fatetur hanc pro-
9 poſitionem pertinere ad fidē, & immediatè elici aſſenſum eius à fidei habitu. Hanc ſententiā mihi videtur tenere *Turrecremata vbi ſupra* quatenus ait eſſe veritatem chatholicam, quod hic homo in particulari ſit ſummus Pōtifex ſuppoſita quadam veritate naturaliter nota, ſcil. quod *iſte ſit ritè electus,* vbi hoc quod dicit *ſuppoſita quadam veritate,* ſatis indicat talē veritatem naturaliter notā, quod iſte ſit ritè electus non influere per ſe, & eſſentialiter in illam veritatem, *quod iſte ſit ſummus Pontifex,* ſi enim influeret illa propoſitio nō eſſet catholica veritas, quia veritas quæ ex altera naturaliter nota per ſe pendet, & infertur non eſt niſi concluſio theologica. Eandem ſententiā latè docet *magiſt. Nuñe ſupra cit. & Suarez, & Azor,* eſtq; communis inter recentiores, & in eandē facile trahuntur reliqui antiquiores vt mox oſtendam. Pro illius ergò explicatione.

Sit *Concluſio.* De fide diuina eſt immediatè 10
hunc hominem in particulari rite electum & acceptatum ab Eccleſia eſſe ſummum Pontificem, & ſucceſſorem Petri, non ſolum *quoad ſe* ſed etiā *quoad nos,* licet multò magis quoad nos id manifeſtetur, quando de facto Pontifex aliquid definit, nec in ipſo exercitio, & quaſi practicè aliquis Catholicorum ab hac concluſione diſſentit, licet in actu ſignato, & quaſi ſpeculatiuè putent ſe id non credere fide diuina. In hac concluſione duo facieda ſunt. *Primum* eam explicare; *Deinde* à fundamentis probare, & præſertim ex authoritate, ſecundum quam credimus hunc hominem in particulari eſſe Papam. Et quidem explicatio huius concluſionis meo videri præſertim pendet ex tribus, *Primum eſt,* quod electus in Papam eligitur in regulam fidei taliter qood ſicut liber Canonicus ſcripturæ, eſt quædam fidei regula ſcripta, ita homo electus in Papam eſt quædam regula fidei animata. *Secundum eſt,* quod Eccleſiæ commiſſum eſt à Chriſto Domino eligere ſibi hominem, qui pro tempore ſit talis regula, vt ſupra oſtendimus, & eidem Eccleſiæ conſequenter commiſſum eſt per ſuam acceptationem determinare quod ſit canonicè, & legitimè electus; ita quod ſicut ad Pontificem, & Eccleſiam pertinet determinare, qui libri ſint canonici, ſic & ad ipſam pertinet determinare, qui homo ſit electus in canonem, & regulam animatam fidei. *Tertium eſt,* quod iſta materia, ſcil. hunc hominem eſſe ritè electum, & canonicè factum regulam fidei, eſt materia determinabilis de fide ab Eccleſia.

Quod ergò Pontifex eligatur, & ponatur Ec- 11
cleſiæ, vt regula fidei animata, abundè ſatis in ſuperioribus oſtendimus, cùm conſtet ex Euangelio dictum eſſe Petro & ſucceſſoribus eius, quod non deficeret fides eius, & quod ipſe confirmaret fratres in fide, & iterùm quod portæ inferi non poſſint præualere aduerſus eum, & ita ſicut in antiquis patribus erat de fide loqui Spiritum ſanctum vt ab ipſis tea fidei traderentur per reuelationem, ita debet eſſe de fide in Pontifice determinatè eſſe authoritatem ad explicandam, & proponendam fidem ita quod in ſe gerit quaſi perſonam omnium Patrum, Vnde optimè dixit Bernardus lib. 2. de conſideratione ad Eugenium Papam: *Indagemus (inquit) diligentius quis ſis, quam geras videlicet pro tempore perſonam in Eccleſia Dei Tu Princeps Epiſcoporū, tu hæres Apoſtolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noe, Patriachatu Abraham, ordine Melchiſedech, dignitate Aaron, authoritate Moyſes, iudicatu Samuel, poteſtate Petrus, vnctione Chriſtus.* De quo etiam videndus eſt idem *Bernardus libro 4. de conſideratione in fine.* Eſt ergò in Papa authoritas, & regula fidei animata, ſicut in libris canonicis eſt regula, & authoritas ſcripta tamen differunt vnumquodque iuxta naturam ſuam; in Papa enim eſt temporaliter & dependenter ab ali-

quibus

quibus conditionibus temporalibus quæ de nouo fiunt,& quia tales in particulari non ſunt reuelatæ, inde oritur iſta dubitatio circa certitudinem, qua tenetur de fide hunc hominem eſſe Papam: quæ dubitatio non verſatur circa libros canonicos qui tanquam regula inanimata, & ſcripta declarati ſunt ab Eccleſia tanquam authentici,oportet ergo quod regula iſta declaretur, & proponatur fidelibus ab ipſa Eccleſia quoties de nouo eligitur, ita quod ſicut libri canonici, declarantur tanquam regula fidei ſcriptæ in perpetuum, ita regula fidei animata, quia eligibilis eſt, & ad tempus durans, oportet quod per electionem, & declarationem Eccleſiæ proponatur fidelibus, & ea propoſita non minus tenentur acceptare illam,quam librum canonicum, qui eſt regula ſcripta; iſta per reuelationem habita, & per declarationem Eccleſiæ propoſitam, illa per electionem,& eius acceptationem, quia ſic poſtulat natura talis regulæ,quæ animata eſt,& pro tempore eligibilis.

12 Quod *vero* ad Eccleſiam pertineat declarare, & determinare, quod ſit canonicè, & legitimè electus, ſiue per acceptationem vniuerſalem pacificam,ſiue per definitionem Concilij, ſi ſit aliquod dubium in illa, ſicut pertinet declarare, quis liber ſit, vel non ſit canonicus, ex articulo præcedenti patet, vbi oſtendimus Eccleſiæ commiſſam eſſe à Chriſto Domino electionem ſummi Pontificis, & conſequenter ad ipſam pertinet determinare,& declarare quod electio ſit legitima, & canonica, *Tum quia* ad ipſam pertinet legitime eligere, & tanquam legitime electum proponere fidelibus; ergo debet habere poteſtatem diſcernendi inter legitimam, & non legitimam electionem, quod fieri non poteſt, niſi ad eius poteſtatem pertineat declarare quæ electio ſit legitima. *Tum quia* ſi electio non ſit pacifica,& pacificè acceptata, ſed rationabiliter dubia, non poteſt Pontifex procedere ad definiendum, & determinandum de ipſamet electione, quia ſtante illo dubio non poteſt obligare, vt eius determinationes acceptentur pro legitimis, & indubitatis; ergo neceſſe eſt quod Eccleſia pacificè acceptando determinet electionem non eſſe dubiam, ſed legitimam. *Quod vero* hoc quod eſt eſſe canonicè electum ſit materia determinabilis ſecundum fidem ab Eccleſia, ex eo patet, quia quando aliquid eſt regula fidei, & vt talis proponitur fidelibus,non minus eſt credibile per fidem, quod iſta regula ſit vera, & legitima quam quod ſit de fide id quod determinatur per illam, ſicut quando proponitur aliquis liber tanquam canonicus, ſicut eſt de fide id quod in illo continetur, ita eſt de fide quod liber ille ſit canonicus,& per reuelationem Dei habitus: & ſimiliter quando aliquid definitur à Concilio legitimo,vel à Papa,non ſolum eſt de fide id quod per illum definitur,ſed etiam quod illa ſit vera,& legitima definitio obligans ad credendum, & quando aliquod Concilium confirmatur à Pontifice decernit,quod illud eſt legitimum,& obſeruari mandat; ergo ſimiliter quando aliquis proponitur tanquam regula infallibilis fidei,definibile eſt quod ſit legitimus Pontifex,& legitimè electus. *Et vnius ratio eſt* quia quando aliquid definitur,de fide eſt eſſe legitime definitum;ergo etiã poteſt, & debet eſſe de fide quod definitio eius ſit legitima; ergo ſimiliter in quacumque alia regula regulante res fidei,ſi de fide eſt eſſe regulatum legitimè hic & nunc in particulari, etiam credi debet per fidem;quod regula ipſa ſit legitima,quæ regulat hic & nunc. Quare hunc hominẽ eſſe electum in regulam legitimam,eſt materia credibilis per fidem,ſicut ſtatim amplius oſtẽdetur. Id autem Eccleſia determinare poteſt tanquam de fide, quia Eccleſia errare non poteſt in his,quæ de fide ſunt, cum ſit *Columna,& firmamentum veritatis*;ergo ſi vniuerſaliter acceptat aliquid quod eſt materia credibilis per fidem, determinare eam poteſt tanquam de fide.

His *Explicatis* Concluſio poſita probatur. Et *Primo*, Nam *Martinus V.* in Concilio Conſtantienſi in damnatione errorum Vvicleph,quæ habetur poſt *Seſſ. 45. & vltimam* Concilij, in interrogationibus, quæ faciendæ ſunt ſuſpectis in fide ad indagandum,an legitimè credant,ponit hanc interrogationem. *Item vtrum credat quod Papa canonicè electus, qui pro tempore fuerit eius nomine proprio expreſſo, ſit ſucceſſor Beati Petri habens ſupremam authoritatem in Eccleſia Dei?* Quæ verba non loquuntur de veritate illius propoſitionis in communi, *quod omnis ritè electus eſt Summus Pontifex*,ſed in particulari de eo qui pro tempore eſt Pontifex exprimendo nomen proprium v. g. *Innocentium X* & de hoc, cuius nomen proprium exprimitur, iubet Pontifex, vt interrogetur ſuſpectus in fide, an credat quod talis ſit ſucceſſor Petri, & Summus Pontifex; ergo hoc pertinet ad actum credendi, non ad illationem,aut ad moralem certitudinem, neutrum enim eſt credere. *Item quia* de fide credimus hanc numero Eccleſiam, in qua ſumus,eſſe Eccleſiam Catholicam,& Apoſtolicam,habereque Caput viſibile in terris;ſed facta electione pacifica, & indubitatè acceptata,non poteſt recipi,& haberi pro vera Eccleſia illa quæ non fuerit vnita cum ſuo capite viſibili, eique ſubiecta; ergo oportet quod ſicut eſt de fide hanc numero Eccleſ. eſſe veram Eccleſiam ex illa authoritate, qua credimus *Vnam Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam*, ita ſit de fide,facta legitima electione,quod iſte homo, cui tanquam capiti ſuo vnitur, ſit verè caput Eccleſiæ, & Summus Pontifex. 13

Deinde *Secundo* oſtenditur eadem Concluſio eſſe de fide,*quoad ſe, & quoad nos* ex vi electionis acceptatæ pacificè ab Eccleſia: Duo autem ſunt quæ Eccleſia acceptat in Pontifice, alterum quod hic, & nunc in particulari ſit regula fidei infallibilis, alterum quod acceptat illum tanquam caput, cui vniuerſalis Eccleſia vnitur, & ſic acceptato facit hanc propoſitionem eſſe de fide, nam impoſſibile eſt, quod Eccl erret in acceptanda quacumque regula fidei ſiue ſit definitio Concilij,ſiue liber aliquis Canonicus,ſiue traditio aliqua, & quod acceptando illam tanquam regulam fidei,non ſit de fide quod illa ſit vera,& legitima regula:ergo etiam impoſſibile eſt,quod Eccleſia erret in acceptando Summo Pontifice in particulari, ſiquidem acceptat illum tanquam regulam ſupremam, & animatam in proponendis rebus fidei. *Antecedens* præter dicta patet;Quia ſi non eſt certum ſecundum fidem, quod iſte liber in particulari ſit Canonicus, aut iſta definitio ſit legitima definitio, non poſſumus eſſe certi de rebus definitis,aut traditis in libro Canonico:neque eſt ſimile de proponẽte proximè res fidei,& prædicante eas, quẽ nõ tenemur credere de fide, quod ſit legitimus miniſter Euangelij, quia ille qui prædicat Euangeliũ,& proponit res fidei non ſe habet tanquã regula determinatiua rerũ fidei, ſed ſolum vt miniſter intimans aliis ea,quæ credenda ſunt,vnde nec illi,qui 14

credant mouentur ab illius authoritate, ſed ex credibilitate eorum quæ proponuntur, & niſi ſufficienter proponantur, ita vt eorum credibilitas innoteſcat audienti, non obligatur credere. At vero Pontifex proponit res credendas tanquam regula fidei, & iudex determinans quænam credenda ſint, & ita ex eius authoritate obligatur homo ad credendum: neceſſe eſt ergo quod fideles ſint certi, quod ille qui definit, & regulat res fidei, habeat authoritatem illas regulandi, & definiendi, aliàs enim ſi contingeret dubitare de authoritate, quam habet hic in particulari definiens, non poterit eſſe certus quod res maneant definitæ de fide; ſicut ſi dubitatur de aliquo libro Canonico, an verè ſit Canonicus, non poteſt manere certitudo de his, quæ in illo continentur.

15 Secundum, quod acceptat Eccleſia vniuerſaliter eſt, quod ſit caput eius vniendo ſe illi tanquam viſibili capiti ſupremo & ſubiiciendo ſe illi; non enim ſufficit quod Eccleſia ſubiiciat ſe cuicumque ritè electo in Pontificem, quaſi in communi, ſed alicui viſibili capiti debet eſſe vnita, & ſubiecta; non eſt autem viſibile, niſi ſit determinatum in particulari; ergo oportet quod Eccleſia huic in particulari ſe ſubiiciat, & vniat tanquam capiti, quam ſubiectionem, & vnionem facit Eccleſia hoc ipſo, quod pacifice acceptat electionem factam in hac determinata perſona, vel illa. Sed hoc ipſum eſt determinare infallibiliter, quod ille homo ſit caput Eccleſiæ, ſiquidem in exercitio tota Eccleſia illi vnitur, vt capiti, ipſumque recognoſcit: tota autem Eccleſia in hoc errare non poteſt, ergo in ipſo exercitio Eccleſia determinat, quod iſte homo ſit caput ſuum, ita vt ſint ſchiſmatici, qui oppoſitum ſentiunt, nulla enim maior determinatio eſſe poteſt, quod iſte ſit Pontifex, quam quod vniuerſalis Eccleſia ſic ipſum recognoſcat pro Pontifice, & acceptet, idem enim eſt Eccleſiam vniuerſalem dicere in actu ſignato *Hic Homo eſt verè, & legitimè Pontifex*, & quod vniuerſalis Eccleſia in ipſo exercitio id dicat, vniendo ſe, & ſubiiciendo ſe illi tanquam capiti. Hæc ergo determinatio cum verſetur circa materiam fidei, ſcilicet quod hæc Eccleſia vniuerſalis ſit vnita ſuo viſibili capiti in particulari, quo ſublato ruit totum, quod de Eccleſia credimus, quod ſit vera hic, & nunc, & Catholica, neceſſe eſt quod illa determinatio Eccleſiæ circa talem materiam, recognoſcendo hunc hominem, tanquam ſupremam regulam, ſit determinatio de fide.

16 Et *hoc ipſum* amplius confirmatur, quando non ſolum Eccleſia in actu exercito ipſum acceptat in Pontificem, & eius electionem, ſed etiam quando ipſe Pontifex in exercitio definit aliquid tanquam de fide tenendum; tunc enim impoſſibile eſt, quod de fide credamus illud obiectum tanquam definitum, & non credamus ipſam definitionem eſſe legitimam, & conſequenter ipſum definientem hic, & nunc infallibilem authoritatem habere circa determinationem, & regulationem rerum fidei, quod eſt credere, quod hic homo definiens ſit Papa, & ſupremam authoritatem in Eccleſia habeat. Vnde quando Pontifex ſic definit nullus Catholicorum eſt, qui aſſentiens rebus definitis credendo, in actu exercitio non credat etiam ipſum, qui proponit definiendo, & regulando habere hanc ſupremam poteſtatem regulatiuam fidei. & conſequenter in actu exercito credit eſſe Papam, licet quando poſtea hæc veritas quaſi in actu ſignato, & ſpeculatiuè ſeorſum cogitatur non appareat propter multas circunſtantias, & conditiones, quæ concernunt hunc, aut illum hominem in particulari quomodo id ſit de fide, cum non videatur reuelatio omnia illa in particulari attingere, & declarare nobis.

Tertio probatur non ſufficere quod certitudine quadam morali teneamus hunc eſſe Pontificem, 17
nam ſaltem debemus credere quod omnia, quæ facit iſte homo in particulari ſunt ritè facta eo modo, quo ab aliis veris Pontificibus fiunt, ergo debet talis homo, vel credi certò quod ſit verus Pontifex, vel credi quod vtitur priuilegio veri ſummi Pontificis. *Antecedens patet*. Quia hoc ipſo quod pacificè acceptatur, vt Pontifex, vere obligantur omnes ad acceptandum quæcumque ab ipſo definita fuerint: & definitiones fidei credere tenentur; ergo oportet credere, quod illa ſunt ritè facta, & veræ definitiones; ergo etiam quod habet ille homo quidquid requiritur, vt eius acta ſint valida, aliàs ſi valida non eſſent, falleretur Eccleſia in acceptandis, & credendis his, quæ ab ipſo definiuntur. Si autem credimus quod hic homo in particulari habet quidquid requiritur, vt definitiones ab ipſo factæ ſint legitimæ, & veræ, oportet quod credamus, vel quod habet in re authoritatem ſummi Pontificis, vel quod ſi in re habet aliquem defectum ratione cuius non ſit Pontifex, tamen Deus ſupplet quidquid requiritur, vt eius acta ſint valida, ne Eccleſia in hoc fallatur, hoc autem æquè incertum eſt, atque illud primum, nam non eſt magis reuelatum, quod huic homini confert Deus priuilegia Pontificis, & ſupplet eius authoritatem, quam quod in re ſit Pontifex, præſertim cum iſtud ſupplementum, & conceſſio extraordinaria non fundetur in ipſa promiſſione Chriſti, quæ ſolum facta eſt Petro, & eius ſucceſſoribus; ergo ſine noua reuelatione conſtare non poteſt; debet ergo credi quod in re ſit Pontifex, & & quod Deus non permittet eligi eum, qui capax non ſit illius dignitatis.

Nec *dici* poteſt definitiones Conciliorum, prout 18
ab aliquo Concilio in particulari fiunt, vel definitiones Pontificum, prout ab iſto in particulari procedunt, non ſunt de fide, quia ab iſtis fiunt in particulari (quia poteſt contingere quod aliquod non ſit verū Concilium) ſed quia ab Eccleſia acceptantur, & ideò ſufficit de iſto Pontifice, aut de iſto Concilio in particulari ſecundum certitudinem moralem credere, quod habeant illam authoritatem. *Sed contra eſt*: nam Eccleſia non habet maiorem authoritatem ad faciendum res de fide per ſuam acceptationem, quam Concilium hoc in particulari, vel Pontifex per ſuam definitionem, imò tota Eccleſia ſecundum authoritatem ſuam eſt in Concilio, ergo ratio determinans, & declarans rem eſſe de fide, non eſt acceptatio Eccleſiæ, ſed definitio Concilij, aut Papæ, nec Chriſtus Dominus promiſit infallibilitatem, & indeficientiam fidei ipſi acceptationi Eccleſiæ, ſed ipſi Petro, aut eius ſucceſſoribus; ergo non innititur confirmatio fidei Eccleſiæ acceptanti, ſed Petro confirmanti; imò Concilium, in quo eſt tota Eccleſia authoritatiuè confirmationē petit in determinationibus fidei ab ipſo Pontifice pro tempore, & in particulari conſiderato; ergo non fit confirmatio fidei per acceptationem Eccleſiæ, ſed per definitionem Papæ. Ac denique ſi acceptatio Eccleſiæ facit rem eſſe de fide, etiam ſi Concilium in particulari, aut Pontifex in particulari legitimus non eſſet; ergo etiam acceptatio Eccleſiæ, qua pacificè acceptat aliquem hominem in Pontificem, & in regulam fidei, facit quod ſit de fide hunc hominem eſſe Papam, ſiquidem id eſt materia credibilis per fidem, ſicut de quacumque

regula

regula fidei eſt credibile, quod ſit regula legitima, vt oſtendimus; ergo acceptatio Eccleſiæ in hac materia, quæ de fide eſt cum errare non poſſit, reddit illam de fide.

Soluuntur Argumenta.

1 PRo *parte ergo negatiua*, quod ſcilicet non ſit de fide hunc electum eſſe Pontificem, plura ſolent argumenta coaceruari. Nos difficultates omnes ad quatuor capita reducimus, ſicut enim vnaquæque res per quatuor cauſas producitur in eſſe, & conſeruatur, ſic ſuo modo iuxta quatuor cauſas, quæ concurrunt ad hanc veritatem, quod hic homo ſit Pontifex, proponemus difficultates quas ad illas quatuor cauſas, ſeu capita reducimus. *Primo* ergo arguitur ex parte cauſæ finalis, nam tota ratio propter quam neceſſe eſt de fide *hunc hominem eſſe Pontificem*, eſt propter certitudinem quam habemus de Eccleſia, quod ſit vera, & legitima congregatio fidelium, etiam illa numero, quam nunc videmus, & ſic neceſſe eſt, quod eadem certitudine teneatur, quod ille qui nunc eſt legitime electus ſit Papa; ſed hæc ratio nihil probat; ergo. *Min. probatur*. Nam non eſt minus neceſſaria certitudo Sacramentorum in Eccleſia puta Baptiſmi, aut Euchariſtiæ, quam ſit neceſſaria certitudo huius capitis in particulari; pro certitudine autem ſacramentorum ſufficienter prouiſum eſt, vt per fidem credamus eorum veritatem in communi, in particulari autem ſolum certitudine morali nobis conſtet de veritate huius, aut illius Sacramenti, nec enim eſt de fide hanc hoſtiam in particulari eſſe conſecratam, licet ſit de fide omnem hoſtiam ritè conſecratam realiter continere in ſe corpus Chriſti, ſicut docet *D. Thom. 2. 2. quæſt. 1. art. 3. ad 3. ad 4.* ergo eodem modo ſufficit, quod ſit de fide, *omnem hominem legitimè electum eſſe papam*, non tamen ſit de fide hunc in particulari ritè electum eſſe, & eſſe Papam, ſed ſufficit quod id teneatur certitudine quadam morali, vel ad ſummum tanquam concluſio Theologica inferatur ex principiis fidei.

2 Si *Dicas* eſſe diuerſam rationem de hac hoſtia in particulari, & de hoc homine in particulari electo in ſummum Pontificem, quia hic eſt caput Eccleſiæ vniuerſalis, atque de illo ita debet conſtare de fide, quod ſit caput Eccleſiæ, ſicut de hac numero congregatione fidelium conſtat quod ſit Eccleſia, quia veritas Eccleſiæ pendet ex vnione cum ſuo capite, quæ ratio non currit in hac hoſtia in particulari, aut in quolibet alio ſacramento. *Contra eſt*: quia veritas Eccleſiæ non pendet ſimpliciter à veritate ſui capitis in particulari, vt patet quando eſt ſchiſma, vel vacat Sedes, tunc enim eſt de fide eſſe Eccleſiam independentem à capite; ergo vt talis fides continuetur exiſtente capite non eſt neceſſe quod ſit de fide illum eſſe Papam. *Secundò*. Quia Eccleſiæ authoritas etiam pendet à congregatione Epiſcoporum, in illis enim authoritatiuè eſt Eccleſia, & tamen ad hoc non eſt neceſſe, quod ſit de fide illos eſſe Epiſcopos; ergo ſimiliter in noſtro caſu.

3 Reſpondetur. Solutione ibi data, nec enim eſt minus neceſſaria certitudo Sacramentorum, quam certitudo capitis Eccleſiæ, ſi cætera ſint paria, non ècontra, ſunt enim neceſſitates diuerſi generis, cum vna requiratur in ordine ad conſequendam ſalutem tantum, altera etiam in ordine ad regulandum, & determinandum ea quæ ſunt fidei, tanquam regula infallibilis illius. Sacramenta autem ſecundum quod in particulari procedunt ab aliquo miniſtro non ſe habent vt regula fidei; nec ex eorum vnitate viſibili, aut vnione cum ipſis pendet eſſentialiter vnitas Eccleſiæ, ſed ſe habent vt medicinæ peccatorum, & inſtrumenta gratiæ: vnde circa ipſa Sacramenta in particulari nulla Eccleſiæ acceptatio, aut definitio verſatur, ſed ſolum circa ipſa Sacramenta in ſpecie, quia eorum natura, & virtus definitioni fidei ſubeſt, non eorum vſus, & exercitium. In Pontifice autem non ſolum fides verſatur circa eius poteſtatem in communi, ſed etiam circa acceptationem eius in particulari, quia acceptatur vt regula fidei, & caput Eccleſiæ, & per ſuas definitiones in particulari innoteſcit eius authoritas. Vnde debet in particulari acceptari ſicut quæcumque alia regula fidei, vt dictum eſt.

Et *ſi adhuc vrgeas*: Non minus eſſe de fide Ec- 4
cleſiam eſſe ſanctam quoad Sacramenta, quam eſſe vnam, & Apoſtolicam quoad vnionem cum ſuo capite, ſed non obſtante ſanctitate Eccleſiæ quoad Sacramenta adhuc non eſt de fide hanc hoſtiam in particulari eſſe conſecratam; ergo non obſtante vnitate Eccleſiæ, & ratione Apoſtolicæ quoad vnionem capitis, non erit de fide hunc hominem numero eſſe Pontificem. *Reſpondetur*. Quod licet ex fide habeamus quod Eccleſia ſit Sancta quoad Sacramenta, & quod ſit Apoſtolica quantum ad vnionem cum ſuo capite Apoſtolico, tamen pluribus modis debet fides verſari circa poteſtatem Apoſtolicam Pontificis, quam circa Sacramenta, quia non ſolum credit dari poteſtatem Apoſtolicam, ſed etiam debet in exercitio determinare hic, & nunc, quod ſit regula fidei, & illi vniatur Eccleſia tanquam viſibili capiti: circa Sacramenta autem ſolum credit verè eſſe Sacramenta, quæ debito modo fiunt, de ipſo autem vſu, & exercitio eorum non dictat.

Ad *Replicam* verò contra hanc ſolutionem 5
dicitur, quod veritas, & vnitas Eccleſiæ vacante ſede non pendet à capite actu, ſed aptitudine, quia ſcilicet eſt apta, & de ſe petit iſta congregatio eſſe ſub vno capite, quod actu non habet; nos autem loquimur quando Eccleſia habet actu caput, & acceptauit eius electionem tanquam legitimam, tunc enim niſi illi homini in particulari vniatur, peribit vnitas Eccleſiæ. In ſchiſmate autem ſi ſint duo de quibus rationabile dubium ſit, quiſnam eorum ſit Pontifex, tunc eſt idem, ac ſi non haberet actu caput, quia nondum illud habet determinatè, & pacificè ſecundum nos. Si autem vnus eorum determinatè ſit Pontifex, & alter irrationabiliter vſurpet Pontificatum, tunc ſicut debet Eccleſia verum caput acceptare, & illi vniri, ita & de fide eſt, quod ille, & non alter ſit Pontifex.

Ad *Secundam Replicam Reſpondetur*. Quod 6
in congregatione Epiſcoporum ſi ſit Concilium generale legitimè congregatum de fide eſt illam congregationem repræſentare Eccleſiam, & authoritatiue eſſe totam Eccleſiam, eo modo quo eſt de fide illud eſſe legitimum Concilium: ad hoc autem non eſt neceſſe, quod ſit de fide vnumquemque Epiſcopum, aut omnes diuiſiue eſſe Epiſcopos, quia nullus eorum in particulari, nec omnes diuiſiuè ſe habent, vt regula fidei, ſed ſolum eſt de fide congregationem illorum quos morali, aut euidenti certitudine conſtat eſſe Epiſcopos, eſſe legitimam congregationem, & Concilium in quo authoritatiue ſit Eccleſia, quia vt ſi legitimum Concilium ab authoritate Pontificis congregatum eſt.

7 Secundo *Arguitur* ex parte cauſæ efficientis, id eſt Electorum, & electionis, quæ eſt cauſa efficiens electiue Papam, Quia non conſtat de fide iſtos Electores in particulari habere validam intentionem eligendi, & eſſe legitimos, ac veros Cardinales, & ſeruatam fuiſſe formam iuridicam eligendi, vt ſcilicet à duabus partibus Cardinalium ſit electus: & cæteræ aliæ conditiones, ſine quibus electio eſt nulla; hæc enim omnia ſeruata fuiſſe non docet fides, nam quando promulgatur primo electio Papæ non conſtat Eccleſiæ acceptanti per aliquam reuelationem, vel traditionem, vel ea alia via, quibus res fidei nobis proponuntur, quod omnes illæ conditiones ſeruatæ ſint, ſed illæ tantum habentur in fide ipſorum Electorum promulgantium electionem, ergo nunquam certificatur Eccleſia certitudine fidei de ipſo electo, quod legitimè electus ſit.

8 Confirmatur. Nam acceptatio Eccleſiæ circa aliquam propoſitionem non facit illam de fide, niſi acceptet illam tanquam de fide, vt autem acceptetur de fide, oportet quod ab aliquo proponente proponatur Eccleſiæ tanquam de fide, ſed hoc non fit in præſenti propoſitione: ergo illa non eſt habenda tanquam de fide. *Minor probatur.* Nam electus, & electio proponitur Eccleſiæ ab ipſis electoribus, de quorum electione, & conditionibus in ea ſeruatis non conſtat apud alios, cum ipſi inter ſe tractent de illa electione ſeorſum. Electores autem nec proponunt illam electionem tanquam de fide, neque in re fidei proponenda habent authoritatem infallibilem, quæ ſolum Petro, & eius ſucceſſoribus eſt promiſſa, non electoribus; ergo ex vi talis propoſitionis, & acceptationis Eccleſiæ, adhuc non eſt certum de fide illum electum eſſe Papam.

9 Quod *ſi Dicas*: non proponere electores iſtam propoſitionem Eccleſiæ, vt credendam, ſed tantum declarare perſonā electam, ipſum verò Pontificem quam primum aliquid definit, vel determinat, hoc ipſo ſe ipſum proponit vt regulam viuam, & caput ſupremum Eccleſiæ. *Sed contra eſt*: Nam antequam Pontifex definiat, hoc ipſo quo eſt electus, non minus debet eſſe certum quod ſit Papa, quam poſtquam definit, ſiquidem etiam ante quamcumque definitionem, aut actum quem exerceat, eſt caput viſibile Eccleſiæ pacificè electum, ita quod Eccleſia tenetur habere vnionem cum illo, & non eſſet vera Eccleſia, ſed ſchiſmatica, quæ illum non acceptaret, ergo oportet, quod ante omnem actum ab ipſomet Pontifice procedentem, ſit fundamentum aliquod certitudinis fidei circa illam propoſitionem, & conſequenter ab aliquo proponente infallibili proponatur tanquam de fide: hoc autem non datur, cum ſolum proponatur ab electoribus, qui non habent authoritatem regulæ infallibilis circa aliquam propoſitionem de fide, nec enim maiorem authoritatem habent, quam Concilium generale ante definitionem Papæ, quod tamen errare poteſt, præſertim ſi non omnes conueniant, aut inſtructionem Pontificis ſequantur, nec illam electionem proponunt tanquam de fide tenendam, quod ſit ritè facta ergo. *Si Dicas*: conſtare de iſtis conditionibus Eccleſiæ, non ea declaratione, aut propoſitione electorum, ſed ex ipſa euidentia facti, quia non apparet electionem illam non eſſe pacificam, & ideò ſic illam acceptat Eccleſia. *Contra eſt* Quia nullus præter electores videt omnes illas conditiones, quæ à iure ſtatutæ ſunt obſeruari, ſed id apud illos ſecretum eſt; ergo id non conſtat Eccleſiæ acceptanti ea euidentia facti, ſed ea electorum declaratione. Et licet appareat pacifica eſſe electio, non tamen apparet, an ſit pacifica ex vera obſeruatione omnium conditionum, vel ex inaduertentia electorum, aut ex conuentione ipſorum, vt decipiant proponendo tanquam legitimè electum non electum, aut cum aliqua Simonia procedendo, &c. *Nec dici poteſt* Deum non permiſſurum, vt Eccleſia in tali caſu decipiatur. Hoc enim etſi piè credendum ſit, tamen non eſt aliqua infallibilis promiſſio de hoc, nec eſt de fide id Deum nunquam permiſſurum, præſertim cum receptiſſimum fuerit in Eccleſia, & à multis approbatum, quod fœmina quædam fuerit electa in Pontificem, in quo caſu etiam admitti debebat poſſe electionem pacificam, & ab Eccleſia acceptatam, continere errorem inualidantem illam, & conſequenter non eſt certum de fide, Deum non permittere aliquando, vt Eccleſia in recipiendo electionem, & electores in proponendo illam pacifice, errent; ſi enim hoc eſſet de fide, etiam eſſet de fide illam hiſtoriam de fœmina Pontifice eſſe falſam, quod nemo dicit.

Reſpondetur. De illis omnibus conditionibus, & 10
de intentione, ac veritate electorum non conſtare de fide immediatè, quia non verſatur immediatè circa iſta acceptatio, & definitio Eccleſiæ, ſed conſtat mediate, & per conſequentiam; immediatè autem conſtat de fide, quod electus ab illis perſonis, quæ ſunt ab Eccleſia deſignatæ ad hoc miniſterium, & in perſona eius eligunt Pontificem, hoc ipſo quod ab Eccleſia acceptatur, vt legitimè electus ſit Pontifex, quia circa hoc verſatur definitio Martini V. ſupra poſita, & Eccleſiæ acceptatio. Ex hoc autem mediatè, & per conſequentiam infertur, quod ſi eſt de fide illum electum eſſe Pontificem, quod omnia ad id requiſita ſeruata ſunt: non vero primo, per ſe fides verſatur circa ipſa requiſita, & conditiones in electoribus concurrentes, & deinde circa ipſum electum. Sicut etiam in definitionibus Conciliorum fides non verſatur circa ea, quæ ad talem definitionem prærequiruntur, videlicet quod præceſſerit diligens inquiſitio, aut diſputatio circa propoſitiones definiendas, de hoc enim non datur fides, ſed tamen facta definitione, rectè infertur per conſequentiam theologicam omnia requiſita ad definitionem poſita fuiſſe, & conſequenter diſputationem illam præceſſiſſe. *Et huius ratio eſt*, quia quando aliquid per ſe eſt de fide, non eſt neceſſe quod ſint etiam de fide ea, quæ neceſſariam connexionem habent cum tali veritate de fide, imò in hoc conſiſtit concluſio Theologica, quod verſatur circa ea, quæ neceſſariam connexionem, & conſequentiam habent cum his, quæ de fide ſunt, ſicut eſt Concluſio Theologica, *Chriſtus eſt homo; ergo Chriſtus eſt riſibilis*, quia riſibilitas habet neceſſariam connexionem cum homine. Similiter cum ſit de fide, quod hic homo in particulari canonicè electus ſecundum acceptationem Eccleſiæ ſit Pontifex, infertur per conſequentiam Theologicam quod à veris electoribus, & per veram intentionem ſit electus, & cætera alia requiſita ſine quibus illa veritas ſtare non poteſt. Itaque per fidem, ſeu reuelationem implicite contentam in Symbolo & in promiſſione facta Petro, & explicitam amplius in definitione Martini V. & applicatam, ac declaratam in exercitio per acceptationem Eccleſiæ, ſolum conſtat quod hic electus in particulari canonicè ſecundum acceptationem Eccleſiæ ſit Pontifex: reliqua autem quæ neceſſa-

riò prærequiruntur, aut ſequuntur ex tali electione, per Theologicam conſequentiam inferuntur ex illa propoſitione de fide, & mediatè creduntur.

11 Ad *Confirmationem reſpondetur*, Eccleſiam acceptare tanquam de fide electionem, & electum, quatenus acceptat illum, vt regulam infallibilem fidei, & vt Caput ſupremum, cui vnitur, & ex cuius vnione cum ipſo pendet vnitas Eccleſiæ. *Et quando dicitur*, quod debet id ab aliquo proponente Eccleſiæ proponi. *Reſpondetur*: illam electionem, & electum proponi à Cardinalibus non in perſona propria, ſed in perſona, & virtute Eccleſiæ, à qua commiſſa eſt eis poteſtas eligendi, & declarandi electum. Vnde ipſi in hac parte, & quoad hoc munus ſunt ipſa Eccleſia repræſentatiuè, ſicut enim Epiſcopi congregati legitimè à Papa, ſunt repræſentatiuè Eccleſia, ſic Cardinales, vel quicumque alij Electores legitimè deſignati ab Eccleſia, ſeu à Papa, ſunt repræſentatiuè Eccleſia in ordine ad eligendum Caput Eccleſiæ, & ſucceſſorem Petri: & ſicut Pontifex ita congregat Epiſcopos in Concilio, quod ab ipſo pendet confirmatio, & vltima ſententia in rebus fidei, ſic Congregatio Cardinalium, ſic eligit, & declarat electum Pontificem, quod Eccleſia acceptando, cuius ipſi ſunt miniſtri, vltimatè confirmat tanquam de fide illum hominem eſſe verè regulam ſupremam fidei, & Summum Pontificem. Vnde ſi dubiè eligant Cardinales, Eccleſia corrigere poteſt eorum electionem, ſicut determinatum eſt in Concilio Conſtantienſi ſeſſion. 41. Quare etiam ante omnem definitionem ipſius Pontificis ex ſola Eccleſiæ acceptatione redditur de fide illa propoſitio, ſicut explicatum eſt, non propter acceptationem Eccleſiæ quomodocunque, ſed in materia pertinente ad fidem, cum acceptetur vt regula determinata fidei. *Et quando dicitur*, quod de conditionibus requiſitis ad electionem nihil videtur exterius, ſed ſolum id ſit penes electores in quorum declaratione, & dicto acceptat Eccleſia Pontificem. *Reſpondetur*, non requiri quod omnes illæ conditiones, & ipſa electio, ac intentio eligentium videantur, ſed ſupponantur factæ morali modo, quia vident electores ad actum electionis congregari & pacificè proponere electum, ac declarare nullo dubio rationabili interueniente, hoc enim ſufficit, vt Eccleſia vniuerſaliter acceptet illum, & hac acceptatione facta redditur de fide illa veritas: non enim requiritur vt aliquid ſit de fide, quod omnes conditiones ad id prærequiſitæ videantur, ſed ſufficit quod antecedenter morali certitudine conſtent, & poſtea per Theologicam conſequentiam de eis certitudo habeatur.

12 Explico *hoc*. Nam quando aliquis Sanctus Canonizatur, aut aliqua propoſitio de fide definitur, aut aliquis liber acceptatur in canonicum, neceſſe eſt quod præcedat inquiſitio ſufficiens, & de illa inquiſitione ante actum Canonizationis, vel definitionis non niſi morali certitudine, aut naturali euidentia conſtat quod fiat, & hoc ſufficit vt poſſit definitio fieri, ea vero facta, cum ſit de fide talis definitio, redditur per conſequentiam Theologicam certum quod omnes conditiones requiſitæ fuerunt adhibitæ, vt explicatum eſt, cum habeant connexionem cum tali veritate, quæ eſt de fide: ſicut in reliquis omnibus veritatibus fidei, ea quæ ſunt neceſſario cum illis connexa certa eſſe debent, non tamen de fide, ſed ſolum Theologicè, vt concluſiones illatæ. Ita in præſenti antecedenter ad electionem, ſolum morali certitudine conſtat adhiberi conditiones requiſitas, & per ſe neceſſarias ad legitimam electionem. Illa vero acceptata, eſt Concluſio Theologica, quod illæ conditiones ſint adhibitæ, quia habent neceſſariam connexionem, & per ſe ſunt requiſitæ ad talem veritatem fidei.

Quod *verò* additur fuiſſe à pluribus in Eccleſia receptum, quandam fœminam fuiſſe Pontificem, qui tamen nihil contra fidem, aut Theologicam Concluſionem ſentiebant in hoc *Reſpondetur*, quod attinet ad rem illam hiſtoriam eſſe falſam, vt his temporibus manifeſtè oſtenſum eſt; de quo videri poteſt *Baronius, Bellarminus, & reliqui authores* agentes de Romano Pontifice, & de hoc edidit libellum quendam *Flori mundus Remundus*, vbi ſatis accuratè impoſturam hanc detegit. Quod vero aliqui ſine nota erroris id crediderint, non obſtat, quia excuſantur ignorantia putantes id ſolum pertinere ad Hiſtoriæ narrationem. Si tamen aduerterent ſe dicere quod Eccleſia pacificè acceptauit vt Pontificem perſonam illam, quæ verè erat incapax, & non Pontifex; certe non excuſaretur ab errore, quia diceret ex conſequenti Eccleſiam errare poſſe in acceptando in regulam fidei ſupremam illum, qui verè regula non eſt, nec illius eſt capax. Vnde non ſolum pie creditur, ſed etiam per conſequentiam Theologicam infertur, Deum non permiſſurum quod eligatur, & acceptetur pacificè ab Eccleſia quia verè non habet conditiones ad id requiſitas, & neceſſarias, vt declaratum eſt, quia id neceſſariò pertinet ad ſpecialem Dei prouidentiam, & aſſiſtentiam Spiritus ſancti circa Eccleſ. 13

Tertio *Arguitur* ex parte cauſæ materialis, quæ eſt ſubiectum recipiens in ſe per electionem dignitatem Pontificiam, etenim non eſt certum ſecundũ fidem ſubiectam hoc eſſe capax talis dignitatis; ergo neque eſt certum de fide illi de facto conuenire. *Conſequentia patet*. Quia ſicut ſupponitur neceſſariò facta eſſe legitimam electionem, vt ſit de fide hunc in particulari eſſe Papam, ita ſupponitur neceſſariò hunc habere capacitatem requiſitam ad talem dignitatem; ergo quandiù non certificamur de iſta capacitate ſemper manebit incertum circa applicationem dignitatis ad hoc ſubiectum, nam in bona conſequentia ſi conſequens eſt contingens, antecedens non poteſt eſſe neceſſarium, hæc eſt autem bona conſequentia *Iſte homo eſt Summus Pontifex, ergo eſt baptizatus*; ergo ſi conſequens eſt contingens, etiam, & antecedens, & ſic non eſt certum immediatè de fide. *Antecedens autem argumenti conſtat*. Quia non eſt de fide iſtum hominem in particulari eſſe baptizatum, aut eſſe virum, & cæteras conditiones habere, ſiquidem vſque ad inſtans electionis id non erat de fide, facta autem electione, non aduenit noua reuelatio, aut definitio declarans iſtum in particulari eſſe baptizatum, aut aliqua Eccleſiæ traditio; ergo id non incipit eſſe de fide. *Quod ſi dicatur*: pendere hanc veritatem ex illis conditionibus tanquam ab aliquo requiſito, quod non eſt neceſſe eſſe de fide. *Contra eſt*: Quia illa veritas quod iſte in particulari ſit Pontifex pendet ab hoc quod eſt eſſe ritè electum, & à reliquis veritatibus, vt à præmiſſis, ex quibus infertur; ergo non ſolum vt à 14

conditio

conditione requiſita eattinſecè ſed vt ab aotece-
15 denti influente per ſe in veritatem conſequen-
tis.

Et *Confirmatur Primò.* Qoia ſi aliqna defini-
tione inciperet eſſe de fide, *quod hic homo in par-
ticulari eſt baptizatus*, neceſſe erat quod aliqua
inquiſitio præceſſiſſet circa hanc materiam in
particulari, vt illa cenſeretur manere defi-
nita; ſicut vt maneat definitum qnod iſte ho-
mo in particulari eſt beatus, neceſſe eſt quod
plures diligeutiæ,& inquiſitio magna præcedat,
nulla autem ſit inquiſitio, aut diligentſa ad hoc
ſciendum, vt conſtat; ergo non habetur illa ve-
ritas ex vi alicuius definitionis, ſolum ergo
reſtat quod habeatur ex traditione Eccleſiæ, aut
reuelatione. Ridiculum autem eſt dicere in tra-
ditione Eccleſiæ fuiſſe contenmm, *quod hic
homo Incocentius X. fuit baptizatus*, reuelatio au-
tem nulla eſt facta; ergo. *Confirmatur. Secundò.*
Nam non eſt certuin ſecundum fidem hanc per-
ſonam habere poteſtatem ordinis Epiſcopalem;
ergo neque poteſtatem iuriſdictionis. *Con-
ſequentia patet.* Quia vt ſit de fide hunc homi-
oem eſſe Papam vniuerſalis Eccleſiæ debet eſſe
de fide, quod ſit Epiſcopus Romaons, & quod
habeat Epiſcopalem dignitatem quæ conſtat ea
poteſtate ordinis, & iuriſdictionis. *Antecedens
autem probatur.* Quia ſi in Papaio eligatur ille
qui non eſt Epiſcopus. conſecratur, & ſuſcipit
charaċterem Epiſcopalem ſicui alij Epiſcopi, nec
magis eſt de fide ipſum ſuſcipere characterem
in tali conſecratione, quam reliqui Epiſcopi; ſi
16 autem ante Pontificatum id ſuſcepit multo mi-
nus eſt c ertum; ergo.

Reſpondetur ſimiliter ſicut ad præcedens,
quod omnes illæ conditiones ex parte perſonæ
eligendæ requiſitæ antecedenter ad electionem
ſuppouuntur vt notæ certitudine morali, facta
autem, & acceptata electione redduntur neceſſa-
riæ ſecundum conſequentiā Theologicam, qnia
habent connexionem per ſe cum veritate certa,
& certificata per fidem. *Et quando dicitur,* quod
in bona conſequentia ſi antecedens eſt contin-
gens, conſequens non poteſt eſſe neceſſarium, fa-
temur; cæterum illud conſequens *Hic homo eſt
baptizatus, vel eſt vir, aut eſt ordinatus*, & cæte-
ras conditiones habens ad Pontificatum poſt-
quam ille eſt acceptatus ad Eccl. in Papam, non
eſt conſequens contingens, ſed concluſio theo-
logica neceſſariò illata ex vna de fide: ſicut fa-
cta definitione circa aliquam veritatem, non eſt
contingens, ſed neceſſarium conſequens quod
præceſſerit inquiſitio neceſſaria ad talem defini-
tionem faciendā *Et licèt* illa propoſitio *Hic ho-
mo eſt baptizatus* abſulutè ſumpta, & ſecoodùm
ſe, ſit contingens, tamen vt ſubeſt illi propoſi-
tioni *Hic Homo eſt Pontifex*, & ab illa deducitur,
redditur neceſſaria; ſicut illa propoſitio *Petrus
peccabit*, abſolutè eſt contingens, tamen vt ſub-
eſt, & deducitur ea illa *Deus ſcit Petrum pecca-
turum* eſt neceſſaria, ſeù infallibilis, vt docet *D.*
17 *Thom. 1. p. qu. 14. art. 13.*

Ad *Primam Confirmationē Reſpondetur.* Quod
quando aliqua veritas immediatè in particulari
definitur, circa illam debet præcedere inquiſitio,
quando verò aliquid nō definitur immediatè, ſed
definitur aliquid cū quo aliud habet neceſſariā
conneaionem, non eſt neceſſe quod præcedat in-
quiſitio circa illud, quod eſt coniūctum, & con-
neaū ei, ſed circa illud quod immediatè defini-
tur. Nuoc aotem veritas quæ definitur, & accep-
tatur ab Eccleſia immediatè, oon eſt *quod hic ho-
mo ſit baptizatus, aut ordinatus, &c. ſed quod ſit
verè Pontifex, & regula fidei*, & de hoc ſufficiēs
inqoiſitio virtualiter præcedit, dum conſtat eſſe
electum, & proponi toti Eccleſiæ vt canonicè
factum. Quod verò ſit baptizatus, & cæteras cō-
ditiones habeat, non de fide tenetur, nec defini-
tur ab Eccleſia, ſed per conſequentiam in-
fertur; vt antem aliquid inferatur per conſe-
quentiam oon eſt neceſſe quod fiat circa illud
inquiſitio. *Ad ſecundā confirmationē reſp.* Quod
hunc hominē eſſe ordinatū, & habere poteſtatē
ordinis, ſiue Sacerdotij, ſiue Epiſcoparus, conſtat
eodem modo, ſicut eſſe baptizatum, ſcil. non de
fide immediatè, ſed per conſequentiam theolo-
gicam, tanquā aliquid connexum neceſſariò cū
illa veritate *Quod iſte homo ſit Pontifex, & regu-
la fidei in Eccleſia*, quod non habet per poteſta-
tem ordinis præcisè, licèt ad id requiratur.

Quarto *Arguitur.* Ea parte cauſæ formalis, 18
quia cum iſta veritas non ſit iu particulari reue-
lata, aut tradita, ant definita, ſolum poteſt reddi
de fide, vel ex vi electionis pacificæ, vel ex accep-
tatione Eccleſiæ, vel ex aliquo actu, quem ipſe
Pontifea tanquam Pontifex exercet, vel ea ipſa
vniuerſali propoſitione, *Quod omnis ritè electus
eſt Pontifex*, ſupponendo tanquam conditionem
naturaliter notam quod iſte ſit electus pacificè,
& acceptatus; nam vt aliqua propoſitio ſit de,
fide, multæ conditiones ſupponi ſolent, quæ ta-
men de fide noo ſuot, ſed ſolùm naturali, aut
morali certitudine habentur, Sicut vt aliqua pro-
poſitio ſit definita, ſupponitur quod ſit facta ſuf-
ficiēs inquiſitio circa illam, non tamen hæc in-
quiſitio, aut diſputatio conſtat de fide, quod fa-
cta ſit: & vt credam aliquid contentum in ſa-
cra Scriptura tanquam de fide, ſupponitur hunc
librum in particulari, ant illum continere ſa-
cram Scripturam, non tamen eſt de fide hunc li-
brum in particulari, quem teneo continere ſa-
ctam Scripturam, & eſſe Bibliam. Quod ergo ex
nullo iſtorum modorum conſtet hunc in parti-
culari eſſe Papam, probari poteſt. Nam *primo mo-
do* ſcilicet ea vi electionis pacificè factæ id eſſe
non poteſt: nam quod iſta electio ſit pacificè fa-
cta, & cū omnibus debitis circunſtantiis, non cō-
ſtat per aliquā reuelationem, aut definitionē, nec
ipſa publicatio electionis pacificæ à Cardinali-
bus facta eſt æquiualens definitioni, cum nullibi
ſit illi promiſſa infallibilis ratio regulandi rem
fidei, & licèt illā haberet, non haberet maiorem
poteſtatē circa hoc quam Coocilium generale,
qnod tamen niſi confirmetur per Pontificem, nō
habet infallibilem anthoritatē; ergo ſimiliter illa
declaratio pacificæ electionis, niſi confirmetur
per Papā, non erit regula infallibilis fidei; certū
eſt autem id non confirmari, quia nollus eſt qui
poſſit electionē Papæ confirmare, nec ipſe electus
ſuā electionē confirmat, aot eam legitimè factam
eſſe declarat; & ſi faceret iam certitudo iſtius ve-
ritatis uon ad ipſam electionē, ſed ad actum quē
Pontifea exercet, reduceretur, ergo ea vi præcisè
electionis non conſtat hnnc in particulari electū
eſſe Papam. *Secundo modo*, ſc. ea acceptatione Ec-
cleſiæ id etiā non conuincitur, nā acceptatio Ec-
cleſ. vt ſic nō facit aliquid eſſe de fide, oiſi quam-
do acceptat aliquid tanquam materiam de fide;
Eccleſia enim acceptat ieiunium Quadrageſi-
mæ, & ieiunium Vigiliarum, & omnes alias
cæremo-

cæremonias cultus diuini,nec tamen illa omnia facit eſſe de fide, ita vt qui negaret eſſe ieiunium pro illis diebus, aut eſſe neceſſarias tales cæremonias, hæreticus eſſet; ergo ſimiliter negare quod aliquis in particulari non ſit electus in Pontificem ritè, & conſequenter quod non ſit Papa, non erit contra fidem,vnde cum Eccleſiæ non proponatur electio illa vt credenda,ſed vt obedienda, conſequenter neque acceptat illam tanquam materiam de fide,ſed vt materiam obedientiæ. Prætetquam quod non omnis Eccleſia illam acceptat tanquam de fide, cum aliqui inter Catholicos ſentiant non eſſe de fide:ergo.

19 Tertiò *modo* ſimiliter dici non poteſt quod habeatur certitudo huius propoſitionis tanquam de fide, nam antequam Pontifex electus quemcunque actum exerceat, hoc ipſo quod electus eſt, Eccleſia tenetur illum acceptare tanquam legitimum caput, ita vt qui non acceptauerit habeatur pro ſchiſmatico; ergo non minus debet eſſe certum Eccleſiæ hanc perſonam eſſe Papam, poſtquam exercet quemcunque actum quam ante, ſiquidem ſi non eſſet tunc certum quod iſte homo in particulari eſſet Papa, neque eſſet certum hanc Eccleſiam numero, quæ illum acceptat tanquam caput, & paſtorem vniuerſalem, eſſe veram Eccleſiam, nam vt Eccleſia ſit vera, debet eſſe vnita vero ſuo, & legitimo Pontifici: aliàs vera non erit. Quare ſi ante quemcunque actum Pontificis eſt ſufficiens obligatio acceptandi illum in Papam, ſimiliter erit ſufficiens obligatio credendi, quod ſit verus Papa in particulari:& deinde quia priuſquam Pontifex aliquid definiat, vt ego aſſentiar veritati definitæ, debeo iudicare quod iſte qui definit eſt regula infallibilis fidei, quandio enim hoc iudicium non formatur, neque poſſum eſſe certus de his, quæ ipſe definit; ideò enim dicimus quod debet eſſe de fide quod hic homo in particulari eſt ſūmus Pontifex, quia cū iſte homo in particulari ſit regula fidei, neceſſe eſt quod ſit infallibile quod non poſſit errare, & quod habeat authoritatem definiendi, vt infallibile ſit id quod definit: neceſſe eſt ergo prius formare iudicium quod hic ſit ſummus Pontifex in particulari, quam quod ego aſſentiar definitioni ab eo datæ. Igitur definitio quam Pontifex facit, vel actus quem exercet non poteſt eſſe ratio, & motiuum aſſentiendi huic veritati, quod ipſe ſit Pontifex, cum ad aſſentiendum tali definitioni præſupponi debeat quod ipſe ſit Pontifex vnde committeretur circulus, & petitio principij,ſi ideò aſſentior definitioni, quia aſſentior definientem eſſe Papam,& ſi ideò aſſentior eſſe Papam,quia definit.

20 Denique *quarto modo* non poteſt fieri de fide iſta propoſitio, quod *hic homo ſit Summus Pontifex*, quia ſi illo modo aſſentimur illi propoſitioni, non eſt differentia aliqua inter aſſenſum, quem habeo de hac hoſtia, quod in ea ſit corpus Chriſti, aut hic baptiſmus quod ſit verum Sacramentum, quam de hoc homine ritè electo, quod ſit Papa; nam etiam habetur de fide in communi; quod in omni hoſtia ritè conſecrata eſt corpus Chriſti, & tanquam conditio ſupponitur, quod iſta ſit ritè conſecrata certitudine quadam morali, ſeu euidentia ſaltem ab ipſo qui conſecrat: & de baptiſmo in communi credimus quod ſit vnum bapiſma in remiſſionem peccatorum, & de hoc in particulari ſaltem ab eo qui baptizat, conſtat certitudine quadam morali, aut naturali, quod ſit ritè factū, & tamen hoc non ſufficit, vt dicamus eſſe de fide, quod in hac hoſtia in particulari continetur Chriſtus, aut hic baptiſmus eſt verum Sacramentum; ergo ſi reſpectu Pontificis, non habetur aliud principium quam illud vniuerſale, quod omnis ritè electus eſt Pontifex ſupponendo conditiones morali quadam certitudine, eodem modo illi aſſentimur, ſicut & Sacramentis in particulari. Item etiam quando formo iſtum ſyllogiſmum. *Omnis ritè electus eſt Pontifex, hic homo eſt ritè electus, ergo eſt Pontifex*; illa minor eſt diſtincta veritas, & diſtincta præmiſſa, à qua pendet veritas concluſionis per ſe loquendo; ergo non concurrit ſolum tanquam conditio requiſita. In quo differt inſtantia allata de definitione alicuius veritatis fidei, quæ vt ſit legitima præſupponitur tanquam conditio, quod ſit facta ſufficiens inquiſitio, quia ex hoc quod ſit facta ſufficiens inquiſitio, non per ſe pendet ratio legitimà definitionis, ſed ex eo quod ab habente infallibilem authoritatem procedat; quod verò *iſte homo ſit ſummus Pontifex*, per ſe pendet ab illa præmiſſa. *quod ſit ritè electus*; ergo non ſe habet ſolum vt conditiò.

21 Reſpondetur *ex dictis*. Fuerunt enim diuerſæ opiniones Theologorum, quonam illorum modorum, qui in argumento referuntur,habeatur de fide hunc hominem in particulari eſſe Pontificem? Et probabilius nobis viſum eſt, quod facta acceptatione Eccleſiæ circa talem electionem, & electum eo ipſo eſt de fide quod in particulari *iſte homo ſit Pontifex*, licet id magis innoteſcat, & manifeſtetur quando ipſe Pontifex actum aliquem definitionis exercet. *Et quando dicitur*, quod Eccleſia non acceptat illam electionem,& electum,vt materiam fidei credendam, ſed vt materiam obedientiæ,iam ſupra ſatis reſponſum eſt,quod acceptat illam materiam tanquam pertinentem ad fidem quia acceptat illum, vt regulam fidei infallibilem, quod fieri non poteſt, niſi ſit de fide, quod ipſe ſic acceptatus verè regula fidei ſit: ſicut definitio Concilij, & liber acceptatus in canonicum, eſt de fide quod legitimus ſit, prout in particulari ſic acceptatur. *Et quando additur* quod non omnes in Eccleſia acceptant hoc tanquam de fide. *Reſpondetur*, Quod non omnes acceptant illam propoſitionem, tanquam materiam de fide quaſi ſpeculatiuè,& in actu ſignato,ſeu inadæquatè illam conſiderando, exiſtimantes ſufficere ad munus Pontificum quod morali quadam, aut naturali certitudine habeatur, quod ſit Pontifex, virtualiter tamen, & in exercitio ipſum cum tota Eccleſia acceptant in regulam ſupremam fidei hanc perſonam in particulari. Vnde ſolum ex ignorantia, vt inquit *Suarez vbi ſupra*, putant ſe non credere quod in exercitio, & actu acceptant in regulam fidei, & ita ſibi ipſis quaſi contradicunt, & eorum aſſertio iudicatur à *Magiſtro Nuño*, tanquam temeraria, & proxima errori. *Ad id verò*, quod obiicitur contra tertium modum. *Reſpondetur*, probare quod non ſolum propter illum modum ſit de fide. *Hunc hominem eſſe Pontificem*, ſed etiam ante quamcunque definitionem Pontificis per acceptationem pacificam Eccleſiæ circa talem electum; non tamen probat quod multo magis manifeſtetur id, & confirmetur quando ipſe Pontifex aliquid definit, cum poſito obiecto definito de fide, debeat poni infallibilitas,in ipſa definitione, atque adeo in poteſtate definiente.

22 Solum *quæres* quo tempore incipit iſta acceptatio

ptatio Eccleſiæ ita ſufficiens eſſe, quod reddat illam propoſitionem de fide, an eo ipſo quod Cardinales electum proponunt illis fidelibus, qui in tali loco electionis ſunt, an quando iam ſufficienter id diuulgatum eſt per totum mundum, & Eccleſiam vbicumque diffuſam: *Reſpondetur.* Quod vt ſupra diximus concors Cardinalium electio, & declaratio eſt quaſi definitio facta ab Epiſcopis in Concilio legitimè congregato, ipſa verò Eccleſiæ acceptatio quoad nos eſt quaſi confirmatio talis declarationis. Intelligitur autem fieri iſta acceptatio tum negatiuè ſtatim dum non contradicit Eccleſia, vbicunque ſcit talem electionem; tum poſitiuè dum ibi ſtatim à Prælatis Eccleſiæ acceptatur, qui ibi ſunt, & paulatim in alijs mundi partibus ab alijs Prælatis etiam admittitur, ita quod illi qui vident, aut audiunt Papam electum, & ei non contradici, ſtatim tenentur credere illum eſſe Papam, & acceptare illum.

23 Denique ad id quod obijcitur de illo ſyllogiſmo, *Omnis ritè electus eſt Pontifex, hic eſt ritè electus, ergo eſt Pontifex*, quod illa *minor* non ſolum vt conditio ſe habet, ſed vt præmiſſa influens in concluſionem, &c. *reſpondetur.* Aliquos ita ſentire quod ſolum influat vt conditio requiſita, illam verò propoſitionem, *hic homo Pontifex.* ita immediatè contineri ſub illa vniuerſali, *Omnis ritè electus eſt Pontifex*, ſicut ſub iſta, *Omnis homo eſt mortalis*, continetur æquè primò de fide, quod *Petrus eſt mortalis*, licèt requiratur tanquam conditio quod Petrus ſit generatus, & ſit homo, quod tamen non de fide conſtat, ſed naturaliter cognoſcitur. Mihi autem videtur diſtinguendum, quod ſi illa propoſitio, *hic homo eſt ritè electus* per ly *ritè electus* intelligamus non ſolum electionem ritè factam, ſed etiam acceptatam in particulari ab Eccleſia, eſſe propoſitionem de fide, *quod hic homo ſit ritè electus*, ſicut eſt propoſitio de fide facta definitione à Concilio, quod illa definitio eſt legitima, & facta approbatione alicuius libri in Canonicum eſt de fide eſſe approbatum, & eſſe Canonicum, quia acceptatur, vt regula fidei infallibilis: nec ponit in numero *hic homo eſt ritè electus, & hic homo eſt Pontifex*, quia acceptatio in ſummum Pontificem, & eſſe ſummum Pontificem idem eſt; ſicut rem aliquam eſſe definitam, & definitionem eſſe legitimam non ponunt in numero. Si autem per ly *ritè electus* intelligatur eſſe adhibitas omnes conditiones requiſitas, vt electio ſit legitima antecedenter ad acceptationem Eccleſiæ, tunc *Dico* eſſe illam propoſitionem notam morali certitudine, & influere in illam veritatem *hic homo eſt Pontifex*, non ſolum tanquam præmiſſa inferens, ſed tanquam diſponens, vt ſit Pontifex, & accepteur vt talis, & tunc eſt ſenſus: *Omnis ritè electus eſt Pontifex*, id eſt, *omnis qui eligitur cum debitis conditionibus debet acceptari in Pontificem, iſte ſic eligitur, ergo debet acceptari.* In primo tamen ſenſu vtraque propoſitio eſt de fide, ſcilicet, *omnis ritè electus, & acceptatus eſt Pontifex, hic eſt rite electus, & acceptatus, &c.* Vt ſuprà oſtenſum eſt.

24 Vltimo *Arguitur.* Quia illud eſt de fide immediatè, cuius oppoſitum eſt manifeſta hæreſis, ſed qui negat hunc hominem non eſſe Papam, non eſt hæreticus, ſed ſolum ſchiſmaticus; ergo qui affirmat ipſum eſſe Papam non aſſentitur ex fide, *Minor patet*: Nam qui nolunt recognoſcere iſtum hominem tanquam Pontificem, & ei denegant obedientiam, ſunt ſchiſmatici, quia ſcindunt vnitatem Eccleſiæ, ſeu capitis eius, non tamen ſunt hæretici, aliàs nunquam ſchiſma ab hæreſi differret, cum tamen conſtet ſchiſma opponi charitati, hæreſis fidei, vt docet *S. Tho. 2. 2. quæſt. 39.* ſeu paci, quæ eſt effectus charitatis, ſemper enim ſchiſma negat hunc in particulari eſſe Papam nolens ei obedire, & aliud caput conſtituens; ſi autem eſſet de fide, quod *hic homo in particulari eſt Pontifex*, quicumque illum non recognoſceret, ſed negaret eſſe Papam, ſaltem in foro exteriori, iudicaretur vt hæreticus, quia negaret id quod tenebatur credere tanquam de fide, ſcilicet quod *iſte homo eſt Papa.*

Confirmatur *Primo.* Quia modo non eſt de fide tales homines in particulari fuiſſe veros, & legitimos Pontifices, verbi gratia, Iulium Secundum, aut Sixtum Quartum, ſed id habetur ex hiſtorijs, quæ numerant illos inter Pontifices, & tantum eſt de fide tunc fuiſſe veram, & viſibilem Eccleſiam; ergo etiam ſi modo ſit de fide, eſſe veram, & viſibilem Eccleſiam in particulari, non eſt neceſſe quod ſit de fide *hunc hominem eſſe Pontificem.* Quod ſi ſemel eſt de fide, ſemper erit de fide, aut ſi modo non eſt de fide illos in particulari fuiſſe ſummos Pontifices, neque tunc fuit de fide, quia quod ſemel de fide eſt, ſemper manet de fide. *Confirmatur Secundo.* Nam ſi Papa eſt Hæreticus continuo deſinit eſſe Papa, & eſt ſatis probabile inter Catholicos, quod eo ipſo quod eſt Hæreticus, deſinit eſſe Papa, non per ſententiam, aut depoſitionem Eccleſiæ, ſed ex Chriſti Domini iudicio inuiſibili, ſed non eſt de fide hunc hominem, qui eſt Papa non eſſe Hæreticum, ergo non eſt de fide ipſum non amittere Pontificatum. 25

Reſpondetur, quod ille qui negaret hunc hominem eſſe Papam poſtquam pacificè, & canonicè acceptatus eſt, non ſolum eſſet ſchiſmaticus, ſed etiam hæreticus, non enim ſolum ſcinderet vnitatem Eccleſiæ ſicut illi, qui à principio eligunt duos Pontifices, de quibus neſcitur quis ſit verus Pontifex, ſed etiam addit peruerſum dogma, quia negat habendum pro Pontifice, & pro regula fidei illum quem Eccleſia acceptauit. Vnde in his habet locum id quod docet *Hieron. ſuper cap. 3. ad Titum* & ex illo *Sanct. Thom. 2. 2. quæſt. 39 art. 1. ad tertium.* Quod nullum ſchiſma eſt quod non ſibi aliquam hæreſim confingat, vt rectè ab Eccleſia receſſiſſe videatur. Itaque licèt ſchiſma diſtinguatur ab hæreſi, tamen plerumque cum hæreſi coniungitur, & parat viam ad illam, & in præſenti qui propoſitionem illam negaret non eſſet pure ſchiſmaticus, ſed etiam hæreticus, quod etiam cenſet, *Suarez vbi ſupra ſolut. ad 4.* 26

Ad *primam confirmationem reſpondetur.* Quod de Pontificibus antiquis, vel nobis conſtat fuiſſe acceptatos ab Eccleſia, quia id vidimus, aut aliqua eorum definitio remanſit, in qua declarando aliquid de fide ſimul declaratum reliquerunt ſe fuiſſe regulam fidei; vel nobis non conſtat de tali acceptatione Eccleſiæ, aut definitione ab ipſis facta. *Si nobis conſtat*, eodem modo erit de fide quod illi in particulari fuerint Pontifices, ſicut modo eſt de fide quod iſte in particulari ſit Pontifex. *Si vero id non conſtat* per accidens non erit de fide quoad nos, ſed tantum per Hiſtoriam humanam id tenebimus, licèt enim tunc veram Eccleſiam fuiſſe conſtat, tamen per accidens quia non conſtat de acceptatione facta ab Eccleſia circa illum Pontificem in particulari, non credimus de fide 27

illum

illum fuiſſe Papam in particulari; de ſe tamen eſt materia de fide quotieſcumque ipſa acceptatio Eccleſiæ nobis innoteſcat, vel aliqua definitio ipſius Papæ, quæ tanquam effectus infallibilis ipſius demonſtret ipſum, qui definiuit verè fuiſſe Papam, ſicut credimus hoc vel illud Concilium tranſactum fuiſſe legitimum, quia eius definitiones acceptamus, & ipſius confirmationem videmus.

28 Ad *Secundam confirmationem Reſpondetur*. Non debere admitti, quod Pontifex hoc ipſo quod eſt Hæreticus, ante declarationem Eccleſiæ deſinat eſſe Papa, licèt aliqui id videantur tenere, de quo *Art. ſequent.* Quod ergo verſatur in opinione eſt, an facta declaratione Eccleſiæ, quod Papa ſit Hæreticus deponatur ipſo facto à Chriſto Domino, vel ab Eccleſia debeat fieri depoſitio? Cæterùm antequam Eccleſia id iuridicè declaret, ſemper pro Papa eſt habendus, vt *ſequenti articulo* amplius patebit.

ARTICVLVS III.

Vtrum Papa deponi poſsit ab Eccleſia, ſicut ab eadem eligitur; & in quibus caſibus?

1 SVppono Pontificem triplici modo poſſe Pontificatum amittere. *Primo* per mortem naturalem. *Secundò* per voluntariam ceſſionem. *Tertiò*, per depoſitionem. *De primo* nulla eſt difficultas, *De ſecundo* extat textus expreſſus in *cap. 1. de renuntiatione in ſexto*, vbi determinatur, Pontificem poſſe renunciare Pontificatui, ſicut fecit Celeſtinus Quintus, & à Pontificibus dubiis id poſtulatum eſt in Concilio Conſtantienſi ad tollendum ſchiſma, quod & fecerunt Gregor. XII. & Ioannes XXIII Nec videtur eſſe neceſſarium ad hoc Eccleſiæ conſenſum, vt dicit *Bellarmin. lib. 2. de Romano Pontifice cap. 9. in fine*, ſed etiam ipſo non expectato poſſe Pontificem cedere, vt ſentit *Suarez. diſp. 10. ſect. 6. Azor tomo 2. lib. 4. cap. 6.* quia Pontifex non reſpicit Eccleſiam tanquam ſuperiorem cuius obedientia aſtrictus ſit ne renunciet, ſicut alij Epiſcopi, qui tamen ad renunciandum non ſuæ Eccleſiæ, ſed Pontificis qui ſuperior eſt, conſenſum petunt. Pontifex autem cum nullum ſuperiorem habeat, à nullo exigere debet de neceſſitate conſenſum, licèt vt id matura deliberatione fiat. cum ſit res grauiſſima, non eſt dubium quod cum magna conſultatione fieri debet, & ob cauſas vrgentiſſimas: an verò aliquando teneatur Papa in conſcientia ceſſionem iſtam facere, *infrà* diſcutietur. *De tertio modo* amittendi Pontificatum multæ ſe offerunt difficultates tractandæ, quas vt breuiter tranſcurramus, ad duo præcipua capita difficultates omnes reducimus, ſcilicet in quibus caſibus depoſitio habeat locum; & *ſecundò* à qua poteſtate debeat fieri hæc depoſitio? Et quoad primum tres præcipui caſus numerantur, in quibus depoſitio Papæ locum habet. *Primus eſt* in caſu hæreſis, ſeu infidelitatis, *Secundus* in caſu perpetuæ amentiæ. *Tertius* in caſu dubij de valore electionis.

2 Circa *caſum Hæreſis* multa diſputant Theologi, & iuriſperiti, quæ ad longum proſequi locus non eſt; eſt autem concors Doctorum ſententia propter Hæreſim poſſe Papam deponi. quos in diſcurſu difficultatis referemus. Expreſſus textus in *cap. ſi Papa 40. diſt.* vbi dicitur: *Culpas Pontificis redarguere præſumit mortalium nullus, quia cunctos ipſe iudicaturus, à nemine eſt iudicandus; niſi deprehendatur a fide deuius.* Quæ exceptio manifeſtè ſignificat in caſu hæreſis de Papa ferendum eſſe iudicium. Idem confirmat *Epiſt. Adrian. II.* relata in *octaua Synodo generali act. 7.* vbi Romanum Pontificem à nemine iudicatum dicit. Honorio verò anathema dictum fuiſſe ab Orientalibus, quia fuerat in cauſa hæreſis accuſatus, propter quam ſolum licitum eſt minoribus maiorum ſuorum moribus reſiſtere. Similiter etiam *Sanct. Clemens Papa in Epiſt. 1.* inquit, D. Petrum docuiſſe hæreticum Papam eſſe deponendum. *Ratio eſt*: quia ab hæreticis tenemur nos ſegregare *1. ad Timoth. 3. Hæreticum hominem poſt primam, & ſecundam correptionem deuita.* At verò qui manet in Pontificatu non eſt vitandus, ſed potius illi vniri, & communicare tenetur Eccleſiam tamquam ſupremo capiti ſuo; ergo ſi Papa eſt hæreticus, vel tenetur Eccleſia illi communicare, vel debet à Pontificatu deponi. Primum autem eſt in euidentem Eccleſiæ deſtructionem, & importans intrinſecè periculum errandi in toto regimine Eccleſiaſtico, ſi Eccleſia teneatur ſequi caput hæreticum: imò cum hæreticus ſit Eccleſiæ hoſtis, hoc iure naturali poteſt Eccleſia agere contra Papam; ſcilicet iure defenſionis, quia defendere ſe poteſt ab inimico ſuo, qualis eſt Papa Hæreticus; ergo & agere contra illum, ergo ſecundum omninò debet fieri ſcilicet, quod talis Papa deponatur.

. Dices. Chriſtus Dominus tolerauit in Cathedra Moyſis, & homines infideles, & hæreticos, quales erant Phariſæi, Matth. 23. *Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi, omnia ergo quæcunque dixerint vobis, ſeruate & facite.* Phariſæos autem Hæreticos fuiſſe, & peruerſa dogmata tenuiſſe ſecundum varias ſuperſtitiones, & & traditiones author eſt *Hieronymus in caput 8. Iſaiæ*: & eorum errores annotat etiam *Epiphanius in Panario lib. 1. cap. 16. Ioſephus de Bello Iudaico lib. 5. cap. 7. ad finem, Baronius in apparatu Annalium cap. 7.* Ergo etiam ſuper Cathedram Petri tolerandus eſt Hæreticus, & infidelis, nec enim ipſe hæreſim, aut errorem definire poteſt, & ſic ſemper Eccleſia libera manebit ab hæreſi. *Reſpondetur* Chriſtum Dominum non præcepiſſe quod Phariſæi, etſi declarentur vt hæretici tolerarentur in Cathedra Moyſi, vel quicumque alius hæreticus, aut infidelis in Sacerdotio, & Pontificatu, ſed ſub conditione quod illi tolerentur. Et ſi nondum ſint declarati, & depoſiti à Cathedra, debent fideles eos audire, & obedire, quia adhuc retinent poteſtatem, & iuriſdictionem ſuam, ſi tamen Eccleſia velit illos declarare vt hæreticos, & non amplius tolerare, Chriſtus Dominus non prohibet in præfatis verbis. 3

Sed *Dubitatur*, an in quocunque caſu hæreſis, & quomodocunque Papa hæreticus ſit, poſſit deponi, an vero aliquæ conditiones requirantur ſine quibus hæreſis ſola non ſit ſufficiens ad deponendum Pontificem? *Reſp.* Pontificem non poſſe deponi, nec amittere Pontificatum, niſi duæ conditiones concurrant, ſcilicet quod hæreſis non ſit occulta, ſed publica, & iuridicè notoria, ſecundo debere eſſe incorrigibilem, & pertinacem in hæreſi. His duabus côditionibus ſtantibus poteſt Pontifex deponi, non vero ſine illis, & quantuncumque interius infidelis non ſit, ſi tamen exterius tanquam hæreticum ſe gerat, poteſt deponi, & ſententia 4

depoſitionis erit valida. Et de prima conditione aliqui etiam inter Catholicos diſſentiunt exiſtimantes quod etiam propter hæreſim occultam Pontifex amittit iuriſdictionem Pontificalem, quæ fundatur in vera fide, & recta confeſſione eius, & pro hac Sententia citantur *Turrecremata lib. 4. 2. p. a cap. 18. & lib. 2. cap. 102. Palud. in opuſc. de hac re, Caſtro lib. 1. de iuſta Hæreticorum punitione cap. 22. & 23. Simancas de Catholicis inſtitutionibus cap. 21. Driedo de libertate Chriſtiana cap. 14. & alij.* Et quidam ita hoc defendunt quod etiam propter hæreſim mentalem ipſum putant excidere à Pontificatu eo quod vt ſit Pontifex requirit tanquam neceſſariam conditionem, quod ſit membrum Eccleſiæ, ſiquidem eſt ſupremum caput, & quod coniunctus ſit ipſi Petræ, ſuper quam fundatur Eccleſia, id eſt ſuper fidem, & confeſſionem Petri, ſicut enim ſine fide etiam mentali, non eſt Eccleſia, ita neque Pontificatus, qui ſuper eandem confeſſionem fundatur ſuper quam Eccleſia, & ideò Chriſtus petiit à Petro hanc profeſſionem fidei priuſquam ei promitteret Pontificatum. Et hanc Sententiam tribuit *Turrecremata, & Caſtro vbi ſupra, Azor citatus ſupra cap. 7.*

5 Alij exiſtimant neceſſarium eſſe quod hæreſis ſit externa, & externè probata, vt poſſit à Pontificatu deponi; ſic *Soto in 4. diſt. 22. quæſt. 2. art. 2. Cano lib. 4. de locis cap. vltimo ad 12.* vbi ne quidem probabile cenſet oppoſitum, *Caietanus de authoritate Papæ cap. 18. & 19. Suarez, Azor, & Bellarminus lib. 2. de Romano Pontifice cap. 30.* Et Fundamentum eſt: Quia hæretici occulti quamdiu ab Eccleſia non condemnantur, & præſciduntur, ſunt partes Eccleſiæ, & cum ipſa communicant in exteriori communicatione, licèt non in Spiritu interno; ergo etiam Pontifex ſi eſt occultè hæreticus, non propterea eſt præciſus ab Eccleſia; ergo poteſt adhuc in ipſa eſſe caput, ſicut adhuc eſt pars, & membrum, & ſi non viuum.

6 Conf. Quia ſine fide exerceri poſſunt actus ordinis, & iuriſdictionis Eccleſiaſticæ in inferioribus Sacerdotibus, nam Sacerdos Hæreticus poteſt conficere Sacramenta & abſoluere in extrema neceſſitate; ergo non requiretur etiam fides vt Pontifex exerceat iuriſdictionem ſuam quamdiu ab Eccleſia non eſt depoſitus, præſertim quia per hoc quod ſit hæreticus, non incurrit excommunicationem ſicut inferiores, cum non ſit capax illius. *Ac denique* Quia ſi ſit occultus hæreticus, eo ipſo caderet à Pontificatu, etiam antequam Eccleſia id cognoſceret & iudicaret; ergo ſi ſtatim reſipiſceret per veram pœnitentiam iam non poſſet exercere munus, & officium Pontificis, quia amiſit eam dignitatem, nec illa per pœnitentiam à Deo reſtituitur, ſicut reſtituitur gratia. Quod ſi non poteſt exercere; ergo tenebitur cedere Pontificatui, quod certè eſt grauiſſimum, eſt enim hoc obligare vt ſe prodat, quia opportet cauſam ſuæ renunciationis publicare, aut ſaltem conſulere, & plura alia inconuenientia ſequerentur, ſi eo ipſo quod eſſet Pontifex Hæreticus, & occultus Pontificatum amitteret omnia enim eſſent perplexa, & via ad ſchiſmata aperiretur, ſi non ſpectato Eccleſiæ iudicio, hoc ipſo à Pontificatu decideret propter culpam ipſi ſoli fortè ſitam notam.

7 Et *ex hoc* etiam ſoluitur fundamentum contrarium, quia vt aliquis ſit Pontifex requiritur, quod ſit membrum Eccleſiæ ſecundum exteriorem communicationem, ſaltim ſecundum quam ſufficienter dicitur aliquis membrum Eccleſiæ in ordine ad exteriorem gubernationem, ſecundum quam Pontifex eſt Caput Eccleſiæ, etſi non participet interiorem eius ſpiritum ratione occultæ hæreſis, vel peccati, & hoc modo ſufficit quod ſit coniunctus Petræ, & Eccleſiæ, ſcilicet ſecundum exteriorem communicationem, quia reputatus ab Eccleſia, vt coniunctus, quamdiu ab illa non eſt præciſus, aut declaratus vt hæreticus. *Quod verò additur*, Eccleſiam non poſſe manere veram Eccleſiam ſine fide interiori. *Reſp.* eodem modo probari poſſe non remanere poſſe Pontificem in Pontificatu ſine gratia, & hoc ipſo quod incidit in peccatum mortale, quæ fuit hæreſis Vvicleph condemnata inter eius articulos in Concil. Conſtanc. quia ſicut Eccleſia vniuerſaliter loquendo, non poteſt carere vera fide etiam mentali, ſic etiam non poteſt carere gratia. Itaque authoritas Pontificatus fundatur ſuper fidem veram, ſed non ſuper fidem perſonalem cuiuſcunque perſonæ, & prout à quolibet ſecundum ſenſum ſuum proferri poteſt; ſed in fide communi totius Eccleſiæ, in qua Pontifex non poteſt deficere, taliter quod etiamſi perſonaliter ſit hæreticus, vt tamen docet ex Cathedra non poteſt contra fidem docere; in hac ergo fide, quæ eſt fides Cathedræ, & non perſonæ, & quæ fuit fides Petri, & confeſſionis eius, in hac fundatur Pontificatus, non in fide perſonali etiam ipſius perſonæ Pontificis. Eccleſia verò cum importet Congregationem omnium fidelium, repugnat quod omnes ſint ſine vera fide Dei etiam mentali, ſicut etiam non poſſunt omnes fideles eſſe ſine gratia.

Secunda Conditio vt poſſit Papam deponere 8
ſcil. quod ſit incorrigibilis, & contumax in hæreſi, patet, quia qui eſt paratus corrigi, nec pertinax in hæreſi, non cenſetur hæreticus, vt habetur in *cap. dixit Apoſt. 24. q. 3.* ergo ſi Papa ſit paratus corrigi, nequaquam tanquam hæreticus deponi debet. Item quia Apoſtolus ſolum præcipit vitari hæreticum poſt primam, & ſecundam correptionem; ergo ſi correptus reſipiſcat, non eſt vitandus, cum ergo Papa deponi debeat propter hæreſim in vi iſtius Apoſtolici præcepti, ex eodem ſequitur quod ſi ſit corrigibilis non debet deponi. Et quidem cum ante depoſitionem Pontifex moueri debeat vt reſipiſcat, planè ſi admonitus ſe correxerit, non videtur poſſe procedi ad vlteriora deponendo ipſum Factum etiam Marcellini Papæ, vt habetur in *cap. nunc autem 21. diſt.* quod etiam *ſupra diſputatione præcedenti* tractauimus, aliquid iuuat, declaratus enim pro infideli à Concilio Epiſcoporum, tamen quia reſipuit, & corrigi voluit in Pontificatu manſit, & tanquam Pontifex mortuus eſt poſteà pro fide ergo niſi pertinaciter, & incorrigibiliter in hæreſi permaneat, non debet à Pontificatu deponi. Vide Gloſſam cum Hugone in *cap. ſi Papa cit. diſt. 40.* vbi hoc idem tenet, & declarat. Quod ſi Papa incidens in hæreſim, & correptus, iterum relabatur, poteſt iterum corrigi; poſt duas autem correptiones, ſi poſteà relabatur, etſi paratus ſit corrigi, non eſt admittendus, ſed tanquam incorrigibilis habendus eſt, & deponendus, quod benè fundat *Caiet. Opuſc. de authorit. Papæ cap. 21.* in dicto Apoſtoli, *Poſt primam, & ſecundam correptionem deuita ſciens quia ſubuerſus eſt huiuſmodi,* facta ergo prima, & ſecunda correptione iuxta humanum iudicium relapſus, cenſetur incorrigibilis, & ideò ne infinitum correptiones perducantur,

perducantur, ſiſtitur in ſecunda habendo ipſum pro incorrigibili poſt ſecundam correptionem.

9 Secundus *Caſus* depoſitionis Papæ, eſt caſus perpetuæ amentiæ, quem *Caietan.* ponit *vbi ſup. cap.* 28. & cenſet quod ſi conſtat de perpetua amentia Papa non indiget depoſitione, neque iudicio Concil. generalis, ſed cenſetur hoc ipſo vacare Sedes perinde ac ſi eſſet mortuus, quia talis vita rationali functus eſt, propter quod *Eccleſiaſt.* 22. dicitur: *Supra mortuum plora, defecit enim lux eius, & ſupra fatuum plora, defecit enim ſenſus.* Et conſequenter poſſunt Cardinales ad electionem procedere; ſicut ſi ſedes vacaret per renunciationem. Et ſubſcribit *Suarez. diſp.* 10. *cit. ſect.* 6. *num.* 17. eo quod perpetua amentia æquiualet morti quoad vſum rationis; & libertatis, vnde reddit ſubiectum incapax omnis iuriſdictionis, & omnis actionis gubernatiuæ, quæ ſine libertate exerceri non poteſt. Quæ autem, & quomodo cenſenda ſit perpetua amentia ad Theologos non ſpectat iudicare, ſed iudicio peritorum, & prudentium ſtandum eſt. Exiſtimo tamen quod quamdiu aliqua amentia cenſetur humana arte curabilis, non eſt habenda pro perpetua, & ideò non eſt Papa deponendus propter illam: ſi tamen non eſſet humano modo curabilis, ſed ſolùm miraculosè, cenſenda eſſet perpetua ex natura ſua, & iure poſſet alius Pontifex eligi. Sicut in matrimonio illa impotentia, aut arctitudo membri cenſetur matrimonium diſſoluere, quæ humana arte curare non poteſt, ſed ſolum miraculosè.

10 Tertius *Caſus* depoſitionis Papæ eſt dubietas de valore electionis Pontificis, ad quem caſum reducimus omnes illos, in quibus Eccleſia certificari non poteſt indubitate de ſuo capite, cum enim ipſi commiſſa ſit electio eius, habet ius vt certa reddatur de electo in Papam, & caput vniuerſale. Vnde ſtante dubio poteſt ipſa tanquam in Pontificem non receptum, nec indubitatum agere. *Et ratio eſt.* Quia quamdiu pacificè, & indubitate non conſtat de electione, adhuc ipſa electionis actio durare cenſetur, quia nondum perfectè terminata eſt, & conſumata, ita vt Eccleſiæ conſtet de ipſa; ergo poteſt tunc agere, & iudicium ferre circa ipſum electum, quatenùs electio eius adhuc eſt in dubio, quia Eccleſia habet plenum ius ſuper ipſam electionem, vnde quamdiù aliquid reſtat de electione propter dubietatem eius, adhuc ſubeſt poteſtati Eccleſiæ id perficere & conſummare, & conſequenter iudicare poteſt de Pontifice dubio. *Item quia* non poteſt Eccleſia obedire Papæ, niſi ipſi conſtet de vero Papa, ſtante autem dubio non conſtat ipſi de vero Papa, & ſic non poteſt ei obedire.

11 Confirmatur exemplo Concilij Conſtantienſis, in quo iudicatum eſt de tribus Pontificibus dubiis, & duo fuerunt depoſiti, alter verò renunciauit Pontificatui, & in eodem Concilio determinatum eſt Pontifices debere obedire, & ſtare decretis Concilij illius legitimè congregati, quod intelligendum eſt circa ſubiectam materiam, quæ tunc tractabatur in illo Concilio, ſcilicet exiſtentibus Pontificibus dubiis, hi enim tenentur obedire Concilio, & ſunt illi ſubiecti, quia Eccleſia iudicare poteſt de dubio Pontifice, & tollere ſchiſma, quod inde reſultat, quale tunc etiam erat. *Ad hunc etiam caſum* reducitur alius quem ponit *Caiet.* ſcilicet ſi poſtquam electus eſt legitimus Pontifex, omnes Cardinales qui illum elegerunt, morerentur, aut ita impedi entur; quod non eſſet qui teſtificaretur Eccleſiæ de Pontifice electo, tunc enim quaſi per accidens Eccleſia poſſet iterùm eligere, quia non eſt certa de Pontifice electo, nec certificari poteſt; vnde cenſetur eſſe dubius Pontifex. *Et ſimilis caſus eſſet*, ſi Cardinales poſt electionem vellent rem vertere in dubium, & generaretur ſchiſma, tunc enim Eccleſia poſſet de illo negotio cognoſcere; quia adhuc ipſa non certificatur de vero, & indubitato Papa, & ſic ad tollendum ſchiſma, poteſt illud dubium de electione iudicare; quem caſum ponit *Suarez. vbi ſupra.* Et denique in omni euentu, quo datur rationabile dubium de veritate Papæ, aut electionis eius, ad Eccleſiam pertinet id iudicare, non quia eſt ſuperior Pontifice, etiamſi in re verus Pontifex ſit, ſed quia eſt ſuperior electione Pontificis, & omnibus dubiis, quæ ex illa reſultare poſſunt, per accidens autem eſt ſuperior eo, qui in re eſt verus Pōtifex.

Dices. Quid ſi Eccleſia iudicet non eſſe verum Pontificem eum qui verè, & in re corā Deo eſt Pontifex, ſed dubitatur de illo, tunc ille iam accepit à Chriſto Domino poteſtatem ſupremā Eccleſ. hanc enim habet ex vi electionis ritè factæ in re; ergo quamuis Eccleſia illum deponat, non poterit ab illo auferre poteſtatem à Chriſto Domino datam, hæc enim ſine ipſius electi culpa perdi non poteſt, & ſic ſi Eccleſia procedat ad aliam electionem, erunt tunc duo in Eccleſia habentes in re, & coram Deo ſupremam poteſtatem Eccleſiæ, quod eſt impoſſibile, cum ex Chriſti Domini inſtitutione tantum vnus debeat eſſe ſupremus Paſtor; ergo non poteſt ex ipſius actione duobus conferri illa ſuprema poteſtas in re. 12

Reſpondetur, ſine dubio Eccleſiam poſſe iudicare, & deponere Pontificem, qui in re eſt innocens, probatur tamen nocens, ſicut ſi in re non eſſet hæreticus, exterius tamen probaretur iuridicè eſſe hæreticum, poſſet haberi pro non Pontifice, quia ſicut exiſtente vera culpa amittere poteſt Pontificatum, non quando illam commiſit, & nondum ab Eccleſia iudicata eſt, ſed quando ab Eccleſia declaratur, ita licet in re non habuerit illam culpam, ſi tamen ex declaratione Eccleſiæ illam habet, quia ſic iuridicè probatur, amittit etiam Pontificatum, quia ſic expedit gubernationi Eccleſiæ, quæ humano modo fit, & ſecundum humanas probationes, quæ ſolum requirunt veritatem iuridicam, non Mathematicam, & quia Pontificatus non conſiſtit in Charactere, qui nulla actione eſt delebilis, ſed in iuriſdictione, quæ ex moralibus conditionibus pendere poteſt, ideò ex culpa moraliter, & iuridicè notoria, tanquam ex conditione pendere poteſt poteſtas iſta Pontificia, licèt in re innocens ſit. *Addo* tamen veriſimilius videri illum caſum impoſſibilem eſſe, quod ſcilicet Eccleſia iudicet aliquem non eſſe Pontificem, qui verè in re ſit Pontifex, hoc enim eſſet falli Eccleſiam vniuerſalem inferendo iudicio circa rem grauiſſimam, quæ & totum Eccl. corpus tangit, ita quod ſicut Eccleſia falli non poteſt in iudicando Canonizationem alicuius Sancti, ita in condemnando aliquem tanquam hæreticum, & deponendo illum à Pontificatu, non videtur errare poſſe Eccleſiam, nec permitti à Deo, vt iudicet non eſſe Pontificem illum, qui verè in re Pontifex eſt. 13

14 Sed *Inquires.* An aliquis alius caſus præter relatos admittendus ſit pro quo Pontifex deponi poſſit? *Reſpondetur* negatiue; ſed omnes quotquot fingi poſſunt ad hos reducuntur, & propter nullum alium deponi poteſt. Quæ eſt communis Sententia Theologorum, & multorum etiam Iuriſtarum, de Theologis, videndus eſt *Turrecremata in ſumma libro ſecundo capite nonageſimo tertio & ſequentibus*, *Aluarus Pelagius de Planctu Eccleſiæ libro primo capite quarto*, *Paludanus*, & *alij*, quos citat *Caietanus Tractatu de poteſtate Papæ capite 26. Suarez*, & *Azor*, & *Bellarminus.* Ex Canoniſtis *Felinus in capite Nonnulli de Reſcriptis*, *verſu ſed non videtur*, *Andreas Siculus Clementina ne Romani de electione*, *Imola ibidem*, *Cardinalis Alexandrinus in capite Si Papa*, & *alij. Ratio eſt in primis:* Quia in iure propter nullum crimen Papa deponi poteſt, excepta hæreſi ſicut colligitur ex *Capite ſi Papa diſtinct. 40. iam citat.* vbi culpas Papæ nullum mortalium redarguere poſſe affirmatur, niſi deprehendatur à fide deuius; ergo præter caſum fidei propter nullas culpas eſt redarguendus Pontifex; & eadem exceptio habetur *Capite Oues 2. quæſtion. 7. Secundò*, & fortius inſtatur iſta exceptio quia ſecundum ius, Papa à nemine iudicatur, vt habetur in pluribus iuribus, in quibus dicitur, eos, eorumque cauſas ſoli Deo reſeruari iudicandas, vt in *capite aliorum*, *Capite Cuncta 9. quæſtio. 3.* & *in Capite electionem 71. diſtinct.* Et denique *in extrauagant. Vnam Sanctam de Maioritate*, & *Obedientia*, & *Capite licèt de electione*, ſi deuiet ſuprema poteſtas à ſolo Deo iudicatur; ergo depoſitio Papæ directè non poteſt fieri per viam iudicij, & punitionis, cùm non habeat ſuperiorem in terris, à quo puniatur, aut corrigatur. Solum ergo poteſt deponi propter indiſpoſitionem ex parte ipſius, vt ſit Caput Eccleſiæ, quia ſcilicet eſt ſeparatus, & ſegregatus ab ipſa relinquendo fidem, ita quod Eccleſia debeat illum vitare: propter reliqua verò peccata quantumcumque grauia nunquam tenetur Eccleſia eum vitare, quia ipſe non eſt ſegregatus ab Eccleſia, nec per excommunicationem ſeparari poteſt, ergo neque debet à Pontificatu excludi: nam ſi excluderetur non id fieret quia Eccleſia, non poteſt illi adhærere, & manere coniuncta, ſed quia propter demerita Pontificis ipſum tanquam indignum repellit à Pontificatu. Hoc autem ſecundum non poteſt fieri niſi ab habente authoritatem, & iuriſdictionem ſuper ipſum reum, qui punitur propter demerita; ergo cum hæc poteſtas in nullo reperiatur, neque etiam in Eccleſia, quia Papa non poteſt habere ſuperiorem in terra, conſequenter neque propter iſta crimina iudicandus eſt. Et neque propter hæreſim directè iudicatur Papa, ſed quia ex ſcriptura, & iure diuino Eccl. tenetur ſegregare ſe, & non communicare hæretico, ideo facta declaratione quod ſit hæreticus Eccleſia non poteſt ipſum reſpicere vt Caput, quia non poteſt ei communicare, caput autem cui corpus non eſt vnitum, & cui non communicat, non eſt caput.

15 Ex *hac autem doctrina* ſoluere potes motiua Canoniſtarum tenentium oppoſitum cum gloſſa *in dicto capite ſi Papa*, eamque Gloſſam approbauit *Panormitanus capi. Significaſti de electione numero quarto & alijs in locis*, & *Ancharranus in Tractatu de Schiſmate*, *Roſellus in ſua Monarchia Tractatu 2. de forma eligendi Papam*, *aliique Canoniſtæ.* Qui propter crimen ſimoniæ, & alia crimina, quæ vergerent in graue damnum, & ſcandalum Eccleſiæ, ſentiunt Papam deponi poſſe, eo quod magnum etiam incommodum afferre poteſt Eccleſiæ per alia crimina ſicut per hæreſim, diſſipando eius regimen, & violenter, ac tyrannicè tractando: eſt autem de iure naturali quod Eccleſia poſſit ſe defendere, & eum vi repellere, quod facere non poteſt niſi ipſum deponendo, ſicut in crimine hæreſis ob eandem rationem poteſt ipſum deponere. Quod etiam videtur aliquando fuiſſe in vſu Eccleſiæ, nam Sixtus Tertius ſe purgauit de quibuſdam criminibus ſibi obiectis, vt habetur in *Capit. Mandaſtis*, & de Leone III. in *Cap. Auditum eſt 2. quæſtione 5.* & de Leone IIII. *in capit. Noſ. incompetenter à quæſtione ſeptima.* & Eugenius IIII. depoſitus eſt in Concilio Baſilienſi ſine cauſa hæreſis: & ſimiliter narratur de Ioanne XII. & ſaltem ſi Pontifex eſſet hæreticorum fautor, licèt non eſſet hæreticus ſine dubio deponi deberet, & idem iudicium erit ſi Papa iurauerit, ſe renunciaturum Pontificatui, tunc enim poterit cogi ab Eccleſia, vt adimpleat. 16

Nihilominus ex fundamento poſito hæc omnia diluuntur: nam etſi verum ſit quod Papa criminoſus magnum præiudicium inferat Eccleſiæ, tamen Eccleſia non tenetur, nec poteſt ſe ab eius communicatione ſeparare, nec ipſum iudicialiter punire, & ideò tanquam caput debet ipſum ſuſtinere: in caſu verò hæreſis tenetur ſe ab eo ſeparare, vt dictum eſt, & propterea non debet ipſum pro capite non habere. Poteſt autem ſe defendere, non quidem ipſum deponendo, ſed eum vi repellendo ſi violenter, & tyrannicè procedat, ſicut ſi armis vellet contra iuſtitiam aliquid moliri, poſſet armis repelli; & ſimiliter ſi contra bonos mores aliquid ſtatueret non eſt illi parendum, quia lex iniuſta non obligat. Quòd verò aliqui Pontifices ſe purgauerint à criminibus, id non fuit ex neceſſitate, ſed ex propria voluntate, vt in illis Textibus apertè ſignificatur. Reliqui verò vt Eugenius IIII. & Ioannes XII. & ſiquis alius, depoſiti fuerunt violenter, & contra ius, ex quo non poteſt trahi argumentum. De Fautore verò hæreticorum *Azor vbi ſupra capite ſeptimo.* tenet quod ſi ſit Papa fautor, aut defenſor hæreticorum, & in hoc ſit incorrigibilis, poterit deponi, & *capite tertio.* idem docet ex *Turrecremata.* Et fauet exemplum Liberij, qui quando fauit hæreticis, in eius locum Felix ſuffectus eſt, quod non niſi abrogato eo fieri potuit iuxta doctrinam communem. Hoc tamen intelligendum eſt, videlicet ſi Papa ſit fautor Hæreticorum in his, quæ ad hæreſim ordinantur: nam ſi faueret hæretico non in cauſa hæreſis, ſed propter aliquam particularem cauſam, verbi gratia, iure cognationis, amicitiæ, non videtur poſſe deponi, cum formaliter non ſit fautor hæreticorũ, licèt homini alias hæretico faueat in cauſa temporali, & politico. Fautores enim hæreticorum eiuſdem criminis cenſentur cum hæreticis in iure, vt colligitur ex *Cap. excomm. §. Credentes de Hæreticis*, & *cap. Quicumque eodem titul. in ſexto.* & ibi communiter Doctores. Non autem intelligitur fautor niſi qui aliquem fauet in quantum hæreticum, id eſt ſecundum aliquam relationem, & ordinem ad hæreſim, vt benè notauit *Caietanus in Summa*

verbo

verbo *Excommunicatio cap.* 5. quem ſequitur *Nauarrus in Manuali cap.* 27. *numero* 55. *& ſequitur Azor tomo* 1. *lib.* 8. *cap. decimo quinto Suarez tomo de fide diſputat.* 1. Quare ſi Papa faueret alicui Principi hæretico non in ordine ad hæreſim, neque in quantum hæreticus, ſed ratione cognationis, propinquitatis, vel amicitiæ, non eſſet deponendus, quia in re non eſt hæreticus, neque hæreticorum fautor, niſi fortè in foro iudiciali probaretur ex hoc formaliter ſuſpectus in hæreſi, aut hæreticus eſſe, & incorrigibilitas eius conſtaret in fauendo hæreticis. *In caſu autem iuramenti Papa de renunciando. Reſp.* Eccleſiam non poſſe cogere ipſum, vt iuramentum adimpleat, quia poteſt ipſe Pontifex ſibi iuramentum relaxare ex cauſa rationabili; non pertinet autem ad Eccleſiam iudicare an cauſa rationalis ſit ad talem relaxationem, & ſufficiens, cum non ſit ſuperior Papa; vnde ſimpliciter non poteſt eum cogere ad ſeruandum iuramentum.

De depoſitione Papæ.

16 RESTAT *ſecunda difficultas Tractanda*, ſcilicet, *A qua Poteſtate debeat fieri hæc Papæ depoſitio?* Et tota quæſtio verſatur circa duo, ſcilicet circa declaratiuam ſententiam, qua declaratur crimen Papæ à quo debeat fieri, an à Cardinalibus; vel à Concilio generali: & ſi à Concilio generali per cuius authoritatem debet congregari, & cuius virtute cognoſcere de tali cauſa? *Et ſecundo* circa ipſam depoſitionem, quæ facienda eſt poſt declaratiuam criminis ſententiam, An fiat per poteſtatem Eccleſiæ; An verò ab ipſo Chriſto Domino immediatè ſuppoſita declaratione? Et quoad Primum dicendum eſt tractationem hanc de depoſitione Papæ quoad declarationem criminis nullo modo pertinere ad Cardinales, ſed ad Concilium generale. *Quod patet primo* ex vſu quidem Eccleſiæ: nam in caſu Marcellini de thurificatione Idolorum congregata eſt Synodus ad illam cauſam diſcutiendam, vt habetur in *Cap. Nunc autem diſtinct.* 21. Et in caſu ſchiſmatis in quo erant tres Pontifices reputati in ſuis obedientiis congregata eſt Synodus Conſtantienſis ad illud ſchiſma ſedandum in cauſa etiam Simmachi Papæ congregatum eſt Concil. Romæ ad ea tractanda, quæ illi obiiciebantur, vt tradit *Ant. Aug. in Epitome iuris de Pontifice Maximo titulo decimotertio* & in iuribus ſuprà citatis habetur, Pontifices, qui de aliquibus criminibus ſibi obiectis ſatisfacere voluerunt, coram Concilio id feciſſe. *Secundo etiam conſtat* hanc poteſtatem tractandi cauſas Pontificum, & ea quæ ad depoſitionem eius ſpectant non eſſe commiſſam Cardinalibus; remanet ergo in depoſitione Eccleſiæ, cuius authoritatem repræſentat Concilium generale; Cardinalibus enim tantum eſt commiſſa electio, & non amplius, vt conſtare poteſt legenti ea, quæ ex iure adduximus *Artic.* 1. Videantur de hac re *Turrecremata lib.* 2. *Summa c.* 93. *Caietan. ſupra citat. Doctores Canoniſtæ in Cap. In fidei de Hæreticis in* 6. *& in Cap. Si Papa diſtinct. quadrageſima.*

Sed *nunc reſtat explicare* cuius Authoritate
17 conuocandum eſt hoc Concilium, non enim authoritate Papæ congregari poteſt, cum contra ipſum congregetur; non poteſt autem eſſe legitimum Concilium niſi Authoritate Papæ congregetur, vnde Pontifex poſſet illud recuſare, & annullare, ſi contra ipſius voluntatem congregaretur, ſiquidem ante declarationem criminis eſt verus Papa; ergo ſubeſt eius poteſtati quodcumque Concilium congregetur, & conſequenter ſi velit, poteſt illud diſſoluere.

Ioan. à S. Thoma in 2. 2. *D. Thom.*

Reſpondetur. Quod illud Concilium congregari poteſt authoritate Eccleſiæ, quæ eſt in 18
in ipſis Epiſcopis, vel maiore eorum parte; habet enim ius Eccleſia ad ſegregandum ſe à Papa hæretico ex iure diuino, & conſequenter ad adhibendum omnia media ad talem ſegregationem per ſe neceſſaria; medium autem neceſſarium, & per ſe eſt vt iuridicè conſtet tale crimen; non poteſt autem iuridicè conſtare niſi formetur competens iudicium, non poteſt autem in re tam graui competens eſſe iudicium, niſi per Concilium generale: quia tractatur de Vniuerſali capite Eccleſiæ, vnde pertinet hoc ad iudicium vniuerſalis Eccleſiæ, quod eſt Concilium generale. Et ita non aſſentior *Patri Suarez* exiſtimanti poſſe hoc tractari in Conciliis Prouincialibus, nec enim Concilium Prouinciale repræſentat Vniuerſalem Eccleſiam, vt eius authoritate poſſit negotium hoc decidi; nec plura etiam Concilia Prouincilia talem repræſentationem habent, aut authoritatem. Quod ſi non de ipſa authoritate loquamur in cuius virtute iudicandum eſt, ſed de conuocatione Concilij, a quo ſit facienda, Exiſtimo id non eſſe alicui determinatè commiſſum; ſed poſſe hoc fieri vel à Cardinalibus, qui hanc notitiam ad Epiſcopos deriuare poſſunt, vel à propinquioribus Epiſcopis id poſſe denunciari aliis, vt omnes conueniant; vel etiam ad inſtantiam Principum id fieri poſſe, non quidem quãtum ad Conuocationem coactiuam, ſicut quando Pontifex conuocat ad Concilium, ſed conuocatione denuntiatiua, qua tale crimen Epiſcopis denuntiatur, & manifeſtatur vt illi ſuccurrant. Quare Pontifex non poteſt tale Concilium annullare, aut recuſare, quia ipſe eſt pars, & Eccleſia habet ex iure diuino poſſe illud congregare ad hunc finem, quia habet ius vt ſegreget ſe ab Hæretico.

Quoad *ſecundum verò*, ſcilicet cuius authoritate declaratio, & depoſitio facienda eſt, & diſ- 19
ſentio inter Theologos, nec enim apparet à quo ſit facienda iſta depoſitio, cùm ſit actus iudicij, & iuriſdictionis, quæ in Papam à nullo exerceri poteſt. *Caietanus in opuſculo de poteſtate Papæ capite* 20. refert duos modos dicendi extremè oppoſitos; duos etiam medios. Inter extremè oppoſitos vnus eſt quod Papa ipſo facto quo eſt Hæreticus, & depoſitus abſque humano Iudice. Alter eſt quod ſimpliciter Papa habet ſuperiorem poteſtatem à qua poſſit iudicari. Inter modos mediatè ſe habentes alter dicit, quod Papa non abſolutè habet ſuperiorem, ſed ſolum pro caſu hæreſis; alter quod nec abſolutè, nec pro caſu hæreſis habet ſuperiorem poteſtatem in terris ſed ſolum miniſterialem, ſicut Eccleſia habet miniſterialem poteſtatem eligendi quoad deſignationem perſonæ, non quoad collationem poteſtatis, quia hæc fit immediatè à Chriſto, vt diximus *Art.* 1. Sic etiam in depoſitione, ſeu deſtructione huius coniunctionis, quâ Pontificatus eſt coniunctus iſti perſonæ in par-

ticulari Eccleſiæ habet miniſterialem poteſtatem deponendo ipſum miniſterialiter; Chriſtus autẽ authoritatiuè ipſum priuare. Et ex his duobus modis dicendi primum ſequitur *Azor 2.tom.l.4. 7.* ſcilicet Eccleſiam eſſe Pontifice ſuperiorem in caſu hæreſis. Alterum verò modum dicendi ſequitur *Caietan.* & latè illum explicat. Eius tamen ſententiam refert, & impugnat *Bellarminus lib. 2. de Romano Pontifice cap.30.* præſertim in duobus, ſcilicet quod *Caietanus* dixerit Papam hæreticum manifeſtum non eſſe ipſo facto depoſitum, & quod Papa ab Eccleſia deponitur verè, & ex authoritate *Suarez* quoque *diſput. 10. ſupè cit. ſect.6.num.7. Caietanum* impugnat, quod dixerit Eccleſiam in caſu hæreſis eſſe ſupra Papam tanquam priuatam perſonam, non in quantum Papa *eſt*. Quod tamen *Caietanus* non dixit, ſed quod Eccleſia non eſt ſupra Papam abſolutè etiam in caſu hæreſis, ſed quod eſt ſupra coniunctionem Pontificatus cum iſta perſona diſſoluendo illam, eo modo quo illam per electionem coniunxit, quæ poteſtas Eccleſiæ miniſterialis eſt, nam ſimpliciter ſuperior ſolum eſt Chriſtus Dominus reſpectu Papæ. Et ideò *Bellarminus, & Suarez* cenſent Papam hoc ipſo quod eſt hæreticus manifeſtus, & pro incorrigibili declaratus, à Chriſto Domino immediatè deponi, non ab aliqua authoritate Eccleſiæ.

5 Igitur *Caietani* ſententia tribus dictis continetur. *Primum eſt*. Papa hæreticus per ipſum factum hæreſis præcisè non priuatur Pontificatu, nec deponitur. *Secundum eſt*. Eccleſia nullam poteſtatem, nec ſuperioritatem, etiam in caſu hæreſis habet ſupra Papam ex parte poteſtatis Papæ, quaſi ſit poteſtas ſupra poteſtatem etiam in tali caſu, ſed nullo pacto poteſtas Eccleſ. eſt ſupra poteſtatem Papæ, & conſequenter neque ſupra Papam abſolutè. *Tertium dictum eſt*. Poteſtas Eccleſiæ habet pro obiecto applicationem poteſtatis Papæ ad perſonam, deſignando illam per electionem, & ſeparationem huius poteſtatis, à perſona, declarando illum pro hæretico, & euitãdo à fidelibus. Itaque licèt declaratio criminis ſit quaſi diſpoſitio antecedens, & miniſterialiter ſe habens ad depoſitionem ipſam, tamen diſpoſitiuè, & miniſterialiter attingit etiam formam, quatenùs tendendo in diſpoſitionem tendit mediatè in formam; ſicut in generatione, aut corruptione hominis, neque generans producit, aut educit formam, neque corrumpens deſtruit, ſed ſolum coniunctionem aut ſeparationem formæ, attingendo immediatè diſpoſitiones materiæ ad ipſam, & mediantibus illis formam.

6 Primum *dictum Caietani* ex ſupra dictis eſt manifeſtum, nec legitimè impugnatur à *Bellarmino*. Et eius veritas conſtat; *Tum quia* Papa quãtumcunque ſit verè, & publicè hæreticus, ſi tamen corrigi ſit paratus non poteſt deponi (vt ſupra diximus) nec Eccleſia ſecundum ius diuinum poteſt illum deponere, quia nec poteſt, aut debet ipſum euitare, cum Apoſtolus dicat *Hæreticum hominem poſt primam, & ſecundam correptionem deuita*; ergo ante primam, & ſecundam correptionem non eſt deuitandus ab Eccl. & cõſequẽter nec deponẽdus: ergo falſo dicitur quod ipſo facto quod Pontifex eſt publicus hæreticus eſt depoſitus: poteſt enim eſſe publicus, ſed nondum ab Eccleſia correptus, nec declaratus vt incorrigibilis. *Tum etiam quia* (vt benè aduertit *Azor vbi ſuprà*) nullus Epiſcopus quantũcunque hæreticus exterior licèt ipſo facto incurrat excommunicationem, non tamen ipſo facto amittit iuriſdictionem, & poteſtatem Epiſcopalem, quouſque ab Eccl. declaretur, & deponatur; ſoli enim excommunicati non tolerati ipſo facto iuriſdictionem amittunt, ſcilicet qui nominatim excommunicantur, vel ſunt manifeſti percuſſores Clerici; ergo ſi Epiſc. nec aliquis alius prælatus ex ſola hæreſi exteriori non amittit ipſo facto poteſtatem, cur amittet Papa ante declarationem Eccleſ. Præſertim cum Papa excommunicationem incurrere non poſſit, quia vt ſuppono nulla excommunicatio datur lata ipſo iure diuino; ex iure autem humano excommunicari non poteſt, cum ſit ſuperior omni humano iure.

7 Secundum *verò dictum Caietani Probatur.* Quia poteſtas Papæ abſolutè eſt poteſtas deriuata à Chriſto Domino, & non ab Eccleſia, & illi poteſtati ſubiecit Chriſtus totam Eccleſiam, id eſt omnes fideles ſine vlla reſtrictione, vt de fide certum eſt, & ſupra latè probatum; ergo in nullo caſu poteſt Eccleſia habere ſuperiorem poteſtatem ad iſtam, niſi pro illo caſu reddatur illa poteſtas dependens ab Eccleſia, & inferior ad illam, & hoc ipſo quod redditur inferior pro illo caſu iam poteſtas illa mutata eſt, & non manet eadem, quæ ante, ſiquidem ante erat ſuper ad totam Eccl. & independens ab illa; pro illo autẽ caſu redditur dependens, & inferior, ergo nunquã verificatur quod Eccl. habet poteſtatẽ ſupra poteſtatẽ Papæ formaliter, quia vt habeat poteſtatẽ ſupra illã pro aliquo caſu, debet illa poteſtas eſſe formaliter alia, & non ita ſimpla, & ſuprema ſicut ante. Neque ex aliqua authoritate conſtat Chriſtum Dominũ dediſſe hoc modo poteſtatem Eccleſiæ ſupra poteſtatem Papæ, ea enim quæ in caſu hæreſis loquuntur, non indicant ſuperioritatem ſupra poteſtatem Papæ formaliter, ſed ſolum euitationem, ſeparationem, negationem communicationis, &c. quæ ſaluari poſſunt ſine poteſtate ſuperiori formaliter ſupra poteſtatem Papæ. *Nec eſt fundamentum*, vt dicamus Chriſtũ Dominum, qui ſine vlla reſtrictione dedit ſupremam, & independentem poteſtatem Petro, eiuſque Sedi, determinaſſe, vt pro caſu hæreſis eſſet dependens & inferior ad poteſtatem Eccleſiæ formaliter in ratione poteſtatis, ita quod maneret ſubordinata poteſtas reſpectu Eccleſiæ, & nõ ſuperior ſicut ante. Quoad id vero quod dicit dictum ſecundum Caietani, videlicet Eccleſiam non habere poteſtatem ſuperiorem Papa, ſi abſolutè accipiatur, in ſuperioribus latè probatum eſt, cum Eccleſ. debeat eſſe ſubiecta Papæ, nec eius poteſtas ab Eccleſ. originetur, ſicut poteſtas politica, ſed immediatè à Chriſto cuius gerit vices. Quod vero neque in caſu hæreſis ſit ſuperior Papa ex parte poteſtatis Papæ patet, *Tum quia*, ipſa poteſtas Papæ in nullo caſu eſt deriuata, & originata ab Eccleſia, ſed à Chriſto; ergo in nullo caſu eſt poteſtas Eccleſiæ ſuperior. *Tum quia* poteſtas Papæ vt originata à Chriſto inſtituta eſt tanquam ſuprema ſuper omnem poteſtatem Eccleſiæ, quæ in terris eſt (vt ſupra probatum eſt ex pluribus authoritatibus) nullus autẽ caſus exceptus eſt à Chriſto Domino, in quo iſta poteſtas limitetur, & ſubiiciatur alteri, ſed ſemper, & reſpectu omnium loquitur de illa tanquã

da

de ſuprema, & Monarchia. Quando autem loquitur in caſu hæreſis non ſuperioritatem attribuit reſpectu Papæ, ſed ſolum præcipit euitari, ſeparari, & non communicare Hæretico, quæ omnia ſuperioritatem non indicant, & ſine illa ſaluari poſſunt; ergo poteſtas Eccleſiæ non eſt ſuperior reſpectu poteſtatis Papæ, etiam in caſu Hæreſis. Et hoc etiam conuincunt Iura, quæ dicunt primam ſedem à nemine iudicari, quod etiam in caſu infidelitatis procedit, nam Patres Congregati in caſu Marcellini Papæ dixerunt: *Tu te ipſum iudica.*

8 Tertium *dictũ* ſequitur ex præcedentibus. Nam Eccleſ. poteſt declarare crimen Pontificis, & ipſum, vt euitandum proponere fidelibus ſecundũ ius diuinum, quo hæreticus euitandus eſt. Pontifex autem euitandus ex vi talis diſpoſitionis neceſſariò redditur impotens, vt ſit caput Eccleſiæ, quia eſt membrum euitandum ab illa, & conſequenter non poteſt in illam influere; ergò ex vi talis poteſtatis Eccleſia diſſoluit coniunctionem pontificatus cum iſta perſona miniſterialiter & diſpoſitiuè. *Patet conſequentia.* quia agens quod poteſt inducere diſpoſitionem in ſubiecto, cui neceſſariò annexa eſt ſeparatio formæ, & cum qua forma ſtare non poteſt in ſubiecto, poteſt ſupra diſſolutionem formæ, & mediatè tangit ipſam formã, vt ſeparandam à ſubiecto, nõ vt in ſe deſtruendã, ſicut patet in agente corrumpente hominem, nec enim formam deſtruit, ſed diſſolutionem formæ inducit, ponendo diſpoſitionem in materia, cum qua forma non poteſt ſtare. Sic ergò cum Eccleſia poteſt vt euitandum Pontificem declarare, poteſt inducere diſpoſitionem in illa perſona, cumqua Pontificatus ſtare non poteſt, & ſic diſſoluitur miniſterialiter, & diſpoſitiuè ab Eccleſia, authoritatiuè autem à Chriſto, ſicut deſignando ipſum per electionem diſponit ipſum vltimatè, vt recipiat collationem poteſtatis à Chriſto Domino; & ſic miniſterialiter creat Papam. *Et ſi quando dicit Caietanus*, Eccleſiam poſſe authoritatiuè in coniunctionem, vel ſeparationem pontificatus à perſona, miniſterialiter verò in ipſum pontificatum intelligẽdus eſt hoc modo, quod Eccleſia habet authoritatem declarandi crimen Papæ, ſicut & deſignandi ipſum in Papam, & quod authoritatiuum eſt reſpectu declarationis eſt diſpoſitiuum, & miniſteriale reſpectu formæ, vt coniungendæ vel ſeparandæ, non in ipſam formam abſolutè, & in ſe nihil poteſt Eccleſia, cũ nõ ſit ei ſubordinata poteſtas. Et ex his concordantur iura, quæ aliquando dicunt Pontificis depoſitionem pertinere ad ſolum Deum, aliquando in cauſa hæreſis poſſe iudicari ab inferioribus, vtrumque enim verum eſt, & quod electio, ſeu depoſitio Pontificis ſoli Deo reſeruatur authoritatiuè, & principaliter vt dicitur expreſsè *in capite Electionem, ſeptuageſimonono, diſtinction. & in alijs multis iuribus ſupra citatis.* quæ dicunt iudicium ſedis Apoſtolicæ ſibi Deum reſeruaſſe; miniſterialiter autem; & diſpoſitiuè declarando crimen, & proponendo Papam, vt euitandum, Eccleſia iudicat de Pontifice, vt dicitur *in capit. ſi Papa, 40. diſtinction. & capite Omes, 2. quæſt. 7.*

Soluuntur Argumenta.

1 ARgumenta *Bellarmini, & Suarez*, contra prædictam ſententiam facilis ſolutionis ſunt. Obijcit enim *Bellarminus.* Quod Apoſtolus dicit hæreticum hominem poſt duas correptiones eſſe euitandum, id eſt poſtquam manifeſtè apparet pertinax ante omnem excommunicationem, & Iudicis ſententiam, vt ibi ſcribit *Hieron.* Quia Hæretici per ſe diſcedunt à corpore Chriſti. *Et ratio eſt*, Quia non Chriſtianus non poteſt eſſe Papa, nec enim eſt caput, qui non eſt membrum; Hæreticus autem Chriſtianus non eſt, vt docent communiter Patres; ergò manifeſtus Hæreticus Papa eſſe non poteſt. *Nec obſtat*, quod in ipſo adhuc manet character, nam ſi ratione characteris maneret Papa, cum hic ſit indebilis nunquam deponi poterit. Vnde Patres communiter docent Hæreticum ratione hæreſis, & independenter ab excommunicatione carere omni iuriſdictione, & poteſtate vt *Cyprianus, Hieronymus, & Ambroſius.*

Reſpondetur Hæreticum eſſe euitandum propter duas correptiones iuridicè ſcilicet factas, & 2 ab Eccleſiæ authoritate, & nõ ſecundum priuatũ iudicium; ſequeretur enim magna confuſio in Eccleſia ſi ſufficeret hanc correptionem eſſe factam ab homine priuato. & quod facta manifeſtatione hæreſis non tamẽ declarata ab Eccleſia, & propoſita omnibus vt euitent Pontificem tenerí omnes illũ euitare, nec enim omnibus fidelibus poteſt eſſe publica hæreſis Papæ, niſi ex relatione aliorum: relatio autem iſta cũ non ſit iuridica non obligat, vt ei omnes credant & illum euitent: requiritur ergò quod ſicut Eccleſia deſignando ipſum omnibus iuridicè ipſum vt electũ proponit, ſic declarando & proponendo eum vt Hæreticum euitandum eum deponat. Vnde ſic videmus practicatum in Eccleſia quod in caſu depoſitionis Papæ cauſa ipſa in generali Concilio prius tractata eſt quam pro non Papa habitus, ſicut ſupra retulimus Non ergò Papa ipſo facto quo Hæreticus eſt, etiam publicè deſinit eſſe Papa ante omnem Eccleſiæ ſententiam, & antequã ipſum, vt euitandum fidelibus proponat. Nec *Hyeronymus* quando dicit Hæreticum per ſe diſcedere à corpore Chriſti, excludit ipſum Eccleſiæ iudicium præſertim in re tam graui, qualis eſt depoſitio Papæ, ſed criminis indicat qualitatem, quod per ſe ſine alia cenſura ſuperaddita excludit ab Eccleſia, dummodo tamen per Eccleſiam declaretur, licet enim ex ſe ſeparet ab Eccleſia, tamen quoad nos non intelligimus facta ſeparatio ſine iſta declaratione. *Et ſimiliter ad rationem Reſp.* Quod non Chriſtianus, qui quoad ſe, & quoad nos Chriſtianus non eſt, non poteſt eſſe Papa, ſi tamen quoad ſe Chriſtianus non ſit, quia fidem amiſit, quoad nos autem adhuc non ſit iuridicè declaratus, vt Infidelis, vel Hæreticus, quantumcumq; manifeſtus ſit ſecundum priuatum iudiciũ, adhuc quoad nos eſt membrum Eccleſiæ, & conſequenter caput. Requiritur ergò iudicium Eccleſiæ, quo proponatur, vt non Chriſtianus, & euitandus, & tunc deſinit quoad nos eſſe Papa, & conſequenter antea non deſierat etiam in ſe, quia omnia quæ faciebat erant valida in ſe.

Secundò *obijcitur*. Quia non poteſt Eccleſia 3 habere poteſtatem in coniunctionem pontifica-

toſcum perſona, niſi in ipſum Pontificatũ habeat poteſtatẽ, nec enim amplius facit Papa cùm deponit Epiſcopum, quam deſtruere coniunctionẽ eius cum Epiſcopatu, nam Epiſcopatum ipſum non deſtruit; ergò ſi poteſt Eccleſia in coniũctionem põtificatus cum perſona, conſequenter poteſt, ſeu poteſtatem habet ſupra pontificatum, & perſonam Papæ. *Et confirmatur.* Quia Papa deponitur inuitus; ergò punitur in tali depoſitione punire autem eſt ſuperioris, & iudicis, ergò Eccleſia deponens, ſeu depoſitionis pœna puniens, ſupra perſonam Papę ſuperioritatem habet. *Denique.* Qui poteſt in partes ſimul, ſeu in coniunctionem earum poteſt ſimpliciter in totum: ſicut generans hominem, ſimpliciter poteſt in ipſum totum hominem, ergò ſi Eccleſia poteſt in coniunctionem pontificatus cum perſona, ſimpliciter poteſt in Papam, quod negat *Caietanus.*

4 Reſpondemus, quod aliter poteſt Pontifex in Epiſcopum quando ipſum deponit, aliter Eccleſia in Pontificem: nam Pontifex priuat ipſum tanquam ſibi ſubiectum, & habentem poteſtatem ſibi ſubordinatam & dependentem, quam limitare, & coarctare poteſt, vnde licet tollat Epiſcopatum à perſona, & non deſtruat epiſcopatum, tamen hoc tollit ex ſuperioritate quam habet ad perſonam, etiam ex parte poteſtatis ſibi ſubordinatæ, ratione cuius illam amouet à perſona, & nõ ſolum perſonam ab ipſa. Eccleſia verò tollit pontificatum ex ſuperioritate ad poteſtatem ipſam, ſed ex miniſteriali, & diſpoſitiua poteſtate qua poteſt inducere diſpoſitionem incompoſſibilem cum pontificatu, vt dictum eſt.

5 Ad *confirmationem reſp.* Papam deponi inuitum miniſterialiter, & diſpoſitiuè ab Eccleſia, authoritatiuè à Chriſto Domino, vnde ab ipſo, non ab Eccleſia punitur propriè loquendo. *Ad vltimũ dicitur,* quod qui poteſt in coniunctionem partiũ, poteſt in totum ſimpliciter, non tamen ſi miniſterialiter ſolùm, & diſpoſitiuè poſſit in talem coniunctionem, niſi in naturalibus, in quibus phyſicæ diſpoſitiones habent naturalem cõnexionem cum ipſo eſſe totius, quod cùm communicetur ab agente producente diſpoſitiones coniunctiuas partium, ſimpliciter producit ipſum totum: in moralibus autem diſpoſitio, quæ fit ab aliquo, cũ ſolũ habeat moralem coniunctionem cũ forma, & quaſi ex inſtitutione voluntaria, qui diſponit non cenſetur facere ipſum totum ſimpliciter, & authoritatiuè, ſed quaſi miniſterialiter; ſicut ſi Põtifex alicui concedat, vt loca quæ deſignauerit habeant priuilegia lucrandi indulgentias, & quæ declarauerit non habere non habeant, deſignatio, vel declaratio iſta non habet tollere, aut concedere indulgentias authoritatiuè, & principaliter, ſed miniſterialiter ſolùm.

***

DISPVT. IX.

De poteſtate Papæ in Eccleſia quantum ad ea in quibus errare non poteſt.

QVINQVE ſunt in quibus Pontifex non poteſt errare. *Primò* approbatione, & emendatione librorum Canonicorum Scripturæ, & traditionum Apoſtolicarum *Secundò* in confirmatione Conciliorum, & definitione rerum fidei. *Tertiò*, in canonizatione Sanctorum. *Quartò*, in legibus regulatiuis morum. *Quintò* in confirmandis Religionibus; & de his omnibus per ordinem tractandum eſt in præſenti diſputatione.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum in approbatione, & emendatione Scripturæ Canonicæ Papa errare poſſit.

SVpponimus duo principia, de quibus aliquid breuiter egimus *diſputatione prima, articulo ſecundo. Primum eſt*, dari veram, & infallibilem Scripturam, quæ ſit diuinitùs inſpirata, de qua Apoſtolus 2. ad Thimotheum 3. *Omnis Scriptura diuinitùs inſpirata vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, & ad corripiendum, ad erudiendum in iuſtitia, &c.* Et 2. Petri 1. *Habemus firmiorem Propheticum ſermonem, cui benefacitis attendentes tanquam lucernæ lucenti in caliginoſo loco.* Item *Hoc primùm intelligentes quod omnis Prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit, non enim voluntate humana allata eſt aliquando prophetia, ſed Spiritu ſancto inſpirati, locuti ſunt Sancti Dei homines.* Et capite tertio; *Memores (inquit) ſitis eorum quæ prædixi verborum à ſanctis Prophetis, & Apoſtolorum veſtrorum.* Et infra mentionem facit Epiſtolarum Pauli tanquam de Scriptura Canonica. Et ipſe Dominus poſt reſurrectionem ſuam omnem complectens veteris teſtamenti ſcripturam, quam Eccleſiæ ſuæ relinquebat, Lucæ vigeſimo-ſecundo. *Neceſſe eſt* (inquit) *impleri omnia quæ ſcripta ſunt in lege Moyſi, & Prophetis, & pſalmis de me: tunc aperuit illis ſenſum vt intelligerent Scripturas, &c.* Quare dandam eſſe aliquam Scripturam ſacram diuinitus inſpiratam tanquam primum principium ſupponendum eſt inter eos qui fideles ſunt, & in Chriſtum credunt, hoc enim inſinuant illa verba Petri: *Hoc primum intelligentes quod omnis prophetia, &c.* Eſt ergò hoc primum quod tenemur intelligere, & tanquam 1

quam principium ſupponere: apud eos verò qui Scripturæ non credunt aliis argumentis procedendum eſt, quæ breuiter inſinuauimus loco ſuperius adducto, *articulo ſecundo*, in fine.

2 Secundum principium eſt, quod etiam de fide eſt Scripturam ſacram non ſolum in ſenſuum varietate, & interpretationibus diuerſis poſſe difficultates pati, ſed etiam deprauari in ſe iuxta quod dicitur 2. Petri 3. de Epiſtolis Pauli: *In quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & inſtabiles deprauant, ſicut & cæteras Scripturas ad ſuam ipſorum perditionem*; quod & ſatis manifeſtat multitudo illa librorum Apochryphorum, qui pro Scripturis reuelatis palliabantur, & damnati ſunt à Gelaſio Pontifice in *capit. ſancta Romana diſtinction. decima-quinta.* vbi plura numerantur Euangelia apochrypha, vt Euangelium Thadei, Barnabæ, Bartholomæi, Andreæ, &c. Plura etiam ex ſanctis Scripturis ſunt quæ penitus interierunt; multi enim libri citantur in veteri teſtamento, qui modo non ſunt, vt eſt liber Iuſtorum, *Ioſue decimo.* Et 1. *Paralipom.* 29. citatur liber Natham Prophetæ, & volumen Gad videntis: & 3. *Regum quarto*, Salomonem dicitur ſcripſiſſe tria millia parabolarum, & quinque millia carminum, & quod diſputauit de lignis, & reptilibus, & iumentis, &c. Paulus *ad Coloſſenſes quarto*, in fine mentionem facit Epiſtolæ ad Laodicenſes, & iubet vt in Eccleſia legatur, quæ tamen hodie non extat. Itaque Scripturæ & deprauationi, & perditioni ſunt obnoxiæ, & aliorum apochryphorum admixtioni, niſi ab aliqua infallibili authoritate diſcernatur quinam ſint legitimè libri, & qui non, qui deprauati, & qui ſinceri, aliàs enim tota fides fluctuaret, ſi libri illi in quibus continentur ea quæ reuelata ſunt à Deo diuerſis deprauationibus, & corruptionibus patere poſſent, nec de hoc poſſet aliquis iudicare, & diſcernere.

3 Ex his duobus principiis deducitur per conſequentiam, ad duo capita reduci ea quæ Eccleſia vel Pontifex circa Scripturam Canonicam poteſt, ſcilicet quantum ad ipſos libros in ſe, & quantum ad ſenſum, & intelligentiam eorum, quæ in illis continentur, ex his enim duobus pendet certitudo, & firmitas quoad nos, & veræ Scripturæ, & veræ fidei in ea contentæ. De hoc ſecundo, ſcilicet ſenſu, & intelligentia eorum, quæ continentur in Scriptura non agimus in præſenti articulo, ſed in ſequenti, vbi tractabitur de authoritate Pontificis in confirmandis, & proponendis rebus fidei, ea enim quæ fidei ſunt in ſenſu, & intelligentia Scripturæ, ſaltem implicitè continentur. De primo verò ſcilicet, de his quæ poteſt Eccleſia circa ipſos libros Canonicos duo nobis in præſenti tractanda ſunt. *Primum* eſt de approbatione ipſorum librorum, vt iudicentur quonam ſint legitimè authentici, qui non. *Secundum* de correctione, & emendatione ipſius Scripturæ ex parte diuerſarum tranſlationum, & verborum, quibus ſenſus Scripturæ ſignificatur, vt ſciamus quid tanquam certum, & indubitatum ſequendum ſit.

Circa primum punctum id in primis notandum eſt circa approbationem librorum Canonicorum, & definitionem eorum, qui authentici ſunt, non eſſe ſpecialem quæſtionem de poteſtate Papæ circa hoc, & de poteſtate Eccleſiæ, ſeu Conciliorum, idem enim quod poteſt Concilium circa hanc materiam poteſt & Papa, cùm definitiones Eccleſiæ, & Conciliorum à confirmatione Papæ dependeant; vt ſequenti articulo dicetur. Quare cùm circa authoritatem, & veritatem Canonicorum librorum non minus verſetur definitio, quam circa ea quæ de fide tenenda ſunt, non eſt maior difficultas de iudicio Eccleſiæ circa hoc, atque de iudicio Papæ vltimatè confirmantis definitionem Eccleſiæ.

4 Fuit ergò hæreſis Vvicleph, vt refert Thomas Vvaldenſis, *libro ſecundo, doctrinalis fidei, capite decimo-nono*, non pertinere ad Eccleſiam iudicium de Scripturis Sacris, hoc eſt definire quinam libri ſint Canonici: quam hæreſim etiam ſequuti ſunt Lutherus, & Caluinus, qui præſertim in eo fundantur, quod verbum Dei ab homine iudicari non poteſt, imò teſtimonium hominum reiicitur in ipſa Scriptura, vt Ioanne quinto: *ego teſtimonium hominum non accipio.* Et 1. Ioanne ſecundo: *Non neceſſe habetis, vt aliquis doceat vos, ſed vnctio docet vos de omnibus.* quæ hæreſis quantum ad id quod negat debere dari authoritatem in Eccleſia, quæ iudicet de authoritate veræ Scripturæ, & de controuerſiis fidei ſupra *diſputatione prima*, latè à nobis impugnata eſt, & oſtenſum quomodo ex hoc Eccleſiæ authoritas non ſit ſupra authoritatem Scripturæ, & verbi Dei, ſed ſuper controuerſiam, & dubitationē de veritate ſcripturarum, Loca verò quę Hæretici pro ſe adducunt ex Scriptura, loco citato ſoluta, & explicata ſunt *articulo* 1. *ad* 7. *& articul.* 2. *ſolut. ad* 1. Tota ergò controuerſia reducitur, nunc ſuppoſito quod Eccleſia, & eius ſupremum caput Pontifex iudicare debet, & definire qui libri ſint Canonici, qui non, vnde habeat infallibilem authoritatem talis definitio, & ſub qua ratione formali illi aſſentiamur? Videtur enim committi circulus in hac parte, nam Scriptura non habet apud nos authoritatem infallibilem, ita vt teneat credere hunc librum in particulari eſſe verè Canonicum, niſi Eccleſia id declaret, & definiat rurſus Eccleſiam iſtam verè definire & veram eſſe Eccleſiam, habereque authoritatem ad id definiendum, ex authoritate Scripturarum credo, in quibus Eccleſiæ authoritas reuelatur, imò & traditiones Apoſtolicas veras eſſe, quibus id etiam docetur, ex Scripturæ reuelatione cognoſcimus; ergò circulus committitur in aſſenſu iſtarum veritatum, & æquè incertum manet vnum, atque alterum: ſi enim controuerſia poteſt eſſe, & quæſtio de ipſa Scriptura, an vera ſit necne, & huius determinatio reſoluitur in authoritatem Eccleſiæ; authoritas autem Eccleſiæ reſoluitur in reuelationem traditam in Scriptura, ſi Hæreticus neget, aut dubitet de illa Scriptura in qua authoritas Eccleſiæ traditur vnde conuinci poterit.

5 Quare difficultas tota conſiſtit in declarāda, & explicanda iſta reſolutione rerum fidei, quærenti enim quare credimus hoc, aut illud, verbi gratia Chriſtum eſſe natum, aut paſ-

ſum

ſum reſpondemus id eſſe verum, quia Deus reuelauit: vlterius autem quærenti vnde conſtat Deum reuelaſſe? Reſpondemus, quia id habetur in ſacra Scriptura: rurſus verò quærenti vnde ſciamus hanc Scripturam eſſe veram Scripturam? reſpondemus, quia id Eccleſia proponit, & dicit: denique quærenti vnde conſtat hanc Eccleſiam ad id habere authoritatem infallibilem? Reſpondemus id conſtare, quia Deus dixit, & reuelauit. quæ reuelatio continetur in Scriptura, quod ſanè eſt perpetuum circulum committere. Et eadem difficultas eſt ſi dicatur recurrendum eſſe ad traditiones Apoſtolicas, quibus id Eccleſiæ traditum eſt, vnde enim conſtat nobis hoc quod nobis dicitur in particulari eſſe Apoſtolicam traditionem, eamque traditionem eſſe aliquid à Deo reuelatum; in hoc enim eſt tota difficultas; nam reuelationi Dei credere nullus eſt qui dubitet, ſed hoc quod proponimus eſſe à Deo reuelatum, id non videtur conſtare poſſe. *Adde* augeri difficultatem ea ipſa Scripturarum variatione, & diuerſis tranſlationibus, quarum vna videtur longè diuerſum ſenſum ab alia continere; vnde ergò nobis conſtat id quod modo in noſtris Biblijs latinis habetur ita eſſe à Deo dictatum, quod in ſecundo puncto huius articuli latius proſequemur oſtendendo quàm variè diſcordent tranſlationes ipſæ inter ſe, & à textu Hebræo, in quo primum à Deo dictata eſt Scriptura.

7 Denique in Eccleſia non videtur in approbatione Scripturarum ſequi Apoſtolicam tratraditionem, nam in Canone 84. Apoſtolorum ponitur inter libros Canonicos liber III. Machabæorum, & duæ Epiſtolæ Clementis, qui tamen nunc non ſunt Canonici, plures etiam omittuntur ex his qui modo pro Canonicis habentur, vt liber Iudith, & Thobiæ, & liber Sapientiæ, & Apocalypſis; ergo neque ex traditione Apoſtolica iudicat Eccleſia ſufficienter de authoritate, & numero librorum Canonicorum. Similiter neque in Concilio Laodiceno habentur omnes libri Canonici qui modo ſunt ſicut liber Tobiæ, & Iudith, & Eccleſiaſtici, & Sapientiæ & Apocalypſis.

8 Certa nihilominus, & indubitata concluſio eſt eſſe in Eccleſia, eiuſque capite Pontifice Romano authoritatem infallibilem ad diſcernendum ea quæ pertinent ad ſacram, & authenticã Scripturam. Conſtat hoc in primis ex regula fidei, quæ habetur in *Concilio Toletano 1. in art. 12.* eiuſdem regulæ: *Si quis* (inquit) *dixerit, vel crediderit alias Scripturas, præterquam Eccleſia Catholica recipit, anathema ſit.* Acceptatio ergò Scripturarum ex receptione Eccleſiæ Chatholicæ regulanda eſt. Hunc tamen Canonem in Synodo 1. Toletana non fuiſſe editum, ſed aliquot poſt annos in Concilio quodã Nationali totius Hiſpaniæ, quod modo non extat, authoritate Sancti Leonis Papæ congregato, indubitatum videtur, cum iſta regula fidei dicatur facta ex præcepto S. Leonis. Prima autem Synodus Toletana congregata fuit anno 400. ſub Anaſtaſio Pontifice, vel Innocentio I. longè ante S. Leonem; de quo videri poſſunt annotationes Loaiſæ ad Concilium I. Toletanum.

9 Secundò *probatur* ex teſtimonijs Scripturæ, in quibus dicitur legem à Sacerdotibus eſſe requirendam, & ad ipſos pertinere docere legem populo, & declarare illam, Aggæi 2. verſ. 12. *Hæc dicit Dominus exercituum, Interroga Sacerdotes legem &c.* Et Malach. 2. *Labia Sacerdotis cuſtodiunt Scientiam, & Legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt.* Ergo pertinet ad officium Sacerdotale legem Dñi tradere populo, & cõſequenter diſcernere quæ ſit legitima lex Dñi, & quæ non; alias fruſtra ab ipſis requireretur lex Dñi ſi poſſent falſam pro legitima tradere. Item Ezechiel 33. *Fili hominis ſpeculatorem dedi te domui Iſrael audiens ergò ex ore meo annunciabis eis ex me.* De Eſdra quoque dicitur 2. Eſdræ 8. *Et legerunt in libro legis Dei diſtinctè & apertè ad intelligendum, & intellexerunt cum legeretur. Dixit autem Nehemias, & Eſdras Sacerdos, & Scriba, & Leuitæ interpretantes vniuerſo populo.* Igitur pertinebat ad Sacerdotes interpretari legem, & conſequenter eius authoritatem populo declarare, & an eſſet legitima, & authentica, vel non. Et 2. Paralip. 19. dicitur: *Quod vbicumque fuerit quæſtio de lege de mandata, de iuſtificationibus, & cæremonijs Leuitæ & Sacerdotes oſtendant populo.* Si ergò omnem cauſam circa quæſtionem de lege debent oſtendere vtique & illam quæ eſt de authoritate, & veritatate legis an legitima & certa lex ſit, an non. Eſt etiam inſignis locus ad Galat. 1. vbi Paulus loquens de doctrina, & Euangelio, quod ipſe prædicabat, quod vtique vera Scriptura erat, & verè verbum Dei, tamen illud contulit cum Petro, & Apoſtolis, vt ab eis approbaretur, & legitimũ iudicaretur. *Deinde* (inquit) *poſt annos 14 aſcendi Hieraſolymam cum Barnaba, aſſumpto & Tito, aſcendi autem ſecũdũ reuelationem, & contuli cum illis Euangelium quod prædico in Gentibus, ſeorſum autem iis qui videbantur aliquid eſſe, ne fortè in vacuum currerem, aut cucurriſſem.* pertinebat ergò ad illos, qui aliquid erant in Eccleſia, ſeu authoritatem in Eccleſia habebant Euangelium Pauli approbare, alias vt quid cum illis conferendum erat; aut quomodo ſi non conferret in vacuum curreret, niſi ex tali collatione robur traheret & fundamentum in ordine ad notitiam fidelium.

Quem locum antiqui Patres ſic communiter interpretantur, vt dicant Eccleſiam non credituram Paulo, niſi eius Euangelium confirmatum à Petro fuiſſet, vt Auguſtinus vigeſimus-octauus, contra Fauſtum capite quartò. *Ipſe Apoſtolus Paulus poſt aſcenſionem Domini de cœlo vocatus ſi non inueniret in carne Apoſtolos, quibus communicando, & cum quibus conferendo Euangelium eiuſdem ſocietatis eſſe appareret, Eccleſia illi omninò non crederet.* Et Hieronymus ſcribens Auguſtino, & habetur inter Epiſtolas Auguſtini, epiſtola vndecima: *Oſtendens* (inquit) *ſe non habuiſſe ſecuritatem Euangelij prædicandi, niſi Petri, & qui cum eo erant, fuiſſe ſententia roboratum.* Et aduertit libr. de Scriptoribus Eccleſiaſticis in Marco, quod *Petrus cum Marci Euangelium audiſſet, & probauit, & Eccleſiæ ſua authoritate legendum dedit.* 10

Item etiam inuenitur hoc idem concorditer ab Eccleſia & Patribus ſemper obſeruatum, & traditum; & conſtat in primis ex *Regula Fidei* 11
ſupra

ſupra citata. Item in *Concilio Carthaginenſi canon.* 47. præcipitur vt præter Scripturas Canonicas nihil in Eccleſia legatur ſub nomine Scripturarum Canonicarum; numeranſque ea, quæ pro Canonicis habenda ſunt ſubuicit: *Hoc etiam fratri, & Conſacerdoti noſtro Bonifacio, vel alijs earum partium Epiſcopis pro confirmando iſto Canone innoteſcat, quia a Patribus iſta accepimus in Eccleſia legenda* Cenſet ergo Concilium ad Pontificem, & Eccleſiam pertinere decernere ea, quæ tenenda ſunt de Libris Canonicis. Item in *Epiſtol.* 3. *Innocentij I. ad Exuperium* numerantur omnes Libri, qui pro Canonicis habendi ſunt, & recipi in Canonem debere declarantur, alij vero ſurpij reiiciuntur. Et ſimiliter *Gelaſius Papa in capit. Sancta Romana* 15. *diſtinction.* plures qui à multis habentur pro Libris Canonicis, tamquam ſpurios reiicit. Quod denique factum eſt in *Concilio Florentino in litteris Eugenij, IV. ad Armenos.* Et in *Tridentino Seſſion.* 4 Idem conſtat ex Patribus, *Tertullianus* 5. *contra Marcion.* agens de Epiſtola Pauli ad Galat. ait: *Ad patrocinium Petri, cæterorumque Apoſtolorum aſcendiſſe Ieraſolymam Paulus ſcribit, vt conferret cum illis de Euangelij ſui regula, ne in vacuum tot annis incurriſſet, & citra formam eorum Euangelizaret; adeò ab illis probari, & conſtabiliri deſiderabat.* Auguſtinus etiam in Libr. contra Epiſtol. Fundamenti capit. 5. *Ego* (inquit) *Euangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ Catholicæ commoueret authoritas*; Et 28. contra Fauſtum *capit.* 3. & 4. vbi dubitationem, & quæſtionem, quæ eſſe poteſt de aliquo Euangelio an verum ſit, & verè à tali Euangeliſta conſcriptum ad Eccleſiam recurrendum eſſe docet, & ſucceſſionem traditionum eius per manus Apoſtolorum, & Epiſcoporum vſque ad nos. Et *Sanctus Hieronymus Præfatione in Euangel. ad Damaſum*, inquit ſe ipſius iuſſu, qui ſummus erat Sacerdos nouum Teſtamentum ex Græco emendare, & ad legitimam ſuam originem reducere. Vincentius Lyrinenſis in lib. contra prophanas vocum nouitates; *Cum ſit* (inquit) *perfectus Scripturarum canon, quid opus eſt, vt ei Eccleſiaſtica intelligentia iungatur authoritas? Quia videlicet Scripturam Sacram pro ipſa ſua altitudine non vno, eodemque ſenſu omnes accipiunt.* Plures alios Patres citabimus in progreſſu, præſertim in ſolutione oppoſiti Fundamenti.

12 Tertio *Denique probatur ratione.* Quia Deus ita tradidit nobis Scripturam, quod voluit illam multis contrarietatibus, & contradictionibus patere, multiſque figmentis eius veritatem, & ſinceritatem oppugnari, cum ipſe Dominus hoc admonens dixerit Matth 24. *Videte ne quis vos ſeducat, multi enim venient in nomine meo dicentes, Ego ſum Chriſtus* Et infrà: *Si quis vobis dixerit, Ecce hic eſt Chriſtus, aut illic, nolite credere. ſurgent enim Pſeudo Chriſti, & Pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna.* Conſtat autem quod qui ſe Prophetam, aut Chriſtum facit, ea quæ dicit proponit vt credenda ſecundum fidem; vnde eleganter dixit *Tertul. de Præſcriptionibus contra Hæreticos.* Ipſas Scripturas ita eſſe ex voluntate Dei diſpoſitas, vt Hæreticos materiam ſubminiſtrarent Hæreſeos: ergo oportuit quod relinqueretur aliqua authoritas, quæ poſſet ſimiles quæſtiones terminare, & diiudicare quinam legitimè annunciarent Chriſtum, qui non, vt diſcernatur etiam quis verè ſit credendus, & colendus, qui non. Si autem à nulla authoritate poſſet iſta difficultas, & quæſtio terminari, & aliunde multa Pſeudo-Euangelia, & Pſeudoprophetiæ futuræ erant, non prouideret Deus Eccleſiæ in re tam neceſſaria, ſicut eſt ſinceritas fidei, multumque minus haberet nunc Eccleſia quam Synagoga, quæ iudicare poterat de falſo Propheta, & determinare quod non eſſet admittendus, nec pro legitimo habendus, vt conſtat Deuteronom. 13. & 18.

Et *Confirmatur.* Quia Eccleſia iudicat de nouis reuelationibus, quæ fieri poſſunt, nec aſſentitur cuiquam dicenti ſe à Deo miſſum, niſi id probet per miraculum, aut per ſpeciale Scripturæ teſtimonium; ergo ſimiliter iudicare debet de reuelationibus ipſius Scripturæ quando difficultas, aut quæſtio inſurgit an veræ, & legitimæ Scripturæ, vel non. *Conſequentia patet.* Quia non minus pertinet ad ſinceritatem fidei, quod de Scripturis Canonicis conſtet eſſe legitimas, & non adulteratas, quam de reuelationibus particularibus, ergo ſi de iſtis, Eccleſia iudicat propter ſinceritatem, & veritatem fidei, ne corrumpatur, ſimiliter, & de illis. *Antecedens* vero certum eſt, & habetur in *capit. cum ex iniuncto de Hæreticis*; vbi decernitur quod nulli aſſerenti ſe miſſum à Deo inuiſibiliter credatur, cum hoc quilibet Hæreticus aſſeueret; ſed oportet quod adſtruat illam inuiſibilem miſſionem per operationem miraculi, vel per Scripturæ Teſtimonium ſpeciale; ergo quotieſcumque aliquis ſe dicit miſſum à Deo, & doctrinam aliquam proponit credendam, iudicatur id ab Eccleſia per illa duo principia, ſcilicet per operationem miraculi, aut teſtimonium Scripturæ ſpeciale. 13

Denique ipſi Hæretici quando nolunt aliquas Scripturas admittere, & alias de nouo confingunt, vel ad id mouentur ex aliquo fundamento & motiuo, vel ſolum pro libito ſuo reiiciunt quas nolunt & admittunt quas volunt. Si pro libito ſuo procedunt hoc ipſo conuincuntur ſine ratione, & fundamento reiicere, & admittere Scripturas, & conſequenter tanquam irrationabiles relinquendi ſunt, & euidenter tunc apparet, quod ſicut illi hæretici pro ſuo libito illas Scripturas non admittunt, alij illas admittent, alij ſimiliter alias reiicient, & ſic apud nullos erit vnitas in fide, nec certitudo, & firmitas de reuelatis à Deo, quod eſt totam fidem ſubuertere. Si autem aliquo fundamento, & motiuo ducuntur ad non admittendum aliquas; ergo iam de ipſis Scripturis iudicant, & decernunt, ſiquidem propter illa motiua iudicant non eſſe veras, & legitimas Scripturas; fatentur ergo eſſe in terris poteſtatem ad iudicandum de veritate, & ſinceritate Scripturarum; quod enim ipſi faciunt, cur etiam alij non facient? Tunc rurſus: Si contingat illas rationes, & motiua, quæ ipſi afferunt non eſſe omnino certa, ſed ſolubilia, & alias rationes, & motiua poſſe opponi, vt conſtet illam Scripturam quam reiiciunt non eſſe reiiciendam, quis iudicabit de tali controuerſia? Nec enim expectanda eſt Dei reuelatio, cum non ſit modus ordinarius gubernandi homines quod ordinariè per reuelationes Dei terminentur eorum controuerſiæ, nec ſtandum eſt cuiuſcumque ſpiritui (vt oſtendimus 14

diſputat.

diſputat.1.artic.1.) cum de hoc ipſo ſit controuerſia, quiſnam ſpiritus ex illis duobus, quæ contraria dicunt, verus ſit: ergo oportet ad Eccleſiam recurrere, quæ vt atteſtatur Paulus 1. ad Timoth. 3 *Columna eſt, & firmamentum veritatis*, & ad Petrum pro quo Dominus rogauit ne deficeret fides eius *Luc.22.* Plura adduximus *citat.loco diſp.* 1: quæ hic accommodari poſſunt, ſicut enim ibi generaliter probauimus controuerſias fidei ad aliquam ſupremam poteſtatem viſibilem debere reduci, ita & controuerſia de libris canonicis, quæ eſt vna ex quæſtionibus fidei.

Soluuntur Argumenta.

1 AD *rationem ſupra poſitam* in hoc artic. §. *Fuit ergo hæreſis Vvicleph*, *&c.* communis Patrum reſponſio eſt, quando de ſcripturis ipſis dubitatio, aut difficultas oritur conſulendam eſſe Eccleſiæ traditionem, quam ab Apoſtolis accepit, neque hæreticos redarguendos fore ex ipſa Scriptura, quam ad libitum negant, aut admittunt ſed ex Apoſtolica traditione per quam conſtat apud quem Apoſtoli reliquerint veram, & legitimam Scripturam, Itaque ex verbo non ſcripto, ſed traditio iudicat Eccleſia de ipſo verbo ſcripto, quando dubitatur an ſit legitimum, & authenticum. Ita *Tertullianus, tùm in initio libri 5. contra Marcion. tùm in libro de corona militis*, vbi clariſſimè traditiones non ſcriptas admittendas eſſe oſtendit; tunc denique principalius, in *lib. de præſcript. aduerſus hæreticos* cuius aliqua verba ſupra retulimus, *diſp.1.artic.1.* Et in ſumma docet non eſſe prouocandum ad Scripturas cum hæreticis, quando ipſi pro ſuo libito admittunt quas volunt, & reiciunt quas nolunt, ſed potiùs attendendum eſt apud quos veritas Scripturarum inueniatur. Apud illos autem (inquit) inueniri, quibus Apoſtoli à Chriſto edocti tradiderunt, quid Apoſtoli prædicauerint non aliter probari debere, quam per ipſas Eccleſias, quas Apoſtoli condiderunt, quas vocat *Matrices, & originales fidei*, præſertim Romana Eccleſia vnde authoritas præſto eſt ſtatuta. Et quia verba ipſius grauiſſima ſunt placuit ad vnguem hic tranſcribere: *Ipſi* (ait cap. 15.) *de Scripturis agunt, & de Scripturis ſuadent. Scripturas obtendunt, & hac ſua audacia ſtatim quoſdam mouent: in ipſo verò congreſſu firmos quidem fatigant, infirmos capiunt; medios cum ſcrupulo dimittunt. Hunc igitur potiſſimum gradum obſtruimus, non admittendos eos ad vllam de Scripturis diſputationem: ſi hæ ſunt vires eorum, an eas habere poſſint diſpici debet, cui competat poſſeſſio Scripturarum, ne is admittatur ad eas, cui nullo modo competit.* Et infra capit. 18. ſubdit: *Hæc vtique, & ipſi habent in nos retorquere. Neceſſe eſt enim, & illos dicere à nobis potius adulteria Scripturarum, & Expoſitionum mendacia inferri, qui proinde ſibi defendant veritatem. Ergo non ad Scripturas prouocandum eſt; nec in his conſtituendum certamen, in quibus aut nulla, aut certa victoria eſt, aut parum certa. Nam etſi non ita euaderet collatio Scripturarum, vt vtramque partem ſiſteret, ordo rerum deſiderabat illud prius proponi, quod nunc ſolum diſputandum eſt: Quibus competat fides ipſa, cuius ſint Scripturæ: A quo, & per quos, & quando, & quibus ſit tradita diſciplina, qua ſiunt Chriſtiani. Vbi enim apparuerit eſſe veritatem diſciplinæ, & fidei Chriſtianæ, illic erit veritas Scripturarum, & expoſitionum, & omnium Traditionum Chriſtianarum.* Hoc autem vt ibi ſubdit ex eo fiet perſpicuum, quia fidem ab Apoſtolis prædicantibus accepimus, qui vtique miſſi ſunt à Chriſto. *Quid autem Apoſtoli prædicauerint non aliter* (inquit) *probari debere, niſi per eaſdem Eccleſias, quas ipſi Apoſtoli condiderunt ipſi eis prædicando, tàm viua voce, quàm per Epiſtolas poſtea. Si hæc ita ſunt conſtat proinde omnem doctrinam, quæ cum illis Eccleſiis Apoſtolicis matricibus, & originalibus fidei conſpiret, veritati deputandam, id ſine dubio tenentem, quod Eccleſia ab Apoſtolis, Apoſtoli à Chriſto, Chriſtus à Deo ſuſcepit.* Hæc Tertullianus. Qui tandem ad Eccleſiam Romanam prouocat, *Vnde nobis* (inquit) *authoritas præſto eſt ſtatuta. Fœlix Eccleſia, cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt, vbi Petrus Paſſioni Dominicæ adæquatur, vbi Paulus Ioannis exitu coronatur.*

Ex quibus patet in Reſolutione rerum fidei ex parte ipſius habitus fidei, & rationis formalis eius reſolui in authoritatem diuinam tantum, ideò enim credimus, quia Deus reuelauit. In reſolutione verò rerum fidei ex parte proponentis, & notificantis ea nobis, quando quæritur vnde nobis conſtat hæc eſſe nobis reuelata à Deo, ſi præcisè ad Scripturas prouocamus adhuc non ſiſtit reſolutio, quia videndum eſt vnde ſcimus has eſſe veras Scripturas, & reuelatas à Deo, reiicit enim hæreticus quas vult, & admittit quas vult, & ſi nolumus ipſi conſentire potius habet nos pro hæreticis. Quare ad Scripturas recurrendum eſt non præcisè, ſed prout traditæ ab Apoſtolis, & his qui miniſtri fuerunt ſermonis. Quæ tam expedita probatio eſt (proſequitur Tertullianus.) *Vt ſi ſtatim proferatur, nihil iam ſit retractandum, ac ſi plorata non ſit à nobis locum interim demus diuerſæ parti, ſi quid putant ad infirmandam hanc præſcriptionem mouere ſe poſſe. Solent dicere non omnia Apoſtolos ſciſſe, eadem agitati dementia, qua rurſus conuertunt omnia quidem Apoſtolos ſciſſe, ſed non omnia omnibus tradidiſſe: in vtroque Chriſtum reprehenſioni ſubiicientes, qui aut minus inſtructos, aut parum ſimplices Apoſtolos miſerit. Quis enim integræ mentis credere poteſt aliquid eos ignoraſſe, quos Magiſtros Dominus dedit, indiuiduos habitos in comitatu, in diſcipulatu, in conuictu; quibus obſcura quæque ſeorſim diſſerebat, illis dicens datum eſſe cognoſcere arcana, quæ populo intelligere non liceret? Latuit aliquid Petrum ædificandæ Eccleſiæ Petram dictum, claues Regni Cœlorum conſequutum, & ſoluendi, & alligandi in Cœlis, & in terris poteſtatem? Latuit & Ioannem aliquid dilectiſſimum Domino pectori eius incubantem, cui ſoli Dominus Iudam traditorem præmonſtrauit, quem loco ſuo filium* MARIÆ *commendauit? Quid eos ignoraſſe voluit, quibus etiam gloriam ſuam exhibuit, & Moyſem, & Eliam, & inſuper de cœlo Patris vocem? Si autem omnia iſta falſa eſſe ſentiant, & Scripturamque iſtam non recipiant, ne Eccleſiam ſe dicant defendere, qui, quando, & quibus incunabulis inſtitutum eſt corpus probare non habent. Tanti enim eſt illis non habere probationes eorum, quæ defendunt, ne pariter admittantur Traductiones eorum, quæ mentiuntur.* Hæc, & plura alia Tertullianus quæ aurea ſunt pro præſenti puncto. 2

Si vero quæratur vnde conſtet Apoſtolos iſtas Scripturas tradidiſſe, id ab Eccleſia probatur, cui Apoſtoli eas tradiderunt, & ipſa Eccleſia per Epiſcoporum ſucceſſiones, vſque ad Nos. Quare in proponendis 3

proponendis ſcripturis Eccleſia eſt ſuperior ipſa ſcriptura non ſuperioritate ſimpliciter, ſed in proponendo tantùm, nec nititur authoritati verbi ſcripti, ſed verbi traditi. Et hoc eſt, quod in Conciliis generalibus definitis, & determinatis quæſtionibus quæ de fide tractantur ſolet à patribus acclamari illam eſſe fidem Petri, & fidem Apoſtolorum, ſicut factum eſt in *Synodo Epheſina*, cùm legeretur Epiſtola ſancti Leonis ad Flauianum in 6. *Synodo* lecta epiſtola Agathonis Papæ, & *in Synodo Tridentino* in acclamationibus Patrum. Eandem reſolutionem in propoſitione rerum fidei docet *Auguſtinus libr* 28. *contra Fauſtum capite tertio, & quarto.* Vbi in ſcripturis diſcernendis, quarum aliquas hæretici admittebant, alias non dicit recurrendum eſſe ad traditionem Eccleſiæ, quæ per ſucceſſionem Epiſcoporum illas deriuauit vſque ad nos. Eodem modo loquitur *ſanctus Irenæus libro tertio de fide capite tertio*, vbi recurrendum eſſe docet pro veritate ad Eccleſiam Romanam, & tandem capite quarto concludit: *Tanta oſtenſionis cum ſint hæc non oportet apud alios quærere veritatem, quam facile eſt ab Eccleſia ſumere, cum Apoſtoli quaſi in depoſitorum diues pleniſſimè in eam contule int omnia quæ ſint veritatis.* Et idem habet libro quartu de fide capite vigeſimo quinto

4 Quare *in forma Reſpondetur ad argumentum* nullum à nobis committi circulum in reſolutione rerum fidei, ſed iuxta diuerſas formalitates, & conſiderationes diuerſimodè reſolutionem facere. Itaque ſcripturæ authoritas quantum ad formalem rationem aſſentiendi ſub qua creditur, immediatè reſoluitur in authoritatem diuinam, & veritatem Dei reuelantis: quantùm verò ad proponentem reſoluitur in Eccleſiam, quæ ſe ipſam, & ſcripturam proponit fidelibus: Scripturam tanquam continentem res reuelatas à Deo, ſe verò tanquam proponentem eas authoritatiuè. Et de hac authoritate quantum ad rationem formalem credendi illam habetur ex ſcriptura, quantum ad rationem proponendi ab Eccleſia: hoc enim eſt proprium menſurarum, præſertim quæ ſunt primæ, & ſupremæ menſuræ, quod ſe & alia menſurant, atque ita ſecundum has diuerſas formalitates, ſcilicet id quod tenet ſe ex parte proponentis, & id quod tenet ſe ex parte rationis credendi fit reſolutio quaſi ſecundum diuerſa cauſarum genera. Non eſt autem inconueniens, quod cauſæ ſint ad inuicem ſibi cauſæ, neque in hoc vllus circulus committitur, quia vitium circuli debet eſſe ſemper in eodem genere cauſæ, & ſic Eccleſiæ authoritas probatur ex ſcriptura, vt dicit *Auguſtinus contra Fauſtum citat.* tanquam ex reuelatione, & veritas ſcripturæ probatur ex Eccleſia tanquam ea proponente, vt idem Auguſtinus dicit.

5 *Si autem inquiramus* cauſas & motiua, quibus Eccleſia mouetur ad admittendum, vel reijciendum aliquem librum pro canonico præſertim ſi de eo ſit difficultas, aut quæſtio? Dicendum eſt id accipere ex traditione apoſtolica, quæ per ſucceſſiones Epiſcoporum ad nos vſq; continuatur, quæ eſt communis Patrum reſponſio, qui in iſtis difficultatibus, & quæſtionibus de ſcripturis ad Eccleſiæ traditionem recurrendum docent, atque ita ex verbo Dei tradito, & non ſcripto iudicat Eccleſia controuerſiã de ipſo verbo Dei ſcripto. Pro quo notanda eſt ex Auguſtino regula, qua librorum canonicorum diſcernitur authoritas à ſpuriis, & illegitimis, nam 11. *contra Fauſtum, c.* 2. agens contra Manichæos, qui pro libito ſcripturas admittebant, aut reiiciebant, & ſuas volebant ſtatuere, *Quam libri* (inquit) *a te prolati originem, quam vetuſtatem, quam ſeriem ſucceſſionis teſtem citabis. Nam ſi hoc facere conaberis nihil valebis, & videbis in hac re quid Eccleſia catholica valeat authoritate, quæ ab ipſis fundatiſſimis ſedibus Apoſtolorum, vſque ad hodiernum diem ſuccedentium ſibimet Epiſcoporum ſerie, & tot populorum conſenſu firmatur.* Et infra ſubdit etiam regulam qua variæ tranſlationes ſcripturæ ab Eccleſia corrigendæ, aut admittendæ ſint, vt inferiùs dicemus. Et 33. *Contra Fauſtum capite ſexto.* Sic regulam dignoſcendi veram ſcripturam eo modo dignoſcendi alios libros proponit. *Platonis, Ariſtotelis, Ciceronis, aliorumque huiuſmodi authorum libros unde nouerunt homines quod ipſorum ſint, niſi eadem temporum ſibimet ſuccedentium conteſtatione continuata? Unde conſtat quid cuius ſit, niſi quia his temporibus, quibus ea quiſque ſcripſit, quibus potuit ea inſinuauit, atque edidit, & unde in alios atque alios continuata notitia, latiúſque firmata ad poſteros, & vſque ad noſtra tempora peruenerunt.* Igitur iuxta Auguſtinum ex origine libri, ex vetuſtate, ex traditione Epiſcoporum ſuccedentium ab Apoſtolis, qui id conteſtatur, iudicat, & diſcernit Eccleſia qui libri tanquam canonici acceptandi ſint, & proponendi fidelibus. Et ita falſum eſt, quod nobis hæretici obiiciunt Papam pro libito facere librum canonicum de non canonico, cùm Papa ſolùm declaret quis liber ſit habendus pro canonico, ſicut in aliis definitionibus fidei ſolùm declarat ea quę ſunt fidei, non fidem de nouo facit. Sicut autem in definitionibus fidei attenditur maximè ad antiquas traditiones, & Patrum intelligentiam, ſic ex veterum teſtimoniis traditioneque Eccleſiaſtica admittit Eccleſia librum pro canonico, vel reiicit. 6

Ad *id quod obiicitur* in eodem argumento ex parte diuerſarum tranſlationum, infra reſpondebimus. Sufficiat interim Auguſtini teſtimonium 11. contra Fauſtum capite ſecundo; *Si de fide* (inquit) *Exemplarium quæſtio verteretur, ſicut in nonnullis quæ, & pauca ſunt, & ſacrarum literarum ſtudioſis notiſſima ſententiarum varietates, vel ex aliarum regionum codicibus unde ipſa doctrina commeauit noſtra dubitatio diiudicaretur, vel ſibi quoque codices variarent, plures paucioribus, aut vetuſtiores recentioribus præferrentur, & ſi adhuc eſſet incerta varietas, præcedens lingua unde illud interpretatum eſt, conſuleretur.* Fatemur ergo eſſe aliquam varietatem in tranſlationibus, quæ ordinariè non in ſenſu ſententiæ eſt, ſed in nominum interpretatione, aut modo ſignificandi; dicimus tamen eſſe in Eccleſia unde poſſit illam varietatem diſcernere, & eligere id quod certum, & indubitatum eſt. 7

Ad *id quod vltimè obiicitur*, Conon. 84. Apoſtolorum, & ex Concilio Laodiceno *reſpondetur.* Quod attinet ad Canones Apoſtolorum nonquã receptos eſſe ab Eccleſia pro legitimis, niſi tantùm 50. ex illis, aut 70 ſententiæ quæ in illis quinquaginta canonibus videntur incluſæ, Solùm in canonibus 6. Synodi approbantur 85.

de quo etſi ab aliquib. dubitatum aliquando fuit ab aliis tamen antiquis Patribus tanquam Scriptura canonica non ſit habitus. Et ita fatetur *Hieron. præfatione in Iudith* librum hunc à Nicæna Synodo receptum inter ſacras Scripturas, qui tamen apud Hebræos non habebatur in Canone, & ab aliquibus de eo dubitatum fuit. *Secunda autem modo* non dubitauit Eccleſia de aliquo libro per poſitiuum iudicium reiiciendo illum, & iudicando dubitationem ipſam, quem poſtea in Canonem reciperet, ſicut liber Henoc, qui vt dicit *Auguſt. 18. de ciuitate cap. 38.* propter nimiam antiquitatem ſuſpectus viſus eſt Eccleſiæ, & ſic nunquam fuit admiſſus, & ſimiliter liber tertius, & quartus Eſdræ, & liber Paſtoris, multaque alia, quæ iudicata ſunt non eſſe canonica à *Gelaſio Papa in cap. ſancta Romana.* itaque quod ſemel iudicauit, Eccleſia vt dubium per poſitiuum iudicium, non iudicat poſtea pro Canonico.

5 Quod attinet ad *Caietanum* ipſe non aliter ſe ſaluat, quam dicendo ſe ſequi *ſanctum Hieronymum*, vt patet in *tomo 3. opuſculorum eius tractatu vltimo*, vbi inquit, quod non negat ipſe Scripturas illas in quibus dubium ponitur à Hieronymo eſſe quidem ſecundum ſe Canonicas, in ordine tamen ad noſtram notitiam habere minus authoritatis ſtante illo dubio quod tamen ipſe non proponit, ſed Hieronymus, quem ſecutus fuit. Nos ergò Caietanum non accuſamus in eo quod cum Hieronymo dubitauerit, ſicut ipſe Hieronymus, ſed quod dubitationi non ceſſerit poſt Cōcilia, & Eccleſiæ vſum, ſed potius voluerit Conciliorum verba, aliorumq; Doctorum ad Hieronymi regulam deducere, non enim Hieronymus regula eſſe poteſt Canonicorum librorum, ſed Eccleſia, & ſummus Pontifex eſt regula, vnde bene potuit illos quos tunc Hieron. extra Canonicos computabat, poſtea recipere, ſicut de facto recepit. Et ita ſaltem poſt Concilium Tridentinum nullo modo Caietani ſententia admittenda eſt. Imò & eiuſdem Caietani tempore *in Concilio Senonenſi decreto* 4. determinatum eſt, vt qui in annumerandis libris Canonicis præſcriptum Eccleſiæ vſum, & authoritatem non ſequitur, ſacrum Concilium Carthaginenſe III. Innocentij & Gelaſij decreta, & definitum à ſanctis Patribus librorum catalogum velut ſchiſmaticus reprimatur. Conſtat autem in illis Decretis contineri inter libros canonicos omnes, qui modo continentur, & ideo non poſſumus in hac parte ſequi pro regula dubitationem Hieron. ſed Eccleſiæ vſum.

6 Quod verò attinet ad Auguſtinum, *Reſpond.* ſenſum eſſe facilem, quod illi libri ſine dubio debent præferri, qui ab omnibus Eccleſiis recipiuntur: qui autem non ab omnibus recipiebantur, certum eſt non æqualiter debere recipi, quamdiu ſcilicet permittitur ab Eccleſia vniuerſali, quod illi non ab omnibus recipiantur, neque ea res definitur. Si autem ab vniuerſali Eccleſia id definiatur, & conſequenter ab omnibus approbetur, non negat Auguſtinus eis eſſe æqualem authoritatem tribuendam. Ita fit cum illis libros quos nunc habemus vniuerſalis Eccleſia per ſuam definitionem in Tridentina Synodo approbauit.

De poteſtate quam habet Pontifex circa editionem, tranſlationem, & correctionem Scripturæ.

HOc *pertinet* ad ſecundum punctum in initio articuli propoſitum, ſcilicet de poteſtate 1
Pontificis circa editionem, ſeu tranſlationem Scripturæ, eiuſque correctionem; & quanam habeat modo authenticam, & canonicam authoritatem. In quo quidem vt breuius exhibeatur reſolutio, per modum quæſtionum eas proponemus, & decidemus. In primis ergò inquires, quomodo Eccleſia certificari poſſit de verſione aliqua Scripturæ, cum ſcriptura ipſa à Deo dictata ſit in alia lingua qua nunc vtimur, Apoſtoli quoque Eccleſiæ tradiderunt Scripturam in ea lingua, & editione, qua ipſi tunc vtebantur, & conſtat tunc non fuiſſe adhuc plures verſiones, aut editiones, quæ poſtea factæ ſunt. Interpretes quoque Eccleſiaſticus non habuit infallibilem aſſiſtentiam Spiritus ſancti ne erraret in traductione facienda, & ne illam Eccleſiæ proponeret aliter quam in ſe eſt: nec ſperanda eſt circa hoc ſpecialis reuelatio, cùm nec illa fiat nunc Eccleſiæ neque ea hoc modo ordinatio gubernandi Eccleſiam expectari poteſt. *Quod confirmatur.* Quia etſi ſenſum poſſit Eccleſia approbare, tamen verba & clauſulas non poteſt facere quod ſint infallibilis authoritatis, cum neceſſario debeant eſſe alia verba ab illis in quibus tradita eſt, & ſcripta.

Reſpondetur Eccleſiam ex authoritate quam 2
habet circa determinandas res fidei, & proponendas eas fidelibus, habere quoque authoritatem determinandi in quo libro & qua editione, & tractatu inueniatur veritas fidei, & reuelatio diuina, & ita ea authoritate illa deficiente certificatur Eccleſia ſicut circa alias res fidei controuerſas certificatur per authoritatem ſuæ definitionis. Quia tamen Hæretici negant Eccleſiæ authoritatem, & ſolum volunt, vt ſecum agatur ex verbo Dei, ideo oportet videre motiua, quibus Eccleſia vtitur ad certificandum de vera editione Scripturæ quod ſimiliter Catholicis neceſſarium eſt, quia quamuis Eccleſia, & Pontifex aliquam propoſitionem definiat, indiget tamen prius inquirere diligenter circa illam, & videre, ac iudicare motiua, quibus talis propoſitio definienda eſt.

Addo *ad iſta* Eccleſiam ſemper habuiſſe ſufficientia motiua apud ſe vnde diſcernere poſſit legitimam editionem, & tranſlationem, & quoad hoc inuenio duas regulas, quibus certiſſime Eccleſia in hac parte procedit; altera apud *D. Auguſt.* altera apud Concilium Tridentinum. Auguſtinus enim II. *contra Fauſtum capite ſecundo iam citato*, agens de hac ipſa difficultate, quando eſt quæſtio de ipſa tranſlatione, & fide adhibenda exemplaribus libris, ſic inquit: *Si de fide exemplarium quæſtio verteretur ſicut in nonnullis, quæ & pauca ſunt, & ſacrarū litterarum ſtudioſis notiſſime ſententiarum varietates, vel ex aliarum Regionum codicibus, vnde ipſa doctrina commeauit noſtra dubitatio diiudicaretur, vel ſi ibi quoque codices variarent plures paucioribus, aut vetuſtiores recentioribus præferrentur, etſi adhuc eſſet incerta varietas præcedens lingua vnde illud interpretatum eſt, conſuleretur.* Conſtat ergò iuxta Auguſtinum habere Eccleſiam ſufficientia principia vnde iudicare poſſit inter varietatem editionum,

ſcililicet per collationem cum pluribus exemplaribus, preſertim vetuſtioribus, vel cum ipſo Hæbræo textu, vel cum codicibns illius regionis, vnde doctrina dimanauit. Nec eſt putandum vnquam io Eccleſia defutura exemplaria etiam antiqua, cum quibus conſerantur editiones Scripturæ, id enim pertinet ad prouidentiam Dei, vt ſemper conſeruentur, ſicut per tot annorum ſpatia à tempore Moyſis cõſeruata ſunt, non quaſi ipſa prima originalia,& exemplaria quibus primò à Deo dictata eſt Scriptura, conſeruentur: hæc.n. nullo modo extant.ſed quia per Traſſumpta,quæ ab illis primis originalibus primò dimanatunt per ſucceſſiones conſeruabantur, ſicnt modo etiam alij antiqui libri conſeruantur.

4 Alio principio ducitur etiam *Concilium Tridentinum ſeſſion.*4. ſcilicet traditione, ſeu ea ipſo vſu antiquo Eccleſiæ, vt patet in illis verbis; *Statuit,& declarat,vt hæc ipſa vetus, & vulgata editio, quæ longe tot ſæculorum vſu in ipſa Eccleſia probata eſt, & pro authentica habeatur, &c.* Itaque Eccleſia nunc ad acceptaodam aliquam determinatã editionem pro authentica pro principio habet ipſum Eccleſiæ vſum,& quaſi traditionem approbatam per tot annos. quando verò iſta editio vulgata adhuc tot annorum vſu approbata non erat,vtebatnr Eccleſia regula Auguſtini ex varijs tranſlatiooibus, quæ fiebant illa, quæ per collationẽ cum antiquioribus exẽplarib concordabat,& cæteras cõditiones habebat pro authẽtica cõmuniter reputabatur.Nec Eccleſ.indiget maiori inquiſitione,vt determinet per ſuam authoritatem quod aliqua tranſlatio ſit authentica, ſicut ad Canonizandos ſanctos ſufficit habere teſtes examinatos modo humano circa miracula, & ſanctitatem alicuius. Itaque hoc ipſo quod Deus volebat hominibus tradere ſcripturas reuelatas, oportuit etiam prouidera de mediis, quibus illæ conſeruarentur. Et cum ipſa prima originalia non poſſent ſemper conſeruari, id enim eſſet magnum miraculum, debuit conſeruari per Traſſumpta, atqne adeo requirebatur authoritas quæ determinaret illorum Traſſumptorum fidelitatem, & veritatem, & conuenientiam ipſorum com exemplaribus: hoc enim modo etiam alij libri antiquiſſimi vſque ad nos peruenerunt quaſi per manus, & cum fama conſtanti quod ſint illorum autorum, etſi in alias linguas tranſlati ſint,vt libri Platonis, Ariſtotelis,&c.Quo etiam argumento vtitur Auguſtinus vt ſupra diximus 33. *contra Fauſtum cap.* 6.& videndus eſt idem Auguſtio. 2. *de doctrina Chriſtiana capit.* 14. & 15. vbi ponit modum, quo conſerenda ſunt exemplaria,vt vera & emendata habeantur.

5 Ad *Rationem dubitandi in oppoſitum reſpendetur.* Verum eſſe quod Interpretes qni Scripturam transferunt non habent ſemper aſſiſtentiam Spiritus ſancti, vt teſtatur Hieronymns præfatione in Pentatheuchum: *Aliud eſt* (inquit) *eſſe Vatem, aliud Interpretem, ibi Spiritus ventura prædicit, hic eruditio verborum copia qua intelligat, conſertur.* Eccleſia tamen habet plures Doctores qui poſſint editionem aliqnam de qua eſt quæſtio conferre cum exemplaribus antiquioribus,& eius tranſlationis modum inueſtigare, & approbationem quam habet in Eccleſia per multos annos etiam apud Sanctos Patres conſiderare; & facta iſta collatione, & inquiſitione poteſt optimè determinare quænam ſit legitima editio cum procedat cum omnibus requiſitis ad id determinandum, tùm præcedente ſufficiente diſputatione, tùm etiam habendo authoritatem ad id determinandum, ſicut & alia, quæ ad Scripturarum veritatem pertinent. Atque ita non eſt admittendum quod poſſit Eccleſia falli ab Interprete ſi ipſa id determinat poſt ſufficieos examen, quale etiam ſolet fieri ad alias definitiones faciendas.

Ad *confirmationem Reſpend.* Quod licet verum 6 ſit quod quaodo primò Scripturæ à Deo dictantur, etiam ipſa verba à Deo determioatè dictantur,& ad illa ſpecialem aſſiſtentiam habet Scriptor Canooicus. Vnde *D.Thom.* 1.*q.*1.*art.*10.dicit quod quia in Dei poteſtate eſt non ſolùm voces; ſed etiam res ad ſignificandnm accommodare, ſignificatio vocum pertinet ad ſenſum litteralem tamen quia verba non ſont propter ſe, ſed propter ſeoſum,& res ſignificatas, non eſt intelligẽdũ quod verba Scripturæ, & ipſæ voces ſint infallibilis authoritatis ſolũ propter ſe materialiter conſideratas, ſed propter ſenſum quẽ exprimunt. Vnde ſi idem redditur ſenſus,licet verba varientur intelligendũ eſt eſſe ſolã materialem varietatem,non formalem, ſola quippe formalis ſignificatio verborũ facit illa infallibilis authoritatis.Vnde etiam in formis Sacramentorum videmus, quod etiam ſi verba materialiter varientur, dummodo idem ſenſus reddatur, idem operantur, vt oſtendit *S.Tho.*3.*p.q.*60.*a.*8.& conſtat in illis verbis, *Hic eſt ſanguis meus, Hic eſt calix ſanguinis mei*, idem enim operantur. Et in Scripturis hanc varietatem fatetnr;& latè probat *Hieron. in epiſt.ad Pamachium* de optimo genere interpretandi, *Diſcrepat*(inquit) *Euangeliſta 70.Interpretum,noſtraq, tranſlatio, & tamen ſermonum varietas Spiritus vnitate concordat.* Et latiſſimè ibi oſtendit quomodo in tranſlationibus non debebit reddi verbum de verbo,ſed ſenſus de ſenſu. Itaque non ipſa verba quaſi materialiter ſunt authoritatis infallibilis,ita vt mutari, ac transferri oon poſſint quando fit tranſlatio,ſed verba quaſi formaliter, & vt ſenſui deſeruiunt ſic habent pondus ſuum & immutabilem infallibilitatem. videantur ibi plura exempla, apud *Hieronymum, & ſanctum Auguſtinum 2. de doctrina Chriſtiana* capite 14. qui inquit *quod nihil impedit in Scriptura correctionem, niſi conſuetudo cantantium. Iſta tamen* (inqnit) *facilè contemni poſſunt ſi quis ea cauere voluerit quæ ſane intellectui nihil detrahunt.*

De editione, qua nunc vtitur Eccleſia.

QVæri *ſecundè poteſt.* qualis ſit editio, qua 8 nunc Eccleſia vtitur & qualis fuerit illa in qua primum Eccleſia ab Apoſtolis fundata eſt? *Reſp.* varios fuiſſe ſtatus Scripturæ S. & in illis ſemper fuiſſe ſic gubernatam,vt haberet Eccleſia in ſe ſufficientia principia,vode poſſet veram & legitimam editionem declarare; licet non omnes in particnlari eſſent legitimæ. *primus ergò ſtatus Scripturæ* fuit à tempore Moyſis vſque ad captiuitatem Babylonicam, inqua vel omnes libri ſacri incenſi fuerunt & poſtmodum Scriptura diuinitus ab Eſdra reſtituta eſt, vt pleriqne Authores volunt, quos ſupra citauimus; vel ſaltem magnam iacturam Scriptura paſſa eſt, & poſtmodum ab Eſdra,licet nõ de nouo reſtituta,

tamen

tamen ex variis fragmentis, aut reliquiis collecta de nouo eſt, vt *Chryſoſtomus* cenſet *Homil. 8. ſuper epiſtol. ad Hebraos*, & indicat *Hilarius Præfatione in Pſal.*

2 Secundus *ſtatus* fuit à tempore Eſdras vſque ad tempora ſeptuaginta interpretum qui 280. annis ante Chriſtum Dominum tranſtulerunt Scripturam de Hebræo in Græcum, quorum tranſlationem tanquam ex aſſiſtentia Spiritus Sancti factam antiqui Patres communiter fatentur, vt *Auguſt. 2. de doctrina Chriſtiana cap. 15.* & ex antiquis *Iuſtinus, Irenaus, Euſebius, Epiphanius, Chryſoſtomus*, & communiter alij Patres, & & hac editione vſos fuiſſe Apoſtolos dicit Sanctus Hieronymus Præfatione in libros Paralipomen. *Editio* (inquit) *ſeptuaginta interpretum naſcentis Eccleſia roboraverat fidem; & hac vſa eſt Eccleſia quamdiu illa pura, & in ſua integritate permanſit.* Idem tenet *Irenaus lib. 7. de fide capite 25.* idemque latè probat *Leo Caſtro de editione ſeptuaginta interpretum cap. 6.* qui videri poteſt in *Præfatione ſuper Eſai. & Sanct. Auguſt. 18. de Ciuitate cap. 44. & Epiſt. 10. ad Hierony.* Ita affirmat Apoſtolus vſos eſſe editione ſeptuaginta, etiam quando illa ab Hebræo diſſentiebat; in quo tamen Hieronymus ab ipſo diſſentit, & exiſtimat Apoſtolos & Euangelia aliquando citare teſtimonia veteris teſtamenti aliter quam in ſeptuaginta continentur, id eſt, iuxta Hebræum, in his in quibus à ſeptuaginta diſſidet, Eccleſia autem vſa eſt editione ſeptuaginta, ſimul tamen retinendo exemplaria Hebræa, vnde poſſent vitiata corrigi. Origenes etiam ferè hoc ipſum teſtatur ad Africanum, videlicet Eccleſia communiter vti tranſlatione ſeptuaginta, & quod hæc olim in Eccleſia dicebatur vulgata. Quod teſtatur etiam Sanct. Philaſtrius de Hæreſibus cap. 134. *ſequitur* (inquit) *Eccleſia Catholica ſeptuaginta interpretationem, legit, ſolit, & prædicat, alia autem ſuperuacua, & contraria tanta editioni contemnit, & abiicit.*

3 Tertius *ſtatus* fuit à tempore, quo cepit ſeptuaginta interpretum editio corrumpi, & vitiari partim negligentia librariorum, partim malitia hominum. Et quidem editiones Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis, licèt aliàs homines hæretici eſſent, & Aquila contra ipſorum ſeptuaginta editionem fecerit, vt teſtatur *Epiphanius lib. de menſuris, & ponderibus*, & in odium Chriſtiani nominis multa perperam addiderunt, vt teſtatur *Chryſoſtomus Homilia 5. in Matthaum, & Hieronymus Epiſtol. 89. ad Auguſtinum*, nequaquam tamen ipſorum ſeptuaginta editioni comparari debebant, vt ipſe Epiphanius teſtatur, & tamen illorum editiones Græci legebant tùm propter ſtudium doctrinæ ſuæ, tum vt ſeptuaginta magis ex collatione eorum intelligerent, vt ait *Hieronymus Præfatione in tranſlationem Iſaiæ.* Corruptam ergo editionem ſeptuaginta emendauit primò Origenes collatione facta ad editiones Aquilæ, Simmachi, & Theodotionis, fortaſſis etiam obtento exemplari Hebræo, quod apud Ægyptum ex Bibliotheca Ptolomæi ſeruabatur, nam adhuc ſuo tempore extare docuit *Tertullianus in Apologetico capite 18.* qui paulo ante Origenem floruit, præſertim cum ipſe etiam Origenes Hebræum textum appoſuerit in ſuis Hexaplis. An vero Origenes ad purum ſeptuaginta editionem vindicauerit, certum non eſt; nam *Hieronymus in Epiſtola ad Suniam, & Fretellam* dicit: *tranſlationem qua habebatur in Hexaplis, & quam ipſe verterat, ipſa eſt qua in eruditorum libris incorrupta, & immaculata ſeptuaginta interpretum tranſlatio reſeruatur.* Præfatione verò in libro Paralipomenon, & Præfatione in Eſdram, corruptam & violatam inquit eſſe. Poſt Origenem vero etiam emendauit editionem ſeptuaginta Lucianus Martyr: tertiò Heſichius Presbyter, quartò Hieronymus.

Quartus *ſtatus fuit* in tranſlationibus vulgatis, quæ factæ ſunt in Latina lingua. Facta eſt 4 autem duplex vulgata vna vetus, cuius author ignoratur, fuitque ante Hieronymum, & ipſam Sanctus Auguſtinus *Italam* vocat *2. de doctrina Chriſtiana cap. 15.* Alia noua ab ipſo Hieronymo facta, qui vetus teſtamentum ex Hebræo in Latinum tranſtulit, coactus id facere eoquod ſeptuaginta interpretum editio, licèt ab Origene, & aliis emendata eſſet, tamen quia vnaquæque correctio ſuos habebat ſequaces, indeque non leues conflabantur ſeditiones, nec omninò liquidò conſtaret quæ pura, & integra eſſet ſeptuaginta editio, ideò Hieron. editionem illam latinam coactus eſt facere, ſicut & nouum teſtamentum Græcæ fidei reddidit, iubente Damaſo Papa. Hæ tamen duæ vulgatæ editiones latinæ vetus, & noua; etiam tempore procedente contentionum materiam ſubminiſtrarunt, dum vnaquæque ſuos Fautores habebat. Nam & illa antiqua, ſeu *Itala* apud Auguſtinum ſupra citatum, melior iudicabatur, licèt etiam *lib. 18. de Ciuit. cap. 43.* valde laudauerit Hieronymi laborem. *Sanctus* autem *Iſidorus lib. 6. Ethymologiarum cap. 6.* Hieronymi verſionem cæteris ante poſuit. Itaque poſt Sancti Gregorij tempora ex illis duabus vulgatis veteri, & Noua, vna conflata eſt ad communem Eccleſiæ vſum, quæ *vulgata communis* dicta eſt, & hæc ab illis temporibus ſemper in Eccleſia fuit in vſu, & tandem decreto Concilij Tridentini approbata eſt. De quo vide *Baronium anno* Chriſti *Domini 231.* & hæc eſt quæ diutius perſeuerauit in Eccleſia, & nunc perſeuerat. Editio vero ſeptuaginta antiqua negligi, & quaſi extingui cepit, quouſque tempore Sixti V. iterum reſtituta eſt, & legendum propoſita eius authoritate.

De perpetua Scriptura continuatione in Eccleſia.

INquiri *Tertio poteſt*: An ſit inconueniens aſſerere, quod aliquo tempore Eccleſia fuit ſine 1 ſincera, & pura Scripturæ editione? *Reſpondetur.* Aliquos id admittere, nec reputant inconueniens, quod ſaltem ad breue tempus id ita fuerit in Eccleſia. Ita *Lorca Tractat. de locis Catholicis lib. 1. diſput. 7. num. 10.* Qui tamen *diſput. 6. num. 6.* dicit fuiſſe ſemper puram Scripturam in corde Eccleſiæ, licet communis lectio corrupta eſſet; nec hoc eſt inconueniens, eſſet tamen ſi diu hoc perſeueraret, nec Eccleſia emendandum curaret. Et ita aſſerendum ſentit pro illo tempore, quo editio ſeptuaginta fuit vitiata, & corrupta, nec tamen plenè emendata ab Origene, & aliis; ſi enim plenè emendata eſſet, & ad puritatem redacta, non eſſet neceſſarius labor Hieronymi ad verſionem Scripturæ faciendam, vt ipſe teſtatur *Præfatione in libro Paralipomen.* Tunc autem non erat alia communis editio ab Eccleſia approbata, & in vſu communi, niſi editio ſeptuaginta, vt ex *Philaſtrio, Origene, & Epiphanio* ſupra

oſtendimus. Igitur tunc pura, & legitima Scriptura ſolum erat in corde Eccleſiæ quatenus habebat in ſe principia, vnde poſſet illam emendare, & purificare, licet formaliter non haberet purè emendatam.

2 Cæterum magis veriſimile videtur, idque maximè ad Dei prouidentiam pertinet, vt nunquam reliquerit Eccleſiam ſine vera, & ſincera Scriptura etiam in publico, ita vt fidem faceret ad confirmanda dogmata, eſſet enim hoc deficere in neceſſarijs, quia nihil ita neceſſarium eſt ad fidei ſinceritatem tenendam, quam certificari, & habere in vſu ſinceram editionem Scripturæ, quod latè proſequitur, *Origenes in epiſtol. ad Africanum*, & certè ex omnibus ſtatibus, & temporibus, quos *præcedenti quæſtione* numerauimus conſtat in omnibus illis temporibus veram fuiſſe Scripturam, quidquid ſit an variæ tranſlationes eſſent, & aliqui dubitarent de exemplarium fide; aliquorum enim dubitatio, & tranſlationum varietas non tollebat ſolidam Eccleſiæ ſententiam circa ſinceram editionem Scripturæ. Quando vero in Eccleſia corrupta fuit editio Septuaginta dicimus prouidiſſe Deum ſinceram editione Scripturæ. Primò quidem tempore Hieron. erat incorrupta editio ſeptuaginta in Hexaplis Origenis, vt ipſe teſtatur in *Epiſt. ad Suniam, & Fratellam*, licet in aliis editionibus corrupta haberetur. *Et Sanct. Auguſt. 11. contra Fauſtum cap. 2.* teſtatur varietates ſententiarum, ex exemplaribus Scripturæ fuiſſe paucas, & Scripturarum ſtudioſis notiſſimas. Vnde quod multæ eſſent de his, potius id erat ex aliquorum hominum imperitia, quam ex defectu ſinceræ editionis in Eccleſia. Ante tempora vero Origenis *Tertullianus* teſtatur videri apud Serapæum in Ægypto Hebraicum Codicem Scripturarum à temporibus Ptolomæi. Et quidquid de hoc fuerit, tamen in Eccleſia fuiſſe tunc etiam legitimam Scripturarum editionem conſtat, aliàs fruſtra, *Tertullianus lib. de Præſcriptionibus contra hæreticos. Irinæus lib. 3. de fide cap. 4. & Auguſt. 28. contra Fauſtum cap. 4.* pro veris Scripturis ad Eccleſiam præſertim Apoſtolicam recurrendum docuiſſent, ſi tunc non inueniebatur etiam in publico vſu legitima editio Scripturarum.

Quid præter Vulgatam aliæ tranſlationes valeant ad confirmanda dogmata.

1 INquiri *poteſt quartò*: An ex aliis tranſlationibus quam ex vulgata poſſit argumentum ſolidum duci pro confirmatione dogmatum. *Et ratio dubitandi eſt.* Quia in caſu dubij de aliqua tranſlatione, aut quando corrigendum eſt aliquid in vulgata, recurrendum eſt ad textum Hebræum, vt etiam docet *Sanct. Auguſt. 11. contra Fauſtum cap. 2.* Et colligitur etiam ex *Hieronym. præfatione in librum Paralipo. & epiſt. ad Pamachium de optimo genere interpretandi.* Igitur oportet quod in ipſis Hebraicis exemplaribus ſit authoritas etiam infallibilis, aliàs fruſtra ab illis peteretur reſolutio in dubiis, & varietatibus tranſlationum.

2 Reſpondetur, in tranſlationibus Sacræ Scripturæ, ſeu editionibus poſſe nos diſtinguere, aut eas quas Eccleſia permittit, aut eas quas approbat, & inter eas quas approbat adhuc quaſdam approbat tanquam ſimpliciter authenticas; & certæ authoritatis, quaſdam tanquam correctiones in illo genere, licèt nō ſimpliciter authenticas. Quod attinet ad permiſſionem, multas, & varias editiones Eccleſia permittit dummodo tranſlationi vulgatæ non ſint contrariæ, hoc enim etiam ab initio Eccleſiæ permiſit, cum tot ac tam diuerſæ editiones fierent ſicut conſtat ex editionibus *Aquila, Symachi, Theodotionis, &c.* licet factæ eſſent ab hominibus hæreticis, & modo etiam multæ, ac diuerſæ tranſlationes permittuntur, vt *Pagnini, Caietani, Oleaſtri, Vatabli, Iſidori, & Clarij, &c.* In quo tamen valde obſeruandum eſt, quod vt aliqua tranſlatio Scripturæ permittatur, non debet eſſe contraria vulgatæ editioni, nam ſi contraria ſit, nullo modo permittenda eſt, vt communiter cenſent Doctores, qui poſt Concilium ſcripſerunt, *Azor Tom. 1. lib. 8. cap. 13. Suarez lib. de Fide diſp. 5. ſect. 3. num. 10. Lorca tractat. de locis diſp. 10.* Et hoc ſumitur ex ipſo decreto *Concil. ſeſſ. 4.* vbi definit, quod nemo illam editionem vulgatam quouis prætextu reiicere audeat, vel præſumat, qui autem contrariam aliquam editionem editioni vulgatæ teneret, in eo in quo contraria eſſet, illam reiiceret. Et ideò prodiit decretum Sacræ Congregationis, quæ à *Marſilla, & Barboſa ad locum Concilij, & à Suarez cit.* refertur in hunc modum: *Ne vel periodus, vel vna clauſula, dictio, vel ſyllaba, iota ac vnum repugnet in veteri vulgata lingua Latina editione.* Quoad oppoſitiones autem contextus Græci, aut Hebraici cum Latina vulgata editione Congregatio remiſit ad tertiam regulam indicis ſub Pio IV. editam. Quare in quantum aliquæ ex iſtis nouis tranſlationibus vulgatam editionem volunt omninò reducere ad Hebraica originalia, quæ nunc extant, & ipſi pro legitimis tranſlationibus habent, omninò reiiciendæ ſunt, nec in publico vſu Eccleſiæ, aut concionum, vel diſputationum admittendæ. In quo fortaſſe aliqui etiam ex catholicis exceſſerunt plus deferendo originalibus Hebraicis à ſe tranſlatis, quam vulgatæ, & ſi excuſari poſſint ſi ante Concilium Tridentinum id fecerunt. Omnes etiam tranſlationes Scripturæ ab Hæreticis factæ permittendæ non ſunt, ſed reprobantur ab Eccleſia in indicis expurgatorio. Solum ergo illæ tranſlationes, quæ vulgatæ noſtræ in aliquo non repugnant permittuntur.

Quid autem cenſeatur repugnare vulgatæ editioni ex ipſo Concilio accipiendum eſt; Concilium enim prohibet, ne quis reiicere audeat editionem vulgatam, & Congregatio Cardinalium prohibet, ne aliquid repugnet editioni vulgatæ. Illud ergo cenſetur repugnare quod reiicit illam editionem, & quaſi falſificat, aut tollit eius ſenſum tanquam indebitum. Si verò non reiicit vulgatam, ſed tamen iuxta propriam tranſlationem diuerſum ſenſum transfert, & ſi non contrarium, non cenſetur repugnare, & reiicere vulgatam; conſtat enim Hebraicam linguam habere multa verba, quæ diuerſos ſenſus patiuntur, vnus tamen non debet reiicere alium, aliàs ſi quilibet ſenſus etſi diuerſus, ſed non contrarius, cenſeretur repugnare vulgatæ, reiici deberet Pſalterium Hieronymi iuxta veritatem Hebraicam quod in multis maximè diſtat à noſtro Pſalterio; deberet etiam reiici editio ſeptuaginta, quam nuper ſua authoritate approbauit Sixtus V. in qua conſtat multa eſſe diuerſa à noſtra editione, de quibus infinita fere exempla habentur *in Theſauro Pagnini*, & melius *in Dictionario Cardinalis Ximenij in Bibliis Complutenſibus & in locis correctis annotatis à* 3

Franciſco

Franciſco Luca , plurima inueniuntur correcta, quæ aliter legebantur in diuerſis exemplaribus , quæ tamen exemplaria non ſunt damnata,etſi minus correcta. Nos breuitatis cauſa illa ommittimus.

Quoad *eas vero* tranſlationes , quas Eccleſiã
4 non ſolum permittit , ſed etiam approbat , præter vulgatam Editionem, quam certum eſt ab Eccleſia recipi , vt authenticam ſimpliciter in Trident. duo ſunt de quibus magis dubitari poteſt. *Primo* de ipſo originali Hæbreo pro veteri teſtamento , aut Græco pro nouo , an habeat authoritatem infallibilem : tùm propter rationem dubitandi factam à principio:tùm quia aliàs non habemus in Eccleſia textum Scripturæ ſufficientem ad conuincendos Iudæos,aut Hæreticos, qui noſtram vulgatam non admittunt.*Secundo* , de ipſa Editione Septuaginta dubitatur,quia Sixtus V.illam videtur approbaſſe , vt conſtat ex quodam ipſius Breui , quod habetur in libro editionis ſeptuaginta vbi Pontifex tanquam emendatam talem editionem proponit: & ne aliter poſſit euulgari præcipit,igitur pro vera,& legitima habenda eſt,& conſequenter authoritatem habet infallibilem.

5 Reſp. Quod attinet ad originalem editionem Hebraicã nos non intelligere quamcunque editionem factam ab Hebræis, vel Rabbinis,ſicut editio ſeptuaginta ſolet nonnunquam vocari editio facta ab Hebræis,ſeu Iudæis,non tamen eſt ipſum Originale Hæbræum, ſed tranſlatio ex Hebræo:& ſimiliter Paraphraſis Chaldaica,quam targum vocant,à Rabbinis facta eſt, & aliæ ſimiliter editiones, quæ licèt Hebraicæ ſint,non tamen dicuntur ipſa originalis editio Neque etiam Originalia Hebraica Hebraica vocamus illa , quæ ex immediata Dei dictatione excepta ſunt,hæc. n. modo non extant, ſed ſolum tranſumptiones illorum originalium , in quibus cõſeruatur Scriptura,& modo illa habemus tanquam originale Hebraicum , & de illo eſt quæſtio,quam authoritatem habet?Aliqui enim Hæretici vt refert *Bellarm lib. 1. de verbo Dei cap. 2.* cenſent puriorem eſſe textum Hebræum,quam noſtram volgatam , & ex Catholicis aliqui plus nimio illi tribuunt vt *Caiet. Eugub. Oleaſter,& aly.* Alij verò per alium extremum exiſtimant textum Hebræum eſſe omnino corruptum,& nullam ei deberi fidem.

6 Nihilominus dicendum videtur quod in his in quibus textus Hebraicus conſentit cum noſtra vulgata ſaltem in ſenſo, quidquid ſit de verbis , & ſignificationibus eorum variis,Hebraicum non eſſe corruptum,ſicut *Hieron.in Epiſt.ad Huniam, & Fratellam* ſentit,quod puta editio ſeptuaginta, quæ tunc habebatur non diſſentiebat ab Hebræo. In his verò in quibus modo textus ille Hebræus à vulgata , nec eam admittit,nec aliquid illius, eſt enim hoc originale corruptum , & aliter quam fuit ab initio , ſiue id cauſatum ſit ex negligentia hominum,vel Iudæorum malitia, vel ex additione punctorum ad litteras Hebraicas , quæ olim ſine punctis,ſeu vocalibus legebantur,modo verò eſt facilè vnum punctum,ſeu vocalem ponere pro aliá, & ſic mutare totaliter ſenſum:& ideo ſimpliciter loquendo , quia in aliquibus diſſentit Hebraicus textus à vulgata , aut illi repugnat ; ideo ſimpliciter non eſt Hebraicum originale, ſeu editio ſicut modo habetur apud nos authoritatis infallibilis ad confirmanda dogmata fidei. Quod ergo in multis diſſentiat Hebraica editio manifeſtatur pluribus exemplis , quæ affert *Lorca vbi ſupra diſp.5.Bellar.cit. Torres in s. 2. diſput.51. d b. 1.* vbi videri poſſunt ; & in locis ſupra cit. Nos autem breuitatis cauſa ea omittimus.*Ratio verò horum ſumitur ex dictis.* Quia editio vulgata in omnibus recipienda eſt tanquam authentica;ergo ſi in aliquo diſſentit ab illa editio exemplarium Hebraicorum,in illis talis editio Hebraica non poteſt eſſe authentica:quia omne quod reiicit, aut repugnat editioni vulgatæ non eſt recipiendum Ad quid ergo Eccleſia illam editionem approbet,in ſolutione argumentorum dicemus.

Quod *vero* attinet ad editionem ſeptuaginta ſi
illa quidem inueniretur ſicut facta eſt ab illis , aut 7
ſaltem ſicut dicitur à Hieron.putam,& immaculatam fuiſſe in Hexaplis Origenis ſine dubio eſſet infallibilis authoritatis , Quia tamen ea verſio , quæ nunc extat non omninò videtur pura ita quod in nullo contrarietur editioni vulgatæ , ideò ſimpliciter non eſt regula fidei,licèt magnæ authoritatis ſit poſt emendationem eius factam à Sixto V. qui tamen in illo loco non definiuit illam editionem quam proponebat eſſe regulam fidei,& ſimpliciter authenticam , ſed præ cæteris editionibus ſeptuaginta emendatiorem , ſcilicet in illo genere,non tamen ſimpliciter. Itaque cum editio iſta ſeptuaginta non in omnibus plene conſentiat vulgatæ ; ideò non poteſt in omnibus, & ſimpliciter eſſe cãnonica,& regula fidei. Et ita ſentiunt *Lorca,& Torres* vbi ſup *Cano.lib.2.de locis cap. 13. Bellarm. lib. 2. de verbor. Dei cap. 6.* & eſt communis ſententia. Conſtat autem in multis diſſentire hanc editionem ſeptuaginta à vulgata. Tùm in illo *Geneſ. 16.* vbi in noſtra vulgata habetur ſeruos Iſaac dixiſſe de puteo *inuenimus aquam* , editio autem ſeptuaginta habet contradictoriè,*Non inuenimus aquam.* Item Ionæ 3.*Adhuc tres dies,& Niniue ſubuertetur,* dicunt ſeptuaginta;noſtra verò editio , *Adhuc quadraginta dies.*Super quem locum S. Hieron.dicit non poſſe defendi lectionem ſeptuaginta,ſicut etiam in quæſtionibus Hebraicis ſuper Geneſ idem Hieron dicit non poſſe defendi ſupputationem annorum circa vitam Mathuſalem , quam habet ſeptuaginta Geneſ. 5. iuxta quam Mathuſalem etiam poſt diluuium ſuperuixiſſet annis 14. & ſic fuiſſent ſaluatæ pluſquam octo animæ, contra id quod habetur *1.Petri 3.*

Ad *rationes dubitandi reſpondetur.* Ad primam 8
dicimus , in dubiis recurrendum eſſe ad textum Hebræum non ſimpliciter,ſed prout in ſua puritate; erat autem purus tunc quando facta eſt tranſlatio vulgata ex illo.vnde Hierony. Præfatione in commentaria Iſaiæ ridet eos , qui Hebræos codices falſatos putant , nunc autem poſt approbationem vulgatæ tot ſæculorum vſu factam ſi Hebraici codices quos habemus non conſentiunt cum noſtra vulgata,quæ declarata eſt pro authentica,planè neque conſentiunt cum illa Hebraica puritate , quæ erat illo tempore, quo vulgata editio facta eſt , & ſic non mirum quod modo non habeatur , vt omnino pura,& infallibilis. Quod etiam aduertitur in præfatione,quæ habetur nunc in Bibliis correctis, ſcilicet, quod maiores noſtri qui ex Hebræis , & Græcis Latinam fecerunt copiam meliorum , & emendationem librorum habuerunt.Et apertè patet quod *cap. 2. Exodi* nunc deeſt in Hebræo clauſula illa *alteram quoque genuit , & vocauit nomen eius Eliazer* , dicens *Deus Patris mei auxiliatus eſt mihi , &c.* Et Pſalm 18. illud *In omnem terram exiuit ſonus eorum* , Hebraicus textus habet , *In omnem terram exiuit linea , ſeu perpendiculum*

rorum. Et multa alia ſimilia ſunt, quæ longum eſſet numerare.

9 Vel *ſecundò* dicitur, quod non recurrimus ad textum Hebraicum in dubiis tanquam ad regulam canonicam ſimpliciter, ſed vt fiat collatio cum illo, ſicut cum aliis exemplaribus tanquam cum emendatiori, & inde veritas eruatur, hac enim ratione Eccleſia approbat illum textum Originalem: tum quia parum viciatus eſt, & eo indigemus ad collationem faciendam cum ipſo tanquam cum exemplari emendatiori in illo genere licèt non authentico ſimpliciter: tum vt Paganos conuincamus, qui ſi nolunt credere noſtræ prædicationi de Chriſto, oſtendamus Codices Iudæorum, apud quos habetur, & ita ipſi inimici noſtri ſint iudices, hac enim de cauſa diſperſos eſſe Hebræos, vt teſtimonium eorum Codices præberent veritati *Sanct. Auguſt.* 18. *de Ciuit. cap.* 45. optimè aduertit. Vnde ad ſecundam rationem dicitur ad conuincendos Iudæos ſatis ſuperque ſufficere ipſum textum Hebraicum in quo miſteria de Chriſto continentur, & aliquando apertius quam apud nos, vt eſt illud *Pſal.* 2. vbi nos legimus *Aprehendite diſciplinam*, habent Hebræi *Oſculamini filium ne iraſcatur, &c.* Et Iſaiæ 53. *Nos putauimus eum lepreſum, & percuſſum a Deo.* Hebræi habent *Lepreſum, & percuſſum Deum, & humiliatum, &c.* Quod certè clarius diuinitatem Chriſti conuincit. Et in aliis teſtimoniis vix diſtat à vulgata noſtra quando agitur de Chriſto. Ad id quod dicitur de verſione ſeptuaginta reſponſum eſt iam quomodo loquatur Pontifex in illo Breui non de editione ſeptuaginta authentica ſimpliciter, ſed in illo genere magis emendata.

Quam puritatem habeat modo editio noſtra vulgata?

1 VLtimò quæritur, an editio vulgata ſi purè, & ſufficienter correcta, præſertim nunc poſt correctionem Sixti V. & Clement. VIII. ita vt in omnibus, & per omnia authentica ſit, & fidem confirmet, etiam prout habetur in ordinariis Codicibus. *Ratio dubitandi eſt.* Quia hæc ipſa vulgata quæ approbata eſt decreto Trident. correcta eſt modo; ergo ſi poterat admittere correctionem non erat omnino authentica, in eo enim in quo correcta eſt non erat veritatis irrefragabilis, ſiquidem mutari potuit. Item modo non eſt de fide hanc correctionem eſſe legitimam, & puram, nec enim id definitum eſt, neque à Clemente, neque à Sixto: ergo adhuc non conſtat nobis omninò quod illa ſit authentica in omnibus, & ideò in Præfatione quæ habetur in Bibliis correctis id dicitur quod eam omnibus numeris abſolutam pro humana imbecillitate affirmare difficile eſt. Ac denique quia non repugnat veritatem iſtam quantumcunque correctam, vitio Scribentium, aut impreſſorum variari, & viciari, ergo quamuis fateamur in corde Eccleſiæ, & ſecundum computationem, & collationem omnium Codicum, veram, & ſinceram eſſe hanc verſionem, tamen prout in Codicibus, & lectione Eccleſiæ habetur, non conſtat eſſe omninò puram, & integram cum poſſit ex mille cauſis viciari, quas omnes curare impoſſibile eſt humano modo.

2 Reſp. In hac latina editione vulgata, & correcta, quam nunc habemus, tria poſſe nos conſiderare. *Primum eſt.* ipſa fidelitas verſionis, ſiue quantū ad ſubſtantiam, & ſenſum, aut etiam quantum ad accidentale ornatum, puta Energiam, Eloquentiam, & Perſpicuitatem. *Secundum eſt*: Conſeruatio huius Verſionis, ſeu interpretationis tam in corde Eccleſiæ, quàm in Codicibus, qui communiter ſunt in vſu Eccleſiæ. *Tertium eſt:* Quomodo, & qua certitudine nobis conſtet hanc vltimam correctionem eſſe legitimam, ita quod poſſit in omnibus confirmare fidem, præſertim quando corruptio ita facta erat, quod quaſi diuerſam veritatem conſtituebat propter diuerſitatem ſenſus. Et quantum ad primum ipſa fidelitas verſionis non ſumitur ex correctione noſtra facta, ſed ex antiquo tot ſæculorum vſu in Eccleſia habenda eſt pro legitima, non ſolum quantum ad ea, quæ pertinent ad fidem, aut mores, ſed etiam quoad omnes litteras, & apices; hoc enim neceſſe eſt fateri poſtquam hæc ipſa Editio decreta eſt eſſe authentica: de ratione enim Scripturæ authēticæ eſt, vt omnes eius clauſulæ, & apices certæ, & indubitatæ authoritatis ſint, aliàs ſi aliquid titubat hoc ipſo de reliquis partibus, quæ ſimiliter dicuntur illius eſſe Scripturæ, certi non reddimur: præterquam quod in Scriptura vera, & legitima nihil eſt quod ad fidem, & mores non pertineat, ſicut nihil eſt quod à Deo reuelatum non ſit. Et ita communiter ſentiunt omnes qui poſt Concilium de hac re ſcripſerunt *Lindanus, Canus, Titelmanus, Leo Caſtro, Galarza, & Alij*, quos citat & ſequitur *Lorca tract. de locis diſp.* 7. Quoad accidentalem verò perfectionem in Energia, Elegantia ſermonis, aut Perſpicuitate verborum tota ſimul tranſlatio Vulgata cæteris eſt perfectior, idest, veracior in ſententiis, & clarior in verbis, vt ait *Iſidorus lib.* 1. *de officiis cap.* 12. *& S. Auguſt.* 2. *de doctrina Chriſtiana cap.* 25. licèt verum ſit quod aliquæ eius partes ſeorſum ſumptæ elegantius, aut clarius poſſent transferri; quod tamen nihil officit eius authoritati, quæ in fidelitate tranſlationis poſita eſt.

Quia *tamen* multi vrgent diſſenſionem eſſe in 3
multis inter noſtram vulgatam, & originalia, à quibus tranſlata eſt, & non ſolum ab originalibus, quæ nunc extant, ſed etiam ab originalibus antiquis, vt conſtat ex diuerſa lectione, quam habet in aliquibus ipſe *Hieron. & Patres* illius temporis præſertim in tranſlatione Pſalmorum iuxta Hebraicam veritatem, quæ multo aliter eſt in Hieronymo, quam apud Nos, & in illo loco Geneſ. 3. *Ipſa conteret caput tuum*, in omnibus enim Hebraicis originalibus habetur: *Ipſum, ſeu Ipſe conteret, &c.* Et numer. vlt. *omnes fœmina accipient maritos de tribu ſua.* I. Hebræo habetur: *omnes fæmina, ſeu filia, quæ hæreditatem accipiunt.* Vbi reſtrictio fit ſolum ad hæreditantes: & Geneſ. 6. *Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum*, habetur in Hebraico etiam antiquo, & tempore Hieronym. *Non iudicabit ſpiritus meus hominem in ſempiternum, &c.*

Reſp. Differentiam noſtræ Vulgatæ, aut poſſe eſ- 4
ſe cum originali Hebræo, quod nunc habemus, aut cum eo à quo tranſlata eſt. Et quidem cum eo, quod nunc habemus, non ita curandum eſt, potius enim Vulgatæ aſſentiendum eſt, quam illi (vt *ſupra Diximus*) propter maiorem approbationem Vulgatæ in Eccleſia, quam textus Hebraici, licet verum ſit quod differentiæ iſtæ, & diſſenſiones pauciſſimæ ſunt, & ſtudioſis Scripturæ notiſſimæ, vt *Auguſt. dixit* 11. *contra Fauſtum cap.* 2. & ferè reducibiles ad eundem ſenſum; nonnunquam enim id quod vna tranſlatio dicit vno modo, alia per circunloquium diuerſo modo ſignificat, eandem tamen veritatem habet, & ſenſum, ſi quando tamen

reducibiles

reducibiles non ſunt ad eondem ſeoſum, ſed potiùs pugnant, ſtandum eſt volgatæ, magis quam textu Hebraico, quem modo habemus, propter approbationem vulgatæ, quæ approbatio ex conſequenti indicat ex emendatiori libro eſſe tranſlatam, & conſequenter iſtum textum Hebraicum, quem modo habemus eſſe inferiorem illo, ex quo vulgata eſt deſumpta. Si autem differentia ſit cum originalibus Hæbraicis antiquis, adhuc diſtinguendum eſt: quia etiam antiquitus non erat vnum ſolum exemplar, ſed multi, & diuerſi Codices, quorum alij erant emendatiores, alij minus, vnde exiſtimandum eſt, quod ſi vulgata noſtra diſſentit aliquando ab exemplaribus Hæbraicis antiquis, diſſentit ab illis minus emendatis, qui in aliorum manibus verſabantur: illud autem ex quo tranſlata eſt, cæteris fuiſſe emendatiorem, vt ex approbatione tam longi temporis ab Eccleſia conſtat. Et inde eſt quod cum multi ex Patribus antiquis, & etiam Hieron. non ſemper vſi fuerint editionibus emendationibus, ſed ſecundum quod ad manum codicem habebant, & ita contingit in multis diſſentire; cæterum reſpectu codicis Hæbraici, vnde facta eſt tranſlatio, ſemper emendatior fuit cæteris Hæbraicis, & id Eccleſia tanquam emendatius approbauit, quod de facto ſequuta eſt, præſertim quia non vni ſoli editioni Hæbraicæ adhæſit, ſed pluribus conſulit, vt veritas elueſceret. & ex duabus tranſlationibus veteri, & noua, vnam fecit, in eaque facienda certiori, & emendatiori editione ſine dubio vteretur: & ideò quia ſemper præſumitur vulgatam ex emendatioribus codicibus produiſſe; ideò ſimpliciter in his, quibus editio Hæbraica contradicit noſtræ vulgatæ, intelligendum in hoc non eſſe textum hæbraicum omninò emendatum, ſed potius illum ex cuius collatione, vel ex cuius tranſlatione editio vulgata facta eſt, aut in vnum coacta. Et ideò quod Hieronymus Pſalterium iuxta hæbraicam veritatem multo aliter habeat, quam noſtrum, nihil obſtat: nam Eccleſia non in omnibus purè Hier. ſequutus eſt, ſed etiam ex Septuaginta, aut ex tranſlationibus, illa, quæ magis decurſu temporis, & authoritate antiquorum exemplarium erat in Eccleſia approbata, recepit. Ille autem locus Geneſ. *Ipſum conteret, vel ipſa conteret* dicendum eſt, quod ſæpè, & facile tranſmutatur fæmininum pro maſculino in Hæbræo, & fortaſsè in emendatiori libro, vnde vulgata ita tranſtulit, habebatur *Ipſa*, & non *ipſum*. Et ſimiliter illud *non iudicabit ſpiritus meus hominem in ſempiternum*, vel non ita habebatur in omnibus codicibus emendatioribus, vnde facta eſt tranſlatio vulgata; vel vtraque tranſlatio ad eundem ſenſum reducitur: quia quamdiù Deus habet aliquid iudicare, vel certare, aut litigare cum homine, adhuc cum illo videtur permanere, quouſque facto iudicio ipſum deſerit. Similiter illa verba *Numer. vlt.* non habebantur in codicibus, vnde facta eſt tranſlatio vulgata, & ita non ſunt poſita, licet in alio originali hæbraico haberentur. Videantur multa alia loca apud *Bell. rm. in lib. 2. verbo Dei, cap* 12. *& Lorca vbi ſupra.*

4 Quantum *ad ſecundũ*. Conſeruatio huius verſionis, & fidelitatis eius in Eccl. maxime pendet ex duobus. *Primus eſt* aduerſus hæreticos ex approbatione ferè omnium SS Patrum, & DD. Eccleſ. qui per mille, & amplius annos continua approbatione ipſam tranſlationem ſequuti ſunt: nec enim credibile eſt tales, ac tantos viros tam longo temporũ decurſu, etiã in Conc. generalib. & tota Eccl. annuente, deceptos fuiſſe in recipiẽda hac editione vulgata, & retinenda. Qui autẽ fuerint iſti SS. Patres à temporibus Aug. & Hieron. vſque ad Nos facilè eſt cognoſcere, nam *S. Aug.* vulgatam editionem quam appellat *Italam* valdè laudat 2. *de doctrina Chriſtiana c.* 15. Ipſum vero Hieron. qui eam emendauit maximè commendat 18. *de ciuit. c.* 43. Item *S. Gregor. Papa* 20. *Moral. c.* 14. approbat illam vulgatam editionẽ. *Et S. Iſidorus lib.* 6. *Etimol. c.* 5. Poſt ipſos quotquot ſequuti ſunt Patres in ſuis libris vtuntur hac Vulgata, *Remigius, Beda, Rabanus, Anſelmus, Petrus Damianus, Bernardus, Hugo, Rupertus, S. Thom. Bonauent. &c.* quod longum eſſet numerare, quibus omnibus potius credendum eſſe, quam Hæreticis, quis dubitat?

Secundo ad conſeruandum hanc editionem vulgatam contra Scribentium, & Notariorum negligentiã, ignorantiã, aut hominũ maliciã vtitur Eccl. Codicibus antiquis qui paſſim in diuerſis Eccl ſeruãtur, vt ex eorũ collatione emẽdare poſſit ea, quæ falsò tranſcribuntur. & quando dubium adhuc eſt recurrit ad exemplaria Hæbraica, aut Greca, vt cum ipſis etiam cõferat, vt monet *S. Aug.* 11. *contra Fauſtũ c* 2. ſicut ille verſus Pſal. 41. *Sitiuit anima mea ad Deum fontẽ viuum*, ex collatione cum Hebræo, & Græco emendatũ eſt *Deum fortem viuum*, quod facilè potuit ex negligentia Scribentis vna littera mutata deprauari. Certè magnũ ſtudiũ fuiſſe in Eccl. antiquiſſimos Codices cõſeruandi pro puritate ſcripturæ emendandæ, teſtis eſt Card Ximen. in præfatione ad Biblia Complutenſia. vbi meminit Cod. 800. annorum adhuc Gothicis litteris ſcripti, quo vſus eſt ad editionem illam Complutenſis Bibliæ, & hoc pacto dicitur eſſe in corde Eccleſiæ pura, & legitima Scriptura, quia habet in ſe principia vnde ſemper poſſit eam emendare per collationem librorum. 5

Quam certitudinem habeat Correctio iſta facta à Sixto Quinto, & Clemente?

QVoad *Tertium* de certitudine, qua debemus tenere hanc vltimam correctionẽ factam à Sixto, & Clemente eſſe legitimam, & puiã? *Reſpondeo* hanc Quæſt. non currere de Scriptura prout eſt in corde Eccleſiæ in qua ſunt ſufficientia principia ad emendandum Scripturam, idque de fide eſt non poſſe ab omnibus libris Eccl. ſimul deficere verã, & puram lectionẽ Scripturæ, aliàs deficeret fides; ſed procedit de Scriptura prout in iſtis Codicibus correctis habetur, qua certitudine debemus tenere ipſos eſſe emendatiores quam cæteros, & lectionem in illis præfixam aliis eſſe certiorẽ. *Dicimus ergo* Quod in hac correctione Clementis nõ fuit facta noua editio, aut Interpretatio mutata, ſed ſolum à mendis veterũ librariorum, & prauarum emendationum erroribus repurgatã editionẽ vulgatam ſuæ priſtinæ integritati reſtituere vt in præfatione ad ipſa Biblia correcta dicitur. Et cum eſſent ante variæ lectiones, vt ſolebãt notari in margine Bibliorum, immò in cõmunioríb. lectionib. corrigi multa deberẽt, ideò neceſſe fuit emẽdare, nõ quidẽ ipſam verſionẽ quoad eius fidelitatẽ, ſed ea quæ ex ſcribentiũ, aut aliorũ negligẽtia mẽdaciter in cõmunioríb. lectionib habebãtur. Quorum exẽpla qui voluerit videre legat annotationes *Franciſci Lucæ*, qui inſigniora loca emendata in vnũ collegit. Facta autem hac correctione, cum lectio iſta 1

aliis omnibus ſit prælata, exiſtimat *M. Lorca vbi ſupra diſp.9.* non eſſe definitum ab Eccleſia hanc editioné correctam ita eſſe putam vt in ea nullus ſit defectus; eſſe autem ita certum quod oppoſitum erit temerarium. *Ratio eſt.* Quia in Bulla Clementis VIII. quæ habetur in editione Romana correcta non definitur aliquid circa hoc, ſed tantum dicit textum vulgatæ editionis reſtitutum, & quam accuratiſſimè expurgatum in lucem prodire, non tamen expreſsè definit ipſam expurgationem eſſe puriſſimam præ cæteris.

2 Nihilominus citra definitionem expreſſam maximum pondus habet iudicium Eccleſiæ circa hanc correctionem. *Quod quidem ita intelligo.* Quod ſi ſumatur iſta correcta editio ſecundum omnia quæ includit, & quaſi collectiuè omnibus aliis præponenda eſt, & qui oppoſitum faceret pluſquam temerarius, & quaſi errori proximus haberetur. Qui auté in aliquo particulari, & ſeorſum aliam lectionem ſequeretur non exiſtimo eſſe aliqua cenſura dignum. *Ratio primæ partis eſt.* Quia Eccleſia iudicio ſuo proponit, etſi non definiat, hanc lectionem tanquam cæteris correctiorem; temerarium autem eſt quod Eccleſia Catholica dicat, etſi non definiat, negare. *Item,* quia prohibet Pontifex Clemens VIII. in ſuo *Breui cit.* ne aliæ lectiones in margine aponantur, nec de ipſo textu liceat mutare aliquid, aut aliter imprimere: ſi autem aliæ Lectiones in hac Vulgata ſequi poſſent tanquam meliores, aut correctiores, hæc prohibitio eſſet valde inutilis, & impertinens, quia prohiberet poſſe nos ſequi aliquid melius in lectione Scripturæ, quod eſt omnino temerarium aſſerere. *Ratio ſecundæ partis eſt.* Quia in ipſa *Præfatione* addita ad Biblia correcta expreſsè dicitur: *Hanc editionem correctam ſicut omnibus numeris abſolutam pro humana imbecillitate affirmare difficile eſt, in cæteris omnibus quæ ad hanc vſque diem prodierunt emendatiorem, purioremque eſſe minimè dubitandum eſt.* Vbi vides vtramque partem noſtræ concluſionis ferè euidenter inſinuari. Nam ſi non omnibus numeris abſoluta affirmari poteſt hæc correctio, ergo aliquibus numeris non abſoluta eſſe, & conſequenter aliquid dubij habere, non erit temerarium aſſerere.

3 Cæterum ſi comparemus totam editionem correctam cum aliis lectionibus minimè dubitandum eſt eſſe puriorem cæteris, quod ſaltem collectiuè de tota ſimul editione intelligi neceſſe eſt. *Item* habemus difficilem lectionem, & via hucuſque ſolutam 2. *Reg.*15. in illis verbis: *Poſt 40. annos dixit Abſalon. ad Regem Dauid, &c.* Nec enim eſt inuenire quomodo illi 40. *anni* computari poſſint ab illo tempore, quo id dicitur de Abſalon, cum Dauid ſolum regnauerit 40. *annis*, atque adeo ſi Abſalon in Regnatu Dauid dixit, vt conſtat ex textu dicente *Poſt quadraginta annos illud dixit ad Dauid*, non apparet quo tempore vitæ ſuæ id dixerit. Vnde alia lectio habebat poſt quatuor annos. Et hanc referens *Franciſcus Lucas* annotatione ad iſtum locum, dicit illam ſua probabilitate non carere: ſi autem omnes lectiones diuiſiue, & ſigillatim eſſent reprobatæ non haberet probabilitatem oppoſita lectio.

4 Sed *vrgent* verba Bullæ Clementis, vbi præcipiens vt editio Scripturæ iuxta illud exemplar imprimatur, ſubdit: *Cuius quidem exemplaris forma ne minima quidem particula de Textu mutata, addita, vel ab eo detracta niſi aliquid recurrat quod Typographicæ incuriæ manifeſtè adſcribendũ ſit inuiolabiliter obſeruetur.* Ergo iudicium Eccleſiæ æquè cadit ſuper totam correctionem collectiuè, & ſuper ſingulas partes diuiſiuè, & prohibitio eius. *Reſp. negando conſequentiã:* Quia Pontifex cum præcipit vt forma exemplaris obſeruetur *nulla particula mutata, &c.* id præcipit reſpectu Impreſſionis faciendæ; vult enim vt in imprimendis libris ſcripturæ nulla particula mutetur, ne ſi aliæ lectiones paſſim imprimi poſſint, etiam in minimis particulis iſta correctior lectio iterum vitietur in multis: non tamen præcipit Pontifex obſeruari etiam quamcunque minimam particulam, etiam diuiſiuè acceptam, quaſi cæteris abſolutè correctiorem, licèt prohibeat in textu ſcripturæ aliter imprimi, quia vult conſeruari iſtam correctionem vt meliorem, licèt non definierit omnes particulas etiam diuiſiuè eſſe meliores propter periculum. Et hoc ipſo quod ſolum prohibet ne in textu mutetur aliqua particula, ſatis indicat prohiberi quod extra textum, & extra Bibliam poſſit haberi, aut imprimi alia lectio vulgatæ circa aliquam particulam, quæ ſuam probabilitatem retinere poſſit, iuxta id quod dictum eſt.

Ad *Rationes dubitandi à principio.* Ad primam. 5
Reſp. Concil. Trident approbaſſe vulgatam tanquam authenticam quantum ad verſionem, & interpretationem, in quo nihil correctum eſt poſteà ab Eccleſia, vt dicitur in ipſa *Præfatione ad Biblia correcta Sixti.* Quoad correctionem autem à mendis librariorum, quibus omnes libri ſubiecti ſunt, Concilium nihil determinauit, ſed id Eccleſiæ reliquit faciendum. *Quod ſi inſtes*: ergo ſi ſint plures lectiones circa aliquem locum in particulari, & illæ ſint probabiles nec altera reprobata ab Eccleſia, in illo loco non habebimus Scripturam Canonicam, & ſic in locis innumerabilibus Scripturæ vulgatæ editionis in quibos habetur diuerſa lectio, ſicut videre eſt in annotationibus *Franciſci Lucæ*, non habebimus viſibilem regulam fidei, quam ſequamur determinatè cum illæ lectiones diuerſæ ſint, & diuerſum ſenſum reddant. Ex quo vlterius tota Scriptura periclitatur: vnde enim ſciam in quocumque loco determinatè non eſſe varias lectiones? *Reſpondet P. Lorca* vbi ſup. *diſp. 9. n. 7.* Tunc ſolum eſſe certum quod aliqua, vna, aut altera lectio eſt de fide; incertum verò quænam ſit determinatè, quia Eccleſia id nondum definiuit, ſed in corde Eccleſiæ eſt principium vt veritas decernatur. *Sed hoc non caret inconuenienti*: Quia Eccleſia totam Scripturam cum omnibus ſuis partibus tanquam de fide proponit viſibiliter; ergo ſi poſſumus dicere quod prout habetur in libro non eſt nobis certum quod ſit de fide, non omnia illius libri vulgatæ editionis tenetur accepiſſe tanquam de fide; præſertim quia declaratio Cardinalium ſupra relata præcipit vt nec vna dictio, aut iota vnum repugnet editioni vulgatæ.

Reſpondetur *ergo*, Quod vbi ſunt illæ variæ 6
lectiones probabiles Eccleſia proponit in illis ſcripturam disiunctiuè, quia certum eſt in illis contineri verã, & Authenticam Scripturam vulgatã, non tamen determinatè, ſufficit enim quod non admittamus aliquid repugnans vulgatæ, ſed habeamus Vulgatam pro authentica, non eſt autẽ inconueniens quod in aliquibus locis propter

varietatem

varietatem lectionum ipſa vulgata proponatur nobis diſiunctiuè, & non determinatè, & ſi determinatè conſtet in illa diſiunctiua eſſe vulgatam, & ita quoad aliquid proponitur nobis illa regula fidei certò, & determinatè viſibiliter, quoad aliquid nondum determinatur viſibiliter, ſed ſolùm in corde Eccleſiæ ſunt principia ad id determinandum. Proponitur enim illa diſiunctiua lectionum determinatè eſſe ſcripturam, ſed non proponitur quænam ea diſiunctiuis ſit determinatè correctior. Hoc autem in paucißimis locis contingit, & in rebus parui momenti: nam quãdo non eſt aliqua magna difficultas in lectione correcta, & magna probabilitas in oppoſita, ſemper ea quæ eſt correcta, & per Eccleſiam propoſita retinenda eſt, & alia reiicienda. Imò exiſtente probabilitate lectionum in ipſo gradu probabilitatis correcta lectio præferenda eſt. Vnde Clem. VIII. in ſuo *breui ſupr cit.* tandem permittit varias lectiones ſcripturæ vulgatæ notare, non tamé in margine bibliæ, & alio genere characteris. Et denique in officiis Eccleſiæ repertæ ſunt multæ ex lectionibus antiquißimis, vt in Miſſis, quod ſignum eſt eas in ſingulari non eſſe reprobatas, quod etiam ſentit *Torres 2. 2. diſp. 32. c. 5.* Ad ſecundam, & tertiam rationé dubitãdi, *Conſtat ex dictis*, Quod correctio Sixti, & Clementis collectiuè, & ſi non ſit definita, eſt tamen propoſita iudicio Eccleſiæ, & ideò eſſet temerarium ad minùs aliam præferre, licet diuiſiuè in vno, vel altero loco aliqua altera lectio probabilitatem habeat, & quod poſſit vitiari aliquid ex iniuria Typographiæ, aut ſcriptorum non obſtat veritati ſcripturæ, nã Eccleſia habet vnde præſto emendare poſſit, & hoc quod eſt eſſe ſubiectum talibus erratis, aut vitiis eſt innata naturam talium librorum, nec oppoſitum ſine magno, & continuo miraculo contingere poteſt. Hoc ergò non officit authoritati vulgatæ.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm in Canonizatione, & beatificatione Sanctorum ſummus Pontifex errare poſsit.

1 PRimò *Supponendum eſt*, quid importet *Canonizatio*, quid *Beatificatio*? Pro quo ſciendũ eſt, quod *Canonizatio*, importat decretum aliquod, ſeu iudicium, aut teſtimonium tantæ authoritatis, quod tanquam regula, & canon ab Eccleſia proponatur circa ſanctitatem, & gloriam alicuius perſonæ. Itaque tres effectus operatur canonizatio. *Primus eſt*, determinare, & decernere, quod aliqua perſona ſit beata, & gloria Dei perfruatur. *Secundus* declarare, & proponere illum Eccleſiæ tanquam ſanctum per modum exempli imitandi. *Tertius*, proponere illum Eccleſiæ, vt colendum cultu publico, & ſolemni. Et dico *publico*, non quia ſolùm fiat coram multis, ſed quia fiat publica authoritate ipſius Eccleſiæ, & non ſolum priuata. Ita colligitur ex gloſſa *Innocentij, & cap. 1. de reliquiis, & veneratione Sanctorum*, vt docet *Syluester*, verbo *Canonizatio, & alij Summiſtæ, & Cardin. Thuſcus*, verbo *Canonizatio, concl. 41.* vbi ex *Abbate in c. 1. de reliquiis cit.* inquit, quod propriè *Canonizare* eſt aliquem per ſummum Pontificem cathalogo Sanctorum adſcribere, vt habeatur pro Sancto. Et ex forma qua ſolent Pontifices canonizationem facere, quæ videri poteſt apud *Bzauium in libro Romanus Pontifex, c. 38.* & etiam ſumitur ex variis *Extrauagant.* Romanorum pontificum, vt ex bulla canonizationis ſancti Franciſci de Paula apud *Surium die 2. Aprilis*, & habetur to. 1. *Bullarij, bulla 38. Leonis X.* Vbi per modum definitionis determinatur, & definitur ſanctum Franciſcum de Paula inter ſanctos iam acceptum, & ſanctorum chathalogo adſcribendum fore, & tanquam ſanctum colendum; Idque ſimiliter in aliis bullis canonizationum videre eſt, vbi illi tres effectus expreſsè definiuntur, ſcilicet illam perſonam eſſe iam in gloria, & pro ſancto habendum, vt eius exempla imitemur, & denique tanquam ſanctum colendum.

Ad hanc autem canonizationem ſolet præcedere quaſi duplex diſpoſitio, qua paulatim aliquis cultu aliquo incipit coli, & venerari, ſcil. *Beatificatio, & eleuatio.* Eſt autem *Beatificatio* iuxta *Cardinalem Thuſcum cit.* Canonizatio particularis in vno loco, vt dicunt doctores ex tolerantia ſedis apoſt. Vnde aliqui moderni ſolent diſputare; an *Beatificatio, & canonizatio* conueniant in hoc quod vtraq; ſit iudiciũ Eccleſiæ de beatitudine alicuius hominis, an verò ſpecie differant in eo quod vna ſit iudicium, altera ſolum permiſſio, ſeu conceſſio. Et mihi probabiliùs videtur id quod ſentit *Thuſc.* (quod ex aliquib. modernis docet *2. 2. Torres diſp. 17. dub. 3.*) ſcilicet beatificationem non eſſe iudiciũ ipſius Pontificis ſaltem vt caput Eccleſiæ, quidquid ſit an ita iudicet, vt particularis doctor, ſed eſſe iudiciũ congregationis Cardinalium ad id deputatorum cũ permiſſione; ſeu conceſſione Pontificis, atque ita *beatificatio* formaliter eſt permiſſio, ſeu facultas Pontificis, vt aliquis poſſit haberi pro ſancto, non verò iudicium determinatiuũ. *Ratio ſumitur* tum ex forma beatificationis; quæ non datur per modum declarationis, & determinationis, ſed per modum conceſſionis, audito enim iudicio congregationis Pontifex indulget, & concedit id quod petitur. *Tum quia* ſolet dari limitatè pro aliquibus prouinciis, aut regionibus, aut locis, & non amplius. Si autem eſſet iudicium determinatiuũ Pontificis ſemper eſſet vniuerſale, quia quod Pontifex iudicat tanquam caput vniuerſale Eccleſiæ, tota Eccleſia ſequi poteſt; ergò de ſe ſolùm ſe habet, vt facultas ſeu conceſſio vt aliquis colatur, habeatur pro ſãcto. Vnde vlterius ſequitur quod Põtifex in tali particulari beatificatione non iudicat ipſam perſonam eſſe S. abſolutè, & ſimpliciter, qua impoſſibile eſt quod aliqua perſona iudicetur eſſe ſancta abſolutè, & ſimpliciter, & ſolũ in vno loco eius permittatur celebratio, & cultus, & non in alio, ergò ſignum eſt quod beatificatio non fertur per modũ iudicij determinantis ipſam ſanctitatem perſonæ ſed ſolùm per modum conceſſionis, & permiſſionis, vt de ipſa celebretur, & hæc permiſſio poteſt magis vel minùs extendi, & permitti in Eccleſia. *Et hoc ideò eſt*, quĩa in iure prohibitũ eſt, ne poſſit aliquis coli vt ſanctus quantumcumq; miracula faciat, niſi authoritate Romani Pontificis, vt patet *in cap, audiuimus de reliquiis, & veneratione Sanctorũ.* Olim enim poterant Epiſcopi in ſua diœceſi concedere licentiam, vt

aliquis coleretur pro ſancto, vt ſentit *Vualdenſis lib. de Sacerdotibus tit. 14. c. 125. Bellarm. lib. 1. de Sanctiſſima Trinit. c. 8. Torres loco cit. dub. 2.* Et ex his quæ infrà dicemus, etiam aliquibus Epiſcopis, qui Sanctorum memorias fieri iubebãt apertè colligitur. Id tamen prohibuit *Alexand. III. citat. cap. audiuimus.* Hanc ergò prohibitionem Pontificem ſua auctoritate tollere, & permittere, vt aliquis colatur pro Sancto, eſt *Beatificatio*, & poteſt fieri pro aliquo determinato loco, vel pro omnibus prout Pontifici viſum fuerit, non quidem ferendo iudicium de ſanctitate perſonæ, ſed tollendo prohibitionem illam, & concedendo, vt poſſit ab Eccleſia coli plus, vel minùs ſecundum merita cauſæ.

3 Quod *Si dicas:* Nam Pontifex approbat decretum cõgregationis, qua talis beatificatio petitur, ergo iudicat, & non ſolùm permittit eius venerationem. *Et confirmatur.* Quia permiſſio, ſeu conceſſio, vt coli aliquis poſſit pro ſancto etiam in aliqua parte Eccleſiæ determinata ſupponit neceſſariò iudicium de eius ſanctitate ſiquidem Eccleſia non poteſt publicè colere eum qui ſanctus non ſit; ergò hoc ipſo quod fit talis conceſſio, conſequitur etiam de ſanctitate iudicium. *Reſpondetur*; Pontificem approbare decretum congregationis concedendo, & permittendo, non determinando, & determinando, id autem quod petitur in decreto congregationis non eſt quod Pontifex iudicet de tali ſanctitate, ſed quod facultatẽ; & conceſſionem faciat, vt veneretur à fidelibus, & licet hoc non fiat per modum iudicij determinatiui, & ſententiæ, ſed per modum conceſſionis vocari poteſt optimè *Approbatio*. Conceſſio enim alicuius petitionis vocatur *Approbatio*, non quidem confirmans, ſed permittẽs, & concedens, & quia congregatio iudicat poſſe concedi talem facultatem, Pontifex concedens dicitur approbare iudicium congregationis. *Ad confirmationem reſp.* Poſſe aliquem coli, & venerari pro ſancto, etiam ante iudicium determinatiuum, etiam abſolutum de eius ſanctitate, dummodo ex miraculis, aut aliis teſtimoniis cõſtet de eius ſanctitate, ſic ſublata prohibitione, quæ iubet id non fieri ſine authoritate Romani Pontificis, etiãſi miracula faciat, poterit Eccleſia eum colere ſicut etiam poteſt adſcribi publico Martyrologio Eccleſiæ inter alios Sanctos, etiam ante canonizationem, & tamen hoc eſt quidam cultus, ſicut fecit Clemens VIII de S. Ambroſ. Senenſi. An verò ex tali cultu Eccleſiæ præſertim ſi vniuerſaliter fiat, colligatur infallibile iudicium de ſanctitate alicuius ſtatim dicemus.

4 Eleuatio autem, quæ etiam præcedit beatificationem, & eſt diſpoſitio ad canonizationem, eſt collatio corporis alicuius perſonæ in loco ſacro decentiori, vt poſſit ibi à fidelibus aliqua ſignificatione venerationis ſpecialiùs coli, & inuocari, in quo multò minùs Eccleſia iudicium determinatiuum profert de ſanctitate alicuius perſonæ, ſed ſolùm concedit illud genus venerationis & honoris circa eius ſepulchrum fieri, quæ inchoatiuè eſt quædam teſtificatio de eius ſanctitate, non tamen determinatiuè, & completiuè. Quid autem hoc certitudinis operetur circa ſanctitatem alicuius, & cuius authoritate poſſit fieri? infra dicemus.

Quam antiqua ſit in Eccleſia Sanctorum Canonizatio.

His ſuppoſitis. Quæritur primò, Vnde ſit introducta in Eccleſia, & quam antiqua Sanctorum *Canonizatio*? Et quidem quantum ad ipſam ſubſtantiam canonizationis, ſcilicet, quod Sancti proponerentur Eccleſiæ vt colendi, & venerandi, & inter nomina ſanctorum ponerentur, & dies feſti in eorum memoriam fierent, quod eſt illos habere pro Sanctis, ita antiquum eſt in Eccleſia, quod ab Apoſtolica traditione deſcendit, habetque fundamentum in ſcriptura, nam ſæpè in ſcriptura Sanctorum virorum cathalogus recenſetur, & pro Sanctis reputantur, vt *ad Hebr.* 11. vbi multi numerantur à Paulo tanquam SS. 1 *qui per fidem vicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones, & hi omnes* (inquit) *teſtimonio fidei probati ſunt.* Similiter multi ex S. viris recenſentur à *c. 45. Eccleſ.* vſque ad *c. 49.* 2

Modus autem, ſeu ſolemnitas exercendi hanc canonizationem diuerſimodè ſe habuit à principio Eccleſiæ vſque nunc. In Eccleſia enim cœpit fieri canonizatio Sanctorum, per hoc quod eorum memoria inter Sanctos recenſerentur, & eorum dies feſti agerentur, nam apud *S. Clem. Papam, lib. 8. conſtitution. c. 33.* habetur, vt Apoſtolorum feſtis vacent ab operibus, & in die S. Stephani, ac aliorum Martyrum. Ipſe etiam Clemens, Vt refertur *in Pontificali ſancti Damaſi*, & poſtea *Anterus, & Fabianus Papa* Notarios ſtatuerunt, qui Romæ acta Martyrum exciperent eorumque agones notarent. Et quod hoc fieret, vt tales pro ſanctis numerarentur, colligitur ex *S. Cypriano, epiſt. 37. Dies* (inquit) *eorum qui excedũt annotate, vt commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare poſſimus Sacrificia offerimus quoties paſſiones, Martyrum, & dies anniuerſaria celebratione recolitur.* Et ante ipſum *Tertull. lib. de Corona militis, pro natalitiis inquit annua die facimus*, quod de Sanctorum, & Martyrum feſtis intelligendum docet optimè *Pamelius* ſuper hunc locum Tertulliani; *Origenes Homilia* 10 illud Matth. *Vox in Rhama audita* eſt, meminit ſanctorum innocentium memoriam à ſanctis patribus celebratam. Et in vita S. Gregorij Thaumaturgi, inquit S. Niſſen. *Quod ipſe diſcurrebat apud omnes populos ſanciens, vt nomine eorum, qui fide certaſſent dies feſti, atque ſolemnes conuentus agerentur.* Et eiuſdem conſuetudinis memorias Martyrum recitandi meminit *Auguſt. tract. 84. in Ioannem, & ſerm. 17. de verbis Apoſtoli* &c. *& Concilium Gangenſe can.* 10. aliaque plura antiquiora Concilia. Hic ergò fuit antiquus mos canonizandi, ſeu recipiendi aliquem in Sanctum, eius ſcilicet memoriam agere, & feſtos ei dies decernere in Eccleſia. Quod verò id non pro cuiuſque libito, ſed ex Eccleſiæ iudicio fieret, indicat locus inſignis *Optati Mileuitani, libr. 1. contr. Parmanianum*, vbi reprehendit quod quis oſcularetur os alicuius mortui, & ſi Martyris nondum tamen vindicati, hoc eſt approbati ab Eccleſia. Altera etiã conſuetudo pertinens etiam quodammodo ad canonizationẽ fuit deſcriptio Martyrũ, eorumque paſſionum in martyrologiis, hoc enim erat quodãmodo Sanctorũ cathalogo aggregare, cuius conſuetudinis initium à Leone Papa III. incepit; ipſe enim primus fuit, qui ſolemni ritu ad inſtantiam Caroli magni ſanctum Hubertum

cathalogo

Cathalogo Sanctorum adſcripſit. Poſtea *Ioannes Papa XV.* Sanctum Vdalricum in Concilio Lateranenſi canonizauit *anno* 993. Cæterum nondum ſibi Pontifices reſeruauerant tunc iſtam authoritatem, quia vt refert *Petrus Damianus epiſt. 16. cap. 29. ad Henricum Rauennatem Epiſcopum*, ſuper plurium defunctorum, quos ibi numerat, cadauera, fuerunt altaria erecta ex Sacerdotalis Concilij authoritate, & hoc erat Sanctos canonizare, concedere ſcilicet vt ſuper corpus defuncti altare erigeretur, & ferè hoc modo temporibus illis antiquis canonizationes fiebant, etiam à particularibus Epiſcopis, aut Concilijs concedendo, vt altare ſuper defunctum aliquem erigeretur, & ad eius memoriam fierent preces, & ſacrificia; non quod id pro vniuerſali Eccleſia particulares Epiſcopi ſtatuere poſſent, ſed pro ſuis particularibus Diœceſibus. Inde verò ex conſuetudine fidelium ad memoriam Sancti recurrentium fortaſſis extendebatur cultus talis Sancti, etiam extra illam Diœceſim. Cæterùm Epiſcopi particulares nunquam habuerunt ius canonizandi abſolutè, & pro tota Eccleſia aliquem Sanctum, nec enim legem ferre poterant pro tota Eccleſia. Quod autem dicit *Torres Fabianum Papam* ſcripſiſſe Epiſcopis, vt diligentiam exactam adhiberent ad proponendos Sanctos colendos, non ita habetur in Epiſt. Fabiani, quæ eſt prima inter eius epiſtolas, ſed ſolum quod acta, & geſta Martyrum excipere, non niſi fideliſſimis notarijs committatur. *Alexander autem III.* hoc prohibuit Epiſcopis, & ſoli Romano Pontifici reſeruauit in *cap. Audiuimus cit.*

Quid pertineat ad publicum cultum pro Sanctis Canonizatis?

1 SEcundo *Quæritur.* Quænam liceat in publico cultu Sanctis canonizatis in eorum honorem facere? *Bellarminus lib. 1. de Beatificatione Sanctorum, cap. 7.* numerat ſeptem, quæ in honorem Sancti canonizati fiunt. *Primum eſt*, vt ab omnibus publicè habeantur, & dicantur *Sancti*, quod eſt in Cathalogo Sanctorum adſcribere. *Secundò*, in publicis Eccleſiæ precibus, puta Litanijs, & alijs inuocantur. *Tertiò*, Templa, & Altaria in eorum memoriam erigi poſſunt. *Quartò*, Miſſæ, & Officium in eorum laudem Deo publicè offeruntur. *Quintò.* Dies Feſti in eorum memoriam celebrari poſſunt. *Sexto*, eorum Imagines cum quodam ſigno venerationis, puta cum aliquo lumine, in ſignum gloriæ pingi poſſunt. *Septimò*, eorum Reliquiæ publicè honorantur, & in pretio habentur. Hæretici cultum iſtum rident, qui contendunt Sanctis non poſſe honorem Sacrum exhiberi, & cultum Religioſum, quia proprius eſt Dei, cum oriatur à virtute Religionis, quæ ſolum reſpicit Deum, vt colendum, cum Religio, & Latria idem ſint. Cæterùm non eſt locus hîc diſputandi de cultu Sanctis debito, & quomodo Religioſus, & Sacer cultus eſſe debet; id enim diſputatur à Theologis *3. part. quæſt. 25. art. 5. & 6. & 2. 2. quæſt. 81. art. 1. & quæſt. 84 art. 4.* Illud ſolum obſeruari poteſt cultum aliquem dici poſſe Sacrum, aut Religioſum dupliciter, vel quia elicitur à virtute Religionis vel quia imperatur ab illa. *Primo modo* cultus Sanctorum non elicitur directè, & per ſe à virtute Religionis, ita quod ad Sanctos per ſe terminetur, videlicet oremus Sanctos non tamen eis impendimus cultum Religionis, vt docet *Sanct. Thom 2. 2. quæſtion. 83. art. 4. ad 1.* Poſſumus tamen actum Religionis exercere circà Sanctos, non quatenùs terminatur ad ipſos, ſed quatenùs tranſit ad Deum, in quantum ſcilicet in miniſtris Dei Deum veneramur, vt docet *Sanct. Thom. ibidem quæſt. 81. art. 1. ad 3.* Quod expreſsè etiam dicit *Ambroſius, Serm. 1. de Sanctis, & Hieronym. Epiſt. 53.* Quod honoremus Sanctos, vt honor eorum redundet ad Dominum. *Secundo autem modò*, ſcilicet imperatiuè cultus Religioſus impenditur Sanctis, quatenùs Religio imperat Duliæ, quæ eſt diſtincta virtus à Religione, vt docet *Diu. Thom. 2. 2. quæſt. 103. art. 3.* à Dulia autem procedit veneratio Sanctorum, vt docet *3. part. quæſt. 25. art. 5.* Et ita exhibetur Sanctis honos Sacer, & cultus Religioſus non quidem ab ipſa Religione directè elicitus, ſed à Dulia elicitus, & à Religione, ſeu Latria formatus, ſeu imperatus, quatenùs Sancti ſunt in ſtatu Deifico, & ipſi Deo proximè coniuncti.

De certitudine Canonizationis.

TErtiò *Quæritur.* Qua certitudine tenendum 1
ſit Sanctos canonizatos verè eſſe Sanctos, & Pontificem non errare in canonizatione eorum? In hac Quæſtione ſupponendum eſt pro certo eſſe de fide, quod Pontifex, & Eccleſia habent poteſtatem canonizandi Sanctos; eſt enim longè diuerſum Eccleſiam habere poteſtatem ad canonizandum Sanctos, & Eccleſiam non poſſe errare in ipſis canonizandis. Primum enim eſt certum, quod ſit de fide, non ſecundum; ſicuti eſt certum in Eccleſia eſſe poteſtatem Gubernatiuam, & Papam poſſe leges ferre, non tamen eſt ita certum, quod in ferendis legibus errare non poſſit, aut in cauſis decidendis. De hoc videatur *Magiſt. Bañez 2. 2. quæſt. 1. art. 1. in Commentarijs, dub. 7. & Torres 2. 2. diſp. 16. dub. 3.* Et conſtat ex Traditione antiquiſſima Eccleſiæ ſupra relata, qua Sanctos venerandos, & pro Sanctis colendos poſſe proponi oſtendimus, & ita in *VII. Synodo Generali, actione 3. §. His itaque, &c.* Dicitur Apoſtolicas Eccleſiæ Traditiones, quibus veneratio, culturaque Sanctorum docetur recipimus, & veneramur, &c. Impoſſibile eſt autem culturam, & venerationem Sanctorum exhibere, niſi pro Sanctis eos proponere, & declarare poſſet Eccleſia, aliàs nullum colere poſſet, ſi nullum, vt colendum proponere, & declarare poſſet. Vnde ipſa Eccleſiæ Traditio (vt ſupra vidimus) non ſolum Sanctos coli, ſed etiam annotari, & declarari ab Eccleſia pro talibus apertè docet, & proinde tanquam de fide tenendum eſt Eccleſiam poſſe iudicium ferrè de Sanctitate Perſonarum, iuxtà eorum merita, & miracula, aliaque ſigna oſtendentia Sanctitatem.

Dubium ergò ad hoc reducitur, An ipſum iudi- 2
cium, quod Eccleſia profert canonizando Sanctum, ſit infallibile; & quo gradu certitudinis tenendum ſit non poſſe in ea Pontificem errare? Et in hac præter Vvicleph, qui vt refert *Thomas Vualdenſis Tomo 3. de Sacramentalibus cap. 122.* Dicebat Pontificem poſſe errare in canonizatione Sanctorum, non minus quam alium quempiam hominem, qui ea hoc planè errabat quod non magis Pontifici tribuebat, quam cuilibet alteri homini, fuerunt aliqui Catholici, qui etſi exiſtiment non eſſe credendum, quod Papa erret in

canonizandis Sanctis,& ad id agnoſcont veram poreſtarem in Papa, quæ non eſt in aliis hominibos; tamen abſolutè non repugnare quod erret in tali actione, nec ad id habere infallibilem aſſiſtentiam Spiritus ſancti exiſtimant. Ita *Gloſſa in cap. vnico de reliquiis, & veneratione Sanctorum in 6. Felinus in cap. Venerabili,de teſtibus,* quem citat Couarruuias infrà citandus, *Caietanus in tractatu de indulgentiis tom. 1. Opuſc. capite* 8. fundamentum gluſſæ ſumitur *ex cap. à nobis,& 2. de ſententia excommunicationis* , vbi apertè dicitur: *Quod iudicium Dei veritati, quæ nec fallit, nec falitur ſemper innititur; iudicium autem Eccleſiæ nonnunquam opinionem ſequitur , quam & fallere ſæpè contingit, & falli.* Ex quo deſumitur vis argumenti. Quia Eccleſia in declaranda ſanctitate huius hominis in ſingulari non innititur ſacræ Scripturæ. aut tradiuoni Apoſtolicæ , vel intelligentiæ Sanctorum, ſed præcisè relationi, & informationi humanæ factæ ſuper eius vita , & miraculis quæ non excedit limites fidei humanæ; ergò ex vi huius non repugnat Eccleſiam ſequi opinionem , & conſequenter falli in tali iudicio, in his enim quæ pendent ex peculiaribus factis Eccleſia non habet infallibile iudicium. *Confirmaturque* ex illo communi dicto, quod *Auguſtino* tribuitur. *Multa corpora honorantur in terra, quorum animæ torquentur in gehenna* : ergò ſupponit *Auguſtinus* non eſſe certum quod Sancti, qui coluntur , & venerantur ſint in cœlo ita vt oppoſitum ſit error.

3 Altera ſententia,per aliud extremum exiſtimat eſſe de fide , Papam errare non poſſe in canonizatione Sanctorum,atque ita canonizatione facta eſſe de fide, quod talis Sanctus ſit in gloria. Hanc ſententiam ita explicitè pauci docent , ſolùm enim aſſirmant communiter eſſe certum , quod in canonizatione non poreſt errare Pontifex,non verò ita in particulari explicant, quod id ſit certum ſecundùm fidem. Id ergò docet expreſsè *Valentia* 2.2.*diſp.* 1. *quæſt.* 1.*puncto* 7. §. 41. *contrà magiſtrum Cano* , & eam ſententiam probabilem reputat *Torres nuper cit.* & recentiores ita ſentire dicit. *Fundamentum ſumitur*, Tum ex eo, quod aliquando Pontifex definit aliquem habendum eſſe pro ſancto , ſicut Leo X. in bulla canonizationis ſancti Franciſci de Paula fecit. *Tum quia in Concilio Conſtantienſi, ſeſſ.* 8. damnata eſt 44. *Propoſitio* Vvicleph dicentis ſanctum Auguſtinum , Benedictum, & Bernardum fuiſſe damnatos , eo qood amiſerint poſſeſſiones : *Tum etiam* quia cultus Sanctorum eſt quædam fidei proteſtatio, quæ per miracula confirmatur. & pertinet ad legem,ſeu mores vniuerſales Eccleſiæ, quia eſſet intolerabilis error, vt iudicio Eccleſiæ aliquis non Sanctus coleretur pro Sancto, & imitandus proponeretur qui eſſet damnatus : in proteſtanda autem fide , & his quæ ad eius proteſtationem pertinent, & in ferendis legibus vniuerſalibus Eccleſia errare non poteſt ſecundum fidem, eſt enim Eccleſia *Columna , & Firmamentum veritatis.* Et eſt ſancta ſecundum vniuerſalem ſtatum,quod non eſſet ſi in moribus vniuerſalibus erraret.

3 Tertia ſententia media , eſt eſſe quidem certum Papam errare non poſſe in canonizatione Sanctorum, & eſſe dignum cenſura , qui oppoſitum diceret , non tamen eſſet Hæreticus , ſed temerarius,impius,& ſcandaloſus,imò & proximus errori, aut ſapiens hæreſim. Hæc ſententia communior eſt apud recentiores : illam docet *Syluester,verbo Canonizatio*, citatque pro ea *Ioannem de Neapoli, quodlib.* 11. Sequitur eam *Couarruuias lib. 1. Curiarum cap. 1. num. 13. Sanctus Antoninus 3. part. tit. 11. cap. 8. §. 2. Turrecremata in tractatu de Eccleſia , quæſt. 51. Cano. lib. 5. de locis, cap. 5. Peña in 2. part. directorij, quæſt. 17. in fine, Magiſt. Bañez, & Torres ſuprà cit.* Et ſumitur *ex D. Thom. Quodlib 9. artic.* 16. vbi inquit : *quod canonizatio eſt medium inter iudicium Papæ de rebus fidei definiendo, & de particularibus factis,vt cum agitur de criminibus, & poſſeſſionibus , &c.* Additque; *Quia tamen honor , quem Sanctis exhibemus quædam profeſſio fidei eſt , qua Sanctorum gloriam credimus , piè credendum eſt ; quod nec etiam in his iudicium Eccleſia errare poſſit.* Vbi illa cauſalis D. Thom. ſic explicanda eſt, quod quia canonizatio eſt iudicium de honore, & veneratione exhibenda Sanctis,& talis honor exhibitus, etſi non ſit ipſa proteſtatio fidei; qua credimus gloriam Sanctorum in communi, ſed quoddam genus proteſtationis, qua in ipſo exercitio ſpecialem alicuius ſancti gloriam profitemur, ideò quaſi reductiuè pertinet ad fidem , & conſequenter piè creditur , quod non poteſt in talibus errare Pontifex,licet id certò non conſtet, ſed ſit medium inter iudicium definiens res fidei, aut ſententians cauſas particulares. Itaque fundamentum huius ſententiæ ex ipſo fundamento cenſuræ propoſitæ explicabitur. *Dicimus ergo,* Quod eſt temerarium oppoſitum aſſerere , quia eſt contrà communem intelligentiam , & ſenſum Eccleſiæ , quæ Sanctum canonizatum publicè veneratur , & pro Sancto habet, vt autem dicit *Auguſt. Epiſt.* 118. *inſolentiſſima inſania eſt diſputare an ſit faciendum quod tota Eccleſia facit.*

Et eadem ratione id ſcandaloſum eſt toti Eccleſiæ, eſt enim de genere malè ſonantium , & conſequenter ſcandoloſum audientibus. Eſt etiam impium, quia eſt contrà venerationem, & cultum ipſis Sanctis debitum; iniurioſus enim eſt Sancto, qui iudicium prolatum à tota Eccleſia de eius Sanctitate non ſuſcipit. Eſt etiam Eccleſiæ iniurius, quia eius vniuerſale iudicium non ſuſcipit : & maximè contrà honorem Eccleſiæ eſſet, & eius vilipendium , quod honoraret pro Sancto eum qui eſſet damnatus. Eſt etiam proximum errori, & ſapiens hæreſim; *Tum quia* tangit proximè poteſtatem Eccleſiæ, quam habet ad canonizandos Sanctos, ſecundum fidem ; hanc autem maximè labefactare , & tangere videtur, qui errare eam diceret in hac poteſtate, nam poteſtas errans, idem eſt, ac ſi non eſſet poteſtas. *Tum etiam,quia* in his quæ pertinent ad leges communes Eccleſiæ, & maximè quæ deſeruiunt proteſtationi fidei,ſi Eccleſia erraret, periret totum regimen Eccleſiaſticum, quod negare hæreſis aperta eſt. Canonizatio autem Sanctorum maximè accedit ad vniuerſalem legem , cum toti Eccleſiæ proponatur aliquis vt ſanctus, & ad proteſtandam fidem, quia cultus Sanctorum eſt teſtificatio gloriæ eorum, ergò proximè ad hæreſim accederet, qui id negaret; *Tum denique* , quia cùm plures hæretici canonizationes Sanctorum irrideant, & abiiciant, qui diceret non eſſe certas maximè eis faueret, & viam aperiret, vt irriderentur , & abiicerentur, & hoc eſt maximè ſapiens, & approximans ad hæreſim. Expreſſe autem non dicimus eſſe hæreticum qui id negaret,quia iuxtà *D. Thom.* canonizatio, 5

eſt

eſt medium inter iudicium de rebus fidei, & de factis particularibus, licet hoc medium maximè accedat, & participet extremum de rebus fidei: & quia non eſt in particulari definitum certò, & expreſsè, quod talis canonizatio ſit definitio fidei, ſed ſolum tanquam inconueniens ſequitur ex his quę ſunt de fide, quod in tali canonizatione poſſit dari error.

6 Ad *fundamentum primæ ſententiæ reſpondetur.* Illum textum *in cap. à nobis* loqui de iudicio Eccleſiæ quod verſatur circà facta particularia, putà circà proceſſus, & lites, & appellationes, & excõmunicationes, &c. Canonizatio autẽ tangit leges communi Eccleſiæ bono deſeruientes, & proteſtationem fidei vt dictum eſt, & ideò iudicium Eccleſiæ in illa errare non poteſt. Vnde vlterius addo non inniti hoc iudicium canonizationis teſtimonio, & informationi humanæ, pure, & preciſè ſumptæ, ſed ordinatæ ad bonum commune Eccleſiæ, & proteſtationem fidei circà gloriam Sanctorum, & ideò ſpeciali prouidentiæ Dei ſubditur, ad quam pertinet ne Eccleſia errare poſſit in tali iudicio. Sicut etiam in definiendis rebus fidei requiritur, vt humano modo procedat diligens inquiſitio, quæ de ſe non præſtat ſufficiens fundamentum definitioni infallibili, benè tamen vt ſubeſt directioni Spiritus ſancti, ne in rebus fidei, ex defectu ſufficientis inquiſitionis erretur. Et ita *D. Thom. cit. quodlib.* dicit: quod Pontifex per inquiſitionem vitæ, & atteſtationem miraculorum & præſertim per inſtinctum Spiritus ſancti eī aſſiſtentis certificatur de ſtatu alicuius Sancti non quod fiat noua reuelatio, ſed quod fiat aſſiſtentia ne in iudicio prolato ex tali inquiſitione detur error.

7 *Ad confirmationem reſpõdetur.* Illud dictum in Auguſtino non inueniri, vt etiam dicit *Bellarminus.* Sed etſi inueniretur, nihil probat. Quia *Auguſtinus*, non dicit multa corpora honorari ſecundum iudicium, & canonizationem Eccleſiæ quorum animæ torquentur in gehenna, ſed loquitur abſolutè & conſequenter intelligitur ſufficienter de his, qui non ſunt canonizati, vel etiam de his qui venerantur tanquam Sancti in Eccleſia. Sed tanquam magni, & illuſtres viri in ſæculo.

8 Fundamenta ſecundæ ſententiæ probant noſtram cenſuram; illud tamen quod dicitur de definitione *Leonis* in canonizatione ſancti Franciſci de Paula. *Reſpondetur.* Definitionem illam non accipi pro definitione fidei, ſed largo modo prout eſt idem, quod *determinatio*, ſeu *declaratio* in quacumque materia ſecundum modum definitiuæ ſententiæ, eſt enim canonizatio iudicium, & ſententia definitiua, & vltima circà ſanctitatem alicuius, & eius cultum, & ideò per modum definitionis proponitur. Itaque modum definitionis habet quantum ad rationem ſententiæ vltimæ, & non rationem definitionis de fide, & hac etiam ratione dicitur, quod firmiter & fideliter habeatur pro Sancto. & ab omnibus firmitate ſententiæ vltimæ, & definitiuæ in illo genere, non abſolute. Ad id verò quod damnauit Concilium Conſtantienſe. Dicimus, in primis Vvicleph in illo articulo abſolutè non dicebat illus Sanctos eſſe damnatos, ſed quod propter poſſeſſiones quas habuerunt eſſe damnatos, niſi pœnitentiam egiſſent atque adeo magis ad hoc reſpicit propoſitum, vt velit peccaſſe illos ſanctos in habendis poſſeſſionibus, quod eſt Hæreticum. *Item Concilium*

non omnes illos articulos damnat, vt hæreticos, quoſdam, vt temerarios, & ſcandaloſos, vt in ipſa *ſeſſion. 6.* videre eſt.

Denique, quod additur pertinere canonizationem ad vniuerſales Eccleſiæ leges, & proteſtationem fidei in quibus errare non poteſt. *Reſpondetur.* in legibus communibus ferendis pontificem dupliciter procedere, *vno modo*, quaſi *ſpeculatiuè*, id eſt, declarando modum alicuius contractus, putà quod ſit vſuarius, vel Simoniacus, &c. *Alio modo* ſolum *practicè*, id eſt ex parte prudentiæ, qua leges feruntur. *Primo modo* errare non poteſt, quia inuoluit dogma doctrinæ, non poteſt autem Pontifex vitioſa dogmata Eccleſiæ proponere in his, quæ facienda ſunt. Si autem purè præcipiendo procedit, non poteſt quidem Pontifex errare in omnibus legibus, ſeu in toto iure, quod proponit Eccleſia quaſi collectiuè; diuiſiuè autem non repugnat, quod in aliqua lege imprudenter procedat. Videmus enim quondiè vnius Pontificis legem ab eodem, vel ab alio Pontifice, etiam iiſdem exiſtentibus circunſtantiis derogari, alioquin ſingulæ leges, & capitula iuris eſſent materia de Fide. In canonizatione autem Eccleſia nullum dogma doctrinæ determinat in vniuerſali, ſed ſolum applicationem facit in ſingulari determinando hanc perſonam in particulari eſſe in gloria, & ſimiliter eſſe colendam, vt ſanctam; talis autem determinatio ea parte quidem veritatis determinatæ, & ea parte cultus exhibendi ſolum reductiuè pertinet ad fidem, quia honor exhibendus ſanctis eſt quædam proteſtatio fidei, vt docet *ſanct. Thom.* Et determinatio de gloria huius Perſonæ applicatè, & in particulari non eſt determinatio Doctrinæ, ſed applicatio ad ſingularem perſonam, & ideò non eſt directè de fide, ſed reductiuè. 9

Quid de Pontifice erga beatificationem Sanctorum.

QVartò, *Quæritur*, Vtrum in beatificatione alicuius Sancti non poſſit Pontifex errare, ſicut neque in canonizatione? *Ratio dubitandi* ex vna parte eſt, quia beatificatio non eſt iudicium, & ſententia Pontificis de ſanctitate alicuius, & cultu ei exhibendo, ſed ſolum permiſſio (vt ſuprà dictum eſt) ergò non habet infallibilitatem, ſicut iudicium vltimum, & definitiuum. *Et confirmatur.* Quia etiam in rebus fidei ſola definitio, & iudicium vltimum acceptatur tanquam certum, & infallibile, ergò à fortiori teſtimonium de ſanctitate alicuius ſolùm debet acceptari vt infallibile, quando eſt vltimum, & definitiuum, ſicut eſt canonizatio, non quando eſt ſolum permiſſio. *Et ſecundò confirmatur*, Quia poſt beatificationem fiunt adhuc nouæ inquiſitiones, & diligentiæ circà vitam, & miracula alicuius, vt procedatur ad canonizationem; ergo ſignum eſt adhuc illud teſtimonium, ſeu permiſſionem datam non eſſe omninò infallibile iudicium, aliàs ibi ſiſteretur, nec vlterius aliquid inquiri opus eſſet. *Ex alia verò parte etiam ratio dubitandi ſe offert:* Quia Pontifex non poteſt permittere auctoritate ſua, quod Eccleſia habeat intolerabilem errorem, qualis eſſet ſi coleret pro Sancto, & inuocaret eum, qui ſanctus non eſt; ergò cum beatificatio ſit permiſſio huius cultus, videtur quod in tali permiſſione non poſſit error aliquis inueniri. *Et confirmatur.* Quia Sancti pro irrefragabili argumento habent quod aliquis ſit Sanctus eo ipſo quod 1

Eccleſia celebrat de illo; ſed ex vi beatificationis Eccleſia celebrat de aliquo Sancto, ergo eſt irrefragabile, & infallibile argumentum, quod ſit ſanctus. *Antecedens patet.* Nam hac ratione colligunt Sancti eſſe certum quod beata Virgo fuerit ſancta ante ſuam Natiuitatem, quia Eccleſia celebrat tale feſtum, vt patet in *sancto Ildephonſo lib. de virginitate Mariæ, Bernardo epiſtol. 174. ſanct. Thom. 3. part. quæſtion. 27. artic. 1. in argument. ſed contr.* Ergò hoc ipſo quod Eccleſiæ authoritate permittitur celebratio alicuius, ſicut ſit in beatificatione, eſt infallibile quod ſit ſanctus.

2 Torres *vbi ſuprà diſput. 17. dub. 6.* idem ferè ſentit de beatificatione, quod de Canonizatione ſcilicet eſſe probabile, quod eſt de fide Pontificem neque in canonizatione, neque in beatificatione errare poſſe, quia vterque actus pertinet ad materiam religionis in quo Pontifex errare non poteſt Eccleſiæ proponendo id quod in ea facere licitè poteſt. Et ita inquit, multos doctos viros ſenſiſſe. Et ſecundum hanc ſententiam canonizatio, & beatificatio ſubſtantialiter non differunt, ſed in modo accidentali, & ſolemnitate maiori, vel minori. Ipſe tamen *Torres* tenet quod eſſet impium ſcandaloſum, & temerarium dicere, quod Pontifex poſſet errare in beatificatione, aut quod anima beatificati non eſſet in gloria, eſſe tamen magis temerarium, & magis ſcandaloſum id affirmare de Canonizatu, & ita ſolum certitudo canonizatu, & beatificati differunt penes magis; & minùs intra eandem ſpeciem.

3 Nihilominus ſuppoſita ſententia ſuprà probata, quod beatificatio non ſit iudicium de ſanctitate alicuius, ſed ſolùm permiſſio, vt poſſit publicè coli, & venerari, exiſtimo Pontificem practicè errare non poſſe in tali beatificatione, ita quod eſſet temerarius, & ſcandaloſus, qui talem celebrationem negaret, aut talem cultum non eſſe exhibendum. Speculatiue autem circà veritatem ſanctitatis talis perſonæ exiſtimo, quod ex vi ſolius beatificationis id non excedit latitudinem certidinis moralis, & probabilitatis maximæ, ita quod oppoſitum non eſſet cenſura dignum. Et dico *ex vi beatificationis præcisè*, quia ex alio capite, verbi gratia, ſi accedat aſſenſus totius Eccleſiæ aut maioris partis fidelium multitudo miraculorum facta in confirmationem eius ſanctitatis, & hoc longo tempore ſit continuatum, ex parte fiet longè certiùs, & qui negaret ſanctitatem talis perſonæ cum his circunſtantiis eſſet cenſura temeritatis dignus.

4 Ratio *Quæ me præcipue mouet; ea eſt*, Quia vt Eccleſia publicè celebret feſtum de aliquo tanquam de ſancto ſufficit probabilitas, & moralis certitudo de ſanctitate eius, non verò requiritur iudicium, & ſententia canonica, vt patet manifeſtè in celebratione feſti conceptionis beatæ Virginis, quod Eccleſia celebrat, & tamen ipſamet Eccleſia præcipit, ne poſſit vlla cenſura notari opinio aſſerens fuiſſe conceptam in peccato originali; ergò vt Eccleſia habeat iudicium practicum certum de celebratione alicuius Sancti non requiritur quod habeat etiam iudicium ſpeculatiuum certum de ſanctitate, ſed ſufficit moralis certitudo, aut opinio. *Item etiam videmus*, quod in materia religionis ſæpè vtitur Eccleſia ſolum opinione probabili, vt patet in diſpenſatione voti ſolemnis, & in diſpenſatione matrimonij rati, non conſummati; ſicut autem votum pertinet ad virtutem religionis, ita etiam & veneratio Sanctorum (vt ſuprà declarauimus) ergò permiſſio, ſeu diſpenſatio, vt aliquis veneretur pro Sancto non requirit maiorem certitudinem, quam moralem de eius ſanctitate,

Ad *hæc D. Thom. 3. part. quæſt. 23. art. 2. ad 2.* 5
ex eo quod Eccleſia Romana ſuo tempore tolerat celebrationem feſti conceptionis dicit eam conſuetudinem non eſſe totaliter reprobandam, nec aliquid amplius infert ex tolerantia talis celebrationis, ſed Beatificatio eſt conceſſio celebrationis de aliquo Sancto cum tolerantia Sedis Apoſtolicæ (vt ſuprà diximus ex Cardinali Thuſcho) ergò ex vi præcisè beatificationis non infertur, niſi quod talis conſuetudo non ſit reprobanda, non vero quod ſit omninò certum, quod perſona beatificata ſit in gloria, taliter quod oppoſitum ſit cenſurabile. *Et denique* veneratio quæ exhibetur beatificatis aliquando fuit permiſſa fieri ab Epiſcopis in Eccleſia, & tunc certum eſt quod ad venerationem exhibendam alicui ſufficiebat moralis certitudo, nam Epiſcopi non poterant definire de fide, aut certum reddere, quod illi eſſent in gloria; ergò de ſe talis beatificatio non petit niſi moralem certitudinem de alicuius gloria, imò in rigore loquendo permiſſio celebrandi de aliquo poteſt ſtare cum certitudine, quod non ſit adhuc in gloria, dummodo conſtet eſſe ſanctum; ſicut permittit Eccleſia, quod celebretur de Elia in ordine Carmelitarum, quem tamen conſtat nondum eſſe beatum. Aliud eſt ergò celebrationem de aliquo permittere, aliud iudicare, & habere pro infallibili, quod ſit in gloria.

Ad *Rationem factam in oppoſitum: Reſpondetur.* Pontificem non permittere errorem aliquem in materia religionis, quando permittit celebrari de aliquo, quem iuxta moralem certitudinem conſtat eſſe ſanctum. Nec requiritur quod id conſtet certitudine infallibili, nam etiam aliqui cenſent id ſufficere de Sancto canonizato, vt *Caietanus, & Gloſſa ſuprà citat.* Et *Couarruuias* dicit in loco ſuprà allegato. Quod etiam ſi admittatur illa opinio nihil officit certitudini canonizationis, quia iudicium Eccleſiæ fertur ſuprà ſanctitatem morali certitudine cognitam. Vndè Pontifex practicè non errat in huiuſmodi conceſſione, quia practica certitudo eſt prudentialis certitudo, quæ ſufficienter fundatur in certitudine morali de eo quod eſt, vel non eſt in ſe circà talem ſanctitatem, ſicut nec in aliis quæ ad religionem concernunt in quibus ex ſola probabili aut morali certitudine ducitur, vt oſtendimus. *Ad confirmationem reſpondetur.* Quod celebratio Eccleſiæ de aliquo poteſt eſſe dupliciter: *Vno modo* ſimul cum iudicio poſitiuo de tali ſanctitate, aut aſſenſu vniuerſali Eccleſiæ de tali celebratione abſolutè, & ſine aliqua declaratione. *Alio modo*, poteſt eſſe celebratio de aliquo Sancto ex ſola conceſſione, & permiſſione Eccleſiæ, ſine vniuerſali aſſenſu totius Eccleſiæ, & iudicio de tali ſanctitate, aut cum declaratione aliqua ſpeciali ad oppoſitum. 6

Dico ergò, quod ſi celebratio Eccleſiæ de aliquo fiat abſolutè à tota Eccleſia ſine aliqua declaratione, aut cum iudicio definitiuo Eccleſiæ de tali celebratione, & ſanctitate perſonæ, ſicut fit in canonizatione, ex tali celebratione infertur optimè ſanctitas alicuius, & ſic *ſanct. Thom. cit. loco articul.* 1. ex celebratione abſoluta Eccleſiæ circà natiuitatem Virginis infert eius ſanctitatem. 7

Si

Si tamen Eccleſia non vniuerſaliter celebrat, ſed tolerat, aut permittit aliquos celebrare, inde non infertur omnimoda certitudo de ſanctitate talis perſonæ, ſed ſolum quod talis conſuetudo non ſit reprobanda, vt *articul. 2. ad 3. ait ſanct. Thom.* Et ita ſe habet beatificatio in qua non habetur iudicium, ſed permiſſio Eccleſiæ, nec ſemper eſt reſpectu vniuerſalis Eccleſiæ abſolutè, ſed reſpectu aliquarum perſonarum tantùm. Et licet Eccleſia vniuerſalis celebret, ſi tamen ſpecialem declarationem habet, quod non intendit damnare oppoſitam opinionem, ſicut fit in celebratione feſti conceptionis, adhuc ex tali celebratione cum tali declaratione non infertur cum omnimoda certitudine talis ſanctitas.

8 *Quod ſi adhuc dicas.* Nam permiſſio celebrandi de aliquo beatificato ſupponit atteſtationem miraculorum eius; ex miraculis autem poteſt colligi de fide aliquem eſſe ſanctum. *Reſpondetur;* Talia miracula ſolum morali certitudine conſtare, cum probentur teſtimonio humano, & & ita per ſe ſolùm non faciunt fidem diuinam, Et deinde ſola miracula non probant ſanctitaté, cum non ſancti aliquando faciant miracula, quando ordinantur ad confirmationem Doctrinæ tantùm, ſi autem ordinentur ad confirmationem ſanctitatis perſonæ tunc oſtendunt eam ſanctam, vt docet *ſanct. Thom. 2. 2. quæſtione centeſima ſeptuageſima-octaua, articulo ſecundo.* Non autem conſtat, niſi certitudine morali, quod iſte beatificatus fecerit miracula ad confirmationem ſuæ ſanctitatis, an verò ſolum ad confirmationem doctrinæ nam ſi conſtaret, eſſet omninò certum; quod eſſet ſanctus, vt diximus.

Quid de cultu Fidelium ergà Beatificatos.

1 QVintò *Quæritur,* ſuppoſito quod Pontifex per beatificationem permittit cultum illius Sancti, & conſequenter indicat ſufficiens eſſe Fundamentum ad talem cultum, an poſſint omnes deferre illi cultum religioſum ſaltem in eo in quo non prohibentur per litteras beatificationis, licet expreſsè non concedatur, ſupponimus in conceſſione Beatificationis aliquando cum reſtrictione concedi licentiam, huiuſmodi, vel cum reſtrictione loci, vt ſcilicet in tali Eccleſia, vel tali regione aut prouincia celebretur, vel cum reſtrictione temporis, vt ſcilicet tali die, aut diebus celebrari poſſit: vel cum reſtrictione perſonarum, vt ſcilicet à talibus perſonis poſſit celebrari: vel cum reſtrictione cultus, vt ſcilicet talis cultus poſſit exhiberi, & non amplius. & loquimur de cultu publico, qualis eſt, qui beatificatis defertur, ſupponimus etiam nullam eſſe difficultatem ſi reſtrictio fiat cum expreſſa prohibitione, vt ſi concedatur licentia celebrandi de aliquo tali die, aut à talibus perſonis, cum prohibitione ne alio die, aut ab aliis perſonis id fiat; ſed ſolum procedit difficultas; quando conceditur facultas cum aliqua reſtrictione, *verbi gratia*, celebrandi tali die, vel à talibus perſonis, & nihil prohibetur circà alias perſonas, vel alios dies.

2 Dico ergò, quòd in tali caſu ſolum licet eo modo, & illo cultu publicè venerari talem Sanctum, ſicut à Pontifice conceditur: reliqua verò etſi ibi expreſsè non prohibeantur, non poſſunt licitè eis exhiberi. *Et fundamentum* ſumitur ex

Ioan. à D. Thom. 2. 2. D. Thom.

prohibitione iuris communis facta ab *Alexandro III. in capit. audiuimus ſæpè citat.* Quod non liceat ſine authoritate Romani Pontificis aliquem venerari pro Sancto; ergò in eo ad quod talis auctoritas non ſe extendit, ſed reſtringitur, non licet venerationem exhiberi, quia quicquid amplius fit ſine auctoritate Romani Pontificis fit. *Nec obſtat.* quod facta beatificatione ſupponitur talem hominem eſſe in gloria, & ſic poteſt ei deferri cultus. *Non inquam obſtat.* Quia cultus publicos non ſolum requirit quod homo ſit in gloria, ſed etiam iudicium aut licentiam Eccleſiæ quæ quoad hoc eſt reſtricta.

Vnde ſequitur, quod ſi reſtrictio ſit circà diem, vt ſi concedatur à Pontifice, quod certo die poſſit celebrari de aliquo Sancto, non poteſt facta celebratione alio die, etiam per modum deuotionis & miſſæ votiuæ de eo celebrari. Et præter fundamentum poſitum extat reſponſio ſacræ congregationis Cardinalium, qui conſulti, an liceret miſſam votiuam de Sancto non canonizato celebrare? reſpondit, non licere. Miſſa autem votiua celebratur extrà proprium diem. Et hanc declarationem affert *Torres vbi ſupra dub.* 8. Maior tamen difficultas eſt, an liceat tunc transferre talem diem, qui deſignatur pro celebratione Sancti, vel ſi ex ignorantia, aut negligentia omittatur celebratio illa die poſſit alio die celebrari. Et aliqui cenſent id non licere, quia iſta facultas ſuppoſita prohibitione iuris communis ſit quaſi diſpenſatio, & priuilegium; Priuilegium autem ſit ſtricti iuris, non operatur vltrà formam ſuæ conceſſionis, quare ſi deſignat diem in quo poſſit celebrari, tranſacto illo die ceſſat permiſſio, & licentia celebrandi. 3

Nihilominus oppoſitum etiam videtur probabile, quia conceſſio celebrandi illo die, ſi aliud non explicatur, intelligenda eſt iuxtà communes rubricas, quod celebretur tali die, ſi non ſit impedimentum, aliàs transferri poſſit; præſertim, quia intenſio conceſſionis primò, & per ſe hoc videtur reſpicere, quod ſolum vno die celebretur, ſiquidem congregatio quando cenſet non licere miſſam votiuam celebrare de Sancto non canonizato, ſupponit proprium diem ſemper ſaluum manere, ita quod celebrato die proprio, ſeu feſtiuitate propria per modum voti, aut deuotionis non liceat celebrare. Circà ipſum autem diem, proprium, quod poſſit, vel non poſſit transferri, nihil decreuit. vnde cum fauores ſint ampliandi celebratio diei proprij non eſt intelligenda ita reſtrictè, quod debeat eſſe propria ſecundum computum menſis, quaſi mathematicè, ſed propria ſecundum modum celebrationis Eccleſiæ, quod impedito die cenſetur adhuc proprius dies eſſe illa in quam primò transferri poteſt. Tutius tamen eſſet in hac parte conſulere congregationem, quia res eſt magni momenti, & expoſita periculo ne celebretur tali die, in quo non licet ſine auctoritate Papæ. Celebratio autem cum octaua ſi non ponatur reſtrictio, ſed concedatur celebratio de aliquo Sancto; poſſet octaua celebrari, quia quamdiu non ponitur reſtrictio, intelligitur facta conceſſio iuxtà formam rubricæ communis, iuxtà quam de talibus, aut talibus Sanctis licet octauas celelebrare. Si tamen deſignatur certa dies celebrationis, putà quod in die obitus celebrari poſſit, non eſt licitum extendere ad octauas, quia octauæ non ſunt dies obitus, & ita ſeruatum eſt in beatificatione prima ſancti Ignatij, quæ 4

conceſſa eſt pro die obitus & fuit neceſſaria alia licentia pro octaua celebranda vt aduertit *Torres* vbi ſupra.

5 Sequitur *Præterea*, Quod ſi conceditur Beatificatio pro Religioſis certæ Religionis, aut pro hominibus certæ Prouinciæ, vt quod Sacerdotes talis religionis poſſint de illo Sancto celebrare, nullis alijs Sacerdotibus id licet. Vnde nec etiam ad cantandum ſolemniter miſſam poteſt alius Sacerdos ſubrogari; quia in tali licentia ſtandum eſt præciſè verbis conceſſionis, ſine qua non licet deferre illum cultum publicum alicui Perſonæ ea prohitione iuris communis, quæ ſolum intelligitur quantum ſonat licentia, & conceſſio, & non amplius. Si autem concedatur reſtrictio ex parte loci, ſed non ex parte Perſonarum, vt quod tali die in. Eccleſia tali liceat celebrare Miſſam de tali Sancto, videtur quod omnes Sacerdotes poſſint ibi celebrare, cum ſit licentia ſine reſtrictione perſonarum, & vbi Ius non reſtringit, nos reſtringere non debemus, præſertim in fauorabilibus.

6 Denique, ſi concedatur cultus cum reſtrictione, v. g. quod liceat celebrare Miſſam, & nihil dicatur de alio genere cultus publici, putà quod poſſit appellari Sanctus, in Litanijs poni eius nomen, pingi cum lumine, &c *Torres* vbi ſupra cenſet non licere alium cultum exhibere, quam qui in decreto Beatificationis conceditur propter Fundamentum poſitum, cenſetur enim alius cultus prohibitus hoc ipſo, quod eſt reſtrictus. Ex vſu tamen, & praxi communi videmus aliqua ſpecialia ſigna cultus publici exhiberi Beatificatis, quorum non ſit expreſſa mentio in Decreto Beatificationis, nam ſolent deferri eorum Imagines, aut Reliquiæ in ſolemni proceſſione, & in Templo, aut Altari collocari, & cum lumine pingi, &c. Quare iſta damnanda non ſunt, etſi in Decreto non exprimantur, quia videntur quaſi connexa cum celebratione Miſſæ, & recitatione Officij; ſi enim in eorum honorem Sacrificium, & officium Deo offertur, per ſe eſt connexum, quod in Templo, & in Altari vbi tale Sacrificium, & officium dicitur, ſpeciali ſigno honoris eius imago collocetur, in cuius honorem talis publicus cultus exhibetur. Alij verò cultus, qui non habent iſtam connexionem cum celebratione Feſti, vt inuocare eius nomen in publicis Litaniis, (hoc enim in canonizatione facit Pontifex, quod eos nominent in Litania.) Nominare illum vocabulo *Sancti*. ſecundum quod hoc nomine intelligimus Canonizatum, vt diſtinguitur à Beato, & alia ſimilia, quæ nec communis praxis admittit, nec in Decreto Beatificationis conceduntur, non licet ei exhiberi, propter reſtrictionem illam, & ſtylum, atque vſum Curiæ.

De Cultu erga non Beatificatos.

1 VLtimo *Quæritur*, An liceat authoritate priuata, vel etiam Epiſcopi, aliquem cultum exhiberi Perſonis, neque canonizatis, neque beatificatis; & quis cultus ille ſit? Communis ſententia eſt licere cultum priuatum illis exhibere, non publicum, vt docet *Sylueſter, verbo Canonizatio*, & ibidem *Summa Armilla, & Tabiebiena, Bellarminus lib. 1. de Beatitudine Sanctorum cap. 1. Torres ſupra citatus, dub. 9.* Et alij. Tota vero difficultas eſt, Quid ſit iſte cultus priuatus, & publicus, & ad quid ſe extendat? Cultus enim dupliciter poteſt dici *publicus*, aut quia à publica authoritate ſolemnizatus, aut quia fit coram multis, & non ſecreto, Et Aliqui Canoniſtæ cenſent *publicum cultum* debere intelligi illum, qui opponitur ſecreto, & fit coram multis, vt colligitur ex *Ioanne Andrea, Hoſtienſi*, & alijs ſuper *Cap. 1. de Reliquijs, & Veneratione Sanctorum*. Alij vero, & meliùs, præſertim Theologi intelligunt per *publicum Cultum* illum, qui authoritate publica inſtitutus eſt ad colendos Sanctos, de quo ſupra *articulo* 2. Et ita *priuatus Cultus* non eſt idem quod *ſecretò factus*, ſed ille qui nec requirit miniſtrum publicum ad ſui exhibitionem, ſicut ſacrificium; nec formam habet Cultus ab Eccleſia inſtituti, ſicuti eſt Officium diuinum, & alia quæ ab Eccleſia ſolemnizantur, & in peculiare ſignum Sanctitatis alicuius ſunt deſtinata.

2 Ita *ſentiunt Bellarminus ſupra cita. & Torres, & Auguſtinus de Ancona in Summa de Poteſtate Eccleſia, Quæſt. 19. artic. 5. in fine.* Ratio eſt euidens. Quia Viris Sanctis dum viuunt licitum eſt exhibere aliquem priuatum cultum, ſicut oſculari manum, & genuflectere, venerari aliquam Reliquiam, rogare vt pro nobis intercedant, & hoc etiam coram multis, aut nos eis etiam abſentibus commendare, vt pro nobis intercedant; ergo idem à fortiori licebit poſt mortem. Conſtat etiam ex multis proceſſibus factis pro canonizationibus Sanctorum, quod inter alia proponitur de concurſu, & deuotione populi ad ſepulchrum: & communiſſimum eſt inuocare Sanctos, etiam non Beatificatos, vt interceſſione eorum, Deus aliqua miracula faciat, nec enim ad Beatificationem, aut Canonizationem proceditur, niſi ſupponendo miracula alicuius Sancti, nec iſta fiunt ordinariè poſt mortem, niſi inuocando talem Sanctum, & ei reuerentiam exhibendo. Licitum ergo eſt priuatis iſtis orationibus ſe commendare tali Sancto, atque adeo ei aliquam reuerentiam exhibere.

3 Ad *Quid autem*, & quantum ſe poſſit extendere iſte priuatus cultus? *Reſpondetur*. Nihil poſſe exhiberi Sanctis non canonizatis, quod ab Eccleſia authoritate ſua ſit inſtitutum, aut deſtinatum pro celebratione Sancti, vt celebratio Miſſæ, aut officij Diuini, aut publicis precibus, id eſt Litanijs, nominari, Hæc enim omnia, nec in ſecreto licet facere pro non Beatificatis, quia quãuis ſecretò fiant, eſt tamen cultus authorizatus, & ab Eccleſiæ poteſtate, quæ publica eſt, deſignatus. Vnde nullus magis conuenit Sanctis ab Eccleſiæ iudicio receptis, quam cultus Eccleſiæ iudicio inſtitutus. Similiter neque illa ſigna, quæ ſpecialiter ab Eccleſia ſunt inſtituta pro deſignanda Sanctitate alicuius, vt quo pingatur cum lumine, quod ei Altaria, & Templa dedicentur. Imò etiam in Altari priuato non licere eam ſolam ponere, aut cum lumine, exiſtimat *Sanchez, lib. 2. Decalogi, cap 43. numer 7. cum Philarchio, de Officio Sacerdotis, Tomo 1. part. 2 lib. 3. cap. 9. Barboſa in Remiſſionibus Concilij Tridentin. ad Seſſion. citat.* 23. Quæ omnia benè deducit *Bellarminus cap. 10. citat. & torres vbi ſupra*. Et ex dictis patent; Quia ſunt cultus publicæ authoritatis. Licebit tamen ad eius ſepulchrum cereos, & lumina accendere, tabellas in memoriam beneficij, aut miraculi ponere, ſepulchrum ſpecialiter venerari, aut adornare,

preces

preces priuatas, & non iuxta ſtylum Eccleſiæ ordinatas, ei offerre. Hæc enim omnia excedunt rationem priuati cultus, cum fiant in ſignum gratitudinis, aut deuotionis particularis, & cerei etiam in defunctorum exequijs accendantur. Imò ex vſu Eccleſiæ conſtat in proceſſibus pro canonizatione ſanctorum, vt in his qui facti ſunt pro ſancto Raymundo, & ſanct. Hyacintho, & ex bulla canonizationis ſancti Petri Martyris. Et ex *Sancto Antonino 3. part. Hiſtor. titulo 23. §. 4. in fine*, colligitur quod illæ tabulæ, aut cerei, aut deuotio ſpecialis habebatur ad ſepulchra talium Sanctorum, etiam antequam beatificarentur, ſiquidem id referebatur in proceſſu pro eorum beatificatione, aut canonizatione; nec vt iſta donaria deferantur, requiritur quod prius facta ſit probatio vitæ per Epiſcopum.

4 Obſeruandum tamen eſt decretum *Concilij Tridentini ſeſſion. 25. in principio*. Vbi præcipitur, vt nouæ reliquiæ, & miracula non admittantur, niſi Epiſcopo recognoſcente, & approbante. Sed hoc de reliquijs ſanctorum canonizatorum, quæ de nouo inueniuntur intelligi cenſet *Azor. 1. part. lib. 9. cap. 8. quæſt. 8. & Sanchez lib. 2. decalogi, cap. 43. nu. 10.* Et fundamentum eſt. Quia concilium Lateranenſe, vt habetur in *cap. cum ex eo de reliquijs*, prohibet vt inuentas de nouo reliquias nemo venerari præſumat, niſi authoritate Romani Pontificis fuerint approbatæ. Quam conſtitutionem non abrogauit *Trident.* cum dicit, quod in nullo loco, vel Eccleſia, etiam exempta, nulla inſolita ponatur imago, niſi ab Epiſcopo probata fuerint, nec noua miracula eſſe admittenda, nec nouas reliquias recipiendas, niſi Epiſcopo approbante; nam concilium in initio capitis dicit, vt inſtruantur fideles de honore reliquiarum, & inuocatione Sanctorum, iuxta decreta ſanctorum Patrum, & Conciliorum, & vt derogaret legem latam in concilio generali deberet de illa facere ſpecialem mentionem, vt eſt communior ſententia doctorum. Solum ergo concilij decretum intelligitur de reliquijs Sanctorum, qui iam canonizati ſunt. Hæc omnia ſpecialius ſubmittimus ſanctæ Matris Eccleſiæ correctioni, nam in his maximè eius ſtylus tenendus eſt.

5 Quæ doctrina mihi maximè probatur & ex illa colligo non poſſe authoritate Epiſcopi ſine commiſſione Romani Pontificis corpus, aut reliquias Sancti non beatificati eleuari, & proponi in Eccleſia, vt venerandas, ſed iuxta ius commune textus allegati debere id fieri authoritate Romani Pontificis. An verò eius legati, aut nuncij ad id poteſtatem habeant, debet penſari ex ſpeciali eorum commiſſione: iam de iure communi id non poſſunt, cum diſpenſare non poſſint in hiis quæ de iure communi Papæ reſeruata ſunt, niſi ad id ſpecialem commiſſionem habeant. Plura de canonizatione Sanctorum legi poſſunt in Bullis Pontificum, præſertim *Tomo 1. Bulla 1. Celeſtini III. Gregorij IX.* Et exinde vſque ad canonizationem ſancti Caroli habentur 42. Canonizationes (quæ facta eſt in anno 1610.) & in his poſtetiotibus, conſueuerunt Romani Pontifices ſemper per modum definitionis determinare quod talis ſit ſanctus.

ARTICVLVS III.

Vtrùm in ferendis legibus pro vniuerſa Eccleſia, & religionibus approbandis Pontifex errare poſſit?

IN hac re eſt communis Theologorum ſententia Papam errare non poſſe in legibus, quas vniuerſali Eccleſiæ proponit, & ad bonum commune ordinantur. Illam tanquam de fide docuit *Sanct. Antoni. 3. p. tit. 12. cap. 8. §. 2. & Caie. lib. 5. de locis cap. 5.* dixit parum à fide diſtare. Cui accedunt *Mag. Bañez in prioribus Commentarijs art. 10. dub. 6. & Molina lib. 2. de Iuſtitia diſp. 325. Bellarm. lib. 4. de Romano Pontifice cap. 5. Suarez Tomo de fide diſp. 5. ſect. 8. num. 7. Torres diſp. 16. dub. 2.* Qui in hac parte maximè Caietanum pungit. Vt tamen clarior iſtius habeatur notitia duplex eſt in hac parte ſententia. Prima eſt *Caietani Tomo 2. Opuſc. tract. 6. cap. 2.* Vbi agens de contractu *Montis pietatis*. An ſit vſurarius? Exiſtimat Quæſtionem, ſeu determinationem, rerum moralium, vt quod iſte contractus ſit vſurarius, aut non, per accidens, & non ſimpliciter pertinere ad Papæ iudicium, ſcilicet quia ſibi promiſſa eſt omnis veritas de neceſſitate ad ſalutem, & non omnis veritas naturaliter ſcibilis, aut moralis: ſi illud neceſſarium certa ratione neſcitur, aut ſi ab omnibus non capitur, ſic pertinebit ad Eccleſiæ iudicium. Vnde inquit, Quod ſicut in rebus fidei Summi Pontificis authoritas omnibus rationibus præeſt, ita ſupra ipſum in his ſcibilibus obtinet ratio lumine naturali roborata. Hæc eſt Caietani ſententia, non quam illi imponit *Torres* infra citandus, quod videlicet dixerit definitionem Leonis X. in concilio Lateranenſi, qua definiuit *Montem pietatis* non eſſe vſurarium, non eſſe definitionem fidei. Hoc *Caietanus* in illo tractatu non dixit, nec dicere potuit, cum talem tractatum ediderit longè ante leonem X. & Concil. Lateranenſe.

2 Caietano ſubſcribit *Mag. Soto lib. 6. de iuſt. quæſt. 1. art. 6.* qui dicit à Leone X. non fuiſſe approbatas omnes conditiones illius contractus *Montis pietatis*, ſed quatenùs ſacris Canonibus non eſſent contrariæ, additque eandem doctrinam *Caiet.* quod licèt Pontifex habeat ſummam authoritatem ad condendas leges, tamen quæſtiones morales naturaliter ſcibiles, & quæ non deducuntur ex ſacra ſcriptura, ſicut an ſint tales contractus vſurarij, nec ne, non videtur pertinere ad Pontificem. Addit tamen *Soto* in fine articuli non expedire quod omnes contractus vſurarij definiantur tanquam de fide ſi tales ſunt, quia ex ſola Philoſophia dependent, & Spiritus ſanctus ſolùm intendit ſacram ſcripturam Eccleſiæ exponere, & leges neceſſarias ſancire. Quare *Soto* videtur admittere, quod in legibus neceſſarijs à Spiritu ſancto infallibiliter doceatur Eccleſia, ſicut & *Caietanus* quod omnes veritates neceſſariæ eam docet. Vnde non videtur eſſe contra communem ſententiam, nec ita debuiſſe eorum doctrinam mirari *Torres*.

3 Eſt ergo ſecunda, & communis Theologorum ſententia ea quam in initio dubij iſtius retulimus. Vt autem fundamentum illius expendatur, notandum eſt id quod etiam aduertit *Suarez cit. & Bañez*, non eſſe inconueniens quod Pontifex errare poſſit in aliquibus circonſtantijs le-

gum quas ſtatuit, putà multiplicando præcepta, aut nimium rigorem, vel pœnas infligendo; non tamen poſſe errare in ipſa ſubſtantia, & moralitate legis ſanciendo contrà honeſtatem morum, aut proponendo inhoneſta pro honeſtis. Itaque in legibus quas Eccleſia proponit poſſumus diſtinguere, vel moralitatem earum quaſi ex parte obiecti, vel applicationem earum ad perſonas hic, & nunc, vel circumſtantias, putà rigorem, aut pœnas, &c. Quæ duo pertinere videntur quaſi ad prudentiam, executionem, & directionem legis magis quam ad ſubſtantiam.

4 Dicimus *ergò*: Quod in eo quod pertinet ad ſubſtantiam, & moralitatem legis, quam Pontifex communiter proponit, quaſi regulam morum ſequendam, hæreſis eſſet aſſerere Eccleſiam errare poſſe, ita vt aliquid pernicioſum, aut contrà bonos mores, vel ius naturale, aut diuinum permitteret, aut præciperet. *Fundamentum eſt.* Quia ad authoritatem Pontificis pertinet paſcere oues Chriſti quæ non ſolum doctrina fidei, ſed etiam regulis morum paſcuntur; ergò ſicut errare non poteſt in paſcendis ouibus quantum ad fidem, ſic neque in paſcendis quantum ad regulas morum. Vnde & Dominus dixit Matth. 23. *Super chathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi; omnia ergò quæcumque dixerint ſeruate, & facite.* Seruare autem & facere pertinet ad mores: ergò ſi illa omnia ſeruanda ſunt, neceſſe eſt quod non ſint pernicioſa, & contrà ius, ac bonos mores. *Item* de fide eſt Eccleſiam eſſe ſanctam; ergo oportet quod non erret in regulis morum; ſi enim admitteret aliquid inhoneſtum, & malum tanquam regulam, ſancta non eſſet. Si autem Eccleſia errare non poteſt in regulis morum, neque eius caput vniuerſale in quantum caput, quia Eccleſiæ vniuerſalis authoritas in capite eſt, & eius doctrinam ſequi debet Eccleſia. *Denique* non minus eſt neceſſaria ad ſalutem rectitudo morum, quàm certitudo fidei, ergò ſicut Pontifex ex ſua ſuprema auctoritate non poteſt errare in tradenda certitudine fidei, neque in tradenda rectitudine morali. Sicut ſi in doctrina morali de Sacramentis, vt de non communicando laicis ſub vtraque ſpecie erraret, eſſet error pernicioſus, quia deſtructa religione ſacramentorum, quæ ex eorum cultu pendet etiam fides deſtruitur.

5 Nihilominus circà applicationem prudentialē ad ſingulares perſonas, aut ſententiandū aliquid, vel circà circunſtantias legum, non eſt inconueniens Pontificem errare poſſe, quia hæc communiter pendent ex teſtimonio hominum fallibili, vt docet *D. Thom. quodlib. 9. articul. vltim.* Et conſtat ex ſcriptura poſſe diſpenſatorem præpoſitū Eccleſiæ eſſe infidelem, vt colligitur ex parabola Math. 24. *Si dixerit malus ſeruus in corde ſuo, moram facit Dominus meus, & cœperit percutere conſeruos, &c.* Item 1. ad Corinth. 4. *Sic nos exiſtimet homo vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei. Hic iam quæritur inter diſpenſatores, vt fidelis quis inueniatur.* Non ergò repugnat in diſpenſando eſſe infidelem, & imprudentem Pontificem; diſpenſatio autem pertinet ad applicationem. Et denique colligitur *ex cap. Si quando de reſcriptis*, vbi dicit Pontifex: *aut mandatum noſtrum reuerenter adimpleas, aut per litteras tuas quare adimplere non poſſis rationabilem cauſam prætendas, quia patienter ſuſtinebimus ſi non feceris, quod praua nobis fuerit inſinuatione ſuggeſtum.* In quo textu fundatur quod liceat ſubditis ſupplicare Pontifici de legibus à ſe latis, vt illas non recipiant, atque adeò ſupponitur in his poſſe imprudentialiter errare propter malam applicationem, aut ex ignorantia, aut ex malitia ortam. Et *in cap. à nobis, 2. de ſententia excommunicationis*, dicitur. Quod iudicium Eccleſiæ opinione quandoque ducitur, quam & fallere ſæpè contingit, & falli. Conſtat ergò Eccleſiam in pœnis ferendis, aut applicandis legibus, aut in iudiciis forenſibus, & in his quæ pendent ex informatione, aut veritate facti poſſe falli; & ideò ſæpiſſimè leges Pontificis derogantur, aut reuocantur, vel ab eodem, vel ab alio. In illis tamen legibus, quæ toti Eccleſiæ proponuntur vt quæ fiunt in Concilio generali, aut ſunt redactæ in corpus iuris, difficilius admittitur etiam prudentialis error, propter approbationem generalem quam habent, & ideò non poſſunt derogari niſi ſpecialis de illis mentio fiat, vt colligitur apertè ex *cap. ex parte de capellis monachorum, & cap. fin. de pœnitentiis, & remiſſionibus in 6.* Et tenent communiter Doctores, quos citat *Sanchez. lib. 3. de matrimonio diſp. 26. num. 7.* 6

Ex dictis infero non poſſe Pontificem errare in approbatione alicuius religionis, & qui oppoſitum diceret adminùs tanquam temerarius, & ſcandaloſus, & errori proximus haberetur: nam *D. Thom. opuſc. 19. c. 4.* immediatè ante ſolutionem argumentorum ſic dicit: *In iure videlicet 25. q. 1. dicitur nulli fas ſit ſine ſtatus ſui periculo, vel Diuinas conſtitutiones, vel Apoſtolicæ Sedis decreta temerare: cum ergo per Apoſtolicam ſedem religiones aliqua inſtituta ſint, ad prædicta manifeſtè ſe damnabilem reddit, quicunque talem religionem damnare conatur.* Hæc *D. Thom.* Quid autem intelligat per ly *Damnabilem* S. doct. non explicat, ſed videtur loqui de doctrina damnabili, atque adeò ad minus errori proxima, ſequuntur *Diu. Thom.* Recentiores vbi ſuprà, & *Azor. ſecun. 2. lib. 5. c. 7.* vbi temeritatis, & erroris oppoſitum notat contra *magiſt. Cano lib. 5. de locis c. 5.* qui ſatis audacter aſſerit aliquos ordines ab Eccleſia non ſolum inutiliter, ſed etiam noxiè approbatos. Sed hoc meritò cenſuræ ſubiicitur, & fundamentum ſumitur ex dictis. quia Eccleſia approbando religionem aliquam proponit illam omnibus fidelibus tanquam regulam, & viam perfectionis, ita vt liberum ſit vnicuique eam ſequi non ſolum tanquam aliquid pertinens ad communia præcepta, ſed pertinens ad conſilia, & ad perfectionem; ergo ſi Pontifex erraret in huiuſmodi approbatione proponendo aliquid noxium, & inutile pro vera, & legitima regula perfectionis religioſæ falleretur Eccleſia in re magni momenti, quia proponeretur aliquid omnibus fidelibus, vt regula ſanctitatis, vbi ſanctitas non eſſet: quicumque enim fidelis religionem approbatam ingredi poteſt tanquam viam quandam perfectionis. Inconueniens autem eſt, quod aliquid proponatur, vt exemplar ſanctitatis, & regulam perfectionis proponi toti Eccleſiæ, & cuicunque volenti ingredi illam, in qua perfectio non inuenitur. Sicut etiam inconueniens eſt aliquem proponi vt Sanctum, qui ſanctus non ſit, eo quod proponitur vt exemplar imitandum à tota Eccleſia; ſic religio proponitur vt regula ſequenda ab omnibus, quam qui ingreditur perfectionem profitetur. Magnum ergò inconueniens eſſet aliquid tale proponi, quod reuera noxium eſſet, & ad perfectionē non tenderet. Et hoc intelligendum eſt ſicut conclu

concluſio ſupra poſita de approbatione religionis quantum ad ſubſtantiam, non ſolùm quoad tria vota ſubſtantialia, ſed quoad bonitatem, & moralitatem ipſius regulæ, & ſtatutorum, quæ pro ea non approbantur, vt conducentia ad perfectionem, quidquid ſit de circunſtantiis religionum, aut earum multitudine, quæ per ſe non ſunt connexa cum ſubſtantia, & bonitate religionis approbatæ.

Soluuntur Argumenta.

1 OBiicies contra concluſionem ſupra poſitam argumentum *Caietani, & Soto.* Quia ad iudicium infallibile Pontificis non pertinet niſi id quod deducitur ex Sacra Scriptura, aut traditionibus Apoſtolicis, id eſt, ex verbo Dei ſcripto, aut tradito: quod enim ibi ſecundùm ſe, & implicitè non continetur, non poteſt explicitè, & quoad nos definiri. Sed leges morales quantum ad bonitatem, & moralitatem earum non deducuntur ex Scriptura, aut traditione apoſtolica, ſed ex phyſica ratione morali, & natura talium rerum, & tales leges feruntur à Pontifice iuxta occaſiones, & tempora; ergo definitio circa tales leges, quod ſint bonæ, & non poſſit in eis miſceri aliquid erroris, non facit eſſe de fide, quod in illis errari non poſſit.

2 Et *Confirmatur.* Quia hac ratione diximus non eſſe de fide Canonizationem Sanctorum quorumcunque id definiat Pontifex; quia non eſt materia definibilis; nec deducibilis ex ipſa ſcriptura, & traditione ſanctorum quantum ad hanc particularem perſonam quæ declaratur ſancta; ergo ſimiliter non erit certum de fide, quod lex iſta in particulari, vel quæcunque alia, quæ eſt lata à Pontifice nihil erroris habeat.

3 Reſp. Verum eſſe quod Pontifex non poteſt definire aliquid tanquam de fide niſi contentum ſit in Scriptura, aut traditionibus, quia Pontifex non poteſt condere nouam fidem, nec nouæ reuelationes ſibi fiunt, ſed ſolùm ea quæ in fide contenta ſunt explicare, & quæ ſecundùm ſe ſunt de fide quoad nos proponere, & ideo eſt regula certa, quod ea quæ non deducuntur ex ſcriptura, aut traditione Apoſtolica non ſunt definibilia de fide, & hoc eſt quaſi certum ſignum ad cognoſcendum an aliqua materia definiatur tanquam de fide, vel non, ſcilicet ſi definitur vt deducta ex ſcriptura, aut traditione, vel non. Quamuis *Magiſt. Cano lib. 5. de locis, cap. 5. § Nonne igitur*, alia ſigna addat ad cognoſcendum quidnam in definitionibus conciliorum accipiatur tanquam materia fidei, vt ſi oppoſitum dicentes pro hæreticis iudicantur, aut ſub Anathemate recipiendum præcipiatur, aut tanquam dogma fidei accipiendum à Catholicis expreſsè dicatur, aut oppoſitum vt contrarium Euangelio, aut traditioni Apoſtolicæ iudicetur.

4 Hoc *ſuppoſito* in præſenti dicimus quod Pontifex in his moralibus poteſt dupliciter procedere: *vno modo*, ſolùm præcipiendo legem aliquam, & illam Eccleſiæ proponendo tanquam regulam. *Alio modo* declarando in particulari aliquam moralitatem, puta quod talis contractus eſt malus, aut bonus, & talis materia eſt peccatum, aut non. Quando *primo modo* procedit Pontifex non facit de fide, nec definit eam materiam, quam præcipit in particulari, ſed ſolum de fide eſt, quod moralitas talis præcepti, ſeù regulæ non eſt mala, & hæc eſt de fide in virtute illius vniuerſalis, quod quæcumque dicuntur ex cathedra ſunt ſeruanda, & facienda, & quia non poteſt deficere ſanctitas Eccleſiæ, & conſequenter neque rectitudo moralis, quæ ex lege pendent. Sicut autem eodem modo eſt de fide *Omnem hominem eſſe mortalem & hunc hominē eſſe mortalem*, ſic eodem modo eſt de fide *Omnem moralitatem legum Pontificis eſſe bonam, & moralitatem huius legis eſſe bonam*, licèt materia quæ præcipitur non ſit definita quoad veritatem credendam; aliud eſt enim veritas, aliud moralitas, & hæc eſt certum quod non eſt mala, de illa verò nihil definitur. Quando vero *ſecundo modo* procedit Pontifex tunc definit circa veritatem talis moralitatis, ſcilicet determinando quod hoc ſit peccatum, vel non, putà quod ſit contractus ſimoniacus, vel vſurarius, tunc licèt id magna ex parte dependeat ex principiis naturalibus iuris, non tamen prout præcisè naturalia ſunt, ſed etiā prout traduntur in Decalogo, in ſcriptura, & in his quę de vſuris, aut ſimonia dicuntur in ſcripturis: ex illis enim ſecundum intelligentiam Eccleſiæ, & Sanctorum deducitur quomodo hoc, vel illud ſit vſura, aut ſimonia, peccatum, aut rectum, atque adeò negamus ex puris principiis Philoſophiæ deduci, ſed etiam ex traditis in ſacra ſcriptura, nam ſacra ſcriptura continet principia moralitatis, tùm in Decalogo, tùm in lege, tùm etiam in doctrina Euangelica, vbi multa moralia docentur, & ex conformitate ad illa deducitur quod aliquid ſit bonæ, vel malæ moralitatis.

Ad *Confirmationem Reſpondetur.* Quod materia canonizationis Sanctorum non eſt ſanctitas, ſeu rectitudo moralis abſolutè, & ſecundùm ſe, ſed vt applicata huic Perſonæ, quæ determinatur, & iudicatur eſſe ſancta propter opera bona, quæ feciſſe probatur; & licèt de ſanctitate, ſeu rectitudine morali in communi poſſit dari certitudo non errandi tanquam de fide, tamen de rectitudine in particulari, & vt applicata huic perſonæ non poteſt dari tanta certitudo, ſed ſufficit quod indirectè, & reductiuè pertineat ad fidem, vt explicauimus articulo præcedenti *Et ratio eſt.* Quia rectitudo moralis legis eſt rectitudo in communi, cum lex ſolùm in vniuerſali determinet, talis autem rectitudo, & ſanctitas in communi deduci poteſt immediatè ex ſcriptura & error in illa eſſet, contra ipſam Eccleſiæ ſanctitatem, quæ pendet ex lege quam ſequitur, applicatio autem talis rectitudinis ad iſtam, vel illam perſonam in particulari nec deduci poteſt immediatè ex ſcriptura, & per ſe, nec ita pertinet ad ſanctitatem Eccleſię in vniuerſali, ſed quaſi exemplum quod ipſi ad imitationem relinquitur. 5

Secundò *obiicitur.* Quia diuerſi Pontifices videntur erraſſe in aliquibus legibus tradendis contra bonos mores, aut ius diuinum, nam in *cap. cum eſſes de teſtamentis* Alexander III. dicit eſſe á lege diuina alienum, & ab inſtitutis Sanctorum Patrum, & Eccleſiæ conſuetudine, quod teſtamenta non valeant, niſi coram ſeptem teſtibus fiant; & tamen id apud multas nationes inter Catholicos poſitum eſt in conſuetudine. Item in *cap. licèt de ſponſu duorum*, idem Alexander III determinat; quod poſtquam mulier per legitimum conſenſum nupſit alicui non poteſt alij nubere, etſi nupſerit etiam carnali copula ſubſecuta, debet ſeparari: *Quamuis aliter* (inquit) *à Prædeceſſoribus noſtris fuerit iudicatum*: ergo prædeceſſores in hoc errauerunt; conſtat enim non poſſe ſecundum matrimonium ſubſiſtere 6

viuente

viuente primo viro. Item Stephanus VI. irritauit omnia acta Formoſi Prædeceſſoris ſui,& ordinatos ab ipſo,iterum ordinari iuſſit,quod eſt ſcienter contra ſacramentum ordinis.

7 Denique in *cap. Per venerabilem qui filij ſint legitimi* docet Pontifex legem Deuteronomij non eſſe abrogatam, quod eſt falſum:& in *cap. laudabilem de conuerſione infidelium* dicitur celeſtinum III determinaſſe, quod per hæreſim vnius coniugis ſoluitur matrimonium Et in *Extrauag. Exiit de verborum ſignificatione*. Nicolaus IV. definit perfectam paupertatem, quam Chriſtus ſectatus eſt non admittere dominium rerum nec in communi,nec in particulari. Cuius oppoſitum docet Ioannes XXII in *Extrauag. ad conditorem,& Extrauag. quia quorundam*, & definit eſſe hæreticum dicere Chriſtum talem paupertatem docuiſſe. Ergo aliquis horum errauit, & conſequenter manet inſtaia ipſo facto,& ipſa experientia noſtra concluſio

8 Reſp. In textibus ibi allatis nihil contra bonos mores doceri per modum legis:nam in *cap. Cum eſſes de teſtamentis* nihil contra bonitatem moralem docetur:eſt enim alienum à diuina lege quod requirantur ſeptem teſtes de neceſſitate,non quia ſit contra illam, ſed quod non ſit ex illa, nec valde illi conforme,quamuis non contrarium; & ideò improbat Pontifex illam conſuetudinem de ſeptem teſtibus. Non repugnat autem quod conſuetudo aliquando improbata iterum reuiuiſcat, & præualeat apud aliquam nationem. Quidam tamen canoniſtæ dicunt in illo textu ſolùm loqui Pontificem de teſtamento in cauſis pijs, aut reſpectu eorum,qui temporaliter ſunt ſubditi Eccleſiæ Romanæ,non reſpectu omnium fidelium. Sed reſtat illis ſoluendum quomodo hoc dicat Pontifex eſſe alienum à lege diuina In *cap. licèt de ſponſa duorum* non explicat Pontifex quomodo Prædeceſſores ſui aliter iudicauerint, an quia ita priuatim ſentiebant, & explicabant tanquam perſonæ particulares; an vero ita iudicauerint quaſi ſententiando ex cathedra. Item an aliter iudicauerint in ipſa ſubſtantia rei,quæ inquirebatur, an in aliquo accidentali, puta in modo faciendæ ſeparationis ſecundi matrimonij,& compellendo ad primum. Et ideò poſſumus dicere, quod illi Prædeceſſores,vel aliter ſenſerunt ſecundum priuatum iudicium,non ſecundum legem,vel ſolum in aliquo accidentali aliter ſentiebant.

9 Ad *factum Stephani* contra Formoſum Papam, *Reſpondetur* Stephanum non errâſſe in condenda aliqua lege, ſed ſolum erraſſe in facto, quia ex odio in Formoſum voluit ordinare Ordinatos ab ipſo ſimoniace (vt ipſe dicebat) vel quia intelligebat non fuiſſe ritè ordinatos quoad ſubſtantiam ordinis, vel quia in odium Formoſi, aut eius ſimoniæ id fecit;etſi male fecit,de eo tamen legem, aut definitionem non edidit: vnde ſolùm fuit peccatum perſonale. Irritatio etiam omnium actorum Formoſi fuit defectus facti, non legis à ſe latæ. Ad textum in *cap. per venerabilem reſpondetur*. Pontificem non dicere legem veterem abſoluiè non eſſe abrogatam, ſed quod Deuteronomium,quia eſt Lex prima debet obſeruari, id eſt, adimpleri in nouo teſtamento, præſertim in eo quod erat figuratum ibi, vt in illo ſpecialiter quod ibi affert ex capite 17. docet: loquebatur enim ad litteram de illo teſtimonio Deut. 17. *Si difficile, & ambiguum iudicium eſſe proſpexeris aſcende ad locum quem elegit Dominus Deus tuus, &c.* Quod etiam de Apoſtolica Sede intelligi dicit Pontifex. Itaque non obſeruabatur Deuteronomium ex vi talis legis,quaſi ipſa nunc permaneat, ſed quia multa, quæ ibi decernuntur ſunt leges morales, aut figuræ eorum, quæ ſunt in nouo teſtamento adimplenda. Conſtat autem ex doctrina *D. Thom. 1. 2. quæſt. 104. art. 3.* Quod ſolùm figuratiua præcepta illius legis, & cæremonialia defecerunt in nouo teſtamento; moralia autem,& iudicialia, & quæ per figuras illas ſignificabantur deficere non potuerunt. Quod ergo decernitur in Deuteronomio in nouo teſtamento debet obſeruari quaſi per adimpletionem,aut imitationem,non ex vi,& obligatione legis,dicente Domino: *Quia non veni ſoluere legem,ſed adimplere.*

Quod verò allegatur ex *cap. laudabilem* per 10
alterius coniugis hæreſim diſſolui matrimonium, id in tali Textu non habétur, licèt dicatur olim fuiſſe in antiquis decretalibus,& id vidiſſe ſe dicit *Caſtro lib. 1. de hæreſibus c. 4.* fortè tamen quia ipſius Celeſtini non erat,aut non recipiebatur tanquam dictum ex cathedra,ſed fortè ex priuato iudicio expunctum fuit à decretalibus. Denique ad id quod affertur ex Ioann. XXII. *Reſpondetur* ex doctrina *Turrecremata lib. 2. de Eccleſia cap. 112. Bellarmi. lib. de Romano Pontifice cap. 14.* Vbi dicta illorum Pontificum conciliat. Quod in eo quod Nicolaus ſenſit paupertatem illam eſſe perfectiorem, & meritoriam, quæ nihil in communi, nec in particulari poſſidet,nihil definiuit, ſed ſententiam ſuam explicuit. Ioannes autem XXII. id directè non impugnauit,ſed ſolùm renuntiauit iuri, quod dicebatur habere Pontifex Romanus poſſidendi omnia bona fratrum Minorum. In eo autem quod dicitur de paupertate Chriſti non diſſentiunt Nicolaus, & Ioannes, nam Nicolaus dicit Chriſtum aliquando paupertatem illam ſectaſſe, quæ nec in communi, nec in particulari aliquid haberet,aliquando verò admiſiſſe aliquid in communi, quia *Iudas loculos habebat*. Ioannes autem XXII. aſſerit eſſe hæreticum dicere, quod Chriſtus nunquam aliquid proprij habuerit, quod etiam veriſſimum eſt, nec priori aſſertioni contrarium.

Vltimo *Obiicitur*. Quia nimietas religionum 11
grauem confuſionem in Eccleſia Dei inducit, vt dicitur expreſsè in *capite finali de religioſis domibus*, & idem habetur in *cap. 1. in eodem titul. in 6.* ergo multæ religiones approbantur inutiliter, & notè aliàs earum multiplicatio non pareret grauem confuſionem. Item multorum ordinum regulæ ſunt approbatæ, quæ poſtmodum ab ipſa Sede Apoſtolica ſunt reiectæ, vt ordo Fraticellorum à Cæleſtino V approbatus, per priuilegium reuocatus eſt à Bonifacio VIII *in extrauag. Sancta Romana de religioſis domibus*: & ordo humiliatorum extinctus eſt à Pio V. in peculiari quadam Bulla: ordo templariorum à Clemente V. & alij ſimiliter ordines ſunt condemnati;ergo in eorum regulis approbandis non eſt certum Pontificem errare non poſſe; aliàs irrationabiliter abrogarentur.

TRACTATVS DE SPE.

A QVÆSTIO. XVII. vſque ad Quæſt. XXII.

EXPEDITO tractatu de virtute fidei ſequitur de aliis duabus virtutibus theologicis tractare, ſcilicet de Spe, & charitate, in quibus breuitati conſulentes ea ſolùm diſputare intendimus, quæ grauiores difficultates præ ſe ferunt, & his temporibus ſolemnioribus controuerſiis ventilantur; minutioribus aliis relictis, quæ vel de ſe clariora ſunt, vel ex principiis in hac materia explicatis facilè poterunt comprehendi.

ORDO MATERIÆ DE SPE SECVNDVM ſuas Quæſtiones.

A *Quæſtione decima ſeptima* orditur *Sanctus Thom.* tractatum de ſecunda virtute theologica ſpe, vſque ad *quæſtionem* 23. excluſiuè. Ordo autem quem *Sanct. Doct.* ſeruat in explicatione huius virtutis eſt idem, quem in tota *Secunda Secundæ*, circà explicationem aliarum virtutum perpetuò obſeruauit: reducit enim *Sanctus Doctor* totum tractatum alicuius virtutis ad quatuor principalia capita, quaſi ad Generalia Principia. *Primò* enim conſiderat ipſam virtutem in ſe. *Secundò*, Donum Spiritus Sancti ſpecialiter correſpondens tali virtuti. *Tertiò*, vitia oppoſita. *Quartò*, Præcepta ſi quæ dantur de actibus talis virtutis. Et in vno quoque iſtorum capitum varia membra contineri ſolent ſecundum quod plura occurrunt pertinentia ad naturam, obiectum, actus, effectus, partes, aut diuiſionem alicuius virtutis, qua ratione tractatus aliquarum virtutum, aliis longiores ſunt, vt videre eſt in materia de Iuſtitia, Temperantia, & aliis.

In tractatu autem de Spe, quæ eſt virtus theologica, diſtribuit *Sanct. Thom.* eodem modo ordinem doctrinæ ſuæ per illa quatuor capita, ſeù principia; ſed quia in hac virtute neque inueniuntur variæ ſpecies in quas diuidatur, quia eſt vna ſecundum ſpeciem athomam; neque habet tam multos effectus ſicut charitas, neque partes potentiales ſicut virtutes Cardinales, ideò tractatus eius breuior eſt, quam in aliis virtutibus. Solùm autem in virtutibus Cardinalibus inueniuntur partes potentiales, id eſt, virtutes aliæ minus principales, quæ ad Cardinales reducuntur, eò quòd virtus Cardinalis non verſatur circa finem, ſed circa media, quia eſt virtus electiua, electio autem verſatur circa media. Media autem maiorem habent latitudinem, & variationem, & contingentiam, quam ipſe finis, qui de ſe immobilior, & ſimplicior eſt. Vnde in materia virtutis Cardinalis contingit inueniri talem varietatem, quod aliqua illius pars ſit difficilior, & principalior quam alia, & illa virtus, quæ attingit partem difficiliorem, vel principaliorem dicitur *virtus Cardinalis*: reliquæ verò quæ intra latitudinem eiuſdem materiæ reſpiciunt id quod eſt minus difficile, vel principale, dicuntur *partes potentiales* illius, cum tamen ſint diſtinctæ virtutes. Sicut in materia temperantiæ illud quod eſt difficilius ad refrenandum, & moderandum, ſcilicet delectationes tactus, quæ inter omnes vehementiſſimæ ſunt, reſpicitur à temperantia quæ eſt virtus Cardinalis: aliæ verò virtutes moderatiuæ, ſicut Modeſtia, Manſuetudo Clementia, Eutrapelia, verſantur circa materias minus difficiles ad refrenandum; & ideò ſunt partes potentiales, id eſt, minus principales reſpectu temperantiæ. Spes autem cum ſit virtus theologica habet pro obiecto immediato materiam vniformem, vel potius Deiformem & ſimpliciſſimam, id eſt, ipſum Deum vt aſſequendum: vnde caret omni parte potentiali.

Igitur in prima parte tractatus huius virtutis conſiderat *Sanctus Doctor* ipſam virtutem ſpei ſecundum ſe, & procedit eius conſideratio ſcientifica per cauſas intrinſecas, & extrinſecas. Cauſæ intrinſecæ dicuntur materia, & forma; extrinſecæ efficiens, & finis. Cæterum in virtutibus, quia accidentia ſunt, cauſa materialis non eſt illis intrinſeca, ſed extrinſeca, ſcilicet ſubiectum, cui inhærent; & quia virtutes, & habitus ſunt, dicunt intrinſecum ordinem ad obiectum quaſi ad materiam circa quam, & formalem cauſam ſpecificantem, & ſi virtus theologica ſit, ipſe finis eſt eius obiectum ſpecificatiuum, & propria materia. Quare cum in virtutibus forma intrinſeca explicari non poſſit niſi per ordinem ad obiectum ſpecificatiuum, prius explicat *Sanct. Thom.* in natura Spei formam eius ſpecificatiuam explicando obiectum, & ſpeciem virtutis, quæ ab illo accipitur, & ſimul explicat finem: quia cum ſit virtus theologica, finis & obiectum coincidunt. Similiter explicato quod ſit virtus theologica, & conſequenter infuſa, manet explicatum, quod ſit efficienter à Deo; vnde in *quæſtione* 17. vbi explicatur natura ſpei per

cauſas

cauſas intrinſecas, ſimul manet explicatum obiectum, & finis, & cauſa efficiens huius virtutis. In *quæſtione verò ſequenti* 18. explicatur alia cauſa extrinſeca, ſcilicet materialis, quæ eſt ſubiectum ſpei, & ſic manet explicatum Primum principium tractatus huius virtutis, quæ eſt conſideratio eius ſecundùm ſe. Secundo locu agit *D. Thom.* de ſecundo principio, ſcilicet de dono Spiritus ſancti correſpondente ſpei, quod eſt donum timoris, quia ſpes, & timor verſantur circa idem, & hoc explicat *quæſtione* 19. *Tertio agit de vitiis* oppoſitis ſpei, quæ ſunt deſperatio, & Præſumptio, illa per defectum, iſta per exceſſum, & de deſperatione agit *quæſtione* 20. de Præſumptione *quæſtione* 21. *Quartò, & vltimo* agit de Præceptis, quæ dantur circà actus ſpei *quæſtione* 22. Et ſic terminatur totus tractatus de hac virtute.

EXPLICATIO LITTERÆ D. THOMÆ PER SVAS QVÆSTIONES.

IGitur *quæſtione* 17. *cum S. Thom. agat de natura & quidditate Spei*, quidditas autem vniuſcuiuſque rei conſtat ex genere, & differentia, incipit *D. Tho. in art.* 1. ab ipſo genere; genus autem Spei eſt quod *ſit Virtus*, & oſtendit eſſe virtutem, quia attingit ipſam regulam rationis, qua aliquis actus redditur virtuoſus: attingit enim ipſe Deum, quem reſpicit vt conſequendum, & conſequenter attingit vt regulam ſui actus. *Secundo conſiderat* ſpeciem huius virtutis, quæ conſtituitur per ſuam differentiam, & in hac ſpecie *primo conſiderat* ſuum ſpecificatiuum; *deinde* ipſum ſpecificatum, & quia ſpecificatiuum eſt obiectum, oſtendit quod obiectum ſpei theologicæ eſt bonum diuinum, ſcilicet beatitudo æterna, vt aſſequenda. Vbi explicantur duo alterum æternum, alterum temporale.

Et *pro huius explicatione aduerte*, quod obiectum ſpei communiter acceptæ eſt *bonum arduum poſſibile futurum*, & omnes iſtæ conditiones in ſpe theologica redduntur diuinæ, cum quadam tamen connotatione creata: nam *bonum ſperatum* per ſpem theologicam eſt ipſa bonitas Dei fruenda, *arduum* eſt eminentia diuina, *poſſibilitas actiua* ipſa omnipotentia Dei, *futurum*, eſt ex decreto diuinæ voluntatis; & ita ſpes innititur omnipotentiæ non abſolutæ, ſed ordinatæ per voluntatem, alioqnin obiectum non eſſet futurum. Sed quia hæc omnia conſiderantur in ordine ad aſſequutionem boni diuini, ideò non ſolùm concurrit Deus in genere cauſæ finalis vt bonum, ſed etiam in genere cauſæ efficientis vt auxilians. Vnde oportet quod connotet aliquas conditiones creatas, ſcilicet ipſa auxilia, & aſſecutionem paſſiuam, quæ ſunt effectus auxiliantis Dei, & deinde ipſum ſubiectum aſſecutionis: quia ſpes cum reſpiciat conſecutionem boni, propriè non ſperat aliis, ſed ſibi, niſi in quantum alius aliqualiter pertinet ad ſe per amorem, vel alium reſpectum; ſpes enim propriè fundatur in amore concupiſcentiæ, antecedit enim charitatem, quæ eſt amor amicitiæ, amor autem concupiſcentiæ reſpicit volitum ſibi non aliis; & ideò nec ſpes propriè ſperat aliis, ſed ſibi.

Ex *qua conſideratione D. Thom.* poſt explicationem gradus generici in virtute ſpei, oſtendendo *in primo articulo* quod ſit virtus, in tribus ſequentibus explicat ſpecificatiuum ſpei ex parte obiecti diuini, & ex parte connotationis creatæ Ex parte quidem boni diuini *in articulo ſecundo* oſtendit tùm obiectum formale, tùm materiale: nam formale eſt auxilium Dei quatenùs reddit poſſibile, & futurum tam excelſum bonum; & quia innititur ſpes theologica non cuicumque auxilio, ſed ſupernaturali quoad ſubſtantiam, quod eſt ordinis diuini, ſequitur quod res ſperata, quæ eſt quaſi obiectum materiale debeat eſſe bonum ordinis diuini, & infiniti, quia ex cauſa infinita non quomodocumque, ſed operante ſecundum ordinem infinitum, qualis eſt ordo ſupernaturalis debet ſequi effectus infinitus, id eſt, ordinis infiniti, hic autem eſt Deus vt poſſeſſus, & aſſequendus, quia ad hoc ordinatur totus ordo infinitus, & ſupernaturalis.

In *tertio autem articulo* oſtendit vnam connotationem creatam virtutis ſpei, ſcilicet ſubiectum cui ſperat, ſcilicet quod ſibi, & non alteri debet ſperare. In *quarto autem articulo*, explicat alteram connotationem creatam, ſcilicet quod non in homine, id eſt, in cauſa creata, ſed in auxilio Dei ſperari debet, quod eſt effectus ſolius Dei.

Et *ſic explicato obiecto ſpecificatiuo procedit D. Thom.* ad explicandam ipſam rem ſpecificatam, ſcilicet ipſam virtutem ſpei, oſtendendo quam differentiam, & ſpeciem habeat, & hanc ſpeciem huius virtutis conſiderat *primò* abſolutè, deinde comparatiuè. Abſolutè oſtendendo quod ſit virtus theologica *in articulo quinto*: quia habet pro obiecto immediato, & proprio ipſum Deum tanquam finem aſſequendum, & in *articulo ſexto* oſtendendo vltimàm differentiam huius virtutis theologicæ ab aliis virtutibus theologicis, ſcilicet à fide, quæ reſpicit cognitionem Dei, à charitate, quæ tendit in Deum vt in bonum abſolutè, non vt bonum arduum, & aſſequendum. *Denique comparatiuè* conſiderat hanc virtutem, quia ſpes eſt poſterior fide, cum fides pertineat ad intellectum, ſpes ad voluntatem, ſed eſt prior charitate via generationis quatenus ſpes non importat amorem ita perfectum ſicut charitas, quia ſpes amat bonum ſibi, quod eſt imperfectiori modo amare, quàm Charitas, quæ amat bonum propter ſe. Et vt benè notat *D. Thom.* 1. 2. *quæſt.* 40. *art.* 7. ſpes procedit ex amore circa bonum ſperatum, nemo enim ſperat quod non amat, ſed cauſat amorem circà perſonam, à qua bonum ſperat, & quia charitas eſt amor amicitiæ, qui reſpicit perſonam ideo eſt poſterior ſpe, & cauſatur ab illa, ſpes autem cauſatur ex amore imperfecto reſpiciente Deum vt bonum concupitum. Cæterùm ſpes formata ſupponit charitatem, ſicut & fides diuina, & hanc duplicem comparationem conſiderat *Sanct. Thom. art.* 7. *&* 8.

In *quæſtione* 18. *agit Sanct. Doctor de cauſa extrinſeca ſpei*, quæ eſt cauſa materialis, ſeu ſubiectiua à qua non habet ſpecificari, ſed in ea exiſtere, & agit tùm de ſubiecto proximo & *quo*, tùm de ſubiecto *quod*;

quod ſubiectum *quo* eſt voluntas, quia ſpes habet pro obiecto bonum, ſubiectum *quod* eſt perſona. *Et poteſt eſſe difficultas* de homine in triplici ſtatu, ſcilicet in ſtatu beatitudinis, an maneat ſpes in beatis; in ſtatu damnationis, an in damnatis poſſit eſſe, in ſtatu autem viæ non eſt difficultas quod detur ſpes, ſed poteſt eſſe difficultas an habeat certitudinem, quia nondum eſt in ſtatu immutabili, ſicut beati & damnati, *ideoque oſtendit art.* 1 quod ſpes eſt in voluntate; *art.* 2. quod nullo modo eſt in beatis, etiam reſpectu gloriæ corporis licet ſit deſiderium de ea: *in art.* 3. quod nullo modo eſt in damnatis, quia carent omni poſſibilitate adipiſcendi beatitudinem: *in art.* 4. quod etiam in viatoribus habet certitudinem immobilem, non quidem cognitionis, ſed affectus tendentis per immobilem cauſam ad talis boni adeptionem, id eſt, per auxilium diuinum, licet ea parte liberi arbitrij mutationi, & periculo ſit ſubiecta ſpes, & etiam ex parte ipſius euentus contingentiam habet, ſicut & arduitatem? Cæterùm ea parte ipſius euentus contingentiam habet, ſicut & arduitatem? Cæterùm ea parte rationis formalis quæ eſt diuinum auxilium ſpes certiſſima eſt, licet non ea parte eius quod connotat homine.

In quæſt. 19. agit S. Thom. de dono correſpondente ſpei, quod eſt donum timoris, vbi attentè oportet conſiderare profundum *Sancti. Thom.* ingenium in diſponendo tractatu de dono timoris: cùm enim timor, qui eſt paſſio refugiens malum imminens tranſeat, & eleuetur ad rationem doni Spiritus S. per hoc quod reſpicit Deum, vt dignum omni reuerentia, & timore, ad hoc vt explicet naturam iſtius doni præmittit *S. Doct. per 8. artic.* omnes modos quibus timor poteſt reſpicere Deum, & deinde *art.* 9. concludit quomodo timor poſſit eſſe donum Spiritus S. quomodo maneat in patria, &c. *Igitur ſupponit D. Thom.* quod timor communiter dictus poteſt reſpicere duo obiecta, ſcilicet, malum quod refugitur, & poteſtatem inflictiuam mali, quam reueretur; ſicut etiam ſpes, & reſpicit bonum quod intendit adipiſci, & poteſtatem cuius auxilio debet obtineri. Deus autem non poteſt eſſe obiectum timoris tanquam malum quod refugitur, cum ſit ipſa bonitas, ſed ſolum vt poteſtas, quæ poteſt malum infligere, & ſic poteſt eſſe obiectum reuerentiæ, & timoris, ſicque ſpectat ad rationem doni. *ad hoc autem explicat D. Thom.* omnes modos quibus aliquis timor poteſt reſpicere Deum, qui ſunt quatuor: nam timor, vel reſpicit Deum recedendo ab ipſo propter mala, quæ timet, & hic timor eſt mundanus, qui propter mala quæ timet in mundo relinquit Deum, & ideò ſemper eſt malus, proceditque ea nimio amore rerum temporalium: vel timor reſpicit Deum conuertendo ſe in ipſum, propter mala quæ timet, non in mundo, ſed ab ipſo Deo inferibilia: malum autem quod Deus poteſt infligere, vel eſt malum pœnæ puniendo, vel malum culpæ permittendo. Qui ergò reſpicit Deum ex motiuo timendi mala pœnæ habet timorem ſeruilem, quia proprium eſt ſeruorum pœnis ſubiici, & ea eorum timore operari; qui verò reſpicit Deum ex motiuo timendi culpam, quæ ſeparat à Deo, habet timorem filialem, quia proprium eſt filiorum nolle ſeparari à Patre, quem amant, & ea hoc timore operari; & ideò iſti duo timores differunt ſpecie propter diuerſitatem motiuorum.

Cæterùm quia contingit ex timore culpæ aliquem moueri in Deum, ſed non ita perfectè, quod non etiam aliquo modo moueatur propter timorem pœnæ quod contingere ſolet in incipientibus, qui adhuc imperfectè mouentur in Deum, & non cum plena cognitione, & dilectione bonorum ſpiritualium ideò ponitur *Timor initialis*, qui non differt in ſubſtantia à timore filiali, niſi ſicut imperfectum à perfecto, ſicut id quod tranſit de vno extremo ad aliud in initio adhuc retinet aliquid imperfectionis de priori extremo; & ideò timor initialis non eſt diſtincta ſpecies timoris à timore filiali, licet aliquam imperfectionem habeat de timore ſeruili à qua purificatur præſente charitate, iuxta illud 1. Ioan. 4. *Perfecta charitas foras mittit timorem*, non quoad ſubſtantiam, ſed quoad imperfectiones ſeruilitatis: nam timor ſeruilis malus non eſt, ſed imperfectus: de ſe enim timere Deum propter pœnas, & malum pœnæ refugere non eſt malum, ſed naturale, ſicut & ſeipſum diligere, ſed hoc principaliter fugere, & tanquam præcipuum malum timere ſeruilitatis & imperfectionis eſt, idque charitas excludit.

Quibus omnibus octo articulis explicatis oſtendit S. Thom. artic. 9. dari timorem, qui ſit donum Spiritus S. illud enim vocatur *donum*, quo redditur anima bene mobilis à Spiritu S. inhabitante; & regulante noſtras actiones, regulatione ſuperiori, quæ procedit ex eius inſtinctu, & in hoc eleuatur ſuprà virtutes, quæ ſolum regulantur ſecundum regulas rationis: per hoc autem quod aliquis refugit ſeparari per culpam à Spiritu S. redditur optimè ei ſubiectus, & ab eo mobilis, quare timor filialis qui hoc præſtat pertinet ad donum Spiritus S., non autem timor ſeruilis, quia licet ſit à Spiritu S. vt mouente, non tamen vt inhabitante per ſe loquendo: nec reddit animam perfectè mobilem, & obedientem Spiritui S. quia nondum timet ſeparari per culpam, ſed per pœnam: non tamen hoc donum eſt virtus theologica, quia non habet pro immediato obiecto Deum, vt finem in quem tendat, ſed vt poteſtatem inflictiuam mali, quam reueretur. *Ex quo vlterius oſtendit S. Doctor art.* 10. *&* 11. Quod talis timor filialis charitate præſente non diminuitur, ſed creſcit cum in illa fundetur, & in patria non tollitur quia ibi ſaluatur formale obiectum, & primarius actus, qui eſt revereri Deum, vt habet eminentiſſimam poteſtatem inflictiuam mali, licet non habeat ſecundarium actum; qui eſt reſpicere illud malum, vt imminens, & infligendum, & refugere.

Denique *in art. vlt. oſtendit D. Thom.* quænam beatitudo ſit actus huius doni timoris; ſunt enim beatitudines actus illi, qui eliciuntur à donis, quatenus per eos excellentiùs, & perfectiùs mouetur homo, & appropinquat ad beatitudinem æternam, vt docet *D. Thom.* 1. 2. *q* 69. *art.* 1. Correſpondet autem timori prima beatitudo, quæ eſt *Paupertas Spiritus*, cuius nomine intelligitur *Exinanitio inflati, & ſuperbi Spiritus.* quatenus non vult aliquis magnificari niſi in Deo; hoc autem præcipuè naſcitur ex dono timoris quia timor reuerendo Deum ex conſideratione diuinæ magnitudinis æſtimat propriam dignitatem quaſi nihil, & ſic reſiliendo in propriam paruitatem, ſeipſum paruifacit, & tanquã pauperem, & ſine illa ſubſtantia ſe æſtimat, iuxta illud Pſal. 38. *Subſtantia mea tanquam nihilũ ante te.*

In quæſt. 20. *incipit explicare D. Thom.* vitia oppoſita *Spei*, ſcil. *deſperationem*, quæ illi opponitur per defectum, *& præſumptionem*, quæ opponitur per exceſſum: ſed tamen non ita ſe habent extrema iſta per exceſſum & defectum in ſpe theologica, ſicut in virtute morali, vt optimè explicat *S. D. in præſenti q.* 17. *art.* 5. *ad* 2. Quia in virtute morali medium inuenitur ea parte formalis obiecti, & extrema

per receſſum ab illo; in virtute autem theologica non datur medium ex parte obiecti formalis, neque extrema per receſſum ab illo, ſed ſolum ex parte obiecti materialis, quatenùs ex ſubordinatione ad formale regulatur. *Cuius ratio eſt.* Quia obiectum formale virtutis moralis non eſt ipſa regula, ſed aliquid regulatum per illam, quia reſpicit bonum, vt eligendum ſecundum regulas rationis; & quia contingit regulatum aliquando exorbitare à regula, aliquando illi ſubiici, quando ſubiicitur dicitur eſſe in medio, quando exorbitat, eſt in extremo, aliquando per exceſſum, aliquando per defectum. At verò virtus theologica habet pro obiecto formali immediato ipſam regulam, ſcilicet Deum in ſe, ipſum autem regulatum quod eſt bonum creatum, non reſpicit niſi ſecundario, & inconnotato Vnde ex parte obiecti formalis nunquam poteſt exorbitari à regula, quia eſt regula ipſa materia virtutis: ex parte autem obiecti materialis ſecundarij poteſt dari extremitas in his virtutibus, ſicut in fide poſſunt eſſe errores extremi circa veritates credibiles, attingendo illas diuerſo modo, & in ſpe dantur extrema vitia, dum vult aliquis ipſam conſequutionem gloriæ ſine debita proportione, quod eſt nimis præſumere, vel non vult etiam ea quæ ſibi ſunt proportionata ex auxilio diuino, quod eſt deſperare. In hoc ergò vitio deſperationis conſiderat *S. Thom.* Tria. *Primo* ipſum fundamentum, & principium quaſi intrinſecum, vnde habet eſſe peccatum. *Secundo* illud principium vnde habet grauitatem, quod pertinet quaſi ad ſpeciem peccati *Tertio* principium extrinſecum vnde habet originem per modum mouentis, & impellentis hominem in deſperationem.

Circa *primum oſtendit S. Doctor,* Quod principium vt deſperatio ſit peccatum, eſt quia difformatur rectæ regulationi, & conformiter ſe habet ad falſam exiſtimationem de Deo (intellige exiſtimationem, vt regularem practicè & in particulari, non vt cognoſcentem in vniuerſali, & ſpeculatiuè) neque enim ad deſperandum neceſſe eſt exiſtimare in vniuerſali, quod Deus nolit ſubuenire peccatori, ſed ſolùm quod ſibi in particulari nolit de facto, & ex parte euentus; Vnde non eſt neceſſe ad deſperationem habere infidelitatem amittendo fidem, quæ docet in generali Deum omnibus dare remedia ſalutis, ſed ſufficit deficere in applicatione practica fidei, & ita *in art.* 1. oſtendit deſperationem eſſe peccatum, *in ſecundo,* quod poteſt eſſe ſine infidelitate.

Circa *ſecundum oſtendit D. Thom.* Grauitatem deſperationis, vel ex parte ſui obiecti, vel ex parte noſtra, id eſt, effectuum, quos cauſat in nobis. Ex parte obiecti, infidelitas, quæ opponitur fidei, & odium Dei quod opponitur charitati, ſunt grauiora peccata quam deſperatio, quia attingunt magis Deum in ſe, vel ſaltem poſſunt attingere Nam odium Dei deteſtatur ipſam diuinam poteſtatem, & bonitatem; Infidelitas autem ipſam veritatem, non ſolum vt teſtificantem, ſed etiam vt rem cognitam, ſicut quando negat Deum eſſe trinum. Deſperatio autem nunquam attingit ipſam Dei bonitatem in ſe, ſed in ſui participatione, quia licet ſpes directè attingat bonum diuinum, vt poſſibile adipiſci, tamen deſperatio non contrariatur ſpei ex parte *Boni,* ſed ex parte *Poſſibilis,* non quantum ad poſſibilitatem actiuam, quam non negat in Deo, ſed ſecundum applicationem eius ad nos, & hoc eſt contrariari diuinæ bonitati, ſiuè miſericordiæ diuinæ in ſui participatione, Neq; n. negat diuinam bonitatem, imò quia nimis exceſſiuā reputat, deſperat. Cæterùm ex parte noſtra deſperatio, eſt grauior infidelitate, & odio Dei grauitate periculi, & damni, quia periculoſiſſima res eſt deſperatio, vtpotè effrenatè præcipitans iudicia.

Tertio *Explicat S. Thom. art* 4 Principium, ſeu vitium capitale vnde oritur deſperatio; ipſa enim non tam eſt vitium capitale, quàm finale; Oritur autem deſperatio (*inquit S. Thom.*) tùm ex luxuria, tùm ex accidia, cum enim obiectum ſpei ſit *bonum arduum poſſibile adipiſci,* illa vitia mouent ad deſperationem ſpecialiter, quæ tollunt exiſtimationem boni ardui, vel exiſtimationem poſſibilis, exiſtimatio autem boni ardui tollitur per luxuriam: quia affectus delectationis Carnalis ſic hominem abſorbet, vt non cogitet bona ſpiritualia tanquam magna, & ardua, & ſibi delectabilia, ſed faſtidiat ea; & ideò ex bono carnali inſurgit motus deſperationis circa bonum ſummè ſpirituale. Exiſtimatio autem de poſſibilitate adipiſcendi tollitur per accidiam, id eſt, Triſtitiam de rebus ſpiritualibus: Triſtitia enim eſt deiectrix ſpiritus, animus autem deiectus non exiſtimat poſſibile ſibi aliquid magnum, neque ad illud erigitur; vnde deſperat de eo adipiſcendo. Propter quod frequentiùs videmus homines triſtes, & melancholicos eſſe diſpoſitos ad deſperationem, quia ex deiectione animi non ſunt valdè aggreſſiui, ſicut oportet eſſe ſpem.

In *quæſtione* 21 *agit Sanctus Doctor* de vitio contrario ſpei per exceſſum, quod eſt Præſumptio; circa quam conſiderat *Sanct. Thom.* quatuor. *Primò,* Quod Præſumptio quæ contrariatur ſpei theologicæ etiam innititur diuinæ virtuti ſed falsò exiſtimatæ. *Secundò,* quod ſit peccatum. *Tertiò,* vnde habeat contrariam ſpei, & timori. *Quartò,* quod ſit principium extrinſecum quaſi mouens, & impellens ad præſumendum, & hoc vltimum pertinet quaſi ad cauſam extrinſecam; tria prima quaſi ad intrinſecam rationem *Eſt autem notandum,* quod ſicut deſperatio verſatur circa rationem poſſibilis, exiſtimando non eſſe aliquid poſſibile practicè, ſic præſumptio verſatur circa poſſibile nimis, exiſtimando aliquid eſſe poſſibile: vnde non tendit per exceſſum in bonum quod eſt Deus directè; ſed in ipſam poſſibilitatem & aſſequutionem vt applicandam nobis. Et quia dicitur aliquid *poſſibile* ratione facultatis cui innititur ad aliquid conſequendum, inde eſt, quod in Spe humana innititur aliquis facultati propriæ, ſeù creatæ, ad aliquid conſequendum, & ſi inordinatè innititur, ita quod ſperat ea quæ excedunt propriam facultatem, præſumptuose ſperat, quia vltrà propriam facultatem præſumit. In ſpe autem diuina, quæ innititur diuinæ potentiæ non abſolutè conſideratæ, ſed vt ordinatæ per diuinam ſapientiam, & iuſtitiam, dantem vnicuique quod proportionatum eſt, tunc aliquis præſumptuosè ſperat, & immoderatè, quando tendit in aliquid poſſibile non ſecundùm ordinem diuinæ ſapientiæ, & iuſtitiæ; & ſic præſumptuoſus licèt ex vna parte videatur magnificare diuinam potentiam, nimis in ea ſperando, tamen ſimpliciter contemnit illam, & diminuit non abſolutè, ſed quantum ad ordinem ſuum: quia ordinatæ potentiæ non innititur. Et cum ordo iſte conſtituatur per diuinā iuſtitiam, quia gubernat omnia ordinatiſſima prouidentia; ideò præsūptio dicitur contrariari diuinæ iuſtitiæ ſicut deſperatio, D. miſericordię, & ſpecialiter eſt peccatū in Spiritū S. quia cōtēnit, D adiutoriū, nō volēdo illud eo ordine quo datur à Deo: abiecto autē adiutorio Dei eo modo quo à Deo datur, contēnitur illud principiū per

quod

quod homo reuocatur à peccato, & hoc dicitur *Peccatum in Spiritum ſanctum*, quia licet omnia peccata ſint contrà Dei maieſtatem, quia tamen Spiritui ſancto ſpecialiter attribuitur infuſio donorum quibus iuſtificamur à peccato; ideò illa peccata, quæ ſpecialiter opponuntur principiis reuocantibus à peccato reſiſtunt Spiritui ſancto.

Ex hoc autem quod præſumptio immoderatè innititur diuinæ potentiæ, colligit *S. Doctor artic. 2.* Quod habet rationem peccati eodem modo quo deſperatio, ſcilicet quia eſt appetitus conformis falſo intellectui, id eſt, falsò dictamini practico, quo æſtimatur poſſe conſequi à Deo id quod non eſt poſſibile ſecundum ordinatam potentiam: verbi gratia, veniam peccatorum ſine recta pœnitentia, vel gloriam ſine meritis. *Et notat Sanct. Thom.* quod peccare ſub ſpe veniæ aliquando diminuit; non aggrauat peccatum, quando ſcilicet peccatur cum æſtimatione veniæ percipiendæ mediante recta pœnitentia: quia eſt indicium quod animus non eſt nimium firmatus in peccato; peccare autem ſub ſpe veniæ percipiendæ etiam ſine pœnitentia, vel non curando de pœnitentia, eſt peccatum præſumptionis, & grauiſſimum; quia firmat animum ad peccandum.

Colligit *præterea in art. 3.* Quod præſumptio contrariatur ſpei, & timori, ſed timori ratione ſui generis, ſpei verò ratione ſuæ differentiæ; & ideò per ſe magis contrariatur ſpei. Eſt enim præſumptio exceſſiua, ſeu inordinata ſpes, ex ipſa ergo ratione generica qua communicat cum ſpe, mouetur in obiectum contrario modo, quam timor, quia timor refugiendo, ſpes aggrediendo procedit: & quia præſumptuoſus nimis aggreditur, totaliter excludit timorem. At verò ex parte inordinati modi ſperandi, contrariatur præſumptio ordinato modo ſperandi, quod pertinet ad differentiam ſpei, vt virtuoſa, & recta eſt, vnde contrariatur illi intra idem genus.

Denique *in art. 4. oſtendit S. Thom.* Originem extrinſecam præſumptionis, & eſt duplex; nam præſumptio, quæ innititur propriæ virtuti, & opponitur magnanimitati oritur ex inani gloria, ex eo enim quòd multùm aliquis deſiderat gloriam, attentat ea quæ ſuprà vires proprias ſunt, & præcipuè (*inquit ſanct. Thom.*) Attentat noua, quæ maiorem admirationem habent, ideoque ſignanter *dixit S. Gregor. 31. Moralium capit. 31.* Quod præſumptio nouitatum, eſt filia inanis gloriæ. *At verò* præſumptio, quæ innititur per exceſſum diuinæ virtuti, & contrariatur directè ſpei theologicæ, videtur naſci ex ſuperbia, quia ita aliquis ſe æſtimat quaſi abſolutæ potentiæ, non ordinatæ, innitatur, ita vt nec peccantem Deus puniat, vel à gloria excludat.

In quæſtione 2. 2. agit vltimò D. Thom. de præceptis quæ in lege data ſunt de actibus ſpei, & timoris, quæ in ipſa littera ſatis clara ſunt, & difficultate vacant.

Sic ergò explicato ordine, & ſenſu litteræ D.Thom. ad pleniorem intelligentiam earum difficultatum, quæ in hac materia controuerti ſolent in quatuor diſputationes hunc tractatum diſtribuimus. *In prima* agemus de obiecto formali, & materiali, & natura ſpei theologicæ. *In ſecunda*, de ſubiecto ſpei *In tertia*, de dono timoris. *In quarta*, de deſperatione, & præſumptione.

DISPVTAT. X.

De obiecto formali, & materiali, & natura ſpei theologica.

EXACTA *Cuiuſcunque virtutis conſideratio ex tribus pendet*, ſcilicet ex obiecto à quo ſpecificatur ex habitu in quo conſiſtit, ex actibus ad quos ordinatur. & hæc omnia in hac diſputatione tractāda ſunt, vt quidditas virtutis ſpei ſcientificè cognoſci poſſit. Nec tempus terendum eſt, in variis nominibus, & acceptionibus ſpei explicandis, ſed nomine *Spei*, intelligimus vnam ex virtutibus theologicis, quæ facit nos tendere in conſecutionem ſummi boni, iuxtà quod illam nominat Apoſtolus inter has virtutes, 1. Corinth. 13. *Nunc autem manent, Fides, Spes, Charitas, tria hec.*

ARTICVLVS I.

Quod ſit obiectum formale ſpei theologica?

1 RECOLENDA *Eſt doctrina*, quam ſupra in tractatu de fide, *diſput. 1. artic. 1.* Latè explicauimus de diſtinctione obiecti materialis, & formalis; & rurſus obiectum formale poteſt ſumi dupliciter. Primò, pro ratione formali *ſub qua*, Secundò pro ratione formali *qua*, & breuiter dicimus, quod in communi loquendo *obiectum materiale* dicitur, res illa quæ attingitur, ſicut in ſpe, res ſperata eſt obiectum materiale; *formale autem* dicitur ratio attingendi talem rem, ſicut in ſpe obiectum formale eſt id eſt quo res aliqua redditur ſperabilis theologice. Et non acquieſcimus *Patri Lorca hic quæſt. 17. diſp. 3. membro* 1. Qui confundit obiectum eſſentiale, ſeu id quod eſſentialiter requiritur ad obiectum cum formali. Vnde non renuit concedere in ſpe duo obiecta formalia, ſcilicet Deus vt beatificans, qui ſperatur, & Deus vt auxilians in quo ſperatur; ſed inconuenienter loquitur; quia in vna ſpecie non eſt niſi vna forma, & vnum ſpecificatiuum; licet aliquid aliud quam forma poſſit pertinere ad eſſentiam, & conſtitutionem ſpeciei, ſicut materia, & ſic obiectum materiale (præſertim quando eſt primarium, & per ſe) etiam pertinet eſſentialiter ad obiectum ſpecificatiuum, ſed non pertinet tanquam ratio formalis, ſed tanquam materia circa quam verſatur potentia, mediante ratione formali.

Eſt tamen obſeruandum ne contingat æquiuocari hic, quod aliquando id quod eſt obiectum materiale: ſolet vocari formale, ſecundum aliquam conſiderationem. & hoc ideò, quia inueniri poteſt ex parte materialis obiecti aliquid tanquam principale, & primarium, aliud vt minus principale, & ſecundarium; & ſubordinatum primario; & quia omne illud quod perficit, & determinat aliud vocatur *formale* reſpectu illius, quia proprium eſt formæ actuare, & perficere, & determinare, hinc eſt, quod vbicunque in aliquo obiecto conſideratur aliqua ratio determinans, & ſubordinans ſibi aliam, & conſequenter determinans illam, vt pertineat ad aliquam potentiam, aut virtutem, vocamus illam rationem, *formale*, reſpectu eius quod determinat; licet iterum illud

formale ſic determinans poſſit eſſe determinabile ab aliqua ratione formaliori, & ſuperiori, etiam intrà genus ſuum, reſpectu cuius dicetur obiectum materiale, quouſque ſiſtamus in aliqua vltima formalitate, quæ ita determinat obiectum ad aliquam potentiam, quod vlteriùs non eſt determinabilis in illo genere, & iſta vocatur *Ratio formalis, ſub qua v. g.* in viſu habet ſe tanquam obiectum materiale quod videtur, corpus quantum; determinatur autem hoc materiale, & proportionatur, vt ſit obiectum viſus per colorem, & ita color dicitur formale obiectum viſus reſpectu corporis, quod formalizat: ſed tamen quia ipſe color etiam eſt res quæ videtur, & non eſt per ſeipſum vltimatè viſibilis in actu, vt patet quando manet in tenebris, ideò indiget alia formalitate conſtituente ipſum in vltima ratione obiecti viſibilis, ſcilicet, luce reſpectu cuius color eſt obiectum materiale. ipſa autem lux, quia eſt vltima ratio viſibilitatis habet eſſe, vt ratio formalis ſub qua. *In præſenti ergo art. inquirimus*, de formali ratione obiecti ſpei theologicæ, quæ ſit *ratio ſub qua*, & vltima, in quam reſoluatur omnis ratio obiecti ſperabilis, vt ſperabile eſt theologicè. Deinde verò ſequenti artic. Inquiremus de obiecto materiali, tam principali, & primario, quàm ſecundario, & minus principali.

3 *Vt autem huius præſentis controuerſiæ punctum aperiatur*, Conſiderandum eſt omnes conuenire in hoc, quod ſpes in communi accepta habet pro obiecto *bonum arduum poſſibile futurum*, & conſequenter obiectum ſpei theologicæ debet eſſe bonum diuinum habens eaſdem conditiones: nam quod iſtæ conditiones ad obiectum ſpei neceſſariæ ſint conſtat *ex D. Thom. 1. 2. quæſt. 40. artic. 1.* Et communiter ab omnibus recipitur; & applicando illas obiecto ſpei theologicæ omnes iſtæ conditiones aliquid diuinum important, vt ſuprà in explicatione litteræ *quæſtionis* 17. dictum eſt, ſcilicet, *bonum*, importat diuinam bonitatem, *Arduitas* diuinam eminentiam; *Poſſibilitas* diuinum auxilium, *Futuritio*, diuinam voluntatem. *Eſt ergo dubium*, quænam ex his conditionibus ſit formaliſſima in ipſo obiecto ſpei, & tanquam ratio ſub qua reddat obiectum illud non ſolum amatum, ſicut charitas, nec ſolum deſideratum ſecundum concupiſcentiam, ſed etiam ſperatum.

4 *Etſi autem ſingulæ conditiones ſuos habeant Patronos*, & ſententias pro formali conſtitutiuo obiecti ſpei, præcipuè tamen reducuntur ad tres ſententias. Prima eſt, *Patris Suarez, 3. p. quæſt. 7. art. 4. in commentario articuli.* Et latius eam explicat *in tractatu de ſpe, diſput. 1. ſect. 3. nu. 4. & 20.* Quæ ſententia ſtat in hoc, quod ſpes non habet habitum ſibi adæquatum, ſed habitus à quo elicitur actus ſpei, eſt communis ad alios actus, ſcilicet, amorem concupiſcentiæ, deſiderium, fruitionem, &c. Qui omnes actus conueniunt in vno formali motiuo, à quo habitus ille ſpecificatur; & hoc motiuum formale eſt bonitas diuina, vt amabilis amore concupiſcentiæ; & in commodum ipſius amantis. Cuius tamen difficilior, & præcipuus actus, eſt actus ſpei, quia reſpicit hoc bonum, ſub ratione ardui, & difficilis, & ideo ab illo denominatur ille habitus, habitus ſpei, licet ad plures alios ſe extendat. *Itaque bonum diuinum*, vt terminat amorem amicitiæ eſt ratio ſpecificatiua ſpei. Vnde infert loco vltimo citato *numero 16. & 17.* quod etiam charitas poteſt ſperare aliquid à Deo pro ſe, vel pro alio, ſi ſperet ex amore amicitiæ; Si autem ex amore concupiſcentiæ, & in bonum proprium non erit charitatis actus, ſed ſpei. Pro hac ſententia citat *Scotum, Gabrielem, Almainam*, eamque tribuit *Diuo Thomæ 2. 2. quæſt. 17. artic. 8. & quæſt. diſp. de ſpe artic. 3. Et Pater Torres hic diſp. 60. dub. 2.* eandem ſententiam exiſtimat probabilem, ſed expreſſam contrà *D. Thomam.* In eam tamen videtur incidiſſe *Suarez*, ex alia doctrina, quam docuit *lib. 5. de anima. capite 4.* Quod concupiſcibilis, & iraſcibilis etiam in parte ſenſitiua non ſunt diuerſæ potentiæ, ſed vna, & eadem, habens pro obiecto formali bonum ſenſibile, vt conueniens naturæ ſenſitiuæ, ſiue non. Et transferendo hoc ad voluntatem, exiſtimat ſolùm rationem boni, vt dicit rationem conuenientis in commodum proprium conſtituere formaliter habitum communem ad tendendum in bonum arduum, vel non arduum.

Secunda ſententia ſimpliciter, & ſine diſtinctione fatetur obiectum formale ſpei diſtingui ab obiecto formali charitatis per ipſam rationem *Ardui*, cum vtraque virtus verſetur circà bonum diuinum. Pro qua ſententia citatur *Richardus, Durandus, Bonauentura, Paludanus ad diſtinctionem 26. libro 3. Sententiarum, & D. Thom. hic quæſtion. 17. articul. 1. & 2. & 3. & diſputata de ſpe art. 1.* 5

Tertia ſententia eſt Patris Vazquez 1. part. diſp. 84. cap. 1. & 3. part. diſp. 43 cap. 2. quem ſequitur *Pater Torres loco citato*, Qui exiſtimat formalem rationem ſpei ſumi ex poſſibilitate, ſiue omnipotentia diuina, non autem per ſe pertinere ad ſpem theologicam, quod bonum ſperatum ſit diuinum, vel creatum: & ſupponit ad fundamentum huius ſententiæ, quod nomini ardui, in obiecto ſpei, non eſt intelligendum id quod eſt difficile difficultate quaſi ſibi intrinſeca, ſed id quod eſt poſitum in aliena poteſtate, & redditur poſſibile per aliud; ſic eſt difficile ab extrinſeco. Quod enim eſt in noſtra poteſtate, & redditur poſſibile per aliud, & ſic eſt difficile ab extrinſeco. Quod enim eſt in noſtra poteſtate otiosè ſperatur. *Ex quo vlterius infert*, quod omnipotentia diuina eſt formalis ratio ſpei theologicæ, quia per accidens eſt quod bonum ſperatum ab iſta omnipotentia ſit diuinum, vel creatum. Sicut ratio formalis fidei eſt teſtificatio diuinæ veritatis, ſiue res teſtificata ſit aliquid diuinum, ſiue creatum. Eodem modo diuina omnipotentia, vt auxilians eſt ratio formalis ſpei, ſiue bonum ſperatum ſit diuinum, ſiue non. 6

Huic dicto ex aduerſo contradicit Pater Suarez vbi ſuprà nu. 21. dicens: omnipotentiam Dei pertinere ad obiectum formale, quatenus eius actio ſperari poteſt. *Quid autem inferant* ex iſtis ſententiis oppoſitis iſti authores, circa habitum, vel actum ſpei in beatis, & in Chriſto Domino, *ſequenti diſputatione* referemus, & refutabimus. *Addit Pater Torres, & poteſt eſſe quaſi quartus modus dicendi*, Quod non debent excludi promiſſiones diuinæ ab obiecto formali ſpei, quia licet omnipotentia Dei explicet virtutem, qua iſtud bonum adipiſcendum eſt quantum ad ſui poſſibilitatem, tamen non ſufficit eſſe poſſibile, vt ſit obiectum ſpei, ſed etiam futurum. hoc habetur per diuinam voluntatem, quæ nobis innoteſcit per eius promiſſiones, ſine quibus omninò 7

langueret

langueret ſpes. Quare ſpes,& omnipotentiæ, & fidelitati Dei innititur, quatenùs non ſolum præſtare poteſt,ſed etiam vult beatitudinem ſuam nobis.

8 Sit *Prima concluſio :* Vtraque ſententia patris Suarez, & patris Vazquez eſt contra D. Thom. & contra veritatem. Et quod attinet ad ſententiam *Patris Suarez*, quia in hoc præcipuè conſiſtit, quod ponit vnum habitum non ſolum pro actu ſpei, ſed etiam pro alijs actibus deſiderij,& amoris, qui tendunt in Deum, vt bonum concupitum, comprehenditque iſte habitus voluntatem, ſecundum vim iraſcibilem, & concupiſcibilem; denominatur tamen habitus ſpei à difficiliori actu, qui verſatur circa bonum concupitum, vt arduum, & abſens, *ideò* omittenda ſunt plura loca *D. Thomæ*, in quibus docet ſpem præſupponere amorem, ſeu deſiderium, & ex illo oriri; non amorem amicitiæ, qui perfectus eſt, ſed concupiſcentiæ. *Reſponderi enim poteſt*, Quod ſpes ſupponit,& noſcitur ex amore,id eſt, actus ſpei ex actu amoris, non tamen habitus ſpei, ſed vterque actus procedit ab eodem habitu, ſicut ab eadem virtute procedit intentio, & electio, alijque ſimiles actus,& primus præſupponitur ad ſecundum. *Cæterùm ex locis, quæ ſequenti concluſione afferentur*, liquido conſtabit de mente *Sancti Doctoris.* Interim videri poteſt, *infrà q.18.art.4. ad* 2. Vbi ſanct.doctor expreſè affirmat, Quod gaudium, & deſiderium non habent obiectum, quod petat ſpecialem habitum, ſed conſequuntur ex amore: ſed ſpes, quia addit ex parte obiecti quandam ſpecialem rationem, ſcilicet arduum,& poſſibile adipiſci;ideò ponitur ſpecialis virtus. Ergo ſecundum mentem Sanct. Thomæ ſola ſpecialis ratio ſpei conſtituit virtutem, ſeu habitum, non verò illa communis ad bonum arduum, & non arduum. Et idem docet *D.Thom.quæſt. diſputata de ſpe art.1.ad 6.*

9 Ratione *impugnatur efficaciter hæc ſententia*, & multis alijs omiſſis hac vnica illã impugno. Deſperatio deſtruit habitum ſpei theolog.ſubſtantialiter,& intrinſecè;& non deſtruit deſiderium,nec amorem concupiſcentiæ erga Deum; ergo habitus ſpei theologicæ non habet pro obiecto formali bonum diuinum, vt concupiſcibile,ſed præcisè vt adipiſcibile, & arduum. *Conſequentia patet.* Quia ſi obiectum formale eſt bonum,vt ſtat ſub amore concupiſcentiæ communi ad arduum, & non arduum, ſtante hac ratione formali, & non deſtructa, non deſtrueretur habitus, qui ab ipſa ſpecificatur, quia non deſtructo ſpecificatiuo non deſtruitur ſpecificatum, ergo ſi deſperatio non deſtruit hanc rationem formalem boni diuini, vt deſiderati, & concupiti non deſtruet virtutem ſpei, ſed ſolum impediet vnum actum illius;ſicut fatetur ipſe *Suarez* in animabus beatis manere habitum ſpei, quoad actum fruitionis, & amoris concupiſcentiæ, non quoad actum ſpei. *Antecedens verò habet duas partes.* Prima, quod deſperatio deſtruat virtutem habitualem ſpei; *alia*, quod non deſtruat deſiderium de Deo. *Prima pars* admittitur ab ipſo, *patre Suarez tractatu de ſpe diſput. 1. ſect. 8. numero* 1 *&* 2. Vbi docet,quod ſpes corrumpitur per deſperationem, & infidelitatem, & loquitur de ſpe *non pro actu*, ſed *pro virtute*, vt expreſsè dicit *num.* 2. in fine. *Et manifeſtè conſtat.* Quia ſpes, vt virtus theologica eſt amiſſibilis per peccatum ſibi contrarium,ſicut fides,vt docet *Sanct.Thom. infrà q.24. art. 12. ad* 5. Et communiter omnes theologi. Peccatum autem, quod ſpecialiter eſt contrarium ſpei,eſt deſperatio, neque etiam minus opponitur ſpei theologicæ deſperatio, quam fidei infidelitas. *Sicut ergo* infidelitas deſtruit habitum fidei, ita & deſperatio habitum ſpei, & ſicut infidelitas deſtruit habitum fidei ſubſtantialiter, non ſolum impediendo quantum ad aliquem actum, ſed ſimpliciter deſtruendo, ita & deſperatio ſimpliciter deſtruit habitum virtutis ſpei, & non ſolum impedit quantum ad aliquem actum, ſiquidem eodem modo opponitur illi, & eius rationem formalem diſſoluit, ſicut infidelitas fidem; alioquin habitus ſpei, vt eſt virtus theologica non eſſet amiſſibilis per peccatum oppoſitum.

Secunda *Vero pars probatur ex doctrina S. Thomæ* 1. 2. *qu.* 40. *articulo* 4. *ad* 3. vbi inquit, quod *deſperatio importat quemdam receſſum a re deſiderata, propter æſtimatam impoſſibilitatem adipiſcendi, vnde deſperatio præſupponit deſiderium, ſicut & ſpes. De eo enim,quod ſub deſiderio noſtro non cadit, neque ſpem, neque deſperationem habemus, & propter hoc etiam vtrumque eorum eſt de bono,quod ſub deſiderio cadit.* Ita D.Th. ex qua doctrina arguitur ſic. Deſperatio eſt *receſſus a re deſiderata propter æſtimatam impoſſibilitatem*; *ergo* cum deſperatione ſtare poteſt deſiderium de re quam deſperamus; nam ſupponendo deſiderium recedit *ob æſtimatam impoſſibilitatem*; ergo ex vi deſperationis non tollitur deſiderium, ſed magis ſupponitur. Niſi fortè deſperationi adiungatur odium, ſicut eſt in damnatis, in quibus nec ſpes manet, nec deſiderium de Deo, quia habent odium Dei, cum quo deſiderium, & amor illius non compatitur. Et ipſa experientia, hoc teſtificatur; nam aliquando deſperamus de ſalute infirmi,& de victoria euadendi periculum, vbi. & cui ſuccumbimus, & tamen ſalutem, & euaſionem deſideramus: Non ergo deſperatio excludit deſiderium, & conſequenter, neque amorem concupiſcentiæ in quo fundatur. Si ergo deſperatio deſtruit habitum virtutis ſpei, & non deſtruit deſiderium,& amorem concupiſcentiæ erga rem ſperatam, quæ eſt Deus, manifeſtè concluditur, quod ratio formalis iſtius habitus, qui eſt ſecunda virtus theologica,non eſt aliquid commune actui ſperandi,& deſiderandi,ſed ſpeciale ipſi actui ſperandi, ita quod ſit amiſſibile per deſperationem ſine ſitubſione rationis formalis deſiderandi. 10

Denique *Confirmatur.* Nam virtus ſpei poteſt amitti non amiſſa fide, vt determinat *Sanct. Thom.infra qu.*20. *art.* 2. Ergo neque amiſſa pia affectione erga Deum. *Conſequentia patet.* Quia fides fundatur in pia affectione voluntatis. Rurſus: pia affectio erga Deum non eſt ſine aliquo amore ſupernaturali ipſius Dei, & veritatis eius, non amore amicitiæ, & perfecto (ſic enim eſſet charitas, & conſequenter non eſſet amiſſa ſpes) ergo concupiſcentiæ,& imperfecto;ergo manere poteſt iſte amor ſine habitu ſpei, & conſequenter virtus ſpei non habet pro obiecto adæquato Deum vt concupitum amore concupiſcentiæ,ſed vt ſperatum ad adipiſcendum. 11

Et *ex hoc manet* impugnatus modus quo Pater Lorca defendit hanc opinionem *Suarij, hic ſection.* 1. *de ſpe, diſp.* 6. Qui modus aliquanto acerbior eſt modo defendendi *Patris Suarij*, inquit enim *num* 13. Quod motiuum amoris, deſiderij, & ſpei eſt vnum, & idem,ſcilicet a nate 12

Deum vt bonum noſtrum. Et licet non inueniatur in omnibus actibus obiectum formale *quo* ſpei, ſcilicet, illud in quo ſperatur, ſufficit tamen inuenire obiectum formale *quod*, ſcilicet, res ſperata à quo ſumitur potiſſima ſpecificatio; nec requiritur quod in omnibus actibus inueniatur ratio formalis *ſub qua*, ſeu obiectum formale *quo*. Cæterum hæc Phyloſophia nullomodo admittenda eſt, Quia ratio formalis *ſub qua*, non accidentaliter, ſed intrinſecè, & formaliter concurrit ad ſpecificationem habitus, vel potentiæ, vt communiter ſupponunt Phyloſophi, & tradit optimè *Sanct. Thom. 1. 2. quæſtion. 47. artic. 11.* Ergo ratio formalis adæquata alicui potentiæ, vel habitui reperiri debet in omni actu procedente à tali habitu, vel potentia. *Conſequentia aperta eſt*, Quia quicumque actus procedens ab aliqua potentia, vel habitu debet participare ſpeciem illius, (alioquin produceret potentia actum extra ſuam ſphæram, & limitationem ſpecificam, ad quod non habet capacitatem,) ergo quicumque actus debet carere omni eo, quod deſtruit ſpecificationem ſui habitus, ſed deficiente ratione formali *ſub qua*, deficit aliquid eſſentiale, & intrinſecum, ergo ſoluitur ſpecificatio actus, & habitus.

13 At verò *ſententia Patris Vaſquez in duobus deficit à D. Thom. Primò*, in eo quod aſſerit de ſpe communiter dicta, quod *ratio ardui* in illa eſt idem quod adipiſcibile per facultatem alienam, ita quod non ſit poſitum in noſtra poteſtate. Hoc dictum eſt expreſsè contra *D. Thom. 1. 2. quæſt. 40. art. 2. ad 1.* Vbi inquit quod, *quia ſpes reſpicit bonum poſſibile, inſurgit dupliciter hominimotus ſpei, ſicut dupliciter eſt ei aliquid poſſibile, ſcilicet ſecundum propriam virtutem, & ſecundum virtutem alterius. Quod ergo aliquis ſperat per propriam virtutem adipiſci, non dicitur expectare, ſed ſperare tantum; ſed propriè dicitur expectare, quod ſperat ex auxilio virtutis alienæ, vt dicatur expectare, quaſi ex alio ſpectare.* Ita D. Thom. Eiidem habet *in quæſt. diſput. de ſpe, art. 1.* Et de magnanimitate dicit *hic quæſt. 17. art. 5. ad 4. quod magnanimus tendit in arduum ſperans aliquid, quod eſt ſuæ poteſtatis, vnde propriè reſpicit operationem aliquorum magnorum.* Ecce quomodo *Sanct Thom.* apertè fatetur de ſpe communiter dicta, & de illa quæ eſt in magnanimitate, quod reſpicit arduum aſſequendum propria poteſtate, licet ſpes theologica reſpiciat arduum, quod in poteſtate alterius, & mediante auxilio Dei conſequendum eſt. Vnde perperam *Pater Torres* adducit hoc teſtimonium pro ſe tanquam clariſſimũ ſolum enim probat quod ſpes theologica non nititur proprijs viribus. Sed oppoſitum manifeſtè dicit *D. Thom.* de ſpe communiter dicta, quod poteſt inniti poteſtati propriæ; ergo cum eſſentialis ratio ſpei ſaluetur in ſpe communiter dicta, euidenter ſequitur, quod ratio ardui, quæ eſſentialiter requiritur ad ſpem, non limitatur ad illud, quod eſt in poteſtate alterius. *Et ſuffragatur ipſa experientia.* Nam quando aliquis ſolus incidit in periculum, v. g. ſi decidit in fluuium, & natando conatur ſaluari, aut ſi in pugna conatur vincere, talis conatus eſt cum ſpe adipiſcendi ſalutem, & euadendi periculum; ſi enim deſperaret, non conaretur ad victoriam, ſed ſuccumberet: & tunc non ſperat per auxilium alterius, ſed per propriam actionem, quia vt ſupponimus, ſolus natat, & ſolus pugnat; ergo poteſt dari ſpes circa arduum, quod propria poteſtate eſt aſſequendum.

Secundo *deficit ſententia Vazq. à D. Thom.* in
eo quod affirmat circa ſpem theologicam, ſcili-
cet, non pertinere ad formale obiectum eius, 14
quod ſit circa bonum diuinum, tanquam circa materiam per ſe, & eſſentialiter requiſitam: ſed ſiue bonum, quod ſperatur ſit diuinum, ſiue creatum, dummodo auxilio diuino ſperetur, ſaluatur eſſentia ſpei theologicæ. In hoc deficit *Vazquez*, quia bonum ſperatum, licet non pertineat ad obiectum formale, pertinet tamen ad eſſentiale ex parte materiæ, taliter quod ſi per auxilium diuinum ſperetur aliquid creatum, & non Deus, ſoluitur ſpecies huius virtutis, ſicut ſi tollatur coloratum à viſu. Verba *D. Thom.* ſunt *in quæſt. diſp. de ſpe art. 4.* vbi inquit: *Si ſubſtrahatur principale obiectum ſpei, ſecundum quod eſt virtus theologica, ita ſcilicet quod beatitudo æterna iam non ſit futura, ſed habita, ceſſat ſpecies huius virtutis. Vnde nõ eſt in Beatis ſpes virtus theologica Poſſunt autem Sancti aliqua ſperare innitendo diuino auxilio, vel ad ſe, vel ad alios pertinentia ſecundum communem rationem ſpei, quæ non eſt virtus theologica.* Ita D. Thom. vbi clarè loquitur contra *Patrem Vazquez* ponendo quod poteſt aliquis ex diuino auxilio ſperare aliquod bonum à Deo, & tamen quia non eſt beatitudo æterna, quod eſt principale eius obiectum deſtruitur ſpecies huius virtutis. Et eodem modo *hic quæſt. 18. art. 2.* docet quod ſoluitur ſpecies virtutis ſpei ſublata beatitudine æterna, quæ eſt eius obiectum principale. Et in tota iſta *quæſt. 17.* aſſignat pro eſſentiali obiecto ſpei, non ſolum diuinum auxilium, quod tenet ſe ex parte formalis, ſed etiam beatitudinem æternam, quæ tenet ſe ex parte materiæ, vt patet *artic. 4. & 5. in corp. & ad 1. & art. 6. ſol. ad 3.*

Ratione *quoque efficaciter conuincitur.* Quia
auxiliũ diuinum, cui innititur ſpes theologica de- 15
bet eſſe auxilium ſupernaturale quoad ſubſtantiam, & non ſolum quoad modum; ergo eſſentialiter debet tendere in bonum ſupernaturale quoad ſubſtantiam, & non ſolum quoad modum, quod eſt ordo gratiæ, in quo principale obiectum eſt gloria, quæ eſt gratia conſummata. *Conſequentia eſt manifeſta, & antecedens probatur*, Quia auxilium diuinum, quod eſt formale obiectum ſpei theologicæ eſt formale ſpecificatiuum, in ſententia *Vazquez*, virtutis ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, qualis eſt virtus theologica; ergo tale ſpecificatiuum debet eſſe ſupernaturale quoad ſubſtantiam *Item.* Quia de eſſentia virtutis theologicæ eſt quod habeat pro materia proxima ipſum Deum in ſe; ergo bonum diuinum pertinet ad eſſentiale obiectum ſpei theologicæ. *Conſequentia eſt certa.* Quia materia proxima alicuius virtutis non ſe habet accidentaliter ad illam, ſed intrinſecè, & per ſe. *Antecedens verò conſtat.* Tùm *ex D. Thom. in 3. diſt. 26 quæſt. 2. art. 2.* dicente, Quod *obiectum quod facit ſpem eſſe virtutem theologicam, eſt futura beatitudo:* Tùm ex eodem *1. 2. q. 62. art. 1. & 3.* Vbi docet, quod de ratione virtutis theologicæ eſt quod faciat hominem adhærere fini vltimo ſupernaturali, tanquam proprio obiecto talium virtutum, ex parte quidem cognitionis per fidem; ex parte verò voluntatis, quantum ad intentionem, quæ reſpicit finem, vt aſſequendum, per ſpem; quantum vero ad vnionem amoris per charitatem. Et ita de eſſentiali ratione

tione virtutum theologarum eſt, vt non verſentur circà media, ſed circà finem vltimum. Sed ſi mediante auxilio diuino ſperaretur aliquid creatum primario, & per ſe, ea vi talis actus non attingeret Deum vt finem vltimum, ſiquidem auxilium non eſt vltimum, quod aſſequi intendimus, ſed id per quod aſſequimur finem. Et licet ipſum auxilium ea poteſtate auxilians ſit ipſe Deus, tamen non induit rationem finis ſperati ſub hac formalitate poteſtatis auxiliantis, ſed ſub conceptu bonitatis fruendæ. *Quod manifeſtè patet*, Quia diuinum auxilium, etiam ſumptum pro poteſtate auxiliante, in tantum reſpicitur à ſpe, in quantum reddit poſſibile bonum, quod ſperatur; ergò ſupponit dari aliquod bonum, quod ſic reddatur poſſibile, & illud eſt id quod ſperatur vt aſſequendum & vt finis fruendus. Sed ille finis qui redditur poſſibilis, & aſſequendus à virtute ſpei, debet eſſe finis vltimus ſupernaturalis, (vt diximus *ex D. Thom.*) ergo tam eſſentiale eſt virtuti ſpei reſpicere bonum diuinum, vt aſſequendum, ſicut eſſentiale eſt omni ſpei reſpicere aliquod bonum, vt ſperatū.

16 Secunda concluſio Formalis ratio ſpei theologicæ eſt omnipotentia, auxilians, ſeu diuinum auxilium, non abſolutè, & vt exequens effectus ad quos concurrit auxilium, ſed quatenus conſtituit ipſum bonum diuinum, ſeu beatitudinem in ratione boni ardui aſſequibilis. Et ſic induit ſpecialem rationem boni, diſtinguens ipſum à bono terminante amorem charitatis, vel ſimplicis concupiſcentiæ. Hæc concluſio eſt expreſſa *D Thom. in quaſt. diſp. de ſpe, art.* 4. Cuius hæc ſunt verba: *Spes ſecundum quod eſt virtus theologica obiectum formale eſt auxilium diuinum, cui inhæretur, & quamuis ſub hoc obiecto formali multa materialia ſperata comprehendantur, vnum tamen eſt principale, & alia ſunt ſecundaria, vel adiuncta. Quod quidem poteſt accipi dupliciter vno modo ex parte rei ſperatæ: alio modo ex parte hominis ſperantis. Ex parte quidem rei ſperatæ principale obiectum ſpei ſecundum quod eſt virtus theologica, eſt plena Dei fruitio, quæ beatum facit. Alia verò ſub ſpe cadunt in ordine ad hunc finem, ſiue ſint ſpiritualia, ſiue temporalia bona.* & eodem modo loquitur *D. Thom. in eadem quaſtione artic* 1. *in corpore*, vbi inquit: *Quod ſicut formale obiectum fidei eſt veritas prima, per quam, ſicut per quoddam medium aſſentit his quæ creduntur, quæ ſunt materiale obiectum fidei, ita etiam formale obiectum ſpei eſt auxilium diuinæ poteſtatis, & pietatis propter quod tendit motus ſpei in bona ſperata, quæ ſunt materiale obiectum ſpei.* Et inter iſta materialia obiecta. ponit *ſanct. Thom.* eſſe principale, ad quod cætera referantur, fruitionem diuinam, *quia in ordine ad hanc fruitionem ſperamus adiuuari a Deo.* Ita ſanct. Thom. Qui etiam videri poteſt *ſolution. ad* 7. Et illæ authoritates adeò claræ ſunt, vt ponderatione non egeant, ſed illis vti debemus ad intelligenda ea, quæ tradit *S. Thom. in hac quaſtion.* 17. *articul.* 2. 5. *&* 6. & ferè per totam *quaſtionem*, dum ponit pro obiecto ſpei bonum diuinum, vt habet rationem cauſæ adiuuantis, ſeu agentis. Et ex parte cauſæ finalis ponitur pro obiecto principali beatitudo æterna, ita quod ea remota ſoluitur ſpecies huius virtutis. Intelligendum eſt enim, quod bonum diuinum, vt dicit cauſam finalem, & beatitudinem, eſt obiectum principale ſpei, tanquam res ſperata, & ex parte obiecti materialis primarij, quod etiam pertinet ad eſſentialem rationem obiecti, ſpei, tanquam materia; auxilium autem diuinum quaſi forma, ſeu ratio formalizans illud bonum finale, vt ſit obiectum ſpei.

Quod vt *profundius penetrari poſſit, aduerte*, 17
Quod Deus vt auxilians, & per modum cauſæ agentis poteſt dupliciter conſiderari. *Vno modo*, vt agens executiuè, & purè intrà limites exercitij efficiendi, cauſa enim effectiua de ſe executiua eſt. & hoc modo non ſe habet vt formale ſpecificatiuum ſpei; ſed magis, vt ratio executiua, & ducens in exercitio ipſam aſſecutionem boni ſperati; & quia ſpes propriè ordinat intentionem ad Deum, ordo autem intentionis eſt diſtinctus ab ordine executionis, ideò cauſa effectiua ſub conſideratione exequentis non ſpecificat formaliter ſpem. *Alio modo* conſideratur vt denominans obiectum poſſibile, etiam antecedenter ad ipſam executionem, ſicut Theologi communiter dicunt creaturas denominari poſſibiles, non per aliquam potentiam in illis intrinſecè poſitam, ſed per omnipotentiam diuinam à qua extrinſecè denominantur poſſibiles, vt expreſſè docet *S. Thom.* 1. *part. quaſt.* 9. *articul.* 1. Bonum ergò, quod ea ſe habet rationem cauſæ finalis, & eſt appetibile, ea habitudine agentis redditur poſſibile, & vlterius, ſi ſint difficultates in executione talis poſſibilitatis redditur vincens illam, & repellens impedimenta oppoſita. Ex hoc autem, quod bonum induit non ſolum communem rationem boni, quod eſt eſſe appetibile, & attractiuum, eſt ratio boni abſolutè conſiderata, ſed ſpecialem quandam rationem, quaſi comparatiuam, qua conſideratur illud bonum, vt repulſiuum cōtrariorum, & ſupereminens difficultatibus in ſui aſſecutione. ſic tranſit à ratione boni concupiſcibilis ad rationem boni ardui, & iraſcibilis, & ſic redditur obiectum ſpei. Quæ eſt ſingularis doctrina *ſanct. Thom.* maximè hic obſeruanda, inquit enim 1. *part. qu.* 81. *artic.* 1. quod obiectum iraſcibilis eſt arduum, *quia tendit ad hoc quod ſuperet contraria, & ſupereminea eis.* Quod magis explicans *Quaſtione ſequenti* 82. *articul.* 5. inquit, *Quod iraſcibilis reſpicit propriam rationem boni, ſecundum quod eſt repulſiuum, & impugnatiuum eius, quod infert nocumentum.* Itaque bonum vt allicit, & attrahit, dicitur *concupiſcibile*, vt autem opponitur malo, & vincit illud, dicitur *arduum*, & induit quandam ſpecialem rationem ſuperioritatis, & pretioſitatis. Sic enim dixit *ſanct. Doctor in* 3. *diſtinction.* 26. *quaſtion.* 1. *articul.* 2. *ad* 1. *quod difficile vel arduum addit quandam ſpecialem rationem bonitatis, ſcilicet pretioſitatem quandam ex hoc ipſo, quod de facili non habetur, ſicut dicitur omne rarum, carum.* Et verè eſt, quia licet ratio ardui, vel difficilis, non videatur habere rationem boni, quatenus voluntatem non attrahit, ſed magis retrahit, tamen hoc verum eſt conſiderato arduo ex parte periculorum, & laborum, quæ vincenda ſunt; At verò arduum ex parte victoriæ, quatenus ipſa bonitas vincit hæc pericula, & rationem mali oppoſitam, ſine dubio induit ſpecialem rationem, quia non conſideratur ibi bonum abſolutè, & vt alliciens, ſed bonum, vt vincens, & repellens nocumenta.

Igitur auxilium diuinum, ſiue omnipotentia 18
Dei, quatenus ſupponit quidem ipſam rem ſperatam, non ſolùm eſt bonum attractiuum (quod eſt habere abſolutam rationem boni, ſed etiam conſtituit formaliter ipſum bonum, vt vincens, & repellens impedimenta aſſecutionis, & ſic forma-

liter conſtituit rationem obiecti ſpei, ita quod poſſibilitas ſub hac conſideratione non ſe habet, vt conditio extrinſeca, ſed intra lineam ipſius rationis boni conſtituit ſpecialem rationem bonitatis, id eſt, non bonitatem abſolutè, vt eſt attrahens, & alliciens, ſed vt eſt vincens, & ſuppoſita victoria, etiam alliciens, & ſic eſt obiectum ſpei. Vnde *Geneſ.* 15. dixit dominus ad Abraham: *Ego ſum protector tuus, & merces tua magna nimis.* Vbi formaliſſimè explicatur obiectum ſpei, eſt enim Deus protector ratione ſui auxilij, ex quo ipſemet induit rationem mercedis magnæ, id eſt, arduæ, & ſupereminentis, quæ debetur victoriæ periculorum, & laborum, quæ ipſius protectione, & auxilio ſuperantur, & ſic eſt obiectum ſpei.

Proponuntur, & ſoluuntur argumenta.

1 PRæcipuum *fundamentum Patris Suarez*, petit illam difficultatem à quo principio eliciatur amor concupiſcentiæ erga Deum, vt diſtinguitur ab amore amicitiæ. Etenim amor Dei authoris ſupernaturalis, in quantum eſt bonum concupiſcibile nobis eſt amor ſupernaturalis, cum attingat Deum vt ſupernaturaliter amabilem, & eſt amor bonus, & honeſtus, cum non ſit contra aliquam regulam rationis tantum bonum ſibi deſiderare, & concupiſcere, ergo requirit de ſe aliquod principium ſupernaturale elicitiuum talis amoris, & deſiderij, ſed ad illud non poteſt aſſignari charitas, quia hæc elicit amorem amicitiæ, cuius ratio formalis eſt bonum diuinum propter ſe, ratio autem formalis concupiſcentiæ eſt bonum diuinum mihi. Præterquam quod poteſt dari iſte amor concupiſcentiæ in peccatore, ſicut & in illo manet ſpes, quæ in tali amore fundatur; & tamen in peccatore non manet charitas: ergo principium elicitiuum illius, vel erit virtus ſpei, vel alia quarta virtus theologica, vel nulla. Quarta virtus ponenda non eſt: negare autem habitum, ſeu virtutem pro tali actu eſt negare principium connaturaliter elicitiuum illius. Et deberet dici, quod vel elicitur ab auxilio, vel à ſola potentia naturali, à ſola potentia non poteſt, cum ſit actus ſupernaturalis: ab auxilio autem connaturaliter elici non poteſt, quia auxilium ſupponit principium proportionatum, cui præbeatur, & datur ſolum per modum tranſeuntis, & actus imperfectos: iſte autem actus elici poteſt permanenti modo, & in ſuo genere perfectus eſt: ergo requirit habitum; ergo ſi non eſt alius aſſignabilis elicitur ab habitu ſpei.

2 Ad *hanc difficultatem.* Mirum eſt quam varij modi dicendi circumferantur. Ne verò tempus teramus in illis recitandis, & reijciendis; admitto illum actum eſſe, ſupernaturalem, etiam quoad ſubſtantiam, quia fertur in Deum authorem ſupernaturalem, ſcilicet in ipſam beatitudinem æternam, quam ſibi concupiſcit. *Et Dico*, Quod duplex deſiderium aut amor concupiſcentiæ erga Deum habere poteſt: *alter* perfectus, & conſequens ad amorem amicitiæ: ex eo enim quod amicitiam habeo ad Deum, & ad homines, qui ſunt aliquid Dei, etiam me ipſum amo tanquam aliquid Dei, & conſequenter volo mihi bonum diuinum, & ex hoc amore redditur ſpes formata per ipſam charitatem, vt dicit *Sanct. Thom. quæſtion.* 17. *artic.* 8. *alter* eſt imperfectus antecedens ad charitatem, & amorem amicitiæ, & ex illo naſcitur ſpes ſecundum ſubſtantiam, etiamſi informis ſit. Si ſit amor perfectus primi generis elicitur à charitate; ſi imperfectus, & ſecundi generis elicitur in via ab habitu piæ affectionis, à quo originatur fides, & mediante fide ſpes: in patria autem, ſi talis actus imperfectus datur, elicitur à fruitione diuina, vel ab auxilio illi debito, quia iſte actus ſolum ibi tranſeunter habetur; ſi tamen habetur.

3 Explico *ſingula ex D. Th.* Nam charitas ex eo quod amat Deum, etiam amat ſe ipſam, & vult ſibi bonum diuinum, vt conſtat infra *quæſtio.* 25. *articul.* 4 Et quia hoc deſiderium ortum ex amicitia non habet aliquam ſpecialem difficultatem ſupra ipſum amorem amicitiæ, quo amat Deum, & ſe, ideò non habet ſpecialem habitum diſtinctum à charitate, à quo eliciatur, vt dicit ipſe *Sanct. Thom. infra quæſtion.* 18. *articul.* 4. Sed de hoc non procedit argumentum, ſed de amore concupiſcentiæ, qui antecedit amicitiam. Et dicimus elici ab habitu piæ affectionis, quæ etiam fidem antecedit, ſpes enim ſupponit, & cauſatur ex aliquo amore, ſaltem imperfecto, reſpectu rei amatæ, vt conſtat *ex Sanct. Thom.* 1. 2. *quæſtion.* 40. *art.* 7. *& hic quæſtion.* 17. *articul.* 8. *& in* 3. *diſtinction.* 26. *quæſtio.* 2. *articul.* 3. *quæſtiuncula* 2. Quare antecedenter ad ſpem debemus ponere hunc amorem, & conſequenter principium elicitiuum illius Et quod hoc principium ſit habitus piæ affectionis, qui non eſt quarta virtus theologica, ſed inchoatio fidei, & ad ipſam reductiuè pertinens, vt latè oſtendimus in tractatu de fide, *de ſummo ex ipſo Sanct. Thom. quæſtion.* 14. *de veritate, artic.* 7. *ad* 10. vbi inquit: *Inchoatio fidei eſt in affectione, in quantum voluntas determinat ad aſſentiendum his, quæ ſunt fidei, ſed illa voluntas non eſt actus charitatis, nec ſpei, ſed appetitus boni repromiſſi.* Ita S. Thomas. Conſtat autem, quod appetitus boni repromiſſi eſt amor concupiſcentiæ, circa bona diuina, quæ ſunt bona repromiſſa, & dicit *Sanct. Thom. quod non eſt actus charitatis, neque ſpei.* Elicitur ergo ab alio principio, ſcilicet ab illo, à quo elicitur pia affectio fidei: Ex hoc enim afficitur aliquis ad fidem, quia afficitur ad bonum repromiſſum, & ſicut prius vult Deum imperfectè quam credat Deo, ſic prius vult imperfectè bona repromiſſa, quam ſperet illa, & ab eodem principio elicitur appetitus concupiſcendi id quod creditur, & quod ſperatur.

Et *huius ratio eſt*, Quia amor concupiſcentiæ non habet aliquam ſpecialem difficultatem rationem cuius exigat ſpeciale principium, niſi ſupernaturalitatem; naturaliter enim vnuſquiſque ſe amat, & ſibi vult bonum, ſed ſolum quia illud bonum, quod ſibi amat ſupernaturale eſt, requirit aliquod principium altius, & eleuatius ipſa natura ad concupiſcendum illud, ſed tamen propter ſuam imperfectionem non exigit habitum ſpecialem pro ſe, ſed ſufficit quod reducatur ad aliquam virtutem ſupernaturalem, ſicut deſiderium, & gaudium ex amore charitatis ortum, ad charitatem reducitur, vt dicit *Sanct. Thom. infra quæſtion.* 18. *articul* 4. Vnde & actus concupiſcentiæ, qui inuenitur in pia affectione reducitur ad ipſam virtutem fidei, quatenus eſt inchoatio illius, quia fides originatur, & pendet à voluntate, licet formaliter ſit in intellectu, vnde etiam ex parte voluntatis ſupponit aliquod principium inclinans, & afficiens voluntatem 4

ad

ad rem ſupernaturalem credibilem ſaltem imperfecto modo. Et illud principium inchoans fidem, & corrigens voluntatem ab infidelitate (*vt loquitur Concilium Arauſicanum II.*) non eſt quarta virtus Theologica, ſed initium primæ virtutis, quæ eſt fides, ad eamque reductiue pertinet, ſicut inchoatio, & initium imperfectum reducitur ad rem perfectam; poſtulat tamen habitum, ſeu aliquid habituale à quo connaturaliter eliciatur actus piæ affectionis, & permanenter, ſicut elicitur actus fidei, ſicut in tractatu de fide oſtendimus. Quare ab eodem principio ſufficienter elicitur amor concupiſcentiæ imperfectus, erga Deum, qui antecedit amicitiam charitatis.

5 Inſtabis: In hæretico poteſt manere actus concupiſcendi Deum, imò & ſperandi, nam ſi non maneret ſpes, non poſſet ſperare veniam, & pœnitentiam à peccato ſuo, quod tamen ſperare poteſt. & tenetur, & tamen non manet in illo pia affectio ſupernaturalis, quia deſtructa fide non mouetur ſupernaturaliter ad credendum, quia id quod credit hæreticus ſupernaturaliter non credit? igitur neque ſupernaturaliter vult credere; Igitur aſſignandum eſt principium à quo eliciatur amor concupiſcentiæ ſupernaturalis.

6 Reſpondetur, Quod ſi quis concederet in hæretico manere Spem theologicam, etiam concedere deberet non deſtrui habitum piæ affectionis, quia non eſt neceſſe quod deſtructa fide deſtruatur id quod antecedit fidem; cæterùm oppoſitum exiſtimo certo eſſe tenendum, Quia deſtructa fide deſtruitur fundamentum Spei Theologicæ eſt enim fides, vt loquitur Paulus ad Hæbreos 11. *Sperandarum ſubſiſtentia rerum*, id eſt, fundans, & ſubſiſtens ipſis rebus ſperandis, quare infidelitas ſecundum ſe opponitur ſpei theologicæ. Et ſi quis hæreticus manens in hæreſi ſperat beatitudinem, non ſperat, ſed præſumit, eo quod non ſperat ſecundum virtutem fidei, & rectitudinem illius credendo beatitudinem, eo modo quo à Deo proponitur, ſed eo modo quo ipſe exiſtimat per propriam electionem, & voluntatem, & ſic ſupernaturali modo non cognoſcit illam, & conſequenter neque ſupernaturali modo proponit, vt ſperandam. Similiter cum pia affectio, iuxta dictum *Concilij Arauſicani* corrigat voluntatem ab infidelitate, ſi hæreticus eam non corrigit, quomodo manet in eo pia affectio ſupernaturalis, ſicut in Catholico? Quod autem iſte poſſit, & teneatur ſperare non arguit, quod habeat habitum ſpei, ſicut etiam tenetur credere, & conuertere ſe in Deum, & tamen non habet habitum fidei, neque pœnitentiæ, ſed ad hanc obligationem, & poſſibilitatem ſufficit auxilium diuinum, quod omnibus paratum eſt, vt ſe diſponant. Et ex eodem auxilio poteſt habere actum amoris concupiſcentiæ, ſicut motum ſpei, & Timoris, qui tanquam diſpoſitiones præcedere ſolent conuerſionem peccatoris. Vtrùm verò poſſit habere habitum ſpei acquiſitæ circa Deum, & conſequenter amorem concupiſcentiæ acquiſitum, *art.4.* diſquiretur. Nunc autem ſolum loquimur de amore concupiſcentiæ ſupernaturali, de quo argumentum procedit; nam illum dari certiſſimum eſt, ſicut datur pia affectio, quæ eſt initium credendi corrigens voluntatem ab infidelitate, & conſequenter naturalis amor eſſe non poteſt.

At verò in patria amor concupiſcentiæ elicitur à fruitione diuina, quia ibi concupiſcentia de Deo ſemper eſt coniuncta fruitioni, cum concupiſcat Deum vt præſentem, & poſſeſſum à ſe, non vt abſentem, nec præſcindendo ab abſentia, & præſentia; fortè enim iuxta naturam illius ſtatus non eſt poſſibile ſic præſcindere propter vehementiam obiecti infiniti rapientis, & neceſſitantis voluntatem ad amandum ſe vt præſentem. Et præſertim, quia talis actus importat imperfectionem, quatenus voluntas non mouetur ſufficienter ab obiecto, ſed cum imperfectione, & præciſione ab abſentia, præſentia; igitur ex fruitione diuina, qua de Deo poſſeſſo delectantur Beati, erit ille amor concupiſcendi illum ſibi vt præſentem, ſicut ex appetitu boni repromiſſi, quando erat in via oriebatur amor concupiſcendi Deum promiſſum. 7

Secundum *fundamentum Patris Suarez eſt.* Quia Deus vt auxilians importat rationem cauſæ efficientis, vt dicit *Sanct. Thom. hic quæſtion. 17. artic. 4. & 5.* Sed cauſa efficiens non ſpecificat, cum ſpecificatio reducatur ad cauſam formalem; ergo diuinum auxilium non eſt formalis ratio ſpei, ſed Deus vt cauſa finalis, & bonum concupiſcibile. Vnde *in articul. 2.* ponit *Sanct. Thom.* Beatitudines pro obiecto ſpecificante ſpem; ergo bonum, & non auxilium. Addit *Pater Lorca vbi ſupra, diſput. 6. Sanct. Thomam infra quæſt. 28. artic. 1. ad 3.* vbi dicit: Quod gaudium de Deo prout à nobis participatur procedit etiam ex ſpe; ſed gaudium pertinet ad delectionem, & conſequenter ad rationem concupiſcibilis; ergo habitus ſpei, non ſolum actum ſperandi, ſed etiam concupiſcendi elicit. Vnde, & iſta *Quæſt. 17. artic. 8.* docet Sanct. Thom. *Quod ſpes pertinet ad amorem concupiſcentiæ*; ergo habitus ſpei vtrumque comprehendit. 8

Confirmatur, quià ad rationem formalem obiecti voluntatis, & ſpei ſolũ pertinet ratio boni, & aſſequibilitatis eius, quod autem bonum ſit obtinendum per hoc, vel illud medium, his, aut illis viribus non variat rationem formalem boni ſperati, ſicut ſi ſpero ſanitatem, non variatur ratio ſpei, quia ſpero illam per medicinam, vel ſine illa, & quod ſperem à Deo aliquid ex mera gratia, vel ex meritis non variat intrinſecam rationem ſpei; ergo quidquid pertinet ad auxilium diuinum, quod eſt medium perueniendi ad rem ſperatam, non pertinet ad rationem formalem ſpei. Et eodem ferè argumento probat, *Pater Suarez* rationem ardui non diſtinguere rationem boni in ſpe, à ratione boni in charitate, quia ſi ratio ardui importat rationem difficilis, non pertinet ad obiectum ſpei, quod eſt bonum, vt proſequendum; difficultas autem non eſt ratio proſequendi, ſed potius retrahendi animum à bono, ſi autem nomine *ardui* importetur aliquid pertinens ad magnitudinem, & excellentiam boni, totum hoc inuenitur in obiecto charitatis, quod eſt excellentiſſimum bonum. 9

Reſpondetur *Ad primam Authoritatem D. Thom.* Quod Ipſe expreſè ponit Deum, vt cauſam efficientem reſpectu poſſibilitatis obiecti ſperati eſſe rationem formalem obiecti Spei, vnde nihil obſtat ſententiæ noſtræ dicere, quod Deus vt auxilians eſt cauſa efficiens. Quod autem ſubditur cauſam efficientem eſſe tantum extrinſecam, & non ſpecificantem, laboratur in æquiuoco, quia cauſa efficiens poteſt comparari, vel ad ip- 10

ſam

ſam rem ſpecificatam, quæ eſt habitus, vel potentia; & ſic fatemur quod cauſa effectiuè producens habitum ſpei, qui eſt ipſe Deus, vt infun dens talem habitum, non eſt ratio ſpecificatiua illius; vel poteſt comparari cauſa efficiens, reſpectu ipſius obiecti ſperati, quatenus refundit in illud aliquam denominationem, ſeu modum pertinentem ad rationem formalem obiecti ſperati, ſicut eſt poſſibilitas, non ſolum vt ſit adipiſcibilis, ſed etiam vt ſit vincens difficultates, & hoc modo cauſa efficiens, pertinet ad rationem formalem ſpecificatiuam ſpei.

11 Ad *Secundam authoritatem* dicimus, quod beatitudo ponitur à *D. Thom.* obiectum ſpecificatiuum ſpei, ex parte rei ſperatæ, tanquam obiectum materiale, non ex parte rationis formalis ſperandi, quæ eſt auxilium diuinum modo explicato. *Ad authoritatem Patris Lorca reſpondetur*, Quod Gaudium procedens à ſpe non procedit ſub ratione concupiſcibilis, ſed ſub ratione iraſcibilis; nam etiam in parte iraſcibili poteſt inueniri delectatio. Quæ eſt expreſſa Doctrina *Sanct. Thom. in 3. diſtinct. 26. quæſtion. 1. artic. 5. ad 3.* Vbi ait: *Quod ſpes facit delectationem, & hæc delectatio non eſt in concupiſcibili, ſed in iraſcibili, quælibet enim potentia appetit ſibi conueniens, & de eo delectatur.* Ex eo ergo, quod ſpes eliciat delectationem pertinentem, & concomitantem ipſum motum partis iraſcibilis, non ſequitur quod eliciat amorem concupiſcentiæ, vt pertinet ad partem concupiſcibilem. Quando autem dicit *Sanct. Thom* in iſta *quæſtion.* 17. ſpem pertinere ad amorem concupiſcentiæ, notanda ſunt verba, non enim dicit amorem concupiſcentiæ pertinere ad ſpem, quaſi ab ea elicitum, ſed dicit è contra, ſpem pertinere ad amorem concupiſcentiæ quaſi in eo fundatam, & illum præſupponentem.

12 Ad *Confirmationem Reſpondetur*, Quod diuerſitas mediorum ad aliquid obtinendum non variat rationem boni aſſequibilis, vt pertinet ad ſpecificatiuum ſpei, quia iam ſupponitur poſſibile, & aſſequibile, & ſolum additur diuerſus modus accidentalis, pertinens ad executionem huius aſſecutionis. Si autem aliquod medium non ſolum ſit medium executiuum aſſequutionis, ſed etiam conſtitutiuum boni in ratione poſſibilis, & aſſequibilis; ſicut eſt omnipotentia diuina auxilians, tale medium non accidentaliter, ſed intrinſecè ſe habet ad ſpecificationem boni, vt ſpecificati. *Ad alteram partem argumenti reſpondetur*, Rationem ardui, vt ſpecificantis ſpem intra lineam bonitatis contineri, ſicut continetur intra lineam obiecti voluntatis, ſed iſta ſpecialis ratio (vt diximus) non conſiſtit in ſola excellentia, & magnitudine boni, neque in ipſa difficultate, vt tenet ſe ex parte laborum, & difficultatum, ſed in ipſa ratione boni, vt eſt repulſiuum, & vincens oppoſita impedimenta, vt explicatum eſt.

13 Fundamenta *Patris Vazquez, & Torres facilia ſunt arguit enim ſic.* Poteſt aliquis ſperare à Deo auxilium, non præintellecta beatitudine, nec formaliter ſperata per illum actum, ergo ſolum diuinum auxilium, & non beatitudo eſt obiectum formale ſpei. *Item*, Quia à Deo vt omnipotenti, & fideli poſſum ſperare aliquod bonum creatum, & hic eſt actus ſpei, quia ſperatur arduum, vt aſſequendum alterius auxilio; & quia illud auxilium eſt diuinum, illa ſpes erit theologica; ergo eſt ſufficiens ſpecificatiuum ſpei theologicæ auxilium diuinum, ſicut diuina teſtificatio eſt obiectum fidei, etiam ſi res credita ſit aliquid creatum. *Et Confirmatur*, Quia aliàs ſequeretur dari quartam virtutem theologicam, quia talis actus ſperandi aliquid creatum ex diuino auxilio innititur Deo auxilianti; ergo reſpicit Deum, vt obiectum formale immediatum; ergo eſt virtus theologica, ad virtutem enim theologicam non requiritur, niſi quod eius immediatum obiectum ſit Deus; tunc autem eſt maximè immediatum quando eſt obiectum formale; ergo ſic reſpicere Deum, pertinet ad aliquam virtutem theologicam; neque enim diuinum auxilium tunc reſpicitur in obliquo, ſicut Religio reſpicit Deum, ſed in recto, ſicut obiectum formale, verbi gratia, lux reſpicitur à viſu. *Denique arguit Vazquez 3. part. diſputation. 43. capit. 2.* Quod ſi homo ſperaret beatitudinem æternam, vt conſequendam per auxilium humanum non ſperaret illam virtute theologica, quia non Deo, ſed homini niteretur; ergo ſignum eſt ſpem theologicam, ſolum reſpicere diuinum auxilium per ſe, & eſſentialiter; quod autem res ſperata ſit bonum diuinum, vel creatum per accidens ſe habet.

Ad *Primum Reſpondetur*. Quod auxilium diuinum ſupernaturale quoad ſubſtantiam non poteſt ſperari non præintellecta beatitudine, vel formaliter, & explicitè, vel virtualiter, & implicitè; quia eſt ſupernaturale, quoad ſubſtantiam eſſentialiter ad beatitudinem ordinatur. Si autem auxilium diuinum ſit ſupernaturale quoad modum, & non quoad ſubſtantiam, poteſt ſperari non præintellecta beatitudine; ſed tale auxilium non conſtituit obiectum formale ſpei theologicæ, quia non innititur Deo auxilianti ſupernaturaliter quoad ſubſtantiam, & conſequenter eleuanti hominem ad finem ſupernaturalem; hac enim ratione conſtituuntur virtutes theologicæ, vt dicit *S. Thom. 1. 2. quæſt. 62. art. 1.* Quia ordinant hominem ad finem ſupernaturalem, Auxilium autem reſpiciens finem vltimum ſupernaturalem, & ordinans ad illum, dicitur ſupernaturale quoad ſubſtantiam, & tali auxilio debet inniti ſpes, quæ ideò eſt virtus theologica, quia tendit ad illum finem. 14

Ad *Secundum Reſpondetur*. Quod ſi ſperantur bona creata ex auxilio diuino, tanquam obiectum principale, illud auxilium non erit ſupernaturale quoad ſubſtantiam, ſed ſolum quoad modum, ſiquidem non ordinatur ad finem ſupernaturalem, qui eſt viſio Dei, in qua confirmatur omnis ordo ſupernaturalis, vnde talis ſpes non erit virtus theologica, ſed pertinebit ad magnanimitatem, vel ad donum fortitudinis, quod etiam innititur auxilio diuino, vt conſtat *ex D. Thom. 2. 2. quæſt. 139. art. 1.* Iſtæ enim virtutes mouentur ad aggrediendum aliqua ardua, & ſperandum illa, etiam ſupra vires proprias, non tamen mouentur in ipſum Deum, vt intendendum, vel ſperandum, ſed circa alia bona verſantur extra Deum. Similiter teſtificatio Primæ veritatis, niſi ſit ſupernaturaliter reuelans, & de rebus ſupernaturalibus, quibus cognoſcamus ipſum finem ſupernaturalem, non conſtituit fidem theologicam (vt in tractatu de fide oſtendimus) quia ex parte cognitionis nõ ordinat hominem ad finem ſupernaturalem, ſi de illo nihil dictat. Vt ſi Deus reuelaret alicui numerum ſtellarum, vel arenæ maris, illa locutio 15

Dei

eſſet quædam illuminatio in ordine naturæ, ſicut ſi infunderet aliquas ſpecies, vel ſcientiam naturalem. Ad rationem autem virtutis theologicæ requiritur, quod ordinet hominem circa ipſum finem vltimum ſupernaturalem, vt ex *Diu. Thom.* diximus.

16 Ad *Primam confirmationem dicitur* : Non eſſe ponendam quartam virtutem theologicam, quia ille actus non eſſet ſpei theologicæ, ſed reduceretur ad magnanimitatem, vel ad Donum fortitudinis, aut aliquam ſimilem virtutem aggreſſiuam, quæ ſemper habet coniunctam ſpem communiter dictam: & licet reſpiceret auxilium diuinum, tanquam obiectum formale immediatum cui inniteretur, tamen non reſpiceret auxilium, quod eſſet ſupernaturale quoad ſubſtantiam, quia hoc dicit intrinſecum ordinem ad ipſum Deum, vt beatitudo eſt, & finis vltimus; reſpiceret ergo auxilium diuinum, quod eſſet ſupernaturale ſolum quantum ad modum, quod non ſufficit ad conſtituendam virtutem theologicam, quæ eſt ſupernaturalis quoad ſubſtantiam. *Ad vltimum Reſpondetur*: Illum caſum implicare. Quod ſperetur beatitudo æterna in auxilio humano temporali, ſed admiſſo per impoſſibile dicimus, quod tunc non eſſet ſpes theologica, quia deficeret ratio formalis, id eſt, auxilium diuinum, vt inniteretur Deo, non tamen ex hoc ſequitur, quod ſi ſolum reſpiciatur auxilium, & non beatitudo, maneret ſpes theologica, quia deficeret obiectum materiale primarium, & ipſum auxilium ſupernaturale, cui inniteretur, non maneret ſupernaturale, quoad ſubſtantiam, quia non reſpiceret, vt finem ſperatum beatitudinem ex ordine ad quam, tanquam ad gratiam conſummatam, ſumitur ordo ſupernaturalis quoad ſubſtantiam.

ARTICVLVS. II

Explicatur obiectum materiale ſpei theologicæ.

1 RESpondeo, & *Dico Primò*. Obiectum materiale immediatum, & primarium ſpei theologicæ eſt beatitudo æterna. Hæc concluſio non ſolum eſt de fide, ſed eſt communis ſpectatio omnium Chriſtianorum iuxta illud ad Titum 2. *Expectantes beatam ſpem, & aduentum gloriæ magni Dei*. Et ſumitur etiam ex definitione fidei tradita ab Apoſtolo ad Hebræos 11. *Quod fidei eſt ſperandarum ſubſtantia rerum*. Sed Deus eſt obiectum materiale primarium quod creditur, vt Ioan. 14. *Creditis in Deum, & in me credite*. Et Hebræor. 11. *Accedentes ad Deum oportet credere quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit*; ergo ſi fides eſt ſubſtantia rerum ſperandarum, res quæ attingitur à fide eſt res ſperanda, ſed illa quæ attingitur à fide eſt Deus, ergo illa quæ ſperatur eſt Deus.

2 Ratio *autem S. Thomæ quæſt. 17. art. 2.* Efficaciſſima eſt, & ex propriis. Quia ſpes innititur Deo auxilianti: ſed effectus debet proportionari cauſæ; ergo cum Deus auxilians ſit infinitæ virtutis bonum ad quod perducit tanquam ad proprium, & proportionatum huius virtutis auxiliantis, debet eſſe bonum infinitum, quod eſt ipſe Deus. Et aduertenter non dixit *D. Thom.* quod eſt proprium virtutis infinitæ perducere ad effectum infinitum, ſed ad *bonum infinitum* : quia effectus infinitus non inuenit capacitatem in ſubiecto, bonum autem infinitum communicabile eſt finito modò quæ ratio *Sanct. Thom* ex dictis in *artic. præced.* manet explicata, intelligendo nomine *Dei auxiliantis*, auxilium ſupernaturale quoad ſubſtantiam, hoc enim exigebat præſens materia in qua agitur de virtute theologica, quæ eſt ſupernaturalis quoad ſubſtantiam. Quo poſito concludit ratio *D. Thom.* Quia ſi ſpes innititur virtuti ſupernaturali quoad ſubſtantiam in auxiliando, ergo oportet quod bonum ad quod deducit ſit infinitum, non infinitate quantitatiua in intenſione, vel extenſione, ſed infinitate ordinis; quia eſt ordinis diuini, totus autem ordo diuinus ſupernaturalis ordinatur ad hoc, vt homo fiat diuinæ conſors naturæ, vt habetur 2. *Petri* 1. Fit autem conſors diuinæ naturæ, quando fit ei ſimilis, & tanquam filius in ordine diuino: hoc autem habetur, & conſumatur, per viſionem Dei in ſe, iuxta illud 1. Ioan. 3. *Similes ei erimus, &c.* Ergo hoc bonum eſt illud quod finaliter ſperatur, ex auxilio ſupernaturali quoad ſubſtantiam. Etſi addamus quod virtus ſpei innititur Deo auxilianti, non ſecundùm abſolutam potentiam, ſed ſecundum potentiam ordinatam ex præfixo ordine ſapientiæ ſuæ, conſequenter ratio *D. Thom.* non ſolum probat quod debet tendere in bonum infinitum, id eſt, ordinis ſupernaturalis, ſed etiam in bonum determinatum in tali ordine. Et cum hæc virtus ſit theologica, quæ non reſpicit media, ſed finem; determinatum bonum quod reſpicit debet eſſe Deus vt finis, non autem ſub alia conſideratione, vel communicatione etiam ſupernaturali.

Dico *Secundò* obiectum immediatum ſpei non 3
eſt ipſa beatitudo formalis, id eſt, *viſio* ſed beatitudo obiectiua, id eſt, *res viſa*, quæ eſt Deus: connotat tamen tanquam modum, aut conditionem requiſitam, non tanquam obiectum, ipſam viſionem. Hæc concluſio eſt contra *Durandum in 3. diſt. 26. q. 2.* qui vult ipſam viſionem eſſe immediatum obiectum ſpei, Deum autem eſſe mediatum, ſed tamen principale, & finale quod mediante priori attingitur.

Nihilominus *concluſio poſita eſt certa*, & inter 4
theologos communis, videri poteſt in *D. Thom. quæſt. diſput. de charitate art. 3. in corp.* vbi ponit ens increatum pro obiecto ſpei, addit autem hic *quæſt. 17. art. 6. Quod ſpes, & fides faciunt inhærere Deo ſicut cuidam principio, ex quo nobis aliqua bona proueniunt*. Vnde in obliquo, & in connotato aliquod bonum creatum includit obiectum ſpei. Et præter fundamentum à poſteriori; quia ſpes eſt vna ex virtutibus theologicis, & conſequenter debet habere pro obiecto bonum increatũ ſub ratione diuina. Præter hoc (inquam) explicari poteſt à priori ex doctrina *Sanct. Thom.* ſæpius repetita 1. 2. *quæſt. 1. art. 8. & quæſt. 2. art. 7. & quæſt. 3. art. 1.* Quod finis alicuius dicitur dupliciter ſcilicet res quam adipiſci deſideramus, & ipſe vſus, ſeu adeptio, ſeu poſſeſſio ipſius rei. Et primum vocatur *finis obiectiuus*. Secundum *formalis*, & licèt ille qui intendit, & deſiderat aliquem finem, vtrumque deſideret ſcilicet obiectum poſſeſſionis, & poſſeſſionem ipſam, non tamen vtrumque ex æquo, ſed vnum vt obiectum aſſequendum, alterum vt modum iſtius obiecti, quo res illa redditur conſequuta. Sicut auarus deſiderat pecuniam tanquam rem, poſſeſſionem autem non deſiderat vt rem: quia non deſiderat vt poſſi-

dendam ;

dendam, ſed vt poſſeſſionem. *Et ſit argumentum.* Quia idem eſt obiectum in quod tendit motus deſiderij, & in quo quieſcit quando illud conſequitur; ſicut idem eſt locus in quem tendit motus grauis, & in quo quieſcit; ſed immediatum obiectum quietis, & fruitionis eſt ipſe Deus, vt bonum increatum, & non aliquod creatum inhærens animæ, quia quidquid eſt in anima eſt bonum participatum, & conſequenter non eſt bonum ſummum, & vniuerſale, ergo non eſt res, & obiectum ſummæ fruitionis; quia obiectum quod eſt res huius fruitionis, eſt bonum vniuerſale, & ſummum, vt argumentatur *S. Thom. 1. 2. quæſt. 2. art. 7.* Sicut ergo quies, & fruitio habet pro obiecto quod eſt res, bonum increatum, & non ipſam poſſeſſionem talis boni, ita & ipſe motus ſpei, qui terminatur in iſta quiete, debet habere pro obiecto immediato, tanquam res ipſum bonum increatum, non autem poſſeſſionem, & aſſecutionem, niſi connotando illam tanquam modum. Vnde vt optimè aduertit *Caiet. hic quæſt. 17. art. 5. §. ad 2.* vſus, & obiectum non ſunt duo obiecta, vt dicatur vnum eſſe mediatum, & aliud immediatum, vt ponit *Durandus*, ſicuti qui appetit cibum & comeſtionem eius, non appetit duo obiecta, ſed vnum; qui autem appeteret cibum vt luxurietur, appeteret duo obiecta, ſcil. cibum & luxuriam. *Et huius ratio eſt*, Quia vt aliquid ſit obiectum voluntatis debet eſſe appetibile, & conſequenter vt ſit duplex obiectum debet eſſe duplex appetibile, vnum mediatum, alterum immediatum, vſus autem, & adeptio alicuius rei, non conſideratur vt res aliqua appetibilis; ſed eſt applicatio ipſius rei, quæ appetitur, non autem obiectum quod appetitur: quia nec eſt medium aſſequendi, neque ipſe finis, ſed coniunctio finis aſſecuta, ergo non eſt duplex obiectum mediatum, & immediatum, nec duplex appetibile, ſed vnum obiectum, & applicatio eius. Sicut ignis, & applicatio eius ad ligna non ſunt duo agentia, mediatum, & immediatum, ſed vnum agens cum applicatione.

4 Dico *Tertio*. Bona creata, quæ conducunt ad beatitudinem ſunt obiectum materiale ſecundarium ſpei. Ita *D. Thom. q. 17. art. 2. ad 1.* & patet à ſimili in fide, & charitate; per fidem enim credimus multas veritates creatas, vt ordinantur ad Deum, ſicut humanitatem Chriſti, Sacramenta, &c. & per charitatem diligimus proximum vt eſt aliquid Dei; ergo ſimiliter per ſpem theologicam poſſumus attingere bona creata vt conducunt ad aſſecutionem Dei. *A priori autem probatur* Quia de ratione actus intentionis eſt, vt non ſimpliciter velit finem, ſed etiam virtualiter media, quia vult finem vt aſſequendum per media, vt conſtat ex *1. 2. quæſtione 12. art. 1. & 3.* Spes autem reſpicit Deum vt finem per motum intentionis aſſequendum, vt docet *D. Tho. 1. 2. q. 62. art. 3.* ergo etiam reſpicit media ſecundario, & virtualiter; hæc autem ſunt bona creata; ergo videri etiam poteſt *Sanct. Thom. inf. q. 83. art. 6.* vbi oſtendit quomodo poſſimus bona temporalia deſiderare, & poſtulare à Deo.

5 Dico *Vltimo*: Licet beatitudo, & quodcumque bonum vt ſit obiectum ſpei debet eſſe ſperatum ſibi, abſolutè loquendo, tamen ſuppoſita vnione amoris, qua proximum reputamus vt vnitum, ſeu vt vnum nobiſcum, etiam poſſumus ſperare alteri beatitudinem per actum virtutis ſpei, & non ſolùm per actum charitatis eſt expreſſa *D. Thom. quæſt. 17. art. 3.* concluditque in calce corporis articuli. *Quod ſicut eſt eadem virtus charitatis qua quis diligit Deum, ſe ipſum & proximum, ita eſt eadem virtus Spei, qua quis ſperat aliis, & ſibi*, vbi manifeſtè *S. Doctor.* excludit actum Sperandi aliis à charitate, & nudo amore beneuolentiæ, & reducit illum ad virtutem ſpei ſuppoſita vnione amoris cum alio.

6 Valde *Laborat in hac concluſione Pater Torres hic diſput. 60. dub. vlt.* & ſtat pro contraria ſententia, quam videtur iudicare *Scotus in 3. diſt. 26.* ciuſque attribuitur, *Et præcipuum fundamentum ad hoc reducitur*. quia actus ſperandi aliis bonum oritur ex amore beneuolentiæ, vel amicitiæ, oritur enim ex eo quod volumus illi bonum; velle autem bonum alicui, eſt proprius actus amicitiæ, & beneuolentiæ, non concupiſcentiæ. Spes autem fundatur in amore concupiſcentiæ (vt ſæpè dictum eſt) ergo nullo modo elicitur à ſpe, cum habeat pro motiuo complacentiam perſonæ, cui volumus illud bonum. Vnde redditur obſcurum, id quod dicit *S. Doct.* Quod præſuppoſita vnione amoris poſſumus alteri ſperare bonum. Nam vel intelligitur præſuppoſita vnione amoris beneuolentiæ, vel concupiſcentiæ, *Si concupiſcentia*: talis amor non vnit nos alteri, quia per concupiſcentiam non volumus alteri, ſed nobis, & conſequenter iſte amor non eſt vnitiuus perſonæ, quia non communicat cum altero, ſed acquirit ſibi. *Si eſt amor beneuolentiæ*: non fundat actum ſpei, quia ſpes fundatur in amore concupiſcentiæ, amor autem beneuolentiæ, vel amicitię, habet pro motiuo complacentiam perſonæ, cui vult illud bonum, & conſequenter non pertinet ad ſpem vt diſtinguitur à charitate, & amicitia: vnde talis actus ſperandi alteri beatitudinem non poterit eſſe in peccatore, in quo non eſt charitas, quæ eſt illa vnio amoris, quam prærequirit *S. Tho.*

Nihilominus *Diui Thomæ ſententia certa eſt*,
& communiter ab eius expoſitoribus recepta. 7
Eamque etiam defendit *Pater Vazquez 3. p. diſp. 43. cap. 2.* & fundamentum eſt. Quia alteri poſſum velle bonum arduum in quantum arduum, & aſſequibile ſicut patet in eo qui procurat, & conatur vincere difficultates in aſſequendo bono alterius, vel pro altero, ergo poteſt habere ſpem, circa talem aſſecutionem, & arduitatem, præſupponendo aliquem amorem, ſaltem beneuolentiæ erga alterum, ſicut ad ſperandum ſibi præſupponit amorē ſui; ſed tamen ad ſperandū pro ſe non debet præſupponi amor vnitiuus ad alteram perſonam, ſed naturalis erga ſe, & ſuper hunc amorem fundatur concupiſcentia, qua vult ſibi bonum, & ſuper illam concupiſcentiam fundatur ſpes. At verò reſpectu alterius præſupponitur alius amor beneuolentiæ, etiam ſi non ſit perfecta amicitia, & talis amor dicitur vnitiuus erga alterum, & ſuper hunc amorem fundatur concupiſcentia erga alterum, qua volo illi bonum, & ſuper hanc fundatur ſpes, quæ tamen non fundaretur niſi in amore vnitiuo, & non in ſolo amore naturali erga ſe, Et hæc eſt mens *D. Thom.* quando dicit quod præſuppoſita vnione amoris poſſumus ſperare alteri.

Pro *huius radicaliori intelligentia* nota duo, 8
Primum eſt; Quod amor concupiſcentiæ non ſolùm verſatur erga ſe, ſed etiam erga alterum, nam ſi volo ſalutem amico, volitio vt terminatur ad ſalutem, non eſt amicitia, ſed concupiſcentia, ad perſonam verò cui volo bonum terminatur amor amicitiæ,

amicitiæ. *Et notat ibid. Caiet.* quod nullus amor concupiſcentiæ eſt ſine aliquo amore amicitiæ, idest, beneuolentiæ illius cui concupiſco, ſiue mihi, ſiue alteri, & ſimiliter nullus amor amicitiæ eſt ſine amore concupiſcentiæ: quia amor amicitiæ eſt quo volumus bonum amico, & ita non oportet quod ſemper ſint diuerſi amores, ſed ſufficit quod ſint diuerſi modi amandi in viuo enim, & eodem amore, quo volo bonum amico ſit eſt amicitia reſpectu perſonæ, & eſt concupiſcentia reſpectu boni, quod illi volo.

9 Sciendum *eſt* id quod optimè aduertit *Caiet. qu. 17. art. 5.* Quod quando concupiſco bonum alicui non oportet quod concupiſcam illi vt fini, ſed vt ſubiecto, niſi fortè illa perſona cui concupiſcimus ſit finis propter quem operamur, & ſic quando volo Deum mihi, vel amico, non ordino Deum ad me, ſed potiùs me ad Deum, quia volo illum mihi, vel amico tanquam ſubiecto; ſubiectum autem non eſt motiuum, neque eſt finis, ſed eſt res ipſa perficienda per Deum tanquam per bonum concupitum illi. Deus ergo ſe habet vt perfectio, & finis, ſubiectum autem vt perficiendum, & ordinatum ad Deum: quare ſicut ex amore naturali, quo nos animamus, ſequitur concupiſcentia, qua nobis bonum volumus, & poſſumus concupiſcere nobis ipſum Deum, non ordinando ipſum ad nos tanquam ad motiuum, & finem, ſed tanquã ad ſubiectum: ita ex beneuolentia ad alterum ſequitur concupiſcentia, qua concupiſco illi bonum, & concupiſcendo illi Deum, non habeo ipſam amici perſonam tanquam motiuum & finem, ſed tanquam ſubiectum & conſequenter ipſe Deus, etiam vt concupitus manet vt finis: quia manet vt perficiens ſubiectum, & ordinans illud ad ſe, non vt ordinatus ad illud; alioquin ſi ille actus quo concupiſco Deum mihi, vel alteri non haberet ipſum Deum pro fine, eſſet actus peccaminoſus; ergo non eſt neceſſe quod omnis beneuolentia erga alterum oriatur ex motiuo complacendi illi tanquam ex fine per ſe mouente.

Proponuntur, & ſoluuntur argumenta.

1 Arguit *primò durandus* Deus non eſt bonum noſtrum formaliter, & intrinſecè, ſed participatio Dei: amor autem concupiſcentiæ in quo fundatur ſpes, reſpicit Deum vt bonum noſtrum: ergo immediatiùs reſpicit ipſam participationem Dei, quam ipſum Deum: participatur autem in nobis per viſionem; ergo illa eſt obiectum immediatum. *Confirmatur primò*: Quia Deus in ſe non habet conditiones obiecti ſpei, ſcilicet *arduum, futurum, poſſibile*, neque enim Deus in ſe eſt arduus, nec futurus, nec poſſibilis, ſed totum hoc habet ratione ſuæ conſecutionis; ergo illa eſt obiectum immediatum, & directum ſpei. *Secundò*: Quia ſpei in patria ſuccedit delectatio, non de Deo in ſe, quia hæc pertinet ad charitatem; ergo de conſecutione Dei, & ita conſecutio eſt materia ſpei. *Tertiò*: Quia eadem eſt materia deſperationis, & ſpei; Deſperatio autem non verſatur circa Deum in ſe, ſed circa conſecutionem Dei, & participationem eius, vt dicit *D. Thom. hic quæſt. 20. art. 3.* ergo & ſpes. *Denique*: Quia bonum concupitum nobis ordinatur ad nos, & concupiſcitur propter nos, oritur enim ex complacentia perſonæ; ſed Deus in ſe non ordinatur ad nos, hoc enim eſſet peruerſum, ergo non eſt obiectum concupiſcentiæ Deus in ſe, ſed aſſecutio Dei.

2 Ad *Primum argumentum durandi reſpondetur*: Quod Deus formaliter, & intrinſecè eſt bonum noſtrum ratione bonitatis ſuæ, quæ ſibi intrinſeca eſt, applicatio tamen eius ad nos eſt illi extrinſeca, ſed ab hac non ſumitur bonitas illius obiecti, quod eſt bonum noſtrum, ſed applicatio, qua redditur noſtrum: vnde amor concupiſcentiæ reſpicit Deum, vt participatum à nobis, ita tamen quod participatio non eſt ratio boni amati, ſed conditio. *Ad primam confirmationem reſpondetur*. Quod arduitas, & futuritio, & poſſibilitas ſunt conditiones, quæ conueniunt bono ſperato, non tamen eſt neceſſe quod conueniant illi intrinſecè, ſed ſufficit quod extrinſecè. Sicut ante incarnationem Deus dicebatur incarnaturus, & modo dicitur incarnatus, de præterito, non per aliquam mutationem intrinſecam in Deo, ſed per mutationẽ extrinſecã in humanitate. Sic dicitur Deus aſſequendus de futuro denominatione ſumpta à mutatione facienda in nobis per ipſam viſionem beatificam, non tamen ex hoc ſequitur quod ipſe Deus non ſit immediatũ bonum quod ſperamus, & quod ab iſta extrinſeca denominatione denominatur futurum.

3 Ad *Secundam confirmationem dicitur*: Quod delectatio, quæ ſuccedit ſpei in patria non eſt de ipſa conſecutione Dei, tanquam de obiecto, ſed de ipſo Deo conſecuto, ita quod ratio boni de quo eſt delectatio, teneat ſe ex parte Dei, conditio autẽ, & applicatio teneat ſe ex parte conſecutionis. Sicut etiam ex parte obiecti formalis ſpes innititur auxilio diuino, non ratione effectus, quem ponit in nobis tale auxilium, ſed ratione virtutis, à qua dimanat, quæ eſt omnipotentia Dei; connotat tamen effectum auxilij in nobis. At verò delectatio quæ correſpondet charitati in patria, eſt de ipſo Deo præſenti, & conſecuto, non quia conſecutus, ſed quia amicus, ita quod conſecutio reſpectu huius delectationis neque etiam eſt conditio ſine qua non, quia non pendet ab illa ratio ſpecifica huius delectationis charitatis, quæ ſolum reſpicit Deum vt amicum, & propter ſe.

Ad *tertiam reſpondetur*. Quod eadem eſt materia deſperationis, & ſpei, ſed non eodem modo attacta, deſperatio enim attingit Deum deſtruendo conditionem ſine qua non eſt Deus obiectum ſpei, ſcilicet poſſibilitatem conſecutionis, & conſequenter deſtruit ipſum obiectum, quod non niſi per talem conditionem obiectum eſt. Sicut hæreſis deſtruit ipſam teſtificationem fidei non negando illam in ſe, ſed negando condititionem ad illam requiſitam, ſcilicet propoſitionem Eccleſiæ, qua negata deſtruit hæreticus ipſam diuinam teſtificationem, quæ illi propoſitioni alligata eſt, ſicut etiam in naturalibus, qui deſtruit diſpoſitiones ad formam, deſtruit ipſam ſubſtantiam ſuppoſiti, & formam ſubſtantialem.

4 Ad *Vltimam dicitur*. Bonum concupitum, non ordinari ad eum, cui concupiſcitur, vt ad finem *cuius gratia*, ſed tanquam ad ſubiectum, & finem *cui*, ſic autem non eſt peruerſus ordo, quod Deum amemus nobis, ſicut Deus ipſe *ſic dilexit mundum vt filium ſuum vnigenitum illi daret*, & tamen mundus non fuit finis vltimus ipſius Dei, ſed ſubiectum, & finis cui. Imò vt benè

aduertit *Caiet. hic quæſt.* 17. *art.* 5. quando Deum nobis concupiſcimus referimus Deum ad nos, vt ad ſubiectum perficiendum Deo, vnde Deus manet vt finis perficiens nos.

4 Ex *dictis ſoluitur totum fundamentum*, pro ſententia Patris Torres. Dicimus enim, quod poteſt dari amor concupiſcentiæ fundatus in amore beneuolentiæ erga alterum, quia etiam datur concupiſcentia ad alium, & non ſolùm ad ſe; & ſimiliter non omnis amor beneuolentiæ habet perſonam pro motiuo, ſeù fine mouente, ſed ſufficit quod habeat pro ſubiecto; cui volumus ipſum finem vt bonum concupitum. *Dicimus ſecundò.* Quod *D. Thomas*, quando dicit quod præſuppoſita vnione amoris poſſumus ſperare alteri beatitudinem, nihil aliud intendit quam quod ad ſperandum alteri aliquod bonum, præſupponi debet amor vnitiuus erga alteram perſonam, qui eſt amor beneuolentiæ, cum tamen ad ſperandum ſibi non præ requiratur amor iſte beneuolentiæ, & vnitiuus, ſed amor naturalis. *Dicimus tertiò.* Quod iſte amor beneuolentiæ erga alterum; non oportet quod ſemper ſit charitas, ſeù perfecta amicitia, ſed ſufficit quod ſit amicitia imperfecta, quo volumus proximo bona ſupernaturalia, eo quòd illa bona non ſolùm mihi, ſed etiam proximis ſunt repromiſſa, & omnibus communia, & ideò ex pia affectione qua concupiſco mihi bona illa vt repromiſſa, etiam poſſum illa appetere proximo, quia etiam pro illo ſunt repromiſſa; & ſic ſaluatur quod ante charitatem in peccatore poteſt eſſe actus ſperandi alteri beatitudinem.

5 Reſtat *tamen adhuc argumentum.* Si ſperare ſalutem proximo pertinet ad ſpem theologicam; ergo deſperare ſalutem proximi contrariatur eidem ſpei theologicæ; ergo deſtruit illam, conſequens autem eſt falſum: ergo; *prima conſequentia eſt manifeſta, & Secunda probatur*: Quia quælibet infidelitas contraria fidei infuſæ deſtruit illam; ergo quælibet deſperatio contraria ſpei theologicæ deſtruit illam: *Falſitas autem conſequentis probatur*; quia poſſum deſperare de ſalute proximi, ſperando adhuc ſalutem meam, vt ſi videam mori hominem impœnitentem; ſed quamdiù ſpero ſalutem meam habeo ſpem theologicam à qua ille actus elicitur; ergo deſperatio de ſalute proximi non deſtruit ſpem theologicam. *Confirmatur*: Quia reſpectu beatitudinis alterius non erigitur animus ad vincendas difficultates, quæ poſſunt alteri occurrere in conſecutione beatitudinis, ſiquidem non concipitur vt aſſequenda à me, ſed ab altero; ergo non moueor ad vincendas difficultates, quæ alteri poſſunt occurrere; ergo ille actus non reſpicit beatitudinem arduam alteri, & vincendam, & conſequenter non eſt actus ſpei, ſed charitatis, vel ſimplicis beneuolentiæ.

6 Reſp. *Quod ſi quis deſperaret de ſalute alterius*, dum eſt in hac vita, ſimpliciter amitteret virtutem ſpei, nec ſperaret ſibi ſalutem virtuosè, & theologicè, ſed præſumptiuè, ſicut qui diſcredit vnum articulum, reliquos non credit fide Theologica. *Ratio eſt*: Quia ſpes theologica debet inniti auxilio diuino, eo mòdo quo datur à Deo; Deus autem dat auxilium commune omnibus hominibus, cuius non eſt minus capax proximus dum eſt in hac vita quàm ego. Sicut ergo de me ipſo in quocumque ſtatu ſim, & quantumlibet peccator non poſſum deſperare de auxilio diuino pro me; ita nec pro proximo, aut ſi deſpero de proximo; ideò eſt, quia de auxilio diuino pro illo deſpero: hoc autem ita deſtruit rationem ſpei, ſicut quando deſpero pro me, quia auxilium diuinum, æquè paratum eſt à Deo pro me, & pro aliis, vndè ſi deſpero de hoc auxilio pro aliis non poſſum verè ſperare pro me, quia iam non attingo auxilium diuinum ea ratione, qua eſt à Deo, ſcilicet vt communiter omnibus propoſitum, ſed mihi exiſtimo proprium, & non alteri; vnde non ſpero in auxilio diuino, ſed præſumo.

Quod *ſi inſtes*: Nam probabile eſt Deum denegare aliquando in hac vita auxilium ſufficiens; ergo poſſum exiſtimare illud eſſe denegatum alicui; ergo poſſum tunc deſperare de ſalute illius, quia ſublato auxilio ſufficienti, tollitur poſſibilitas operandi, & ſublata poſſibilitate non manet obiectum ſpectabile. *Reſpondetur hoc argumentum* nimis probare: nam eadem ratione poſſum deſperare de mea ſalute, exiſtimando probabiliter mihi eſſe denegatum auxilium ſufficiens. *Dico ergo*. Nunquam poſſe dari exiſtimationem practicam de denegatione auxilij ſufficientis, vſque ad finem vitæ de quocumque homine, niſi per diuinam reuelationem quo caſu, quid faciendum ſit dicemus *diſput.* 4. Vnde licèt poſſit dari Opinioni ſpeculatiua, de denegatione auxilij ſufficientis, loquendo in genere, tamen quod iſti, vel illi in particulari, & practicè loquendo denegatum ſit, ſine temeritate non poſſum exiſtimare. Vnde pro omnibus generaliter orare debemus, oratio autem non eſt ſine ſpe impetrandi. 7

Ad *Confirmationem dicitur*: Quod etiam pro beatitudine alterius erigitur animus ad vincendas difficultates; poſſumus enim conari, & procurare ſalutem alterius quatenùs ſaltem oramus Deum communibus orationibus pro omnibus fidelibus, & infidelibus, pro illis enim orat Eccleſia, & vnuſquiſque in perſona Eccleſiæ orat; ſpecialiter autem poteſt orare, vel procurare ſalutem alterius, vt aſſequendam pro quibus ſpecialiter eſt affectus, vel obligatus. 8

ARTICVLVS. III.

Vtrùm ſpes ſit virtus theologica, & infuſa?

SVpponimus *Spem eſſe vnum ex Donis infuſis à Deo, in noſtra iuſtificatione*, ſicut apertè definitur in *Tridentin. ſeſſ. 6. cap. 7.* in illis verbis: *Vnde in ipſa iuſtificatione hæc omnia ſimul infuſa accipit homo per Ieſum Chriſtum, cui inſeritur fidem, ſpem, charitatem* Eſt ergo ſpes donum infuſum. An verò ibi non ſolùm definiatur quod ſit donum infuſum, ſed etiam quod ſit donum habituale per modum virtutis, & habitus, controuertunt recentiores, & *Pater Torres diſput. 46. dub. 4.* exiſtimat id non eſſe definitum, ſed ſolùm oppoſitum eſſe errorem, vel proximum errori. At verò *Pater Lorca hic diſp. 5. & in 1. 2. ſect. 3. diſp. 8. & ſect. 6. diſput. 35. membro 1.* exiſtimat eſſe immediatè de fide. Sed quia iſta controuerſia non eſt propria huius loci, breuiter mihi videtur, quod eſt immediatè de fide 1 (margin: 1)

iſta

iſta tria eſſe dona permanenter,& habitualiter inhærentia, præſertim in paruulis, & eadem ratio eſt de adultis,ſicut de ipſa gratia iuſtificante, & charitate expreſsè definitur in dicto *Concil Seſs.6. can.*11.Et de fide, qua paruuli ſunt fideles licèt actu non credant,*Seſs. 7. can.*13. Et quod in incremento iuſtitiæ augeatur etiam Fides, & Spes dicitur *Seſs. 6. cap.* 10. Quod verò ſint habitus operatiui,& virtutes eo modo quo Theologi, & Philoſophi vtuntur iſto nomine, non videtur immediatè eſſe definitum licèt per euidentem conſequentiam theologicam deducatur, & ſic illud negare eſſet error,vel errori proximum. *Hoc ſuppoſito poſſunt aliqua hic dubitari circa ipſam rationem virtutis*; alia verò circa rationem talis virtutis,ſcilcet quatenùs theologica. *Circa rationem talis virtutis* dubitari ſolet:an ſpes ſit virtus propriè,& in toto rigore? *Item* Vtrum ſpes informis ſit vera virtus? *Denique*: Vtrum ſpe infuſa poſſit aliquis malè vti,& actum prauum elicere? Quia tamen iſtæ quæſtiones propriè pertinent ad tractatum de virtutibus in communi in 1.2.breuiter ſine argumentis illis ſatisfaciemus.

a Ad *Primam difficultatem dicimus*,ſpem theologicam eſſe propriè,& in toto rigore virtutem. Conſtat ex *D.Thom. hic quæſt.* 17.*art.*1. & concordant communiter Scholaſtici. Solus *Durand. in diſt.*26.*q.*1.dixit ſpem eſſe virtutem largo modo,vt dixerat de fide. Vocat autem *virtutem largo modo,diſt.*23.*q.*6. habitum laudabilem inclinantem potentiam ad actum bonum: *virtutem autem ſtrictè*,habitum ponentem in vltimo perfectionis debitæ ſuo actui; & quia fides eſt ſine euidentia in qua perficitur intellectus, & ſpes ſine præſentia rei amatæ in qua perficitur amor; ideo non vocat illas virtutes ſtrictè,ſed largo modo. *Sed hæc qu.* vel eſt de nomine,vel nullam habet difficultatem:nam ſi intelligit *Durandus* neceſſarium eſſe ad virtutem ſtrictè,& eſſentialiter dictam quod ponat in vltimo perfectionis abſolutè, & reſpectu ipſius potentiæ, ſic ſola beatitudo eſſet virtus, quia ſolũ in beatitudine acquirit potentia vltimam perfectionem, quam abſolutè poteſt. Si autem intelligitur quod virtus debet ponere in vltimo perfectionis non abſolutè, ſed reſpectu ſuæ materiæ,ſic nõ eſt cur negetur ſpem, & fidem,eſſe virtutes,quia perfectio debita intrà ſuam materiam non eſt attingere rem euidentem, aut præſentem, ſed attingere regulam quæ talis materia, & actus regulandi ſunt, vt aduertit *S. Thom. hic q.*17.*art.*1. *ad tertium*. Hæc eſt enim perfectio vltima cuiuſcumque virtutis attingere regulam,& menſuram ſuam,non autem id quod extrà materiam eſt. Cum ergo ſpes attingat in ſuo actu,& materia ſperandi primam regulam quæ eſt ipſe Deus, iuxtà ſuam ſpecificationem, & materiam, quam eſſentialiter poſtulat, quod eſt citra poſſeſſionem rei ſperatæ, conſequenter ponit in vltimo perfectionis debitæ actui in tali materia ſibi propria, & eſſentiali.

Ad *ſecundam difficultatem D.Thom.*1.*2.q.*65.
3 *art.*4.*&* 2.*2.q.*4.*art.* 4 dicit Quod fides,& ſpes informes non hbent rationem virtutis perfectæ quantum ad ſtatum virtutis; bene tamen quoad eſſentiam virtutis, determinat enim quod fides informis,& formata ſunt idem, habitus eſſentialiter, quod formatio proueniens à charitate non eſt de eſſentia fidei,nec forma eius intrinſeca. *Et Ioan. à S.Thom.in* 2.2.*D.Thom.* *ratio à priori eſt.* Quia eſſentialis ratio virtutis ſumitur ex ordine ad obiectum ſpecificatiuum, ergò quandiù ſaluatur hoc obiectum, ſaluatur eſſentialis ratio virtutis, ſed remota formatione charitatis ſpes, & fides attingunt idem obiectum ſpecificatiuum atque anteà, ergo manet in illis eſſentialis ratio virtutis. *Minor probatur*: Quia ſi remota charitate non attingerent idem obiectum ſpecificatiuum, atque antea, amitteretur fides, & ſpes.ſoluto enim ſpecificatiuo, ſoluitur ſpecificatum. & ſic quodlibet peccatum mortale destrueret fidem theologicam, quantum ad eſſentiam ſpeciemque, & produceretur alia diuerſæ ſpeciei. *Conſequens* autem non cohæret cum definitione *Concilij Tridentini ſeſſione* 6. *capite* 15. *& canone* 18. *Si quis dixerit amiſſa per peccatum gratia fidem ſemper amitti,aut fidem quæ remanet, non eſſe veram fidem, licet non ſit viua, anathema ſit.* Si autem fides, quæ eſt cum gratia, & charitate deſtruitur eſſentialiter amiſſa gratia, per quodlibet peccatum mortale amittetur fides verè, & propriè, & ſolum manebit fides quantum ad rationem genericam, producta alia fide informi diuerſæ ſpeciei. Quod licet prædicta definitio apertè non damnet,tamen non conformiter ad illam dicitur, nec in tota proprietate ſaluatur, inciditurque in aliud inconueniens à *Diuo Thoma* attactum; Quia vel ſimul cum fide viua eſt illa fides informis diſtincta, vel non; ſi ſunt ambæ ſimul; altera earum eſt otioſa: ſi non ſunt ſimul; tunc quando amittitur fides viua producetur fides informis expelletur, ſicque gratia eſſet cauſa amittendi quoddam donum ſupernaturale, quale eſt Fides Informis, & peccatum eſſet cauſa infundendi illud, quod eſt magnum inconueniens. Quare Fides, & Spes informes habent eſſentialem rationem virtutis, à Charitate verò formantur quantum ad ſtatum virtutis.

Quis *ſit autem ſtatus virtutis*, qui per iſtam formationem acquiritur, citatis locis explicari ſolet,& infrà *Quæſt.* 23.*articul.* 8. Interim dicimus formationem hanc non eſſe aliud quam dependentiam,& ſubordinationem vnius virtutis ad perfectiorem virtutem, ex cuius coniunctione perficitur.Sed eſt valdè notanda differentia,qua *Sanctus Doctor* loquitur de formatione. ſeu ſtatu virtutis, quem præbet charitas alijs virtutibus moralibus,& quem præbet fidei, & ſpei. Nam quando loquitur in locis citatis de formatione virtutum moralium à charitate dicit quod format eas ſecundum directionem in vltimum finem non connaturalem, & proprium, ſed ſupernaturalem; & excedentem: at vero quando loquitur de formatione fidei,& ſpei non dicit quod formantur à charitate ſecundum directionem in vltimum finem excedentem, ſed quod formantur ab illa ſicut virtutes morales à prudentia, quæ eſt formatio magis connaturalis, & debita, vt patet in loco citato. *Prima Secundæ, quæſtione ſexageſima quinta, articulo quarto.* Prudentia autem non præſtituit finem virtutibus, vt docet *Sanct. Thom. infra quæſtione quadrageſimaſeptima, articulo ſexto*, ſed præbet medium in materia virtutum, hoc eſt rectitudinem, & applicationem circunſtantiarum hic, & nunc in illa materia virtutis moralis, ita vt virtus non ſolùm reſpiciat bonum regulatum tanquam obiectum ex ſpecie ſua ſed etiam exerceat in indiuiduo ſecundum circunſtantias 4

occurrentes. Sicut temperantia verbi gratia, inclinat de ſe ad refrænandas paſſiones delectationis, ſed circa delectationem huius materiæ hîc, & nunc verbi gratia, in qua quantitate, & qualitate cibus, aut potus ſit temperatus, non eſt hoc determinatum à natura, nec à voluntate, vel appetitu determinatum eſt, cum appetitus non determinet, ſed appetat determinatum; & ideò indiget prudentia, quæ determinet voluntatem circa iſta contingentia in particulari. Itaque ipſa virtus moralis reſpicit ſecundum ſpecificationem materiam, ſeu obiectum regulatum à ratione. Quod verò in indiuiduo inueniatur iſta regulatio, hîc, & nunc dependet à directione prudentiæ, & hac ratione dicitur prudentia dare ſtatum virtutis.

5 Igitur *charitas reſpectu virtutum moralium*, dat illis ſtatum virtutis ordinando illas per imperium in finem ſupernaturalem illis extrinſecum, & hoc pertinet ad magnam perfectionem talium virtutum, vt dicantur *virtutes ſimpliciter*, id eſt, ex omni parte ordinationis in finem vltimum; nam cum actus virtutis moralis ſit electio rectificata, & eſſentialiter electio ſubordinetur intentionis finis, quando non ſolùm ſubordinatur electio virtuoſa fini naturalis ordinis, ſed etiam fini ſupernaturali habet plenam rectificationem, quia plenam ſubordinationem fini vltimo ipſius hominis. At verò charitas non poteſt hoc modo dare ſtatum virtutis fidei, & ſpei theologicæ, quia iſtæ virtutes habent pro obiecto, & materia ipſum finem vltimum ſupernaturalem, ſed tamen quia in modo attingendi iſtum finem non habent totalem perfectionem, & complementum; ideò charitas in formatione iſtarum virtutum, dicitur ſe habere ſicut prudentia, quantum ad hoc, quod non præſtitit illis iſtum finem, ſed quaſi modum, & perfectionem aliquam circa tendentiam ad ipſum finem; debetur enim fini vltimo quod non ſolùm ex parte actuum, ſed etiam ex parte totius ſubiecti illi nos ſubiiciamus Deum *toto corde, & tota anima, & tota fortitudine*, id eſt, non ſolum ſubiiciendo illi vnum actum, aut alium, ſed omnes actiones, & principia illarum, quæ nomine *cordis, & animæ* deſignantur, quia de corde exeunt omnes actiones humanæ, & ideò ſicut omnes lineæ, quæ tangunt circumferentiam procedunt à centro, ita oportet quod totum cor, quod eſt quaſi centrum actionum humanarum attingat ipſum finem vltimum, & hoc eſt quod facit charitas.

6 Licet enim fides, & ſpes ex parte ſui actus attingant iſtum finem vltimum, non tamen omnimodo attingunt, nec perfectè illi ſubiiciunt cor, vnde reddunt actum bonum, ſed non reddunt bonum ipſum habentem ſimpliciter, quod tamen requiritur ad perfectum ſtatum virtutis. Vnde ſicut prudentia non dat virtutibus hoc quod eſt tendere in finem, ſed modum tendendi, ſecundum particularem applicationem, & circunſtantias occurrentes; ita charitas non dat fidei, & ſpei quod tendant in finem vltimum ex parte ipſius actus, ſed quod tali modo tendant, ſicut ipſe finis vltimus poſtulat, id eſt, cum plena ſubiectione cordis ad illum. Et iſte modus, ſeu perfectio à charitate prouenìens etiam refunditur in obiectum fidei, & ſpei: quia obiectum fidei eſt Deus obſcurè reuelatus, & conſequenter ea voluntatis inclinatione creditus. Sic ergo voluntas non perfectè inclinatur in Deum vt finem; & ſi credat ipſi vt veraci, non tamen, vt veritati dilectæ ſufficienter: perficitur ergò ſi ſufficienter ametur. Similiter ſpes tendit in Deum vt auxiliantem, quod autem Deus auxilietur pendet ea duobus, ſcilicet ea eius voluntate, & beneuolentia, nam amici faciliùs auxiliantur, quam extranei: vnde ſperare à Deo, vt ab amico eſt perfectio ſpei, quæ ſine charitate non eſt; ante charitatem enim ſperat à Deo vt ab auxiliatore, ſecundum virtutem, non autem vt ab auxiliatore amico, nec per merita habita, ſed habenda. Videatur *ſanct. Thom. hic quæſtione 17. articulo 8. & 1. 2. quæſtione 65. articul 4. & 62. artic. 4.*

Ad *tertiam difficultatem ſanctus Thomas* vnico verbo illam reſoluit 1. 2. *quæſtione 55. art. 4. ad quintum*, dicendo: *quod virtute poteſt aliquis male vti tanquam obiecto, putà cum male ſentit de virtute, cum odit eam, aut ſuperbit de ea: non autem tanquam principio vſus, ita quod ſit malus actus virtutis.* Loquendo autem in ſingulari de virtute ſpei inquit hic, quæſt. 17. artic. 1. ad primum. *Quod ſpe attingente Deum* (id eſt, ſpe theologica) *nullus poteſt male vti, ſicut nec virtute morali attingente rationem, quia hoc ipſum quod eſt attingere, eſt bonus vſus virtutis.* Vbi manifeſtè *ſanctus Doctor* ſignat ſe loqui de virtute vt ſubiecta, & directa à prudentia, qua mediante virtus attingit medium rationis. Et ſimiliter loquitur de ſpe theologica attingente finem ſupernaturalem ea auxilio ſupernaturali, ſic enim eſt regula voluntatis, & hoc modo non poteſt elici à virtute actus malus, quod eſt vti virtute tanquam principio, ſcilicet elicitiuo actus mali. Quando autem dicit, *ſanctus doctor* poſſe malè vti virtute, tanquam obiecto, poteſt dupliciter intelligi. Vno modo quod ipſa virtute, vt tenet ſe ex parte ſubiecti aliquis vtatur tanquam materia remota peccati. Sicut verbi gratia, ſi aliquis glorietur ſe habere virtutem; & hoc modo non eſt dubium, poſſe aliquem malè vti virtute etiam ſupernaturali, & ipſa gratia Dei: nam ſuperbia vt inquit Auguſtinus in ſua regula, *Etiam bonis operibus inſidiatur, vt pereant.* Sed hoc valdè extrinſecè, & remotè attingit virtutem, habendo illam tanquam obiectum, vel potius poſſeſſionem illius, vt de illa aliquis glorietur, vel odio proſequatur. *Alio modo* poteſt intelligi quod aliquis vtatur malè virtute vt obiecto, id eſt ipſo actu à virtute elicito, & materia, illius actu ſubordinando illam fini prauo, vt ſi quis confiteatur fidem propter vanam gloriam, aut colat caſtitatem propter ſuperbiam; & hoc modo virtutes theologicæ, fides, & ſpes conueniunt cum aliis virtutibus moralibus in vno, & differunt in alio. Conueniunt in hoc, quod actu virtutis moralis, & materia, vt formaliter, & ſpecificatiuè pertinent ad virtutem, nullus poteſt illis malè vti, etiam propter finem prauum extrinſecum. non eſt enim aliquid materia virtutis formaliter, & ſpeculatiuè niſi prout regulata per rationem, remota autem regulatione perdit ſpecificationem moralem, quæ eſt ſpecificatio regulata, tranſitque ad ſpeciem mali, quæ eſt ſpecificatio irregulata. Repugnat autem materiam regulatam, regulatione manente, ſubordinari fini prauo, quia hoc ipſum eſſet obliquare.

Eodem *etiam modo* Deus vt ſupernaturalis finis ex auxilio ſupernaturali attactus nullo modo ordinari poteſt in malum finem, ſic enim non 8

attinge

attingeretur ab auxilio ſupernaturali, eo quod tale auxilium non ſolum voluntatem tangit, ſed etiam intellectum illuſtrat, ne ex prauo dictamine operetur, vnde quod procedit ab auxilio ſupernaturali ex recto dictamine procedit. Et ſic nulla confeſſio exterior fidei, aut actus ſpei poteſt procedere ab ipſa virtute, & ordinari in prauum finem, quia ſi procedit à virtute fidei vel ſpei debet procedere ſecundum concurſum ſupernaturalem, atque adeo, ex ſupernaturali auxilio, quod ſine rectificatione ſtare non poteſt. Si autem propter vanam gloriam prodeat quis in confeſſionem fidei, vel actum ſpei, talis actus ſicut non ſubordinatur auxilio ſupernaturali, ita neque virtuti theologicæ, vel eius formali rationi, ſed eſt à fide acquiſita, quæ non innititur teſtimonio Dei ea firmitate qua à Deo eſt, ſed firmitate voluntatis affectæ fini prauo, quæ non eſt firmitas vera, licet ſibi videatur aliquis firmiter adhærere, nec ſperat ex auxilio diuino vero, ſed præſumpto.

9 *Eſt autem differentia* inter virtutes morales, & theologicas, quod materia virtutis moralis, cum non ſit ipſa regula, ſed res regulata, eſt ſeparabilis à directione prudentiæ, quæ à tam multis circunſtantiis dependet, & induere poteſt ordinem ad prauum finem, non ſublata bonitate ex parte obiecti, ſicut qui dat eleemoſynam propter vanam gloriam. Et ſecundum probabilem ſententiam aliquorum, *Prima ſecunda, quæſtione decimaoctaua,* poteſt actualiter retinere bonitatem moralem ex parte obiecti cum malitia circunſtantiæ, licet quoad denominationem, ſimpliciter dicatur actus malus, quia malum ex quocumque defectu. *Secundum vero aliorum ſententiam* per appoſitionem mali finis, vel circunſtantiæ deſtruitur ipſa bonitas moralis ex parte obiecti formaliter loquendo, & ſolum manet in potentia, quia quantum eſt ex parte obiecti præciſè non eſt mala illa actio, licèt ipſummet obiectum vt veſtitum tali circunſtantia redditur malum. At verò materia virtutis Theologicæ, cum ſit ipſe Deus vt finis ſupernaturalis non poteſt ſeparari à bonitate morali, quia non eſt aliquid regulatum, ſed ipſa regula ſuprema rationis, vnde ſi attingitur non poteſt ordinari ad prauum finem, nec ad aliam malam circunſtantiam, quia ſi ſic ordinaretur, hoc ipſo non attingeretur vt finis, neque actu theologico, qui eſt circa ipſum finem in ſe, ſed verſaretur circa Deum falsò apprehenſum, vt ordinabilem ad

10 alium finem.

Circa *Particularem rationem huius virtutis* quatenùs theologica eſt, duæ occurrunt difficultates. *Prima*: vtrum virtus theologica ex parte boni, quod attingit vt rem, exigat neceſſariò quod ſit bonum diuinum, & ſupernaturale: an ſufficiat ſub ratione diuina attingere quodcumque bonum? *Secunda* quomodo inueniri poſſit medium, & extrema in virtutibus Theologicis.

Ad *Primam quæſtionem Reſpondetur* affir-

11 matiuè iuxtà dicta *artic. 1. contra Patrem Vazquez* quem ſequitur *Torres hic diſput. 61. dub. 4. circa finem.* Vbi dicit Thomiſtas requirere ad rationem virtutis theologicæ, quod obiectum eatum ſit ſupernaturale formaliter: *Quam legem (inquit) non tam probant, quam aſſignant liberè.* Sed liberè hoc protulit *Pater Torres*, id enim vrgentiſſima ratione ponitur à Thomiſtis *ex ſancto Thoma 1. 2. quæſtione 62. articul. 1.* & optimè *in ſecunda ſecundæ quæſtione octuageſima-prima, Ioan. à S. Thoma in 1. 2. D. Thom. articulo quinto*, & videri poteſt *Lorca hic diſputatione quinta, in fine*, vbi dicit errare, qui dici obiectum *quod* ſpei theologicæ eſſe aliquid creatum. *Fundamentum D. Thom. & Thomiſtarum eſt.* Quia neceſſarium eſt ponere in homine aliqua principia, per quæ ordinetur in finem ſupernaturalem, ſicut per principia naturalia ordinatur ad finem naturalem; ſed iſta principia ſic ordinantia neceſſariò debent reſpicere ipſum finem ſupernaturalem tanquam rem volitam; nec aliæ virtutes poſſunt ſic reſpicere Deum tanquam obiectum, & bonum volitum; ergò aliquæ virtutes dantur, quæ ex ſua ratione eſſentiali, qua differunt à cæteris poſtulant habere pro obiecto materiali, & re volita ipſum Deum: & tales virtutes vocamus *theologicas.* Quod ſi alias, quæ hoc non habent etiam theologicas appellare velimus, erit quæſtio de vocabulo, de qua non eſt curandum, ſed de re ipſa. Sufficit ergo conſtare, quod aliquæ virtutes, ſint ponendæ, quæ eſſentialiter exigant reſpicere Deum, vt obiectum materiale, & non ſolum vt rationem formalem. *Diſcurſus eſt legitimus.* Prima propoſitio negari non poteſt: Quia vt oſtendit *ſanctus Thomas citato loco ex prima ſecunda*, beatitudo ſupernaturalis excedit proportionem humanæ naturæ; ergò omnia principia naturalia in homine non ſufficiunt ordinare ipſum in dictam beatitudinem; ergò vt ordinetur requirit alia principia. *Minor verò probatur.* Ita debet ordinare illa principia ſupernaturalia in finem ſupernaturalem, ſicut principia ſupernaturalia ordinant hominem in finem naturalem, ſed quando ordinatur homo in finem naturalem, ordinatur in illum, non ſolùm vt in rationem formalem tendendi, ſed tanquam in rem volitam, & finalizantem; ergò Deus vt res volita neceſſariò debet attingi ab illis virtutibus ſic ordinantibus in finem ſupernaturalem. *Minor probatur*: Quia actus intendens aliquem finem debet illum reſpicere tanquam rem intentam, & aſſequendam, ſicut electio tendit in medium, tanquam in rem electam in ordine ad finem: illa enim eſt res intenta vt finis, quæ per aſſecutionem poſteà poſſidetur; & illa eſt electa res vt medium, quæ per executionem adhibetur ad conſequendum finem; ſed res quæ poſſidetur non eſt ſola ratio formalis, ſed obiectum ipſum, & res ſecundum ſe; & ſimiliter media quæ adhibentur, non ſunt ſolùm rationes formales, ſed veræ res, & obiecta materialia; ergo de intrinſeca ratione virtutis ordinantis circa finem, eſt reſpicere tanquam rem volitam ipſum finem, & in virtutibus theologicis ipſum Deum. *Quod verò hoc nulli alij virtuti* competere poſſit inde conſtat, quia virtus ordinans, circa altiorem finem naturaliter imperat his, quæ verſantur circa media, & circa finem inferiorem; ergò illa virtus, quæ ordinat circa finem vltimum debet eſſe omnibus aliis virtutibus ſuperior; ergò nulli alij virtuti extrà ipſam competere poteſt, talem finem attingere vt rem volitam.

Si dicas: Quod virtutes, & habitus ſpecificantur, & diſtinguuntur per rationem formalem, 12
non materialem. *Reſpondetur.* Quod ratio formalis diſtinguit cum ordine ad materiale obiectum primarium, neque enim ratio formalis ſpecificat ſeparatè & in abſtracto, ſed vt cadens ſuper debitam materiam, ſicut nec forma hominis conſtituit hominem ſine materia, ad quam dicit

ordinem, & ideò *S. Thom. 1. 2. quæſt. 67. art. 4. ad tertium* ſimpliciter docet quod de ratione ſpei theologicæ eſt, *quod eius obiectum ſit Deus, non autem aliquid creatum.*

13 Et *ex hoc habetur regula* ad cognoſcendum quomodo aliqua virtus non ſit theologica etiamſi aliquo modo attingat Deum: oportet enim quod vt ſit theologica concurrant illa duo, ſcilicet quod ratio formalis, & ſimiliter obiectum materiale immediatum ſint aliquid diuinum, & ex defectu alicuius ex iſtis conditionibus aliquæ virtutes, & dona Spiritus ſancti, quæ Deum attingunt, deficiunt à ratione virtutis theolog. ex defectu enim materialis obiecti non eſt virtus theologica religio, quæ reſpicit pro obiecto cultum Dei, non ipſum Deum, & pœnitentia, quæ reſpicit ſubiectionem ad Deum, & ſimiliter donum fortitudinis, quod innititur auxilio Dei, vt dicit *Sanct. Thom infra quæſt. 139. art. 1.* tamen verſatur circa pericula ardua, tanquam circa obiectum materiale, non circa ipſum Deum. Et donum pietatis, quo exhibet cultum Deo, non tanquam domino ſicut Religio, ſed tanquam pater per gratiam, & proximis exhibet officia, vel ſecundum iuſtitiam, vel ſecundum gratiam tanquam fratribus; & ideò correſpondet toti iuſtitiæ, & eius partibus, de quo *D. Thom. infra quæſt. 121. artic. 1.* & ſimiliter donum timoris reſpicit pro obiecto ſeparationem, & abiectionem ſui, quæ eſt paupertas Spiritus ergà diuinam eminentiam, vt *diſput. 5. dicetur.* At verò dona Spiritus S. quæ reſpiciunt Deum in recto tanquam materiale obiectum, vt donum ſapientiæ, & intellectus; & ipſa ſcientia theologiæ non ſunt virtutes theologiæ; quia non verſantur erga Deum ex ratione formali diuina, quia non attingunt ipſum per immediatam reuelationem ſicut fides, ſed theologia acquiſita per reuelationem mediatam, & virtualem, quatenus attingit veritates diuinas, vt contentas in principiis reuelatis, & ex illis deducibiles in vi conſequentiæ, & diſcurſus naturalis, non vt immediatè illuſtratas diuino teſtimonio. Sapientia autem quæ eſt donum attingit res diuinas iudicando de illis non in vi conſequentiæ, & diſcurſus naturalis, ſed ex quadam connaturalitate, & experientia rerum diuinarum, quæ aliquid creatum eſt, quatenùs ex affectu, & vnione amoris per charitatem cauſatur rectum iudicium de Deo in intellectu, vt docet *D Thom. infra quæſt. 45. art. 2.* donum verò intellectus attingit eodem modo res diuinas, non quidem iudicando, & reſoluendo ſicut ſapientia, ſed ſimpliciter penetrando, ſicut penetrantur prima principia.

14 Ad *Secundum quæſt. reſp. ex D. Thom. 1. 2. qu. 64. art. 4. & hic quæſt. 17. artic. 5. ad ſecundum.* Quod virtutes theologicæ per ſe loquendo non habent medium, per accidens autem poſſunt habere medium, & extrema. Dicitur habere per ſe medium quando habet illud ratione proprij obiecti, & primarij: quia hoc pro ſe competit virtuti, per accidens autem quando ex aliqua ratione extranea, vel ex parte obiecti ſecundarij habet illud ratione proprij obiecti, & primarii: quia hoc pro ſe competit virtuti; per acidens, autem quando ex aliqua ratione extranea, vel ex parte obiecti ſecundarii habet illud. Vocamus autem *medium* ipſam regulationem, quia per regulam reducitur aliquis ab extremis, & quaſi per liberationem ponderis in medio ſtatuitur. Cum ergo omnis virtus moralis habeat pro immediato obiecto aliquam materiam regulabilem per rationem, quia virtutes morales ſunt habitus electiui, electio autem verſatur circà media, media verò regulantur ex fine, inde eſt quod omnes virtutes morales per ſe, ideſt, ex parte ſui obiecti primarij conſiſtunt in medio, id eſt in regulato ſecundum rationem. Virtutes verò theologicæ, quia habent pro obiecto primario ipſum Deum, vt eſt finis vltimus, & prima regula, per ſe loquendo carent medio, ideſt, regulatione paſſiua ex parte huius obiecti.

Difficultas *eſt circa medium per accidens, &* 15
Scotus dixit hoc medium ſumi in virtutibus theologicis, ex parte actus, quatenus vel nimis poſſumus tendere, vel defectuosè in eatum obiectum. Cuius argumentum ſtatim referemus. *Caietanus vere hic q. 17. art. 5.* aduertit *D. Thom.* duplici via agnouiſſe medium per accidens in virtutibus theologicis, ſcilicet ex parte ſubiecti; & ex parte obiecti ſecundarij; ex parte ſubiecti poſuit medium per accidens 1. 2. q. 64. *art. 4.* Ex parte verò obiecti ſecundarij poſuit hic *q. 17. art. 5. ad ſecundum*, explicat autem *Caiet.* medium ex parte ſubiecti, ideſt, ex parte modi quo à nobis attingitur Deus per iſtas virtutes, ſicut obiectũ fidei, quod in ſe eſt incomplexum nos attingimus modo complexo, vt dicit *S. Tho. ſupr. q. 1. art. 2.* Vnde cõtingit formari propoſitiones, & iudicia, ſeu opiniones contrarias de Deo, quæ tamen propoſitiones, vt complexæ non ſunt obiectum fidei, cum eius obiectum ſit aliquid incomplexum, ſed tamen ſub eo modo complexo ex parte noſtra attingitur. Similiter ſpes habet medium, & extrema ex parte noſtra quatenùs ad ſperandum aliquid requiritur quod faciamus comparationem inter nos, & bonum ſperatum, vt videamus an ſit proportionatum ſecundum noſtram conditionem, vt colligitur ex *D Tho.* locis citatis. Et in iſta comparatione aliquando exiſtimatur aliquid improportionatum etiam ſecundum diuinum auxilium, & ſic deſperamus, vel exiſtimatur nimis proportionatũ, & ſic præſumimus, vnde in regulando iſto modo, qui ex parte noſtra ſe tenet ad attingendum Deum, vel ſperatum, vel creditum, requiritur aliqua regulatio, & in illa poteſt dari medium, & extrema. Quod currit non ſolum reſpectu noſtri, ſed etiam reſpectu Angeli viatoris, quia licet non formet propoſitiones cõplexas formaliter, format tamen iudicia virtualiter complexa, vnde in his ſupernaturalibus, quæ plenè non cognoſcit, quandiù non dat vltimum iudicium, poteſt diuerſis, & contrariis iudiciis quaſi extremis recedere à fide. *Ex parte autem obiecti ſecundarij* facilius inuenitur medium, & extrema, quia bona creata non abſolutè ſperamus, ſed vt ſubordinata beatitudini, ex qua ſumitur proportio ad ſperandum res creatas, vt oportet, ſcilicet vt nec deſiderentur nimis, nec abiiciantur totaliter, ſed ſperentur, vt conducunt ad finem beatitudinis, ideoque regulatione indigent in ſperando, ſicut & in petendo vt videre eſt *in D. Thom. infrà quæſt. 83. artic. 6.*

Soluuntur Argumenta.

EX his facilè ſoluuntur dua obiectiones in contrarium. Prima: quia etiam circà obiectum primarium poſſumus inuenire medium, & extrema, ſicut de ipſo Deo in ſe poſſumus habere opiniones extremè falſas, vt qui diceret *Deum eſſe Trinum in eſſentia, & in perſonis*, & qui diceret, *non eſſe trinum, neq; in eſſentia, neq; in perſonis*, & 1
qui

qui de ipſo Deo obtinendo in ſe, non autem de aliquo bono creato, deſperaret, vel præſumeret. Secunda eſt: Quia actus credendi eſt aliquid creatum; ergo indiget regulatione; poteſt enim aliquis nimis citò, & leuiter credere, aut etiam nimis difficulter; ergo ipſe actus fidei in medio conſiſtit. *Quod eſt argumentum Scoti.*

2 Ad *Primum dicimus.* Quod circa ipſum obiectum primarium, ſecundùm ſe non contingit dari extrema, etiam in opinando, ſed ſecundùm connotationem, & modum quem habet ex parte noſtra, quatenus per modum propoſitionis, & judicij, vel formaliter, vel virtualiter complexi, incomplexum obiectum intelligimus: Verum autem, & falſum ſecundùm contrarietatem inter ſe ſolùm inueniuntur in intellectu complexo. Et ſimiliter poſſumus deſperare, & præſumere de ipſa conſecutione Dei in ſe ratione illius conditionis, & modi ex parte noſtra requiſiti ad ſperandum, qui regulatione indiget, quatenùs comparamus nos erga bonum ſperatum, vt dictum eſt, & ratione huius connotationis, & modi intelligo etiam quod dicit *Sanct. Thom. in iſta quaſt. 7. art. 5. ad ſecundum.* Quod conuenit ſpei habere medium per accidens ratione eius, quod ordinatur ad principale obiectum: non enim ſolùm obiectum ſecundarium, ſed etiam iſta connotatio, & conditio ordinatur ad principale obiectum.

3 Ad *Secundum dicimus.* Quod impoſſibile eſt aliquẽ actum indigere regulatione niſi per ordinem ad ſuum obiectum, actus enim ſine obiecto, entitas, & qualitas eſt regulatione non egens, per ordinem autem ad obiectum primarium ſecundùm ſe, actus non eſt regulabilis: quia non poteſt eſſe nimius in ordine ad Deum ſecundùm ſe: ſi autem deficit ab eo ſecundum ſe, non ea defectu regulationis, quæ ſit in ipſo obiecto deficit, ſicut virtutes morales, ſed per abiectionem, & carentiam ipſius regulæ, & licèt qui citò credit leuis ſit corde, non tamen qui citò credit Deo. Similiter qui difficulter credit, ſi *difficulter*, ideſt, *dubitando credit*, non credit, quia veritas prima eſt indubitabilis, ſi autem *difficulter*, ideſt, *tarde*, quamdiù tardat, poſt ſufficientem propoſitionem obiecti, non dum credit, & ſic non per defectum regulationis ex parte obiecti, ſed per totalem abiectionem ipſius fidei dicitur non credere.

ARTICVLVS. IV

Vtrùm poſſit dari ſpes acquiſita circa obiectum ſupernaturale?

1 SEnſus *difficultatis huius procedit* non de ſpe acquiſita, quæ verſatur circa bonum naturalis ordinis, ſicut ſpes communiter dicta, nec de illa, quæ verſatur circa obiectum ſupernaturale vitioſo modo ſicut eſt præſumptio, talis enim dari non eſt dubium: ſed inquirimus vtrùm circa bonum ſupernaturale poſſit verſari ſpes ex motiuo naturali, quæ tamen ſit honeſta, & bona? Affirmat *Pater Torres hic diſp. 61. dub. 4.* Vbi non ſolum aſſerit dari talem actum, qui ſit bonus, & honeſtus, ſed etiam poſtulare habitum, qui ſit virtus acquiſita: imò addit, quod talis virtus acquiſita eſt theologica. Quia verò iſta poſitio videtur admittere quatuor virtutes theologicas, contradicente Apoſtolo 1. ad Corinth. 13. *Nunc autem manent fides, ſpes, & charitas, tria hæc*, & refragante communi theologorum intelligentia, qui per illa tria intelligunt, tres virtutes theologicas infuſas, & ſupernaturales, ſicut infuſas eſſe declarat *Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 7.* ideò iſte author quaſi timens ſuæ ſententiæ, addit in calce dubij, quod licet nomen virtutis theologicæ communiter cadat in tres virtutes ſupernaturales, tamen poteſt dici ſpes acquiſita virtus theologica, ſed tamen loquendum eſſe cum multis præſertim ſi coram imperitis ſit ſermo.

Nihilominus *omninò reiicienda eſt iſta ſententia.* 2 Et quantum ad hoc vltimum videtur pluſquam falſa, & cenſura digna, cum contradicat concordi theologorum Scholæ, imò & communi fidelium iudicio ſolum agnoſcentium tres virtutes theologicas *Et ſit argumentum:* Quia quando *Apoſtolus* dicit manere fidem, ſpem, & charitatem *Tria hæc*, aliquid ſpeciale attribuit illis tribus, quod non alijs virtutibus, alioquin non verificaretur manere, *Tria hæc*, cum manerent plura alia, quæ idem haberent quod *Tria hæc*, & ſic ſuperfluè illa tria, tanquam ſpecialia nominaret. Illud autem ſpeciale, quod habent iſta tria inter cæteras virtutes, vocatur ratio virtutis theologicæ communiter à Doctoribus, & Eccleſia; ergo ſi hoc ſpeciale non conuenit alijs, quam iſtis tribus, qui dicit aliam virtutem præſertim acquiſitam, dicendam eſſe theologicam, vel falſo nomine illam appellat, ſi non habet illud ſpeciale ratione cuius illa tria ab *Apoſtolo* deſignata theologica dicuntur; vel ſi habet in rei veritate eandem rationem ſpecialem, quam illa tria, iam non ſolum ſunt tria theologica, quæ manent, ſed plura, contra communem ſenſum, & intelligentiam *Apoſtoli*, qui intelligitur nominaſſe tria priuatiuè, id eſt, non plura; quare hæc pars iſtiùs ſententiæ non benè ſonat.

Quod *verò attinet ad Primam partem huius ſententiæ dicimus:* 3 Non eſſe ponendam ſpem acquiſitam, quæ ſit actus bonus, & honeſtus, circa obiectum ſupernaturale. De quo videatur *Lorca hic diſp. 5. num. 5.* Nec diſſentit *Magiſter Bañez hic quæſtion. 17. art. 5. in fine Commentarij*, qui nullam ſpem agnoſcit, quæ ſit virtus, niſi theologicam, *& Magiſter Medina 1. 2. quæſt. 62. art. 2.* licet videatur ſupponere dari ſpem, & charitatem acquiſitam, non tamen determinatè explicat ſe loqui de ſpe habente pro obiecto ſupernaturalem beatitudinem: *Ratio, & fundamentum eſt:* Quia talis ſpes acquiſita deberet procedere ex motiuo naturali, circa rem ſupernaturalem (alioquin ſi ex motiuo ſupernaturali procederet, nihil ei deeſſet ad ſupernaturalem ſpem, & non acquiſitam,) repugnat autem, quod motiuum naturale, poſſit elicere verum actum ſpei, circa obiectum ſupernaturale, nam verus actus ſpei, debet importare efficacem voluntatem circa obiectum ſupernaturale quia ſpes importat motum intentionis, reſpicientem bonum, ſeu finem, vt conſequendum (*vt præcedenti articulo oſtendimus ex D. Thom. 1. 2. q. 62. art. 3.*) atque adeò ſpes differt à ſimplici voluntate, quæ efficaciam non habet, & huius radicale principium eſt quia ſpes non ſaluatur in quacumque voluntate, ſed in voluntate aggrediente conſecutionem boni ardui, vnde neceſſariò debet eſſe voluntas, illatiua electionis, reſpicientis media, per quæ aggredimur conſecutionem finis. Debet ergo importare voluntatem efficacem intentionis, quia ſolum ex illa oritur

electio:nullum autem motiuum naturale eſt ſufficiens ad hoc vt voluntas efficaciter tendat in bonum ſupernaturale, quia hoc motiuum eſt improportionatum reſpectu aſſecutionis talis boni. Quod ſi per motiuum naturale proponitur auxilium diuinum in quo ſperetur, ſed tamen cognitum naturali motiuo, ſcilicet per fidem acquiſitam, hoc ideò tale auxilium non cognoſcitur cum omni certitudine, ſed cum aliquali dubitatione, cum cognoſcatur fide acquiſita, atque adeò teſtimonio creato, quod eſt fallibile, & dubitabile: ergo ex vi talis cognitionis non formatur dictamen de diuino auxilio, niſi cum dubitatione, & formidine; ergo ex vi illius non certificatur, nec firmatur voluntas, circa auxilium proportionatum ad obtinendum tale bonum ſupernaturale: ergo oon poteſt formare firmam, & efficacem voluntatem tendendi in illud, vt aſſequendum, ſed manebit voluntas dubia, & nutans, quod oondum eſt ſperare, nec ſimpliciter intendere illud bonum, vt finem aſſequendum, ſed inefficaciter deſiderare, vel falſo ſperare, & præſumere.

4 Dices. *Ergo ſaltem poterit dari.* Concupiſcentia Dei authoris ſupernaturalis ex motiuo naturali, quia ſimplex concupiſcentia, & deſiderium, non requirit iſtam efficaciam voluntatis, & ita ſi per fidem acquiſitam de Deo authore ſupernaturali moueatur voluntas ad amandum Deum, ſic cognitum, ex motiuo naturali, concupiſcet Deum, vt ſupernaturale. *Reſpondetur, quod talis concupiſcentia iudicanda eſt, ex ſuo motiuo*; Motiuum autem eſt finis cuius gratia aliquid fit: poteſt ergo talis concupiſcentia oriri ex complacentia propriæ perſonæ, tanquam ex motiuo, & fine cuius gratia; vel poteſt oriri ex complacentia Dei, tanquam ex fine cuius gratia, ex complacentia autem ſui, tanquam ex ſubiecto, & fine cui vult tale bonum, non fine cuius gratia; *Si Primò modo ſe habeat* talis actus non eſt ſupernaturalis, neque bonus, ſed peccatum, quia non habet Deum pro fine vltimo, ſicut requiritur ad euitandum peccatum, quia non refert ſe ad illum, tanquam ad finem cuius gratia, ſed potius Deum ordinat ad ſe: *Si Secundo modo*, talis concupiſcentia eſt ſupernaturalis, tàm ex parte rei amatæ, quàm motiui, ſed tunc *Dicendum eſt*, Quod ex parte cognitionis regulantis illum affectum, datur aliqua cognitio ſupernaturalis, & non purè egreditur illa cognitio à fide acquiſita. *Itaque duæ* cognitiones ibi ſunt, *alia quaſi ſpeculatiua*, qua ex fide acquiſita per motiuum naturale, & teſtimonium humanum cognoſco Deum vt obiectum ſupernaturale. *Alia quaſi affectiua, & practica*, qua iſtud obiectum ſic cognitum, proponitur vt ſitus diligendus, & ad iſtam cognitionem Dico non ſufficere fidem acquiſitam ex motiuo naturali, ſed requiri aliquam excitationem, & auxilium ſupernaturale, *Tum* quia velle Deum, vt finem ſupernaturalem, etiam per modum concupiſcentiæ, eſt initium bonæ voluntatis io ordine ſupernaturali, & conſequenter in ordine iuſtificationis, cum ſit ſufficiens fundamentum ſpei, quæ non præ requirit alium amorem, quam iſtum; ergo debet procedere ex aliqua excitatione ſupernaturali, quia excitatio eſt prima inchoatio totius iuſtificationis, vt deffinit *Trident. Seſſ. 6. cap. 6.* Tùm etiam, Quia fides acquiſita, licet poſſit motiuo naturali attingere Deum ſupernaturalem, vt materiale obiectum, tamen illa fides non eſt practica, ſed purè ſpeculatiua, quia eſſe ſimul ſpeculatiuum, & practicum eſt proprium altioris ordinis, & fidei ſupernaturalis, vt de theologia tradit *Sanct. Thom. 1. part. quæſt. 1. art. 4.* Et de Dono intellectus, 2. 2. *quæſt.* 8. *art.* 3. Et de Dooo ſapientiæ ibidem *quæſt.* 45. *art.* 3. Solum enim conuenit fidei ſupernaturali, quod per dilectionem operetur. Quare licet illa fides acquiſita, poſſit manifeſtare modo naturali Deum ſupernaturalem, non tamen affectiuam cognitionem formare de Deo ſupernaturali fine, atque ita id pertinebit ad auxilium ſupernaturale Dei. Vnde reſolutoriè loquendo, oon video quomodo ſaluari poſſit in voluntate aliquis actus amoris Dei authoris ſupernaturalis, ex motiuo naturali, nam cum motiuum voluntatis ſit bonum, & finis, ſi habet pro motiuo ipſum Deum, vt ſupernaturalem, ſic actus ille ſupernaturalis manet ex parte motiui; Si autem aliquid extra Deum habeat pro motiuo, & fine cuius gratia, talis actus non eſt honeſtus, quia ſubordinat Deum alteri fini.

Sed *Obiicies Locum difficilem Sanct. Thom. 1. 2. quæſt. 66. art. 6. ad 2.* Vbi loquens de ſpe theologica, dicit: Quod *Spes præſupponit amorem eius, quod quis adipiſci ſperat, qui eſt amor concupiſcentiæ, quo quidem amore magis ſe amat qui concupiſcit bonum, quam aliquid aliud.* Ita Diu. Thom. Ergo falſum eſt quod amor, qoi habet pro motiuo complacentiam ſui ad concupiſcendum Deum ſit peccatum, alioquin fundaretur ſpes theologica in amore prauo. 5

Reſpondetur *Verè eſſe admittendum*, Quod amore concupiſcentiæ aliquis magis ſe amat, ſed ſub *Ly magis*, diſtinguendum eſt, quod poteſt *magis* ſe amare, velut finem *cuius gratia*, reſpectu boni concupiti, vel *magis* ſe amare, vt finem *cui*, & ſolum vt ſubiectum cui concupiſcit bonum, & vtrumque permittit amor concupiſcentiæ, quia poteſt concupiſcere ſibi vt fini, vel vt ſubiecto. Quando ergo coocupiſcit Deum ſibi, ſi rectè amat, debet illum amare vt finem *cuius gratia*, ſi verò *magis* amaret vt finem *cui*, ſeu ſubiectum, non vt finem cuiux gratia, peccaret, vt benè vidit *Caietanum hic quæſt. 17. art. 5.* contra *Durandum.* In amore autem amicitiæ, perſona amici eſt *magis* amata, vt finis *cui*, quia eſt ſubiectum cui volo bonum, nec requiritur, quod perſona amici ſit finis *cuius gratia*, præſertim vltimus.

Soluuntur Argumenta.

Fundamenta *Patris Torres facilè ſoluuntur ex dictis*, Obiicit enim, Quia poteſt alicui per fidem acquiſitam proponi aliquod bonum, vt futurum à Deo, & per auxilium diuinum, quæ propoſitio non ſufficit ad ſpem infuſam, quia ſpes infuſa habet omnimodam certitudinem deductam ex firmitate fidei, per fidem autem acquiſitam non poteſt proponi cum tanta firmitate, neque modo ſupernaturali: oon ergo eſt actus ſpei infuſæ; eſt autem ille actus honeſtus, & bonus, quia non eſt cootra aliquam regulam rationis. Quod verò generet, & poſtulet habitum. *Probatur*, Quia verſatur circa bonum futurum à Deo ſupernaturaliter auxiliante; ergo habet difficultatem animus in aggrediendo talem ſpem, debet ergo vinci per habitum. Vnde in hæretico amittente fidem, & ſpem infuſam, manet facilitas ad ſperandum bona ſupernaturalia, quæ eſt ſpes acquiſita. *Quod verè ſit virtus theologica probat*, Quia reſpicit Deum vt obiectum formale, quatenùs ſperat aliquod 5

quid per auxilium diuinum; hoc autem eſt obiectum formale ſpei theologicæ, licet diuerſo modo, & cum diuerſa certitudine, quam ſpes infuſa. *Secundò probari poteſt hæc ſententia*, Quia non repugnat dari fidem acquiſitam circa Deum authorem ſupernaturalem ex motiuo naturali; & ſimiliter datur charitas acquiſita, vt communiter omnes admittunt; ergo neque repugnat dari ſpem acquiſitam.

2 Ad *Primum Reſpondetur ſupponendo, quod ſpes theologica* non ſaluatur ſi ſolum habeat pro obiecto primario ſperato aliquid creatum (vt ſæpè dictum eſt) vnde ſolum admittimus argumentum, quantum ad hoc quod eſt ſperare Deum ex motiuo naturali. *Reſpondetur.* (inquam) Per fidem acquiſitam non poſſe proponi Deum, vt aſſequendum efficaciter, & practicè, ſicut requiritur ad motum ſpei, imò nec ſicut requiritur ad amorem debitum rei ſupernaturali, eo quod per fidem acquiſitam non poteſt formari dictamen firmum, & efficax de auxilio proportionato ad aſſequendum Deum, & conſequenter neque in voluntate poteſt ſequi efficax motus intendendi aſſecutionem talis finis. Vnde non ſtat caſus *Patris Torres*. Quod deſit firmitas illi ſpei regulatæ per fidem acquiſitam, & maneat vera ratio ſpei, quia ablata certitudine mediorum ad finem tollitur certitudo, & efficacia in intentione talis finis, quia intentio eſt de fine, vt aſſequendo per media; fides autem acquiſita poteſt quidem ſpeculatiuè proponere res ſupernaturales, ſed practicè non poteſt dare certitudinem, cum ipſa in certo motiuo nitatur; vnde non manet vera ſpes in hæretico, ſed præſumptio erga Deum aſſequendum.

3 Ad *Secundum Reſpondetur eſſe diſparem rationem*, de ſpe, & de fide, & charitate, Quia Charitas, ſi eſt acquiſita, non tendit in Deum authorem ſupernaturalem, ſed vt eſt naturalis finis, vnde non eſt ad propoſitum; nam etiam poteſt dari ſpes acquiſita de aſſecutione Dei authoris naturalis, id eſt, vt cognoſcendo per effectus, & non in ſe; fides autem poteſt ex teſtimonio creato credere Deum authorem ſupernaturalem, tanquam rem creditam, res enim ſuperiores poſſunt per inferiores attingi, licet imperfectè. Et ſimiliter voluntas poteſt ex motiuo naturali attingere Deum authorem ſupernaturalem, ſed tamen neque efficaciter, vt requiritur ad motum ſpei, ex defectu proportionati motiui, neque licitè vt requiritur ad amorem honeſtum ex defectu debiti finis, qui eſt motiuum amandi. Nam ſi propter ipſum Deum tanquam finem cuius gratia, imperfectè concupiſcat illum ſibi vt ſubiecto, non ex motiuo naturali, ſed ſupernaturali amatur; quod verò aliquis cognoſcat Deum ex teſtimonio creato nihil indebiti finis, & motiui apponit, quo talem cognitionem illicitam reddat.

❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧

DISPVTATIO XI.

De Subiecto ſpei theologicæ, eiuſque certitudine.

ARTICVLVS I.

Vtrùm in beatis maneat habitus, vel actus ſpei theologicæ?

IN *hac difficultate opponuntur inter ſe Pater Suarez & Pater Vazquez*, conſequenter ad ea, quæ docuerunt de formali ratione habitus ſpei, vt *artic. 1. diſputationis præcedentis* viſum eſt, etenim *Pater Suarez* exiſtimat manere habitum ſpei in Patria, non tamen quantum ad denominationem ſpei, quia tollitur principalis actus eius, qui eſt ſperare beatitudinem, ſed manet quoad alios actus, qui etiam ab iſto habitu eliciuntur, & quoad actus ſecundarios ſperandi, ſicut ſpes de Gloria corporis, de beatitudine aliorum, & ſimiles alij, qui ſtatui beatitudinis non repugnat. Ita habet in tractatu de ſpe, *diſp. 1. ſect. vltima, num. 5. & 3. part. diſp 7. art. 4. in commentario articuli.* At verò *Pater Vazquez, 1. Tom. 3. part. diſp. 43. cap. 2.* per oppoſitum exiſtimat Habitum ſpei theologicæ non manere in Patria; poſſe tamen dari actum ſpei theologicæ proprium, & principalem. 1

Fundamenta iſtarum ſententiarum ex dictis in *art. 1. diſputationis præcedentis* deducuntur, & ferè omnia expedita ſunt. Exiſtimat ergo *Pater Suarez*, habitum ſpei non eſſe ſolùm principium actus ſperandi, ſed etiam concupiſcendi, deſiderandi, gaudendi, &c. Et ad iſtos actus in Patria manere habitum illum, licet non ſub denominatione ſpei, reſpectu ipſius beatitudinis, & ſimiliter poteſt manere iſte habitus ad alios actus ſecundarios ſperandi ſicut ad ſperandum gloriam corporis, & alia obiecta ſimilia, nam reſpectu talium obiectorum manet in beatis ſufficiens ratio ardui, quia licet ſit debita gloriæ animæ ipſa gloria corporis, reſpectu tamen voluntatis, & naturæ ſimpliciter manet bonum ſupernaturale; ergo bonum excedens, & arduum, vtpotè dandum per alterius auxilium; ergo poteſt actum ſpei terminare Et ſimiliter ad ſperandum aliis beatitudinem poteſt deſeruire beatis ille habitus, quia non ſolum ex charitate poſſunt illam deſiderare aliis, ſed etiam tanquam adhuc futuram, & arduam, & non poſſeſſam, poſſunt illam ſperare. Ac denique poſſunt habere illum actum conditionatum, quod ſi non haberent beatitudinem, ſperarent illam, qui actus ſufficit, vt maneat talis habitus, ſicut ad ſimiles actus conditionales manent virtutes morales, vt infrà ponderabitur. 2

At verò *Pater Vazquez ex alio fundamento procedit*, Quia exiſtimat ad rationem ſpei theologicæ ſufficere, quod ſub ratione diuini auxilij ſperetur, quodcumque bonum, ſiue creatum, ſiue increatum, & hoc ipſo manet ſufficienter arduum, 3

quia

quia ſperantur vt dandum per alienam poteſtatem. Et cum beatus poſſit reſpicere aliquod bonum creatum, vt futurum ſibi per diuinam poteſtatem, poteſt habere actum ſpei theologicæ. Habitus tamen dicit de facto non habere beatos, quia eſſet in illis otioſus, ſiquidem de facto nihil illis deeſt, quod ſperent, Gloria enim corporis, quæ modo deeſt non cogit, vt ponamus habitum, quia facta reſurrectione non eſt amplius ſperanda, atque adeò, tunc deberet talis habitus amitti: eſt autem inconueniens, vt in beatis amittatur habitus quem ſemel habent, & ſic conuenientius eſt, quod modo amittant illum, & pro iſto breui tempore, vſque ad reſurrectionem detur illis ad ſperandum auxilium per modum tranſeuntis. Ad ea verò quæ de potentia abſoluta poſſunt ſperare, non eſt neceſſe ponere habitum, ſed ſi aliquid Deus illis promiſerit dare, ex auxilio tranſeunti ſperari poterit.

3 Dico *Primò, in beatis, neque manet actus, neque habitus ſpei theologicæ, erga principale obiectum.* Eſt expreſſa *D. Thom. hic quæſt.* 18. *art.* 2. & 1. 2. *quæſt.* 67. *art.* 5. & 4. & 3. *part. quæſt.* 7. *art.* 4. Et communiter traditur à Patribus, & theologis, qui videri poſſunt apud *Lorcam hic diſputation.* 7. Et quidem de actu ſperandi principale obiectum, nulla eſt difficultas, conſtat enim beatitudinem poſſideri, & videri, ſpes autem quæ videtur non eſt ſpes; *Quod enim videt quis, quid ſperat?* vt dicitur Roman. 8. de continuatione autem beatitudinis de qua aliqui dubitant, etiam conſtat non poſſe eſſe obiectum ſpei *Tum*, Quia illa continuatio non eſt futura, cum vita æterna careat futuro, hoc ipſo quod æterna eſt, ſed eſt tota ſimul, vt *Sanct. Tho.* aduertit hic *quæſt.* 18. *art.* 2. *ad* 2. Vbi non vult dicere *D. Thom.* Quod quia omnes ſunt præſentia in æternitate, ideò non habet illa beatitudo rationem futuri, vt perperam intellexit illum *Pater Torres, hic diſp.* 62. *dub.* 1. commune eſt enim omni creaturæ exiſtere ſic in æternitate, ſed ſenſus *D. Thom.* planus eſt, quod viſio beatifica ſecundum propriam menſuram, non menſuratur tempore in quo ſolum inuenitur futurum, & præteritum, ſed menſuratur indiuiſibili, nunc, excludente omnem ſucceſſionem, & futuritionem, quæ menſura vocatur æternitas participata: *Tum*, quia etiam ſi illa continuatio eſſet futura, non haberet rationem ardui, quia perpetuitas eſt intrinſecè debita illi viſioni, quæ eſt vita æterna. Vnde ſicut Angelus vel anima non habet ſpem de continuatione ſui eſſe, vel ſui intellectus, aut voluntatis, multò minus poteſt habere ſpem, aut concipere rationem ardui in ſua beatitudine; Ita *Sanct. Thom. quæſt. diſputata, de ſpe, art.* 4. *ad* 3.

4 De *Habitu verò non eſt ita facilè aſſignare à quo deſtruatur in patria.* Siquidem alij habitus virtutum manent, vel ad alios actus quos habent in via, vel ad actus conditionales, vel tantum ad ornatum. Nec apparet quod contrarium ſit in patria, quod directè, & per ſe euacuet iſtum habitũ, quia talis habitus ei contrarius deberet eſſe in voluntate, in qua tamen præter habitum charitatis, non eſt alius, qui poſſit excludere habitum ſpei; charitas autem illi habitui non opponitur. Igitur diuerſę aſſeruntur rationes, quibus habitus ſpei deſtruitur *Prima*, Quia eius actus eſt impoſſibilis impoſſibilitate perpetua, & habituali, impoſſibilitato autem actu, deſtruitur habitus, qui intrinſecè ordinatur ad illum. Secunda, ex ſuperfluitate, quia otioſus eſſet habitus, qui nihil poteſt operari. Hanc rationem aſſignat S. Thom. 1. 2. *quæſt.* 67. *art.* 4. *ad* 3. & *quæſt. diſputata de ſpe art.* 4. *ad* 11. Tertia ratione ſtatus, quia non decet ſtatum perfectiſſimum virtus ſupponens ſtatum imperfectiſſimum, qualis eſt ſtatus viæ, vnde habitus, qui eſt proprius huius ſtatus non debet manere in patria, fides enim & ſpes non ſunt abſolutè virtutes hominis, nec ſimpliciter teſtificant, & componunt voluntatem hominis, ſed voluntatem viatoris. Quarta ratio eſt ex parte habitus oppoſiti ſpei, qui eſt comprehenſio habitualis, quæ ſuccedit ſpei in gloria, *Hæc autem comprehenſio* (vt inquit S. Thomas in Supplem. 3. par. quæſt. 95. art. 5. ad 3.) *non importat diſtinctum habitum à viſione, & dilectione* (id eſt, ab habitu luminis gloriæ, & charitate conſummata) *Sed importat remotionem impedimentorum, ex quibus efficiebatur, vt mens non poſſet Deo quaſi præſentialiter coniungi, & hoc quidem fit per hoc, quod ipſe habitus gloriæ animam ab omni defectu liberat, ſicut quod facit eam ſufficientem ad cognoſcendum ſine phantaſmatibus, & ad prædominandum corpori, & ad alia huiuſmodi, per quæ excluduntur impedimenta, quibus fit vt nunc peregrinemur à Domino* Ita D. Thom. Vbi apertè ponit comprehenſionem per modum habitus, de qua dixerat *Solut. ad* 2. quod *ſuccedit ſpei.* Hæc ergo habitualis comprehenſio quatenùs ſuccedit ſpei euacuat eius habitum, nec opus eſt quod ſit habitus diſtinctus à charitate, & lumine gloriæ, ſed includit vtrumque, & diſponit voluntatem habitualiter diſpoſitione oppoſita habitui ſpei, & ſic non excluditur per charitatem ſecundum ſe conſideratam, ſed ita conſummatam vt relinquat voluntatem diſpoſitã diſpoſitionibus oppoſitis ſtatui, & habitui peregrinationis. Imò ab ipſo lumine gloriæ radicaliter excluditur ſpes, quatenus immediatè excludit habitũ fidei, in qua radicatur ſpes, vnde remota fide habitualiter, ex quacumque cauſa, ſiue ex abnegatione fidei, vt in hæretico, ſiue ex euidentia obiecti clarè viſi, remouetur habitus ſpei, radicaliter à lumine gloriæ, formaliter ab indiſpoſitione habituali oppoſita diſpoſitioni ſpei quam cauſat.

Dico *ſecundò. Non manet ſpes theologica* quoad actus ſperandi ſecundarios, v. g. reſpectu gloriæ corporis, & ſimilium. *Rationem huius reddit S. Thom. locis ſup. allegatis.* Quia ſpes theologica reſpicit bonum increatum, vt principale obiectum quod ſperat, reliqua autem bona ſub aliqua connotatione, & habitudine ad illud primum bonum, vel tanquam ad eius aſſecutionem conducentia, vel vt ab eius aſſecutione deriuata; cum enim iſta duo attingantur à ſpe theologica, ſcilicet, bonum increatum, & creatum, oportet quod aliquo ordine attingantur, & non ex æquo; vnde oportet quod vnum attingatur, vt ſubordinatum, & coordinatum alteri. Non autem Deus attingitur ſub habitudine ſubordinationis ad creaturam, ſed è contra, ſub habitudine creaturæ ad Deũ, quare ab illa virtute, quæ attingit ſperando Deum, & creaturam, & non creaturam ſolam, implicat attingi, & ſperari creaturam, niſi ſub ordine ad Deũ, & ſupponendo Deum tanquam obiectum primarium. Si ergo ſpes non poſſit ampliùs reſpicere Deum, tanquam obiectum primarium ſperatum, ſoluitur ſpecies illius virtutis, & ſoluitur in obiecto creato illa habitudo ad Deum ſperatum, ratione cuius attingebatur à tali virtute ſpei, habente pro obiecto ſperato Deum, & creaturam. 5

Nec

Nec *poteſt aliquid reſponderi* huic rationi, quod ſit alicuius momenti, niſi vel negando quod ipſe Deus ſperatus ſit obiectum primarium ſpei Theologicæ, vel quod ipſa Spes Theologica non ſpecificetur niſi à formali ratione, quæ eſt diuinum auxilium, omninò vero per accidens ſe habeat, quod res ſperata ſit Deus, vel creatura, Aut denique quod poteſt manere obiectum ſecundarium, vt ſecundarium eſt, deſtructo primario. *primum eſt impoſſibile*, nec ipſe *Pater Suarez* id negat, qui fatetur principalem actum huius virtutis eſſe actum Spei circa Beatitudinem eſſentialem, gloriam autem corporis eſſe obiectum ſecundarium *vt patet in tract. de Spe, diſp. 1. ſect. 1. n. 5. & 6.* Si enim principale obiectum ſperatum non eſt Deus, quomodo creatura erit principale obiectum, Deus autem minus principale; Niſi fortè nullum ei principale obiectum aſſignemus, ſed ex æquo, & indifferenter omnia reſpiciat, quod eſt incidere *in ſecundum Membrum*, quia tunc ſolum habebit pro certo, & determinato ſpecificatiuo, rationem formalem diuini auxilij, nullum verò obiectum materiale per ſe pertinebit ad ſpecificationem huius virtutis. Quod ſuprà *diſp præced. art. 1* deſtruximus. *Tertium verò dici non poteſt*; Quia obiectum ſecundarium non manet in ratione ſecundarij, niſi ex habitudine ad primarium, & ſubordinatione ad illud, quare remoto primario ceſſat talis habitudo, & ipſum obiectum ſecundarium, ſi manet, tranſit in primarium, & conſequenter variatur ſpecificatio virtutis. Manente ergo Spe Theologica ſicut eſt in via, quantum ad ſuam ſpeciem repugnat quod eliciat in patria talem actum ſecundarium.

7 Argumenta *P. Suarez*, quia non ſolùm procedunt circa actum ſperandi gloriam corporis, & alia obiecta creata tanquam ſecundaria, eo modo quo attinguntur à Spe Theologica, ſed etiam abſolutè, & vt poſſunt attingi à ſpe communiter dicta, ideo in ſequenti Articulo commodiùs diſſoluentur.

Soluuntur Argumenta.

8 Obiicies *primò Ex impoſſibilitate actus*, vel perfluitate habitus non colligitur ipſũ euacuari. *Primò*, quia oportet oſtendere quod actus erit impoſſibilis omnimodo ſi enim aliquomodo maneat poſſibilis, nõ deſtruetur habitus, ſicut cõmuniter exponitur illud *Apoſt.* 1. Cor. 13. *Sine proph. euacuabũtur, ſiue linguæ ceſſabũt, ſiue ſciẽtia deſtruetur*; Quod non ſimpliciter deſtruetur habitus ſcientiæ, ſed ſolum quoad modum, quem nunc habet. Et ſimiliter virtutes morales alium actum habebunt tunc, quam modo; ergo ſimiliter non repugnabit manere ſpem, quoad alium actum, *v. g.* quoad actum concupiſcendi, vel quoad alium modum actus. *Secundò*. Manere poteſt quoad actum conditionalem ſperãdi: non enim minus repugnat Statui Beatitudinis actus Pœnitentiæ, quàm actus Spei, & tamen manebit habitus Pœnitentiæ, ad conditionalem actum dolendi, ſi eſſet capax; & ſimiliter habitus Virginitatis manet in non virgine propter actum conditionalem ſeruandi virginitatem ſi poſſet; ergo & Spes ad ſperandum ſi poſſet. *Tertiò*. Manere poteſt ad ornatum, licet non operetur, & ita manere poteſt non vt qualitas operatiua, ſed vt ornatiua ſubiecti, ſicut manent arma poſt victoriam, non ad vſum, ſed ad honorem *Denique*. Vna forma non expellit alias niſi per immediatam priuationem, & contrarietatem eius, non eſt autem immediatà priuatio inter habitum ſpei, & habitum gloriæ, quia habitus ſpei eſt bonus, & non contrariatur illi niſi habitus malus. Et ſimiliter habitus ſpei non importat ipſam priuationem poſſeſſionis, ſed inclinationem ad elicendum actum priuatum poſſeſſione; ergo in ipſo habitu ſpei, non importatur priuatio, ſicut nec in habitu fidei actualis ineuidentia, ſed inclinatio ad actũ ineuidenté.

9 Ad *primum reſp.* Virtutes, quæ manent in Patria debere manere quoad actus, vel quoad modum actus non repugnantes earum ſpecificationi. Habitus autem ſpei, non habet in ſua ſpecificatione alium actum, præter actum ſperandi beatitudinem, & ſecundariò ea, quæ ad beatitudinem requiruntur, vel conſequuntur; actus verò Concupiſcendi, & ſimiles, non ſunt actus intra ſpecificationem ſpei contenti, niſi vt pertinent ad rationem ardui, vt probauimus *Diſput. præcedent. Artic.* 1 Habere autem actum ſperandi alio modo, non eſt ad rem, quia ſi ille alius modus ſperãdi compatitur cum poſſeſſione rei ſperatæ, deſtruit ſpem, quæ eſt tendentia ad rem non poſſeſſam. Si autem poſſeſſionem excludit, tollit ſtatum beatitudinis, vnde mutatio actus, vel modi actus non deſeruit ad hoc, vt habitus ſpei permaneat. Secus eſt de ſcientia, & aliis Virtutibus, quarum materia non eſt ita reſtricta, & limitata, ſicut materia ſpei, quia ſpes limitatur ad rectificandum ſtatum viæ, vnde poſita poſſeſſione finis, ceſſat eius rectificatio, quæ ſolum eſt in acquirendo, & tendendo in finem; aliæ autem virtutes rectificant, voluntatem hominis abſolutè, vt regulabilis eſt à ratione, vnde cum in Patria voluntas ſit maximè regulata circa omnem materiam, neceſſe eſt quod maneant virtutes ſic regulantes, licet perfectiori modo operentur circa ſuas materias. Quæ ſolutio elicitur ex *D. Thom. 1. 2. Quæſt. 67. art. 4. ad 1.*

10 Ad *ſecundum D. Thom. Quæſt. diſputata de ſpe art. 4. ad* 11. Negat ſimpliciter manere habitum virtutis; etiam ad actum conditionalem (de hoc enim loquebatur Argumentum.) Quando eſt totalis impoſſibilitas operandi. Sed quia hoc videtur inſtari in virginitate ſemel amiſſa, quæ per nullam potentiam haberi poteſt, & tamen ad conditionalem actum eius, manet habitus virginitatis, Explicatur amplius hæc doctrina *S. Thomæ*. Quia actus conditionalis poteſt fieri ex duplici capite; *Vno modo* propter abſentiam materiæ, in qua de facto exercetur illa virtus. ſtante tamen rectificatione voluntatis, & electione interiori, quæ non eſt conditionalis, ſed abſoluta. *Alio modo* propter incapacitatem ſubiecti, ſicut Chriſtus Dominus erat incapax Pœnitentiæ, vel propter limitationem virtutis, quia non abſolutè rectificat hominem, ſed ſtatum viæ in homine, vnde remota via non rectificat, Quando ergo virtus ſimpliciter rectificat voluntatem remouendo ab ea oppoſitam inclinationem, neceſſe eſt quod poſſit habere actum interiorem, tali inclinationi oppoſitum, qui tamen ex parte materiæ eſt actus conditionalis, ipſa tamen electio interior abſolutè elicitur; ad extra verò non exercetur ex defectu materiæ. Quando verò neque etiam ipſa electio, & actus interior eſt poſſibilis, nec poteſt elici niſi ſub conditione, tunc non poteſt poni virtus ad talem actũ conditionalem, *ſi eſſẽ capax talis virtutis haberẽ actum illum*, quia ad iſtam conditionalé neceſſariò ſupponitur me nõ habere ipſã

virtu-

virtutem ; ergo ad talem conditionalem actum eliciendum non poteſt poni illa virtus, ſed ſi talis actus elicitur erit ab alia virtute ſuperiori, ſeu voluntate exercendi ſe in omni actu virtutis: Spes autem & Fides cum non rectificent voluntatem hominis vt homo eſt, ſed vt Viator, non poteſt in Patria haberi actus conditionalis eius ſolum ex defectu materiæ exterioris, ſed etiam ex defectu capacitatis ſubiecti, quia iam non eſt ſubiectum viæ, Ad rectificandum autem hominem in ordine ſupernaturali, ſubrogantur in Patria alia principia, ſcilicet, pro intellectu clara viſio ipſius finis, pro voluntate conſummatus amor, & perfecta comprehenſio. Vnde non amplius deſeruiunt ad rectificandum hominem in ordine ſupernaturali Spes, & Fides, quæ ſolum vice illius rectificationis Patriæ deſeruiebant in via.

11 Ad *Tertium Dicitur*. Non manere propter ornatum. Quia ille ornatus eſſet habitualis inclinatio ad ea, quæ propria ſunt viæ, non autem ornatur anima in Patria per inclinationem ad actus viæ, vt tales ſunt, quia imperfectum ſtatum important. Arma autem quæ poſt victoriam manent, non important ornatum per modum inclinationis ad ſtatum, vel actum imperfectum, & ideò poſſunt manere.

12 Ad *Vltimum negatur*, quod in habitu Spei non ſit immediata priuatio, vel contrarietas ad poſſeſſionem habitualem boni ſperati. *Ad Primam probationem Reſpondetur.* Habitum Spei in Patria non excludi per habitum malum, ſed per perfectum, cui priuatiuè opponitur imperfectus, ſicut iuuentus excludit pueritiam, non tanquam malum, ſed tanquam imperfectum. Quo exemplo vtitur *S. Thom. Quæſt. de Spe art. 4. ad 10. Ad Secundam probationem Dicitur*. Quod ipſa inclinatio ad actum Spei, qui debet eſſe actus prius tus poſſeſſione, eſt inclinatio imperfectione contrarietatis, & ſic vel ſupponit ſubiectum carens poſſeſſione rei ſperatæ, vel cum poſſibilitate carendi; ipſa enim inclinatio poſſibilitas quædam eſt ad actum. Si autem poſſibilitas carendi ſit ablata, ille habitus ita perfectus, qui hanc poſſibilitatem excludit, opponitur illi habitui qui hanc poſſibilitatem facit, & licèt maneant ſemper natura, cui poſſibilis eſt priuatio poſſeſſionis, licet non ſit poſſibilis ſtatui gloriæ, tamen illa poſſibilitas naturæ ad carendum gloria ſemel adepta, eſt poſſibilitas remota, & quaſi obedientialis; poſſibilitas autem Spei eſt poſſibilitas proxima, cum ſit inclinatio habitualis ad carentiam gloriæ, ſiue ad tendendũ in gloriam non poſſeſſam, Vnde talis habitualis inclinatio, quæ hanc poſſibilitatẽ proximam facit, repugnat ſtatui excludenti poſſibilitatem proximam carendi gloria.

ARTICVLVS II.

Vtrùm poſsit in Beatis eſſe actus Spei Communiter dictæ circa aliquod obiectum creatum?

1 SPem *communiter dictam vocamus* illam, quæ non eſt Theologica, & non habet pro obiecto primario aliquid diuinum. *Totus huius difficultatis cardo* ad vnicum punctum deuoluitur, ſcilicet vt videamus, an poſſit aliquid eſſe arduum Beatis in illo ſtatu beatifico, nam ex *quatuor* conditionibus requiſitis ad Spem, ſcilicet, quod ſit *bonum, arduum, poſſibile, futurum*, de *tribus* non eſt dubium poſſe inueniri reſpectu beatorum, nam gloria corporis eſt aliquid *bonum, poſſibile, & futurum* in illis; ſolum ergo poteſt excludi Spes communiter dicta per illam particulam *arduum*. Videtur enim ſtatus beatitudinis nihil eſſe arduum eorum, quæ poſſunt deſiderari, eſt enim ille ſtatus, omnium bonorum aggregatione perfectus, vndè nihil quod poteſt deſiderare poteſt illi deeſſe; habet ergo ratione ſtatus ineuitabilem cauſam obtinendi omnia, quæ deſiderare poteſt, & conſequenter nulla eſt contingentia deficiendi, quod eſt nihil habere arduum.

Ex *alia verò parte videtur* quod ad rationem ardui ſufficiat, quod aliquid ſit obtinendum mediante poteſtate alterius, ita quod non ſit in ſola poteſtate propria; multa autem poteſt obtinere Beatus auxilio diuino, *v. g.* gloriam corporis, nouas reuelationes, gloriam accidentalem: imò & de poſſibili maiorem gloriam ſubſtantialem. Nec ſufficit eſſe certum de aſſecutione, certitudine cognitionis, niſi etiam ſit certus certitudine poſſeſſionis, vt patet in animabus purgatorij, in quibus eſt certitudo de aſſecutione gloriæ, & tamen ad hunc eſt Spes.

Item ad rationem ardui ſufficit quod res aſſequenda abſolutè ſit ſupernaturalis, ſic enim ſimpliciter eſt ardua ipſi voluntati, & naturæ, 2
vt *ex P. Suarez art. Præced.* obiiciebamus, ergo ſufficit ad Spem communiter dictam, reſpectu talis boni ardui aſſequendi. *Præterea ſemper vrget illud Argumentum.* A quo elicitur ille actus deſiderandi gloriam corporis, & alia bona futura? Quia non elicitur à Charitate, cum non deſideret illum bonum amico, ſed ſibi; ergo à Spe, ſi non Theologica, ſaltem communiter dicta. *Denique Quia D. Thom.* ponit in Chriſto Domino Viatore, actum Spei, licet non virtutem Theologicam, *vt patet hic Quæſt. 18. art. 2. ad 1. & Quæſt. Diſput. de Spe art. vlt. ad vlt.* Et tamen habebat in ſe principium ineuitabile omnium, quæ deſiderabat; ergo ſimiliter, alij Beati poſſunt habere talem actum Spei. Et fauet authoritas *S. Thom. Quæſt. citat. de Spe art. 4.* nam poſtquam dixerat in corpore articuli, quod Beati poſſunt ſperare inhærendo diuino auxilio ſecundum communem rationem Spei, licet non ſecundum virtutem Theologicam addit *Solut. ad 6.* Quod *eo modo conuenit Sanctis orare, ſicut & ſperare.* Sed Sancti habent actum orandi propriè; ergo & actum Spei communiter dictæ.

Nihilominus *expreſſa ſententia D. Thomæ eſt*, 3
In Beatis non dari Spem communiter dictam. Ita habet 1. 2. *Quæſt. 67. art. 4. ad 3.* loquens ſpecialiter de Spe gloriæ corporis, & idem repetit hic *Quæſt. 18. art. 2. ad 4.* Expreſsè enim diſtinguit Spem ſecundum quod eſt virtus Theologica, & ſecundum quod eſt communiter dicta, & vtramque deneget Beatis; Quia vero ad tollendam arduitatem, ex cuius defectu ſolum negatur Spes communiter dicta, tantum duabus viis procedi poteſt, vel quia res ipſa in ſe valdè modica eſt, & conſequenter non indiget aggreſſione, neque victoria ad obtinendum: vel quia etſi res modica non ſit, ſed verè magna, eſt tamen

mco

men in poteſtate, & poſſeſſione ſperantia, quia poſſidet cauſam ineuitabilem illius, ſicut qui pacificè poſſidet titulum beneficij, aut commendæ, non habet ſpem circa perceptionem fructuum, quia habet cauſam adæquatam, & ineuitabilem ad percipiendos fructus ſuo tempore, & ſi nondum actu ſint præſentes. *D. Thomas* in beatis excludit arduitatem ex vtraque cauſa *Ex Prima*, Quia animæ beatæ reputatur gloria corporis, tanquam aliquid modicum, vt dicit hic *quaſt.* 18. *art.* 2. *ad* 4. *ex ſecunda vero*, Quia beatus habet ineuitabilem cauſam gloriæ corporis (quod intellige) quia poſſidet titulum, & ius illius gloriæ, ſcilicet beatitudinem animæ, ex qua naturaliter habet promanare gloria in corpus ſuo tempore, ſcilicet, quando reſurget. Et idem dici poteſt de nouis reuelationibus, & gloria accidentali, quę accreſcit beatis de nouo, nam iſta debentur ex vi ſui ſtatus, vnde habet titulum; & ius ad illas: excludendam autem arduitatem ſpei, ſufficit habere poſſeſſionem tituli, licet non habeatur actualis poſſeſſio rei, ſed ſuo tempore prouentura ſit; vt patet in perceptione fructuum reſpectu poſſidentis fundum, vel beneficium.

4 Cæterum *circa alia bona*, quæ poteſt beatus deſiderare aliis, *v.g.* beatitudinem, difficultas eſt, vnde tollatur arduitas, nam circa hæc nullum ius, aut titulum poſſidet, nec cauſam ineuitabilem illorum, ergo non tollitur. *Nihilominus dicendum eſt*, poſſidere beatum cauſam ineuitabilem aſſecutionis talium bonorum, quatenùs poſſidet ſtatum, cui ex vi ſuæ perfectionis annexum eſt decretum Dei, non priuandi beatum quocumque bono à deſiderato. Ex vi enim ſtatus beatifici non deſiderant beati niſi tantum illa, quæ voluntas Dei vult eos deſiderare, & per eos implere, quia ſummè conformantur voluntati diuinæ: alia verò, quæ Deus non vult per eos implere, nec volunt, nec deſiderant, loquendo de deſiderio efficaci, quale requiritur ad ſperandum, nam deſiderium inefficax, quale habuit Chriſtus, vt tranſiret ab eo calix, non ſeruit ad ſperandum. Eſt autem debitum illi ſtatui, vt non defraudetur omni eo, quod efficaciter deſiderat, aliàs eſſet nimis imperfectus ſtatus, ſi aliquid deſiderarent, & non obtinerent, & de hoc habeor decretum diuinum, quod perfectè completur in patria, iuxta illud Pſal. 20. *Deſiderium cordis eius tribuiſti ei, & voluntati labiorum eius non fraudaſti eum*; & Pſalm. 144. *Voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet.* Vnde *S. Thom.* in 4. *diſtinct.* 45. *qu.* 3. *art.* 3. determinat, quod ſancti ſemper in ſuis orationibus exaudiuntur propter conformitatem ſuæ voluntatis ad voluntatem Dei. Et idem confirmat 2. 2. *q.* 83. *art.* 11. Hoc autem ſufficere ad poſſeſſionem excludentem ſpem, *ex eo confirmatur.* Quia non aliter dicitur poſſidere gloria corporis à beatis, niſi quia poſſidendo gloriam animæ poſſident principium vnde naturaliter dimanat gloria corporis, ſi corpus iterum animæ vniatur; quod vero de facto vniendum ſit non habetur ex vi ſolius gloriæ animæ, niſi quatenùs habet adiunctum decretum Dei de facienda reſurrectione, vt totus homo fruatur fine ſuo: poſſeſſio ergo illius decreti non provt ſolum eſt in voluntate Dei, ſed provt eſt alligatum rei poſſeſſæ, ſcilicet, beatitudini animæ excludit arduitatem ſpei circa gloriam corporis: ſimiliter ergo poſſeſſio ſtatus beatifici, cui alligatum eſt decretū non fraudandi eum omni eo quod deſiderat, efficaciter excludit arduitatem ſpei. Sicut ſi Rex traderet annulum miniſtro ad ſignandum quidquid deſideraſſet, talis diceretur poſſidere Regia voluntatem, & conſequenter non ſperaret ea, quæ à Rege ſunt obtinenda. Beati ergo ſolum ex charitate, non ex arduitate ſpei deſiderant efficaciter aliis Secus eſt in animabus purgatorij, quæ etſi ſint ſecuræ de decreto Dei, ſecuritate cognitionis; non tamen poſſident ſtatum, cui tale decretum alligatur; vnde nondum excludunt ſpem, quia nondum obtinent poſſeſſionem.

Ad *Primum argumentum contrarium reſpond.* 5
Quod id quod eſt in poteſtate alterius mihi communicata, & coniuncta, non eſt mihi arduum: quod vero eſt in poteſtate aliena, mihi non communicata poteſt manere arduum; Sicut quia bona vxoris communicantur viro, & è conuerſo, non dicitur ſperare illa, quæ poſſidet per vxorem, quia non ſunt in poteſtate alterius, quaſi extranea, ſed ſibi coniuncta. Sic cum inter beatos, & Deum ſit ſumma coniunctio, quæ deſponſationi, & coniugio aſſimilatur, illa quæ ſunt in poteſtate Dei, non ſperantur à beatis, quia illa poteſtas eſt ſibi coniuncta, & quaſi in dotem data, vt voluntate Dei, vtantur ad ea, quæ ſibi conueniunt iuxta ſtatum ſuum; Quod non currit in animabus purgatorij, vt dictum eſt, quia adhuc ſunt in ſtatu patiendi, non fruendi, & poſſidendi. *Quod vero additur* de poſſibilitate maioris gratiæ, hanc nec ſperant, nec deſiderant beati, quia non eſt ſibi debita, nec conueniens, nec futura.

Ad *ſecundum dicimus*, Non ſufficere ad rationem ardui, quod aliquid ſit ſupernaturale quomodocumque, ſed quod ſit ſupernaturale non poſſeſſum, nec in ſe, nec in ſuo titulo, vel cauſa ineuitabili; quòd enim ſic habetur iam poſſidetur ea poſſeſſione, quæ ſufficit excludere rationem ardui, & ſpem communiter dictam, vt oſtenſum eſt. *Ad tertium aſſignauimus diſputatione præcedenti art.* 1. Duplex Principium, à quo elicitur illud deſiderium de gloria corporis. Primò, ex charitate, quatenùs deſiderant illam in honorem Dei. Secundò, vt eſt bonum proprium, & ſic elicitur illud deſiderium ab ipſa fruitione, qua fruuntur gloria animæ, non ſolum abſolutè in ſe, ſed vt eſt radix ineuitabilis gloriæ corporis, ſic enim & poſſidetur ipſa gloria corporis in ſuo titulo, quod ſufficit ad excludendam arduitatem ſpei, & tamen adhuc non eſt præſens quantum ad durationem, quod ſufficit ad deſiderium. *Et ſi dicas*: Nam fruitio eſt actus; ergo non poteſt eſſe principium deſiderij, quod eſt alius actus. *Reſpond.* Vnum actum poſſe eſſe cauſam alterius ſicut dicit *S. Thom.* 1. *quaſt.* 15. *art.* 2. *&* 3. quod vna paſſio, quæ eſt actus appetitus ſenſitiui eſt cauſa alterius, propriè tamen vnus actus non eſt principium elicitiuum alterius, ſed quia vnus actus relinquit ſubiectum ſic diſpoſitum, & determinatum quaſi habitualiter, vel diſpoſitiuè vt poſſit elicere alium actum, qui cum eo habet connexionem, ideò dicitur eſſe cauſa illius.

Ad *Quartum latè reſpondebimus* 3. *par. qu.* 7. *art.* 7. Nunc breuiter dicimus vtramque opinionem eſſe probabilem, ſcil. in Chriſto viatore fuiſſe ſpem cōmuniter dictam, etiam vt diſtinguitur à deſiderio & probabile eſt non fuiſſe, ſed 7

eodem modo loquendum eſſe de Chriſto, ac de aliis beatis: & tota probabilitas fundatur in hoc. Quia probabile eſt, quod ea vi ſtatus viatoris, quem aſſumpſit, manſit obiectum arduum, & perinde ac ſi non eſſet poſſeſſum reſpectu talis ſtatus, & reſpectu ſubiecti vt gerebat talem ſtatum, & regulabatur regulis eius, eo quòd reſpiciebat illud obiectum, vt cadens ſub merito, atque adeo, vt non poſſeſſum, ſed vt obtinendum ex vi talis ſtatus. Probabile etiam eſt, quod non manſit arduum propter coniunctionem ſtatus comprehenſionis, cui debebatur illud bonum ex ineuitabili cauſa, vnde non remanebat ei arduum ſimpliciter, & ex omni parte, licet ſecundum quid, & ex aliqua parte arduum erat, in quantum erat in ſtatu poſſibili. *D. Thom.* non leuiter inclinat in primam ſententiam. Quia cum reliquis beatis deneget omnem ſpem, etiam communiter dictam, concedat autem deſiderium in locis ſuprà citatis, tamen in Chriſto diſtinguit, quod in quantum Viator poterat habere ſpem communiter dictam, licet non ſpem theologicam. Si autem nomine *ſpes communiter dicta* intelligeret ſolum deſiderium, non erat cur diſtingueret inter reliquos beatos, & Chriſtum, cùm etiam ipſi hoc deſiderium habeant. Videantur quæ loco citato diximus. *Pro præſenti tamen difficultate conſtat.* Quod etiam admiſſa ſpe in Chriſto Domino, vt viatore, non propterea eſt admittenda in reliquis beatis, qui viatores non ſunt, quia Chriſtus Dominus hoc ipſo, quod erat viator tendebat ad gloriam corporis per meritum, & conſequenter ex vi talis ſtatus reſpiciebat illam vt non poſſeſſam, nec in ſe, quia nondum erat, neque in ſuo titulo; quia titulo meriti acquirenda erat. Reliqui autem beati non reſpiciunt illam, vt habendam per merita noua, ſed ex meritis antiquis poſſident titulum, quo ineuitabiliter
8 ſint illam habituri.

Ad *loca D. Thomæ*, quæ videntur attribuere beatis ſpem communiter dictam. *Dico*, quod loquuntur de ſpe largo modo, prout dicit expectationem deſiderij, non de ſpe à deſiderio diſtincta; hanc enim expreſsè negat 1. 2. *quæſt.* 67. *art.* 4. *ad* 3. Comparat autem *D. Thom.* orare cum ſperare ſumendo *ſperare* in beatis, pro *expectare*, ſeu *deſiderare*.

ARTICVLVS. III

Quomodo ſpes in viatoribus poſſit eſſe certa?

1

CErtitudo cum ſit firmitas quædam, & infallibilis ſecuritas, poteſt ſumi tripliciter, vel obiectiuè; prout in ipſis rebus inuenitur infallibilis connexio vnius cum alio, vel formaliter in intellectu, quatenùs percipit, & aſſentitur ex motiuo infallibili, vel participatiuè in voluntate, quatenùs infallibili medio, & motiuo mouetur ad finem. *Hic ergo Duo ſunt certa. Primum eſt*, ſpem habere certitudinem obiectiuam ex parte Dei, cuius auxilio infallibili mouetur, quantum eſt ex parte rei, & ſimiliter ex parte voluntatis habere certitudinem participatiuam, & practicam. *Secundum eſt* ex parte cognitionis non dari aſſenſum, quaſi ſpeculatiuum, certum de aſſecutione ſpei. Vtrumque definit *Concilium Tridentinum ſeſſione 6. cap. 13.* dum inquit: *Quòd de perſeuerantiæ munere nemo ſibi certi aliquid abſoluta certitudine polliceatur, tametſi in Dei auxilio firmiſſimam ſpem collocare, & reponere omnes debent; Deus enim, niſi ipſi illius gratiæ defuerint, ſicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle, & perficere.* Ita Concilium. Et ex ipſa ſcriptura conſtat habere ſpem hanc certitudinem, & firmitatem, vt Roman. 5. *ſpes autem non confundit*, & Hebræor. 6. *Qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem, quam ſicut anchoram habemus animæ tutam, ac firmam. Solum ergo reſtat explicare*, In quo conſiſtat iſta certitudo voluntatis, quam *D. Thom.* dicit eſſe certitudinem participatiuè. Et difficultas conſiſtit in duobus. *Primò.* Quomodo poſſit voluntas participare certitudinem, cum intellectus habeat illam? neque enim poteſt formare aſſenſum certum de aſſecutione ſpei. *Secundò.* Quomodo poſſit partici-
cipare iſtam certitudinem mediante fide, ſicut 2
dicit hic *S. Thom. qu.* 18. *art* 4.

Prima *difficultas explicatur ſic*; Quia ad certitudinem voluntatis tendentis in aliquem finem non ſufficit, quod ipſa media ſecundum ſe habeant firmam, & certam connexionem cum fine, ſed requiritur, quod mihi conſtet de applicatione talium mediorum ad me, in quòd efficiunt aliqua exempla, quæ ad explicandam certitudinem ſpei aliqui Doctores multiplicant, vt ſi quis accipiat à Rege pecuniam, qua poſſit emere ciuitatem, & ſua culpa illam perdat, ipſe ſibi eſt cauſa perdendi, non autem eſt defectus aliquis ex parte pecuniæ; & ſimiliter qui haberet Caſtrum inexpugnabile, quod tamen ipſe cuſtos caſtri tradit inimico, per hoc non tollitur, quod caſtrum illud ſit firmiſſimum, & inexpugnabile: *Hæc tamen exempla deficiunt* in vna principaliſſima conditione, quia tam caſtrum, quàm pecuniam ego certiſſimè poſſideo; at verò hic licèt ſim certus, quod gratia Dei eſt quaſi caſtrum inexpugnabile, & pretium ſufficiens ad gloriam, tamen non ſum certus; quod Deus mihi illam dederit, vel dabit; ergo non poſſum ex vi huius formare ſufficientem certitudinem ad firmitatem voluntatis, & ſpei. Sicut è conuerſo, ſi intenderē emere ciuitatem pecunia danda à Rege, ſi non ſum certus quod talis pecunia mihi dabitur, quomodo poſſum habere certitudinem in voluntate de obtinenda ciuitate? *Et præterea.* Certitudo ſpei eſt firmus, & efficax affectus de ipſa conſecutione finis, circa hanc enim verſatur certitudo; ſed de iſta conſecutione nullam habet certitudinem intellectus, ergo nulla participatur in voluntate. *Conſequentia patet.* Quia certitudo iſta participata ab intellectu participari debet, vt *S. Thomas* docet hîc: ergo ſi nulla eſt certitudo in intellectu de tali conſecutione, de eadem nulla participabitur in voluntate. *Min. probatur. Tùm ex diffinitione Concilij*, quod nullus eſt certus de ſua ſalute; *Tum* Quia non ſolum de ipſa ſalute ſecundum ſe, nullus eſt certus, ſed neque vt continetur in virtute mediorum, quia vnum ex mediis, à quo dependet iſta conſecutio, eſt fallibile, ſcilicet liberum arbitrium noſtrum, & opera noſtra, ſine quibus talis finis aſſequi non poteſt: ſed quotieſcumque in intellectu proceditur ex vna præmiſſa fallibili, quantumcumque alia infallibilis adiungatur, concluſio manet fallibilis, & incerta: ergo ſimiliter hic.

Secunda *vero difficultas ſic explicatur.* Quia 3
ſpes

ſpes non poteſt immediatè participare fidei certitudinem, niſi mediante aliquo iudicio particulari, quod non eſt actus fidei, & conſequenter non habet fidei certitudinem, ſed ſolum probabilitatem; ergo non communicat illi certitudinem. *Antecedens probatur.* Nam fides ſolum in communi docet, Deum ſua omnipotentia poſſe nos perducere ad beatitudinem, & quantum eſt ex ſe nemini denegare gratiam; quod vero mihi in particulari velit dare auxilia congrua ad obtinendam gloriam, fides non docet, nam ſi doceret, deſperans ſemper amitteret fidem, quia qui deſperat, ſemper exiſtimat Deum de facto nolle ſibi dare gratiam, quamuis non neget poſſe dare: illud ergo particulare iudicium, quod Deus mihi velit dare congruam gratiam, non eſt actus fidei, quod tamen iudicium requiritur ad ſpem, nam propoſitio fidei in vniuerſali non ſufficit ad ſperandum, nam ſtante tota propoſitione fidei, ſtat aliquem deſperare, vt dicit *S. Thom. infrà qu. 20. artic. 2.* Ergo ſola propoſitio fidei in vniuerſali non ſufficit ad conſtituendam ſpem, ſed requiritur illud particulare iudicium, quod tamen non habet certitudinem fidei; ergo ſi mediante illo participatur à ſpe fidei certitudo non poteſt firma, & abſoluta certitudo participari.

3 Pro *huius ergo explicatione eſt aduertendum*, non pertinere ad ſpem certitudinem ſpeculatiuam, ſed practicam, quatenus eſt certitudo affectus, vocatur autem *certitudo ſpeculatiua* illa, quæ reſpicit veritatem rei; & menſuratur penes eſſe, vel non eſſe, ſicut ſi habeatur iudicium, & aſſenſus circa ipſam aſſecutionem beatitudinis, quod de facto erit, vel non erit, & hoc niſi per reuelationem diuinam haberi non poteſt: *Certitudo autem practica* non reſpicit veritatem ipſam rei ſecundum quod de facto aliquid erit, vel non erit, ſed reſpicit regulas prudentiæ, ſecundum quas aliquid poteſt efficaciter, & determinatè appeti. *Secundo eſt aduertendum.* Quod certitudo voluntatis aliter regulanda eſt in actu fruitionis, ſeu gaudij, aliter in actu aggreſſionis, & ſpei. *Prima enim certitudo* eſt omnimoda, & abſoluta, ſupponitque ſpeculatiuam certitudinem in intellectu, eo quod fruitio eſt de re poſſeſſa, & actu præſenti. *Secunda vero certitudo* eſt præcisè certitudo practica, quæ conſiſtit in hoc, quod habeat certam, & debitam regulationem, quæ conſiſtit in hoc quod voluntas habeat ſufficiens motiuum, vt non vacillet & retrocedat, ſed efficaciter, & rectè tendat in finem. Sicut enim datur in intellectu plena determinatio, & reſolutio quando perfectè conuincitur intellectus ad aliquem aſſenſum, ita plena determinatio, quæ eſt circa reſolutio voluntatis tunc datur, quando ſibi imperfectè repræſentatur ſufficiens motiuum ad non deficiendum in intentione finis: tota autem ſufficientia, & certitudo iſtius motiui dependet ex certitudine mediorum, quibus poteſt perduci ad aſſecutionem finis; quia per certitudinem mediorum debent difficultates vinci. Et ſic ex illis pendet, quod obiectum ſpei appareat, vt bonum vincens. Et hæc certitudo de mediis in ſpe theologica quantum eſt ex parte Dei, quod non deficiet, fides docet; quantum eſt ex parte mea, quod non deficiam, fides non docet, ſed tamen prudentialiter regulat, ne propter hoc quod ex parte mea ſe tenet de defectu, debeam deſperare, quia iſte defectus eſt ex parte conditionis ſubiecti defectibilis, non ex parte mediorum, quæ etiam ſufficiunt vincere hanc defectibilitatem ſubiecti. Vnde ſpes prout innititur mediis, ſemper habet ſufficientem certitudinem ad prudentem regulationem, & efficacem tendentiam in finem. Vnde dicitur Eſai 59. *Ecce non eſt abbreuiata manus Domini, vt ſaluare nequeat; neque aggrauata eſt auris eius, vt non exaudiat, ſed iniquitates veſtræ diuiſerunt inter vos, & Deum veſtrum, & peccata veſtra abſconderunt faciem eius vt non exaudiret.* Vbi ponitur ſumma certitudo ex parte mediorum, tam quoad virtutem ſaluandi, quod nomine *Manus* deſignatur, quam ex parte voluntatis Dei dantis illa media, quod nomine *Auris* ſignatur non aggrauatæ ad exaudiendum, vnde formatur certum & firmum dictamen practicum de indefectibilitate mediorum, licet ex parte ſubiecti, voluntariè per peccata ſua poſſit illa media à ſe repellere, ſed tamen firmitas ſpei, & eius dictamen, non fundatur in eo, quod tenet ſe ex parte ſubiecti, ſed ex parte mediorum.

Dices: ſi hoc motiuum practicum deriuatur ab ipſa fide in obiectum ſpei; ergo non poteſt deſtrui tale motiuum, & conuenientia obiecti propoſiti, niſi deſtruatur motiuum fidei, & ſic non dabitur deſperatio ſine infidelitate. *Reſpond. Nego ſequelam.* Quia eſt duplex certitudo in obiecto ſpei, altera *credita per fidem*, altera regulata per fidem. *Credita per fidem* eſt ipſa conuenientia obiecti, & aſſequibilitas eius, quantum eſt ex parte omnipotentiæ, & voluntatis Dei, vnde qui hoc negaret eſſet infidelis. Alia certitudo eſt in obiecto ſpei ſolum *regulata per fidem*, quatenus iſta media applicantur ad ſubiectum, & ex parte ſubiecti oritur defectibilitas, qua poteſt repellere iſta media à ſe, vnde requiritur tanquam conditio neceſſaria vt fiat comparatio ex parte ſubiecti, quantum ad proportionem, quam habet iuxta ſtatum, & conditionem ſuam reſpectu boni aſſequendi. Et in hac comparatione facienda regulatur practicè à fide, quatenus fides extenſiuè eſt practica, non autem ſpeculatiuè certificatur de illa, vnde euerti poteſt, & euacuari iſta conditio requiſita ad ſperandum, ſine hoc quod euertatur certitudo credita per fidem circa ipſum obiectum ſperatum, & eius conuenientiam: poſſumus enim deficere in ſpe, non ſolum ex negatione bonitatis obiecti, ſeu poteſtatis Dei ad auxiliandum, ſed etiam ex defectu conditionis requiſitæ ad ſperandum, ſcilicet quia comparando nos ad aſſecutionem illius boni æſtimamus ita eſſe exceſſiuum, vt de facto nunquam detur nobis auxilium ad aſſequendum, & ſic ex puſillanimitate recedit, non ex negatione bonitatis obiecti: & hanc comparationem, ſeu applicationem inter nos, & bonum aſſequendum, regulat fides, non credit. Quod vero talis comparatio requiratur ad ſperandum ſuprà *ex D. Thoma oſtendimus diſputat. ante præcedenti Art. 4.*

Ad primam difficultatem ſuprà poſitam. Reſp. 5
Non requiri quod ſim certus de applicatione mediorum ex parte mea, certitudine quaſi ſpeculatiua, ſed ſufficit certitudo quaſi practica, quatenus fides ipſa, quæ per dilectionem operatur practica eſt, dirigitque voluntatè prudentialiter vt eliciat efficacem voluntatem tendendi in aſſecutionem finis, quia cum ex parte Dei

ſim certa de indefectibilitate, tam voluntatis, quàm poteſtatis, fides, format dictamen practicum certum de omni requiſito ad tendendum firmiter in aſſequutionem finis ex parte mediorum, quorum firmitati nititur fides ſolum, non firmitati ex parte mea, quàm fides non certificat, neque ad dictamen practicum formandum de tendentia in illum finem certa, & infallibili id requiritur. Et quoad hoc roborantur exempla adducta, & deficit adductum in contrarium, de intendente emere ciuitatem pecunia, de qua non eſt certus quod mittetur ſibi à Rege; oppoſito enim modo proceditur in ſpe. nam ille emptor eſt certus de voluntate recipiendi pecuniam, incertus autem de eius miſſione; in ſpe autem ſum certus quod Deus vult dare auxilium, neque ex parte ſua deficit, incertus autem de voluntate mea, quod ſit ſicut oportet, & ideò ſpes ex parte ſui motiui certiſſima manet; ex parte verò ſubiecti certa non eſt. Cùm autem ſpes non reguletur per ea, quæ tenent ſe ex parte ſubiecti, ſed ex parte motiui cui innititur, inde eſt, quod practicè ſpes eſt certa, quia ex parte ſuæ regulationis, & motiui certæ regulæ innititur, ratio autem practici ex conformitate ad regulam deſumitur. Si autem haberet certitudinem de aſſecutione, & mediis, etiam prout recepeis in ſubiecto, haberet etiam certitudinem ſpeculatiuam, & non ſolùm practicam.

6 Ad *ſecundum negatur min.* Loquendo de certitudine practica, licet ſpeculatiuam certitudinem non habeat ſpes. *Et ad probationem dicitur.* Concilium definire, quod nullus eſt certus de ſua ſalute certitudine ſpeculatiua; de certitudine autem practica potius definit *Concilium*, quod debemus habere firmiſſimam ſpem in Deo. *Et quando additur*, Quod vnum ex mediis in quo continetur noſtra ſalus eſt liberum arbitrium, & opera eius, ſeu merita noſtra, quæ ſunt fallibilia: *Reſpondetur, Liberum arbitrium, & eius opera* ſecundum ſe, & vt fallibiliter procedunt, non ſe habere vt medium, ſed vt ſubiectum recipiens à Deo virtutem, & fortitudinem, quibus quaſi mediis tendat. Vnde ſpes non innititur libero arbitrio, & operibus vt ab ipſo ſunt quaſi media quibus regulatur in ſperando. Ideòque non tenet hic exemplum de duplici præmiſſa concurrente ad concluſionem altera euidenti, altera probabili, quia ibi vtraque tenet ſe ex parte medij; in præſenti autem fallibilitas liberi arbitrij tenens ſe ex parte ſubiecti, non concurrit vt medium, ſed ſolum opera meritoria, vt ſunt ex gratia Dei, & ne totum cui innititur ſpes, & à quo regulatur eſt id quod tenet ſe ex parte Dei.

7 Circa *ſecundam difficultatem, etiam ex dictis conſtare poteſt ſolutio*, & multis omiſſis, quæ tradit *Torres diſp. 64. dub.* 2. circa illud iudicium peculiare, quo mediante fides communicat ſpei certitudinem *Reſpondetur ex dictis*, Quod fides duplicem certitudinem communicat ſpei, alteram *creditam, & quaſi ſpeculatiuam*, alteram *regulatam, & quaſi practicam*, & vtraque ad ſperandum requiritur, & ex cuiuſcumque defectu poteſt deficere ſpes, quæ vtramque requirit. *Prima certitudo eſt*, Quod ex parte Dei numquam deficiet in perducendo nos ad aſſecutionem ſalutis, neque ex parte virtutis, ſeu potentiæ, neque ex parte voluntatis, quia vult omnes ſaluos fieri: ſed hæc certitudo eſt quaſi in communi quia ſolum eſt certitudo de eo quod omnibus commune eſt. Et non dicitur eſſe certitudo in communi, quaſi non habeat in diuidua de quibus talis detur certitudo, nam eodem modo eſt certum Deum ex parte ſuæ virtutis, & bonitatis nulli deficere, atque mihi non deficere. In quo valdè æquiuocatur *Torres vbi ſupra, & Vazquez* non intelligens *D. Thom.* quando docet poſſe aliquem retenta recta exiſtimatione in communi, quod omnis fornicatio eſt mala habere corruptam exiſtimationem in particulari, quod hic, & nunc ſit bonum ſibi eligere fornicationem, ſicut habet *S. Thom. 2. 2. quæſt. 20. art. 2. & quæſt. 162. art. 4. ad* 1. Non eſt ſenſus *D. Thom.* quod aliquis poteſt exiſtimare hanc fornicationem in particulari eſſe bonam retenta recta exiſtimatione circa fornicationem in communi, nam ita erraret contra fidem qui diceret hanc fornicationem in particulari eſſe bonam, quam qui diceret omnē eſſe bonam, & ita ſine errore fidei aliquis poſſet eligere omnem fornicationem, atque aliquam in particulari. *Sed ſenſus D. Thomæ eſt*, Quod retenta exiſtimatione in communi, quod omnis fornicatio eſt mala moraliter, in quo iudicio includitur, quod etiam iſta in particulari ſit mala moraliter, poſſit habere exiſtimationem, quod ſibi eſt bona delectabiliter iſta in particulari, vel etiam omnis fornicatio quam velit eligere. Sed illud vocatur iudicium in communi, & hoc in particulari, quia illud pertinet quaſi ad naturam, & quidditatem fornicationis vt actus moralis eſt, & ita eſt iudicium ſpeculatiuum, quod de ſe reſpicit naturam obiecti, & actus, quando de aliquo ſingulari iudicat: hoc ſecundum pertinet quaſi ad applicationem practicam vt eligatur, quæ applicatio ſemper eſt rei in particulari. Eodem modo in obiecto ſpei. Prima certitudo, quæ datur à fide eſt quaſi ſpeculatiua, & credita, ſcilicet Deum eſſe potentem, & volentem ex parte ſua auxiliari, & hæc dicitur certitudo quaſi in communi, quia reſpicit id quod ex natura ſua obiectum petit ſecunda certitudo eſt quaſi practica, quatenus fides iudicat prudenter, & rectè procedere ad ſperandum, & habere ſufficientiā motiua, vt efficaciter moueatur ad tendendum in Deum, etiamſi de ipſo euentu non habeat omnimodam certitudinem, quia habet ſufficiens inductiuum in mediis, & ita certò fides iudicat mihi eſſe applicata hæc auxilia, vel applicanda iudicio practico regulatiuo, non iudicio aſſenſus, & credibilitatis, & ita non credit certò, ſed dirigit certò, & inducit prudentialiter, non certitudinem aſſenſus veritatis; fides autem pro ea parte, qua format iudicium practicum non habet certitudinem credibilitatis, ſed certitudinem prudentiæ, ſeu practicam, atque adeo illud iudicium, quod Deus mihi dat auxilia, & media requiſita, eſt actus fidei practicus, non ſpeculatiuus, & poteſt aliquis deſperare ablato, ſeu deſtructo iſto dictamine fidei, non deſtructa fide, quia fides non deſtruitur per hoc, quod dictamina practica deſtruantur, ſed per hoc quod ſpeculatiui aſſenſus per infidelitatem abiiciantur, & ideò ſtante poteſt ſtare Deſperatio.

DISPVTATIO XII.

De dono timoris.

ARTICVLVS I.

Vtrùm donum timoris ſit habitus diſtinctus ſecundum ſuam rationem formalem ab habitu ſpei, & aliarum virtutum?

1 ETſi *præcipuè agamus hic de timore filiali*, qui ſolum pertinet ad donum timoris (vt poſtea oſtendetur) tamen ex conſequenti aliquid attingemus de timore ſeruili, vt meliùs ratio ipſa timoris filialis explicetur. *Supponendum ergo eſt, poſſe hanc controuerſiam in generali diſputari*, ſecundum quod de omnibus donis Spiritus ſancti difficultas eſt, An ſint diſtincti habitus ab omnibus aliis virtutibus, tam acquiſitis, quàm infuſis: vel in ſpeciali de dono timoris quis habitus ſit, & quam rationem formalem habeat à reliquis virtutibus diſtinctam; In generali ergo loquendo de donis Spiritus ſancti, controuerſia eſt inter *D. Thomam, & Scotum*, nam *D. Thom* ſentit, dona eſſe habitus diſtinctos ab omnibus aliis virtutibus, etiam ſupernaturalibus; *Scotus* verò exiſtimat, dona ab illis non diſtingui, quia quæcumque homo operari poteſt in genere ſupernaturali, ſufficienter per virtutes infuſas operari poteſt: *Scotum* ſequuntur aliqui antiqui, & ex recentioribus *Vazquez 1. 2. diſp. 47. & Lorca ſuper quæſtion. 61. diſp. 35. membra 2.* Communiter tamen *Sancti Thomæ ſententia* præfertur non ſolum à thomiſtis, ſed etiam extra ſcholam *S. Thom.* eamque ex antiquis ſequuntur *Alenſis, Henricus, durandus* cum reliquis *ad qu. 63. t. 2. Valencia, Monteſinos, Suarez diſp. 1. de ſpe ſect. 4. & lib. 2. de grat. c. 17.*

2 Hæc *ergo ſententia nunc ſupponenda eſt, vt conformior explicationi ſcripturæ*, quę numerat in Chriſto domino ſeptẽ dona Spiritus ſancti *Iſaiæ 11.* & conſtat illa non poſſe reduci ad virtutes cardinales, & theolog. quia dona pertinentia ad intellectum, vt ſapientia, ſcientia, & intellectus non poſſunt eſſe habitus fidei, quæ eſt virtus theolog. cum in Chriſto fuerint iſta dona, & nõ fuerit fides; diſtinguuntur ergo à fide; & multò magis à ſpe, & charitate, quæ non ſunt in intellectu, ſicut illa dona. Similiter neque poſſunt eſſe virtutes Cardinales, nam inter virtutes Cardinales ſola prudentia pertinet ad intellectum, non ſpeculatiuũ, ſed practicũ, vnde ei correſpondere poteſt donum conſilij, non autem donum ſapientiæ, ſcientiæ, & intellectus, quæ verſantur circa res diuinas, & complectuntur intra intellectum ſpeculatiuum. *Similiter* nõ poſſunt hæc dona eſſe virtutes intellectuales, quia virtutes intellectuales, ſc. ſapientia, ſcientia, & habitus principiorum, ſunt virtutes acquiſitæ; dona autem Spiritus ſancti ſunt aliquid infuſum, & ſupernaturale, debẽt ergo diſtingui à virtutibus intellectualibus acquiſitis. *Infuſæ autem* non dantur diſtinctæ à donis, non enim ſicut infunditur temperantia infuſa, & iuſtitia infuſa, ita infunditur ſapientia infuſa, & intellectus principiorum, & ſcientia infuſa, quæ tractant de materiis ſeu obiectis ſcientiarũ naturalium modo ſupernaturali, ſicut virtutes morales infuſæ verſantur circa materiã virtutum moralium acquiſitarum modo ſupernaturali, & in ordine ad regulam ſupernaturalem: iſtas enim ſcientias ſupernaturales non infundi, conſtat; cum veritates naturales, de quibus ſunt virtutes intellectuales ſolum naturali diſcurſu, & modo ſciantur, non ex principiis ſupernaturalibus, vt ipſa experientia notum eſt, & in peccatoribus remanere poſſunt, ſicut manet theologia, in quibus tamen dona Spiritus ſancti non remanent. Circa res autem, de quibus eſt fides dantur quidem habitus illi ſcientiæ, ſapientiæ, & intellectus ſupernaturales diſtincti à fide, ſed ſunt dona Spiritus ſancti infuſa, & conſequenter diſtinguuntur à virtutibus intellectualibus, quæ verſantur circa obiecta naturalia. Euidens ergo apparet iſta tria dona intellectualia, à virtutibus reliquis diſtingui; eadem autem ratio eſt de reliquis donis, nam non eſt conueniens, vt quædam dona diſtinguantur à virtutibus, quædam verò non diſtinguantur.

Quomodo *autem dona, & virtutes etiam infuſæ diſtinguantur*, operoſior diſputatio eſt quã hic tractari poſſit, & ſuum proprium locũ habet 1. 2. q. 68. *art.* 1. & cum de ſingulis donis ſpecialiter agitur in 2. 2. breuiter dico optimam rationẽ diſtinguẽdi dona Spiritus ſancti à virtutibus eſſe illam, quam *D. Thom* explicat *citat loco* 1. 2. ſcil. quod ratio doni Spiritus ſancti debet explicari per modũ inſpirationis diuinę, quę ſignificat motionẽ ab exteriori, vnde *Iſaiæ* 11. non traduntur ſub nomine donorũ, ſed ſub nomine ſpirituũ. In hoc autem decipiuntur aliqui, & difficilem reputant doctrinam *D. Th.* quod cũ ad actus virtutum etiam requiratur motio diuina, & ad actus virtutũ infuſarũ motio ſupernaturalis, non apparet quomodo hoc quod eſt operari ex inſpiratione diuina, vt ab exteriori mouente, ſufficiat diuerſitatem conſtituere inter dona, & virtutes, quantumcumq; illa motio ſit ad actus aliquos excellentes, & raros; id enim non diuerſificat ſpeciem actionum, ſed maiorem perfectionem intra eandem ſpeciẽ ponit, & conſequenter, neq. diuerſos habitus requirit, ſed eundem habitum virtutis excellentius à Deo motum, & confortatum. 3

Cæterũ *D. Th.* non loquitur de inſpiratione, & motione diuina prout auxiliãte, ſic enim manifeſtũ eſt actus virtutũ fieri ex auxilio, & inſpiratione diuina, ſed loquitur de inſpiratione & motione diuina, prout regulante, & ſupplente, quod ratio ſola non poteſt, etiam vt ſupernaturaliter eleuata per virtutes infuſas; homo enim mouetur à ratione, vt à connaturali regula ſuarum actionũ, in naturalibus quidem, & acquiſitis virtutibus in ordine ad finẽ naturalẽ, in ſupernaturalibus autẽ in ordine ad ſupernaturalem finẽ, ſed tamẽ iuxta modũ limitatum ſui ſubiecti, ſupernaturalia enim iuxta proprium modum recipiuntur. Vnde in eo quod Deus eleuat hominẽ ad finẽ ſupernaturalẽ per virtutes infuſas, ipſæ virtutes dupliciter cõſiderari poſſunt, aut ſecũdũ quod trahuntur ad modũ ſubiecti, in quo recipiuntur, & ſic imperfectè mouent, & regulãt hominẽ etiã ad finẽ ſupernaturalẽ operando iuxta modũ, quo ratio regulare ſolet: vel ſecundum quod à Deo deſcendunt iſtæ virtutes infuſæ infundẽte illas in ordine ad perducendũ nos vſq; ad ipſum finẽ ſupernaturalẽ, & ſic oportet quod Deus ipſa ſua inſpiratione, & inſtinctu, nos regulet ſupplendo ea, ad quæ ratio mouere non poteſt. Operatio ergo virtutum regulata iuxta modum, quem inducunt ex parte ſubiecti, & rationis regulantis, eſt proprius actus virtutis; operatio vero regulata iuxta modum diuinum, quem habet ex inſpiratione, & inſtinctu Dei regulantis nos ad illum finem, iuxta 4

ſuam poteſtatem, non iuxta limitationem noſtri modi operandi, eſt operatio doni Spiritus ſancti diuerſa ſpecie ab operatione virtutum, quia ſpecificatio in virtutibus ſumitur ex obiecto, prout regulato, & ſecundum diuerſos modos regulationis eſt diuerſa ſpecificatio. Ad hoc autem vt homo operetur opera virtutum regulata illo altiori principio, & regula, requiruntur habitus, quibus anima reddatur benè mobilis, & rectè obediens diuinæ regulationis & tales habitus ſunt ipſa dona. Ideoque præſupponunt gratiam. *Tum quia* dona reddunt hominem benè mobilem in ordine ad finem beatitudinis; *Tum quia* vt mobile benè, & firmiter obediat motori, debet eſſe ei firmiter coniunctum, quod non fit niſi per gratiam, qui enim in peccato eſt, non eſt Deo coniunctus ea coniunctione, quæ requiritur, vt ſit benè, & firmiter mobilis ab eo. Sicut ergo virtutes morales ponuntur in voluntate ad ſequendum, & inclinandum in obiecta, vt regulata per rationem, & per prudentiam, & ſi ſit per rationem in ordine ad finem naturalem, ſunt virtutes acquiſitæ; ſi in ordine ad finem ſupernaturalem, ſunt infuſæ; ita ponuntur habitus, qui ſunt dona, ad ſequendum ductum Spiritus ſancti, eiuſque inſpirationem, vt regulantem loco prudentiæ, & rationis, quatenùs altiori modo, quam prudentia, ſiue infuſa ſit, ſiue acquiſita, format dictamina ad mouendum voluntatem, & illuſtrat intellectum ad formandum iudicium de rebus diuinis; ſicut v.g. ſapientia vt per naturalem diſcurſum deducta iudicat de diuinis, vt ex effectibus naturalibus per illationem attinguntur; ſapientia autem donum illuſtrat intellectum ad iudicandum de rebus diuinis ex quadam experientia, & ſapore, qui habetur ex amore charitatis ad Deum, vt tradit *D.Thom.* 2.2 *quæſt.*45. *ſimiliter, vt idem* Sanct.Doctor, dicit in 3.diſt. 34.quæſt. 1. art. 1. *connaturalis modus humanæ naturæ eſt, vt diuina non niſi per ſpeculum creaturarum, & ænigmata ſimilitudinum percipiat, & ſic ad percipienda diuina perficit fides, quæ virtus dicitur, ſed intellectus Donum (vt Gregorius dicit) de auditis mentem illuſtrat, vt etiam in hac vita homo prælibationem futuræ manifeſtationis accipiat.* Quare ex diuerſo modo operandi pertinente ad diuerſum motiuum, & rationem formalem, qua obiectum attingitur diuerſificantur habitus virtutum, & donorum in intellectu, & in voluntate.

5 Quod *autem iſte diuerſus modus operandi* pertineat ad diuerſum motiuum, & rationem formalem conſtat; Quia in intellectualibus quandocumque dantur iudicia ex diuerſis principiis, & per diuerſam reſolutionem, talis modus diuerſus pertinet ad diſtinctam rationem formalem quia ratio formalis, & ſpecifica concluſionis, & iudicij eius ex reductione in diuerſa principia ſumitur; conſtat autem reſolui in diuerſe principia iudicium, quod datur de rebus diuinis per illationem ex principiis reuelatis, ſicut facit ſapientia, quæ ſtudio acquiritur, qualis eſt theologia, & iudicium quod datur de rebus diuinis ex coniunctione amoris quo veluti experitur, & connaturalizatur nobis res diuina, quod fit per ſapientiam donum, res enim diuina, vt reuelata per fidem formaliter eſt diſtinctum principium ab ipſa, vt connaturalizata per amorem. Similiter in voluntate, vbicumque variatur motiuum regulans actus liberos variatur ſpecifica ratio actionum humanarum, quæ deſumitur ex obiecto prout regulato per rationẽ, vnde cum actus voluntatis prout regulantur ex inſtinctu Spiritus ſancti mouentis iuxta modum ſuæ poteſtatis, non iuxta modum noſtræ inueſtigationis, & rationis reſpiciat diuerſam regulam, quam illi actus qui regulantur iuxta modum operandi noſtræ rationis, & inueſtigationis, etiamſi ſit in genere ſupernaturali, neceſſariè iſti actus diſtinguuntur ſpecie ex diuerſo motiuo regulante, & conſequenter exigunt diſtinctos habitus ſpecie.

Ex *Quo obiter colliges,* Quod iudicium de re- 6
bus diuinis datum per donum ſapientiæ, quæ habet pro principio iudicandi connaturalitatem, & vnionem ad res diuinas in qua vnione charitatis fundatur, omnis tractatio theologiæ myſticæ, id eſt, ſapientiæ affectuoſæ, & ad Deum vnientis nos, licèt ſecundum ſe altiùs ſit quam ſapientia theologica noſtris actibus hic acquiſita, tamen quoad nos propter imperfectum modum participandi dona Spiritus ſancti, præſertim quæ ad illuſtrationem intellectus pertinent, quæ in hac vita ſubordinantur fidei (tanquam virtuti excellentiori, quam ipſa dona (vt determinat *S. Thom.* 1. 2.*qu.* 68. *art.* 8.) oportet quod ſapientia donum, & iudicium theologiæ myſticæ, examinetur, & innitatur iudicio ſapientiæ acquiſitæ, & theologicæ ſcholaſticæ, & oppoſitum eſt valde periculoſum, & frequentibus erroribus ſubiectum. *Cuius ratio ex dictis colligitur.* Quia principia, quibus innititur theologia ſcholaſtica ſunt ipſę veritates fidei, & per neceſſariam conſequentiam deducit ex illis theologia acquiſita ſua iudicia; principia autem doni ſapientiæ, & theologiæ myſticæ ſunt ipſa vnio amoris ad res diuinas per charitatem, ex qua in intellectu reſultat quædam adhæſio, & connaturalitas, quaſi experientia ad res diuinas, ratione cuius dicitur quaſi diuina patiens; qui ea experitur, non quia intellectus, verè, & propriè non agat experiendo, & ſentiendo diuinam dulcedinem, ſed quia originatur iſte adhæſio intellectus nõ ex proprio labore, ſed ex paſſione amoris; iſta autem omnia regulari debent per determinationes fidei tanquam per virtutem altiorem, & per theologiam acquiſitam, tanquam per iudicium fundatum in conſequentia neceſſaria, & euidenti, quæ quoad nos certior eſt quam illud iudicium myſticum; & ideo neceſſe eſt quod iſti actus doni ſapientiæ, vt nobis certificentur, regulentur per ſapientiam acquiſitam. *Tum propter* ſubordinationem doni ad virtutem fidei, quæ eſt altior donis, & certius veritates continet; *Tum propter* maiorem euidentiam in illationibus ſapientiæ acquiſitæ, donum enim ſapientiæ caret diſcurſu, quantum eſt ex ſe, de quo videri poteſt *D.Thom.* 2.2.*qu.*9.*art.*1.

His *ſuppoſitis reſtat hic id, quod huius loci pe-* 7
culiare eſt, agere de habitudine timoris, An ſit ſpecie diſtinctus ab aliis virtutibus: & in hoc diuiſi ſunt authores, qui enim exiſtimant dona Spiritus ſancti non eſſe habitus diſtinctos à virtutibus, reducunt timorem filialem ad charitatẽ, timorem verò ſeruilem, qui etiã bonus, & honeſtus eſt, ad habitum ſpei. Ita tenet *Pater Lorca hic quæſtio.* 19. *diſp.* 14. quem ſequitur *Pater Torres eadem quæſt.* 19. *artic.* 9. *diſp.* 63. Ex his verò qui exiſtimant dona eſſe habitus diſtinctos

à virtutibus diuiduntur in aſſignanda ratione formali ſpecifica huius habitus timoris, nam *Pater Suarez. Diſp.1. de Spe ſect. 4. num. 13. & 14.* diſtinguit inter Timorem filialem, & Timorem, qui eſt Donum ſpiritus Sancti, & dicit quod Timor filialis eſt actus elicitus à Charitate, & conſequenter non eſt actus Doni (ſuppoſito quod dona diſtinguuntur à virtutibus in eius ſententia) Timor autem, qui eſt donum, dicit non eſſe habitum ſpecialem, qui verſetur proximè circa Deum timendo ipſum, ſed verſari circa materiam temperantiæ, licet altiori modo ſpecie diuerſo, quam ipſa virtus Temperantiæ, ſiue infuſa, ſiue acquiſita, & hanc, inquit, eſſe doctrinam *S. Thom. 1.2. quæſtione 65. artic. 4.* vbi tamen *S. Doctor*, nullum verbum habet de hoc puncto. Sed tamen fauere videtur huic ſententiæ *2.2. quæſt. 141. art. 1. ad 3.* vbi inquit: *Quod Temperantia, etiam respondet aliquod donum, ſcilicet, Timoris*, quo aliquis refrænatur è delectationibus carnis, iuxta illud Pſalmi 118. *Confige timore tuo carnes meas.* Eſt ergo Donum Timoris habitus, qui verſatur circa materiam temperantiæ: & eandem ſententiam reputat probabilem, *Magiſter cabrera tom. 1. 3. par. quæſt. 7. art. 6. in Com. artic.* vbi probabile exiſtimat, quod actus Timoris reuerentialis non diſtinguitur ab actu humilitatis, quæ eſt pars temperantiæ.

8 Nihilominus *expreſſa D. Thom. ſententia eſt*, Donum Timoris eſſe habitum *diſtinctum à Charitate, & ab Humilitate*, nec reſpicere ſolam materiam Temperantiæ, ſed ad ipſum pertinere etiã timorem filialem, vnde in omnibus prædictæ ſententiæ contrariantur *D. Thom.* & rationi. *quod enim Donum Timoris* ſit habitus diſtinctus à Charitate conſtat manifeſtè ex hac *quæſt. 19. art. 9. ad 3.* vbi diſtinguit donum timoris ab omni virtute theologica, & ſpecialiter ab habitu charitatis; & *in ſolut. ad 4.* diſtinguit illud à virtute humilitatis. Quod autem timor filialis non ſit actus elicitus à Charitate, ſed ſit actus doni ſpiritus Sancti, manifeſtè dicit *D. Thom. eodem loco in corpore articuli*, vbi inquit; *Vnde relinquitur, quod timor Dei, qui numeratur inter ſeptem dona Spiritus Sancti, eſt timor filialis, ſiue caſtus.* Contradicit ergo ſententiæ *Patris ſuarez* in hac parte. Denique quod non reſpiciat ſolam materiam temperantiæ, conſtat ex eodem *D. Thom. cita. loco 2.2. quæſtione 141. art. 1. ad 3.* vbi ait: *Quod donum timoris principaliter reſpicit Deum, cuius offenſam vitat, & ſecundum hoc correſpondet virtuti ſpei, ſicut ſupra dictum eſt (quæſt. 19.) ſecundario autem poteſt reſpicere quæcumque aliquis refugit ad vitandum Dei offenſam; maximè autem homo indiget timore diuino ad fugiendum ea, quæ maximè alliciunt, circa quæ eſt temperantia, & ideò temperantiæ etiam correſpondet donum Timoris.* Ex quo patet, quod ſententia *D. Thom.* non reſtringit donum timoris ad materiam temperantiæ, ſed principaliter reſpicit vitare offenſam dei ex motiuo reuerentiæ ipſius; ſecundariò autem, & inadæquatè reſpicit vitationem eorum, quæ poſſunt trahere ad offenſam dei, inter quæ quia maximè alliciunt delectabilia ſenſus, circa quæ verſatur temperantia, ideò timor ſpeciali quadam ratione dicitur verſari circa illam.

9 Fundamentum *Sententiæ D. Thom.* ſupponit quidem generaliter dona Spiritus ſancti eſſe habitus diſtinctos à reliquis virtutibus, etiam theologicis, vt explicatum eſt; tamen ſpecialiter circa donum timoris ad fundandam ſententiam *D. Thom.* contra præfatos authores examinanda venit duplex conſequentia, quam format *Sanct. Doctor in hac quæſt. 19. art. 9.* altera *in corpore articuli*, altera *in ſolutione ad* . & 3. In corpore quidem articuli probat, quod timor filialis poteſt eleuari ad rationem doni, *in ſolutionibus* autem argumentorum oſtendit quod timor non poteſt primò, & per ſe induere rationem virtutis, ſicut amor, & ſpes; ex quo vlterius inferemus tertiam conſequentiam, quod timor ſicut, & gaudium, licet poſſint eſſe actus conſecuti ad charitatem, tamen vt exercent officium doni Spiritus ſancti non ſolum debent eſſe actus conſequentes ad charitatem, ſed etiam requirunt habitum à charitate diſtinctum, & ex illa conſecutum à quo immediatè eliciatur.

Prima *conſequentia conſiſtit in hoc*, Quod dona Spiritus ſancti ſunt habitus, quibus homo redditur benè mobilis à Spiritu ſancto inter quæ de facto numeratur Timor Iſai. 11. *Et replenit eum Spiritus Timoris Domini.* Ergo ſecundum illam rationem pertinebit timor ad rationem Doni Spiritus ſancti, ſecundum quam reddit hominem bene mobilem ab inſtinctu, & regulatione Spiritus ſancti. Redditur autem homo benè mobilis à Spiritu Sancto, quatenus eſt ei ſubiectus, & timet præcepta Dei, & ab illis ſe ſubducere, iuxta illud Iſai. 66. *Ad quem autem reſpiciam, niſi ad pauperculum, & contritum Spiritu, & trementem ſermones meos?* Et Pſalm. 32. *Oculi Domini ſuper metuentes eum*, hoc autem pertinet ad formalem rationem timoris filialis, *cuius ratio eſt* timere Deum tanquam Patrem, & ſeparari ab eo per culpam; igitur ratione huius effectus, & formalis rationis timoris filialis, eleuatur ad rationem doni, quia ratione huius redditur homo benè mobilis è Spiritu ſancto. Ergo timor filialis provt ſic eſt actus doni, & conſequenter procedit ab habitu diſtincto à charitate in ſententia *Suarez.* Et *Confirmatur.* Quia timor non verſatur circa materiam temperantiæ, niſi terrendo hominem, & proponendo illi Deum, vt valde timendum, iuxta illud Pſalm. 118. *Confige timore tuo carnes meas à iudiciis enim tuis timui:* Ergo prius eſt in dono timoris, & principale motiuum reſpicere Deum, & iudicia eius vt timenda, quam reſpicere delectationes ſenſus vt moderandas, quæ eſt materia temperantiæ; Vnde inadæquatè reſpicit hanc materiam, nam ex timore dei, non ſolum reprimere poteſt aliquis delectabilia, ſed etiam Iram, & ea quæ pertinent ad iraſcibilem; ergo timor, vt eſt donum latiorem materiam habet, quàm temperantia; nam ſub ea ratione qua attingit materiam temperantiæ, ſcilicet, terrendo, & timendo offenſam dei, etiam alias materias poteſt attingere timendo in illis offenſam dei, & ſic omne peccatum poteſt euitare timor dei in omni materia iuxta illud Eccleſiaſt. 1. *Timor Domini expellit peccatum*, licet ſpeciali quadam ratione delectationi ſenſibili opponatur, quatenus timor non compatitur lætitiam, & delectationem.

Secunda *verò conſequentia probatur à D. Thom.* 11
Quia de ratione amoris eſt tendere in bonum, de ratione vero timoris fugere malum; Virtutis

autem eſt ordinari in bonum, ergo timor non ita induit rationem virtutis, ſicut amor. Et conſiſtit difficultas in illa propoſitione *De ratione Timoris eſt fugere malum*, hoc enim non eſt de ratione doni Timoris, vt ſequenti *art.* oſtendemus. *Nihilominus* Vis huius conſequentiæ explicatur ſic. Quod licet Timor vt eleuatur ad rationem doni non habeat pro principali actu fugere malum, ſed reuereri bonum à quo poteſt malum infligi, vt dicit *D. Thom. 3. part. quæſt. 7. art. 6. ad* 1. tamen Timor nunquam reſpicit aliquod bonum proſequendo, ſed refugiendo eminentiam talis boni, & reſiliendo in propriam paruitatem, quia reſpicit in illo bono poteſtatem, & eminentiam inflictiuam mali; Virtus autem ordinatur ad hoc, vt faciat hominem recte diſpoſitum circa bonum ſequendo illud. Vnde quia Timor quantumcumque eleuetur ad rationem doni non purificatur à ratione refugiendi, quia etiam cum reſpicit bonum, reſpicit illud vt inflictiuum mali, & communiter refugiendo, non proſequendo; ideò nunquam peruenit ad rationem virtutis ſtrictè acceptam, ſicut peruenit. Quomodo autem dicatur reſpicere malum vt principale obiectum, cum in dono timoris principalis eius actus non ſit fugere malum, ſed reſpicere obiectum bonum? *Sequenti art.* Dicendum eſt.

Ex *his denique explicatur tertia conſequentia.*
11 Nam timor, & odium, & quæcumque fuga mali oppoſiti diuino bono, poſſunt conſiderari dupliciter, *vno modo*, ſecundum ſimplicem motum fugæ, quatenùs ex proſecutione boni amati ſequitur receſſus à malo oppoſito, ſiue per abominationem, & odium, ſiue per Timorem: *alio modo* vt induunt ſpeciale motiuum, ratione cuius trahuntur ad ſpecialem rationem formalem, & habitum diſtinctum, ſicut deteſtatio peccati in quantum eſt ſimplex abominatio, & odium illius elicitur à Charitate, vt autem eſt deteſtatio expiatiua, & ſatisfactoria pro peccato trahitur ad rationem formalem Pœnitentiæ, vt dicit *Sanct. Thom. 3 part. quæſt. 8. art. 2. ad* 1. Idem dicitur de timore, quod in quantum dicit ſimplicem effectum fugiendi culpam vt poſſibilem, poteſt eſſe actus charitatis. At vero ſecundum quod trahitur ad ſpecialem rationem motiuam, ſcilicet, quatenus reddit hominem obedientem motioni Spiritus ſancti, & per modum reuerentiæ ſubiicientem ſe illi, ipſumque deum conſiderat, vt timendum tanquam Patrem per modum cuiuſdam obſeruantiæ, non ſolum vt amicum ſicut charitas, ſic induit ſpecialem rationem formalem, exigitque ſpecialem habitum, in quantum eſt Timor filialis præter ipſam charitatem, & ſic donum Spiritus ſancti.

Soluuntur Argumenta.

1 SEntentia *Patris Suarez*, quantum ad primam partem de Timore filiali conuenit cum Prima Sententia, & eodem fundamento fundatur, ſcilicet, Quia ad idem motiuum, & rationem formalem, ad quam pertinet amare aliquod bonum, pertinet fugere oppoſitum malum, ſicut ad eundem motum quo terra tendit deorſum ſequitur fuga à loco ſurſum; & eodem iudicio quo intellectus aſſentitur vni propoſitioni, refragatur contrariæ; ergo ad amorem quo quis amat bonum diuinum pertinet fugere malum oppoſitum, quod eſt culpa, quod fit per timorem filialem, & ad amorem concupiſcentiæ, ſeu ſpei, quo quis amat ſibi bonum ſupernaturale pertinet fugere malum pœnæ, quod ſibi contrarium eſt.

Confirmatur. Quia ad timorem ſeruilem non ponitur ſpecialis habitus, qui ſit virtus, vel donum, ſed reducitur ad concupiſcentiam ſupernaturalem; ergo nec ad timorem filialem requiritur ſpecialis habitus præter charitatem. Eadem enim ratio currit in timore ſeruili, qui etiam eſt bonus, & honeſtus, & ſupernaturalis ſicut timor filialis. 2
Ac denique confirmatur ex D. Thom. *hic quæſt. 19. articul. 6.* vbi inquit, *quod eiuſdem rationis eſt, quod homo cupiat bonum ſuum, & quod timeat eo priuari*: ergo ad idem motiuum, & formalem rationem pertinet amor Dei, & timor filialis, ſicut amor concupiſcentiæ, & timor pœnæ.

3 Quoad *ſecundum vero partem* in qua ſententia *Suarez* non conuenit cum prima, præter adductam authoritatem *D. Th. probatur.* Quia ſicut alijs virtutibus Moralibus correſpondent aliqua dona, ita & temperentiæ, nam prudentiæ reſpondet donum Conſilij, iuſtitiæ donum pietatis, fortitudini donum fortitudinis; ergo, & temperantiæ debet correſpondere aliquod donum non eſt autem aliud, quam donum timoris, ergo. *Confirmatur*, quia nullus habitus dari poteſt primo, & per ſe ad fugiendum malum, ſed ad proſequendum aliquod bonum; ergo non poteſt dari donum habituale cuius primo & per ſe actus ſit timere Deum, ſed quod perſequatur aliquod bonum. *Ac denique confirmatur.* Quia proprius actus doni timoris eſt paupertas Spiritus, vt ex *Auguſtino Diu. Thomas. hic quæſtion. 19. artic.* 12. quæ nihil aliud eſt quam actus humilitatis autem eſt pars potentialis temperantiæ, vt conſtat ex *Sanct. Thom. 2. quæſtion. 191. articul.* 4. Ergo donum timoris eſt habitus, qui verſatur circa materiam temperantiæ.

Ad id quod *prima* ſententia proponitur. *Reſpondetur*, quod ad motum amoris ſequitur fuga oppoſiti mali, per modum ſimplicis receſſus, ſiue odij, & timoris communiter dicti; non tamen ſequitur illa fuga ſecundum ſpecialem rationem timoris, qua pertinet ad rationem doni Spiritus Sancti, ſicut explicatum eſt, ſicut etiam non ſequitur deteſtatio peccati ſub ea ratione, qua pertinet ad pœnitentiam, niſi mediante habitu pœnitentiæ à charitate diſtincto. *Ad primam confirmationem reſpondetur*, quod timor ſeruilis licet ſit à Spiritu Sancto, vt potè bonus, & honeſtus, non tamen induit illam ſpecialem rationem, quam timor filialis, vt eleuatur ad rationem doni, & ideò cum timor ſeruilis ſit ſimplex motus timoris circa malum pœnæ, vel amiſſionem boni diuini, vt bonum proprium eſt, ſufficienter aſſignatur eius principium ipſa concupiſcentia, vel ſpes ſupernaturalis proſequens hoc bonum diuinum, quod tamen non currit reſpectu timoris Filialis, quia induit ſpecialem rationem obſeruantiæ, vel reuerentiæ erga Deum timendum vt patrem, & reddendi hominem benè mobilem à Spiritu Sancto, vt dictum eſt. 4
Ad ſecundam confirmationem reſpondetur, quod

Quod *Sanctus Thomas* loquitur in illo loco de ſimplici motu timoris, agebat enim de timore ſeruili, non de timore inducente ſpecialem rationem reuerentiæ ad Deum, & mobilitatis à Spiritu Sancto in materia ſubiectionis ad ipſum.

5 Ad *Argumentu pro ſententia Patris Suarez*; Ad locum *Sanct. Thom. ex* 2. 2. *quæſtion.* 141 *Reſpondetur*, quod *Sanctus Thomas* docet, donum timoris correſpondere temperantiæ ſecundariò, & inadæquatè prout reſpicit eurationem eorum, quæ allicere poſſunt ad offenſam Dei; primariò autem, & principaliter correſpondere ſpei, ſecundum quod timet ipſum Deum, & ſeparari ab illo. Vnde patet ad rationem Patris Suarez, fatemur enim quod etiam temperantiæ reſpondet aliquod donum ſcilicet donum timoris, non tamen adæquatè, ſed inadæquatè, ex parte actus ſecundarij, quatenùs ſpeciali quadam ratione opponitur delectationi carnali. *Ad primum confirmationem dicitur*, quod nulla virtus, vel donum habet pro actu primario fugere malum, & ſic principalis actus doni timoris non eſt fugere malum, ſed revereri bonum inflictiuum mali, *vt ſequenti articulo* oſtendetur *ex Diu. Thom. Ad ſecundam confirmationem dicitur* quod paupertas Spiritus vt eſt actus doni timoris diſtinguitur ab actu humilitatis communiter dicto, quia actu humilitatis eſt per modum modeſtiæ refrænantis nimiam paſſionem ſpei tendentis erga honores indebitos, & hæc facit ſecundum regulas rationis ordinarias; at verò paupertas Spiritus ex altiori regula, nempè ex conſideratione diuinæ eminentiæ, ita reſilit in propriam paruitatem, vt nullam excellentiam, ſiue propriam, ſiue alienam æſtimet tanquam aliquid in comparatione diuinæ eminentiæ, & ideò totaliter euacuat ſpiritum propriæ magnificationi ſubiiciendo ſe Deo, & ſic manet pauper in ſpiritu, & non ſolum ordinariè humilis.

ARTICVLVS II.

Quis ſit proprius actus doni timoris

1 VT *exactè explicari poſſit proprius actus huius doni*, vnde maximè pendet explicatio quidditatis eius, oportet conſiderare omnem latitudinem materiæ, circa quam verſatur donum timoris. Poteſt ergo donum timoris reſpicere Deum quem timet, vt obiectum inflictiuum mali, vel ipſum malum quod fugit, vel paſſiones quas timore iſto cohibet, tam in iraſcibili, quàm in concupiſcibili. Donum ergo timoris vt reſpicit perſonam, ſeu Deum quem timet habet actum reuerentiæ; vt reſpicit malum imminens habet actum fugæ; vt reſpicit paſſiones iraſcibilis, id eſt, magnificationem, & extollentiam ſui quam reprimit, habet pro actu paupertatem ſpiritus; vt reſpicit paſſiones concupiſcibilis refrænando delectationes habet pro actu beatitudinem luctus, quam etiam attribuit dono timoris *Diuus Thomas hic quæſtion.* 19. *artic.* 12. *ad* 2. Habet ergo timor ampliſſimam materiam inter dona Spiritus Sancti, & ita dicit *Diuus Thomas in hac quæſtion.* 19. *articul.* 1. *ad* 2. *Quod timor Dei comparatur ad totam vitam humanam Dei ſapientia regulatam, ſicut radix ad arborem iuxta illud Eccleſiaſt.* 1. *Radix ſapientiæ eſt timere Deum*, & ideo non ſolum correſpondet timor vni virtuti v. g. temperantiæ, aut humilitati, ſed etiam ſpei, vt ex *Diu. Thom. oſtendimus articul. præcedenti* Vt ergo inter tot actus, & tam diffuſam materiam, quam timor comprehendit aſſignemus quis ſit actus primarius, & principalis, & quis ſecundarius.

Dico *primo.* Principalis actus timoris in quantum donum non eſt fuga, & reſpectus ad malum, ſed actus reuerentialis erga bonum, ideſt, eminentiam diuinam, quæ eſt cauſa inflictiua mali. *Hæc concluſio* videtur certa ſecundum mentem *Sancti Thomæ*, quamuis non defuerint plures authores, etiam in dono timoris ponentes pro actu partiali fugam mali, ſaltem vt poſſibilis de potentia Dei, qua ratione in Chriſto, & beatis illum admittunt. *Alij* explicant hanc fugam mali in dono timoris reſpectu mali præteriti, quod beati euaſerunt, ſed vtrique aberrant à formali obiecto timoris, neque enim timor quomodocumque fugit malum, ſed malum vt imminens, & futurum; de malo enim quod præterijt nemo timet, ſed gaudet: de malo verò quod non eſt futurum nemo timet, quia nulla eſt cauſa timendi, niſi vbi eſt aliqua diſpoſitio vt accidat malum; alioquin timeremus quod cœlum rueret, quia de potentia abſoluta accidere poteſt. *Noſtra ergo concluſio* ſumitur ex *Diu. Thom.* 1. 2. *quæſtion.* 67. *art.* 4. *ad* 2. Vbi dicit, quod timor filialis habet duos actus, ſcilicet, reuereri Deum, & timere malum; & *primo modo*, manet in patria, non ſecundo. *Et* 3. *p. q.* 7. *art.* 6. *ad* 1. inquit. *Quod habitus virtutum, & donorum propriè, & per ſe reſpiciunt bonum, malum autem ex conſequenti; & ideò de ratione doni timoris non eſt illud malum, quod reſpicit timor. ſed eminentia illius boni, ſcilicet diuini, cuius poteſtate aliquod malum infligi poteſt.* Et fundamentum huius videtur radicaliter attigiſſe *D. Th. in* 3. *ad Anibald. diſt.* 34. *q.* 2 *art.* 1. vbi inquit, quod in hoc differt triſtitia à timore, *quod triſtitia reſpicit malum, vt præſens, & conſequenter in ſe ipſo timor autem reſpicit malum, vt futurum, & conſequenter non in ſe, ſed in ſua cauſa.* Vnde infert D. Th. *quod timor non reſpicit malum niſi mediante cauſa à qua poteſt prouenire*, & in cuius virtute eſt futurum, Et hinc eſt, quod timor non ſolum habet puram fugam mali, ſicut triſtitia ſed etiam habere poteſt perfectionem reuerentialem erga bonum, eo quod reſpicit cauſam vnde prouenit malum, & illa ratione talis poteſtatis meretur reuerentiam, & quaſi honorem quemdam. Cum ergo timor eleuatur ad rationem doni neceſſariò debet eleuari ratione illius actus, qui reſpicit ipſam cauſam inflictiuam mali, quæ eſt diuina eminentia; *Tum quia* actus doni, & virtutis debet verſari circa aliquod bonum, & non primò, & per ſe circa fugam mali. *Tum quia* io tantum eleuatur ad rationem doni in quãtum reddit hominẽ bene mobilem à Spiritu Sancto, hoc enim eſt de ratione doni in communi; redditur autem aliquid benè mobile ab aliquo per reſpectum mobilis ad mouentem; ergo ille actus quo timor reſpicit eminentiam diuinam eſt 2

principalis

principalis actus eius vt eleuatur ad rationem doni, quia ſic reſpicit ſuum mouens, vt ab eo ſit bene mobilis,

3 Dico *ſecundo. Actus iſte principalis doni timoris* non reſpicit ſolam rationem boni in diuina eminentia, , ſed etiam in obliquo reſpicit rationem mali, id eſt illam eminentiam, vt potentem infligere malum. Hæc concluſio eſt contra aliquos recentiores, qui volunt ſaluare iſtum actum ſine vllo intuitu mali, & nouiſſimè id defendit *Pater Grenados controuerſia* 2. *ſpe tractat.* 3. *Diſputat.* 1. & pro illa citat *Sanctum Thom*, 2. 2. *quæſtion.* 81 *art.* 2. *ad* 1. *& quæſtion.* 130. *articul.* 2. *ad* 1. *&* 12. *quæſtion.* 67. *articul.* 3. *ad* 5. Vbi ponit pro actu timoris reuereri Deum, reuerentia autem verſatur circa bonum, non circa malum; & in Sacra ſcriptura ſignificatur timor dei ſolum ob excellentiam eius, non autem ratione mali, quod poteſt infligere, vt cum dicitur Ieremiæ 10 *Quis non timebit te, ò Rex gentium, tuum eſt enim decus*: Et cum dicitur Lucæ 1. *Factus eſt timor magnus ſuper omnes vicinos eorum*, qui timor ſolum oriebatur ex diuinæ maieſtatis excellentia operantis tot mirabilia in Natiuitate Baptiſtæ.

4 Et *Ratio vrget.* Quia ſi timor reſpicit aliquod malum in obliquo, vel reſpicit illud vt poſſibile ipſi timenti; vel vt poſſibile alteri; vel nulli: ſi vt poſſibile ipſi timenti, non ſaluatur in Chriſto, nec in beatis, qui ſibi nullum malum timent: ſi vt poſſibile alteri, non reſpicitur à timore, quia timor non variatur circà malum alienum, ſed circa proprium quod fugit, ſicut ſpes verſatur circa bonum proprium; imo ſi ſufficere ad Timorem reſpicere cauſam inflictiuam mali alieni, non eſſet ratio cur vna perſona diuina non poſſet timere aliam, quia reſpicit eminentiam illius, vt inflictiuam mali in creatura: ſi vero reſpicit malum, vt nulli poſſibile, eſt malum impoſſibile, & conſequenter nec malum, nec timendum.

5 Nihilominus *noſtra Concluſio* tenetur *à Caietan.* 3. *part. quæſtione.* 7. *art.* 6. & exiſtimo eſſe omninò de mente *D. Thom.* Nam ibidem dicit quod de ratione doni timoris non eſt illud malum, quod reſpicit Timor, ſed eminentia illius boni cuius poteſtate poteſt infligi malum; & 1. 2. *quæſtione* 42. *artic.* 3. dicit: *Quod Deus timetur ab homine in quantum poteſt infligere pœnam* & in hac *quæſtione* 16. *artic.* 1. inquit. *Quod Deus poteſt eſſe obiectum timoris in quantum ab ipſo, vel per ordinem ad ipſum poteſt nobis aliquod malum imminere.* Semper ergo explicat *Sanctus doctor* iſtam rationem timoris per ordinem ad diuinam eminentiam, connotando aliquid mali, in quantum ſcilicet illa poteſtas non ſolum eſt ad largiendum bonum, ſed etiam ad coercendum, & puniendum malum. *Et fundamentum eſt,* Quia ſi ſolum reſpiceretur diuina eminentia in quantum eſt quædam excellentia boni, & poteſtas ad largiendum bonum, non reſpiceretur à timore diſtincto modo, quam à charitate, vel religione. & ſpe; nam charitas etiam reſpicit diuinam eminentiam ſub ratione excellentiſſimi boni, & ſpes ſub ratione boni ſupremi, quod eſt finis vltimus; & religio exhibet cultum Deo, vt principio creationis, & ſummo benefactori, dicit *D. Thom. in hac quæſt.* 19. *art.* 10. *ad* 3. *Quod timor importat quodammodo ſeparationem per hoc quod non præſumit adæquare ſe Deo, ſed illi ſe ſubijcit, quæ etiam ſeparatio inuenitur in charitate in quantum diligit Deum ſuper ſe, & ſuper omnia.* Igitur reſpicere bonitatem diuinam precisè excellens eſt in ipſa ratione boni, etiam pertinet ad charitatem; vnde niſi timor reſpiciat ipſam eminentiam, vt potentem etiam ad malum non diſtinguitur à charitate, ſpe & Religione. *Et ratio eſt* Quia bonum ſub conceptu boni eſt id quod omnia appetunt, & de ſe eſt allectiuum & tractiuum voluntatis, vnde eminentia, & magnitudo boni, ſi creſcit intra concepum boni, creſcit in conceptu alliciendi & attrahendi, & communiter ex vi talis eminentię ſolum fundat amorem vel honorem, qui debetur amato & benefactori, & amorem quidem reddit charitas, honorem autem Religio: ergo vt reſpiciatur per modum reuerentiæ, & tremoris cuiuſdam non ſufficit, quod illa eminentia boni ſiſtat in conceptu præciſo bonitatis, & poteſtatis benefaciendi, ſed etiam induat rationem poteſtatis terribilis, & communiter vt potens infligere malum, & non ſolum bonum, ſic enim non ſolum proſequitur, & colit Deum, ſed etiam reſilit ab illo ad propriam paruitatem, quod eſt tremere maieſtatem. Si autem ſolum conſideraret Deum vt potentē benefacere, non ab eo reſiliret, ſed illi vniretur cultu, & amore. *Denique confirmatur.* Quia in patria ſolum manet actus timoris, qui eſt reuereri Deum vt inquit *Sanct. Thom.* 1. 2. *quæſt.* 67. *ar.* 4. *ad* 5. & tamen beati reſpiciunt per illum timorem rationem mali, vt poſſibilis naturæ, impoſſibilis autem beatitudini, vt dicit in hac *quæſt* 19. *art.* 11. Ergo exiſtimat *Sanctus Doctor* non purificari actū timoris ab omni connotatione effectus mali

Ad *ea vero quæ pro ſententia oppoſita addu-* 6
cuntur reſpondetur. Ad loca *D. Thom.* dicitur quod in illis *Sanct. Doctor* ſolum affirmat, quod reuereri eſt actus timoris, non vero negat, quod in iſto actu reſpiciatur bonum cum aliqua connotatione mali, quod poteſt infligere ſaltem in obliquo; quod in alijs locis nuper citatis apertè explicant. *Ad loca Sacræ Scripturæ reſpondetur*, quod in loco *Ieremiæ* 10 Si illud verbum, *Decus*, ſumatur pro pulchritudine, non aſſignatur tanquam cauſa timoris, ſed fortitudo de qua antea loquutus fuerat dicens: *Magnum nomen tuum in fortitudine, quis non timebit te?* Quando autem ſubdit. *Tuum eſt enim decus*, ſecundum expoſitionem *D. Thom.* ſuper hunc locū, tranſit ad oſtendendam ſcientiam ſingularem, quæ eſt in Deo, non vero reddit cauſalem quare timeatur Deus. At verò ſecundum interpretationem *Hieronymi* ſuper eundem locum nomine *Decoris* intelligitur veritas, *quia in mendacio* ait (Hieronymus) *ſemper eſt turpido*; Hæc autem eſt maxima cauſa timendi Deum ſcilicet propter decorem veritatis, quo induitur ad iudicandum quia non eſt locus ſubterfugij, vbi ipſa veritate fit iudicium. Quando verò dicitur Lucæ 1. *Quod factus eſt timor magnus*; vel accipit *timorem* pro admiratione, quam omnes conceperunt in Natiuitate Baptiſtæ; vel accipiendo *timorem* propriè pro ipſa reuerentia erga poteſtatem diuinam, illa reſpicitur vt potens infligere malum, quia ex nouitate miraculi æſtimatur ipſum poſſe immutare totam naturam, & cætera nouitare.

Ad

Ad *Rationem Reſpondetur*. Quod ab motum reuerentialem, qui reſpicit perſonam vt potentem infligere malum, non requiritur quod reſpiciat illud malum vt imminens ſibi, ſicut requiritur ad actum fugæ, qui eſt diſtinctus habitus ab actu reuerentiæ, & ſolum reſpicit ipſum malum, non perſonam; ad hoc autem vt ego fugiam malum requiritur, quod exiſtimem illud vt malum mihi: ad motum autem reuerentialem erga perſonam ſolum debent concurrere duæ conditiones. *Prima*, Quod illa perſona reſpiciatur, vt ſuperior mihi, & vt perſona eminens, ex cuius defectu vna perſona diuina non timet aliam, quia non reſpicit illam, vt ſuperiorem ſibi, ſed vt æqualem. Chriſtus tamen in natura aſſumpta, etiam reſpicit deum, vt ſuperiorem in natura diuina. *Secunda conditio eſt*, Quod poteſtas illius perſonæ conſideretur, non ſolum vt potens benefacere, ſed etiam inferre malum cuicumque inferiori abſolutè, ſine hoc quod determinem quod mihi, vel alteri, in hoc, vel illo ſtatu inferat malum, vt benè notat *Caietan. 3. part. quæſtione 7. artic. 6.* in fine commentarij. *Itaque* ad actum timoris, qui eſt fuga ipſius mali non ſufficit reſpicere malum abſolutè, vel quocumque modo poſſibile, ſed vt imminens; alioquin ſine cauſa fugerem, ſi non inſtat à quo fugiam, ad actum autem timoris, qui eſt reuerentia perſonæ, non requiritur quod reſpiciatur malum imminens, ſed perſona eminens & potens cuicumque inferiori abſolutè inferre malum, per hunc enim actum potentiam reueremur, non inſtantiam mali fugimus.

8 Dico *tertio*. Actus fugæ reſpectu mali etiam eſt actus doni Timoris ſecundarius, licet non ſemper, neque in omni ſtatu illi conueniat. Hæc concluſio paſſim aſſeritur *à D. Thom. in hac quæſtione* 19. attribuendo timori filiali fugam mali id eſt, offenſæ diuinæ; & ſpecialiter videri poteſt in *art. 12. huius quæſtionis*, vbi explicat hunc actum fugæ conuenire dono timoris, *& in 1. 2. quæſtione 67. art. 4. ad 2.* diſtinguit duos actus in timore filiali, ſcilicet revereri Deum; & quantum ad hoc manet in Patria: & timere ſeparationem ab illo; & quantum ad hoc in patria non manet. *Et ratio eſt*. Quia timor filialis ſic reueretur patrem, quod euitat offenſam, & ſeparationem ab illo, quæ ſine dubio poſſibilis eſt, & imminens in hac vita, ſicut Timor ſeruilis fugit pœnam: ergo pertinet ad Timorem filiam reſpicere offenſam, vt malum fugiendum, & conſequenter ſub dono timoris continetur iſte actus fugæ: in patria autem tale malum non eſt amplius imminens, & poſſibile, & conſequenter non eſt ibi actus fugæ efficax, ſed ibi implebitur quod dicitur prouerb. 1. *Qui me audierit abſque terrore quieſcet, & abundantia perfruetur, timore malorum ſublato.*

9 Sed *eſt Difficultas*, Quia iſte actus fugæ eſt ſimplex receſſus à termino à quo, id eſt, à culpa; hic autem elicitur à charitate, vt diximus *articulo præcedenti*, & conſtat *ex D. Thom.* : 8. *de veritat. art. 4. ad 3. quod timor filialis, qui timet ſeparationem virtute includitur in motu amoris.* Ergo non poteſt eſſe elicitus à dono timoris, quia ſic procederet à duplici principio ſpecie diſtincto. *Secundo eſt difficultas*, Quia timor filialis, & ſeruilis eliciuntur ab eodem habitu ſecundum ſubſtantiam, vt dicit *Sanctus Thom. in 3. ad Anibald. diſt. 34. quæſt. 1. art. 1.* ergo iſte actus fugæ non diſtinguetur à fuga timoris ſeruilis, & conſequenter non poteſt dici, quod ſecundum diuerſas rationes pertinent ad diuerſas ſpecies, cum procedant ab eodem habitu ſecundum ſubſtantiam. *Tertiò denique obiicitur difficilius. Quia D. Thom. in hac quæſtione 19. art. 9. ad 2. & 3.* ponit hunc actum fugiendi tanquam actum principalem doni timoris, ergo falsò dicimus, eſſe ſecundarium. Antecedens conſtat ex verbis *D. Thom* dicentis ad 2. *quod proprium & principale obiectum Timoris eſt malum quod quis refugit*, & ad ſolut. ad 3. *quod timor principaliter reſpicit malum cuius fugam imperat.*

Nec *dici poteſt*, Quod D. Thom. loquitur de actu ſecundario ad quem actum principaliter pertinet reſpicere malum, quod fugit. Nam ſi ita eſt, non ſoluit *Diu. Thom.* difficultatem. Reſpondet enim argumento probanti quod donum timoris ſit virtus theologica, quia immediatè reſpicit Deum: negat autem, quod ſit Virtus theologica, quia principale obiectum, quod reſpicit eſt malum, quod fugit; ergo ſi ſolum loquitur de actu ſecundario non ſoluit difficultatem, quia reſtat reſpondere argumento, quomodo ratione actus primarij non ſit Virtus theologica, quia per illum non reſpicit malum, ſed reſpicit Deum. non eſt autem contrà rationem virtutis theologicæ habere pro actu ſecundario fugam mali, ſicut charitas ſecundario elicit actum odij peccati.

Ad *Primam Difficultatem Reſpondetur*, quod fuga mali pertinet ad diuerſa principia, ſecundum quod pertinet ad diuerſa motiua; ſicut etiam Gaudium aliter conſequitur ad Charitatē, aliter ad ſpem, vt dicit *S. Th. 2. 2. q. 28. ar. 1. ad 3.* Cùm ergo fuga mali de ſe non habeat motiuum conſtitutiuum habitus, niſi ratione proſecution è boni ad ſequitur, inde eſt, quod timor ſecundum rationem fugæ poteſt eſſe actus, ſecūdarius diuerſorum habituum ſecundum quod conſequitur ad diuerſa motiua. Et ſic eſt à charitate, ſecundum quod timet peccatum, vt eſt malum oppoſitum amicitiæ dei: & eſt actus conſequens ad donum timoris, ſecundum quod eſt malum oppoſitum diuinæ reuerentiæ, qua timetur poteſtas dei, licet hoc totum originatiuè, & imperatiuè oriatur à charitate, & ratione huius dicitur timor filialis virtute includi in motu amoris, licet mediante diſtincto habitu, vt expreſſit *Sanct. Th in hac q. 19. art. 9. ad 3.* 10

Ad *Secundam difficultatem reſpondetur*, *quod D. Tom. in illo loco cit. ad Anibaldum*, non dixit, quod timor ſeruilis elicitiuè eſt ab habitu doni timoris, ſed dixit, *Quod eſt vnus habitus ſecundum ſubſtantiam*, quod debet intelligi, vel ſecundum ſubſtantiam genericam, non ſpecificam; vel quod eſt vnus imperatiuè, & coordinatiuè; non ſimpliciter. Donum enim timoris format, & imperat timorem ſeruilem excluſa imperfectione ſeruilitatis, & hoc conuincitur ex verbis immediatis. Dicit enim, *Quod eſt vnus habitus ſecundum ſubſtantiam, ſed vnus perfectus ſcilicet filialis, alter imperfectus, ſcilicet ſeruilis.* Supponit ergo duos habitus eſſe, & ita eodem loco *art. 2. ſequentis* dicit: *Quod aduemento Charitate non tollitur ſubſtantia habitus timoris, ſed formatur tum prius eſſet informis.* Manet ergo ſine charitate ille habitus, & conſequenter non eſt aliquid ex ſeptem donis Spiritus ſancti, vt etiam expreſ- 11

ſit

tè dicit in hac *quæſt.19.art.9.* Quia dona non manent ſine charitate; eſt tamen ille timor à Spiritu ſancto, ſicut etiam Fides, & Spes, & hac ratione vocatur aliquando *Donum* largo modo vt in *q.14 de veris.art.7.ad 2.*

52 Ad *tertium reſpondetur.* Illam ſolutionem à Nonnullis aſſignari, quæ tamen mihi nunquam ſatisfacere potuit ob Replicam factam; & ideo facilius videtur mihi dicendum, Quod quando *D. Thom.* dicit, quod timor principaliter reſpicit malum quod refugit, intelligitur, quod principaliter reſpicit malum in ſua cauſa, & ideo refugit reſiliendo in propriam paruitatem, non directè fugiendo malum in ſe, ſed reuerendo cauſam mali, vnde ſolum in connotato, & in obliquo reſpicit malum; per actum autem ſecundarium, qui eſt directè, & propriè fuga, reſpicit directe illud malum in ſe, quod per priorem actũ reſpiciebat in connotato; & hoc ſufficit vt timor non ſit virtus theologica, etiam ratione actus primarij, eo quod virtus ita reſpicit bonum in conceptu, & linea bonitatis, quod nullu modo reſilit ab illo, ſed purè proſequitur illud; donum autem timoris etiam in ſuo actu primario ita reſpicit bonum, quod reſpicit illud, vt cauſa, & poteſtas mali, & ſic non purè proſequitur illud bonum, ſed reſilit ab illo.

Si *autem Inquiras*, Vtrùm donum Timoris
53 hac ſolum ratione differat à virtutibus theologicis, quia reſpiciendo immediatè Deum, non purè reſpicit in ratione boni proſecuti, ſed reuertiti? *Reſpondetur*, Quod etiam differt à virtutibus theologicis ex parte materiæ proximæ, circa quá verſatur, quæ eſt aliquid creatum, ſcilicet, ſubiectionem ſui ad Deum, per modum reuerentiæ: cum enim dona Spiritus ſancti ad hoc dentur, vt reddant hominem benè mobilem ab ipſo Spiritu ſancto, impoſſibile eſt quod materia proxima eorum ſit ipſe Deus, ſed aliquid mobile à Deo, ſpecialiter in dono timoris redditur ipſe homo mobilis paruificando ſe in conſpectu tantæ maieſtatis. Quod *D. Thom.* explicat *hic q.19 art.10. ad 3.* dum inquit: *Quod timor filialis non importat ſeparationem a Deo; ſed magis ſubiectionem ad ipſum; ſed ſeparationem quodammodo importat, per hoc quod non præſumit ſe ei adæquare, ſed ei ſe ſubijcit.* Ecce quomodo materia proxima actus reuerentialis eſt ſubiectio ſui ad Deum facta per modum ſeparationis, non præſumentis ſe adæquare Deo, ſed parui facientis ſe in conſpectu eius. Et in hoc diſtinguitur à Religione, quæ etiam ſubijcit ſe Deo per cultum, nam Religio per modum obſeruantiæ facit hanc ſubiectionem dum ſe, & bona ſua exhibet Deo in recognitionem primi principij, quaſi tributum illi deferens vt ſupremo Domino Timor autem non facit ſubiectionem ſub motiuo obſeruantiæ, vt quaſi cultus, & tributi oblati Deo, ſed ex conſideratione maieſtatis diuinæ, vt terribilis, ſubiicit ſe illi parui faciendo ſe, & quaſi nihil reputando in comparatione maieſtatis, vnde procedit oppoſita ratione quam religio, quia hæc offerendo cultum; timor euacuando propriam magnificationem.

Dico *vltimo.* Actus paupertatis Spiritus, &
54 & actus Beatitudinis luctus ſunt ſecundarij in dono timoris, pertinentque ad voluntatem, licèt effectus ſuos habeant in appetitu iraſcibili, vt à voluntate mouentur. Hæc concluſio elicitur ex *D. Thom hic q.19.art.12.in corpore, & ad ſecundum:* & infra *q.145.art.1.ad 3.* Pro cuius explicatione eſt ſupponendum, quòd donum timoris licet habeat tam amplam, diffuſam extenſionem ſicut explicauimus, eſt tamen infimum inter omnia dona Spiritus ſancti, vt ex *Auguſtino docet D. Thom.1.2.quæſt.68.art.7.ad 1.& 2.2.quæſt.121.art.2.* Cuius ratio eſt, Quia timor eſt quaſi primordium quoddam inter dona Spiritus ſancti, Quia *initium Sapientiæ eſt timor Domini,* & de ſe parat viam ad timorem, in quo eſt vinculum perfectionis; quare timor habet ſe quaſi diſpoſitio in ratione motionis Spiritus ſancti, quatenùs diſponit cor purgando, & euellendo quæcumque impedimenta ad coniunctionem cum Spiritu ſancto, & in ratione tollendi impedimenta habet quandam vniuerſalitatem ſuper omnem materiam actuum humanorum, non quaſi perficiendo, ſed quaſi diſponendo, & vocatur his actus *Paupertas ſpiritus,* quia euacuat, & quaſi depauperat Spiritum ab omni eo, quod putabatur magnificum, ſiue in ſe ipſo, ſiue in exterioribus bonis, vt inquit *D. Thom. hic quæſt.19.art.12.* eo quòd eſt quaſi Spiritus, & impulſus quidam deſcendens à conſideratione ſummæ maieſtatis vt terribilis, in cuius cõparatione omnia ſunt quaſi nihil iuxta illud Eſai. 40. *Omnes gentes quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo, & quaſi nihilum, & inane reputata ſunt ei.* Vnde ex tali impulſu, & inſtinctu Spiritus ſancti omne quod in oculis hominum videtur magnum, ſiue in ſe, ſiue extra ſe, manet quaſi nihil, & ſic dicitur depauperari Spiritus, ita vt *non apponat vltra homo magnificare ſe ſuper terram.* Pſalm.10. Hæc autem eſt maxima diſpoſitio vt Spiritus ſic euacuatus ab omni magnitudine creata ſolum tendat ad magnitudinem diuinam.

Similiter *pertinet ad timorem* alienare volun- 55
tatem ab omni delectatione creaturæ. Tùm, ex magnitudine diuinæ maieſtatis; Tùm, ex paruitate omnis creaturæ, quæ delectationem cauſare poteſt. Ex magnitudine quidem diuinæ maieſtatis, quatenùs ſpecialitèr eſt deſtructiua omnis celſitudinis, & pulchritudinis creatæ, vnde delectatio nociua cauſari poteſt iuxta illud Iſai. 2. *Dies Domini ſuper omnem excelſum, & ſuperbum, & ſuper omnes cedros Libani ſublimes, & erectas, & ſuper omnes naues tharſis, & ſuper omne quod viſu pulchrum eſt;* & Tremor. 2. *Firmauit dexteram ſuam quaſi hoſtis, & occidit omne quod pulchrum erat viſu.* Omnem ergo externum pulchritudinem, ad quam pertinet concupiſcentia oculorum, diuina terribilitas diſſoluit. Ex paruitate autem creaturæ conſideratur tanquam inſipidum omne quod perit, & tranſit, quia vt dicitur Sapient. 5. *Et tanquam lanugo, quæ à vento tollitur, & tanquam ſpuma gracilis, quæ à procella diſpergitur, & tanquam fumus qui à vento diffuſus eſt.* Ex quo fit quod talis conſideratio creaturarum in ordine ad magnitudinem diuinam, potiùs prouocat ad luctum, quam ad lætitiam; præſertim cum in ſe tantam relinquat amaritudinem, iuxta illud Iob 20. *Cùm dulce fuerit in ore eius malum, abſcondet illud ſub lingua ſua; panis eius in vtero illius vertetur in fel aſpidum intrinſecus, caput aſpidum ſuget, & occidet eum lingua viperæ.* quæ amaritudo maximè cognoſcitur in ipſo puncto ſeparationis animæ, iuxta quod ibidem ſubditur. *Eductus, & egrediens de vagina ſua* (id eſt, anima à corpore) *& fulgurans in amaritudine ſua vadent, &*

venient

venient ſuper eum horribiles : omnes tenebræ abſcondita ſunt in occultis eius deuorauit eum ignis qui non ſuccenditur. Hæc ergo eſt ratio quare iſte actus, qui ita reſpicit delectabilia ſenſus vocatur *beatitudo luctus*, quia conſiderat creaturas vt auertentes à Deo. & cauſentes amaritudinem, quæ eſt digna luctu, ideòque talis actus correſpondet duplici dono, ſcilicet dono ſcientiæ tanquam dirigenti, vt dicit *D. Thom. ſup. quæſt. 9. art. 4.* & dono timoris tanquam exequenti, vt dicit hic *art. 12. ad 2.*

15 Quod verò ſint actus ſecundarij paupertas ſpiritus, & beatitudo luctus in dono timoris docet *Diu. Thom. loco cit.* Quia ex hoc quod aliquis perfectè timet Deum, conſequens eſt quod non quærat magnificari in ſe ipſo; eſt ergo iſte actus conſequens alium priorem actum, quo reueremur ipſam diuinam maieſtatem; inde enim accipitur motiuum ad reprimendum paſſiones illas magnificationis, & iactantiæ, & impletur illud Pſal. 96. *Montes ſicut cera fluxerunt à facie Domini*, eo quòd prius timetur eminentia maieſtatis, deinde altitudo creata diſſoluitur. Sed tamen inter hos actus ſecundarios directius pertinet ad timorem *paupertas ſpiritus*, quam *beatitudo luctus*, eo quòd (vt inquit *D. Thomas*) delectatio non ita habet rationem ardui, ſicut magnificatio: ad timorem autem directius pertinet deſtruere arduum, & humiliare illud, & parcificare, eo quòd procedit à comparatione diuinæ maieſtatis, reſpectu cuius omnia ſunt parua. Quod verò ſint actus voluntatis patet, *tùm quia* dona Spiritus Sancti non ſunt in appetitu ſenſitiuo, ſed in rationali, quia immediatè rationalis mens mouetur à Spiritu Sancto, licèt mediatè moueat inferiorem appetitum; *tùm quia* excellentia, & magnificatio propria magis radicatur in parte rationali, quæ eſt ſuperioris naturæ, & ideò difficiliùs vincitur, & obſcuriùs perpenditur, cùm exiſtiment ſe magnos in ſpiritualibus, & ſecundum voluntatem rationalem, nec tamen ſpiritum proprium exinanitum, & depauperatum, ſed tumidum habeant, & ideò magis reſiſtentem diuinæ motioni in occulto.

16 Ex dictis denique colligitur. Quomodo timor maneat in beatis fuerit in Chriſto; nam quoad illos duos actus, ſcilicet, *revereri, & fugere malum imminens*, hic ſecundus non poteſt in illis reperiri efficaciter, quia nullum malum eis imminent ratione ſtatus; & in Chriſto etiam ratione perſonæ quoad malum culpæ; inefficaciter tamen, & quaſi ſub conditione ſi eſſent in ſtatu capaci, non repugnat haberi hunc actum. Primum autem actum, ſcilicet reueri Deum perfectiſſimè habent, quatenùs conſiderant diuinam poteſtatem vt inflictiuam mali, quod abſolutè poſſibile eſt, nam etiam Chriſto ex parte naturæ aſſumptæ poſſibilis eſt anihilatio, ſicut poſſibilis fuit mors quam de facto timuit; & ad iſtum timorem reuerentialem non magis confert poſſibilitas, & imminentia mali, ſed appreciatio poteſtatis inflictiuæ illius, & hæc appreciatio creſcit in Chriſto & in beatis licèt poſſibilitas mali decreſcat, vt optimè vidit *Caietan. hic quæſt. 19. art. 10.* oſtendens quomodo timor filialis creſcat creſcente charitate, quia creſcit appreciatio Dei, licet malum reddatur minus poſſibile quantò magis eſt in charitate.

DISPVTATIO XIII.

De Deſperatione.

ARTICVLVS VNICVS

Vtrùm facta alicui reuelatione abſoluta de ſua condemnatione poſſit, & teneatur ſperare?

IN *admittendo caſum* hærent Aliqui 1 æſtimantes non poſſe alicui reuelari ſuam damnationem abſolutè. Et pro hac parte citari ſolet *D. Bonauent. in 1. diſt. 48. dub. circa litt. Antiſiodorenſis, Alenſis, &* & alij quos citat *P. Suarez diſp. 2. de ſpe ſect. 2. n. 6.* Ratio eſt. Quia Deus non poteſt cogere ad deſperationem; tunc autem poſito illo caſu cogeretur homo deſperare, quia æque impoſſibilis repræſentatur ſibi beatitudo, facta illa reuelatione, quam executa damnatione; executa autem damnatione cogitur homo deſperare. *Item, quia* ſequuntur expoſitione huius caſus manifeſtæ implicationes. Nam teneretur homo conformari voluntati diuinæ quia abſolutè eſt ſibi cognita; & ex alia parte non teneretur conformari, quia ſi conformaretur vellet ſuam damnationem, quod nullo modo licet. *Similiter* teneretur adhuc ſperare, quia teneretur benè operari, & non peccare, atque adeò ſperare debet auxilium diuinum; ſine quo benè operari non poteſt: & ex alia parte non teneretur ſperare, quia eſt redditum ſibi impoſſibile primarium obiectum ſpei, quod eſt aſſecutio beatitudinis; communiter manet deſtructa ſpes Theologica. *Et præſertim vrget ille caſus.* Si Deus reuelaret alicui eſſe condemnandum propter peccatum deſperationis, tunc enim non teneretur ſperare beatitudinem, quia cognoſcit ſibi non eſſe futuram, atque adeò amittit rationem obiecti ſperabilis, & teneretur ſperare beatitudinem, quia ſi non teneretur non obligaretur ſperare, atque adeò non peccaret deſperando, & communiter non condemnaretur propter peccatum deſperationis; eſt ergo caſus implicatorius. 2

Nihilominus communis ſententia admitti caſum iſtum vt poſſibilem, & expreſſe id docet *Diu. Thomas quæſtion. 20. de veritate art. 8 ad 2.* Non quidem de potentia ordinaria, ſed de abſoluta, licet propter rationes factas illum caſum dixerit eſſe quaſi impoſſibilem in *1. diſt. 48. quæſt. 1. art. 4. ad 2.* Quia ſcilicet communiter, & de potentia ordinaria poſſibilis non eſt. *Ratio autem eſt.* Quia nulla eſt repugnantia, neque impedimentum, quod Deus manifeſtet alicui ſua authoritate id quod ipſe cognoſcit; cognoſcit autem Deus abſolutam reprobationem aliquorũ; ergo poteſt eam illis manifeſtare. *Et confirmatur.* Quia poteſt Deus manifeſtare mihi reprobationem alterius abſolutam; ergo & propriam. *Conſequentia patet.* Quia ſi poteſt illam reuelare. Iteri, ergo & toti Eccleſiæ, & quaſi publicam facere; tunc autẽ reuelata maneret mihi, quia publicè

eſt reuelata Eccleſiæ, per quam mihi proponitur tanquam omnino certa, & de fide. *Antecedens autem certiſſimum eſt*, nam animæ Chriſti reuelatæ ſunt condemnationes omnium reproborum, quorum ipſe eſt Iudex ergo poteſt Deus reuelare vni abſolutam reprobationem alterius, ſicut de facto Eccleſiæ reuelata eſt reprobatio Antichriſti.

3 Nec argumenta allata probant implicationem; nam ad primum reſpondetur. Quod talis reuelatio neminem cogit deſperare, aut blaſphemare deſperatione quæ ſit peccatum; manet enim homo liber ad ſuſpendēdū ſuos actus, & ita pro libertate ſua prorumpet in actum deſperationis cum poſſit in alud obiectum diuertere; alioqui cogeret Deus damnatos blaſphemare, quia reuelat eis damnationem ſuam ipſa executione.

4 Ad ſecundum reſpondetur. Quod in illo caſu non teneretur homo velle damnationem ſuam abſolutè, id eſt, prout damnatio includit non ſolum punitionem Dei, ſed etiam cauſam punitionis ex parte noſtra, ſcilicet obdurationem in peccato; teneretur tamen conformari ordini diuinæ iuſtitiæ in tali damnatione, *D. Thom* dicit locis citatis Quomodo autem teneretur ſperare, vel poſſet deſperare etiam in illo ſingulari caſu, qui proponitur? Deinceps inquirendum eſt.

5 Admiſſa ergo ſuppoſitione huius caſus, tota difficultas ad hoc reducitur, an maneat poſſibile, & futurum ſufficienter obiectum ſpei in illo caſu? Neque exiſtimo diſtinguendum in præſenti eſſe de obligatione ſperandi, & poſſibilitate; quia ſi ſpes manet poſſibilis, ſine dubio obligatio ſperandi manebit, nam ſi obligatio ceſſat, vel eſt ex diſpenſatione legiſlatoris ſuper hoc præcepto, vel ex ſubſtractione materiæ, quia reddita eſt impoſſibilis; neque enim obligatio ceſſare poteſt, niſi vno ex his duobus modis; cùm ergo facta illa reuelatione Deus non diſpenſat, nec tollat aliquod præceptum, ſi obligatio non remanet, debet eſſe ex altero principio ſcilicet, quia deficit materia pręcepti. & ideò naturaliter ceſſat, non diſpenſatiuè. Deficit autem materia præcepti ſolum ex impoſſibilitate, nam ſi adhuc manet poſſibilis actus ſperandi, manet ſufficiens materia obligationis, & pręcepti; obligamur enim ſimpliciter ſperare à Deo beatitudinem; ergo tenemur huic præcepto quandiu poſſibilis eſt eius impletio; ergo à cōtrario ſenſu, ſi naturaliter ceſſat obligatio, ideò eſt quia impoſſibilis eſt completio præcepti per actum ſperandi.

6 In *hoc puncto* licet apud veteres pauca de hac quæſtione inueniantur, inter recentiores tamen duæ ſunt principales ſententiæ extremæ, inter quas non deſunt aliqui, qui conciliare volunt vtramque, & partem vnius ſequi, & partem alterius. Prima ſententia abſolutè docet in illo caſu, adhuc poſſe hominem ſperare, quia exiſtimat ſufficere ad ſpem, quod obiectum quantum eſt ex ſe ſit poſſibile, & in virtute aliquarū cauſarum, vel mediorum, licet ex parte euentua de facto futurum non ſit. Hęc ſententia tribui ſolet *victoria*, & eam dicitur indicare *Ariminenſis*, quos non vidi Ex recentioribus autem abſolutè illam ſequitur *Pater Grenados controuerſ. 2. de ſpe tract. 1. diſput. 4.* Secunda verò ſententia docet talem actum ſperandi eſſe impoſſibilem, nec teneri hominem ad ſperandum facta illa reuelatione. Quæ ſententia eſt communior inter recentiores, & illam docent *Magiſter Bañez 2. 2. quæſt. art. 1. dub. 3. Pater Suarez diſp. 2. de ſpe ſect. 2. n. 7. Pater Torres 2. 2. quæſt. 22. art. 1. dub 2.* Quia exiſtimant eneruari, & tolli omnem efficaciam voluntatis circa obiectum aliquod aſſequendum, hoc ipſo quod ineuitabiliter conſtat non euenturum. Inter has ſentētias *Pater Lorca in præſenti quæſt. 12. art. 1. diſp. 18.* dicit in illo caſu beatitudinem aliquo modo ſperari, & aliquo modo non, ſperatur enim vt poſſibilis, & futura noſtris actibus, & auxilio Dei parato deſperatur vt futura abſolutè propter præuiſum euentum; & circa beatitudinem ſperatur aliquid, ſcilicet ſufficientia auxilij, & deſperatur aliquid, ſcilicet efficacia: neque repugnat hos effectus ſimul eſſe namquam vis videantur contrarij, reuera non ſunt: ſunt enim de eodem obiecto, ſed diuerſa ratione, & ſub diuerſa apprehenſione. Eādem quoque ſententiam temperant *Magiſter Bañez, & Pater Suarez* citati dicentes, quod in prędicto caſu licet nō poſſit homo ſperare beatitudinem, poteſt tamen ſperare diuinum auxilium ad ſeruanda præcepta, & vitanda peccata: an vero per ſpem theologicam tunc ſperari poſſit illud auxilium, an per illud genus ſpei, prædicti authores non explicant, quod tamen difficultate non caret.

Pro huius tamen difficultatis explicatione ſuppone dupliciter poſſe hanc reuelationem abſolutam fieri. Primò, ita quod ſolum Deus reuelet condemnationem, nullo tamen modo cauſam in particulari, ſeu peccatum propter quod fiet: Secundò, ita quod etiam reuelet determinatè & in ſingulari cauſam condemnationis, & peccatum, propter quod aliquis damnabitur, ſiue illud ſit peccatum deſperationis, de quo eſt peculiaris difficultas, ſiue quodlibet aliud. 7

Dico *ergo primò*. Facta illa reuelatione abſoluta primo modo, talis homo nullo modo poteſt ſperare ſpe theologica beatitudinem, poterit tamen illam deſiderare, & concupiſcere, & ita poterit ſperare ea, quæ ſunt neceſſaria ad euitanda peccata, & implenda præcepta, non tamen per ſpem theologicam. Hæc concluſio eſt conformior *D. Th. loco citato ex quæſt. 23. de veritate.* vbi reſoluit, Quod in illo caſu tenebitur homo velle damnationē ſuam, non abſolutè, ſed quantum ad ordinem, diuinæ iuſtitiæ, huic autem voluntati non cōpatitur ſperare aſſecutionē beatitudinis à Deo, quæ coniuncta eſt neceſſariò cū euaſione damnationis. *Fundamentū huius concluſionis eſt.* Quia ſpes intrinſecè, & eſſentialiter importat motum efficacem voluntatis erga aſſecutionem finis & euaſionem damnationis, efficax autem volūtas in hoc diſtinguitur ab inefficaci, quod efficax reſpicit obiectum, non ſolum ſecundum ſe, & quantū ad bonitatem quaſi in abſtracto, ſed ſecundū abſolutā eius exiſtentiam vt in re ponendā, ergo oportet quod iudicium à quo prudentialiter mouetur iſta volūtas, non ſolum apprehendat bonitatē obiecti, ſed etiam exiſtentiam & aſſecutionē eius, vt practicabilē, & ponibilē in re: ſed ſtante illa reuelatione abſoluta, & iudicio ineuitabili de damnatione non poteſt formari probabile iudicium de euaſione talis damnationis vt futura, quia tunc eſſent duo contradictoria iudicia in intellectu; ergo non poteſt voluntas elicere actū efficacis tēdentis in 8

tale

tale obiectum, atque adeò neque actum ſpei theologicæ.

9 *Dices*: Licèt intellectus non poſſit formare iudicium de futuritione illius euentus in ſe ipſo, poteſt tamen formare in ſua cauſa, quatenùs ex parte actuum bonorum, quos homo facit, & auxiliorum, quæ ſibi dantur à Deo ad implenda præcepta poſſibilis eſt talis euentus, & futurus quantum eſt ex vi mediorum, & hoc dictamen futuritionis ſufficiet ad efficacem voluntatem. *Sed contra inſtatur dupliciter.* Primò. Quia iſta media non habent vim perducendi de facto ad aſſecutionem beatitudinis ſecundum ſe ſolum, ſed in virtute diuinæ voluntatis continuantis illa vſque ad finem: ergo ſublata iſta continuatione ad diuinam voluntatem ex vi talium mediorum non formatur iudicium de futura aſſecutione etiam prout in tali cauſa, quia in ordine ad hunc effectum, vt in reponendum, illa media omninò iudicantur eneruata, & euacuata; ergo neque in ſe, neque in medijs iudicatur illa aſſecutio vt futura. *Secundo inſtatur.* Quia prius quam eligantur media à voluntate præcedit efficax intentio finis, & communiter iudicium de aſſecutione illius, in qua intentione conſiſtit ſpes; ergo ſi ante iſtam intentionem ex vi illius reuelationis iudicatur damnatio vt ineuitabilis, quando poſteà procedit ad media, implicat quod tale iudicium deſtruatur, niſi in ipſis medijs apprehendat aliquam vim, quæ poſſit illam ineuitabilitatem conceptam ſuperare; ſed nullum poteſt offerri medium, quod vincat illud ineuitabile decretum Dei quantumcumque ſit medium ordinatum ad conſecutionem finis; ergo neque in medijs, neque ante media in ipſa apprehenſione finis ſecundum ſe datur probabile iudicium de futura euaſione damnationis, & conſecutione beatitudinis.

10 Aliter ergo Reſpondet *Pater Granados vbi ſupra.* Et videtur ad duo capita reduci eius Doctrina. *Primò.* Quod obiectum ſpei, & cuiuſcumque intentionis efficacis ſolum eſt bonum poſſibile, non autem futurum in re. Quod probat, Quia Reprobi poſſunt intendere, & ſperare beatitudinem, licèt illa non ſit futura in re, ſed ſolum poſſibilis. *Secundo* docet. Quod licet non poſſit aliquis habere actum perfectè efficacem contra id quod abſolute cognoſcit Deum velle, poteſt tamen habere actum efficacem abſolutè, & quantum ad ſubſtantiam, ita vt ex vi illius conetur homo in oppoſitum; qua ratione in Chriſto Domino poni ſolet voluntas efficax circa aliqua obiecta, quæ materialiter erant contraria decreto efficaci Dei, ſicut quando *voluit latere, & non potuit*, cum tamen ipſe ſciret quod de facto non erat latitaturus. Quo teſtimonio vtitur *Agatho Papa* ad probandum in Chriſto fuiſſe duas voluntates. Et ſimiliter ſi alicui reuelaret Deus abſolutè futuram mortem patris, adhuc poſſet adhibere omnia remedia vt ſanaretur, quod vtique eſſet conari ad vincendam mortem, qui conatus non poſſet oriri niſi ex aliqua efficaci voluntate: ergo etiam in caſu Reuelationis poſitæ poſſet aliquis efficaciter velle beatitudinem quantum ad hoc, quod eſt conari per bona opera in illam, licet efficacia non eſſet ita perfecta, quod tenderet in aſſecutionem abſolutè ex parte euentus. Quare efficax intentio ſaluatur in voluntate ordinata ad futurum ex parte conatus, non tamen euentus vt in re futuri, vel apprehenſi vt futurum.

Cæterùm *Prima ſolutio* omninò falſa eſt, & contra ipſam definitionem ſpei communiter à theologis acceptatam, & traditam à *D. Thom.* 1. 2. *quæſt.* 40. *art.* 1. Quod ſpes eſt circa bonum arduum poſsibile futurum. Et in eo quod affirmat de reprobis manifeſtè petitur principium, vel non pertinet ad rem; nam ſi Reprobi ſciunt ſe abſolutè eſſe reprobos, reſtat probandum quod poſſint ſperare, & de hoc eſt præſens difficultas. Si non ſciunt ſe eſſe reprobos, ſperant quidem, ſed non quatenùs reprobi, ſed quatenus viatores, quibus generaliter propoſita eſt aſſecutio beatitudinis, vt practicè poſſibilis, & futura reſpectu ſtatus, licèt in re non ſit futura ipſi perſonæ, de quo tamen non format iudicium, nec dictamen. Et ita quando dicimus, quod obiectum ſpei eſt *poſſibile futurum*, non intelligimus *futurum in re*, & ex parte euentus, ſed ſecundum practicum, & prudentiale dictamen, ad quod nõ ſufficit rem aliquam eſſe poſſibilem quaſi phyſice, & ſpeculatiuè, ſed practice, & moraliter; alioquin poſſem ego ſperare mihi Incarnationem, & damnari in inferno beatitudinem, quia ſpeculatiuè de potentia abſoluta vtrumque eſt poſſibile. Sicut ergo ad fugam timoris non ſufficit malum abſolutè poſſibile, ſed vt imminens; & hoc dicitur malum futurum non futuritione euentus in re, ſed futuritione practicæ poſſibilitatis in illa imminentia; ſic proſecutio ſpei tendit in bonum non vt poſſibile abſolutè, ſed vt practicè poſſibile, & aſſequibile, & hoc vocatur *futurum.* 11

Ex quo etiam impugnatur ſecunda Solutio. 12 Quia illa efficacia imperfecta cum aliquo conatu ad aſſequendum id quod eſt impoſſibile, eſt efficacia deſiderij, & voluntatis inefficacis ſimpliciter, & ſolum efficacis ſecundum quid, quæ nullo modo ſufficit ad motum ſpei, & ad efficaciam intentionis. *Cuius ratio eſt.* Quia efficacia requiſita ad ſpem debet eſſe talis, quod intendat ſuperare arduitatem rei conſequendæ, & victoriam habere ſuper illam; nam hoc ipſo quod non intendit ſuperare arduitatem, neceſſe eſt quod ſuccumbat arduitati, & difficultati, vel non reputet arduum illud bonum, ſed præcisè vt concupiſcibile: ſi ſuccumbit arduitati; ergo non conatur contra illam motu aggreſſiuo, ſiquidem illi ſuccumbit, & conſequenter non eſt actus iraſcibilis, qui tendit aggrediendo, & conſequenter non eſt actus ſpei, qui eſt motus virtutis iraſcibilis. Si vero non reputat arduum illud bonum tollitur eſſentialis, & intrinſeca conditio ſpei, qua diſtinguitur à deſiderio, & amore (*vt Diſp.* 1. latè oſtendimus) quare valdè æquiuocè procedit iſte autor non diſtinguens inter conatum, quem facit vis concupiſcibilis intra limites concupiſcibilis manens deſiderando, & quos facit Iraſcibilis aggrediendo, quod pertinet ad ſpem; nam etiam concupiſcibilis poteſt conari ad rem deſideratam quantum eſt ex parte ſua, quaſi manifeſtando deſiderium, & impetum cupiditatis: cæterùm conatus ſpei eſt ordinatus ad vincendam arduitatem, cui ſi ſuccumbat non eſt conatus aggreſſiuus, qualis requiritur ad ſpem. Poſita autem illa reuelatione, iudicium rationis totaliter ſuccumbit arduitati aſſecutionis, quia victoria arduitatis non repræſentatur vt practicè poſſibilis in re, non minus quam in ipſa executione perditionis victoriæ repræſentatur vt impoſſibilis; ergo non

habet ampliùs conatum aggreſſiuum, licet habeat donatum deſiderij.

13 Ex quo manent ſoluta Exempla allata in contrarium. Nam in Chriſto Domino communiter Theologi non admittunt voluntatem efficacem ſimpliciter, ſed ſolum ſecundum quid ex parte ſenſualitatis, ſeu deſiderij circa id quod ſciebat eſſe futurum, vt patet apud *Diuum Thomam 3 par. quæſt. 13. art. 4. & quæſt. 18. art. 6.* & apud Commentatores ibidem. Et quia ſecundùm hoc deſiderium multa volebat, quæ non poterat, ex defectu potentiæ in virtute naturæ humanæ præcisè illud deſiderium erat inefficax. Vnde eſt quod optimè infertur in Epiſtol. Agathonis Papæ, quod Chriſtus habuit voluntatem humanam, quia *voluit latere, & non potuit*, quia ex defectu potentiæ ex parte naturæ humanæ erat illa voluntas inefficax, cum tamen in Deo, etiam quando voluntas inefficax eſt, non eſt ex eo quod non poſſit, ſed præcisè, quia non vult; & ideò ſemper voluntas inefficax Dei eſt coniuncta alicui efficaci ſaltem nolendi oppoſitum. Potuit tamen efficaciter deſeruire illa voluntas inefficax Chriſti ad alium finem, ſcilicet vt manifeſtaretur veritas naturæ humanæ aſſumptæ, & hunc finem efficaciter conſecutus eſt Chriſtus. Similiter in ſecundo exemplo. Poſſum miniſtrare remedia Patri morituro non quidem ſpe euadendi, aut aſſequendi ſalutem, ſed ex deſiderio quo concupiſcitur eius vita, vel ſaltem ad differendum aliquantulum mortem, aut denique ad implendum debitum pietatis erga parentem; & ad hæc duo efficaciter mouetur, nam & ſi detur deſperatio de adipiſcenda vita, poteſt tamen manere ſpes circa dilationem temporis vitæ, quam per illa remedia intendo conſequi; ſicut etiam docet *D. Thom. 1. 2. quæſt. 40. art. 8. ad 3.* Quod deſperatio in bello poteſt habere coniunctam ſpem de vindicando mortem ſuam & ideò dicitur periculoſa deſperatio.

14 Et ex hoc colligitur altera pars concluſionis; Quod ſcilicet in illo caſu maneat concupiſcentia, & deſiderium beatitudinis; hæc enim non reſpicit bonum vt aſſequendum in re, ſed ſecundum ſe, & vt poſſibile abſolutè, atque adeò poteſt manere cum deſperatione aſſecutionis eius. Imò deſperationem præſupponere deſiderium eius rei, de qua deſperamus, manifeſtè docet *S. Thom. 1. 2. quæſt. 40. art. 4 ad 3.* de eo enim quod non deſideratur, neque eſt ſpes, nec deſperatio, & videri poteſt ibi *Caietanus art. 8. denique vltima pars concluſionis*, ſcilicet, Quod per ſpem theologicam non poteſt in illo caſu ſperari diuinum auxilium ad implenda mandata, ex eo probatur. Quia remoto obiecto primario non remanet ſecundarium, ex hoc enim principio probauit *S. Doctor.* non remanere actum ſpei theologicæ in beatis etiam circa obiecta ſecundaria (vt *diſp. 11.* oſtendimus) ergo ſi illud iudicium de impoſſibilitate aſſecutionis deſtruit ſpem erga beatitudinem, conſequenter deſtruit illam circa actum eliciendum erga media, quæ ſunt obiectum ſecundarium talis virtutis, & habent intrinſecam habitudinem ad obiectum primarium, prout attinguntur à tali virtute; ſed ſi quæ ſpes manet erga bona opera facienda, erit actus ortus ex deſiderio, ſeu concupiſcentia ſupernaturali; quæ manet erga Deum, & quæ requiritur ad fidem quam ſupponimus non tolli ex vi talis reuelationis, imò neque charitas tollitur; & ita vel à charitate, vel ab illa concupiſcentia poteſt conſurgere ſpes per modum cuiuſdam expectationis erga diuinum auxilium ad credendum, & operandum benè, non tamen ad perueniendum ad fruitionem Dei.

Quod *ſi inſtes*: Per certitudinem cognitionis non tollitur ratio ardui in obiecto ſpei, quouſque habeatur principium intrinſecum ineuitabile aſſecutionis rei, quod ſit quaſi poſſeſſio illius (vt *Diſp. 11.* oſtendimus) ergo ſimiliter per certitudinem extrinſecam cognitionis de damnatione non tollitur obiectum ſpei, quouſque habeatur principium intrinſecum non perueniendi ad beatitudinem, quod eſt ipſa æterna damnatio in executione, non in reuelatione tantum *Reſpondetur.* Eſſe latum diſcrimen inter vtrumque, quia ad deſperationem ſufficit impoſſibilitas æſtimata, vt dicit *S. Thom. 1. 2. quæſt. 40. art. 4. ad 3* Ad euacuandam autem arduitatem obiecti ſpei, & terminandum motum illius non ſufficit certitudo æſtimata, ſed realis poſſeſſio. *Cuius ratio eſt.* Quia ſpes eſt motus ad aliquid arduum adipiſcendum vt ad terminum, qui motus incipit à iudicio proponente, & mouente voluntatem vt intendat, & terminatur in aſſecutione reali rei ſperatæ, non autem in reuelatione aſſecutionis quantumcumque certa: ex parte autem iudicij requiritur quod arduitas obiecti æſtimetur vt poſſibilis vinci, eo quòd nullus mouetur ad id quod æſtimat impoſſibile, vt dicit *Sanctus Thomas loco citato artic. 1. ad 3.* Ex parte autem termini tollitur arduitas per ſolam realem aſſecutionem, ex quo fit, quod æſtimatio impoſſibilitatis aſſequendæ ſufficit ad deſtruendum principium ſpei, quia eius motus incipit à cognitione, & iudicio poſſibilitatis: at verò æſtimatio aſſecutionis ineuitabilis non deſtruit motum ſpei, quia nondum ponit in termino illius, qui eſt realis aſſecutio, ad quam mouetur, non autem ſola ſecuritas perueniendi; & ideò in animabus purgatorij eſt ſpes, quia nondum habent ſperatam in poſſeſſione reali, vt dicit *S. Thomas 3. ad Anibal. diſtinction. 26. quæſtione vnica, artic. 4. ad 4.* 15

Dico *Secundo*. Si alicui fiat abſoluta reuelatio de damnatione, & de peccato, pro quo damnabitur, tenebitur ſperare auxilium ſufficiens pro illo peccato euitando; efficax autem non poterit ſperare, licet poſſit deſiderare; ſicut tenetur habere diſplicentiam de illo peccato: pro reliquis autem euitandis tenebitur ſperare ſufficiens, & efficax auxilium. Hæc concluſio colligitur ex eiſdem auctoribus ſuprà citatis pro ſecunda ſententia, & breuiter patet ex dictis. Quia ex vi reuelationis poſitæ non abſoluitur ab obſeruatione præceptorum, tenetur enim homo ſeruare mandata abſolutè, quia præcepta ſunt, & non ſolum quia ducunt ad gloriam, vnde ab intrinſeco ſemper debent illi diſplicere peccata, quia defectus voluntarij ſunt, & patet in ipſo Apoſtolo Petro, qui peccauit negando Chriſtum, licèt habuiſſet reuelationem de peccato ſuo, quam *Diuus Thomas ſuper caput 26. Matthæi* exiſtimat fuiſſe abſolutam, & non ſolum comminatoriam. Vnde ſequitur quod ſicut tenetur vitare peccata in illo caſu, etiam tenetur ſperare auxilium ſufficiens, ſine quo impoſſibilis redditur impletio præceptorum, efficax autem auxilium reſpectu illius peccati, quod ſibi abſolutè reuelatur, 16

non

non tenetur ſperare ob rationes factas pro præcedenti concluſione, quia auxilium efficax habet adiunctam actualem euitationem peccati, ſed ſicut tenetur non complacere de peccatu, ita poteſt deſiderare euitationem iſtius.

17 Dico *vltimo*, facta illa reuelatione abſoluta adhuc poteſt peccare peccato deſperationis, licet non omnimodo, quo ante reuelationem factam, & ita non repugnat, quod reueletur alicui ſua damnatio futura propter peccatum deſperationis. Pro explanatione huius concluſionis eſt notanda vulgaris doctrina de duplici modo deſperandi, vno modo ratione defectus proprij æſtimati, vt de facto non reparandi, licet Deus poſſit quantum eſt ex ſe reparare; alio modo ratione defectus diuinæ miſericordiæ, & hoc dupliciter, vel amittendo fidem, quia aliquis iudicat miſericordiam Dei non remittere omnia peccata loquendo ſic in vniuerſa, vel ſi non amittendo fidem, ſaltem blaſphemando, quia Deum ita ſeuerum æſtimat, vt nolit miſereri alicui in particulari, & non ſolum propter defectus proprios iudicet Deum condemnaturum. Addo & tertio modo poſſe aliquem peccare contra virtutem ſpei per ſolam omiſſionem, quando currit præceptum affirmatiuum ſperandi. *Dicimus ergo* quod facta illa reuelatione abſoluta non peccat aliquis hoc vltimo modo ſe habendo, neque etiam primo. Peccat autem ſecundo modo deſperando, quia illa deſperatio eſt coniuncta Infidelitati, vel blaſphemiæ, & ita eſt intrinſecè mala. Tertio autem modo non peccat, quia eſt impoſſibilis actus ſperandi, & conſequenter non tenetur præcepto affirmatiuo illius, nec primo modo peccat, quia verè iudicat iuxta illam reuelationem Deum de facto ſe condemnaturum iuſtè propter peccata propria; id enim totum continetur in reuelatione diuina; ergo quod ex hoc motiuo deſperet, non peccat, quia in hoc confirmatur reuelationi diuinæ, in quo nullum eſt peccatum; & tamen ſi ante reuelationem ſic deſperaret ſine dubio peccaret: imò in illo caſu eſſet actus magnæ humilitatis, & charitatis ſic æſtimare Deum, vt eum iuſtè condemnaturum iudicet, & ſic acceptet diuinam ſententiam; ſicut modo ſub conditione eſſet actus humilitatis conformari diuinæ voluntati etiamſi vellet hominem priuare perpetuò beatitudine dummodo non vellet peccare cum priuaretur, atque ita cum facta reuelatione ſolum ſit impoſſibile ſperare beatitudinem, non tamen ſit impoſſibile non blaſphemare, nec fidem amittere, ſine dubio poteſt reuelari illi homini, quod damnabitur propter peccatum deſperationis ortum ex blaſphemia, vel infidelitate, non tamen propter omiſſionem ſpei, vel deſperationem illo primo modo factam; id enim omnino implicat, cum non ſit poſſibile ſperare facta illa reuelatione.

18 *Cæterum* quod attinet ad praxim nunquam credendum eſt has reuelationes fieri abſolutè, ſed comminatoriè, vt *Sanctus Thomas dicit locis citatis*, Quia non decet diuinam bonitatem, nec modum communem, & ſuauem gubernationis hominum ſupra quod tamen de potentia abſoluta fieri poteſt ob altiores fines, & inſcrutabilia Dei iudicia.

Soluuntur Argumenta.

Argumenta quæ militant contra noſtram reſolutionem facilem habent expeditionem ex dictis, poteſt enim obiici. *Primo.* Nam facta illa reuelatione obiectum manet æquè poſſibile intrinſecè ſicut anteà, & media, ſcilicet, auxilia diuina, quæ iſti homini dantur, æquè ſufficientia intrinſecè ad perducendum hominem in gloriam; & gratia in qua ille homo poteſt manere æquè habet ius ad gloriam facta illa reuelatione, atque anteà; ergo ex omni parte conſiderando intrinſecè illud obiectum manet æquè ſperabile atque anteà, licet eius aſſecutio extrinſecè cognoſcatur impedita, ergo æquè poteſt manere ſpes, loquendo per locum intrinſecum. *Secundo.* Quia ille homo æquè manet viator atque anteà; ergo reſpicit terminum viæ, qui eſt gloria; ergo in quantum viator poteſt ſperare gloriam, vt terminum illius ſtatus, licet ex parte perſonæ habeat ab extrinſeco impedimentum; ſicut reprobus cui reuelatio non eſt facta ſperat in quantum viator, non in quantum reprobus in ſe. *Tertiò.* Quia facta illa reuelatione adhuc tenetur homo ſeruare omnia præcepta; ergo adhuc ſperabilis eſt gloria ab intrinſeco. *Antecedens conceditur; conſequentia probatur.* Nam obſeruationi eſt neceſſario annexa Gloriæ conſecutio iuxta verbum Chriſti Domini: *Si vis ad vitam ingredi ſerua mandata*; ſed iſte poteſt ſeruare omnia præcepta, & ſperare obſeruationem illorum, ſiquidem tenetur illa obſeruare; ergo poteſt; ergo obſeruantia omnium præceptorum poteſt ab ipſo ſperari, quia non eſt ei impoſſibilis; ergo & gloriæ conſecutio, quæ tali obſeruationi annexa eſt. 1

Quarto, *quia* ille cui facta eſt reuelatio de aliquo peccato faciendo, adhuc tenetur non peccare, & conſequenter adhuc poteſt ſperare euitationem illius, quia ſi hæc euitatio eſſet ei impoſſibilis, peccare eſſet ei neceſſarium; ergo ſimiliter facta reuelatione de damnatione tenebitur ſperare euitationem eius. *Vltimo*, quia præſcientia Dei ſecundùm ſe nullā imponit rebus neceſſitatem, neque ordinem earum immutat, ſed potius cauſat, ergo ex eo quod ſit reuelata iſta præſcientia, & manifeſtata alicui non mutabit ordinem rerum, quia æquè extrinſeca manet præſcientia reuelata, & non reuelata: ergo ſicut anteà tenebatur ſperare ita & modo, alioquin diceremus quod ratio ſperandi in his, qui de facto damnabuntur eſt ignorantia ſuæ damnationis. 2

Ad *Primum reſpondetur diſtinguendo antecedens.* Manet illud obiectum æquè poſſibile practicè. *Nego antecedens.* Æquè poſſibile ſpeculatiuè, *tranſeat*: licèt enim illa reuelatio ſit extrinſeca, & nihil ponat, vel tollat de eſſe obiecti, quod eſt manere eodem modo ſpeculatiuè, tamen quoad applicationem ad operandum, & ſperandum, quod eſt practicè ſe habere, non eodem modo manet, ſiquidem aliter applicatur iudicio operandi illud obiectum modo atque anteà; apprehenſio autem licet non ſit ratio formalis finaliſandi, eſt tamen conditio ita intrinſeca, quod ex eius variatione variatur etiam per concomitantiam formalis ratio obiecti vt appetibilis; ſicut ex variatione obſcuritatis variatur ratio formalis obiecti reuelabilis in fide, & in Prophetia. *Ad ſecundum diſtingue antecedens.* 3

Manet æquè viator, atque anteà quantum ad ſtatum non perueniendi ad terminum, *concedo*: quantum ad impedimentum ex parte principij ad tendendum efficaciter in terminum, *nego*. Variatur enim iudicium impoſſibilitatis practicæ de obtinendo termino, atque adeò reſpicit terminum viæ, & media ad illum ducentia cum impedimento practico aſſecutionis, & ideò non poteſt ſperare.

4 Ad *Tertium Reſpondetur Primò*. Nego antecedens, tunc enim non tenetur ſeruare vnum ex præceptis antea impoſitis, ſcilicet ſperare vitam æternam, & conſequenter reliquis præceptis, quæ manent, non eſt annexa practicè, & efficaciter conſecutio gloriæ propter impedimentum poſitum, licet annexa ſit quantum ad ſufficientiam, & conditionatè, quia ſemper eſt verum quod ſi ille homo ſeruet mandata ingredietur ad vitam, ſed obſeruatio efficax, & in re ponenda eſt ei reddita practicè impoſſibilis facta illa reuelatione, & ideò licet poſſet ſperare obſeruationem illorum præceptorum quoad ſufficientiam, non tamen poteſt ſperare efficax auxilium quoad omnia, & conſequenter neque aſſecutionem beatitudinis. *Secundo reſpondetur*. Concedo antecedens, quoad omnia præcepta quæ facta illa reuelatione manent, & *nego conſequentiam*. Ad probationem dicitur, Quod obſeruationi mandatorum non quomodocumque conſideratæ eſt annexa aſſecutio gloriæ, ſed efficaciter exhibitæ, & vſque ad finem vitæ; tunc autem non poteſt ſperare efficacem obſeruationem omnium mandatorum vſque ad finem, quia eſt de fide quod aliquod non ſeruabit efficaciter, licèt de iſto, vel illo determinatè non ſit ei reuelatum. Et concedimus quod tenetur ſeruare omnia, quia ad hoc vt teneatur non requiritur quod habeat auxilium efficax circa illa, quod reſpicit euentum rei, ſed quod habeat ſufficiens, quod ponit poſſibilitatem ex parte principij quidquid ſit de euentu; & ideò non tenetur ſperare obſeruationem omnium mandatorum ex parte euentus, ſed poſſibilitatem ex parte principij. Aſſecutio autem gloriæ non eſt annexa poſſibilitati obſeruandi, ſed euentui.

5 Ad *Quartum reſpondetur*. Eſſe diſparem rationem inter peccatum reuelatum, & damnationem reuelatam, quia obligatio ad non peccandum oritur præcisè ex diuina lege cum potentia proxima ex parte hominis ad non peccandum, quam habet ex ſua libertate expedita, & auxiliis ſufficientibus à Deo paratis; de euentu verò quod de facto ſeruet, vel non ſeruet, nihil pertinet ad obligationem præcepti. At verò ſpes eſt motus tendens vſque ad ipſam aſſecutionem obiecti, & reſpicit media, ſed auxilia non vt præcisè dant potentiam, ſed vt perducunt vſque ad realem aſſecutionem obiecti, quia ibi ſolum ſiſtit motus ſpei: vnde non ſolum reſpicit obligationem, ſed etiam futuritionem aſſecutionis. Et eodem modo ille cui facta eſt reuelatio de peccato non tenetur ſperare efficacem euitationem illius, ſed ſolum ſufficientiam principiorum, ſeu auxiliorum, quia ſolum ex parte principij eſt ſibi poſſibilis euitatio peccati, & ratione huius obligatur ad euitandum. *Quod ſi inſtes*: Ergo ſimiliter poterit ſperare beatitudinem ex parte principij, quia ad illam habet ſufficiens auxilium, licet non ex parte euentus. *Negatur conſequentia*, Quia ſpes eſt motus tendens vſque ad realem aſſecutionem obiecti vt ad terminum, in quo ſolum quieſcit. vnde ſi iſta aſſecutio ex parte euentus eſt ei practicè impoſſibilis ablatus eſt terminus huius motus, & ſic non poteſt moueri voluntas ad ipſum, quia id quod eſt terminus, & vltimum in executione eſt principiũ motus voluntatis in intentione. *Ad vltimum reſpondetur*. Quod præſcientia reuelata non mutat ordinem rerum efficiendo, & neceſſitando cauſas, ſed ex illa reuelatione naſcitur diuerſum iudicium de termino aſſecutionis obiecti; & ideò mutatur tendentia voluntatis, quia licèt reuelatio ſe habeat extrinſecè reſpectu obiecti, iudicium tamen ex illa formatum non ſe habet extrinſecè ad mouendam voluntatem, ſed tanquam applicatio intrinſeca obiecti ex cuius mutatione mutatur voluntas; nec ideò dicimus quod ignorantia eſt ratio formalis ſperandi in reprobis, ſed eſt conditio ſine qua non fit applicatio rationis formalis ad voluntatem.

Articulus *Secundus* poſſet eſſe in hac diſputatione an requiratur ad deſperationem infidelitas? Sed de hoc ſatis tractatum eſt in *diſputatione 11 artic. vltimo*. Summa reſolutionis eſt. Quod deſperatio dari non poteſt niſi corrumpatur iudicium practicum regulans immediatè actum ſpei, ſed hoc iudicium non eſt actus fidei ſpeculatiuè acceptus, qui eſt præcisè *credere*, ſed actus prudentialis, quo iudicatur dari ſufficientia motiua ad tendendum efficaciter vſque ad realem conſecutionem gloriæ, quia ſic eſt Deus paratus de ſe, ſi per me non ſteterit; hoc autem iudicium dicitur *prudentiale*, non quod eliciatur à Prudentia infuſa, vt malè dicit *Lorca hic ſuper quæſtionem* 20. *in commen. artic.* 2. Nam Prudentia non regulat actus virtutum theologicarum, cùm ſit illis inferior, ſed ſolum regulat materias morales; & præſertim quia Prudentia infuſa non eſt ſine virtutibus moralibus infuſis, nec iſtæ ſine Charitate, vt docet *S. Thom.* 1. 2. *quæſt.* 65. *art.* 2. ſpes autem ſine charitate datur. Dicitur ergo illud iudicium *prudentiale*, quia eſt practicum, & elicitur à fide quatenùs extenſione quadam practica eſt, & ita dirigit ipſam Primam intentionem erga finem, qui eſt Deus, de quo tractat fides tam in ſpe, quam in charitate. Cæterùm fides non amittitur per corruptionem huius iudicij practici in particulari, quia hoc iudicium formaliter non eſt credere Primæ veritati, ſed ex creditis extendi ad mouendum affectum erga Deum; & ſicut poteſt non mouere ad Charitatem, quin amittatur ipſa fides, ita poteſt non mouere ad ſpem ex aliqua deiectione animi, vel indebita exiſtimatione, quin amittatur fides. 6

Circa *Vitium Præſumptionis* aduerte duo. 7
Primum eſt. Præſumptionem non conſiſtere in ſola omiſſione præcepti ſpei, ſed in motu poſitiuo inordinatè ſperandi, vt inquit *D. Thomas quæſt.* 21. *art.* 2. Qui motus non eſt eiuſdem ſpeciei cum deſperatione, vt malè *Pater Granados controuerſ.* 1. *de ſpe tractatu* 4. *diſp.* 3. *num.* 5. Conſtat enim quod deſperatio, & Præſumptio ſe habent ſicut peccatum per exceſſum, & per defectum, ſicut Prodigalitas, & auaritia reſpectu liberalitatis, quæ ſunt vitia ſpecie diſtincta; ſicut motus aſcenſus, & deſcenſus circa idem punctum. Nec verſantur ſub eodem formali motiuo

ûo, quia deſperatio vt deficiens in ſperando, Præſumptio, vt nimis ſperans, ergo ſunt motus contrarij ergò non ſunt eiuſdem ſpeciei, quia eadem ſpecies non eſt ſibi contraria.

8 Secundum eſt præſumptionem, non ſolum quando eſt adiuncta infidelitati, ſed etiam ex ſuo genere quando eſt peccatum mortale circà beatitudinem ſperandam deſtruere habitum ſpei, vt bene aduertit *Granados loco citato, numero* 4. quod eſt contra *Patrem Torres hic ſuper quæſt.* 21. *articulo* 2. Sumiturque ex *D. Thom. ibidem artic.* 3. *ad* 3. dicente, quod præſumptio excludit ſpem ratione eius differentiæ, in quantum eſt virtus, quia excludit eius ordinationem eſt enim obiectum formale ſpei reſpicere Deum, vt aſſequendum ordinatè & per ordinata media, & manifeſtum eſt, quod ſi contrariatur ſpei non poteſt eſſe cum illa, ſicut quodlibet vitium deſt uit virtutem contrariam, alioquin contrarietas non eſſet. Et hæc de hac materia.

QVÆSTIO XXIII.

DE CHARITATE vſque ad Quæſt. X L V.

ORDO TOTIVS MATERIÆ.

SI Materiam charitatis in tota ſua latitudine conſideremus, de illa diſputat *D. Thom. per* 24. *quæſtiones*, cuius ordinem diſponit, ſicut in aliis virtutibus, vt priùs tractet de his quæ pertinent ad ipſam charitatem, vel ab illa deriuantur tanquam effectus. *Secundo* de his, quæ illi opponuntur tanquam vitia. *Tertiò* de eo, quod illi correſpondet tanquam donum.

Circa ipſam virtutem charitatis omiſſa quæſtione *An eſt*, quia *in* 1. 2. *quæſtione* 61. oſtenderat *D. Thom.* dari virtutes theologicas, quarum vna eſt charitas, incipit à quæſtione *Quid eſt*, & explicat naturam, ſeu quidditatem charitatis per ſuas quatuor cauſas, formalem, & finalem, efficientem, & materialem, ſeu ſubiectiuam: deinde explicat ea, quæ magis extrinſeca ſunt charitati, vel tanquam obiecta materialia circa quæ verſatur, vel tanquam actus, & effectus, quos operatur. Igitur primis duabus quæſtionibus, ſcilicet 23. & 24. explicat quidditatem charitatis ex cauſis illius; & primò magis interiores cauſas, quæ ſunt formalis, & finalis, eo quod in charitate, cum ſit virtus theologica, finis, & obiectum coincidunt, habet enim pro obiecto immediato ipſum Deum; quia verò Deus eſt obiectum formale charitatis non quomodocumque; ſed vt terminans amicitiam, incipit *Primum articulum* ab ipſo obiecto ſpecificante, ſcilicet quod *Charitas ſit amicitia*, id eſt amor reſpiciens Deum vt amicum, ea amicitia, quæ haberi poteſt, & debet erga ſupremum finem, ita vt propter illum ſint, & agantur omnia. Ea qua eleuatiſſima ratione ſpecificante diſcurrit ſequentibus articulis, vſque ad 8. circa conditiones & perfectiones, quas inde trahit ſpecificata virtus, quæ eſt charitas ſcilicet non ſolum *vt ſit virtus* tanquam habitus creatus. & ſpecialis, & *vna virtus*, ſed ſit *maxima virtutum*, vtpotè tangens ſupremam rationem boni in ipſo fine, ſcilicet vt purum bonum propter ipſum amet, non miſcendo aliam impuritatem, ex quo habet dare cæteris virtutibus perfectionem ſtatus virtuoſi ex coniunctione ad talem, finem & hoc modo dicitur eſſe *forma virtutum*, quia format: & ordinat illas ad hunc finem.

Exinde explicata cauſa formali ſpecificante, quæ cum finali coincidit, procedit *S. Tho. quæſt.* 24. ad alias duas cauſas charitatis, ſcilicet, materialem & efficientem, & coniungit *S. Thom.* conſiderationem iſtarum cauſarum, eo quod difficultates circa vnam dependent ex altera: ad declarandum enim exiſtentiam charitatis in voluntate tanquam in ſubiecto, & augmentum illius in eodem ſubiecto, & amiſſione illius à ſubiecto, oportet declarare ſimul cauſam efficientem oſtendendo, quod in nobis non cauſatur charitas ex noſtris actibus, ſed ex infuſione diuina, & ſimiliter quod in ordine ad augmentum cauſa efficiens eſt Deus, licet noſtri actus concurrant meritoriè, & diſpoſitiuè, ac denique oſtendendo cauſas, quibus charitas amittitur à ſubiecto, quæ eſt vnica, nempè peccatum mortale: & ſic de iſtis cauſis, tam ſubiectiua, quam efficiente, & augente, & deficiente agit *quæſt.* 24. Ideò autem in tractatu de charitate explicauit *D Thom* iſtas quæſtiones de augmento, & infuſione, & amiſſione charitatis, cum alioquin communes videantur omni virtuti, eo quod charitas eſt quaſi vita, & forma omnium virtutum, in vita autem noſtra ſpecialiùs conſiderantur iſta tria, natiuitas, augmentum, & mors, & ideò ſpecialiùs in charitate debuerunt conſiderari infuſio, augmentum, & amiſſio.

Explicata natura charitatis per ſuas cauſas tranſit *D. Thom.* ad explicandum extrinſeca, ad quæ ſe extendit, & effectus quos operatur; & non tractat de extrinſeco ſpecificante, quia hoc pertinet ad cauſam formalem, & explicatum eſt *quæſtione* 23. oſtendendo quod Deus, vt amicus ſpecificat charitatem; agit ergo de obiecto materiali, ad quod charitas ſe extendit: & prius agit de illo quam

de actib. charitatis; *Tum, quia* obiectum materiale propinquius ſe habet ad formale, & quaſi inuoluit, & recipit illud, ſicut corpus colorem reſpectu viſus. *Tum, quia* varietas actuum charitatis explicari non poteſt, niſi cognitis obiectis circa quæ verſantur, & penes quæ diſtinguntur. In explicando autem charitatis obiectum attendit *D. Thom.* Duo. *Primò.* Res ipſas diligendas. *Secundò* Ordinem quem in illis ſeruat charitas, quia cum ſit ſuprema virtus attingens ſummum bonum, pertinet ad ipſam cætera bona ordinare ad iſtum finem, & vnicuique tantum tribuere de amore, quantum habet de bonitate, & approximatione ad ipſum finem. Et primum, ſcilicet, quodnam ſit obiectum, vel obiecta ad quæ charitas ſe extendit, deducit *ſanct. Doctor* ex formali obiecto, quod attingit, reſpicit enim charitas Deum vt amicum, cui debet conuiuere, & communicare, & quia non ſolum ipſe homo, ſed multi alij debent communicare in bonis cum Deo, ex conſequenti oportet, quod diligat omnes illos qui debent Deo conuiuere, & communicare in eius beatitudine. Vnde ſequitur quod debet diligere omnes creaturas rationales, quę vel actu, vel in potentia participant hanc communicationem diuinam, ſiue ſint amici, ſiue inimici, ſiue iuſti, ſiue peccatores, ſiue homines, ſiue Angeli. Damnatos autem charitas non attingit, quia ſunt extrà poſſibilitatem diuinæ communicationis; & ſimiliter irrationales creaturas, niſi forte diligat iſta tanquam res quaſdam, quas vult eſſe in gloriam Dei, qua ratione etiam ipſa charitas diligitur non vt perſona amicabilis, ſed vt bonum quod volumus amico, & de his obiectis materialibus charitatis agit *quæſtione* 25.

Secundum verò quod conſiderat *D. Th.* in iſtis obiectis eſt ordo diligendorum; cùm autem charitas reſpiciat bonum diuinum vt vniendum ſibi per amicitiam ex duplici radice oritur ordo charitatis inter perſonas diligendas, aut quia plus habent de diuina bonitate, & eius participatione, aut quia nobis ſunt magis coniunctæ, & vnitæ, & ratione vtriuſque diligimus Deum, ſuper omnia, & etiam pluſquam nos ipſos, quod non contingit in amicitia politica, & priuata, eo quod Deus diligitur vt amicus non quomodocumque, ſed vt habens in ſe vniuerſale, & eſſentiale principium beatitudinis, ſuprà cuius communicationem ſundatur hæc amicitia ſupernaturalis; ſicut amicitia politica ſupra communicatione ciuili, ſed tamen hæc communicatio ciuilis oritur ex me ipſo, qui volo communicare me ipſum, vel bona mea amico tanquam ad alium me. & ideò amicabilia ad alterum oriuntur ex amicabilibus ad ſe. Cæterùm in amicitia erga Deum communicatio bonorum oritur ex ipſo Deo, & ego ipſe qui amo ex illo ſum, & ideo ratio amicitiæ non oritur ex amicabilibus ad ſe, ſed ex amicabilibus ad Deum deſcendit ad ſe, & hoc eſt diligere Deum plus quam ſe, & ideò ſolùm in charitate ad Deum poteſt inueniri ratio puræ amicitiæ, in quantùm non oritur ex bono proprio. Poſt Deum autem, vnuſquiſque magis diligit ſe, quam proximum, debet enim diligere alios, ſicut ſeipſum, vnde ipſemet eſt quaſi exemplar, primũ & diligendorũ, quia ſe vt participem gloriæ diuinæ, alios vt ſocios in participando. Excipio tamen Chriſtum Dominum, etiam vt hominem, & beatiſſimam Virginem matrem, eo quod participant quandam rationem principij communicantis nobis gratiam, & beatitudinem, eſt enim Chriſtus, vt homo caput gloriæ, & beatiſſima Virgo mater capitis, & collum per quod deriuatur gratia, & ideo magis debemus ipſos diligere, quam nos. Inter proximos autem ſecundum maiorem bonitatem, quam participant, vel maiorem coniunctionem quam habent ad nos, ſic magis, vel minus diliguntur à charitate. Et inde diſcernendum eſt quomodo magis diligamus meliores in gratia; quomodo etiam magis diligamus coniunctiores nobis, vt parentes, aut filios aut vxorem, aut benefactores, quæ omnia in litera ſunt perſpicua in *quæſt.* 26.

Conſiderato *obiecto materiali* ad quod charitas ſe extendit incipit agere *D. Th.* de actib. & effectib. charitatis; vt autẽ explicentur effectus minus principales oportet incipere ab actu magis principali, à quo cæteri deriuantur non agendo de eius quidditate, quia iſta ſupponitur explicata in *quæſt.* 23. agendo de ratione formali charitatis, quæ perfectius inuenitur in actu, quam in habitu, ſed agit de actu principali in quantum eſt principium aliorum. Eſt autem principalis actus *dilectio*, cæteri autem ſiue interni, ſiue externi deriuantur ex iſto per redũdantiam, vel mereantur per imperium, & ideò vocantur potius effectus, quam actus charitatis: illi enim propriè dicuntur actus alicuius virtutis, & principij, qui immediatè ab illo eliciuntur, effectus autem illi, qui conſequuntur ad principalem actum, vel quaſi per redundantiam, vel quaſi per imperium, ita quod mediet aliud principium, vel potentia, vel diſpoſitio, vt conſequatur iſte ſecundus actus. Igitur in *quæſtion.* 27. explicat *D. Thom.* actum dilectionis, nec aliqua difficultas occurrit circa illum in littera, nam diſtinctio illius à beneuolentia explicabitur tractando propriam rationem amicitiæ; ratio autem meriti tractando de augmento charitatis.

Ex *hoc autem* principali actu charitatis, qui eſt *dilectio*, reſultant quinque effectus charitatis, tres interiores, & duo exteriores, interiores ſunt *Gaudium, Pax, & miſericordia*, quorum *Gaudium* principaliter verſatur erga Deum, de cuius bono lætamur; *Pax* erga Deum, erga ſeipſum, & erga proximum: *Miſericordia* erga proximum tantum, Sed tamen eſt hæc differentia, quod *Gaudium, & Pax* ita ſimpliciter reſultant à charitate, quod non exigunt aliam diſtinctam virtutem mediante qua fiant: *Miſericordia* autem exigit virtutem diſtinctam à charitate. Cuius ratio ſumitur ex *D. Thom. hic quæſtione* 30. *art.* 3. *ad* 3. Nam gaudium, & pax ſequuntur ipſam rationem boni ſub conceptu, & linea qua tangitur à dilectione, ſcilicet ſub ratione boni amari: *Miſericordia* autem tangit bonum inducendo aliam rationem, ſcilicet vt eſt releuatiuum à miſeria. Ex eo enim quod bonum amatur cauſat lætitiam, eo quod conueniens eſt amanti ſolum addita vna conditione, ſcilicet quod ſit præſens, ſicut ex eo quod eſt abſens cauſat triſtitiam, & deſiderium. Vnde ad cauſandos iſtos effectus non indiget charitas alia ratione formali, quam ipſius dilectionis, addita ſolum conditione præſentiæ, vel abſentiæ. Similiter ex eadem ratione boni diuini amari quatenùs eſt vniuerſale bonũ ſequitur *Pax*, tã in ipſo homine in ſe ipſo, quã in ordine ad alios. *Pax* n. nõ importat ſolã concordiã, id eſt, vnionem, & conſenſum voluntatum, ſed etiam impletionem appetituum, & ceſſationem motuum

eius

eius, quandiù enim appetitus non impletur nondum eſt paccatum cor, ſed quaſi mouetur, & pugnat in ſe ipſo: per hoc autem quod homo amat Deum per charitatem diligit illum ex toto corde, & conſequenter ſubiicit ei vtrumque appetitum rationalem, & ſenſitiuum tanquam bono impletiuo vtriuſque. Vnde in hac ſubiectione ceſſat pugna inter iſtos appetitus, & habetur pax quatenùs eorum motus quieſcit in fine: quod ſi inſurgit iterùm contra alium, hoc ipſo aliquid deuiationis à fine ſaltem imperfectè inchoat. Vnde ex vi charitatis ſubiicientis, & implentis appetitum per ſe cauſatur pax, & quia eodem modo deſiderat proximis ipſum Deum, vt impleuerem, & facientem quieſcere appetitus eorum, ideò etiam cauſat pacem in ordine ad proximos non per aliam rationem formalem quam per dilectionem boni vniuerſalis.

At verò *Miſericordia* reſpicit eleuationem alienæ miſeriæ, & ideò addit aliquid ſuprà nudam, & puram rationem diligendi; agit enim ad hoc vt aliena miſeria ſubleuetur, & inde eſt quod ſi conſideretur præciſè iſta ratio, quæ eſt agere ad tollendum defectus alienos ex vi huius præciſè conceptus, ſi ſine imperfectione ſumatur, & in tota ſua vniuerſalitate petit maximam rationem virtutis, quia petit rationem ita perfectam, & vniuerſalem, quod poſſit abſolutè defectus omnes tollere, & omnibus cum effectu miſereri, quod ſoli Deo conuenit, cuius dicitur *proprium miſereri, & parcere.* Ratione tamen ſubiecti non potentis omnes defectus releuare *Miſericordia* non eſt maxima virtutum, niſi qui illam habet ſit maximus ſicut Deus. Agit ergo de illis tribus effectibus interioribus Charitatis de gaudio, *quæſtione vigeſima octaua.* De pace *quæſtione* 29. de miſericordia *quæſtione* 30.

Poſt autem effectus interiores ſequitur agere de duobus exterioribus, quibus miniſtratur proximis, & iſti magis ponuntur inter effectus charitatis, quia actio externa non ita immediatè elicitur à virtute interiori, quin interueniat alia potentia, ſeu principium exequens. Iſti ergo effectus externi ſunt duo, alter correſpondens charitati ſecundum ſe, ſcilicet *Beneficentia:* alter mediante miſericordia, ſcilicet *Eleemoſyna*. Correſpondet autem charitati *Beneficentia*, quia ſolam nominat actum externum in ratione boni, ſcilicet beneficium alicui exhibere, neque enim requiritur quod benefaciens alteri ſubleuet illum à miſeria, vel ſub alia ſpeciali ratione beneficium exhibeat, ſed ſolum ſub ratione boni, & amicitiæ, ſub qua ratione correſpondet charitati. Si tamen fiat collatio beneficij ſub ratione diſtributionis iuſtæ, vel ſub ratione liberalis exhibitionis quatenùs refrænatur cupiditas retinendi, vel prodigendi res, ſic pertinebit ad iuſtitiam vel liberalitatem, ſub ratione autem amicitiæ ad charitatem. Et ſic agit de beneficentia *quæſt.* 31.

At verò *Eleemoſyna* eſt donum ſubleuans miſeriam alienam, & ſic non immediatè correſpondet amicitiæ, ſed miſericordiæ, & in illa conſiderat *D. Thom.* tria. *Primò* diuiſionem eius, quod aliæ ſunt *corporales*, quibus ſubuenitur de ſactibus corporeis; aliæ *Spirituales*, quibus ſuccurritur defectibus animæ, præſertim peccato. *Secundò* Conſiderat præceptum eleemoſynæ, quod cum ſit affirmatiuum, tunc obligat quando eſt neceſſitas in petente, qua ſuſtentari nequit, & in dante ſuperſunt bona vltra ſuſtentationem congruam ſui, & eorum quorum cura ſibi incumbit, in hoc caſu currit præceptum eleemoſynæ. *Tertiò*, conſiderat de quibus, & à quibus poſſit eleemoſyna fieri, ſcilicet de his, quæ habentur per verum dominium, ita quod non ſint, iuſtè acquiſita, & retenta, & ab his quæ ſunt ſui iuris in diſtributione bonorum. Et ſic agit de eleemoſyna *quæſtione* 23.

Quia vero eleemoſyna ſpiritualis præcipua eſt illa, quæ ſuccurrit principali defectui, qui eſt peccatum, & hoc fit per *correctionem fraternam*, agit de illa *quæſtione* 33. In qua etiam conſiderat tria. *Primum eſt.* ipſa ſubſtantia actus *correctionis fraternæ*. *Secundò* Præceptum eius. *Tertiò* ordinem ipſius. Et quoad primum *correctio fraterna*, ſeu miſericordia, iuſtitia quidem procedit retribuendo pœnam, hoc enim eſt debitum peccato, *fraterna correctio* inducendo ad pœnitentiam per ſimplicem admonitionem, & quia iuſtitia non retribuit pœnam, niſi mediante poteſtate publica, & per vim coactiuam, oportet quod etiam delictum ſit publicum, & iuridicè probatum; quod non petit *correctio fraterna*, quæ ſolum tendit ad pœnitentiam, & emendationem proximi procurandam.

Ex hoc autem colligit *D. Thom.* ſecundum, ſcilicet quod *correctio fraterna* cadit ſub præcepto, ſicut cadit omnis alia eleemoſyna: ſicut enim neceſſitati corporali tenemur ſubuenire, quando poſſumus pro loco, & tempore. Tunc autem poſſumus quando ex parte delinquentis eſt talis diſpoſitio, quod profutura ſperatur correctio & ex parte corrigentis eſt talis auctoritas, vel gratia, aut fiducia loquendi ergà pœnitentem, vt eius correctio charitatiua videatur; hoc enim facit authoritas in corrigente, quod abundantia, vel ſuperfluitas bonorum in largiente eleemoſynam, & hoc modo præbeſe correctionem, non ſolum ſpectat ad Prælatos, ſed etiam ad æquales, & ſubditos, imò & peccator poteſt corrigere licet plerumque impediat correctionem fraternam, præſertim ſi corrigendus illud ſciat eſſe peccatum in corrigente.

Tertium denique deducitur circa ordinem ſeruandum in correctione fraterna quem Chriſtus Dominus inſtituit *Matth.* 8. qui ordo ita reſpicit pro fine principali emendationem proximi, vt conſeruationem famæ illius ſolum reſpiciat tanquam medium ad vtendum iſto remedio. Vnde Chriſtus Dominus ideo inſtituit primum gradum occultæ correctionis, vt poneret præceptum de conſeruatione famæ proximi, quia hoc præceptum aliàs erat poſitum in materia iuſtitiæ, de non lædenda fama proximi, ſed ideò poſuit illum gradum correctionis occultæ, vt deſeruiret tanquam medium ad hoc, vt correctio fraterna, non fruſtretur ſuo effectu, vnde dicit Auguſtinus ſermon. 16. de verbis Domini: *Corripe ipſum inter te, & ipſum ſolum ſtudens correctioni, parcens pudori, fortè enim per verecundiam incipit defendere peccatum ſuum, & quem facere vis meliorem, facis peiorem.* Quare Chriſtus Dominus hunc ordinem inſtituit in peccatis occultis corrigendis, vt tolleret impedimenta, quæ ex verecundia, & pudore communiter in hominibus reſultant, ſi peccata ſua deferri videant ad alios: cui verecundiæ, & pudori non poteſt homo renunciare quantumcumque cedat iuri ſuo;

Ceſſio

Ceſſio enim iuris ſolùm operatur reſpectu eius, quod eſt in mea poteſtate, ſcilicet, vt qui meam famam lædit non faciat contra iuſtitiam, ſi eam tollat, non tamen operatur, vt hoc ſit facilius medium ad emendationem delinquentis, & lucrum animæ fratris, quod Chriſtus Dominus per hoc præceptum intendit.

Hucvſque explicauit *S. Doctor.* quidditatem, obiectum, & effectus charitatis. Deinde explicat vitia ei oppoſita quorum quædam opponuntur ipſi charitati, ſecundum ſe vel principali actui eius qui eſt *dilectio*, & hoc eſt *odium* ſiue Dei, quod eſt grauiſſimum peccatorum, ſiue proximi, de quo agit *quæſtione* 34. Alia verò peccata opponuntur effectibus charitatis, ſiue internis ſiue externis, & primo effectui charitatis qui eſt *Gaudium* opponitur duplex peccatum, ſcilicet triſtitia, nam gaudio, quod habemus de bono diuino opponitur *Accidia*, quæ eſt triſtitia, ſeu faſtidium de bono diuino ſpirituali non quatenùs eſt bonum huius vel illius virtutis, ſed generaliter quatenùs eſt bonum ſpirituale, & à charitate: & de hoc vitio agit *quæſt.* 35. Gaudio autem quod debemus habere de bono proximi ſpecialiter contrariatur *Inuidia*, quia reſpicit bonum proximi quatenùs æſtimatur, vt diminutiuum propriæ excellentiæ, & ſic apprehendimus bonum proximi ſub ratione mali noſtri & triſtamur de illo quod eſt inuidere, & ſic agit de inuidia *quæſt.* 36.

Secundo autem effectui charitatis, qui eſt *Pax* opponuntur multa vitia, ſcilicet *Diſcordia, contentio, ſchima, bellum, rixa, ſeditio*, quæ diſtinguntur penes diuerſum modum oppoſitionis ad vnionem pacis, quæ latè explicat *D. Thom. à quæſt.* 37. vſque ad *quæſt.* 43. excluſiuè. Neque in illis occurrit ſpecialis difficultas.

Tertio verò actui charitatis, qui eſt *Miſericordia* occurrit ſpeciale peccatum oppoſitum ſpeciali actu illius, qui eſt *correctio fraterna*, cui opponitur *ſcandalum*: ſicut enim per correctionem fraternam intenditur ædificatio proximi, & eius emendatio, ſic per ſcandalum intenditur ruina, & deſtruitur opus correctionis fraternæ. Vnde ex hoc iudicandum eſt quando ſcandalum eſt ſpeciale peccatum, ſcilicet quando opponitur ſpeciali virtuti correctionis fraternæ. Tunc autem illi opponitur quando fit aliquid ex intentione ad ruinam proximi; ſic enim eſt ſcandalum actiuum perfectè, id eſt, non ſolum efficienter ex parte actionis ſcandalizantis, ſed etiam ex fine, quia eius ruina intenditur. Si verò non intendatur talis ruina, ſed ſolùm ſatisfacere propriæ voluntati, licet de facto ruina ſequatur, adhuc non erit ſpeciale peccatum ſcandali, licet ſit ſcandalum actiuum, quaſi efficienter, ſed habebit ſcandalum pro circunſtantia: ſicut etiam ſcandalum actiuum, quaſi efficienter, ſed habebit ſcandalum pro circunſtantia: ſicut etiam ſcandalum paſſiuum, quod effectus ruinæ ſubſecutus non ex vi actionis ſcandalizantis, ſed ex apprehenſione videntis actionem, non eſt ſpeciale peccatum. Et ſic agit de ſcandalo *quæſt.* 43.

De præceptis autem charitatis circa dilectionem Dei, & proximi, & circa ordinem charitatis agit *quæſt.* 44.

Denique de dono ſapientiæ correſpondente charitati, agit duabus vltimis quæſtionibus, ſcilicet de ipſo dono *quæſt.* 45. De vitio autem illi oppoſito, quod eſt *ſtultitia*, agit *quæſt.* 46. Dicitur autem *ſapientia* donum, & non virtus theologica, licet verſetur circa res diuinas de quibus iudicat, quia principia ex quibus iudicat non ſunt ipſæ res diuinæ ſecundum ſe cognitæ, ſed per quandam connaturalitatem, ſeu experientiam rerum diuinarum, quæ fit per amorem, quo ipſi Deo vnimur. Sicut qui habet caſtitatem, & amat illam iudicat de hac virtute non ex vi ſpeculationis, & diſcurſus, ſicut Philoſophi, ſed ex diſpoſitione, & connaturalitate, quam habet erga illam virtutem; vnuſquiſque enim qualiter diſpoſitus eſt, ſic iudicat de rebus. Et de hoc dono dicitur Apoc. 2. Quod *Nemo ſcit, niſi qui accipit*. Oppoſito modo procedit ſapientia acquiſita, quæ eſt theologia, quæ ex principiis diuinis ſecundum ſe cognitis, id eſt, per fidem diſcurſu naturali elicit concluſiones, & ideò non eſt virtus theologica, quia non reſpicit Deum immediatè ſecundum ſe, ſed vt cognitum per diſcurſum ex principiis immediatè reuelatis. Sapientia verò quæ eſt donum deficit à virtute theologica ex parte principiorum, quibus iudicat, quia ſunt aliquid creatum reſpiciens Deum, ſcilicet, vnio, & experientia diuinorum per amorem, & ideo dicitur correſpondere charitati, quia habet principium iudicandi in ipſa diſpoſitione amoris charitatis.

Hac igitur connexione totius materiæ explicata, ea ſolum pro præſenti ſe offerunt, diſputanda, quæ pertinent præcisè ad ipſam charitatem excludendo eius effectus extrinſecos, qui quaſi ad aliam materiam pertinent. Circa charitatem ergò tres diſputationes inſtituimus. *Prima* de natura, & productione illius. *Secunda* de augmento. *Tertia* de amiſſione.

DISPVT. XIV.

De natura, & productione virtutis Charitatis.

ARTICVLVS I.

Vtrum charitas ſit vera, & propria amicitia erga Deum; vbi agitur de obiecto eius formali.

1 VT explicemus rationem amicitiæ, quæ inuenitur in charitate, vnde pendet ratio formalis, qua attingit Deũ notanda ſunt duo. *Primum eſt*, amorem amicitiæ, id eſt, qui fundat relationem amicitiæ (ſumitur enim amicitia, & relatiuè pro reſpectu, & fundamentaliter pro actu exercente conditiones amicitiæ) requirere tres præcipuas cõditiones quas numerat *D. Thom. q.* 23. *art.* 1. licet alij octo conditiones ex Ariſtotele numerent, ſed ad iſtas omnes illæ reducuntur. *Prima* eſt vt amor amicitiæ habeat rationem beneuolentiæ, quia debet eſſe amor erga aliquam perſonam, ſolùm enim perſonis volumus bonum quod eſt beneuolentia. *Secunda* vt amor iſte ſit mutuus non enim ſufficit ad hoc vt aliquis ſit amicus alterius, quod ſit præcisè amans illum, ſed etiam amatus, vnde amicus dicitur, quaſi amans amatus, ſeu amicatus, ita vt talis amor ſit quaſi nexus inter duos, qua ratione charitas vocatur ab Apoſtolo

vinculum

vinculum perfectionis, Spiritus S. dicitur procedere à Patre, & filio, vt nexus vtriuſque, quia procedit ex mutuo amore.

2 *Tertia conditio eſt*, vt iſte mutuus amor fundetur in aliqua communicatione, qui enim in nullo communicant nullam inter ſe habent coniunctionem, & nexum, omnis coniunctio communicatione aliqua fit; imò ratione diuerſæ communicationis diuerſæ ſunt amicitiæ, ſicut in communicatione ſanguinis fundatur *amicitia conſanguinitatis*; in communicatione ſuperioris cũ inferiori *amicitia excellentiæ*; in communicatione ſociorum *amicitia æqualitatis*. Homines autem erga Deum conſtans eſt, quod nõ poſſunt habere niſi amicitiam excellentiæ, qualis eſt inferioris ad ſuperiorem; ſed in hac amicitia poſſunt habere duplicem coniunctionem, ſeu communicationem, vnam, vt homines, ſeu creaturæ rationales præciſè, aliam vt filij qui coniunguntur Deo non conſanguinitate, ſed ſpiritu, quo regenerati ſunt; & in vtraque communicatione explicandum eſt quomodo fundetur amicitia.

3 *Secundo aduertendum eſt*, ex parte ipſius obiecti charitatis, quod eſt bonum diuinum, quod poteſt conſiderari dupliciter. *Vno modo* ſecundũ quod in ſe eſt abſolutè; *alio modo* ſecundũ quod conſtituitur in ratione obiecti amicabilis: ratio autem *amicabilis* addit ſupra bonum abſolutè rationem communicatiui, alioquin ſi non eſſet communicatiuum, non redamaret nos, & cõſequenter neq; nobis coniungeretur vt amicus. Et ex parte induit Deus duplicem illam rationem authoris ſupernaturalis, & naturalis, nam in ſe ipſo entitatiuè Deus ens ſupernaturale eſt, & excedens totam naturam, non autẽ aliquid habet de naturalitate entis creati. Cæterùm prout conſideratur vt connexus nobiſcum, & communicans nobis induit rationem authoris ſupernaturalis, quatenùs cõmunicat effectus ſupernaturales, & finis naturalis, quatenùs effectus naturales præbet. Quæ diſtinctio licet ex parte Dei non importet niſi diuerſitatẽ rationis, ſufficit tamen ad diſtinguendos amores, quia ſufficit ad diſtinguendas cõmunicationes, & conſequenter ipſam bonitatem, vt diuerſimodè cõmunicatiuam, cum tamen aliæ diſtinctiones rationis inter attributa diuina non ſufficiant ad diſtinguendos actus voluntatis, quia non ſunt diſtinctiones in ratione boni mouentis voluntatẽ, ſed in ratione veri, quod propter infinitam ſuã eminentiã non poteſt vnico conceptu à nobis attingi. Diſtinctio verò inter Deum cõmunicantẽ effectus naturales, vel ſupernaturales, eſt diſtinctio bonitatis Dei in mouendo, quia ſic mouet ad diuerſam amicitiam fundandã vbi eſt diuerſus modus communicãdi.

4 *Dico ergò primò*. Charitas ſupernaturalis eſt vera, & propria amicitia inter Deum, & homines, fundata in communicatione, qua homines, ſed qua filij habentes eundem ſpiritum cũ Deo. De concluſione ipſa dubitari non poteſt, cum ſit expreſſa in ſacris litteris, ad quam ſufficit ponderare textum ipſum *Ioan.* 15. vbi per omnes ferè conditiones ad veram amicitiã requiſitas, Chriſtus Dominus diſcurrit dicens: *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* vbi explicatur prima conditio amoris amicitiæ, quæ eſt *Beneuolentia* qua Deus voluit nobis tantum hoc bonum, vt vitam ſuam pro nobis daret & vt optimè dixit S. Cyprian. *nihil præponere debemus Chriſto, quia Chriſtus nihil præpoſuit nobis.* ſubditur in textu, *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis, quæ præcipio vobis.* vbi explicatur ſecunda conditio *mutui amoris*, vt quia ipſe animam ſuam dedit pro amicis, nos ſimus amici eius mandata illius ſeruando, in hoc enim debemus redamare Deum tanquam finem, ſubijciendo nos illi in omnibus præceptis.

Denique tertiam conditionem explicat ſequentibus verbis, *Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audiui à Patre meo nota feci vobis*, hæc enim fuit communicatio ſupernaturalis reuelando nobis myſteria, quæ ad fidem, & ſalutem noſtram pertinent. Quare cum ratione charitatis diligamus Deum omnia mandata ſeruando, ſiquidem *plenitudo legis eſt dilectio*, Roman. 13. ratione etiam charitatis Deus habitet, & maneat nobiſcum, iuxta illud Ioan. 14. *Si quis diligit me ſermonem meum ſeruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus & manſionem apud eum faciemus.* Et 1. Ioã. 4. *Deus charitas eſt, & qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo* Manifeſtum eſt per charitatem haberi amicitiam, & familiaritatem erga Deum. Et fundatur hæc amicitia in communicatione diuina ad homines, quatenùs filij eius ſunt, iuxta illud 1. Ioannis 4. *Omnis qui diligit ex Deo natus eſt, & cognoſcit Deum.* Et infra: *In hoc cognoſcimus quoniam in eo manemus, & ipſe in nobis, quoniam de ſpiritu ſuo dedit nobis.* Igitur communicatio huius amicitiæ eſt communicatio filialis, ſicut inter parentes & filios, aut conſanguineos, non tamen coniunctione ſanguinis, ſed ſpiritus. quia *non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.* 5

Dico ſecundo. Formalis ratio charitatis ſupernaturalis eſt bonitas diuina amanda propter ſe ipſam vt finem fundantem communicationem ſui immediatam, Deus verò amat nos amore amicitiæ volens bonum nobis, vt ſubiecto non vt fini. Recolenda eſt hoc loco doctrina, quam tradidimus in materia de ſpe *diſp.* 1. ex Domino Caietan. 2. 2. *q.* 17. *art.* 5 & 1. 2. *q.* 26. *art.* 4. Quod amor amicitiæ dicitur quando volumus bonum amico propter ipſum, non tamen oportet, quod *Ly propter ipſum* dicat ſemper rationem finis *Cuius gratia*, ſed ſufficit, quod dicat rationem finis *Cui*, id eſt ſubiecti cui volumus bonum ex complacentia ad ipſum. Sicut etiam in amore concupiſcentiæ volumus bonum nobis, non tamen nobis, vt fini *Cuius gratia*, ſed vt ſubiecto *Cui* volumus bonum. Igitur in amicitia ad Deum, quia eſt amicitia excellentiæ id eſt, inter inferiorem, & ſuperiorem imò reſpectu ſupremi entis, oportet quod non ſolum velimus bonum Deo, vt ſubiecto, & fini *Cui*, per quod diſtinguitur ab amore concupiſcentiæ quo bonum diuinum eſt volitum ipſi amanti, non ipſi amato, ſed etiam velimus bonum ipſi vt fini *Cuius gratia*, id eſt tanquam, ſupremo Dño; ſic .n. conſurgit amicitia excellẽtiæ, qua volumus Deo ex parte ſui ſuprema bona, quæ ſunt ipſa diuina attributa, & ex parte noſtri ſummam ſubiectionem. Quare ex eo quod charitas eſt amor amicitiæ reſpicit bonitatem diuinam ex complacentia ſui, & quia eſt amicitia excellentiæ reſpicit illum non ſolum vt finem *Cui* ſed etiam vt finem *Cuius gratia* vult omnia bona. 6

Addimus autem quod ſit *finis vt communicatiui ſui*: quia licet ad ſimplicem beneuolentiam, qua volumus bonum alicui ex ſimplici complacentia illius, ſufficiat bonitas perſonæ, quæ nobis complacet 7

propter

propter ſe ipſum. Tamen ad amicitiam, quæ eſt beneuolentia mutua, & non ſimplex, requiritur quod reſpiciatur perſona, non præciſè, vt bona in ſe ipſa, & complacens, ſed etiam vt bona, & complacens in communicando. Deus ergo conſideratus vt amandus propter ſe ipſum præciſè nõdum intelligitur vt obiectum formale perfectæ amicitiæ, ſed ſolius beneuolentiæ, quæ eſt incohata amicitia. Sed vt reſpicimus Deum vt mutuo ſe communicantem ſic complete, & formaliter habet rationem obiecti amicabilis.

2 Sed adhuc totum hoc non explicat rationem charitatis vltimatè in quantum ſupernaturalis eſt, niſi addamus quod amatur Deus, vt communicatiuus ſui ſimpliciter, id eſt, per ſe ipſum, & non ſolum mediantibus effectibus ſuis. Deus autem ſe ipſum immediatè communicans eſt amicus ſupernaturalis, quia illa familiaritas, & conuictus Dei cum creaturis inhabitando in ipſis, & ad ſui immediatam viſionem ordinando, & diſponendo, excedit omnem limitem, & debitum intellectus creati, & ideò *D. Thom. hic quaſt.* 23. *art.* 4. ex hoc probauit, quod charitas eſt ſpecialis virtus, quia bonum diuinum in quantum eſt beatitudinis obiectum, habet ſpecialem rationem boni, & ideò amor charitatis, qui eſt amor huius boni, eſt ſpecialis amor. Vbi clare conſtat, quod vltimam rationem ſpecificatiuam charitatis poſuit *D. Thom.* in ipſa diuina bonitate, vt eſt beatitudinis obiectum, non quatenus illam beatitudinem appetimus nobis (ſic enim pertinet ad concupiſcentiam) nec quatenus beatitudinem volumus Deo præciſè (ſic enim ſaluatur in ſimplici beneuolentia) ſed quatenus volumus ipſi bonum, vt amico conuiuenti, & communicanti ſe nobis per beatitudinem: ſic enim amatur non ſimplici beneuolentia, ſed beneuolentia amicabili, & mutua in genere ſupernaturali.

Soluuntur Argumenta

1 EX dictis ſoluuntur aliqua minutiora. Argumenta, quæ contra noſtram reſolutionem fieri poſſunt, *Primo enim obycies.* Nulla poteſt dari communicatio Dei ad homines amicabilis; ergo nulla datur vera, & propria amicitia. *Antecedens probatur.* Omnis communicatio Dei ad homines etiam in genere ſupernaturali eſt cum infinita diſtantiâ Dei ad nos, & cum ſumma dependentia noſtri ad Deum, etiam in donis ſupernaturalibus; ergo talis communicatio fundat ſummam ſeruitutem, & ſubiectionem, quia ſumma dependentia ſummam importat ſubiectionem. repugnat autem quod idem ſit fundamentum ſeruitutis, & amicitiæ, cum ſeruus, & amicus opponatur, vt conſtat Ioann. 15. *Iam non dicam vos ſeruos, ſed amicos:* ergo non datur propria amicitia hominis ad Deum.

2 Secundo *obycies*: Quia ſaltem charitatis non eſt formaliter amicitia, ſed ſolum fundamentaliter, & antecedenter; nam charitas habet ſuum obiectũ formale complete, & perfectè per hoc, quod eſt diligere Deum propter ſe ipſum ſuper omnia: ſed hic amor non eſt formaliter amicitia, ergo *Min. probatur.* Quia talis amor nondum includit formaliter mutuam redamationem, ſed ſolam beneuolentiam hominis ad Deum, qui amat ipſum ſuper omnia, etiam ſi ab ipſo non redamaretur; ergo nondũ ibi intelligitur formalis ratio amicitię. *Mai. prob.* Quia ille amor diligendi Deum ſuper omnia propter ſe ipſum præſcindẽdo à mutua redamatione Dei non eſt amor concupiſcentię, cum non velit bonum ipſi amanti, ſed ipſi amato; ergo eſt charitas: præſertim cum talis amor opponatur peccato quia diligit Deum pluſquam omnia; & conſequenter ſufficit ad iuſtificationem. *Tertiò* Ad habitum charitatis etiam pertinet elicere amorem concupiſcentiæ, vt patet in illo actu, quo in patria concupiſcimus Deum, qui elicitur à fruitione charitatis, vt diximus *diſp.* 1. *ſpe, art.* 1. Ergo charitas non eſt ſola, & pura amicitia. *Quartò* quia charitas etiam eſt erga proximos, & tamen non diligit illos propter ſe, ſed propter Deum; ergo ſaltem reſpectu proximorũ non eſt amicitia. *Denique.* Non ſeruat charitas omnes conditiones amicitiæ, nam licet nos amemus Deum propter ſe ipſum, tamen Deus non diligit nos propter nos ipſos, ſed propter ſe; ergo non habet mutuum amorem amicitiæ; nec ſeruat æqualitatem erga nos, quam tamen exigit amicitia; neque conuictum, & familiaritatem ſaltem in hac vita, quia nos latet quod Deus nos amet, cum tamen ad verã amicitiam oportet quod amicus cognoſcat ſe diligi ab alio. Et quidem cum infantibus baptizatis nullum Deus habet conuictum; & tamen habet eandem charitatem quam nos ergo ſaltem in illis non eſt amicitia.

3 Ad *primum reſpondetur* amicitiam excellentiæ non excludere omnem ſeruitutẽ, neque aliam generalem, & quaſi Phyſicam, quæ eſt inter creaturam, & creatorem; hæc enim tolli non poteſt à creatura: neque ſpecialem: ſeu moralem, quæ eſt ſecundum conuictum rationalium perſonarum, inter quas quædam ſeruiunt, & quædam dominantur. Homo autem etiam per dona ſupernaturalia ita manet Dei amicus, quod etiam illi ſeruit: ſicut dicitur amicus Regis, qui eſt eius miniſter. Et ſic eſt duplex ſeruitus, vna vilis ſicut in mancipiis, & captiuis; alia honorata, quæ inuenitur in liberis, ingenuis, ſicut ſerui Regis, qui illi aſſiſtunt & conuiuunt. Et prima ſeruitus repugnat amicitiæ, non ſecunda. Et ita Sancti, qui vocantur amici Dei etiam dicuntur ſerui Dei, ſicut dicitur de Moyſe Exod. 33. *Quod loquebatur Dominus ad Moyſen facie ad faciem, ſicut ſolet loqui homo ad amicum ſuum*; & tamen vocatur *Seruus*. num. 12. *At non talis ſeruus meus Moyſes, qui in omni domo mea fideliſſimus eſt.*

4 Ad ſecundũ *Pater Lorca* ſuper *quaſt.* 23. *art.* 1. *diſp.* 2. *n.* 16. Exiſtimat charitatem dici amicitiam fundamentaliter; formaliter autem ſolũ eſſe amorem beneuolentiæ, quo Deus amatur propter ſe; ſequuntur tamen charitatẽ conditions amicitię, quia qui Deum diligit diligitur ab eo, &c. Sed hęc ſententia contraria eſt *D. Th.* infra *quaſt.* 27. *art.* 2. ibi inquit quod *amor importat quandam vnionem ſecundum affectum amantis ad amatum, in quantum ſcilicet amans æſtimat amatum quodammodo vt vnum ſibi, vel ad ſe pertinens, & ſic mouetur in ipſum ſed beneuolentia eſt ſimplex actus voluntatis, quo volumus alicui bonum, etiam non præſuppoſita prædicta vnione affectus ad ipſum Sic ergo in dilectione ſecundum quod eſt actus charitatis, includitur quidem beneuolentia, ſed dilectio, ſiue amor addit vnionem affectus. Et propter hoc Philoſophus dicit quod beneuolentia eſt principiũ amicitiæ.* Ita D. Thom. Quare ſi Deus non ſe cõmunicaret nobis, nec redameret nos, ille actus quod diligeremus eum ſuper omnia non eſſet actus charitatis ſimpliciter, & perfectè, ſed ſimplicis

plicis

beneuolentiæ, quæ eſt inchoatio & diſpoſitio ad amicitiam, ideoque ſolum reductiuè pertineret ad charitatem tanquam principium amicitiæ in genere ſupernaturali, non amicitia; ſi autem eſſet amor naturalis erga Deũ pertineret ad illũ actũ, ſeu principium, quo volumus finem honeſtum antecedenter ad virtutes, quæ verſantur circa actus electionis, & ſupponunt actum intentionis erga finem bonum, qui eſt aliquid altius virtute morali; & in illo caſu non ſufficeret ille actus ad iuſtificationem, & expulſionem peccati, eo quod Deus non ſe communicaret, & conſequẽter non daret gratiã quæ eſt forma iuſtificãs.

5 Quo etiam argumento probatur contritioné, & actum charitatis formaliter non iuſtificare, non intellecta communicatione Dei per gratiã. Itaque actus charitatis formaliter fertur in Deũ vt ſummum bonum nobis vnitum per communicationem ſui. Vnde remota communicatione tenditur in Deũm vt à nobis ſeparatum, quod non pertinet ad charitatem, ſed vel ad amorem, vel ad religionem, ſi illum colendo reſpiciat, vel ad amorem beneuolẽtię, qui eſt initium amicitiæ non ipſa amicitia: requirit enim illam vnionem vt conditionem intrinſecam, ex cuius variatione ratio formalis variatur, ſicut ex variatione obſcuritatis variatur teſtificatio fidei.

6 *Ad tertium reſp.* tractatu de ſpe *diſp.* 1. *art.* 1. In ſumma charitas non poteſt elicere amorem concupiſcentiæ imperfectę, ſcilicet quæ vult ſibi bonum ſiſtendo in ſe; poteſt tamen elicere concupiſcentiam perfectam ideſt, non ſiſtentem in ſe, ſed relatam ad amicitiam; ſic enim concupiſcit Deum fruendo illo vt præſenti, quod hoc ipſum refert ad Deum vt amicum. Non eſt autem incõueniens, quod amicitia habeat aliquam concupiſcentiam adiunctam, vt ex *Caietano* oſtendimus ibidem *artic.* 3. Nam quando volo bonum amico, ly *Bonum* eſt concupiſcentiæ, ly *Amico* eſt amicitiæ. Sic etiam fruitio charitatis poteſt concupiſcere Deum ſibi, quatenùs etiam ſecundario diligit ſe; ſicut etiam quemlibet proximum, ſed tamen totum hoc vltimatè refert ad Deum, vt amicum.

7 *Ad quartum* relictis aliis ſolutionibus apud Patrem *Torrae diſp.* 66. *dub.* 2. *Patrem Lorca* vbi ſuprà *Reſp.* quod proximus eſt obiectum ſecundarium charitatis, & ita non diligitur propter ſe primario tanquam propter finem, ſed mediante obiecto primario amicitiæ: conditiones enim amicitiæ non æqualiter relucent in obiecto primario, & ſecundario, & nihilominus per charitatem volumus bonum proximo vt fini *cuius gratia*; hoc enim non requiritur ad amicitiam.

8 Ad vltimum *nego antecedens.* Ad impugnationem *dicitur*, Quod Deus amat non vt amicos, non tamen eadem æquiparantia, qua nos illum, cum iſta ſit amicitia excellentiæ, ſicut inter inferiorem, & ſuperiorem: ſufficit ergo quod amet nos volendo nobis bonum vt ſubiectis non vt fini *Cuius gratia*, ſicut nos illum amare debemus. Ad ſecundam impugnationem *dicitur*, quod in amicitia excellentię non requiritur æqualitas in perſonis, aut ſtatu vel officio, ſed ſufficit quod ſit æqualitas correſpondentiæ, ita vt ſicut vnus amat, alter amet. Eleganter Bernad. ſerm. 83 in cantica. *Si dominatur Deus, me oportet ſeruire, ſi imperat me oportet parere, & non viciſſim à Domino, vel ſeruitium exigere poſſum, vel* obſequium: *cùm autem Deus amat, non aliud vult quam amari, quippè nõ aliud amat niſi vt ametur.*

Ioan. à S. Thom. in 2. 2. *D. Thom.*

Ad vltimam demique *dicitur* Deum habere conuictum, & familiaritatem nobiſcum in hac quidem vita imperfectam, & obſcuram per fidem, & in patria per ſpeciem, quando ſerui eius videbunt faciem eius ſemper, vt dicitur *apocal. vltimo* Et licet certitudine abſoluta non conſter modo nobis de dilectione Dei, tamen per ſigna probabilia omninò conſtat, nam vt dicit Apoſtolus, *ipſe ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro quod filij Dei ſumus* quod verò adiiciunt de infantibus baptizatis *dicimus* Deum habere cum ipſis amicitiam habitu non actu, & ideò neque conuictum habet cum ipſis actualiter propter defectum vſus rationis. 9

ARTICVLVS II.

Vtrum in charitate naturali inueniatur ratio amicitiæ erga Deum.

SVpponit hęc quęſtio vnum, & inquirit aliud, ſupponit dari amorem Dei beneuolentiæ diſtinctum ab amore ſupernaturali, & inquirit, an talis amor Dei ſuper omnia habeat rationem veræ amicitiæ? Et quidem circa primum nulla eſſet opus diſputatione, ſed ſuppoſitione, niſi Vazquez diſtinctionem hanc duplicis amoris naturalis, & ſupernaturalis in dubium reuocaret 1 2. *diſp.* 195. *c.* 2. & 3. contra quem valide, & efficaciter pugnat *Suar. libro primo de Gratia. cap.* 30. & *Lorca* hic *quæſt.* 24. *articul.* 4. *diſp.* 6. ſenſus ergò *Vaſquez* eſt non dari duplicem amorem naturalem, qui ſit amor beneuolentiæ Dei ſuper omnia, ſed ſolùm poſſe diſtingui per hoc, quod amor naturalis dicatur amor concupiſcentiæ erga Deũ, amor autem ſupernaturalis amor amicitiæ. Et vocat *naturalem amorem concupiſcentiæ*, non quia non indigeat auxilio gratiæ Dei mouentis, ſed quia non indiget principio habituali ſua natura infuſo, ſicut indiget amor amicitiæ erga Deum *Fundamentum Vazquez* (relicta auctoritate negatiua, quod Patres non diſtinxerunt hunc duplicem amorem) ex triplici capite deducitur, quod latiſſimè ab ipſo, & confusè, probatur, *Primò* ex ratione formali vtriuſque amoris: *Secundò* ex principio, ſeu virtute, qua fit: *Tertiò* ex effectu, quem facit. *Primum ſic.* Impoſſibile eſt diſtingui duplicem amorem naturalem, & ſupernaturalem, niſi diſtinguatur duplex ratio formalis ſpecificans, ſed non poteſt iſta ratio diſtingui in amore naturali, & ſupernaturali, ſi vterque ſit beneuolentiæ Dei ſuper omnia: ergo *maior patet*, *minor probatur.* Amor beneuolentiæ reſpicit Deum in ſe ipſo ſed in ſe ipſo bonitas Dei vt diligibilis ſuper omnia eſt, vnica, & indiuiſibilis, ergo ex parte bonitatis diuinæ non fundatur duplex ratio formalis amandi. 1

Dices diſtingui iſtas duas rationes. *Primò.* quia conſideratur in Deo non duplex bonitas, ſed duplex communicatio donorum naturalium, vel ſupernaturalium. *Secundò.* quia diuerſo modo apprehenditur Deus, vt author naturalis per lumen naturale, ac vt ſupernaturalis per fidem. *Aut Tertiò*, quia oritur à 2

duplici principio, naturalis amor à ſola voluntate ſine habitu, ſupernaturalis autē ab habitu infuſo.

3 Sed prima ſolutio non valet. Quia Deus conſideratus ſub diuerſa ratione cōmunicantis nobis bona ſua diligitur non in ſe ipſo, ſed relate ad nos & propter beneficia, ſua; & primum pertinet ad concupiſcentiam, ſecundum ad gratitudinē; neutrum ad amicitiam. Secunda ſolutio non ſufficit. Quia apprehenſio obiecti ſolum ſe habet vt conditio, non vt ratio motiua; ergo quod bonitas Dei apprehendatur modo naturali, vel ſupernaturali nihil variat de illo affectu, qui tendit in ipſam Dei bonitatem vt eſt in ſe, ſegregando omne aliud, quod extra Deum. Sicut etiam cognitio Dei per fidem, vel viſionem non variat rationem formalē charitatis. *Tertia denique* nō concludit. Quia diuerſa principia affectiua non diſtingunt actus niſi mediante diuerſitate obiecti, à quo ſpecificantur, ergo quandiù non aſſignatur differentia ex parte obiecti impertinenter ſe habet diuerſitas ex parte principij.

4 Ex ſecundo capite ſumitur fundamentum P. Vazquez. Quia ſi iſte amor naturalis daretur, non eſſet cur non poſſet elici viribus naturæ in hoc ſtatu peccati, ſicut in natura integra, quia nihil intrinſece manet in homine poſt peccatum, quod reddat illum impotentem ad talem actum, non improportio ad tam excellens opus, quia licet facultas naturalis infirma nō poſſit facere opus excellens propter improportionem virium, facultas tamen libera poteſt, eo quod nullomodo minuitur ratio libertatis per peccatum. Vnde cum naturali auxilio Dei poteſt quod antea. Non habitus prauus, & vitioſus, quia hic non ſemper datur ex omni actu peccati, & ſaltem per originale nō traducitur. Non pronitas, & affectus ad res temporales, quod pertinet ad fomitem, quia hic etiam poſt infuſam gratiam manet, & tamen non impedit elicere actus dilectionis ſupernaturalis; ergo neque naturalis. Non denique macula ipſa peccati, quia hæc vel pugnat formaliter cum dilectione naturali, vel non. Si pugnat expellitur macula à tali dilectione, & conſequenter ſine gratia ſupernaturali poterit emundari à peccato, & iuſtificari. Si non pugnat, ergo poſſunt eſſe ſimul, & ſic obſtāte macula elici poterit, iſte actus viribus naturæ: nec enim macula minuit vires iſtas, cum non opponatur facultati agendi, quia non eſt habitus vitioſus, ſed nitori gratiæ, & rationis in ipſa eſſentia animæ.

5 Denique ex tertio capite procedit *Vazquez*. Quia quæcūque amicitia ad Deum pugnat cum ſtatu peccati, ſaltem tanquā vltima diſpoſitio ad illud emendandū, quia cum ſit dilectio Dei ſuper omnia efficaciter auertit ab affectu peccati, quod eſt contra Deum, & conuertit ad ipſum: ergo repugnat talis rectitudo, & conuerſio cum auerſione peccati, & conſequenter tollit illud. Sed non poteſt tolli peccatū ſine gratia iuſtificante, vt cōſtat ex definitionibus Eccleſiæ: nam neque hoc auſus eſt negare *Pelagius*, quando negabant gratiā actualē, quæ eſt gratia auxilians. Et multo minus poteſt aliquis ſimul manere cōuerſus, & auerſus à Deo: ergo nō datur talis amicitia naturalis.

6 Si *dicatur* illam dilectionem naturalem non perfectè conuertere in Deum, & auertere à peccato, quia non conuertit in Deum authorem ſupernaturalem. *Contra eſt*. Quia ſaltem ſequeretur illum hominem eſſe efficaciter conuerſum ad Deum finem naturalem, & ſic eſſet naturali modo iuſtificatus, licet ſupernaturaliter auerſus, quod eſſe ſemi iuſtificatum, & habere medium ſtatum inter gratiam, & peccatum, quod fides Catholica non agnoſcit, neque enim licet à Deo dimidiam ſperare veniam.

Circa *difficultatem* verò quæ, intenditur *in hoc articulo*, adhuc dato quod ſit talis amor beneuolentiæ naturalis, reſtat dubium non modicum, an ſit vera, & propria amicitia? *Et ratio duby eſt*. Quia illa naturalis dilectio nullam habet indebitam, & gratuitam Dei communicationem in pura natura, in qua fundetur iſta amicitia, *tum* quia vt dicit *D. Thom. hic q. 23. art. 1. ad 1*. Secundum ſenſibilem, & corporalem naturam nulla eſt nobis conuerſatio cum Deo & Angelis; intellectus autem noſter in hac vita intelligit dependenter à natura ſenſibili; ergo nullam habet conuerſionem, & familiaritatem cum Deo. *Tum*, quia ille ſtatus naturæ, licet habeat dilectionem Dei toti naturæ communē, & Deo debitam vt creatori, tamen illa dilectio vt eſt communis non eſt peculiare Dei beneficium, & fauor, ſed naturę debitum: ergo non eſt communicatio amicabilis, quæ opponitur debito communi naturæ. Vnde *Apoſtolus* tanquam peculiare beneficium gratiæ ponit vocationem hominum in Societatem Dei, iuxta illud 1. *Cor. 1. fidelis Deus per quem vocati eſtis in Societatem filij eius*. Denique tota ratio amicitiæ fundatur in communicatione ſecretorum, iuxta illud Ioann. 15. *Nan dicam vos ſeruos, ſed amicos, quia omnia quæcumque audiui à Patre meo nota feci vobis*: ſed inter homines manifeſtatio ſecretorum eſt gratia indebita, quam vnus exhibet alteri: ergo multo magis communicatio ſecretorum in Deo erit gratia Dei indebita homini. Sed ſtatus puræ naturæ eſt ille in quo nihil indebitum, & gratuitum habetur, ſed id quod præcisè pertinet ad naturam: ergo implicat quod dilectio aliqua ſit naturalis, & conſequenter pertinens ad naturam, & tamen fundat amicitiam erga Deum. 7

Et *confirmatur*. Quia illa amicitia naturalis nō eſt ſufficiēs excludere inimicitiā, ſi ſemel incurratur per peccatū, alioquin ſine gratia Dei poſſet aliquis emūdari à peccato, & remitti illi offenſa: ergo talis dilectio nō eſt ſimpliciter amicitia, ſiquidē non opponitur inimicitiæ: & ideò cōmoniter Patres, & Doctores pro eodē reputant hominē eſſe Dei amicū & eſſe illi gratū, quia idē eſt habere amicitiam, & excludere inimicitiam. 8

Nihilominus aſſerendū omnino eſt dari amorē Dei ſuper omnia naturalē, qui ſit amor beneuolentiæ non tamē poterit iſte amor habere perfectā rationē amicitiæ, ſed imperfectā, intra genus tamen amicitiæ veræ quantum ad ſubſtantiam, non quantum ad ſtatum. 9

Primam partem huius ſententiæ quantū ad amorē beneuolentiæ naturalē àpertè tenet *S. Th. 1. q. 109. art. 5.* vbi ſolutione *ad 1.* diſtinguit actū, quo charitas diligit Deū ſupernaturaliter ab actu, quo diligitur ſuper ōnia naturaliter. *Et 1. p. q. 60. art. 5.* idē affirmat loquēs de naturali dilectione Angel. erga Deū: & expreſſiſſimè in *quodlibeto 1. art. 8.* vbi refert opinionē illorū, qui dicebāt hominē, & Angel. diligere Deū pluſquam ſe naturali amore concupiſcentiæ, non tamēn amore amicitiæ, quo volumus bonum amico: quam poſitionem dicit S. *Thom.* eſſe impoſſibilem: ergo expreſsè aduerſatur ſententiæ *Patri Vazquez*. Sequuntur *Diu. Thom.* communiter eius 10

interpretes

interpretes; & in locis citatis, & uideri poſſunt *P. Suarez & Lorca* vbi ſupra.

11 Fundamentum principale conſiſtit in hoc, quod etiam remoto ordine ſupernaturali, Deus eſt finis vltimus omnium actionum humanarum & conſequenter diligendus ſuper omnia propter ſe, & colendus tanquam primum principiũ, præceptum enim diligendi Deum eſt præceptũ legis naturæ, vt notat *D.Th.* citato loco ex 1.*p.in argumento ſed contra*; & latiùs tradit 1. 2. q. 109. *art.* 3 *ad.* 1. *& art.*6. De ratione autem finis vltimi, eſt vt ametur ſuper omnia amore beneuolentiæ, quia non ſolum debemus illum diligere nobis, ſed omnia referre ad illum, & ordinare ad illum ergo debemus velle illi bonum, ſcilicet ſubiectionem noſtram, & ordinationẽ omnium ac ipſum, ſicut ei debemus velle ſummam authoritatẽ, & rationem primi principij, ergo non ſtat, quod naturali ordine amemus Deum tanquam finem vltimum, & non amemus ipſum amore beneuolentiæ: alioquin negandum eſt, quod pertineat ad prima principia practica naturaliter nota illud principium *Deus eſt diligendus vt finis vltimus; Deus eſt colendus vt primum principium.* Exibere enim cultum eſt velle bonum alicui, non autem concupiſcere ſibi.

12 Deinde explicatur amplius Quia ratione naturali poteſt cognoſci Deum eſſe bonum vniuerſale, & origine totius boni, dicente Apoſtolo Rom. 1. *Inuiſibilia Dei à creatura mundi per ea quæ facta ſunt intellecta cõſpiciuntur, ſempiterna quoque virtus eius, & diuinitas, ita vt ſint inexcuſabiles*: Ergo non poteſt excuſari naturalis ratio, quin cognoſcat diuinam bonitatem in quantum eſt virtus ſempiterna, quod eſt eſſe virtutem omnium creatiuam. Si ergo poteſt homo per naturalem rationem diligere particulare bonum, v.g. alium hominem non ſolũ amore concupiſcentiæ, ſed etiam beneuolentiæ, volendo illi ſalutem, aut vitam &c. Cur non etiam ipſi ſũmo bono cognito à ſe poterit velle aliquod bonũ ipſi Deo debitum, & proportionatũ, quod eſt habere amorem beneuolentiæ? Bonum autẽ debitum, & proportionatum Deo eſt ex parte ipſius ſumma authoritas, ex parte noſtri ſumma ſubiectio: hoc autem eſt diligere Deum ſuper omnia ſubijcere, & ab eo regulari, ergo poſſumus habere amorem beneuolentiæ erga Deum ex ipſa ratione ordinis naturalis, imo ad hoc tenemur per pręceptum ipſo iure naturę, vt dictum eſt.

13 Addimus non leuiter confirmari noſtram ſententiam ex determinatione *Pij V. & Gregorij XIII.* damnantium propoſitiones. *Michaelis Bay*, inter quas trigeſima quarta propoſitio ita habet *diſtinctio duplicis amoris, naturalis, quo Deus amatur vt author naturæ, & gratuitis quo Deus amatur vt beatificator, vana eſt, & cõmentitia, ad illudendum ſacris litteris, & pluribus veterum teſtimoniis excogitata.* Sic dãnarunt Pontifices. Reſpondet autem *Vazquez*, non dãnaſſe illam propoſitionem quantum ad ſubſtantiam, ſed quantum ad cenſuram, quia ille author nimis rigidè cenſebat de illa diſtinctione duplicis amoris. *Sed non valet ſolutio.* Nam prætterquam quod Pontifex abſolutè loquitur in damnatione illarum propoſitionum, & non diſtinguit de illarum cenſura, vel de illarum ſubſtantia, atque adeò non licet nobis eius mentem reſtringere ſine grauiſſimo fundamento: præter

Ioan. à S. Thomã in 2.2. D.Thom.

hoc (Inquam) in præfata propoſitione nihil cenſuræ poſuit ille author, nam dicere, quod aliqua propoſitio *eſt vana, & commentitia*, non eſt cenſura, ſed eſt idem ac dicere, quod non eſt vera, & quod caret fundamento, vel ipſo Patre *Vazquez* teſte, qui frequentiſſimè impugnando ſententias probabiliter admiſſas, ſolet dicere, *hoc eſt cõmentitium*; hoc eſt inane, aut vanum, &c. ergo in illis verbis nulla cenſura importatur. Vel ſi ita eſt, ergo ſaltem debet admittere *P. Vazquez* contradictorium illius propoſitionis damnatæ, & dicere; *diſtinctio illa duplicis amoris, neque eſt vana, neque commentitia, neque ad illudendum ſacris litteris excogitata.* Et ſi hoc admittit, vt omnino tenetur; ergo ſecundum Eccleſiæ iudicium illa diſtinctio non caret fundamento, neque cõtrariatur veritati, quæ eſt in ſacris litteris, & in patribus. Habet ergo fundamentũ, & probabilitatem. Cur ergo reijcit Vazquez, quod ſic commendant Pontifices?

Quo ad ſecundã partem concluſionis, quod ſcilicet iſta amicitia naturalis ſit imperfecta, intra genus tamẽ amicitiæ, ſumitur ex *D.Th.* 8. *Ethic lect.* 12. Vbi ex Philoſopho docet dari amicitiã inter homines & Deos, tanquã ad bonũ excellẽt. Vbi *Philoſophus* loquitur de amicitia naturali, quia ſupernaturalẽ non agnouit. Et in 10. *Ethic lect.* 13. docet ex eodẽ Phil. quod *ſapiens eſt amiciſſimus Deo, quia rationabile eſt* (inquit) *vt Deus maximè benefaciat his qui amant intellectum, & honorãt ipſum bonũ intellectus omnibus alijs praferentes.* Itaque ſubſtantia amicitiæ ſaluatur in hoc quod ſit amor beneuolentiæ cum relatione mutua, & cõmunicatione liberali. Erit autẽ imperfecta amicitia ſi non perueniat ad perfectã cõmunicationẽ, qualis eſt in cõmunicatione familiari, & ſecretorũ manifeſtatione: & ſimiliter ſi non habeat tantam efficaciã, quod poſſit omnẽ inimicitiã expellere, ſi incurratur, quia habere actiuitatem ad agendũ, & reſiſtendũ contrarijs eſt ſignum ſtatus perfecti. Igitur in pura natura poteſt dari mutua beneuolentia inter Deum, & homines, quia ex parte hominis poteſt velle aliqua bona ipſi Deo, non quidem benefaciendo, ſed debitũ exhibendo, quia cũ homo ſit amicus inferior neque etiã in ordine ſupernaturali poteſt exhibere Deo bona gratuita, ſed debita, *quis enim prior dedit illi, & retribuetur ei?* Ait Apoſt. Ex parte autẽ Dei poteſt dari amor beneuolẽtię in illo ſtatu puræ naturæ exhibendo aliqua beneficia liberalia citra eleuationẽ naturæ ad ordinẽ ſupernaturalẽ. licet enim illa beneficia non ſint extra cõnaturalitatẽ totius naturæ, ſunt autẽ indebita huic, aut illi indiuiduo, quia poſsẽt intra limites naturæ nõ dari illi. Sicut v.g. perfecta ſanitas, diuitiæ, pluuię, euitatio periculorum, &c. Hæc enim ſunt fortuita reſpectu indiuiduorũ, & cõſequenter ſi dantur à Deo liberaliter dantur.

Addo non repugnare illi ſtatui, quod detur aliquod beneficiũ à Deo naturale quoad ſubſtãtiã, & ſupernaturale quoad modũ, ſicut liberatio ab infirmitate mortali, reſtitutio viſus, infuſio ſciẽtiæ per accidens, & reuelatio aliquorũ effectuũ naturaliũ: hæc enim omnia licet ex parte modi naturalia non ſint, non tamẽ eleuãt hominẽ ad ordinẽ gratiæ, ſed intra purã naturã manent. Et ex hoc oſtenditur illam amicitiam eſſe imperfectam. quia non peruenit ad hoc, vt Deus communicet homini de ſuis bonis proprijs, quæ ſunt bona diuina, ſed de bonis extrinſecis, 15

quæ quantumcumque ſint magna, & indebita, comparatione diuinorum nihil ſunt. Et ſimiliter hæc amicitia naturalis non ſufficit reparare inimicitiam peccato, quia ex vi illius non poteſt tolli ratio offenſæ, quantumcumque homo iterum ſe Deo ſubiiciat per iſtum amorem naturalem, quia remiſſio offenſæ, vel requirit gratiam remittentis, vel plenam ſatisfactionem; & ſatisfactio plena pertinet ad ordinem Hypoſthaticum; gratia autem remiſſionis ad ordinem gratiæ ſupernaturalis. De quo videatur *Diu. Thom.* 1.2. *quæſt.* 109. *art.* 7. *&* 3 *part. q* 2. *art.* 2.

Soluuntur Argumenta.

1 AD *Primum Fundamentum P. Vazquez Reſp.* ſolutione ibi data. Quod beneuolentia naturalis, & ſupernaturalis erga Deum diſtinguuntur penes diuerſum modum bonitatis, non in eſſendo, ſed in communicando, quatenus diuerſa communicatio eſt ratio, vel conditio fundandi diuerſam manifeſtationem bonitatis, & diuerſum amorem beneuolentiæ. Et ſic *D. Th.* 1. *p. q.* 60. *art.* 4. *&* 1.2. *q* 109. *art.* 3. diſtinguit iſtum duplicem amorem ex parte diuerſæ communicationis diuinæ; & generaliter philoſophus in 8. *Ethicorum* diſtinguit amicitias penes diuerſas communicationes, vbi videri poteſt *D. Th. lect.* 12. Sicut eſt diuerſa amicitia conſanguinitatis, vel amicitia ciuilis, quæ eſt inter conciues, & amicitia commilitantium, vel ſtudentium, id eſt, conuenientium in eadem militia, vel ſtudio, vt ibi philoſophus numerat. Vnde non repugnat cum eadem perſona contrahere diuerſas amicitias, quæ reſpiciunt eandem bonitatem perſonæ ſub diuerſo reſpectu ſe communicandi, ſicut cum eodem poteſt haberi amicitia conſanguinitatis, & amicitia coniugij. Ita cum Deo alia eſt amicitia in quãtum creator, & vniuerſale bonum vniuerſi, cui ſolum communicamus in bonis externis, alia in quantum Beatificator, cui debemus communicare in bonis propriis videndo, & fruendo illius ſubſtantia, quæ eſt ſicut amicitia inter ſponſum, & ſponſam, & inter patrem, & filium Huic enim amicitiæ aſſimilatur Deus in ſacra ſcriptura. Et iſta differentia eſt intrinſeca, & formalis, omittendo alias, quæ ab aliis aſſignantur minus benè. Nam etſi communicatio non ſit ipſa ratio formalis amicitiæ, bonitas tamen, vt eſt fundamentum communicationis, ita pertinet ad intrinſecam rationem amicitiæ quod variato tali fundamento, variatur amicitia, & inde oritur diuerſa appræhenſio bonitatis, quæ tanquam conditio diuerſificare poſſet amorem, quando ſupponit communicationem diuerſi ordinis, non eiuſdem, ſicut in nititur fide, & viſione clara. Vnde inania eſt impugnatio *Vazq;* quod communicatio reſpicit bonitatem relatè ad nos, & ſic erit amor concupiſcentiæ, vel gratitudinis, non enim hic ſumitur communicatio tanquam res volita ipſi amanti, ſed vt conditio, vel ratio fundans amorem beneuolentiæ mutuæ ipſi amato

Ad *Secundum Reſp.* Quod ſi quid probaret,
2 probaret naturam poſt peccatum remanſiſſe cum eiſdem viribus, quibus quando erat integra, & ſic peccatum nullum vulnus inferret naturæ, *Dicimus ergo* in ſtatu naturæ lapſæ illum actum diligendi Deum ſuper omnia eſſe excedentem & improportionatum libero arbitrio, non quantum ad indifferentiam libertati, ſed quantum ad virtutem operandi, quia vt definit *Conci. Trid. Seſſ.* 6. *c.* 1. liberum arbitrium per peccatum minime extinctum eſt viribus, licet attenuatum, & inclinatum. Quæ vires conſiſtebant in illa perfecta ſubordinatione, qua inferiores vires ſibi ſubiiciebat: qua ſubiectione amiſſa non poteſt voluntas ſola facere tantum opus, quod eſt diligere Deum ſuper omnia efficaciter, & abſolutè, quia hoc; virtualiter implet totam legem, dicente Apoſtolo, *Plenitudo legis eſt Dilectio.* Cum autem diligere Deum ſuper omnia ſit efficaciter ſubiicere Deo omnes actus & potentias noſtras, non poteſt in illo ſtatu liberum arbitrium per ſe ſolum ſubiicere omnes potentias, quas ſibi ſubiectas non habet ſed rebelles, & ideò indiget gratia ſanante, & iuuante, atque adeò non ſolum in facultate naturali, ſed etiam in libera veriſſimum eſt, quod non poteſt facultas infirma tam excellent opus vt ſana. Nec ratio libertatis vt ſic dicit virtutem, & poteſtatem continendi alias potentias; hoc enim faciebat Donum iuſtitiæ originalis, ſed ſolum dicit indifferentiam potentiæ reſpectu obiecti, quæ quidem indifferentia, & libertas à coactione illæſa manſit poſt peccatum: ſed virtus incontinendo inferiores vires, & firmitate, ac rectitudine iudicandi attenuata eſt. Et licet fomes maneat etiam poſt gratiam, tamen fortificatur virtus voluntatis contra fomitem, & habet auxilia ſuperioris ordinis ad reſiſtendum, & vincendum illum, quod non currit in ſtatu peccati ſine gratia.

Ad *Tertium Reſpondetur.* Illam dilectionem 3
naturalem dei ſuper omnia non pugnare cum ſtatu peccati perfectè, & adęquatè, & quoad effectus priuatiuos peccati, ſed ſolum inadæquatè, & ex parte, ſcilicet quantum ad actualem conuerſionẽ, & voluntatem peccandi: Effectus autem priuatiui, ſicut offenſa, & iniuria dei, reatus pœnę æternæ, priuatio gratiæ, ſeu indignitas ad illam, & ad omnia beneficia dei gratuita, hæc non poteſt expellere dilectio illa naturalis, nec vltimo diſponere ad iuſtificationem. Sicut etiam attritio extra ſacramentum auertit hominem à voluntate peccãdi, nec tamen iuſtificat: ſic dilectio illa deponit voluntatem peccandi, & conuertit actualiter ad Deum voluntatem, non tamen tollit effectus illos priuatiuos, qui ſolum per gratiam Dei remittentem euacuari poſſunt. Nec ideò manet ille homo ſemi iuſtificatus, ſed ſimpliciter peccator priuatiuè, & quantum ad offenſá, & reatum, licèt non habeat amplius voluntatem peccandi, Sicut qui regem offendit, licet mutet voluntatem, nolitque amplius offendere, tamen reatus, & iniuria non remmittitur niſi gratia Regis accedat. Tamen aduerte, quod in tali ſtatu illa dilectio naturalis quantumcumque efficax non eſſet amicitia, ſed beneuolentia, quia eſſet voluntas hominis indigni non redamari a Deo. Et ideò illo reatu peccati ſtante, non eſſet actus amicitiæ, ſed beneuolentiæ ſuper omnia.

Ad *ea quæ obiiciuntur* contra ſecundam partem concluſionis *Reſpondetur.* In puta naturã poſſe eſſe amicabilem, & gratuitam communicationem dei ad hominem, non quidem in bonis propriis, & diuini ordinis, ſed in bonis naturalibus fortuitis, & contingentibus: quæ etiam ſi ſint naturalis ordinis, non tamen ſunt debita omni indiuiduo, ſed contingentia. Et quando dicit *Diu. Thomas* Quòd *Homo ſecundum ſenſibilem, & corporalem naturam non habet conuerſationem cum Deo, & Angelis,* loquitur de conuerſatione exteriori, quæ fit modo corpore inter homines;

ſic

ſic enim non eſt cum Deo; ſed ſecundum ſpiritualem mentem, vt ibi dicit. *Et quandoadditur*, quod dilectio illa naturalis eſt communis omnibus in illo ſtatu, non tamen beneficia dei gratuita. *Reſpondetur*. Quod omnibus habentibus illam dilectionem aliquod beneficium Deus donaret, ſiquidem præmiaret illum actum proportionatè ad talem ſtatum. *Denique* ad illam cauſalem ex verbis chriſti Domini, *Quia quæcumque audiui à Patre meo, &c.* Reſpondetur. Quod eſt cauſalis amicitiæ perfectæ communicantis ſecreta, & bona propria, non imperfectæ, quæ ſaluatur in communicatione bonorum exteriorum, quæ ſunt indebita, quia contingentia, non quia ſupernaturalia. Reliqua autem, quæ ibi afferuntur procedunt de amicitia perfecta, & ſecundum ſtatum, non de communiter dicta. Et *Patres* ſimiliter loquuntur communiter de illa perfecta, quia pro hoc ſtatu vna amicitia non ſeparatur ab alia.

ARTICVLVS. III

Vtrùm Charitas ſit vna ſecundum ſpeciem athomam?

1 QVatuor ſunt, quæ pugnare videntur contra vnitatem thomam charitatis. *Primò*, ex parte ipſius obiecti, quod eſt Deus, quia poſſunt diuerſa attributa amari, præſcindendo vnum ab alio. Sufficit autem iſta diſtinctio, præciſſiua attributorum ad diſtinguendas virtutes; ergo & amores. Nam per religionem attingitur Diuina Maieſtas vt obſeruabilis per cultum; à timore diuina eminentia vt formidabilis; à ſpe diuina Omnipotentia vt auxilians; ergo & amor attingens vnum attributum, vel perſonam, & non aliã diſtingui poteſt. *Secundò*, ex parte regulationis diſtingui poteſt charitas viæ, & patriæ, quia vna regulatur à viſione clara, altera à fide; iſtæ autem regulationes ſunt ſpecie diuerſæ; ergo & amores regulati. *Tertiò*, ex parte perſonarum quæ amantur, videntur dei & proximi charitas differre, & eſt argumentum difficilè, quod ſæpè proponit *D.Thom.* Nam honor, qui datur Deo, & qui datur proximo, fundat diuerſas virtutes latriæ, & duliæ; ergo diuerſus amor diuerſas charitates: & licet proximus ametur propter Deum, etiam ſancti honorantur propter Deum, cuius ſerui ſunt: & tamen quia habent diuerſas excellentias fundant diuerſas virtutes, ergo quia habent diuerſas bonitates, fundabunt diuerſas dilectiones.

2 Et *Vrgetur amplius*, Quia amicitia variatur ſecundum diuerſas communicationes; non repugnat autem inter ipſos homines dari communicationem ſupernaturalem reſpicientem tantum dona creata ſupernaturalia; ergo poterit fundari amicitia ſupernaturalis reſpiciens bonum creatum ſupernaturale diſtincta ab illa, quæ reſpicit bonitatem increatam Dei. *Quartò*. Ex parte actuum charitatis, qui ſunt ſpecie diuerſi, v.g. amor efficax, & inefficax dei; dilectio dei, & odium peccati: gaudium, & deſiderium de Deo: ergo tales actus fundant diuerſa principia ſpecie diuerſa: vel ſi in genere charitatis ſunt eiuſdem ſpeciei, non euadimus difficultatem in ſententia *D. Thom.* quod poſſint plura accidentia euiſdem ſpeciei eſſe ſimul in eodem ſubiecto, vt ſi quis ſimul diligat, & deſideret Deum, & odio habeat peccatum.

Nihilominus aſſerendum eſt Charitatem eſſe vnam virtutem in ſpecie athoma, nec in plures diuidi poſſe. Eſt communis Theologorum, & à *D.Thom.* aſſerta *hic q.23.art 5.* quæ licet ex ſolutione difficultatum poſitarum clariùs eluceſcet, nunc ſufficiat rationem *D.Thom.* quę fundamentalis eſt, & contra omnes illos modos procedit, explicare. Sic ergo rationem *D.Thom.* Propono. Vnitas ſpecifica actus, vel habitus ſumitur ab vnitate formali obiecti; ſed formalis ratio ſpecificans Charitatem eſt vna ſecundum ſpeciem athomam; ergo & charitas. *Minor probatur.* Formalis ratio ſpecificatiua charitatis eſt ratio amicitiæ ſupernaturalis, quæ eſt vna ſecundum ſpeciem Athomam in quocumque ſtatu conſiderentur; ergo. *Antecedens Probatur.* Amicitia reſpicit bonum vt communicatiuum ſui, ſolum ergo poteſt variari vel ex parte finis, quod pertinet ad bonum quod reſpicitur, & intenditur in amico; vel ex parte communicationum. Ex parte finis, ſicut videmus quod alia eſt amicitia vtilis, alia delectabilis, alia honeſti quia vel intenditur in amico ratio commodi, vel voluptatis, vel honeſtatis. Ex parte communicationum, ſicut alia eſt amicitia conſanguineorum, alia ciuium, alia ſtudentium, vel peregrinantium, &c. quæ numerat *Ariſtot. in 8. Ethic.* Charitatis autem amicicia ex vtroque capite habet vnitatem ſpecificam; nam ex parte finis quocumque modo conſideretur charitas habet eundem finem ſpecificum, ſcilicet, bonitas diuina vt complacens ratione ſui; nam in patria & in via eadem bonitas diuina diligitur, & complacet, hic credita, ibi viſa. Et ſimiliter qui vnam perſonam diligit, aut vnum attributum præſcindendo ab alio, eandem bonitatem, non ſolum ſpecie, ſed numero diligit, quia eſt eadem perfectio; & eodem modo aſſequibilis, & eodem modo attingibilis in ratione boni, licet aliter expreſſa vno conceptu, vel alio.

3 Similiter *Amor* ſupernaturalis erga proximum, vel eſt propter Deum, id eſt, in quantum proximus eſt aliquid dei, & ſic finis in eo intentus eſt bonitas diuina: vel eſt propter virtutes, & bona ſupernaturalia creata quæ habet proximus, & ſic intenditur honeſtas ſupernaturalis, quæ pertinet ad gratiam, in qua non diligitur homo in quantum homo, ſed in quantum filius dei, eſt que amicitia communis homini, & Angelo, & ſic etiam intenditur diuina bonitas, quia intenditur gratia, quæ eſt ſemen, & expreſſio quædam diuinæ bonitatis. Et ex hoc probatur quod non poſſunt differre charitates pœnes diuerſam communicationem amicabilem; quia ſi amicitia eſt ſupernaturalis debet fundari in communicatione ſupernaturali, quæ eſt per gratiam, & ordinatur ad eandem ſocietatem, & conuictum hominum, & angelorum cum Deo, tanquam filij, & domeſtici cum Patre: hæc autem communicatio eſt vna ſecundum ſpeciem, quia vita æterna, ſeu beatitudo, eſt vna ſecundum ſpeciem, ſicut vita ciuilis, in qua fundatur amicitia ciuium eſt vna; & communicatio conſanguineorum vna. Quod autem proximi inter ſe poſſint habere communicationem ſecundum bona creata ſupernaturalia nó obſtat, quia hæc cũ ſit cómunicatio ſupernaturalis debet fundari in cómunicatine gratiæ, & actuum ſupernaturalium, & ſic non eſt communicatio hominis vt homo, ſed vt filius dei: hæc autem communicatio non eſt alia quam ea, quæ

communicatur Deus in gratia tanquam caput. Sicut eadem eſt communicatio ciuilis, qua ciues communicant inter ſe, & qua communicant cum Capite ciuitatis: & eadem eſt communicatio qua domeſtici communicant inter ſe, & cum patrefamilias, & ſolum diſtingui poſſunt tanquam partiales, & inadæquatæ communicationes, quæ non variant, ſed integrant eandem communicationem.

Soluuntur Argumenta,

1 AD Primam ergo Difficultatem *Pat. Granados Controuerſ. 3. de Charit Tract. 1 diſp 5. ſect. 2.* exiſtimat charitatem, quæ de facto habetur reſpicere bonitatem dei vt comprehendit omnia attributa, quaſi formalitates inadæquatas, quibus eſſentia diuina perfecta eſt; non tamen repugnat de poſſibili dari diuerſos habitus charitatis, qui ferantur in diuerſa attributa cum præciſione repræſentata Et hoc explicat diſtinguendo duplicem præciſionem, qua poſſunt proponi iſta attributa; *Vno modo* ita quod explicita, & præciſa ratio vnius attributi ſit occaſio amandi, ratio tamen amata ſit perfectio ipſius attributi ſecundum totum, quod in ſe habet implicitè, & explicitè; & talis præciſio non ſufficit ad diſtinguendos habitus charitatis, quia amando vnum attributum amantur & reliqua implicitè. *Alio modo* poteſt fieri præciſio taliter quod proponatur voluntati vnum attributum ſecundum ſuam rationem explicitam non ſolum vt occaſio, ſed vt ratio, & motiuum diligendi illud præciſè vt rem amatam; & tunc fundabit dilectionem diſtinctæ charitatis à dilectione alterius attributi; ſicut modo deus vt author naturæ, & vt author gratiæ fundat charitatem naturalem, & ſupernaturalem; & virtus ſpei reſpicit diſtinctum attributum à virtute charitatis, & fidei. Et ſi poſſet dari viſio vnius attributi ſine alio (vt plures exiſtimant) diſtinctum lumen gloriæ eſſet, quo videretur vnum attributum, & quo videretur aliud: ſed de facto non dantur tales habitus charitatis, quia non eſt connaturale, nec conforme diuinæ bonitati, vt ſic dimidiatè ametur, neque voluntati creatæ vt ſic amet ſecundum iſtas præciſio-
2 nes.

Caeterum *vehementer* allucinatus eſt iſte author non diſtinguens inter amorem imperfectum, & abſolutum, qualis poteſt eſſe in concupiſcentia, vel deſiderio, & amorem amicitiæ perfectum, & efficacem. Sicut enim non poſſum ſperare conſecutionem vnius attributi, vt præciſi ab alio, & conſequenter neque fundare diuerſas virtutes ſpei, niſi fortè admiſſa opinione, quod poteſt videri vnum attributum ſine alio, ita multò minùs poteſt diſtingui duplex amor amicitiæ ea tendenti ad duplex attributum ſub illa præciſione conceptum *Ratio meo videri conuincens eſt.* Quia amor amicitiæ eſſentialiter eſt ad perſonam, ſed ad bonum totius ſuppoſiti, quod amatur vt amicus, non autem ad id, quod concipitur tanquam proprietas, vel formalitas, vel quaſi pars totius ſuppoſiti: ſicut in homine licet poſſimus amare oculos, vel manus, vel ſcientiam, aut virtutem, non tamen amor amicitiæ poteſt terminari ad oculos, vel ad manus tanquam ad terminum cum quo habeo amicitiam, & illi poſſum concupiſcere illas partes, vel proprietates, aut etiam mihi tanquam bonum concupitum:

Similiter ergo amicitia non poteſt haberi in ordine ad vnum attributum diuinum, vt ſtat ſub 3
illo conceptu præciſo, quo concipitur per modum attributi, & quaſi proprietas dei, ſed in illa ratione diuina debet reſpicere ſuppoſitum, cui terminetur amicitia: hoc autem ipſo quod aliquod attributum concipio, vt ſuppoſitum in ſe ſubſiſtens, diligo illi bonitatem totius, non ſolum totius attributi, ſed totius ſuppoſiti habentis attributum, & ſic implicitè inuoluit totam bonitatem dei, quod ipſe author fatetur non ſufficere ad diſtinguendos habitus charitatis Itaque diuina attributa ſub præciſione concepta poſſumus amare, vel laudare amore imperfecto, & abſoluto, & inefficaci, non tamen amore amicabili tendente ad Perſonam, non ad præciſionem inadæquati conſtituendus. Imò hac ratione exiſtimo fieri non vulgare argumentum contra eam ſententiam, quæ admittit poſſe videri vnum attributum ſine alio. Quia viſio intuitiua ſapientiæ, v. g. in Deo debet videre illam, vt ſubſiſtentem, & vt perſonam intellectualis naturæ, hoc autem ipſo quod videmt vt attributum ſubſiſtens debet neceſſariò videri cum aliis cum quibus eſt identificatum, quia ſub præciſione non ſubſiſtit, ſed in re vt identificatum cum aliis, ſine quibus non ſubſiſtat in re.

Ad *Argumentum ergo in contrarium Reſpondetur.* Quod diuerſa attributa fundant diuerſas 4
virtutes, quando ſe habent vt rationes diuerſæ attingibilitatis, non autem quia ſe habent vt diuerſæ res attactæ, ita quod attingatur vnum attributum præſcindo ab alio vt à re non attacta: nam religio totum Deum attingit, & ſimiliter fides, & ſpes, licet ſub diuerſis rationibus pertinentibus ad diuerſa attributa. Et dato quod poſſet vnum attributum ſic attingi ſine alio à diuerſis virtutibus, tamen in amicitia nullo modo id poteſt admitti propter rationem factam, quia reſpicit eſſentialiter bonitatem non quomodocumque, ſed vt eſt bonitas totius, ſeu Perſonæ. Quod ſi ſolum ratio attingendi eſt vnum attributum, res tamen attacta eſt bonitas totius, ad quam terminatur amicitia, eadem erit ſecundum ſpeciem, ſiue attingat vnum attributum, ſiue aliud, quia non complemt ratio amicitiæ in eo quòd diligitur tanquam ratio explicita, ſed in Perſona, ad quam terminatur. Deus autem vt author naturæ, & vt author gratiæ terminat diuerſas amicitias, non propter diuerſa attributa, quæ diligantur vt termini, totus enim Deus diligitur in vna, atque in altera; ſed propter diuerſas communicationes, quæ requiruntur ad fundandas amicitias diuerſas; ſicut ſuprà dictum eſt. Quod verò dicitur de viſione vnius attributi ſine alio, id eſt omnino impoſſibila, loquendo de viſione intuitiua attributorum: ſed dato hoc per impoſſibile, non tamen eſt poſſibilis amicitia niſi ad Perſonam, & conſequenter ad bonitatem totius ſuppoſiti non ad bonitatem cum præciſione.

Ad *Secundam Difficultatem Reſpondetur*, Vi- 5
ſionem claram, & fidem, licet ſint diuerſæ cognitiones in ratione luminis intelligibilis in ratione tamen regulatiui illius actus, qui eſt amor, non differunt in regulando, quia amor etiam amicitiæ abſtrahit à ratione viſi, vel non viſi, habiti, vel non habiti. Quam ſolutionem optimè tradit

dit *D.Thom.* 1.2.*qu.* 62.*artic.* 6. Itaque ſicut in amicitia humana, quod amicus ſit abſens, vel præſens, & conſequenter reguletur amicitia per viſionem intuitiuam, vel abſtractiuam, non variat ſpeciem amicitiæ, quia iudicium regulatiuum amicitiæ quantum ad ſubſtantiam, eſt iudicium de bonitate amici tali modo ſe communicantis: ita in amicitia ſupernaturali iudicium illius quoad ſubſtantiam eſt de bonitate diuina, vt communicatiuà ſui in bonis propriis, & diuinis. Quod verò ſit homo in poſſeſſione illorum, vel ſolum in ſpe, in præſentia, vel in abſentia ſolum infert accidentalem mutationem in ratione amicitiæ, & ideo vt docet Paulus 1.

6 Corinth. 13. *charitas nunquam excidit.*

Ad tertiam difficultatem reſp. Quod *S.Thom. infrà quæſt.* 15. *art.* 1. ponit differentiam inter charitatem, & honorem. Quod amor reſpicit bonum in communi; honor autem proprium bonum honorati, quia honor eſt teſtimonium propriæ virtutis, & ideò amor non diuerſificatur propter bonitatem, quæ eſt in diuerſis ſubiectis, dummodo omnia referantur ad vnum: honor autem diuerſificatur ſecundum proprium bonum honorati. Secundo reſpondet D. Thom. 2.2. Quæſt. 81. art. 4. ad 3. *Quod obiectum amoris eſt bonum, obiectum autem honoris eſt excellentia, bonitas autem Dei communicatur creaturæ, non autem excellentia bonitatis eius, & ideò eadem charitas diligit Deum, & proximum: non autem idem eſt cultus Dei, & creaturæ.*

7 Vtraque *ſolutio diſplicuit P. Vazquez lib* 1. *de Adoratione cap.* 6. *&* 1. *tom.* 3 *par. diſp* 98. *cap.* 2. Et obiicit contra primam. Quia amor non ſolum fertur in bonum vniuersè, ſed etiam in bonum particulare ipſius dilecti, & deinde non apparet quomodo bonum particulare quod volumus proximo referatur in Deum, cultus autem quem exhibemus ſancto non refertur in Deum, cum ille, qui adorat Martyrem Deum in Martyre adoret. *Contra ſecundam autem ſolutionem obiicit.* Quia falſo dicit *S.Thom.* bonitatem Dei communicari homini, nam id quod communicatur, aut eſt bonum creatum, aut ipſemet Deus, qui donatur hominibus: ſi eſt bonum creatum, tunc non communicatur bonitas diuina, ſed effectus eius, & ſic non amatur Deus in homine, ſed aliquis eius effectus, aut veſtigium: ſi communicatur ipſe Deus, tunc Deus amatur vt bonum volitum proximo, & ſic Deus eſt bonum concupitum, non terminans amorem amicitiæ, ſed proximus eſt, cui volumus bonum, quod eſt Deus; ergo tunc non diligitur proximus amicitia Dei, ſed Deo concupito, proximo vt amico.

8 Sed *meritò* reiicit tanquam parum vrgentes has obiectiunculas *Pat. Granados vbi ſuprà ſect.* 4. Ad primam ergo *Reſpondetur*. Non dixiſſe *S. Thom.* quod amor fertur in bonum vniuersè, hoc eſt, in bonum vniuerſale in eſſendo, & prædicando (craſſa eſt hæc intelligentia) ſed fertur amor in bonum particulare ſingulare, imò ad Perſonam cum qua habemus amicitia. Dicitur autem ferri in bonum in communi communitate cauſalitatis, non prædicationis, quatenùs ſcilicet bonum eſt diffuſiuum ſui, & poteſt eſſe ratio formalis obiectiua, non ſolum diligendi ſe, ſed etiam aliud per reſpectum ad ſe. Sicut medicina amatur propter ſalutem, & medium propter finem. Cæterum excellentia quam reſpicit honor non communicatur alteri ſubiecto capaci excellentiæ, & honoris proprij, per modum obiectiuæ rationis honorandi, quia excellentia eſt id, in quo vnum eminet præ altero, & conſequenter per hoc differt ab illo, & ſegregatur ab illo. Vnde amor, & maieſtas oppoſito modo procedunt, quia amor eſt vnitiuus, & condeſcendens; excellentia autem ſegregatiua, vnde non poteſt eſſe ratio excellentia vnius ad honorandum alterum per modum vnius, ſed per modum ſubordinati ad alterum, in ratione diuerſæ excellentiæ; ſicut ſeruus honoratur propter Dominum, tanquam propter finem cui ſubordinatur, non tanquam propter obiectum, quod ſit vnum cum illo. Secus eſt in rebus inanimatis, quæ non coluntur tanquam obiecta capacia honoris, ſed vt ſigna, & repræſentationes rei honoratæ, quæ in ratione ſigni non ponunt in numero cum re honorata. *Ex quo patet* ad ſecundum: Quod cultus ſancti refertur in Deum vt finem, non vt in obiectum, & rationem colendi, ſicut dilectio proximi fertur in Deum, vt in rationem obiectiuam amoris amicabilis, quatenùs proximus eſt aliquid amici.

Ad *Tertium dicitur.* Quod diuinæ bonitatis communicatio dupliciter conſideratur, & *effectiuè, & reſpectiuè: effectiuè* quatenus ſe, vel dona ſua creata communicat hominibus, & ſic ponit in eis bonitatem intrinſecam, ratione cuius homo eſt diligibilis ex propria perfectione. *Reſpectiuè* quatenùs homo præcisè conſideratur vt aliquid Dei, & quaſi ab extrinſeco diligibilis redditur; & hoc modo Deus non conſideratur vt bonum concupitum homini, vel donatum illi, ſed conſideratur vt principale obiectum diligibile, & per reſpectum ad illum diligitur proximus, ſicut medicina diligitur ratione ſalutis, quatenùs non attenditur ibi alia ratio diligendi, quam bonitas principalis obiecti, & finis non communicata intrinſecè mediis, ſed reſpecta à mediis. Et hoc etiam modo quando honoratur Imago, tota ratio colendi illam eſt exemplar, & ideò non alia ratione adoratur quam ipſum exemplar, quatenus relatiuè ad illud colitur. Secus eſt quando id quod colitur ratione alterius etiam in ſe eſt capax honoris, ſicut legatus, Regis, tunc enim ſolum colunt propter Regem tanquam propter finem, ratio autem obiectiua honoris eſt ipſum officium legati prout in eo recipitur, & illi confert excellentiam quandam participatam, & relatam ad Regem vt ad finem, cuius ſignum eſt, quod in ipſa legatione poteſt eſſe diuerſa excellentia, & vnus legatus magis honorari, quam alius; non ergo habet puram repræſentationem ſicut Imago, ſed honoratur officium, excellentia eius. 9

Ad *vltimam difficultatem reſpondetur* Omnes illos actus charitati ſolum eſſe materialiter diuerſos, formaliter autem eiuſdem ſpeciei, vt ſubſunt motiuo charitatis, ſicut in aliis virtutibus idem inuenitur. Sicut religio habet diuerſos actus, verbi gratia *Adorare, vouere, &c.* & fortitudo habet *aggredi, & ſuſtinere*, verſaturque inter diuerſas paſſiones, ſcilicet timores, & audacias, quas moderatur, & moderatas producit: vnde id quod eſt diuerſæ ſpeciei in genere paſſionis eſt eiuſdem in genere fortitudinis. Et ſimiliter amor, & gaudium, & deſiderium, quæ in ratione actus voluntarij ſunt diuerſa: in ratione charitatis ſunt eiuſdem ſpeciei, quatenùs pro- 10

cedunt ex eodem motiuo, & vnum conſequitur ex alio. Similiter amor Dei efficax, & inefficax poſſunt pertinere ad charitatem, ſi inefficax ſumatur non pro amore concupiſcentiæ tantum, ſed pro amore beneuolentiæ in ordine ad Deum imperfectè tamen, & nondum conſtituens amicitiam: non enim iſti duo amores opponuntur tanquam contraria, ſed tanquam perfectum, & imperfectum in eodem genere, ſicut timor initialis, & filialis, qui ad eundem reducuntur, vt dixit *S. Thom. ſup. quaſt. 19. art. 8.* Non autem ſicut actus certus, & incertus, qui poſtulant diuerſum lumen, & diuerſam rationem formalem; ille autem actus inefficax diligit quidem Deum ſuper omnia parte obiecti; ex parte tamen ſubiecti non obiicit ei omnia cum effectu, & ideò non expellit peccatum, non propter contrarietatem ad charitatem, ſed propter imperfectionem.

Denique ad id quod additur poſſe plures actus eiuſdem ſpeciei eſſe ſimul. *Reſpondetur.* Quod licet in ſententia *D. Thom.* repugnet plura accidentia ſolum numero diſtincta eſſe in eodem ſubiecto, ſi tamen aliquo modo diſtinguantur ſpecie ſaltem incompleta, aut ex parte materiæ, vel ſecundum diuerſam modificationem, non repugnat eſſe ſimul; & ſic fatetur *D. Thom. infrà quaſt. 44 artic. 2. ad 1.* Quod charitas licet ſit vnus habitus habet duos actus, quorum vnus ordinatur ad alium, ſcilicet diligere Deum, & proximum. Et eodem modo in religione inueniuntur plures vt docet infrà *quaſt. 81. artic. 3. ad 2.* Et tales actus habent aliquam ſpeciem incompletam, vel modificationem, aut extenſiuem diſtinctam ratione cuius non ſunt omninò ſolum numero diuerſa in eodem ſubiecto.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm charitas ſit cæteris virtutibus excellentior, etiam in eſſe naturæ?

1 DVo ſuppono, de quibus modo non eſt controuerſia. *Primum*, quod charitas in genere moris eſt excellentior cæteris virtutibus; hoc enim ad minus conuincit locus Pauli 1. ad Corinth. 13. *Maior autem horum eſt charitas*; & ad Coloſſen. 3. *Super omnia charitatem habete, quæ eſt vinculum perfectionis*; hoc enim ad minus verificari debet de maiori perfectione morali. Hic autem Quærimus, an etiam de entitatiua: Et dicitur charitas moraliter perfectior, vel ratione maioris æſtimationis, ſicut Rex eſt dignior cæteris, non in phyſica entitate hominis, ſed in dignitate morali: vel ſecundo, quia excellentius continet genus moris, quod eſt mouere, & imperare cæteris virtutibus, quia cum charitas attingat finem ſupremo modo, reliqua quæ ſunt ad finem imperando mouet, & ornat: vel tertiò ratione proprietatis moralis, ſcilicet meriti, quod excellentiùs conuenit charitati, quia eſt radix meriti in omnibus actibus meritoriis, & inſeparabiliter eſt coniuncta iuſtificationi tanquam vltima diſpoſitio.

2 Secundum eſt, in hac controuerſia excipiendam eſſe vnionem Hypoſtaticam, gratiam habitualem, & lumen gloriæ, quæ entitatiuè ſunt perfectiora charitate. Vnio quidem Hypoſtatica, quia eſt vnio ſubſtantialis ad Deum in perſona, quod longè ſuperat quamlibet vnionem amoris, vel operationis, & ſic entitatiuè eſt perfectior, cùm ſit propinquior ſummo enti. Gratia autem habitualis, quia eſt radix charitatis, & immediata participatio diuinæ naturæ vt natura eſt, charitas autem eſt participatio diuinæ voluntatis, vel amoris. Lumen autem gloriæ, quia eſt ſuprema, & nobiliſſima operatio intellectus vniens ipſum Deo ſicut eſt in ſe per modum intelligibilem, charitas autem quaſi per inclinationem, & impulſum in Deum fertur, & ita lumen tam ex parte potentiæ, quàm ex parte obiecti vniti excedit charitatem. De hoc tamen infra aliquid amplius dicemus.

Quare præſens comparatio eſt inter charitatem, & reliquas virtutes. Et quidem quoad virtutes acquiſitas, ſeu naturales, nulla eſt comparatio, ſiue ſint in intellectu, ſiue in voluntate, quia ordo naturalis entitatiuè eſt inferior ordine ſupernaturali, & diuino, in quocumque ſubiecto ſit. Similiter omnes virtutes, quæ ſunt in voluntate, etiamſi ſint ſupernaturales, ſunt inferiores charitate entitatiuè, qui in eadem potentia ſunt; & in genere ſupernaturali charitas ſupremo modo attingit finem, & obiectum perfectiſſimum voluntatis. Vnde reducitur tota difficultas ad habitus ſupernaturales intellectiua, vt ſunt fides, prophetia, donum ſapientiæ. 3

Et tota ratio dubitandi reducitur ad vnum argumentum difficile. Quia genus intellectiuum eſt perfectius entitatiuè genere appetibili (ſupponimus ergo veriorem ſententiam *D. Thomæ* quam tradit 1. *part. quæſtione* 81. *art.* 3. Quod intellectus eſt perfectior potentia quam voluntas ex parte obiecti, & ex parte modi operandi cùm ſit abſtractior, & purior; imò ipſe appetitus conſequitur ad intellectum, & cognitionem, ſicut inclinatio ad formam; perfectior autem eſt forma ſua inclinatione conſecuta) igitur genus intelligibile eſt perfectius ex ſua entitate genere appetibili: ergo ſtante eodem ordine rerum, ſcilicet naturali, vel ſupernaturali, omnes ſpecies contentæ ſub genere intelligibili, & omnes habitus pertinentes ad potentiam intellectiuam debent eſſe perfectiores entitatiuè quacumque ſpecie, & quocumque habitu pertinente ad genus, & potentiam appetitiuam intra eundem ordinem. Cùm enim differentiæ ſpecificæ contineantur, & oriantur ex genere, repugnat quod ex genere entitatiuè inferiori oriatur differentia perfectior genere ſuperiori, cum origo illius ſit genus inferius, & è conuerſo, cum genus contrahatur ad inferiorem ſpeciem, ibique ſeruet ſuam entitatem, & eam non amittat, conſequenter genus minus perfectum ex contractione differentiæ quantumcumque perfectæ non amittit ſuam imperfectionem entitatiuam, ergo nunquam poteſt peruenire ad hoc, vt mediante differentia ſibi adiuncta ſuperet perfectionem entitatiuam alterius ordinis, ſeu generis, neque ſuperabit etiam ſpecies ex tali genere compoſita, quia ſemper ſequitur debiliorem partem, niſi deſtruat ſuam imperfectionem. 4

Deinque confirmatur. Quia fides regulat charitatem, ſicut prudentia virtutes morales, cùm illi proponat obiectum; ergo charitas non fertur in ſuum obiectum niſi propoſitum per fidem, & conſequẽter non erit entitatiuè ſuperior ſed fidea 5

manebit

manebit ſuperior, ſicut regulans regulato. Etſi aliquid valet exemplum, charitas naturalis erga Deum inferior eſt ſapientia, quæ eſt virtus naturalis, à qua regulatur, & dirigitur; ergo ſimiliter charitas ſupernaturalis fide regulante, & dirigente.

6 Nihilominus communis ſententia docet charitatem entitatiuè eſſe perfectiorem fide, & aliis habitibus ſupernaturalibus intellectualibus, qui ſunt in via. Eam docet *D. Thomas* hic *quæſt.* 23. *art.* 6. & 1. 2. *q.* 66. *art.* 6. Et quod loquatur non ſolum in eſſe morali, ſed in eſſe entitatiuo, indè conſtat; Quia comparat ibi *S. D.* intellectum voluntati, & determinat intellectum eſſe nobiliorem ratione maioris abſtractionis, quod non procedit in genere moris ſed in genere entitatiuo; alioqnin in genere moris voluntas eſt altior intellectu, quia moraliter illum mouet, & illi imperat, & tamen eiſdem locis quibus præfert intellectum voluntati in genere entis excipit charitatem, & amorem rerum ſuperiorum quem dicit eſſe perfectiorem intellectu, vt patet in locis citatis, & 1. *p. qu.* 82. *art.* 3. & *q.* 108. *art.* 6. *ad* 3. Ergo exiſtimat, *S. D.* charitatem eſſe entitatiuè perfectiorem cognitione intellectiua Dei, alioquin non rectè fieret exceptio illomet loco, vbi de perfectione entitatiua agit *D. Thomam* communiter ſequuntur eius diſcipuli, & Caietanus etiam in locis citatis, licet in oppoſitum citetur à *P. Lorca*, hic *diſp.* 9. *Ferrarienſis* tamen in oppoſitam inclinat ſententiam 3. *contra gentes cap.* 16. §. *conſiderandum ſecundò*. Et pro eodem ſententia ſtant Omnes, qui dicunt voluntatem eſſe perfectiorem potentiam intellectu, vt *Scotus*, & tota eius ſchola, quare hæc ſententia communis eſt.

7 Cæterùm quia fundamentum *D. Thom.* ita docet charitatem eſſe perfectiorem fide entitatiuè, quòd tamen ſaluat intellectum ſimpliciter eſſe perfectiorem potentiam voluntate, ideò pro eius intelligentia eſt notandum. Quod perfectio entitatiua actus, vel habitus ſumitur quidem à parte principij ex modo quo potentia procedit, completè tamen, & adæquatè prout terminatur ad obiectum, à quo perfectè ſumitur, & completè ſpecies, & perfectio actus; nam & ipſe modus potentiæ ad attingendum obiectum ordinatur. Et quidem ex parte modi procedendi intellectus, & voluntatis non eſt dubium quin modus intellectus ſecundum ſe ſit perfectior, quia procedit abſtrahendo, & ſegregando, & purificando obiectum, quod eſt habere modum quaſi perficiendi actiuè obiectum. Modus autem procedendi voluntatis è conuerſo eſt modus, quo trahitur, & allicitur ab obiecto, vndè quaſi paſſiuè ſe habet reſpectu obiecti, & ab illo perficitur: iſti autem modi ſi conſiderentur ſecundum ſe non eſt dubium quin perfectior ſit ex parte potentiæ, & virtutis modus intellectus, qui eſt quaſi actiuus, & perfectiuus, quam modus voluntatis, qui eſt quaſi paſſiuus, & perfectibilis; ſed tamen ex parte attingentiæ obiecti, in qua completur, & conſumatur ſpecificatio actus, ipſe modus intellectus compatitur minorem perfectionem habere, quam modus voluntatis, quia reſpectu rerum, quæ ſunt ſupra intellectum modus ille purificandi, & abſtrahendi, quem habet intellectus, potiùs imperficit, & connotat obiectum ſuperius, quia attingit illum iuxta ſuum modum. Nec enim poteſt intellectus purificare, & abſtrahere vltra modum ſuæ naturæ, & attribuendo abſtractionem ſuam rei ſuperiori, potiùs illam imperficit: è contra verò voluntas cum trahatur, & perficiatur ab obiecto ſecundum bonitatem, quam in ſe habet, quando attingit obiectum, quod eſt ſuprà animam, in ipſa attingentia redditur perfectior, quam intellectus in modo operandi circa tale obiectum.

Ex quo fit quod ſi comparemus intellectum 8 & voluntatem in ratione potentiæ, & virtutis, quia hæc magis attenditur penes modum procedendi ergo obiectum; quam penes ipſam attingentiam, in qua determinatur ſpecificatio, & perfectio actuum: ſimpliciter dicitur potentia intellectus altior potentia voluntatis. Si tamen conſideremus attingentiam obiectorum, ipſemet modus intellectus poſtulat vt aliqui eius actus, qui verſantur circa obiecta ſuperiora reddantur imperfectiores quàm actus voluntatis, qui in tali attingentia perficiuntur. Exempla facilia ſunt. Nam qualitas actiua eſt ea genere ſuo perfectior quam paſſiua, poteſt tamen inueniri aliqua actiuitas, quæ ſit minus perfecta ex parte obiectorum circa quæ verſatur, quam qualitas paſſiua: Sicut calor eſt qualitas actiua, potentiæ autem cognoſcitiuæ in quantum recipiunt ſpecies ſunt paſſiuæ; & tamen actiuitas caloris, quia ſolum verſatur ad obiecta materialia, & modo materiali, imperfectior eſt quam qualitas cognoſcitiua, etiam ſub ea ratione, quia perficitur intentionaliter ab obiectis, quia etiam ſub hac ratione eleuatur ſupra qualitates materiales. Et ſimiliter ratio corporis incorruptibilis eſt perfectior de ſe quàm corpus corruptibile, poteſt tamen in ratione informandi, & perfectionis eſſendi corpus corruptibile eſſe perfectius, ſi ſit animatum, quam corpus incorruptibile, quod non viuit.

Ex qua doctrina intelligitur fundamentum 9 *D. Thomæ*, & ſoluitur oppoſitum. Nam perpetuò *D. Thomas* ſumit excellentiam charitatis ab obiecto, quod attingit, quod eſt ſupra animam, & ex modo quo tale obiectum comparatur ad potentiam; attingitur enim non ſecundum aliquem modum connotantem aliquid creatum, ſicut fides attingit veritatem diuinam connotando reuelationem diuinam factam in tempore; & ſpes attingit bonum diuinum vt participat adeptionem ſui creatam: nec charitas attingit Deum ſecundum aliquam rationem diſtantiæ, ſicut fides quæ eſt de non viſo. Spes de non habito, vtraque de abſenti, & diſtante, charitas autem de vnito ſibi per amorem. Ex hoc efficitur quod ex parte attingentiæ talis obiecti charitas entitatiuè reddatur perfectior, quàm fides, quia licet modus procedendi intellectus ſit abſtractior, & perfectior, tamen attingentia obiecti vbi completur ſpecificatio actus perfectiorem illum reddit entitatiuè ſecundum ſuam determinatam rationem, quàm potentia non reſpiciebat ſic determinatè, ſed in generali, & in confuſo, & ſic ſpecificabatur ab obiecto etiam in communi prout reſpicitur tali modo procedendi vt ſic.

Et ideò *D. Thom.* 1. *part. quæſt.* 82. *art.* 3. Qui 10 ſimpliciter poſuit intellectum eſſe altiorem potentiam voluntate, addit tamen, Quod quando res in qua eſt bonum eſt nobilior ipſa anima,

tunc

tunc per comparationem ad talem rem voluntas eſt altior intellectu: quando vero res in qua eſt bonum eſt intrà animam, tunc etiam comparatione ad talem rem, intellectus eſt altior voluntate. Ergo ſentit *D. Thomas*, quod ita eſt potentia perfectior intellectus, quàm voluntas ex parte modi procedendi, quod tamen ex parte attingentiæ obiecti ipſemet intellectus in ſuis actibus, & habitus determinatis comparatur inferioritatem phyſicam ad aliquos actus, & habitus voluntatis.

20 Quòd *ſi inſtes*: Quia etiam in patria charitas erit excellentior lumine gloriæ, quia verſatur circa obiectum ſuperius ipſa anima, & ſic amor erit perfectior cognitione. *Negatur conſequentia.* Quia Deus licet ſit ſupra animam abſolutè, & entitatiuè, tamen in eſſe intelligibili non eſt ſupra animam glorificatam, ſiquidem eſt eius obiectum proportionatum. *Inſtabis ex ferrara vbi ſuprà.* Quòd eſt peſſimum opponitur optimo; ſed odium Dei, quod opponitur charitati eſt peſſimum peccatorum: ergo charitas etiam in patria eſt optimum. *Item.* Quia ordo Seraphin eſt ſupremus etiam in patria, & denominantur à ſuprema perfectione; ſed denominantur à charitate, in qua excellit iſte ordo: ergo charitas eſt ſuprema perfectio etiam in patria. *Reſpondetur*: Quod odium eſt peſſimum in genere peccati, & in genere moris, vnde ſecundum *D. Thomam* concluditur, quod in tali genere charitas eſt etiam optimum vt ſuppoſuimus in principio; lumen autem gloriæ non reſpicit voluntatem vt liberam in amore beatifico, & conſequenter neque vt moralem propriè loquendo: in genere autem phyſico peior eſt æterna priuatio viſionis gloriæ, quam odium Dei, quia eſt priuatio perfectioris entis.

21 Ad *illud de Ordine Seraphin*, *reſpondetur*, Quod ſecundum *S. Thomam* 1. *parte quæſt.* 108. *art.* 5. *ad* 5. Ordo Seraphinorum non denominatur ſolum à charitate, ſed à charitatis exceſſu, quod importat nomen ardoris, ſeu incendij; iſte autem exceſſus non comparatur ad ipſam beatitudinem Seraphinorum, quaſi amor Seraphin ſit excellentior ipſa viſione gloriæ, quam habent, ſed dicitur ſuprema perfectio iſte exceſſus amoris, vel propter excellentiam eius, quam habuerunt in via, vel propter excellentiam perfectionis, quam modo poſſunt communicare aliis. Ordines enim Angelorum diſtinguuntur ſecundum miniſteria, quæ exercent in communicando perfectiones. Suprema autem perfectio communicabilis eſt amor charitatis. Vnde quando dicit *D. Thomas*, quod ordo Cherubin qui nominatur à plenitudine ſcientiæ eſt inferior, quàm Seraphin, qui nominatur à charitate, eo quòd dilectio ſuperiorum obiectorum præeminet cognitioni, intelligitur *de cognitione extra verbum*, in hac enim potior eſt dilectio, quam cognitio, ſicque plenitudo ſcientiæ à qua denominantur cherubin eſt plenitudo ſcientiæ extra verbum, quia hæc eſt participabilis aliis, & huic præponderat charitas. Plenitudo autem ſcientiæ in verbo eſt potior charitate, ſed in hac excedunt Seraphin, quia pleniùs vident Deum, quàm cherubin.

22 Ad *argumentum* factum a principio conſtat ex dictis. Et eſt aduertendum, Quod eſſe aliquid ſimpliciter tale, dicitur dupliciter, vel quia absolutè eſt tale, id eſt, *ſine addito*, vel quia *omnibus modis eſt tale*, vt tradit *S. Thomas* 3. *par. quæſtio quinquageſima, articul.* 5. Sunt ergo aliqua genera quæ ſimpliciter, id eſt, *ſine addito* ſunt perfectiora aliis generibus, non tamen *Omnibus modis*: alia vero ſunt ſimpliciter perfectiora aliis generibus *Omnibus modis*. Exemplum primi. Corpus incorruptibile eſt genus perfectius corpore corruptibili, quantum eſt ex modo corporeitatis, & informationis materiæ, quæ principaliter conſideratur in illa ratione generica, non tamen eſt *Omnibus modis* perfectius, quia poteſt corruptibile corpus informari ab aliqua forma modo corruptibili, quæ tamen in entitate excedat corpus incorruptibile, ſicut eſt anima humana. *Exemplum ſecundi.* Subſtantia ſpiritualis eſt genus ita perfectum reſpectu ſubſtantiæ corporeæ, quod nulla ſubſtantia corporea poteſt illud excedere, vel attingere; & genus animalis eſt ita perfectum, quod à nullo inanimato poteſt excedi. *Dicimus ergo*, Quod intellectiuum eſt genus perfectius volitiuo ſimpliciter abſolutè, ſed non ſimpliciter omnibus modis, & ideò ab aliquo generis volitiui poteſt excedi in perfectione entitatiua. Et hoc ſentit *D. Thomas*, qui dicens intellectum altiorem voluntate, poſuit limitationem, ſcilicet reſpectu obiectorum, quæ ſunt infrà nos; reſpectu vero eorum, quæ ſunt ſuprà, voluntas eſt perfectior. Quando vero addit illa *quæſtione octuageſima-ſecunda*, *prima part.* Quod ſecundum quid voluntas eſt perfectior, ſimpliciter autem intellectus, comparat potentiam potentiæ, non autem habitum vnius potentiæ habitui alterius: ipſa enim potentia ſimpliciter ſemper eſt perfectior voluntate, ſed tamen admittit aliquem habitum qui entitatiuè ſit minus perfectus quam aliquis habitus voluntatis, & ratione huius dicitur voluntas ſecundum quid perfectior, non tamen habitus ipſe.

Ad *Confirmationem dicitur*, Quod fides non regulat charitatem, ſicut prudentia virtutes morales, quia charitas non eget regulatione, cùm non conſiſtat in medio, ſed ſimpliciter proponit obiectum charitati. Propoſitio autem non eſt ratio formalis obiecti voliti, ſed conditio, vnde non obſtante propoſitione limitata vt conditione, fertur charitas in ipſam bonitatem non limitatam ſecundum ſe, vt in rationem formalem, plus attracta quam cognoſcens; ſicut cognito aliquo effectu deſidero videre clarè ipſam cauſam, & ſic plus deſidero quam video. 23

DISPVTATIO XV.

De augmento charitatis Phyſico, & meritorio.

ARTICVLVS I.

De his quæ hic ſunt ſupponenda, & Diſputanda.

1 VT ea quæ in hac difficili, & controuerſa diſputatione tractanda ſunt, in ordinem redigamus, & ſeparemus, quæ pertinent ad præſens, Eſt aduertendum quod augmentum alicuius formæ, ſeu additio ad duo capita reuocatur, ſcilicet ad *extenſionem*, & ad *intenſionem* Extenſio ſumitur in ordine ad aliquas partes, vel ſubiectiuas, vel obiectiuas, & diffuſio per illas vocatur *Extenſio*. Et tunc ſumitur in ordine ad partes ſubiectiuas quando ſubiectum, in quo recipitur forma, non eſt indiuiſibile, ſed habet partes, per quas forma illa communicatur: ſicut calor extenditur per partes ſui ſubiecti. Tunc autem extenſio ſumitur per ordinem ad partes obiectiuas, quando ſumitur in ordine ad plura materialia obiecta, circa quæ verſatur aliqua virtus, & ſe habent quaſi partes vnius integri materialis obiecti, & ſic virtus quæ acquirit attingentiam ad diuerſa obiecta materialia dicitur creſcere in extenſione; ſicut ſcientia quando ad vna demonſtratione tranſit in aliam.

2 De hoc augmento non agimus, hic, quia vt optimè notauit *S. Thom. hic q. 24. art. 5.* charitas non eſt capax huius augmenti, quia neque habet partes ſubiectiuas, cum eius ſubiectum ſit indiuiſibile, & nullas habeat partes, ſcilicet ſubſtantia ſpiritualis: neque poteſt augeri quoad partes obiectiuas, quia quantumcumque minima charitas ex parte habitus ſufficit attingere omnia obiecta materialia charitatis, quia ſufficit diligere Deum ſuper omnia, & conſequenter omnia præcepta implere. Sicut etiam minima fides ſe extendit ad omnia credibilia propoſita per Eccleſiam. Et dixi *ex parte habitus*, quia ex parte actus benè poteſt charitas non extendi per vnum actum ad omnia ſua obiecta, ſed per diuerſos, hoc tamen non auget ipſum habitum extenſiuè. Solum aduerto *D. Thomam* vocare iſtud augmentum extenſiuum, *augmentum per additionem* in contra poſitionem augmenti intenſiui, quod ipſe dicit non fieri per additionem. Et nomine *Additionis* non intelligimus aliquam compoſitionem partium ex parte ipſius qualitatis, ſed dicitur *Additio*, quia fit per ordinem ad aliquas partes, ſiue ſubiectiuas, ſiue obiectiuas; cùm quo tamen ſtat quod quando qualitas extenditur per partes ſubiecti, etiam ipſa qualitas partes habeat reales, per accidens tamen ratione partium ſubiecti, in quo eſt: quando vero virtus extenditur ad ſua obiecta non habet partes reales in ratione qualitatis, ſed partes obiectiuas, ad quas non qualitate noua, ſed noua applicatione ſe extendit. Sicut quando creſcit corpus hominis, eadem forma humana ad nouas partes ſe extendit non additione formæ, ſed applicatione informandi, & ſimiliter quando eadem potentia ad noua obiecta attingenda procedit. Et ſic *S. Doctor. 1. 2. qu. 54. artic. 4.*

3 Secundum augmentum vocatur *Intenſio*, circa quam multa, & varia diſputantur, quæ tamen omnia ad tria præcipua capita reducuntur. *Primum eſt* quantum ad eſſentiam ipſius augmenti in quo conſiſtat? *Secundum*, quantum ad principia augmenti, quibus actibus fiat, & in ſubiecto ponatur? *Tertium*, quantum ad terminum augmenti, tam ex parte ipſius formæ, An poſſit in infinitum intendi, quàm ex parte ſtatus in via, & in patria, quomodo poſſit creſcere in vno, & in alio?

4 Quantum ad primum, eſſentia augmenti intenſiui conſiſtit in hoc, quod aliqua forma fiat perfectior in eodem, & circa idem, quod non omni formæ conuenit, quia non omnes habent latitudinem in actualitate circa idem In quo autem conſiſtat iſta maior perfectio, & actualitas in eodem, & circa idem, an aliqua additione realitatis nouæ, an aliqua applicatione, & exercitio informandi, quod de nouo poteſt habere aliqua forma, grandis quæſtio eſt, ſed philoſophica, quæ in *libris de generatione* tractari ſolet, & ideò à nobis omittenda, quia pro dignitate tractari non poteſt. Sufficiat pro explicatione difficultatum theologicarum, quæ deinceps tractandæ ſunt, indicare, Quod tota huius difficultatis ſumma reducitur inter *diuum Thomam* & *Scotum* ad hoc quod *D. Thomas* conſiderans intenſionem non fieri per expulſionem vnius formæ, & productionem alterius, vt aliqui malè ſenſerunt, qui ab omnibus exploduntur, ſed per eiuſdem formæ meliorationem circa idem. Hæc *melioratio* dicitur à *D. Thoma* non fieri per additionem, ſed quia melius applicatur in informando, quòd eſt fieri per maiorem radicationem in ſubiecto. Et cogitur *D. Thomas* iſtam additionem excludere, quia non poteſt intelligi additio, intelligatur diſtinctio eorum quæ adduntur. Quod ſi illæ entitates diſtinguuntur, vel ſpecie, vel numero; ſi ſpecie, non pertinent ad eandem formam: ſi numero, non apparet quomodo vniantur inter ſe ad conſtituendam vnam qualitatem indiuiſibilem, & per ſe vnam; quia neque vniuntur vt actus & potentia, cum vtraque ſit forma, & ſit actus, neque vt partes integrantes qualitatis, quia partes integrantes ſunt quantitatiuæ, quæ per ſe non inueniuntur in qualitate, præſertim ſpirituali, non ergo apparet quomodo vniantur ad conſtituendam vnam qualitatem per ſe.

5 Econtra verè *Scotus*, quem plures recentiores ſequuntur, ponunt intenſionem fieri per additionem gradus ad gradum, quaſi per entitates reales partiales ex quibus conſurgat vna forma per ſe, licet ſemper ſit valdè difficile explicare quomodo fiat iſta vnio inter multas entitates, & non fiat ad modum quantitatis, quaſi partes integrantes. Et fundamentum *Scoti* ad id reducitur: Quia per nouam mutationem realem qualis eſt intenſio, debet aliquid reale produci, quod anteà non fuerit, quod non poteſt eſſe niſi noua entitas, ſeu gradus; & ipſa etiam experientia monſtrat, quod gradus intenſi

ſi ſeparantur à remiſſis, quia quando aqua calida reducitur in frigiditatem, non ſimul amittitur totus calor, & tamen aliquid illius amittitur; ergo gradus ſeparantur.

6 Et quidem ſententia S. Thomæ in toto ſuo rigore defenditur à pluribus expoſitionibus excludendo omnem additionem entitatis de nouo productæ, maxime propter illa verba ſancti Doctoris hic quæſt. 24. art. 5. ad 3. *Augmentatio charitatis importat mutationem ſecundum magis, & minus habere, & non ideo non oportet quod aliquid inſit quod prius non infuerit, ſed quod magis inſit, quod prius minus inerat; & hoc eſt, quod facit Deus charitatem augendo, ſcilicet quod magis inſit, & quod perfectius ſimilitudo Spiritus ſancti participetur in anima.* Si ergo nihil ineſt per motum intenſionis, quod prius non infuerit; ergo nihil de nouo producitur, quia id ſolum dicitur produci quod ante non erat, & modo eſt. Igitur intenſio apud *Diuum Thomam* non eſt actio productiua qualitatis, & factiua alicuius, quod antea non eſſet, ſed quaſi applicatiua eius, quòd præerat, aut quaſi conſeruatiua qualitatis fortiori modo quam ante. Et ſicut in cauſa agente poteſt fieri noua applicatio virtutis ſine nouæ virtutis productione ita poteſt fieri noua applicatio formæ in ratione informandi ſine hoc quod producatur noua forma, vel pars formæ.

7 Et cõſiſtit hæc applicatio non in noua inhærentia, vel noua exiſtentia accidentis, ſed in hoc quod ipſa materia, ſeu potentia ſubiecta formæ, quæ ſecundũ ſe ſe, habet ad multa, & eſt ſuſceptiua contrariorum habentium latitudinem, magis terminetur ab actu illo, & à confuſione potentialitatis in vnum colligatur. Quæ ſunt verba expreſſa *S. Thomæ in 1. diſtinct. 17. quæſt. 2. art. 2.* & hoc eſt magis radicari in ſubiecto, & in ratione informandi magis perfici quatenus magis ei ſubijcitur latitudo, & confuſio potentialitatis ad multa in materia ſuſcipiente. Perfectio autem informandi pertinet ad ipſam eſſentiam accidentis, cuius eſſe eſt ineſſe; & ideò dicit *S. Thomas*, qualitatem augeri *ſecundum eſſentiam*, non tamen per additionem nouæ entitatis, vel productionem illius, ſed per eiuſdem qualitatis diuerſam applicationem, non in agendo, ſed in informando, Vnde hoc ipſo quod concipiamus in formis poſſe dari nouam applicationem informandi, ſicut in agentibus ad agendum, concepimus ſententiam *D. Thomæ*. Et hanc applicationem, ſeu terminationem aliqui expoſitores dicunt eſſe nouum modum, qui quidem de nouo producitur, & ita admittunt additionem non entitatiuam, ſed modalem; quod non eſt contemnendum, vt aliquo modo explicetur, & ſaluetur quod actio illa ſit ſuo modo productiua.

8 Circa terminum intenſionis charitatis diſputabimus in *materia de gratia Chriſti*, & oſtendemus gratiam, & charitatem ea parte ipſius formæ terminum non habere, id eſt (vt inquit *S. Th.* hic *quæſt. 24 art. 7.* ſecundum rationem ſuæ ſpeciei charitatem terminum non habere, quia eſt participatio quædam infinitæ charitatis, quæ eſt Spiritus ſanctus. Quaſi dicat, quod quia ratio ſpecifica charitatis conſiſtit in hoc, quod ſit quædam participatio formæ infinitæ ex vi huius ſpecificationis terminum non habet. ſiquidem ex vi ſpecificationis ſolum reſpicit terminum infinitum, cuius eſt participatio: cum autem ex vi ſpecificationis terminum non habeat, & quaſi ab intrinſeco, reſtat videre an ab intrinſeco poſſit terminum habere. Et poſſumus imaginari triplex extrinſecum vnde aliqua forma poteſt terminum habere. Primo, ex parte agentis, ſi virtus ipſa agendi terminata ſit, & limitata; & hoc non habet locum in charitate, quia procedit ab agente infinitæ virtutis. Secundò, poteſt charitas terminari ex parte ſubiecti connaturalis, ſicut ſi eſſet poſſibilis ſubſtantia ſupernaturalis, aut creatura impeccabilis, eſſet connaturale ſubiectum charitatis, quia eſſet incapax contrarij, & ita connaturaliter haberet charitatem. Quando autem formæ ſunt in ſubiecto connaturali vlterius non augentur qui habent omnem perfectionem ſibi connaturaliter debitam. Et hoc modo etiam ſaluatur, quod in Chriſto Domino ratione ſubiectioni non poteſt creſcere gratia, quia eſt quaſi connaturale ſubiectum ex impeccabilitate perſonali. Sed tamen vt citato loco oſtendemus ex connaturalitate ſubiecti ſolùm infertur quod qualitas non poſſit creſcere connaturaliter loquendo, & iuxta exigentiam ſuæ naturæ, non tamen tollit quod de potentia abſoluta non poſſit creſcere, quæ illi connaturalitati obligata non eſt. Sed hoc ibi diſputabimus, & ideò nunc pertranſimus.

Tertiò, poteſt habere terminum ab extrinſeco charitas ratione ſtatus, quia ſcilicet eſt in ſtatu viſionis beatificæ, in quo ſortitur duo. *Primum*, quod non poſſit amplius creſcere in habituali intenſione. *Secundùm*, quod intenſio, ſeu feruor charitatis viæ nunquam poſſit peruenire ad intenſionem charitatis patriæ. *Et primum ex ſe conſtat.* Quia licet in ordine ad omnipotentiam Dei poſſet charitas patriæ creſcere, ſicut & ipſa viſio, tamen quia illa charitas regulatur à viſione, & ipſa viſio eſt immutabilis, cùm ſit vita æterna, ſicut non poteſt viſio mutari, & aliter proponere obiectum diligendum connaturaliter ad illum ſtatum, conſequenter neque poteſt charitas augeri: & cum ex alia parte lumen gloriæ, & viſio dentur, iuxta proportionem charitatis, & gratiæ, ſi in illo ſtatu poſſet creſcere gloria, quia non ſtat creſcere radicem, & ſemen gloriæ, quæ eſt gratia, niſi creſcat & gloria, quæ eſt fructus. 9

Secundum verò, ſcilicet quod feruor, ſeu intenſio charitatis viæ non poſſit peruenire ad intenſionem charitatis patriæ, aliqui negant, aliqui aſſerunt: de quo videri poteſt *Magiſter Bañez hic quæſt. 24 art. 7. & Lorca ibidem diſp. 18.* Sed tamen licet abſolutè, & ſimpliciter charitas patriæ intenſius operetur, quia comparatur in Scriptura ad charitatem viæ ſicut meridies ad auroram, & iuuentus ad pueritiam, viſo enim ſummo bono toto conatu operatur voluntas, quia neceſſario rapitur in illud; charitas autem viæ non ſemper operatur toto conatu: tamen negari non poteſt, quin aliquando charitas viæ in habitu ſit ſubſtantialiter intenſior, quam aliqua charitas alicuius beati, quia cum ſit eadem charitas viæ & patriæ, & in ea intenſione, in qua habitus hinc decedit, ibi permaneat, ibi autem ſunt habitus charitatis inæqualis intenſionis, manifeſtum eſt quod ipſa intenſio habitus in via aliquando eſt maior, quàm aliquis habitus charitatis in patria, cui illa 10

charitatis

Charitatis manebit ſuperior ſi hinc decedat. Sicut v.g. Charitas *Sancti Laurentij* in via reſpectu habitus charitatis vnius paruuli glorificati Cæterùm charitatis patriæ intenſior eſt quacumque charitate viæ in modo producendi actus; *Tum*, quia ibi procedit cum plena fruitione boni præſentis, cui nulla fruitio viæ adæquatur; *Tum*, quia operatur ſemper ex toto conatu, vtpotè per actum neceſſarium; *Tum*, quia nunquam interrumpitur; *Tum* denique quia nihil operatur, quod actu non referat in Deum cum non poſſit peccare venialiter, huic enim feruori, ſeu modo operandi, qui eſt actu referre omnia in Deum opponitur peccatum veniale, non feruori qui eſt intenſio; poteſt enim aliquis habere charitatem valdè intenſam cum peccato veniali. Itaque in iſtis modis operandi intenſiuè nulla Charitas viæ peruenire poteſt ad intenſionem patriæ. quia modus operandi hic, & ibi ſunt diuerſæ rationis. An verò alicui ſancto ex priuilegio conceſſum ſit operari eo modo intenſionis, quo beati? Certè quantum ad hoc quod eſt operari actu neceſſario quoad exercitium, & quantum ad illam perfectionem gaudij, & fruitionis, quæ habetur ex obiecto clarè viſo, nulli ſancto in via potuit communicari, niſi communicaretur viſio diuinæ eſſentiæ. Quoad modum autem operandi ſine interruptione, & cum relatione omnium actuum in Deum quando operabatur, ſcilicet ſine peccato veniali, & diligendi Deum ex toto conatu charitatis, libero tamen, omnino concedendum eſt beatiſſimæ virgini.

8 Igitur his quæſtionibus omiſſis reſtat hic diſputandum id quod pertinet ad augmentum charitatis ex parte principiorum, quibus augetur ex parte noſtra, ſcilicet per actus diſpoſitiuè, & meritoriè attingentes illud augmentum, & quando detur de facto illi ſubiecto; Quod per tres ſequentes articulos expediemus.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm actus charitatis requirantur tanquam diſpoſitionis phyſica ad augmentum charitatis?

1 PRincipio ſtatuendum eſt tanquam indubitatum poſſe augeri à Deo charitatem Phyſicè, nulla interueniente diſpoſitione ex parte actus noſtri, ſicut manifeſtè patet, quod poteſt Deus à principio vni paruulo infundere maiorem gratiam quam alteri: & de facto ſi infans baptizatus confiteatur, vel communicetur, per illa ſacramenta recipiet gratiam vltra illam quam habet per baptiſmum, cùm ſit ſubiectum capax iſtorum ſacramentorum; & tamen ibi nulla interuenit diſpoſitio actus ex parte ſubiecti, non ergo eſt diſpoſitio ſic Phyſicè requiſita; quod, ſine ipſa non poſſit infundi augmentum charitatis. *Et ratio eſt manifeſta*; Quia etiam remota illa diſpoſitione ſubiectum eſt capax recipiendi illud augmentum, ſicut à principio ante omnem actum poterat infundi à Deo charitas in illa intenſione, & augmento; & ſimiliter eſt agens potens illud producere, ſcilicet virtus infinita Dei; ergo poteſt id fieri

2 Secundo etiam debet eſſe certum, quod de facto quando primò infunditur gratia in adultis, diſpoſitio eſt menſura quantitatis gratiæ non per modum meriti, ſed per modum diſpoſitionis proportionantis ſubiectum ad formam infundendam in tali, vel tali intenſione. Quod ex eo manifeſtè conuincitur, quia diſpoſitiones ad gratiam, etiamſi ſit vltima, non merentur ipſam gratiam, quæ infunditur, quia aliàs prima gratia, quæ eſt principium meriti, & dat illi dignitatem, caderet ſub merito, & ipſa iuſtificatio heret ex merito, & non omnino gratis, quæ repugnant principijs fidei, vt docent theologi cum *Diu. Thoma* 1. 2. *quaſt.* 114. *art.* 5. & 111. *art.* 2. Et tamen illa diſpoſitio, qua diſponitur homo ad iuſtificationem eſt menſura gratiæ infundendæ, iuxta diffinitionem Concilij Tridentini *ſeſſ. 6. cap. 7.* vbi inquit, *Iuſtitiam in nobis recipientes vnuſquiſque ſuam, ſecundum menſuram, quam ſpiritus Sanctus partitur ſingulis prout vult, & ſecundum propriam cuiuſque diſpoſitionem, & cooperationem*: Ergo cum iſta diſpoſitio non ſe habeat meritoriè reſpectu gratiæ infundendæ, & tamen iuxta illam diſtribuatur menſura gratiæ, reſtat vt ſe habeat tanquam diſpoſitio proportionans, & coaptans ſubiectum ad ſuſcipiendam formam gratiæ.

Difficultas ergo ad hoc reducitur, An etiam in augmento gratiæ, & charitatis, ad quod noſtri actus concurrunt meritoriè (vt ſequenti articulo oſtendemus) ſufficiat commenſuratio per modum meriti, & morali modo; An etiam concurrant actus noſtri tanquam diſpoſitiones proportionantes ſubiectum quaſi phyſicè ad illud nouum augmentum ſuſcipiendum ſicut reſpectu primæ Infuſionis gratiæ? Et in præſenti naſcitur alia difficultas, vtrum augmentum dandum ſubiecto commenſuretur diſpoſitioni actus ſecundum totam ſuam latitudinem, an verò ſolum ſecundum exceſſum ad habitum præcedentem? Sicut ſi aliquis habeat gratiam vt ſex, & eliciat actum vt octo, an detur illi augmentum gratiæ vſque ad octauum gradum, an verò ſupra ſex addantur octo gradus, & ſic infundatur augmentum vt quatuordecim. 3

In qua difficultate *P. Suarez in relectione de reuiuiſcentia meritorum diſp. 1. ſect. 3. n. 16.* tenet hanc diſpoſitionem ſolùm moraliter ſe habere ad augmentum: neque eſſe exactè ſeruandam illam regulam phyſicam, quod intenſio habitus nunquam excedat intenſionem actus, vel diſpoſitionis, ſed magis debere attendi valorem moralem, aut alias morales conditiones illarum diſpoſitionum; quam intenſionem phyſicam. Idem tenet P. *Vazquez* 1. 2. *diſp.* 220. *cap.* 8. *n* 68. *P. Torres* hic *diſp.* 68. *dub.* 3. *ad* 1. & *P. Granados tract.* 3. *de charitate diſp.* 7. *nu.* 12. Cæterùm, vt reſolutoriè procedamus ne contingat in æquiuoco laborare obſeruandum eſt, quod ſi intelligatur in diſpoſitionibus ad augmentum gratiæ aliqua cauſalitas effectiua omninò admittenda non eſt, eamque communiter omnes authores negant, qui ſolùm cum D. Thom. 1. 2. *quaſt.* 112. agnoſcunt Deum eſſe cauſam principalem efficientem gratiæ, & ſacramenta inſtrumentalem. Sed nomine *diſpoſitionis quaſi phyſica* intelligimus proportionem actus ad augmentum habitus non fundatam in ſolo valore meriti, ſed in proportione intenſionis vnius ad intentionem alterius, & vt 4

verè explicuit *Doct. Monteſinos 1. 2. quæſt. 114. art. 8. diſp. 36. quæſt. 7. §. vltimo.* Licet diſpoſitiones non ſint cauſa phyſica augmenti efficiendo illud, tamen Deus non auget phyſicè formam, niſi poſitis ex parte ſubiecti illis actibus, ſeruatque eundem in augendis formis ſupernaturalibus, quem in acquiſitis, excepto quod actus effectiuè non producunt formam ſupernaturalem, vel augmentum illius. Et in hoc ſenſu ſententia oppoſita præcedenti eſt communis inter Thomiſtas, quos etiam *Vazquez* adducit, tenet illam *Capreolus in 4. diſtinct. 4 quæſt. 1. art. 3. ſolutione ad 1. Scoti contra primam concluſionem. Conradus 1. 2. qu. 114. art. 8. Caietanus hic quæſtio 24. art. 6. Magiſter Bañez ſupra eundem articulum. Lorca ibidem diſp. 15. Monteſino citato loco,* qui etiam adducit in ſuam ſententiam *Scotum, & Richardum.* Ac denique inter omnes Thomiſtas communis eſt, & quod caput eſt pro hac parte ſtat *D. Thomas* quod non difficulter agnoſcit *P. Suarez loco citato num. 19.* qui ſententiam *D. Thomæ* de homine reſurgente ad minorem gratiam propter minorem diſpoſitionem ait ſibi eſſe difficilem, & obſcuram.

2 Et quidem meo videri manifeſtè conuincitur eſſe ſententiam *D. Thomæ*, ex his quæ docet in in hac *quæſtione vigeſima-quarta, articul. 6. & 1. 2 quæſtione centeſima decima-quarta, articul. 8. ad 3.* Quod homo licet quolibet actu mereatur augmentum charitatis, aut ſe diſponat ad illud, tamen non ſtatim augetur, ſed quando prorumpit homo in actum feruentiorem, ita quod ſit ſufficienter diſpoſitus: ſed ſi ſolum requireretur diſpoſitio meritoria, quolibet actu eſſet ſufficienter diſpoſitus; quia quolibet actu meretur augmentũ; ergo ſi vltra meritum requirit actum, quo ſit ſufficienter diſpoſitus vt de facto tribuatur augmentum, ſine dubio requirit actum pluſquam meritoriè diſponentem, atque adeo ſecundum proportionem intenſionis, quæ eſt phyſica, & non ſolum moralis. Sed præcipuè videndus eſt *S. Doctor in 2. diſt. 17. quæſt. 1. articul. 5 ad 2.* dicens: *Quando actus meritorius ſe habet ad præmium ſolum in ratione meriti, tunc verum eſt, quod ſicut quis per vnum actum eiuſdem rationis meretur præmium, ita & per alium. Secus eſt quando actus meritorius ſe habet ad præmium non ſolum vt meritum, ſed quodammodo vt cauſa. Et ſic ſe habet actus meritorius ad augmentum gratiæ. Vnde non oportet quod quilibet actus meritorius mereatur augmentum gratiæ (idest conſequenda illud in actu) quia non in quolibet actu meritorio inuenitur illa conditio per quam ex actu conſequitur augmentum habitus.* Ita S. Thomas.

3 Ac denique manifeſtiſſimè in *1. diſtinct. 17. quæſtione 2. articul. 3. In corpore*, ſic ait: *Non eodem modo ſe habet actus informatus charitate ad augmentum charitatis, & actus præcedens charitatem ad habendam charitatem; actus enim qui eſt ex charitate ordinatur ad augmentum charitatis, & per modum diſpoſitionis, & per modum meriti: ſed actus præcedens charitatem ordinatur ad conſequendam charitatem ſolum per modum diſpoſitionis, & non per modum meriti; quia ante charitatem nullum poteſt eſſe meritum; neuter autem actus ordinatur ad habendum charitatem, vel augmentandum per modum alicuius efficientiæ, ſicut actus noſtri ad habendos acquiſitos habitus.* Sic D. Thomas. Cuius verba clariſſima ſunt, cum in actibus ponat rationem meriti, & rationem diſpoſitionis, atque adeo expreſsè contradicit *Vazquez* vbi ſupra, dicenti non requiri phyſicam diſpoſitionem, ſed ſolam meritoriam ad augmentum gratiæ; at vero *D. Thomas* dicit ordinari actum ad augmentum charitatis, non ſolum per modum meriti, ſed etiam per modum diſpoſitionis: ergo aliquid præter meritoriam diſpoſitionem agnoſcit, quæ non eſt alia quam diſpoſitio per modum proportionis intenſionis habitus, & ad intenſionem habitus.

Fundamentum huius ſententiæ præcipuè ſumitur ex duobus. *Primum.* Quia actus noſtri habent hanc proportionem, & rationem diſpoſitionis non meritoriæ, ſed phyſicæ reſpectu gratiæ quando primo infunditur, vt ex duobus principijs fidei deducimus in ſecundo notabili; ergo licet iidem actus quando procedunt à charitate, & ordinantur ad augmentum eius habeant rationem meriti, quia procedunt à ſubiecto digno, non tamen debent amittere rationem illam diſpoſitionis, & proportionis phyſicæ, quia hanc habent ex ſua natura. Vnde ſi ſemel habent illam, vt de facto habent in prima infuſione gratiæ, ſemper eam habebunt. 4

Nec valet reſponſio *P. Suarez* citato loco *num. 49.* Quod in primo inſtanti gratia ſolum habet proportionem cum diſpoſitione, poſtea vero cum diſpoſitione, & merito, quibus intenſior gratia debetur. *Sed fallitur in hoc.* Quia diſpoſitio, & meritum non reſpiciunt diuerſos terminos intenſionis, ſed eandem intenſionem habitus prout cadit ſub morali valore, & ſub proportione phyſica; ſi enim ſemel menſuratur intenſio habitus penes proportionem phyſicam actus, quod addatur ei ratio meriti, quia procedit à principio digno, non facit quod reſpiciatur diuerſa intenſio, vna vt danda ratione meriti, alia ratione diſpoſitionis, ſed ad illam quam meretur actus in quantum meritorius, diſponit in quantum phyſicus. 5

Sed quia poſſet aliquis dicere: Quod licet actus habeat rationem diſpoſitionis, & meriti ad augmentum charitatis, tamen non ſemper requiritur vtraque ratio, ſed ſufficit quòd interueniat ratio meriti, etiamſi ratio diſpoſitionis phyſicæ non detur. Contra hoc. 6

Secundum principium vrget. Quia loquendo de augmento charitatis eo modo, quo datur adultis, & non paruulis, quibus ſine aliqua diſpoſitione datur gratia, & augmentum illius, ille modus obſeruandus eſt in augendis formis ſupernaturalibus, qui connaturalior eſt ipſi naturæ rerum. Eſt autem connaturale ipſi actui, quod diſponat phyſicè, & non ſolum meritoriè, vt patet in prima infuſione gratiæ, cuius quantitas, ſeu intenſio in qua infunditur menſuratur penes diſpoſitionem actus non meritoriè, ſed phyſicè. Ex parte etiam ipſius formæ, quæ augetur eſt connaturale vt ſupponat non ſolum proportionem moralem, ſed etiam phyſicam ex parte ſubiecti, quia cum eius perfectio, & ratio non conſiſtat ſolum in æſtimatione extrinſeca, ſicut munus datum à Rege, quod æſtimatur nõ ratione entitatis ſolum, ſed ratione moralis denominationis, quia datur à Rege; ſed charitas, & gratia ſint formæ phyſicæ, quarum valor, & augmentum inhæret ſubiecto, ideo ſicut eſt illis connaturale, vt quando introducuntur in ſubiecto adulto 7

diſpoſitiu

diſpoſitiones præcedentes per phyſicam menſurationem diſponant, ita eſt illis magis connaturale vt quoties augētur phyſicè in ſubiecto phyſicam etiam proportionem ſupponant in diſpoſitionibus, & non ſolum moralem. Cùm autem in his ſupernaturalibus id aſſerere debeamus, quod magis connaturale, & proportionatum eſt naturis rerum niſi aliter per reuelationem conſtiterit, quia gratia non deſtruit naturam, ſed perficit) conſequenter aſſerendum eſt probabilius procedere ſententiam *D. Thomæ*, quæ in augmento charitatis loquitur conformiter ad naturam rerum, & ad id quod actus iſti diſponentes habent ex ſe in prima infuſione gratiæ, & ipſa gratia poſtulat quando phyſicè augetur.

11 Quod *ſi inquiras primo*. An iſta proportio phyſica ita in omnibus ſeruanda ſit, vt non ſufficiat operari ſecundum conatum totum charitatis præcedentis, vt illi detur augmentum, ſed requiratur quod actus excedat habitum præcedentem, & proportionetur augmento introducendo? *Et ſecundo*, Vtrum actus iſte intenſior augeat habitum ſecundum totam ſuam latitudinem; An vero ſecundum illud in quo excedit? v. g. habet quis charitatem vt quatuor, & elicit actum vt quatuor, qui eſt ſecundum totam virtutem talis habitus, Inquirimus an iſte actus ſufficiat ad hoc vt de facto detur aliquod augmentum ſupra charitatem præcedentem; An vero ſemper requiratur actus excedens, v.g. vt quinque, aut ſex ſupra quatuor? Et caſu quo requiratur actus excedens, Vtrum augeat habitum præexiſtentem ſolum quantum ad illam partem exceſſus, v. g. actus vt ſex habitum vt quatuor ſolum in duobus augeat, An verò ſecundum totam latitudinem ita vt poſito actu vt ſex augeatur ille habitus vſque ad decem? Ex hoc enim dependet vt videamus, an iſta proportio phyſica in toto rigore ſeruanda ſit, an verò ſolum ſecundum quandam ſimilitudinem.

12 Reſpondetur *ad primum*. Quod communiter receptum eſt in ſententia *D. Thomæ* poſita, requiri ad augmentum charitatis non ſolum actum æqualem ad habitum præcedentem, ſed excedentem illum, & æqualem augmento introducendo: in ſententia autem oppoſita, quæ ſolum requirit actum per modum meriti, non requiritur proportio excedens, vel æqualis, ſed ſolum meritoria vt ſtatim augeatur habitus. Ita ſentiunt *Authores citati* pro iſta ſententia; quibus accedit *Lorca* vbi ſuprà *diſp.* 16. Cæterùm *Pater Granados* vbi ſuprà *diſp.* 20. *ſect.* 1. & 2. exiſtimat iuxta ſenſum *S. Thomæ* ad hoc vt augeatur habitus de facto ſolum requiri actum æqualem habitui præcedenti, ita quod homo operetur ex tota virtute, ſic quod iſta proportio quaſi phyſica non eſt in toto rigore ſumenda, ſed ſolum ſecundum quandam ſimilitudinem, ita vt homo operetur totum quod poteſt; & ita poſita iſta conditione augeatur habitus. Et ad hoc adducit *D. Thomam* hic *quæſt.* 24. *artic.* 6. *in corpore*, & *ad* 2. qui dicit, tunc augeri charitatem in actu, quando homo conatur ad huiuſmodi augmentum; non autem conatur quando de facto elicit actum excedentem, tunc enim non ſolum conatur, ſed etiam de facto producit actum intenſiorem. Vnde quando dicit quod habilitate creſcente prorumpit in actum feruentiorem, non intelligitur de *feruentiori* comparatiuè ad habitum, quia feruor non conuenit habitui, ſed *feruentiori* comparatiuè ad actus remiſſos præcedentes.

Et *in* 1. *diſtinct.* 17. *quæſt.* 2. *artic.* 3. *ad* 4. loquitur. Quod ad hoc vt ſit in anima vltima diſpoſitio ad recipiendam charitatem requiritur actus qui ſit ſecundum totam virtutem ſuam, & iſte ſufficit quantum in nobis eſt. *Et in* 1. *diſt.* 27. *quæſt.* 1. *artic.* 5. *ad* 2. ait, Quod ſolum illo actu conſequitur augmentum charitatis, quo quis vtitur accepta gratia ſecundum proportionem ſuarum virium, ita vt in nullo deſit gratiæ Dei per negligentiam, ergo hoc ipſo quod homo operatur actum æqualem habitui præcedenti, ſeu gratiæ acceptæ augebitur habitus de facto. 13

Sed omninò deceptus eſt *Pater Granados* in referenda ſententia *S. Thomæ*: nec poteſt intelligi quod requiratur diſpoſitio per modum proportionis vltra rationem meriti, vt expreſsè *D. Thomas* affirmat locis citatis, niſi fiat illa proportio ſecundum exceſſum, quia augmentum habitus eſt exceſſus illius; ergo idem eſt habere proportionem ad augmentum habitus præexiſtentis, & habere proportionem ad exceſſum. Actus autem æqualis habitui præexiſtenti, ſolum illi proportionatur, & adæquatur, ergo non poteſt menſurare aliquid ſuprà talem habitum quod pertinet ad augmentum illius, niſi fortè in ratione meriti, cum tamen *D. Thomas* affirmet non ſolum habere rationem meriti, ſed etiam diſpoſitionis. 14

Et *quod iſta* ſit expreſſa mens *D. Thomæ*, patet ex ipſo loco citato à P. Granados *in* 1. *Sent.* vbi aliter ſe habent verba *D. Thomæ*, dicit enim ſic: *Ad perfectam diſpoſitionem ſufficit quod anima operetur ſecundum virtutem proportionatam illi perfectioni, quæ inducenda eſt; & quia tota capacitas animæ, vix ſufficit ad receptionem tantæ perfectionis, quanta eſt charitas, ideo ad hoc quod ſit in anima vltima diſpoſitio ad charitatem requiritur actus, qui ſit ſecundum totam virtutem ſuam, & iſte ſufficit quantum in nobis eſt. Vlterius autem in illis perfectionibus in quibus per actum anima non tantum eſt diſpoſitio, ſed etiam ipſa perfectio, exigitur quod actus ipſius animæ ſit proportionatus, & æqualis in virtute ipſi perfectioni introducendæ.* Ita D. Thomas. Vndè manifeſtè conuincitur *iſte Auctor* falſitatis in ſenſu *D. Thomæ*, neque enim requirit diſpoſitionem æqualem habitui præexiſtenti, ſeu perfectioni introducendæ. Perfectio autem introducenda eſt excedens, cum ſit augmentum habitus præexiſtentis; ergo requiritur actus excedens. Ex his patet ſolutio ad reliqua loca. 15

Nam in hac *quæſt.* 24. loquitur expreſsè de conatu ad augmentum charitatis, qui ſit per actum feruentiorem, & conſequenter loquitur de conatu perfecto, qui eſt ipſemet actus excedens, quo perfectè, & efficaciter fit conatus ad augmentum. Et nomine *feruentioris* intelligit actum intenſiorem, atque adeo comparatur non ſolum ad actus remiſſos, ſed etiam ad ipſum habitum. Neque raro contingit habere tales actus intenſiores (vt obiicit *Lorca*) quia Deus communiter mouet ad creſcendum in bono, & perfectè operandum niſi quis negligenter ſe habeat, *Deus eſt enim qui operatur velle, & perficere*. Et ſimiliter ad locū ex 2. *Sent.* dicitur, Quod 16

benè vt gratia & accepta non ſolum intelligitur de gratia accepta habituali, ſed etiam de actuali, qua per auxilium mouetur ad perfectius augmentum.

De ſecundo dubio.

1 AD ſecundum quæſitum dicitur: Quod in noſtra ſententia non poteſt intelligi augmentum charitatis fieri ſupra habitum præexiſtentem ſecundum totam latitudinem actus diſponentis; quia non tota latitudo eſt proportionata augmento infundendo, ſed charitati præexiſtenti. Vt ſi habens charitatem vt quatuor eliciat actum vt ſex ex diuino auxilio, iſte actus quantum ad primos quatuor gradus eſt æqualis cum habitu vt quatuor, ſolum autem ſuperat illum in exceſſu, qui eſt à quatuor ad ſex: ſed idem eſt diſponere ad augmentum ac diſponere ad exceſſum habitus, ergo ſi ſecundum totam latitudinem non diſponit ad exceſſum, neque ad augmentum. Addo oppoſitos authores, qui ſolum ponunt diſpoſitionem meritoriam, & moralem, ſolum dicere quod actus ſiue remiſſus, ſiue intenſus ſecundum totam ſuam latitudinem eſt meritorius quaſi ſubiectiuè, ideſt, quod omnes gradus, illius actus ad meritum concurrunt; non tamen affirmant quod correſpondeat illis actibus augmentum ſecundum totam latitudinem, ita quod ſingulis gradibus actus correſpondeant ſingulis gradus augmenti (hoc enim dicunt omnino eſſe occultum, & incertum) ſed correſpondere cuilibet actui meritorio aliquod augmentum pro præmio ſecundum proportionem, non ſecundum latitudinem, vt patet in *P. Suarez* loco citato *numero* 49. & *P. Granados diſp.* 7.

2 Quare communiter reiicitur ille modus augendi habitus ſecundum totam latitudinem actus, nam verè plura habet inconuenientia; tenetur enim admittere intenſionem fieri ſecundum gradus omninò ſimiles, & per modum additionis numeri ad numerum; & quod idem actus verbi gratia vt duo ſolum ex eo quod ſit in diuerſo ſubiecto habente diuerſum gradum charitatis, plus vel minus meretur; nam in ſubiecto habente gratiam vt decem, meretur actus vt duo augmentum vt duodecim; in ſubiecto autem habente gratiam vt mille, merebitur augmentum vt mille, & duo. Cùm ergo nobis incertum ſit quantum augmentum mereatur quilibet actus, ſiuè intenſus, ſiue remiſſus, quandiù de hoc non datur reuelatio, loquimur conformiter ad augmentum naturale in aliis habitibus, & conformiter ad modum menſurandi intenſionem charitatis quando primò infunditur. Qui autem hanc proportionem volunt negare, afferant reuelationem vndè id conſtet, & admittemus.

Soluuntur Argumenta

1 REſtat ſoluere fundamenta oppoſitæ ſententiæ, quæ reducuntur ad Tria. *Primum eſt.* Quia poſtquam homo eſt iuſtificatus quilibet actus charitatis, etiam remiſſus, meretur augmentum gratiæ de condigno, vt admittit *S. Thom.* hic *quæſt.* 24. *articul.* 6. & dicemus *articulo ſequenti*; ergo dabitur illi tale præmium independenter à quacumque phyſica diſpoſitione. *Conſequentia patet.* Tum quia in *Concilio Tridentino ſeſſ.* 5. *c.* 16. dicitur, Quod actibus factis in gratia per Chriſtum nihil amplius deeſt quominus legi Dei ſatisfeciſſe, & vitam æternam ſuo tempore conſequendam (ſi in gratia deceſſerint) cenſeantur. Ergo illa diſpoſitio phyſica vltra meritum de condigno impertinenter requiritur, & contrà Concilium. *Tum etiam.* Quia ſi requiritur diſpoſitio intenſior vt detur augmentum, nunquam actui remiſſo correſpondebit ſuum præmium, quia cum ille actus intenſior etiam mereatur, & diſponat ad augmentum ſibi correſpondens, relinquitur actus remiſſus præcedens ſine aliqua diſpoſitione, quæ non ſit occupata ſuo proprio augmento; Ergo vel nunquam dabitur illi præmium, vel eadem diſpoſitio ſeruiet pro augmento actus remiſſi, & actus intenſi, quod eſt ponere aliquod augmentum dari ſine diſpoſitione phyſica ſibi correſpondenti.

Hoc argumentum eſt præcipuæ difficultatis in tota iſta diſputatione, eiuſque ſolutio pertinet ad Articulum 4. ad quem nos remittimus. 2

Secundum fundamentum eſt: Quia per Sacramenta augetur in nobis gratia opere operato, & conſequenter correſpondet aliquid vltra diſpoſitionem propriam, cui datur gratia ex opere operantis; ergo aliquod augmentum gratiæ datur ſubiecto ſine diſpoſitione phyſica ei correſpondenti, atque adeo non eſt phyſica diſpoſitio, ſi non ſemper requiritur. *Reſpondetur* Argumentum retorqueri, Quia etiam illud augmentum ex opere operato datur vltra diſpoſitionem moralem, quia id quod meretur actus diſponens, cum quo aliquis accedit Sacramentum, meretur aliquid ex opere operantis; ergo vltra id quod meretur datur ſibi augmentum Sacramenti, atque adeo illi augmento nulla diſpoſitio correſpondebit moralis nec phyſica.

Quare *dicendum eſt*, quod reſpectu augmenti ex opere operato diſpoſitio noſtra, quæ eſt ex opere operantis non ſe habet tanquam diſpoſitio proportionans ſubiectum ad formam, ſed applicans ad cauſam, quæ ſupra diſpoſitionem hominis poteſt producere augmentum, vt diximus *in primo notabili*. Vnde *S. Thomas* 3. *p. quæſt.* 69. *art.* 8. dicit, quod baptiſmus non habet æqualem effectum in adultis, propter diuerſam diſpoſitionem, qua ſe applicant cauſæ gratiæ. Sicut ex eo aliquis magis calefit, quia magis accedit ad ignem, & quia vt dicit *Tridentinum ſeſſ.* 7. *canone* 6. Sacramenta habent ſuum effectum in non ponentibus obicem, quare non requiritur diſpoſitio poſitiua ad augendam gratiam, ſed ſufficit non ponere obicem: & diſpoſitio qua aliquis accedit ſolum ſe habet vt applicans magis vel minùs, non vt formaliter menſurans. 3

Tertium fundamentum eſt: Quia in multis non ſeruatur illa proportio phyſica inter actus, & habitus ſupernaturales; Cur ergo ſolum in augmento ſeruatur? *Antecedens patet.* Quia in naturalibus ſolum augentur habitus per ſimiles actus, & eiuſdem ſpeciei; hic autem per ſolum actum charitatis augentur etiam habitus virtutum moralium infuſarum. Similiter habitus naturales deſtruuntur per habitus contrarios, ſupernaturales verò ſolum per actum peccati tolluntur in pœnam: ergo. 4

Reſpondetur: Seruari illam proportionem phyſicam ſemper quantum poſſibile eſt, niſi ſequatur inconueniens, in augmento autem non ſequitur, quia de facto fatentur omnes quando primò infundi 5

infunditur gratia menſurari eius intenſionem phyſicè ratione diſpoſitionis noſtræ; ergo conforme eſt naturæ eius vt ſemper hoc ſeruetur. In exemplis autem allatis non currit hæc ratio. Quod enim creſcente charitate creſcunt virtutes infuſæ, ideo eſt quia virtualiter continentur in charitate vt in radice; vndè ſicut diſpoſitio ad infuſionem charitatis eſt virtualis diſpoſitio ad virtutes, ita & diſpoſitio ad augmentum. Similiter non tollitur habitus ſupernaturalis per habitum vitioſum contrarium, quia vnus actus peccati ſufficit deſtruere charitatem non ſolum demeritoriè, ſed etiam phyſicè (vt *Diſputatione vltima* dicemus) quare non datur locus vt expellatur, per habitum, ſi per actum excluſus eſt.

ARTICVLVS. III.

Vtrum actus charitatis, etiam remiſſi, mereantur augmentum charitatis; & quomodo?

1 PRincipio oportet ſupponere tanquam certum de fide iuſtos bonis operibus, non ſolum mereri vitam æternam, ſed etiam augmentum gratiæ, vt manifeſtè diffinitur in Tridentino *ſeſſion. 6. can. 24. & 32.* Et ita actus noſtri non ſolum habent rationem diſpoſitionis, ſed etiam meriti reſpectu augmenti gratiæ.

2 Secundò *ſupponendum eſt etiam* tanquam certum, & ferè in eadem certitudine, qua præcedens, Quod quilibet actus, etiam remiſſus, meretur augmentum gratiæ, ſicut & vitam æternam abſtrahendo ab eo quod nomine *Augmenti* intelligi poteſt; de hoc enim ſunt diuerſæ opiniones non excedentes probabilitatem. Sed in genere loquendo certum eſt augmentum gratiæ, quidquid illud ſit, debere cadere ſub merito actus, etiam remiſſi, ſiue ſit augmentum eſſentiale quoad intenſionem, ſiue accidentale, ſiue deſtinctum ab eo quod feruentiori actui correſpondet, ſiue non, ſiue detur nouo titulo, ſiue noua res. In hac concluſione conueniunt omnes doctores, etiam *Magiſter Bañez hic quæſtione vigeſima quarta, articul. 6. dubio ſecundo concluſione tertia.* Sed tota eius opinio conſiſtit in aſſignando quale ſit hoc augmentum, quod meretur actus remiſſus. De quo *ſequenti articulo* cum ipſo erit diſputatio. Vnde malè ab aliquibus ſuggillatur *Bañez*, quaſi aliquid temerarium, vel erroneum docuerit, cum ipſe conueniat in doctrina generali, quod quilibet actus remiſſus meretur augmentum. Quanta verò probabilitate explicat hoc augmentum, poſtea explicabitur.

3 Quod ergo quilibet actus, etiam remiſſus, mereatur hoc augmentum eſt conforme diffinitioni *Tridentini can.* illo 32. vbi inquit: *ſi quis dixerit hominem iuſtificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & Ieſu Chriſti meritum, cuius viuum membrum eſt fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipſius vitæ æternæ (Si tamen in gratia deceſſerit) conſequutionem, atque etiam gloriæ augmentum, anathema ſit.* Vbi ſolum ex eo quod non poſuit expreſsè Concilium *Omnibus bonis operibus*, hæc concluſio non eſt expreſsè de fide: ſed quia eſt propoſitio indefinita, & Doctrinalis, quæ æquiualet vniuerſali, habet ferè eandem certitudinem quaſi æquiualenter. Et hoc ipſum docuit expreſsè *Diu. Thomas* hic *quæſtione vigeſima quarta, articul. 6. ad 1.* Et *1. 2. quæſtio. 114. articul. 8. ad 3.* Et reddit efficacem rationem. Quia quolibet actu, etiam remiſſo, meretur homo vitam æternam, & gratiæ conſummationem: ergo etiam & augmentum; nam conſummatio ipſa plus eſt quam augmentum, cum ſit terminus eius.

Neque obſtare debent verba *D. Thomæ in 2. diſtinct. vigeſima ſeptima, quæſtion. 1. artic. 5. ad 2.* vbi inquit, Quod non oportet quod quilibet actus meritorius mereatur augmentum gratiæ, quia non in quolibet actu meritorio inuenitur illa conditio per quam ex actu conſequitur augmentum habitus, ſed ſolum in illo actu, quo quis vtitur gratia accepta ſecundum proportionem ſuarum virium, ita vt in nullo deſit gratiæ Dei. *Sed non obſtant iſta verba*, neque cogunt vt dicamus *Diu. Thomam* mutaſſe ſententiam; nam loquitur ibi de merito afferente ſecum augmentum de facto dandum ſubiecto. Licet autem quilibet actus mereatur augmentum, tamen ſecundum *D. Thomam* non ſtatim datur, ſed ſuo tempore, vt dicit locis citatis ex ſumma; & ideo idem vtrobique dicit. Id autem patet ex illis verbis, *Quia non in quolibet actu inuenitur illa conditio per quam ex actu conſequitur augmentum habitus*; loquitur ergo de merito, cui ſtatim redditur augmentum. 4

His *duobus ſuppoſitis* plures excitantur difficultates circa meritum actuum remiſſorum, tam ex parte ipſius augmenti, quod eſt quaſi præmium, quam ex parte ipſius actus meritorij. Circa ipſum præmium, quod eſt augmentum, occurrit primò difficultas, quid nomine *Augmenti* ſit intelligendum quando dicitur quemlibet actum mereri *augmentum gratiæ*, determinare enim quid nomine *Augmenti* intelligatur pertinet ad opiniones. Et ſecundò occurrit maior difficultas, Quo tempore detur iſtud augmentum, quod meretur actus remiſſus, & quam diſpoſitionem ad id requirat? Sed tamen eas difficultates, quæ ex parte præmij, ſeu augmenti ſe tenent, remittimus articulo ſequenti, vt diſtinctius, & plenius diſputentur. 5

In præſenti ergo ſolum tractandæ ſunt aliquæ difficultates, quæ ex parte actus meritorij ſe tenent, & per modum interrogationis facilius expediendæ. *Prima ergo difficultas.* An iſta ratio meriti augmenti charitatis conueniat ſolum actibus à charitate elicitis: An etiam imperatis? *Secunda*, An ſolum conueniat ſubſtantiæ actuum, vel etiam durationi, aut multitudini, & ſimilibus circunſtantiis, ratione quarum conſurgat nouus valor, & nouum augmentum pro præmio correſpondeat? *Tertia*: Vtrum magnitudo augmenti correſpondeat toti intenſioni actus meritorij, An verò intenſiori actui poſſit aliquando minus augmentum correſpondere, & remiſſiori actui maius? 6

Ad primam difficultatem *Reſolutio eſt.* Etiam per actus imperatos à charitate, elicitoſque ab aliis virtutibus nos mereri augmentum gratiæ; Quia generalis regula eſt, quod 7

quidquid meretur vitam æternam, etiam mereri poteſt augmentum gratiæ, vtrumque enim patificat *Concilium*, & *diuus Thomas* locis citatis. Expreſſius tamen hoc tradit ipſum *Concilium ſeſſ. 6. capit. 10.* vbi explicando incrementum iuſtificationis, inquit, quod *Iuſtificati, & amici Dei, ac domeſtici facti euntes de virtute in virtutem renouantur, vt Apoſtolus dicit, de die in diem, hoc eſt, mortificando membra carnis ſuæ, & exhibendo ea arma iuſtitiæ in ſanctificationem per obſeruationem mandatorum Dei, & Eccleſiæ in ipſa iuſtitia per Chriſti gratiam accepta, cooperante fide bonis operibus creſcunt, atque magis iuſtificantur.* Ita Concilium. Sed mortificatio carnis pertinet ad virtutem temperantiæ, & obſeruatio mandatorum Dei, & Eccleſiæ pertinet ad alias virtutes de quibus dantur huiuſmodi præcepta, ergo per actus illarum augetur gratia iuſtificans, non tanquam per diſpoſitionem phyſicam, quia ſunt alterius ſpeciei; ergo per meritoriam, & licet eſſet phyſica diſpoſitio, multo magis meritoria.

8 Eſt *tamen valdè* attendenda doctrina *D. Thomæ 1. 2. quæſtion. 114. articul. 4.* vbi docet, Quod præmium vitæ æternæ primario pertinet ad charitatem, ad alias autem virtutes ſecundariò, ſecundum quod earum actus à charitate imperantur; quod tamen imperium ſaluari non poteſt ſine aliquo influxu charitatis, ſaltem virtuali; vt ibidem tractari ſolet contrà aliquos recentiores, qui exiſtimant ſufficere ad rationem meriti, quod actus procedat à ſubiecto dignificato per charitatem ſine aliquo influxu, etiam virtuali charitatis. Qui tamen non poſſunt ſaluare id quod dicit *D. Thomas*, Quod merentur virtutes prout imperantur à charitate; imperari enim non eſt ſolum extrinſecè dignificari ratione ſubiecti digniti ceſſante omni actu, cum imperium ipſum actus ſit. Et multò minus videntur poſſe ſaluare verba *Concilij*; non enim dicit creſcere hominem in gratia ſolum per obſeruationem mandatorum, ſed addidit *Cooperante fide bonis operibus*, intelligitur enim de *Cooperatione fidei, viua*, fides enim non viua conducere non poteſt ad augmentum iuſtificationis, & eadem difficultas eſt de influxu fidei ad rationem meriti, & de influ charitatis. Illa autem cooperatio fidei non poteſt intelligi ſine operatione ipſius fidei, neque operatio ſine influxu; ergo actus virtutum quibus obſeruamus præcepta non poſſunt eſſe meritorij ad augendum gratiam ſine aliqua operatione, & influxu ſaltim virtuali principij ſupernaturalis; quod eſt fides viua; & conſequenter ſola dignificatio ſubiecti omni influxu remoto non ſufficit. Sed de hac quæſtione non eſt locus tractandi hic, pertinet enim ad locum citatum 1. 2. Vbi videri poteſt *Doctor Monteſinos* ſupra prædictum *articulum 4. quæſtion. 1. & 2.* Vbi optimè probat contra *Vazquez* requiri in actibus aliarum virtutum vt ſint meritorij influxum charitatis ſaltim virtualem, & influxum Chriſti vt eſt caput, & Redemptor influens tanquam vitis in palmites, vt ex *Tridentino ſeſſ. 6. cap. 16.* apertè deducitur.

9 Obijcies *D. Thom.* Quia ſæpe docet eſſentiale præmium ſolum correſpondere actui charitatis, actibus autem aliarum virtutum ſolum correſpondere præmium accidentale, quod eſt gaudium de bono creato, vt patet in *1. part. quæſt. nonageſima-quinta, articul. 4.* & *ſuper 1. ad Corinthios capit. 3. lect. 2.* & *Roman. 8 lect. 5.* & *in additionibus ad 3. part. quæſtion. 93. artic. 3.* agendo de diſtinctione Manſionum in Patria, & *quæſtion. nonageſima-ſexta, artic. 1.* agendo de Aureolis, quæ ſunt præmia accidentalia correſpondentia excellentiæ victoriæ in aliquibus actibus virtutum.

Reſpondetur ſenſum *D. Thomæ* manifeſtum eſſe, Quod actus aliarum virtutum primò, & per ſe, & ex ſubſtantia operis non merentur præmium eſſentiale, & augmentum gratiæ, ſed ſolum eis correſpondet accidentale gaudium. Non tamen negat *D. Thomas* quod ſecundario, id eſt, vt mouentur à charitate, & ratione ipſius charitatis vt radicis mereantur præmium eſſentiale, vt dicit *loco citato 1. 2.* An vero radix iſta, & imperium charitatis communicet excellentiorem rationem meriti, ſolum quando ipſa charitas eſt intenſior; An verò etiam quando obiectum virtutum eſt excellentius, vel actus illius intenſior, aut maioris difficultatis victor, ipſa radix charitatis communicet etiam maiorem valorem meriti, incerta res eſt, quia ſolus Deus eſt *Ponderator Spirituum*. Sed tamen per ſe loquendo quanto aliquod opus virtutis moralis eſt excellentius, vel difficilius indiget à perfectiori charitate imperari, vndè Ioann. 15. dicitur, quòd *Maiorem charitatem nemo habet vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*; Et tamen poſitio animæ eſt opus fortitudinis, ſed tamen quia iſta opera ita excellentia aliquando poſſunt fieri ſine charitate iuxta 1. Corinth. 14. *Si tradidero corpus meum ita vt ardeam, & ſi diſtribuero omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt*, conſequenter fit quod talia opera excellentia poſſunt fieri à minori, & imperfectiori charitate. *Et inde deſumitur argumentum.* Si illa opera fiant ſine charitate nihil proſunt; ergo ſi fiant à parua charitate parum proſunt; & ita ſi aliquis ex parua charitate ſuſtineat martyrium, alius autem ex magna charitate det panem pauperi, iſte ſecundus plus merebitur de præmio eſſentiali, quia magis illi prodeſt charitas, licet quoad præmium accidentale, & aureolam martyrij martyr longè ſuperet. 10

Quod ſi inſtes: Nam actus virtutis moralis infuſæ habet ex ſuo genere in homine iuſto omnes conditiones vt ſit meritorius, ergo ſi eſt præſtantioris obiecti erit magis meritorius: gratia enim non dignificat ſolum intenſionem actus, ſed etiam ſpecificam rationem, & ſubſtantiam illius. *Et confirmatur.* Quia aliàs ſi ex æquali charitate v. g. vt duo aliquis det pauperi vnum denarium, alter autem patiatur martyrium, iſti duo eſſent æqualis meriti eſſentialis, & eiuſdem gloriæ, quod eſt omnino abſurdum; ergo eſſentialis ratio meriti etiam ſumitur ex maiori obiecti excellentia. 11

Reſpondetur virtutem moralem infuſam ex eo quod infuſa eſt, habere connexionem intrinſecè cum charitate; virtutes enim morales infuſæ ſine charitate non ſunt, vt ſuppono ex 1. 2. *quæſtion. 65. articul. 2. & 3.* Sicut ipſe actus contritionis, qui elicitur à virtute pœnitentiæ intrinſecè petit imperari à charitate, quia procedit à Deo ſummè dilecto, vnde ratione huius connexionis cum charitate habent virtutes infuſæ morales mereri præmium 12

eſſentiale. Si verò præſcindamus ab illis motiuum charitatis, & ſolum conſideremus attingentiam proprij obiecti, non correſpondet illis niſi præmium accidentale, id eſt, gaudium de bono creato. *Ad Confirmationem Reſpondetur.* Nullum eſſe inconueniens quod in præmio eſſentiali illi duo ſint æquales, quia habent eandem charitatem, cui commenſuratur viſio gloriæ, licet in præmio accidentali longè præcedat martyr propter excellentiorem actum fortitudinis. Quia tamen fides viua, quæ cooperata eſt bono operi ſuæ eadem in alio non martyre eandem viſionem beatificam habebunt.

13 Ad Secundum difficultatem multa Recentiores implexè dicunt circa meritum actus. Nos breuiter ſupponimus duo, & in alijs duobus habemus difficultatem. *Supponimus* primò, & per ſe loquendo plus mereri actum diuturniorem, quam breuem, & continuatum per horam v. g. quam interruptum, & multiplicatum in eadem. *Secundo ſupponimus* falſum eſſe quod actus immanens liber neceſſario poſtulet aliquam moram temporis in qua debeat durare, ſed poſſe deſinere poſt quodlibet inſtans in quo producitur. Quod eſt contra *Vazquez 1.2. Diſp. 54. cap. 3.* quia ſentit quod actus immanens incipit per primum eſſe, & deſinit per primum non eſſe, inter quæ duo inſtantia debet cadere tempus medium. & idem ſequitur *Pater Granados* hic *Controuerſia 3. diſp. 8. ſect. 3.* non propter rationem *Vazquez*, quia actus immanens ſpiritualis poteſt deſinere per vltimum eſſe, vt patet in inſtantibus operationis Angelicæ, & licet deſineret per primum non eſſe, non infertur quod exigat determinatam durationem quia poſt primum inſtans in quo incipit ille actus ſequuntur infinita inſtantia indeterminata cum partibus temporis indeterminatis, in quo um quolibet poteſt deſinere Sed ea eo probat habere actum immanentem determinatam durationem præter inſtans, quia alias poſſet homo, vel Angelus elicere infinitos actus tempore finito, quia ſunt infinita inſtantia. & cum actus immanens exigat aliquam attentionem, quæ naturaliter petit aliquam moram, naturaliter etiam ille actus durabit pluſquam per inſtans.

14 Cum *vero vrgetur.* Quia ſi actus neceſſario petit, & intrinſece aliquam moram durationi; ergo immediatè poſt inſtans peccati non poteſt aliquis conuerti ad Deum, neque minus poſt conuerſionem peccare, & ita durante illa morula peccans eſt quaſi extra ſtatum viæ, quia non poteſt conuerti intra illud tempus, & pœnitens confirmatus in gratia, quia in illo tempore non poteſt peccare. *Hoc argumento* oppreſſus Granados reſpondet, immediatè poſt inſtans peccati poſſe aliquem conuerti ad Deum, etiamſi non ſit finita morula, quam actus poſtulat ea ſua natura, quia gratia dei extrinſecus adueniens poteſt interrumpere illam durationem; ſed ſenſus ſuæ ſententiæ eſt quod ex vi ſuæ voluntatis, ſeu libertatis non poteſt homo ceſſare ab actu illo intra illam morulam.

15 Sed *eſt planè abſurda Reſponſio.* Quia ſi ex vi libertatis non poteſt ceſſare ab actu intra illam durationem; ergo natura libertatis poſtulat quod non ceſſet, & ita non eſt in ſua poteſtate ceſſare; ergo gratia extrinſecus adueniens non poteſt interrumpere illam durationem niſi deſtruendo naturalem modum libertatis, vel potius dando libertatem quam non habet voluntas pro illa duratione. *Et præterea* non ſoluitur argumentum in alio caſu, ſcilicet quando homo poſt inſtans conuerſionis peccat, ad peccatum enim non aduenit gratia extrinſecus. Quod ſi non poteſt immediatè poſt homo peccare per aliquam durationem determinatam, ſequitur quod in illa duratione homo ſit impeccabilis, & quantumcumque inſurgant grauiſſimæ tentationes pro illo determinato tempore non indigebit homo ſpeciali dei beneficio ad reſiſtendum illis, quia non poteſt homo pro tunc ceſſare ab illo actu toto illo tempore, & conſequenter neque tentatio præualere, quæ omnia ſunt plena abſurditate. *Nec ſequitur* poſſe produci infinitos actus finito tempore cathegorematicè, & in actu, ſed ſyncathegorematicè, & in potentia; quia quolibet inſtanti ſignato diuiſiuè poteſt produci actus, ſed quia non poſſunt omnia ſignari collectiuè, non poſſunt eſſe infiniti cathegorematicè: attentio autem quam poſtulat actus poteſt quolibet inſtanti, vel tempore interrumpi.

Igitur cum hic loquamur de continuatione libera actus ſiuè immediatè poſt inſtans, ſiue poſt aliquam moram temporis; difficultas de merito ratione continuationis eſt in duobus. *Primum* quod eſt commune omni ſententiæ, vt benè obſeruauit *Suarez loco ſupra citato numer. 42.* Scilicet quomodo actus ratione continuationis mereatur augmentum, & nouum præmium, & tamen illud præmium non ſit infinitum quia continuatio fit per partes proportionales, quæ ſunt infinitæ, & indeterminatæ, ſi ergo quælibet continuatio quantumcumque inaſſignata, & proportionalis eſt meritoria noui præmij, quia libere addit continuationem, conſequenter in fine vnius horæ erunt infinita præmia correſpondentia infinitis partibus continuationis, quia quælibet duratio ſignata habet infinitas partes proportionales. Hoc autem æque currit ſiue præmium quod meretur ſit eſſentiale, ſiue accidentale, ſiue nouus titulus, ſiue noua res, nam nec poteſt habere infinitos titulos in fine horæ, neque infinitum gaudium accidentale; ergo eodem modo currit hæc difficultas in vtraque ſententia. 16

Quod *ſi dicatur* cum *Suarez* continuationem 17 eſſe ſolum circonſtantiam actus, ac proinde non ita mereri continuationem, ſicut primam productionem, quæ elicit actum quoad ſubſtantiam, atque adeo plus meretur quam accidentalis duratio; inſurgit tunc ſecunda difficultas. quia ſequitur maioris meriti eſſe diſcontinuare actus intra horam, & interrumpere producendo plures, quam continuare vnum cæteris paribus. & ſtante æquali intenſione; qui enim interrumpit, & plures actus elicit, multiplicat actus quo ad ſubſtantiam; qui verò continuat ſolum addit accidentalem durationem, ſeu perfectionem, non ſubſtantiam nouam; ergo plus merebitur qui diſcontinuat actus hoc autem per ſe ſatis eſt magnum abſurdum, quia ille qui continuat per totam horam maiorem vincit difficultatem, quia plus perſeuerat, & facit actum excedentem omnes illos interruptos, eo quod toto illo tempore quo alij actus fiunt, iſte durat, & vlterius etiam durat eo tempore quo alij non fiunt, ſed interrumpuntur; & tamen iſtud conſequens denotat *Sua-*

rez vbi ſupra *n.* 41. & *Granados Diſp.* 8. *ſect.* 4. Non tamen video quomodo reſpondeant replicæ factæ.

18 Reſolutoriè ergo Dico. Quod in continuatione actus dupliciter poteſt homo procedere. *Primo* ex electione ipſius continuationis, ideſt, intendendo, & eligendo ipſam continuationem, vt qui eligit v.g. per vnam horam orare; quo pacto S. Thomas 2. 2 *quæſt.* 137. *articul.* 1. *ad* 3. inquit, quod perſeuerantia eſt virtus ſpecialis quando ex propria intentione finis perſiſtit in bono *Secundo* poteſt aliquis de facto continuare actum ſine hoc quod præcedat electio continuandi, ideſt, exercendo continuationem, & de facto continuando, licet non ſit intenta, nec electa ipſa continuatio. *Primo modo* manifeſtum eſt quod totum meritum continuationis poteſt ſaluari in illo primo actu, quo quis efficaciter elegit, & applicauit ſe ad continuandum actum, neque ipſum exercitium exhibitum addit nouum meritum, niſi noua difficultas inſurgat, quæ vincenda ſit per actum. Et hoc modo continuatio ipſa pertinet ad ſubſtantiam actus quia eſt obiectum ſpecificans illam electionem; actus autem exterior, ſeu exercitus non addit nouam bonitatem, vel meritum ad bonitatem actus interioris quantum ad illam bonitatem quæ ex ipſo actu interiori participatur. Sicut docet S. Thomas 1. 2. *quæſtion.* 20. *art.* 4. niſi vel actus multiplicetur, vel magis extendatur in diuturnitate, vel creſcat in intenſione; nunc autem non magis extenditur in diuturnitate, quia illa diuturnitas fuit obiectum electum, & intentum. Quare niſi excedat illam non ſuperaddit intentioni continuationis actus exterior, ſeu exercitus, Et tunc illa electio, qua quis elegit continuare actum v.g. per horam, ita eſt perfecta quod non æquiualet ei multiplicatio actuum interruptorum in illa hora, ſiquidẽ eligit aliquid in quo includitur totum tempus illorum actuum interruptorum, & aliquid amplius, ſcilicet, id quod continuat vincendo maiorem difficultatem.

19 Si *verò ſecundo modo* procedat (quod tantum moraliter vix videtur poſſibile) cum aliquis aduertenter, & deliberate perſiſtit, Tunc dicendum eſt quod ille actus ſimpliciter eſt melior, quia diuturnior, vt colligitur ex D Thom. 1. 2. citata, ita quod illa continuatio addit rationem bonitatis ad primam productionem, quia voluntas fit melior. Et hic eſt vnus caſus, quo actus exterior addit bonitatem ad actum interiorem, vt ibi dicit *S. Thomas*, ſi quis propter impedimentum aliquod deſiſtat, alius verò continuet actum, ſimpliciter iſte eſt melior, quia diuturnior: plus ergo meretur qui continuat intra horam, quam qui plures actus interrumpit.

20 An verò iſta diuturnitas excedat in merito primam productionem actus quoad ſubſtantiam? *Reſpondetur* hoc ſolum Deum cognoſcere, qui ponderat Spiritus; ſecundum tamen moralem exiſtimationem aliquando datur tam magna continuatio quod ſine dubio in difficultate vincenda, & in perfectione ſuperat primam productionem aliquando ita parua quod ſuperatur Nec tamen ſequitur infinitas,) vt prima Obiectio proponit) quia idem argumentum poteſt fieri in quacumque duratione, ſeu actu durante per aliquod tempus etiam breuiſſimum, ſi liberè fiat, quia in quacumque duratione habente partes ſunt infinitæ, & indeterminatæ partes in potentia, non in actu. Vnde illa infinitas ſolum eſt in potentia, & ſynchategorematica, ſicque cuilibet parti continuationis meriti indeterminatæ non correſpondet præmium determinatum, quia non eſt moraliter exiſtimabile id quod moraliter non eſt deſignabile; quare illæ partes vnum meritum certum, & determinatum, non verò ſeorſum habent diſtinctum meritum.

Ad *Vltimam difficultatem Reſpondetur*, quod at ſine dubio etiam in actibus remiſſis totum quod eſt in actu, ſiue pertineat ad ſubſtantiam, ſiue ad circunſtantias, habet quaſi ſubiectiuè rationem meriti, & in hoc benè procedit *Suarez numer.* 44. & *Granados Diſp.* 7. Cum enim actus remiſſus ſit meritorius, nihil ab illo actu excludendum eſt, quod meritorium non ſit quaſi ſubiectiuè, ideſt, componat actum meritorium, & ad merendum concurrat. Cæterum an cuilibet rationi concurrenti ad conſtituendum actum meritorium, ſiue ſit per modum partis, aut gradus, ſiue per modum circunſtantiæ, correſpondeat diſtinctum præmium, & diſtinctum augmentum charitatis, ſiue ſtatim, ſiue ſuo tempore dandum, *prædicti Anthores* non definiunt, ſed dicunt aliquando id habere, aliquando non, ita quod aliqui actus perfectiſſimi merentur dari augmentum ſecundum totam latitudinem actus; ita quod cuilibet gradui correſpondeat nouus gradus augmenti, alij vero non. Imò dicunt quod ſi actu remiſſo aliquis efficiat actum obiecti excellentioris, vt ingredi religionem, pati martyrium, iſte actus merebitur augeri charitatem ſecundum totam latitudinem propter excellentiam obiecti, alij verò actus imperfectiores non ita merentur. Sed totum hoc eſt diuinare, nec ipſi audent quidquam definire, nam Spiritus ponderat Deus.

Sufficiat *dicere* Quod cum ratio meriti penſetur ex morali exiſtimatione, & in merito præmij eſſentialis exiſtimatio, & valor deſumatur ex charitate, quæ ſola prodeſt quoad præmium eſſentiale; vt ex *Apoſtolo* diximus, non eſt quod rationem meriti ſic diuidamus, vt cuilibet rationi, aut circunſtantiæ ad meritum concurrenti, aſſignemus nouum præmium, & augmentum, ſed omnes rationes ad meritum concurrentes à charitate imperari, & formari intelligamus; Et prout charitas plura imperat, vel format aut magis intensè, creſcere etiam valorem meriti reſpectu præmij eſſentialis. *Ratio eſt*. Quia valor meriti reſpectu præmij eſſentialis ſumitur à charitate vt à radice; ergo ſecundum quod charitas plus ſe extendit. vel intendit, intelligitur etiam creſcere valor meriti, in actibus quidem immediatè elicitis per ſolam elicientiam; in actibus autem imperatis informando per imperium omnes rationes, & circunſtantias actus imperati, vndè ex omnibus illis integratur vnum meritum, & correſpondet vnum augmentum, cuius valorem in indiuiduo Solus Deus ſcit. 21

Quando autem, & quomodo reddatur dicetur articulo ſequenti.

ARTI-

ARTICVLVS IV

Quando detur Augmentum de facto pro actibus remiſſis?

1 HÆc eſt difficilior pars totius diſputationis, quæ implicatiſſima redditur ex determinatis in precedentibus articulis. Ex illis enim quaſi contradictoria videntur inferri. Nam ſi quilibet actus remiſſus meretur augmentum gratiæ, ſicut & vitam æternam, vtique de condigno illud meretur; ergo debet reddi ipſi merenti in quocumque euentu; niſi ponat obicem culpæ, qua reddat ſe indignum, ergo etiamſi nunquam eliciat actum feruentiorem, reddetur illi tale augmentum, ſicut & vita æterna, quia meritum illud non poteſt fraudari iure ſuo. E contra verò admiſimus *in primo articulo* Quod actus non ſolum debent habere rationem meriti, ſed etiam diſpoſitionis proportionantis ſubiectum formæ introducendæ, ſicut ex principiis de fide deducitur id interuenire in initio iuſtificationis; ergo quantumcumque actus remiſſus ſit meritorius augmenti gratiæ, tamen niſi ſubiectum proportionetur non recipiet de facto tale augmentum, ſicut neque ipſam viſionem beatificam, quam charitas meretur de facto nunquam recipiet niſi anima ſeparetur à corpore, & recipiat lumen gloriæ, quo proportionatur viſioni.

2 Ex hoc ergo ortę ſunt duæ principales ſententiæ in hac parte. Vna attendens ad rationem meriti condigni, ponit ſtatim ac elicitur actus meritorius ſiue remiſſus, ſiue intenſus dari augmentum gratiæ quod meretur. Quæ ſententia communiter tribuitur *Nominalibus, Gabrieli, Almano, & Aliis*, eamque modo ſequuntur recentiores *Pater. Suarez, Vazquez, Torres, Granades, & Alij*, quos citabimus articulo ſecundo pro ſententia negante requiri phyſicam diſpoſitionem præter meritoriam ad augmētum gratiæ, *Et præcipuum huius Sententiæ Fundamentum* eſt illud primum Argumentum quod in eodem articulo propoſuimus, & ſoluendum remiſimus ad hunc articulum. Cui etiam addi poteſt communis difficultas de reuiuiſcentia meritorum, quia quando homo reſurgit à peccato per pœnitentiam omnia merita antecedentia reuiuiſcunt ad pręmium, quod antea merebantur; & tamen actus pœnitentiæ quo reſurgit non ſemper eſt æqualis magnitudinis meritorum, quæ præceſſerant ante peccatum; ergo impertinens eſt illa phyſica diſpoſitio proportionans formæ introducendæ; ſed ſufficit diſpoſitio moralis, aut meritoria.

3 Secunda ſententia principalis attendens ad rationem diſpoſitionis, qua ſubiectum debet proportionari formæ infundendæ, fatetur actus remiſſos mereri quidem augmentum gratiæ, ſicut & vitam æternam, eam tamen non ſtatim dari, ſed quando homo ſufficienter ſe diſpoſuerit. Ita docuit S. *Thomas 1.2.q.114 art.8.ad 3.* vbi inquit, *Quod quolibet actu meritorio meretur homo augmentum gratiæ ſicut & gratiæ conſummationem, quæ eſt vita æterna. Sed ſicut vita æterna non ſtatim redditur, ſed ſuo tempore, ita nec gratia ſtatim augetur ſed ſuo tempore, cum ſcilicet aliquis ſufficienter fuerit diſpoſitus ad gratiæ augmentum.* Quando autem ſit ſufficienter diſpoſitus *D.Thomas.* ibi non explicat, ſed addit in hac *2.2.quæſtione 24.artic.6.* quod *Non quolibet actu charitatis augetur charitas, ſed quilibet actus charitatis diſponit ad charitatis augmentum, in quantum ex vno actu charitatis homo redditur promptior iterum ad agendum ſecundum charitatem, & habilitate creſcente homo prorumpit in actum ferueniorem dilectionis, quouſque conetur ad charitatis profectum, & tunc charitas augetur in actu.* Et ſubdit *Solutione ad 1. quod quilibet actus charitatis meretur charitatis augmentum, non tamen ſtatim augetur, ſed quando aliquis conatur ad huiuſmodi augmentum.* Vbi apertè *D.Thomas*, & negat ſtatim dari augmentum, quod cadit ſub merito actus remiſſi, & deſignat tempus quando datur, ſcilicet quando conatur ad profectum charitatis, & prorumpit in actum feruentiorem.

Mirum eſt quantum torqueat Expoſitores *D.Thomæ*, & in quot ſententias diuidat iſta eius Aſſertio, nam omninò videtur manere difficultas inſoluta; Nam ille actus feruentior etiam meretur augmentum ſibi proportionatum, & correſpondens; non enim eſt deterioris conditionis quam actus remiſſus; Ergo vel tunc redditur ſibi tale augmentum quod meretur, vel non, ſi redditur, non remanet locus augmento, quod merebatur actus remiſſus, quia reſpectu illius non datur diſpoſitio, ſed ſolum reſpectu augmenti, quod meretur actus intenſior ille, ſeu feruentior: vel ſi eadem diſpoſitio ſufficit pro augmento actus feruentioris, & pro augmento actus remiſſi ruit totum fundamentum *D.Thomæ*, quia aliquid augmenti tunc dabitur ſine correſpondentia diſpoſitionis, ſi quidem diſpoſitio adęquatur augmento feruentiori, & ſic non reſtat diſpoſitio reſpectu augmenti remiſſi, Si verò tunc non redditur augmentum, eſt falſum quod dicit *Diu. Thom.* tunc reddi quando prorumpit in actum feruentiorem, cum nondum tunc reddatur, & ſic reſtat inquirendum quando redditur illud augmentum, ſiquidem quemcumque actum feruentiorem conſideremus, ſi eſt in hac vita, eſt meritorius augmenti, & conſequenter currit eadem difficultas: ſi eſt in alia vita ille procedit à viſione beatifica, & conſequenter ſupponit præmiū iam datum, & conſequenter non auget Charitatem, propter quam debet dari maius præmium: Si autem elicitur ante viſionem beatificam, & conſequenter regulatur per fidem, vnde conſtat quod tunc eliciatur actus ita feruens quod diſponat ad augmentum omnium actuum remiſſorum in hac vita, quod plane eſt diuinare. 4

Huic difficultati adhibent primam Solutionem. 5 *Magiſter victoria in relectione de augmento Charitatis*, licet non multum in ea quieſcat, & dicit quolibet actu, etiam remiſſo, augeri gratiam in eſſe gratiæ ſtatim, & ſic darį augmentum gloriæ ſi moriatur homo, non tamen augeri de facto; & ſtatim habitum charitatis. Hæc ſolutio eſt contra *Diu.Thomam in 1 2. quæſtione 114.* vbi loquitur de augmento gratię, & dicit non ſtatim dari per actum remiſſum, & in hac *2.2. quæſtione 24.* loquitur de augmento charitatis eodem modo. Nec poteſt differentia aliqua inueniri, cum gratia, & charitas ſint habitus inhærentes animæ, & charitas eſt quaſi proprietas gratiæ. vnde eadem eſt ratio augmenti vnius, & alterius:

alterius. *Niſi forte dicatur* creſcere aliquem in eſſe gratiæ quantum ad extrinſecam acceptationē Dei, non quantum ad internam ſanctificationem; ſed hoc non eſt creſcere in gratia, quæ ſit ius ad gloriam, quia gloria eſt conſummatio gratiæ, quæ ſolum datur ratione gratiæ inchoatæ, quæ eſt ſemen gloriæ, & nos intrinſecè ſanctificat, & reddit iuſtos, & de hac loquimur in præſenti.

6 Secunda ſolutio eſt *M. Bañez hic quæſt. 24. art. 6. dub. 1. & in relectione de augmento charitatis.* Vbi latiſſimè hanc difficultatem tractat. Et in ſumma conſiſtit eius reſponſio in hoc quod actus remiſſus meretur augmentum ſuæ latitudini correſpondens, quod de facto datur in hac vita, quando homo prorumpit in actum ferventiorem, vt *S. Thom.* apertè videtur dicere. Sed nunc non datur duplex augmentum vnum pro actu ferventiori, aliud pro remiſſo, ſed vnum tantum augmentū quod correſpondet actui ferventiori, vt diſpoſitioni perfectæ, & actui remiſſo vt diſpoſitioni imperfectæ; & ita correſpondet actui remiſſo aliquis gradus ſuæ latitudinis, qui etiam correſpondet actui ferventiori, & ille gradus datur duplici titulo, ſicque in ratione formali præmij eſt maius, id eſt, vt correſpondens pluribus meritis; non autem materialiter, & entitatiuè eſt maius. Et ſic actus remiſſi non merentur augmentum quantum ad plures res, ſed quantum ad plures titulos in gloria eſſentiali: in accidentali autem præmio etiam plures res merentur.

7 Hæc ſolutio ſemper viſa eſt rigida, & non ſaluare ſimpliciter rationem augmenti, quod ipſe *Bañez* fatetur mereri actus remiſſos, & *D. Thom.* docet, & *Concilium Tridentinum* ſatis indicat. Et præcipuè vrgent duo contra hanc ſententiam. *Primum eſt.* Quod ſi homo eliciat plures actus remiſſos, nunquam autem eliciat actum ferventiorem, ſed ſic moriatur, illi actus carebunt perpetuo ſuo præmio, quantum ad augmentum charitatis, quod merebantur de condigno, ſiquidem eodem modo meretur augmentum, quo vitam æternam, quia in hoc parificantur à *Concilio*, & à *D. Thom.* Sed vitam æternam merentur de condigno, ergo & augmentum: Impoſſibile eſt autem priuari aliquem iuſtum eo quod meretur de condigno, ergo, &c.

8 Nec *poteſt dici.* Quod illi actus remiſſi merentur augmentum ſub conditione, & dependenter ab actu ferventiori, quam conditionem ſua negligentia non apponit. *Hoc inquam dici non poteſt.* Supponimus enim illam negligentiam peccatum non eſſe, remota autem culpa non poteſt mereri præmium de condigno ſub conditione. *Tum*, quia *Concilium*, & *D. Thom.* Abſolutè dicunt illos mereri eodem modo augmentum gratiæ quo vitam æternam; ſed vitam æternam merentur abſolutè, & ſine dependentia ab alia conditione ſi in gratia decedant, vt definit *Trid. ſeſſ. 6. cap. 16.* Ergo etiam augmentum. *Tum*, Quia vel merentur ab actu ferventiori dependenter, vt à conditione requiſita extrinſecus, vel vt à diſpoſitione proportionante ſubiectum: ſi vt à conditione, cum ille actus de ſe ſit meritorius de condigno, & applicatus ſubiecto, gratis confingitur alia conditio: ſi vt à diſpoſitione ille actus ferventior ſolum diſponit ad augmentum, quod ſibi correſpondet; ergo reſpectu alterius augmenti, quod merebantur actus remiſſi æquè indiſpoſitum manet ſubiectum ac antea. 9

Secundo *vrget contra prædictam ſolutionem.* Quia non ſaluat verè, & propriè quid ſit augmentum formæ id quod merentur actus remiſſi; nam ſi illud augmentum pertinet ad præmium accidentale, non eſt illud augmentum de quo loquitur. *Concil. ſeſſ. 6. c. 10.* Dicens, Quod per bona opera creſcimus in ipſa ſubſtantia accepta, & magis iuſtificamur; per præmium autem accidentale non magis iuſtificatur, neque eſt verè augmentum gratiæ, cum ſit alterius ſpeciei à gratia, & gloria eſſentiali, augmentum autem quoad nouum titulum non habet locum in præſenti. Nam præterquam quod iſti tituli ſunt eiuſdem rationis, & conſequenter aliquis eorum ſuperfluit, neque congruè multiplicantur tituli meritorum, niſi quando ipſum meritum eſt infinitum vt in Chriſto, quia tunc quodlibet meritum exhaurit totum præmium. Præter hæc in quam viget aliud ex *D. Thom.* Quia ſi actus remiſſi merentur idem pluribus titulis, ad quid expectant actum ferventiorem vt exhibeatur eorum augmentum, ſiquidem hoc ipſo quod procedunt à gratia, & ſunt actus remiſſiores, & inferiores illa, hoc ipſo habent in ſubiecto gradum ſuæ intenſioni correſpondentem, quæ nouo titulo mereantur. Verbi gratia, ſi habens charitatem vt quatuor eliciat actum vt duo, qui ſolum meretur gratiam vt duo, non ſuperaddendam, ſed nouo titulo poſſidendam iam poſſidet in ſubiecto gratiam vt duo; vt ergo poſſideat nouo titulo ad quid expectat actum ferventiorem? 10

Propter hoc eſt tertia ſolutio *P. Granades*, in præſenti *diſp. 10. ſect. 1.* quam ſuprà retulimus *art. 2.* Videtur tamen indicari à *Caiet. 1. 2. qu. 114. art. 8.* Sed reuera *Caiet.* ſolum ibi refert verba *D. Thom. in 2. diſp. 27.* Quod tunc actu augetur habitus quando aliquis vtitur accepta gratia ſecundum proportionem ſuarum virium, ita vt in nullo deſit gratiæ Dei per negligentiam. Sed planus ſenſus *D. Thom.* ſuprà eſt expoſitus, quod loquitur de accepta gratia tam habituali, quam actuali: per actualem enim mouemur ab Spiritu ſancto ad creſcendum in via Dei, quia actus intenſior non producitur à ſolo habitu, qui ſolus non poteſt producere actum intenſiorem ſe, ſed etiam ab auxilio mouente ad perfectiora, & maiora opera, & ideo qui vtitur iſta gratia Dei accepta tam habituali, quam actuali, ita vt in nullo illi deſit, producit actum ferventiorem, & ita augetur habitus de facto. At vero *P. Granades* intelligit, quod qui vtitur accepta gratia habituali, ita quod producat actum æqualem illi, licet non intenſiorem, tunc eſt ſufficienter diſpoſitus vt illi detur augmentum actus remiſſi, quia congruum videtur vt non detur præmium augmenti niſi vtenti tota gratia quam accepit, ita vt in nullo illi deſit, & negligens non ſit. Et quando *D. Thom.* Dicit quod requiritur actus ferventior, interpretatur quod ſit *Ferventer*, non ipſo habitu cui eſt æqualis, ſed actibus remiſſis qui præceſſerunt.

11 Cæterum præter id quod oſtendimus *articul. 5.* præcedenti ex *D. Thom. in 1. diſp. 17. quæſt. 2. art. 3. ad 4.* Quod quando requirit diſpoſitionem æqualem expreſsè loquitur de diſpoſitione æquali formæ introducendæ, ſeu augmen-

to

to intenſiori, non autem de diſpoſitione æquali habitui præſuppoſito. Præter hæc (inquam) non enacuat iſte author vim rationum factarum, quod vel illa diſpoſitio æqualis requiritur tanquam pura conditio extrinſeca, vel tanquam diſpoſitio proportionans ſubiectum formæ introducendæ. Si hoc ſecundum; ille actus ſolum diſponit ad æqualem, non ad maiorem intenſionem, & ad ſummum ſolum diſponet ad augmentum ſibi correſpondens. Vnde relinquit ſubiectum indiſpoſitum ad augmentum quod merebantur actus remiſſi. Si autem primum; ſoluit fundamentum *D. Thom.* qui ad hoc requirit, feruentiorem actũ, vt ſubiectum ſit ſufficienter diſpoſitum, Ergo non requirit vt conditionem extrinſecam illum actum æqualem, & reuera ſi actus remiſſus eſt meritorius de condigno illius augmenti, & ſubiectum eſt capax, & cauſa agens quæ eſt Deus ſufficienter applicata, vt quid requiritur illa conditio extrinſeca?

12 Denique currit argumentum ſuprà factum quod ſi aliquis habeat actus remiſſos non adæquantes intenſionem habitus, & moriatur ſine hoc quod eliciat actum æqualem, illi actus vel carebunt ſuo præmio, quod merebantur de condigno, ſcilicet augmento gratiæ, quod eſt contra Iuſtitiam Dei; vel non merebantur de condigno augmentum gratiæ, quod iuxta doctrinam *Concily* negat *Granados*, vel recipiet illud augmentum ſine hoc quod intercedat actus æqualis, vel intenſior, & ſic ruit eius doctrina.

13 Reſtant duæ ſolutiones probabiliores in doctrina *S. Thom.* Altera quæ ſolutionem *M. Victoria* magis explicat; altera quæ rigorem ſententiæ *M. Bannez* temperat. Dicebat enim *M. Victoria*, quod quolibet actu remiſſo augebatur gratia in eſſe gratiæ, licet non charitas, & ita dabatur incrementum gloriæ iuxta illud incrementum gratiæ. In hoc ergo emendatur hæc ſolutio, quod fatentur iſti authores neque etiam ipſam gratiam augeri in eſſe gratiæ intrinſecè per actus remiſſos, neque acquirere maius Ius intrinſecum ad maiorem gloriam; Hoc enim cum ſit Ius filiationis diuinæ, cum ſit Ius ad hæreditatem, non datur niſi augmentatâ forma intrinſeca dante, & conſtituente rationem filij: Sed per illos actus meritorios datur Ius morale, & meritorium ad maiorem gloriam recipiendam *mediatè* id eſt, mediante actu intenſiori, qui elicitur in alia vita, & diſponit phyſicè ad recipiendum augmentum illud gratiæ habitualis, cui dabitur maior gloria, & ille actus intenſior cum ſit elicitus extra hanc viam, ita eſt diſpoſitiuus phyſicè, quod non eſt meritorius vlterioris augmenti. Hanc ſolutionem docent plures thomiſtæ, & eam ſequitur. *M. Aluarez.* Et *Nunno* *i. tom. in 3. p. quæſt. 89. art. 5. Dub. 1. Montesin. 1. 2. quæſt. 114. art. 8 Diſp. 37. §. vltim. Aliique Thomiſtæ.* Et in hac ſolutione non habet locum illud argumentum ſuprà factum, quod non eſt aſſignare actum feruentiorem ratione cuius actus remiſſi de facto conſequantur augmentum, & non ſit diſpoſitio meritoria pro augmento ſibi correſpondenti, aſſignamus enim actum feruentiorem, in alia vita, qui licet non eſt meritorius, & tamen diſponere poteſt ad hoc vt ſubiectum phyſicè proportionetur ipſi habitui gratiæ infundendæ, qui eſt Ius habituale ad gloriam, & conſequenter in eadem intenſione infunderetur lumen gloriæ.

Ego fateor hanc ſolutionem aliquando mihi minus placuiſſe, quia res quam aſſumit videtur incerta, & diuinando procedere. Vnde enim conſtare nobis poteſt, quod actus charitatis alterius vitæ ſuperet, vel adæquet in intenſione ſubſtantiali omnes actus remiſſos habitus in iſta vita? Nam licet actus charitatis in alia vita ſit perfectior quam in iſta, non tamen in intenſione ſubſtantiali ſuperat habitum, ſeu charitatem iſtius vitæ, quia qualiſcumque exit de hac vita, ſic manet in perpetuum *Denique.* Quia quando aliquis immediatè poſt mortem videt Deum nulla facta detentione in purgatorio, tunc ille actus charitatis non procedit à fide, ſed à viſione beata; Ergo prius intelligitur lumen gloriæ, & viſio in ſubiecto, quam actus charitatis in voluntate, & illa viſio ſemel data non poteſt amplius augeri. Ergo actus charitatis ab ea procedens non poteſt eſſe cauſa, & diſpoſitio vt augeatur gratia, & lumen gloriæ. quod ſupponit in ſubiecto vt ab eo procedat Denique *D. Thom.* hic *quæſt 24. art. 6.* Expreſſè deſignat tempus quo datur augmentum actus remiſſi, ſcilicet quia per actum remiſſum diſponitur aliquis vt promptius agat, & habilitate creſcente prorumpit homo in actum feruentiorem, quo conatur ad charitatis profectum & tunc augetur charitas in actu. Hoc autem etiam contingit in hac vita. quod habilitate creſcente prorumpit homo in actum feruentiorem. Ergo ſi tunc datur augmentum in hac vita datur. 14

Cæterùm his non obſtantibus hęc ſolutio mihi videtur valdè probabilis, & nunc etiam probabilior propter doctrinam *D. Thom. quæſt 95. art. 3. in Additionibus*, Vbi planè fauet huic ſolutioni. Inquiens enim *S. Doctor.* Quomodo in cœlo diſtinguantur manſiones penes diuerſos gradus charitatis, inquit: *Quod principium diſtinctiuum manſionum, ſiue graduum beatitudinis eſt duplex, propinquum ſcilicet & remotum. Propinquum eſt diuerſa diſpoſitio, quæ erit in beatis, ex qua continget diuerſitas perfectio apud eos in operatione beatitudinis. Sed principium remotum eſt meritum, quo talem beatitudinem conſecuti ſunt. Primo autem modo diſtinguuntur manſiones ſecundum charitatem Patriæ, quæ quanto in aliquo erit perfectior, tanto reddet eum capaciorem diuinæ Charitatis ſecundum cuius augmentum augebitur perfectio diuinæ viſionis. Secundo vero modo diſtinguuntur manſiones ſecundum charitatem viæ Actus enim noſter non habet quod ſit meritorius ex ipſa ſubſtantia actus, ſed ſolum ex habitu virtutis, quo informatur: vis autem merendi in omnibus virtutibus eſt ex charitate, quæ habet ipſum finem pro obiecto.* Ita *D. Thom.* vbi valdè ponderanda ſunt illa verba quod per ipſam charitatem patriæ dicit reddi hominem capaciorem Diuinæ charitatis, ſecundum cuius augmentum augebitur perfectio diuinæ viſionis. Ergo ſentit *D. Thom.* actum charitatis in patria diſponete hominem ad ipſam viſionem Diuinam, ita quod ſecundum eius augmentum augetur perfectio diuinæ viſionis. Et hoc non facit meritoriè, ſicut charitas Patriæ per modum diſpoſitionis non meritoriæ, atque adeo *Diſpoſitionis phyſicæ*: ſi ergo actus charitatis patriæ adhuc ſe habet vt principium proximum diſponens ſubiectum vt ſit capacius charitatis Diuinæ, & ſecundum illud augmentum menſurans perfectionem viſionis diuinæ, iam habemus actum diſponentem phyſicè ad augmentum actuum remiſſorum, 15

quod

quod in hac vita ex defectu diſpoſitionis phyſicæ proportioonantis ſubiectum, non fuit de facto toſulum.

16 Cui loco *D. Thom.* coniungendo quod dicit hic *quæſtione* 24. *articulo* 6. *ad* 1. & 1.2. *quæſt.* 114. *articulo* 8. *ad* 3 quod ſicut vita æterna non ſtatim redditur, ſed ſuo tempore ita augmentum quod meretur actus remiſſus redditur ſuo tempore, cum ſcilicet aliquis fuerit ſufficienter diſpoſitus, & quando conatur ad huiuſmodi augmentum. Item valdè confirmatur prædicta ſolutio: quia ſolum eſt homo ſufficienter diſpoſitus, & quaſi proximè quando in alia vita prorumpit in actum feruentiorem, & conatur ad illud augmentum, in aliis actibus huius vitę feruentioribus ſolum conatur ad augmentum correſpondens ipſi actui feruentiori, & ſolum ad illud diſponitur ſufficienter, non vero ad augmentum quod correſpondebat actibus remiſſis, quia hoc augmentum ſemper eſt diſtinctum ab illo, quod correſpondet actui feruentiori.

Soluuntur Argumenta

1 EX quo etiam ſoluuntur ea quæ contra ſolutionem obiecta ſunt. Ad id quod primo inquiritur vnde conſtet dari in alia vita actum æquantem omnia merita remiſſa? *Reſpondeo*, Id conſtare per diſcurſum ea probabiliſſimis principiis, quia cum actus illi mereantur augmentum, conſequenter merentur ea quæ tali augmento reddendo neceſſaria ſunt, quia qui dat formam dat conſequentia ad formam. Et cum ad augmentum phyſicè dandum opus ſit diſpoſitione phyſica, ſi connaturali modo fiat, & ad ipſam viſionem dandam in tali, vel tali intenſione concurrat charitas patriæ tanquam proximum principium diſtinctiuum gradnum beatitudinis vt dixit *D. Thom.* oportet quod qui meretur augmentum gratiæ, etiam mereatur augmentum actus charitatis in patria, iuxtà quem gradus ipſe beatitudinis diſtinguendus eſt, atque adeo tam intenſus debet eſſe actus in patria, quantum omnes actus remiſſi meruerunt in via de augmento gratiæ, & beatitudinis, ſiue ſecundum totam latitudinem actus meruerint, ſiue non ſed illud augmentum quod meruerunt, quicquid ſit, proportionatum ſibi actum charitatis habebit in patria.

2 Ad ſecundum reſpondetur, quod ille actus charitatis cum ſit charitas patriæ, (vt dicit *D. Thom.*) non menſuratur à fide, ſed à lumine gloriæ, & præcedit ipſum lumen gloriæ in genere cauſæ materialis, ſecundum quod dicit *D. Thom.* quod reddit hominem capaciorem diuinæ charitatis, & ſecundum eius augmentum augetur perfectio diuinæ viſionis. In genere autem cauſæ effectiuæ procedit à lumine gloriæ ſicut quælibet diſpoſitio vltima, & præcedit formam in genere cauſæ diſpoſitiuæ, & procedit à forma in genere effectiuo, & propriæ paſſionis. Et eſt exemplum omninò ſimile in anima Chriſti Domini, quæ in primo inſtanti fuit ſanctificata habitualiter per proprios actus, ſicut adulti, & ſimul habuit viſionem beatificam, vt docet *D. Thom.* 3. *p. quæſt.* 34. *art.* 3. *ad* 4. Vnde ille actus qui fuit diſpoſitio ad ſanctificationem erat actus charitatis regulatus non à fide, ſed à lumine gloriæ. Præſertim in probabiliſſima ſententia quod actus charitatis in Chriſto etiam vt meritorij regulabantur à viſione beata.

3 Eodem modo intelligitur quod actus charitatis patriæ, & procedit à viſione beatifica vt regulante, & in genere cauſæ effectiuæ, & diſponit ad ipſum augmentum gratiæ, & luminis gloriæ ſecundum diuerſas conſiderationes, & prioritates naturæ, non quod primò detur viſio in gradu imperfectiori, & poſtea augeatur mediante actu charitatis augente gratiam, ſed illa viſio datur in tota ſua intenſione, quam ſemper habitura eſt, ſed datur iſta viſio ſic intenſa cum dependentia ab actu charitatis, vt diſpoſitione ipſius in eodem inſtanti exiſtenti, & ſubſecuta ad ipſam, vt effectus eius, præcedente autem ipſa vt cauſa diſpoſitiua, quia cauſæ ad inuicem ſunt cauſæ & effectus. Et licet actus charitatis in patria habeat rationem præmij, vt eſt fruitio ſubſequens viſionem, tamen etiam habet rationem diſpoſitionis reddentis hominem capaciorem, & diſtinguentis ipſos gradus beatitudinis, non per modum meriti, ſed per modum phyſicæ proportionis ad augmentum gratiæ, quod debebatur actibus remiſſis, & conſequenter ad augmentum gloriæ.

Ad tertium dicitur, quod *D. Thomas* loquitur in iſto *art.* 6. de duplici officio actus charitatis, alterum in ratione diſponendi, & cauſandi maius augmentum, & in hoc corpore articuli. Alterum in ratione merendi, hoc in ſolutione *ad* 1. Quorum ad primum officium dicit quod non quilibet actus auget charitatem, ſed diſponit vt iterum & promptius agat, atque habilitate creſcente prorumpat in actum feruentiorem. Itaque loquitur ibi de diſpoſitione habilitante ſubiectum ad intenſius agendum, & conſequenter ad dandum illud augmentum, tunc datur quando homo prorumpit in illum actum. Cæterùm quando loquitur de actu remiſſo vt meritorius eſt, non deſignat determinatum tempus quando detur illud augmentum, ſed dicit quod dabitur quando ſufficienter fuerit diſpoſitus, & quando conetur ad huiuſmodi augmentum, ſicut vita æterna datur ſuo tempore. Et cum oſtenſum ſit non poſſe vnquam in hac vita ſufficienter diſponi, & conari ad tale augmentum actus remiſſi vt eſt diſtinctum ab augmento actus intenſi, redditur neceſſarium quod diſponatur in alia vita ſufficienter. 4

Sententia Magiſtri Bannez.

SEcunda ſolutio pro ſententia *Magiſtri Bannez* ſumitur ex proximè dictis; Dicendo, quod actus remiſſus non meretur aliquod augmentum determinatum ſupra charitatem præexiſtentem in ſubiecto, ſed meretur augmentum eo modo quo diſponit ad augmentum, ſcilicet vt determinandum per actum feruentiorem. Itaque in actu remiſſo verbi gratia, in actu vt duo, conſideramus duplicem reſpectum, vnus eſt ad formam correſpondentem ſuæ latitudini, & ſic actus vt duo meretur formam habitualem vt duo: alius eſt ad augmentum ſupra habitum præexiſtentem in ſubiecto. Si conſideretur primus reſpectus, actus remiſſus, verbi gratia, vt duo, ſolum meretur habitum vt duo, et ſi non inueniat illum in ſubiecto ſtatim de facto dabitur, ſi autem inueniat ſubiectum talem habens habitum vt duo, 5

non poterit illum dare. Sicut actus intenſionis licet ſic productiuus eſſentiæ qualitatis quantum eſt ex ſe, tamen ſi inuenit illam productam in ſubiecto, non producit, ſed perficit.

2 Contingit autem hic fallacia, quod cum gradus intenſionis per numeros diſtinguamus, quando dicimus mereri gratiam vt duo, intelligimus quod talia duo ſuperaddita formæ præexiſtenti augeant illam, cum tamen longè aliter res ſe habeat. Nam gradus vt duo ſemper ſunt imperfecti vt duo, & additio illorum ad formam præexiſtentem, verbi gratia, vt 10. vel vt 20. eſt ſolum additio gradus imperfectioris, non vero gradus 22. vel gradus, vt 12. Quomodo enim recta ratio poteſt concipere, quod actus vt duo in ſubiecto habente gratiam vt vnum, vel vt dimidium ſolum mereatur gratiam vt duo, quæ eſt gratia valdè imperfecta; in ſubiecto autem habente 100. gradus idemmet actus vt duo non ſolum mereatur gratiam vt duo, ſed vt duo ſuper 100. quod eſt mereri 102. Hoc enim intelligi non poteſt niſi aſſerendo quod intenſio fit per gradus omninò ſimiles, ſicut ſi pars aquæ addatur aquæ, vel lapis lapidi in aceruo, quod eſt concipere augmentum intenſiuum ad modum extenſiui. Quare quicumque actus remiſſus, in quocumque ſubiecto idem prorſus meretur determinatè, & directè loquendo, ſcilicet actus vt duo gratiam vt duo, non autem duo ſuper formam exiſtentem in ſubiecto, quia hoc iam non eſt duo, ſed 22. vel 102. vel 1002. prout fuerit ſubiectum.

3 Secundus autem reſpectus quo actus remiſſus reſpicit augmentum eo modo meretur illud, quo diſponit ad illud. Sed ſicut quilibet actus non diſponit ad augmentum determinatè, quia non proximè, & immediatè, ſed remotè quouſque habilitate creſcente prorumpat in actum feruentiorem, quo determinatur quantitas augmenti, ita & meritum actus remiſſi eſt ad augmentum in determinatè, & remotè, proximè autem & determinatè per actum feruentiorem. Et ſicut *P. Suarez diſp. 2. ſect. 3. n. 43. & Granados diſp. 7. ſuprà citati.* Dicunt actum remiſſum mereri ſecundum totam latitudinem ipſius actus, non ita quod cuilibet parti illius latitudinis reſpondeat determinatum augmentum, ſed quælibet pars cōcurrit ad merendum augmentum, quaſi indeterminatè, totus autem actus determinatus augmentum meretur: ita dicimus quod plures actus remiſſi diſponentes ad feruentiorem, & ipſe feruentior actus ex ipſis erumpens, vnum tantum augmentum determinatum merentur, quod attingitur ab actibus remiſſis vt remotè diſponentibus, & non determinantibus augmentum; ab actu autem feruentiori vt vltimo diſponente, & determinante illud. Sicut plures guttæ cauantes lapidem non quælibet tollit aliquam partem, ſed omnes diſponunt vt vltima in virtute illarum tollat partem.

4 Quo exemplo vtitur *D. Thom* in præſenti *articul. 6. ad* 2. Et ſicut omnes guttæ verè dicuntur lapidem cauare, ſed non eodem modo omnes; ita & omnes actus remiſſi ſimul cum feruentiori dicuntur verè mereri augmentum, nō tamen omnes eodem modo, & cum eadem determinatione. Quod ſi detur ſolus actus feruentior ſine hoc quod præcedat aliquis actus remiſſus, talis actus merebitur idem augmentum, & diſponet ad illud per ſe ſolum, ſicut forma introducta ſine diſpoſitionibus; aut ſicut diſpoſitio vltima ſine præcedentibus, quæ ſi datur ſe ſola facit idem quod ipſa cum præcedentibus; nec tamen ideo præcedentes ſuperfluunt, quando dantur, quia deſeruiunt modo naturali procedendi de imperfecto ad perfectum.

Soluuntur Argumenta.

AD Primum argumentum contra ſententiam *M. Bañez* Reſpondetur, Quod qui elicit plures actus remiſſus, ſi nunquam eliciat actum feruentiorem, nunquam recipiet augmentum eſſentiale ipſius gratiæ, quia actibus remiſſis non debetur illud augmentum, niſi eo modo quo merentur illud: merentur autem ſecundum dependētiam & coniunctionem ad actum feruentiorem & ideo ſublato tali actu, non dabitur illud augmentum. Neque eſt nouum, quod meritum de condigno mereatur aliquod præmium, cuius executio ſit dependens ab aliqua conditione impedibili quæ ſi non ponatur, non dabitur tale præmium. Nec tamen hoc eſt contra ius meriti, quia fuit ius dependens ab illa conditione. 1

Habemus Exemplum ſatis illuſtre in doctrina *D. Thom.* Si aliquis mereatur per plures actus gratiam, & gloriam vt 100. v. g. ſi per aliquem caſum habitus gratiæ diminuatur ad 50. vel ad 20. omnia illa merita non conſequentur gloriam vt 100. ſed ſecundum intenſionem habitus illius gratiæ, cui correſpondet immediatè lumen gloriæ in Patria; & tamen illa merita non priuantur ſuo iure, quia ſolum hoc modo induxerunt ius vt darent illis præmium gloriæ iuxta quantitatem habitus gratiæ. Poſſe autem diminui habitum gratiæ admittit *D. Thom.* Quando aliquis peccat mortaliter, & poſtea per pœnitentiam reuiuiſcit & omnia ſua merita viuificantur, & tamen ſi per paruam contritionem reſurgat, non acquiret habitum gratiæ in omni quantitate quam antea habebat, ſed in illa in qua modo per contritionem diſponitur, vt dicit *3. p. q. 89. art. 5. ad 3. & in 3. diſt. 31. art. 4. q. 3. ad* 4. Vbi etiam docet quantitatem gloriæ commenſurari cum quantitate habitus gratiæ, non cum multitudine actuum. Et idem habet *in 4. diſtinct. 49. quæſt. 1. art. 4. quæſt. 4. ad* 1. 2

Similiter admittunt oppoſiti authores, quod in eodem actu remiſſo partes indeterminatæ ſunt verè meritoriæ augmenti, & tamen non merentur ſeorſum augmentum determinatum, ſed dependent à terminatione actus, ita quod ſi totus actus integer non terminaretur, illæ partes manerent ſine præmio, quia merentur dependenter ab illa terminatione. Idem ergo dicimus de pluribus actibus remiſſis, qui de ſe ordinantur ad actum feruentiorem, & verè merentur augmentum, cuius executio dependet ab illa diſpoſitione, non autem cuius executio ſit abſoluta ab omni conditione. 3

Et *quando inſtatur.* Quia abſolutè merentur augmentum, ſicut etiam ſimiliter merentur vitam æternam. *Reſpondetur.* Quod abſolutè merentur, id eſt, abſolutè habent rationem meriti, non tamen vt abſolutè dandum præmium independenter ab omni conditione, & requiſito, vt explicatum eſt. Et quando Concil. dicit cap. 16. *Nihil iuſtificatis deeſſe, quominus vitam æternam ſuo tempore conſequendam, ſi in gratia deceſſerint, promeruiſſe cenſeantur*; verum eſt nihil illis deeſſe vt ſint, & cenſeantur eſſe merita 4

in ſuo genere, non tamen dicit *Concil.* uihil deeſſe: vt de facto conſequantur. Sicut enim pro conſaquenda gloria requiritur habitus gratiæ, & pro tanta gloria tantus habitus, qui ſi diminoatur, noo conſequentur tantam gloriam, ita & pro augmento requiritur actus feruentior. & licet illi correſpondeat augmentum vt cauſæ ſufficienti. *Reſpondeo*; quod eſt cauſa ſufficiens quaſi proximè, & vltimatè determinans, actus autem remiſſi præcedentes tanquam cauſæ, & diſpoſitiones remotæ reſpectu eiuſdem augmenti. *Si inſtes*: quia hoc eſt nihil mereri, cum non mereatur aliquid determinatum ſeorſom ab actu intenſiori. *Reſpondetur*, quod meretur aliquid ſicut diſponit ad aliquid, & ſicut partes actus remiſſi merentur præmium, quatenus diſponunt ad merendum, licet non diſtinctum præmium ab ipſo toto; ita actus remiſſi cum feruentiori ad quem diſponunt, vnum meritum integrant.

Ad ſecundum reſpondetur, quod actus remiſ-
5 ſus meretur tria. *Primò* gratiam ſuæ latitudini correſpondentem, quam ſi non inueoit in ſubiecto, dabit illam, ſi vero inuenit, non dabit, ſed eandem nouo titulo, qui tamen titulus non ſuperfluit, ſicut neque actus eiuſdem rationis, & intenſionis. Et ſicut ſe habet meritum infinitum in Chriſto ad exhauriendum totum præmium, ita ſe habet quilibet actus remiſſus ad formam vnius, & eiuſdem intenſionis, & rationis. *Secundò* meretur pręmium accidentale de quo non loquimur hic. *Tertiò* meretur augmentum gratiæ, ſed eo modo meretur quo diſponit, ſcilicet non determinatam partem augmenti ſeorſum ab actu feruentiori, merendo, ſed concurrendo cum actu feruentiori ad merendum augmentum, quod per ipſum determinatur proximè, & vltimè, & ita non ſemper auget de facto actus remiſſus, ſed vt *S. Thom.* ait *art. 6. ſolut. ad* 3. in via Dei proceditur non ſolum dum diſponitur ad eius augmentum.

6 Si *inſtes*. Qui peccat per actus remiſſos inducit nouam maculam, & meretur nouam pœnam etiam damni: ergo qui meretur per actus remiſſos, meretur nouam gratiam, & gloriam. *Negatur conſequentia*. Quia noua macula conſiſtit in priuatione gratiæ cum reſpectu ad cauſam, quæ eſt peccatum. Non repugnat autem multiplicati reſpectus ad nouas cauſas in priuatione habitus. At verò augmentum non fit ſolum per nouos reſpectus, ſed per nouam perfectionem qualitatis, quæ petit diſtinctam diſpoſitionem; nam quoad nouos reſpectus etiam augetur gratia in ratione præmij, quia nouo titulo datur quoad pœnam autem ſenſus, quæ accidentalis eſt, creſcit damnatio per peccatum remiſſum, ſicut præmium accidentale per actum remiſſum, vnde omnia ſunt paria.

Ex dictis manet ſolutum fundamentum con-
7 trariæ ſententiæ, quod poſuimus *art.* 2. argumēto primo. Reſpondetur enim iuxta primam ſolutionem, quod actus meritorius requirit actum intenſiorem vt diſpoſitionem, non in hac vita ponendam, ſed in alia. *Et ad replicam* iam reſpondimus, quod actus charitatis in patria procedit à viſione in genere cauſæ efficientis, & ſic eſt præmium, & præcedit illam in genere cauſæ materialis, & ſic eſt diſpoſitio.

Ad ſecundum verò dicitur, quod iſta diſpoſitio phyſica ponitur conformiter ad connaturalem modum augendi formas ſupernaturales, vt dictum eſt. Neque contra *Concilium*, quia illo c. 16. ſolum definit quod *Nihil deeſt operibus factis in gratia, quominùs vitam æternam promeruiſſe dicantur*, & ſimiliter nihil deeſt quominus augmentum promeruiſſe dicantur. Sed quomodo mereantur, & quomodo dependeat, vel non dependeat hoc augmētum, vt de facto detur, ab aliqua conditione, vel diſpoſitione, nec leuiter inſinuat, aut negat Concilium. Iuxta ſecundam autem ſolutionem dicitur, quod actus remiſſus meretur augmentum cum dependentia à diſpoſitione proportionata, *concedo*, ſine ordine ad illam, *nego*. Illa autem adueniente, illud augmentum correſpondet vtrique actui remiſſo, vt diſponenti remotè, & indeterminatè, feruentiori vt proximè, & determinatè. *Ad ſecundum verò dicitur*, quod ille actus remiſſus verè dicitur promereri augmentum gratiæ, ſed ſuo tempore dandum, id eſt, exequendum dependenter ab actu feruentiori, ad quod per ſe diſponit, & ordinatur actus remiſſus quod non negat Concilium. 8

Ad id quod addebamus initio huius art. de reuiuiſcentia meritorū non eſt difficultas huius loci, ſed vt reſpondeatur argumento *Dicimus*, quod omnia merita reuiuiſcunt, quia informantur gratia, ſed non eſt neceſſe quod informentur tota gratia, quæ erat ante peccatum in ſubiecto, ſed gratia habitualis datur per pœnitentiam iuxta qualitatem contritionis, & diſpoſitionis in qua reſurgit, vt diximus ex doctrina *D. Thom.* Atque ita ſicut illa merita præcedentia non ſunt ſufficiens diſpoſitio, vt detur tanta gratia, quanta erat antea in ſubiecto, niſi mediante diſpoſitione in qua modo reſurgit, ita & de augmento charitatis dicendum eſt. vnde *D. Thom. in 3. diſt. 31. q. 1. art. 4. quæſt. 3. ad* 4. inquit quod per priora merita, merebatur homo tantam gloriam, quantam charitatem habebat, ſed ipſe per peccatum factus eſt alter, & non plenariè reſtitutus ad priſtinum gradum, quando per remiſſiorem pœnitentiam reſurgit, & ideò non plenariè recipiet effectum priorum meritorum, niſi quantum ad præmium accidentale, quod menſuratur magis actibus, quam habitu charitatis. Et idem ferè dicit 3. *part. quæſt.* 89. *articulo* 5. *ad* 3. Signum eſt ergò quod merita viuificat dependent in exhibitione præmij eſſentialis à qualitate huius gratiæ; & iſta à diſpoſitione proportionante ſubiectum. Etſi aliquid horum deficiat, expreſsè dicit *D. Thom.* quod fruſtrabitur præmium eſſentiale, quia merebatur illud vt exequendum dependenter ab iſtis conditionibus; & ſic eodem modo procedit *D. Thom.* in reuiuiſcentia meritorum, & in augmento charitatis. Sed de illa quæſtione pertinet ad materiam de pœnitentia *citat. loc.* 3. *par.*

.

DISPV

DISPVT. XVI.

De amiſſione Charitatis, & Gratiæ.

ARTICVLVS I.

Vtrum peccatum mortale non ſolum demeritoriè, ſed phyſicè repugnet Charitati, ita vt in nullo inſtanti ſimul eſſe poſſint?

1 VT Percipiatùr difficultas ante omnia diſtinguendum eſt peccatum actuale, & habituale: nomine *peccati actualis* intelligimus ipſum actum prauum; qui elicitur contra rationem; nomine autem *habitualis peccati* non intelligimus hic habitum inclinantem ad actum prauum, ſed maculam (quam dicere poſſumus *habitum maculantem*, qui non eſt habitus poſitiuus, ſed priuatiuus) habitualiter relictam in anima ex actu auertente ſe à fine debito, vnde priuat rectitudine rationis, & gratiæ, cum reſpectu ad actum à quo cauſatur talis priuatio; & quia virtute includit ipſum actum ad quem dicit reſpectum vt terminus relictus ex illo, ideo priuatio illa, ſeu macula dicitur includere conuerſionem, & auerſionem moralem ratione reſpectus ad actum, quo quis conuertitur, & auertitur à fine. Præter iſtam autem priuationem, ſeu maculam ex actibus prauis frequentatis generatur habitus inclinans ad ſimiles actus, qui vocatur *Vitium*, & eſt in ipſa potentia per modum inclinantis. In præſenti non loquimur de oppoſitione inter gratiam, & iſtum habitum, quia conſtat poſſe manere cum gratia quando aliquis recenter conuerſus nondum eximit habitus vitioſos; & poteſt etiam gratia expelli ſine iſto habitu, ſicut per vnum peccatum mortale expellitur gratia, & non generatur habitus.

2 Secundo *eſt aduertendum*, quod nomine *phyſica repugnantia* intelligimos oppoſitionem ex natura rei inter aliqua extrema, ſiue vtrumque extremum ſit reale, & phyſicum, ſiue alterum tantum. Sic enim oppoſitio in poſtprædicamentis diuiditur per quatuor ſpecies, *Contradictoria*, *Contraria*, *Relatiua*, & priuatiua; quæ omnes dicuntur oppoſitiones *reales*, id eſt, ex *natura rei*, licet non omnia extrema ſint poſitiua, vt patet in contradictoria, & priuatiua. Et diſtinguitur hæc oppoſitio ex natura rei contra moralem, ſeu demeritoriam, quia *moralis* ſolum imputat rationem indignitatis ex parte ſubiecti ad aliquam formam; requirit autem quod tollatur mediante alio agente ſubtrahente, vel denegante illam propter talem indignitatem ſubiecti: ipſa autem indignitas ſe ſola non tollit realiter formam, cui opponitur moraliter. Quando autem eſt oppoſitio ex natura rei, ſeu phyſica, vnum extremum tollit aliud per ſe ipſum. Sed tamen adhuc hæc oppoſitio eſt duplex Alia *immediata*, alia *mediata*. *Immediata* eſt quando per ſe ipſum vnum extremum expellit aliud formaliter, nulla alia forma mediante, & ſubiectum eſt immediatè capax vtriuſque: *Mediata* autem eſt quando inter ipſa extrema ſe expellentia mediat aliqua forma, qua mediante fiat expulſio, ſicut inter diſpoſitionem & formam expulſam mediat forma introducta: vel etiam quando ſubiectum nõ eſt immediatè capax vtriuſque extremi, ſed poteſt manere in aliquo ſtatu indifferenti reſpectu vtriuſque extremi, ſicut non eſt immediata oppoſitio inter cæcitatem & viſum in catulo ante nonum diem, quia nondum eſt capax vtriuſque extremi.

In hac ergo difficultate Quidam dicunt peccatum expellere gratiam moraliter demeritoriè. Alij dicunt expellere moraliter extrinſecè, id eſt, ex lege Dei, non moraliter intrinſecè, quia exiſtimant Gratiam, & charitatem ſine extrinſeco fauore, & acceptatione Dei non iuſtificare. Alij dicunt peccatum habituale ex natura rei expellere gratiam; actuale vero ſolum moraliter. Alij denique vtrique tribuunt expulſionem phyſicam, ſeu ex natura rei, licet immediatè; & formaliter peccato habituali, efficienter & mediatè ipſi actuali. 3

Dico *primo*. Peccatum habituale ſumptum pro macula, phyſicè, & ex natura rei opponitur formæ ſanctificanti, ſiue ſanctificet formaliter, vt Gratia, ſiue eminenter vt Vnio Hyppostatica, quæ eminenter, & formaliter ſanctificat, & viſio Beata, quæ eminenter virtualiter ſanctificat, eo quod eſt ipſa conſummatio gratiæ, & terminus eius, cui virtualiter eſt annexa radix gratiæ non conſummatæ. Hæc concluſio communiter aſſeritur à recentioribus, & de ea videri poſſunt *Caiet. hic q. 24. art. 10. & 12. Bañez ibidem, Zumel. 1. 2. q. 113 art. 2. dub 4. Medinà ibidem, Lorca hic art. 12. diſput. 22. n. 12. Granados tract. 4. de Charit. diſp 3. Torres hic art.* 10. Dum inquit, quod peccatum mortale totaliter corrumpit charitatem, & effectiuè, quia illi contrariatur; & meritoriè, quia qui peccat mortaliter eſt dignus vt Deus ab eo auferat charitatem. Ergo præter oppoſitionem meritoriam, ſeu moralem admittit aliam *D. Thomas*, quam vocat effectiuam, quæ vtique meritoria non eſt, & conſequenter phyſica, ſeu ex natura rei Et *quæſt. de Charit. art. 12. ad* 13. dicit, quod Charitas non expellitur à peccato ſicut ab agente ſed ſicut à contrario, vnde ipſa ſuperuentio peccati eſt expulſio Charitatis, ſicut aduentio luci, expulſio eſt tenebrarum, lux enim expellit tenebras in ipſo ſuo fieri: conſtat autem hanc repugnantiam inter lucem, & tenebras eſſe phyſicam, & ex natura rei. 4

Fundamentum *eſt*, Quia eodem modo debet macula expellere gratiam, & charitatem priuatiuè, quo gratia & charitas expellunt illam poſitiuè: ſed gratia, & charitas opponũtur phyſicè maculæ poſitiuè; ergo macula illi phyſicè priuatiuè. *Maior probatur*. Quia macula importat veram, & realem priuationem rectitudinis gratiæ cum reſpectu ad cauſam, per quam ablata eſt talis rectitudo, nam verè peccator habet carentiam gratiæ in ſubiecto apto, quæ eſt priuatio phyſica, & eſt priuatio culpabilis moraliter per reſpectum ad peccatum à quo cauſata eſt: ergo talis macula expellit rectitudinem gratiæ phyſicè, priuatiuè, & moraliter. *Minor probatur*. Quia gratia ſecluſo omni extrinſeco, ratione ſuæ naturæ tantum eſt ſufficiens ſanctificare hominem, & emundare ab illa macula: ergo natura ſua habet oppoſitionem cum illa. *Conſequentia patet*. Quia ſi ex natura ſua non ſufficeret excludere maculam, aliquid requireretur vltra naturam gratiæ ad expellendam 5

maculam. *Antecedens vero probatur.* Quia ſecluſo omni fauore, & acceptatione extrinſeca, gratia reddit ſubiectum gratum, & dignum diuina dilectione; reddit enim hominem eleuatum ad cõſortium diuinæ naturæ, & filium Dei, quod non poteſt non eſſe obiectum diuinæ dilectionis: ergo ex ſua natura ſecluſo omni extrinſeco tollit priuationem rectitudinis, & iuſtitiæ, qua reddebatur homo indignus dilectione Dei, & ingratus illi.

6 Confirmatur: Quia ſi non ſufficeret gratia ex natura ſua præcisè expellere maculam peccati, poſita gratia in ſubiecto, & inhærente, ſecluſo omni extrinſeco, adhuc maneret peccatum, & macula, ſiquidem natura gratiæ non eſt ſufficiens expellere illud: ergo aliquid requireret ſuperaddi præter ipſam naturam gratiæ, quo macula expelleretur; & illud vel eſſet aliquid intrinſecum, & inhærens, vel extrinſecum. Si intrinſecè inhærens, eadem eſt difficultas de ipſo, atque de natura gratiæ: ſi extrinſecè, ſolum pertinet ad fauorem, & acceptationem extrinſecam Dei, & ſic verificaretur quod ſolum fauore Dei expelleretur peccatum, & iuſtificaretur homo, quia quidquid ponitur ante talem fauorem non expellit, nec iuſtificat. Conſequens eſt contra Trid. ſeſſ. 6. Can. 11. *Si quis dixerit homines iuſtificari, vel ſola imputatione iuſtitiæ Chriſti, vel ſola peccatorum remiſſione excluſa gratia, & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum ſanctum diffundatur, illiſque inhæreat, aut etiam gratiam qua iuſtificamur eſſe tantum fauorem Dei, anathema ſit.*

7 Item ſequeretur iuſtitiam in nobis receptam non eſſe vnicam formalem cauſam noſtræ iuſtificationis, contra ea quæ definit *ſeſſ. 6. c. 7.* Siquidem recepta iuſtitia, & inhærente in nobis, adhuc aliquid requireretur quo fieret iuſtificatio, ſcilicet fauor Dei. Sequeretur denique quod per iuſtificationem non intrinſecè emundaremur à peccato, quod eſt non tolli peccatum, quia peccatum importat maculam, quæ intrinſecè inhæret, & denominat; eſt enim eadem ratio de macula cuiuſcumque peccati & de macula originali, de qua definit *Trident. ſeſſ. 5. Can. 3.* Quod peccatum originale (quod non eſt aliud quam macula) ineſt vnicuique proprium: ergo intrinſecè denotat peccatorem, quia ineſt; & conſequenter aliquo intrinſeco debet tolli, & non ſolo fauore extrinſeco.

8 Dices: Macula ita includit priuationem phyſicam rectitudinis, quod etiam includit plures rationes morales, vt eſt conuerſio ad creaturam, non retractata, reatus ad pœnam, offenſa Dei in eſſe moris; & ſine iſtis ſola priuatio gratiæ phyſica non eſt culpa, ſed pœna: ergo ſola oppoſitio phyſica gratiæ non ſufficit tollere iſtam maculam, quia quandiù non tolluntur illæ formalitates morales, non tollitur ipſa priuatio, quæ ab illis pendet.

9 Sed *contra.* Quia natura gratiæ talis eſt quod in ſua eminentia intrinſecè includit illas moralitates oppoſitas, quia ex ſua natura gratia eſt effectus diuinæ dilectionis, quatenùs voluntariè generat nos Deus, vt dicitur *Iacobi* 1. Et ex natura ſua ordinat in Deum per vnionem amicabilem ad illum, & facit conſortem diuinæ naturæ eleuando, & conuertendo hominem in Deum; vnde quatenus habet iſtas conditiones, quas omninò ex ſua natura & connaturali ſtatu petit, habet tollere offenſam Dei, quatenùs procedit à Deo diligente, & remittente, & mitigante omnem iram ſuam. Tollit etiam reatum pœnæ æternæ, quia reddit hominem gratum Deo & filium, & conſequenter hæredem regni, atque adeo tollit pœnam excluſionis. Denique tollit conuerſionem ad creaturam non retractatam, quatenus conuertit, & vnit hominem cum Deo, cum eoque facit conſortium: ergo intra ſuam naturam propriam habet omnia requiſita ipſa gratia ad tollendam priuationem realem rectitudinis, & moralitatis à quibus dependet. Si autem Deus de ſua potentia abſoluta produceret entitatem gratiæ in ſubiecto ſine actu remittente offenſam peccati, tunc maneret gratia in homine non connaturaliter, ſed præter naturam ſuam, & ſic non expelleret peccatum in ratione offenſæ, quæ gratis remittitur, vel Chriſti ſatisfactionem; ſed tolleret maculam quantum ad effectum phyſicum ponendo ſanctitatem intrinſecam, & non remittendo offenſam, maneretque excluſus perpetuo à gloria, ſicut antiqui Patres manebant in limbo, & perpetuo manerent, ſi non veniret ſatisfactio Chriſti pro offenſa; & tamen ipſi habebant gratiam, quanto magis ſi ipſa offenſa neque gratis remitteretur homini?

Dico *Secundo.* Actuale peccatum repugnat ex natura rei phyſicè, & non ſolum demeritoriè cum gratia, & charitate, ita vt de potentia abſoluta non poſſint coniungi. Hæc concluſio quoad primam partem eſt contra *Lorc. citat. n. 8. & 13.* multoſque citat ex antiquis; aſſeritur tamen ab aliis authoribus citatis pro præcedenti concluſione, & ex eiſdem locis *D. Tho.* deducitur, præſertim hic *q. 24. art. 12.* Vbi contrarietatem inter ipſum peccatum, & charitatem explicat, ſicut inter illum, qui ponit obſtaculum illuminationi, & influentiæ ſolis, & ipſam lucem, quam expellit ex natura rei. 10

Et *Probatur* ex præcedenti concluſione meo videri efficaciter. Actus peccati ex natura rei, & non ſolum demeritoriè infert maculam realiter priuantem rectitudine; ſed illa priuatio expellit formaliter ex natura rei gratiam (vt oſtendimus) ergo actus inducens talem priuationem ex natura ſua expellit gratiam, non formaliter, ſed efficienter eo modo quo priuatio dicitur effici per aliquem actum. *Conſequentia eſt manifeſta, & minor eſt probata* oſtendendo quod macula peccati importat realem priuationem rectitudinis, quæ per aliquam realem formam poſitiuam tolli poteſt. *Maior probatur.* Quia natura peccati includit priuationem rectitudinis debitæ tam naturalis, quam ſupernaturalis, cum intrinſecè ſit actus auertens à debito fine; ergo relinquit ſubiectum priuatum eadem rectitudine non ſolum demeritoriè, ſed etiam quaſi effectiuè, eo modo quo priuationes fieri poſſunt. *Conſequentia patet:* Quia quandiù actus peccati durat, non ſolum meritoriè, ſed quaſi realiter, & phyſicè redditur ſubiectum auerſum à fine, & priuatum rectitudine; iſte enim eſt effectus formalis illius actus, qui in ſe inordinatus eſt; ſed ſemel poſita hac priuatione, etiamſi tranſeat actus, ſubiectum manet priuatum, quandiù non conuertitur, & retractatur illa auerſio, etiamſi remoueamus omnem rationem demeriti, & renuentiam communicationis amicabilis, quæ videtur eſſe aliquid morale, quia ipſa rectitudo, qua priuat peccatum, ex ſola informatione peccati, & poſitione eius in ſubiecto intelligitur remota, cum intrinſecè includat peccatum auerſionem ſubiecti à fine; 15

fine, ergo ex natura rei inducitur hæc priuatio ex tali actu, quo ſicut motus liquis auertitur à ſole reddit illum priuatum luce, quæ priuatio manet etiamſi motus ceſſet, quandiù non ſe conuertit iterum ad ſolem.

5 Dices cum *Lorca*. Quomodo poteſt actus ordinis naturalis, qualis eſt peccatum, corrumpere formam ordinis ſupernaturalis, illamque attingere? *Reſp.* Non corrumpere illam directè in ſe, ſed informationem eius in ſubiecto, quæ informatio dependet ab aliquo, quod per peccatum corrumpitur: ſicut corruptio hominis non fit per corruptionem ipſius animæ ſed per deſtructionem informationis eius quæ dependet à diſpoſitionibus, quibus ſublatis corrumpitur informatio animæ. Sic informatio gratiæ in eſſe gratiæ dependet à voluntaria ordinatione in finem, & à rectitudine naturali, quia gratia ſanat naturam. Vnde ſi aliquis auertatur voluntatiè à fine debito, etiamſi peccatum ſit contra virtutem acquiſitam, & contra rectitudinem naturalem, deſtruit aliquid quod neceſſariò requiritur ex parte ſubiecti, vt informetur à gratia in eſſe gratiæ; ſicut qui deſtruit diaphaneitatem deſtruit lucem quæ eſt qualitas cœleſtis.

6 Secunda *vero pars concluſionis* de repugnantia peccati actualis cum gratia, etiam in ordine ad potentiam abſolutam eſt contra *Lorcam citato n. 9.* Sed educitur ex dictis, & ex conceſſis ab ipſo *Lorca n. 14.* Quod charitas & peccatum habituale neque per potentiam abſolutam poſſunt eſſe ſimul. Etenim peccatum actuale ſemel poſitum in ſubiecto ita neceſſariò infert illam maculam, quod nec de potentia abſoluta poteſt impediri, ſed cum iſta macula habituali non compatitur gratia, etiam de potentia abſoluta, ergo neque cum peccato actuali vt inferente illam. *Minor* præterquam conceditur à *Lorca*, manifeſta eſt ex dictis, quia gratia ſi eſt in ſubiecto reddendo illud gratum, & iuſtum, hoc ipſo contradictoriè, & priuatiuè opponitur priuationi rectitudinis, & ſanctitatis, in qua conſiſtit macula: ergo non poſſunt eſſe ſimul ſi autem gratia conſideretur in ratione accidentis, ſicut poteſt poni in lapide à Deo, & tūc lapis denominaretur ſuſtentans gratiam, ſed non gratus Deo, Sic gratia in ratione accidentis non pugnat cū macula, quia ipſa non priuat ſuſtentatione accidentis; quod eſt gratia, ſed rectitudine, & ſancti-

7 tate, quam confert gratia.

Maior verò ſic probatur. Quia peccatum eſt actus deordinatus procedens à toto ſuppoſito: ergo hoc ipſo quod procedit ab illo, ſicut non poteſt Deus impedire quod denotet ſubiectum operans à quo egreditur, ita nec poteſt impedire quod denotet ſubiectum inordinatum, & auerſum à fine, quia eſſe auerſum & inordinatum, non eſt aliud quam operari inordinatè. Si autem ſemel ſubiectum denominatur auerſum à fine in egreſſione actus, etiam tranſeunte actu inordinatum manet, quandiù talis actus non retractatur, quia auerſio ſemel exiens à ſubiecto, vt dicatur permanere non requirit amplius quam quod ſubiectum non retractet talem auerſionem. Ergò ſemel poſito actu peccati, & non poſita retractatione, implicat impediri illam priuationem rectitudinis quæ eſt macula, & multò magis repugnat in illo inſtanti in quo peccatum eſt in ſubiecto, quia tunc fit ipſa priuatio, & quaſi reſultat. Implicat autem quod in eo inſtanti,

quo aliquid producitur, aut reſultat deſtruatur, & non ſic; ergò implicat quod tunc gratia infundatur de nouo, aut non deſtruatur antiqua. 8

Ex dictis expediri poteſt alia difficultas, ſcilicet de facto gratiam, & peccatum actuale non eſſe ſimul in eodem inſtanti in ſubiecto, & multo minus eſſe poſſe per multum tempus. Cuius oppoſitum ſuſcitauit his temporibus *P. Lorca*, qui obiter illud tetigit t. 2. *ſect. 6. diſp. 40. ſ. Tertio dico*, & latius 2.2. *q.* 24. *art.* 12. *diſp.* 11. *n.* 17. Fundaturque in eo; quia peccatum verè expellit gratiam demeritoriè, prius eſt autem demeritum quam pœna, ſicut meritum, quam præmium: ergo oportet prius intelligere in aliquo inſtanti conſummationem peccati, quam ſubſtractionem gratiæ: vnde & *Trident. ſeſſ.* 6. *c.* 11. vſurpat illa verba *Auguſt.* quod *Deus non deſerit, niſi prius deſeratur.* Ergo non tollit gratiam niſi prius deſeratur ab homine per peccatum; idemque ſumitur ex *Baſilio homil.* 12. *de diuerſis.* Et licet aliqui voluerint cenſurare hanc opinionem exiſtimantes eſſe damnatam inter propoſitiones *Bay*, qui dicebat charitatem poſſe eſſe ſimul cum reatu æternæ damnationis, quod tamen *Lorca* explicat de reatu habituali non de actuali peccato de quo *Baius* non loquebatur. Nos tamen à cenſura abſtinentes ex oppoſito fundamento illam ſententiam ſaluare non poſſumus. Quia peccatum ita eſt demeritoriū gratiæ, quod ſimul eſt inducens actu priuationem rectitudinis illius, & incompatibilem diſpoſitionem cum ea, vt probatum eſt. Et ita ſicut in aliis generationibus in inſtanti quo vna forma introducitur, licet ſecundum diuerſas prioritates naturæ prius intelligatur introduci formam, & è conuerſo, ita in præſenti in inſtanti conſummationis peccati, ita intelligitur introducta priuatio rectitudinis, vt nullo modo maneat rectitudo. 9

Quod *vrgetur amplius*, quia peccatum hoc ipſo quod conſummatum generat mortem, vt dicitur *Iacob.* 1 generat (inquam) non tanquam potentia generatiua, vel agens, ſed tanquam diſpoſitio vltima ad mortem, quia eſt conſummata diſpoſitio vltra quam nulla alia reſtat ad mortem, cum ſit ipſa auerſio à fine hoc ipſo quod egreditur à ſuppoſito, reddit illud deordinatum: ergò eſt peccatum inſeparabiliter annexum cum morte, ſeu macula, & priuatione gratiæ tanquam vltima diſpoſitio cum forma. Sed gratia eſt incompatibilis cum ipſa macula, vt etiam fatetur *Lorca*: Ergo in illo inſtanti eſt cum diſpoſitione vltima ad talem maculam quæ eſt conſummatio peccati. 10

Ex quibus patet ad motiua oppoſita. *Ad primum enim dicitur*, Quod peccatum non ſolum demeritoriè expellit gratiam, ſed demeritoriè conſummatè, & vt generans mortem tanquam vltima diſpoſitio ad illam, non vt potentia peccandi, ſeu generandi mortem, & ita in nullo inſtanti eſt cum vita gratiæ.

Ad *locum Concil.* & Aug. *Reſpondetur* Quod 11 ſenſus eſt planus, ſcilicet Deum non ſubtrahere dona ſua ſine cauſa, & per ſe ſolum, ſed quia nos recedimus ab ipſo, non tamen taliter quod in eodem inſtanti in quo recedimus conſummatè, adhuc non ſubtrahantur dona Dei, quæ non poſſunt ſtare cum priuatione quam inducit receſſus noſter. Sicut etiā verum eſt dicere quod non generatur forma niſi corrumpatur alia non tamen

ſunt ambæ ſimul in eodem inſtanti, & quando *Baſilius* dicit quod peccatum præcedit gratiæ carentiam, loquitur de præcedentia *cauſalitatis*, non *durationis*, id eſt, peccatum cauſat carentiam gratiæ.

Soluuntur Argumenta.

1 SEd obiicies contra primam concluſionem. Macula in tantùm opponitur gratiæ, in quantum habet rationem culpæ, ſed habet rationem culpæ per moralitatem, quæ eſt aliqua denominatio extrinſeca per reſpectum ad actum præteritum & ad legem: ergo non habet oppoſitionem cum gratia ratione priuationis ex natura rei, ſed ratione moralitatis, atque adeò bene poſſunt coniungi phyſicè gratia, & macula.

2 Reſpondetur maculam includere priuationem phyſicam gratiæ cum moralitate, & ratione vtriuſque opponitur ipſi gratiæ, quia non conſiſtit in aliquo poſitiuo, ſed in aliqua priuatione rectitudinis relicta ex actu peccati, vnde ratione vtriuſque opponitur gratiæ, & phyſicè, & moraliter, quia hoc ipſo quod priuatur rectitudo, non poteſt manere gratia, quæ conſtituit rectum, & illa moralitas, quæ eſt ordo ad peccatum præteritum ita intrinſeca eſt maculæ ſicut vmbræ eſt intrinſecum reſpicere corpus à quo cauſatur. Vnde non eſt moralitas extrinſeca deriuata à beneplacito voluntatis, ſed intrinſecè ſecuta ex peccatu, vnde nec per potentiam abſolutam tolli poteſt.

3 Secundò *obiicies contra ſecundam*. Actus non opponitur directè cum habitu charitatis, ſicut alij actus non opponũtur cum habitibus, & ſicut peccatum non opponitur cum habitu virtutis acquiſitæ, v. g. cum charitate acquiſita; ergo neque cum ſupernaturali, eiuſdem enim rationis ſunt excepta naturalitate, aut ſupernaturalitate quæ nihil conducit ad maiorem oppoſitionem, imò minùs, quia habitus naturales magis continentur ſub eodem genere cum actu peccati, quam ſupernaturalia.

4 Confirmatur. Quia non eſt aſſignare quam oppoſitionem habeat peccatum cum habitu charitatis; non priuatiuam, quia peccatum ſolum priuat rectitudine debita actui, non ipſa gratia: non contrariam, quia non ſunt ſub eodem genere, actus enim peccati eſt in genere actionis, habitus eſt in genere qualitatis: multò minùs contradictoriam, quia nullum extremorum eſt negatio: nec relatiuam, cum non ſit in genere relationis: ergo nullam oppoſitionem habent.

5 Reſpondetur actum peccati non opponi charitati, vt forma, ſed vt effectus inducens priuationem maculæ, quæ eſt ipſa carentia rectitudinis animæ, quæ ex natura rei opponitur gratiæ, & conſequenter charitati, quæ ſe habet tanquam eius paſſio, & vt præſupponens eſſentialiter rectitudinem, vt poſſit conſtituere amicum quod eſt eius effectus formalis, ſicut claudens feneſtram non opponitur formaliter luci, ſed quaſi effectiuè, quatenùs inducit tenebras expellentes lucem, & conſequenter viſibilitatem colorũ qui eſſentialiter præſupponunt lucẽ; Secus eſt in habitib. acquiſitis, qui ſolum important inclinationem habitus ad agendum, non autem conſtituũt ipſam rectificationem, aut amicitiam ad Deum. vnde talis habitus ſecundum ſuam naturam non habent oppoſitionem cum priuatione rectitudinis, ſed cum alio habitu ſibi oppoſito, & contrario, & cum iſte non generetur vnico actu, ideò per vnicum actum peccati non expellitur virtus acquiſita. Quia tamen vnico actu peccati generatur macula, cum qua non poteſt ſtare rectitudo gratiæ, & charitatis, ideò expellit illam ratione ſui termini, ad quem inducit.

Ad confirmationem reſp. peccatum non opponi cum charitate formaliter, ſed quaſi effectiuè id eſt inducendo priuationem maculæ, vnde 6
non habet oppoſitionem formaliter priuatiuam gratiæ ſed effectiuè priuatiuam, quatenùs cauſat talem maculam, ſicut claudens feneſtram opponitur luci inducendo tenebras.

Tertiò obiicies. Natura & entitas Phyſica 7
actus peccati non opponitur gratiæ: ergò non habet phyſicam oppoſitionem cum illa. *Conſeq. patet*, Quia oppoſitio phyſica debet fundari in eo quod eſt phyſicum. *Antecedens autem probatur* nam entitas naturalis peccati non opponitur gratiæ, vt conſtat, neque malitia moralis, cum hæc non ſit aliquid phyſicum, ſed vel priuatio rectitudinis, vel relatio rationis. *Item*: idem actus phyſicè poteſt eſſe bonus, & malus moraliter, ſaltem ſucceſſiuè, ergò ſicut non opponitur phyſicè gratiæ quando eſt bonus, ita neque quando eſt malus. *Item*. Peccatum mortale, & veniale poſſunt habere eandem ſpeciem moralem, vt furtum magnum, & paruum ergo ſi ex natura, & ſpecie ſua expellit gratiam, peccatum veniale illam expellet. *Denique*. peccatum omiſſionis expellit charitatem, ſicut peccatum commiſſionis, & non phyſicè cum non habeat phyſicam naturam, ſed priuatiuam: ergo *Confirmatur*: quia actus peccati eſt ſubiectiuè in voluntate, gratia autem eſſentia animæ: ergo non poteſt phyſicè expellere ipſam gratiam, qua non expulſa, non expellitur charitas.

Reſpondetur omnes iſtas obiectiones ceſſare 8
conſiderando quod peccatum non opponitur gratiæ vt forma, vel vt priuatio immediatè, ſed vt actio inducẽs maculam eam neceſſariò quod impediri non poteſt illa ſequela, vnde non ratione ſpecificationis eiuſdem in veniali, & mortali, nec ratione commiſſionis, vel omiſſionis ſed ratione inductiui priuationis, & carentiæ habitualis ipſius rectitudinis, quæ eſt macula, dicitur actus peccati repugnare ex natura rei cum gratia mediante macula quam inducit: hoc autem inductiuum inuenitur in omni peccato mortali in quantum perfectè auertit à fine ſiue ſit omiſſionis, ſiue commiſſionis, aut quocumq; modo eius ſpecificatio conſideretur.

Ad confirmat. Reſp. Quod actus exiſtens in voluntate vt eliciente *vt quo*, etiam denominat 9
totum ſuppoſitum operans *vt quod*, & conſequenter deordinat ipſum à rectitudine debita. voluntas enim eſt inclinatio totius ſuppoſiti in finem, atque adeò deordinando voluntatem, & ſuppoſitum, manet ipſa anima deordinata, & priuata rectitudine gratiæ, ipſa enim gratia denominat ipſum totum rectum, & ſanctum. Cuius ſignum eſt, quod conſtituit hominem filium Dei, filiatio autem eſt propria ſuppoſiti. Hac ergo ratione actus, vt inducens priuationem rectitudinis totius ſuppoſiti dicitur expellere gratiam

tiâ non vt formaliter inhærens in voluntate, ſed vt inducens à voluntate in animâ, quaſi per ſequelam, priuationem rectitudinis totius ſuppoſiti, & conſequenter ipſius animæ, quod eſt inducere maculam, quâ mediante priuat gratia.

ARTICVLVS II.

Vtrum peccatum veniale aliquo modo diminuat habitum charitatis?

1 DIminutio charitatis, vel cuiuſcumque habitus ſupernaturalis poteſt fieri, vel ex ſubſtractione cauſæ influentis, vel ex indiſpoſitione cauſæ ſuſcipientis; ſicut è contra ex meliori diſpoſitione ſubiecti augetur charitatis. De primo modo diminutionis non loquimur hic, quia certum eſt poſſe Deum diminuere habitum charitatis per ſubſtractionem influxus, ſicut & totaliter deſtruere. Sed etiam conſtat quod de facto Deus ſine culpa hominis non tollit aliquid de habitu ſupernaturali, quia ſine pœnitentia ſunt dona, & vocatio Dei, vt dicitur *Roman.* 11. De ſecundo autem diminutionis modo agimus hic, & cum conſtet peccato mortali non tantum diminui, ſed totaliter deſtrui charitatem, reſtat inquirere vtrum diminuatur per peccatum veniale?

2 In *qua quæſtione* ſententia negatiua vt communis omnium theologorum, vno vel altero ex antiquioribus excepto, certiſſimè tenenda eſt. Cuius fundamentum tradit *D. Thom.* à priori hic *quæſt.* 24. *art.* 10. Deinde verò ab inconuenienti, & quaſi à poſteriori traditur ab alijs recentioribus. *A priori* quidem id oſtendit *S. Thom.* Quia charitas nec effectiuè, id eſt phyſicè, nec demeritoriè, & moraliter poteſt minui per peccatum veniale; ergo nullo modo. *Antecedens conſtat.* Quia affectiuè diminui non poteſt, charitas enim eſt ordinatiua circa finem vltimum, qui eſt Deus; peccatum veniale non eſt deordinatiuum à fine vltimo, nec priuationem rectitudinis eius inducit, ſic enim eſſet mortale: ergo non ſunt circa idem, atquè adeo phyſicè non opponuntur, ſicut priuatio auditiua non opponitur viſui. Demeritoriè etiam non diminuit; quia qui delinquit in minori non meretur pati detrimentum in maiori; ſic enim non eſſet proportio inter demeritum, & pœnam, magiſque Deus ſe auerteret ab homine, quam homo à Deo; ſed peccatum veniale nullo modo auerti à fine ergo nullo modo meretur pati detrimentum in habitu ordinante circa finem, qualis eſt charitas.

3 A poſteriori *autem vrgetur hæc ratio.* Quia ſi veniale peccatum minueret charitatem, tandem corrumperet illam, atque adeo ſine peccato mortali poſſet homo amittere gratiam, & gloriam, cuius oppoſitum ſupponit fides in *Concil. Trident. Seſſ.* 6. *capit.* 11. vbi docet: *Ob peccata venialia in quæ cadunt Sancti non deſinere eſſe iuſtos.* Quod ſtare non poteſt ſi peccata venialia poſſunt corrumpere charitatem. Vnde omnes qui conantur reſpondere huic argumento *negant conſequentiam*, ſcilicet quod tandem per veniale peccatum corrumperetur charitas, & varias aſſignant rationes. Quidam dicunt peccatum veniale ſolum minuere charitatem per partes proportionales, atque adeo etiamſi infinita peccata venialia, ſint nunquam exhaurient quantitatem charitatis, alij quod vltimum peccatum veniale fit mortale ex circunſtantia deſtruendi charitatem. Alij quod gratia, ſicut minuitur per venialia, ita reparatur, & creſcit per bona opera, quæ iuſtus exercet, ſi diu permanet in gratia; ideoque nunquam peccata venialia conſumunt habitum charitatis, quia ſemper reparantur. Alij quod vltimus gradus nunquam eſt amiſſibilis per peccatum veniale, benè tamen omnes alij, quia tollere alios eſt diminuere; tollere vltimum non eſt diminuere, ſed deſtruere.

Cæterum omnes iſtæ ſolutiones, aut principium petunt, aut voluntariè loquuntur. Nam prima non habet fundamentum vnde conſtet peccata venialia diminuare per partes proportionales: & licet per motum continuum poſſit diminui proportionaliter aliqua quantitas, per motum tamen diſcretum, qualia ſunt plura peccata venialia, quæ diuerſis temporibus committuntur, id non poteſt intelligi. Nam quando committitur vnum peccatum veniale, vel tollit partem includentem, & diuiſibilem in alias partes, vel non. Si non includit partes: ergo non eſt pars, ſed indiuiſibile, cuius non eſt dare partes; indiuiſibile autem ablatum à diuiſibili non minuit. Si autem tollit partem habentem alias partes, & diuiſibilem in alias, hoc ipſo includit infinitas partes proportionales, quia quælibet pars diuiſibilis eſt in alias partes: vnde ſi vni peccato veniali ſolum correſpondat vna pars proportionalis, & illa tollitur, cum tollatur in quantum diuiſibilis, neceſſe eſt tolli infinitas partes proportionales, in qua illa diuidi poteſt, & ſic tantum meretetur vnum peccatum veniale, quantum infinita, quia infinitas partes tollit. 4

Secunda *ſolutio eſt chimerica:* quia illa qui habet vltimum gradum charitatis, qui tolli poteſt per primum peccatum veniale, teneretur ſub mortali vitare omnia peccata venialia, quia per quodlibet, deſtrueretur charitas: hoc autem eſt impoſſibile, cum nullus poſſit omnia venialia peccata vitare, vt definit *Concil. Trident.* Et quomodo poſſet aliquis obligari hoc præcepto, cum non poſſit ſcire quando eſt in vltimo gradu charitatis? Tertia ſolutio non tangit difficultatem, quia non ſemper homo iuſtus reparat per bona opera id quod perdit per venialia; poteſt enim aliquis vno die, vel etiam menſe non exercere aliquod opus bonum, & committere innumera peccata venialia ſufficientia tollere gratiam, præſertim remiſſam, ſi quodlibet eorum aliquid tollit de gratia. Denique vltima ſolutio non aſſignat rationem quare gradus ille charitatis quando eſt vltimus non poſſit tolli per peccatum veniale, cum illi correſpondeat diminutio illius gradus, ex eo enim quod vltimus ſit peccatum veniale non amittit rationem demeriti, quia nec rationem culpæ: ergo, ſi meretur vt tollatur tanta quantitas gratiæ, quanta in ſubiecto reſtaure, non poteſt ſalua iuſtitia illud demeritum priuari ſua retributione. 5

Soluuntur Argumenta

1 COntra prædictam communem reſolutionem *arguitur primo*, quia peccatum veniale opponitur feruori charitatis, & minuit illum vt communiter docet *S. Thom.* præſertim 3. *part. quæſt.* 87. *art.* 2. Et cum eo omnes theologi, non autem opponitur feruori qui eſt actus, hic enim etiam ſine veniali peccato per ſolam ceſſationem actus tollitur, vt patet in dormiente, ſi ergo nihil amplius tollit peccatum veniale quã feruorem actus charitatis, idem facit veniale quod ſomnus. *Nec poſſet aſſignari* quomodo peccatum veniale manet habitualiter in anima ſi nihil amplius tollit quam feruorem actus; debet ergo tollere feruorem habitus, qui eſt aliqua perfectio illius habitualis, & non poteſt aſſignari alia quam intenſio: ergo ſic hoc diminuit peccatum veniale, diminuit habitum charitatis.

2 Reſpondetur (omiſſis aliis) peccatum veniale nihil diminuere, & corrumpere de feruore intrinſeco, qui eſt intenſio habitus ſed ſolum impedire promptitudinem, & applicationem illius ad ordinandum in finem illam materiam circa quam peccatur venialiter; vnde macula venialis non importat priuationem corrumpentem formam habitus, ſed impedientem applicationem eius, vt dicit *S. Thom.* 1. 2. *quæſt.* 89. *art.* 1. *&* 3. *part. quæſt.* 87. *art.* 2. *&* 3. Idque explicat exemplo candoris, & pulchritudinis quæ maculari poteſt, vel per priuationem corrumpentem aliquid candoris, vel decoris, vel per extrinſecam appoſitionem alicuius impedimenti, v. g. luti, vel pulueris impedientis ne candor appareat. Quare peccatum veniale non opponitur feruori intrinſeco charitatis, ſed extrinſeco, qui eſt promptitudo quædam, & carentia impedimenti ad operandum circa aliquam materiam, quia per adhæſionem inordinatam venialis peccati ad aliquid temporale impeditur, charitas exercere circa illam materiam ordinem in finem actualiter, & virtualiter. Et ſicut *D. Thom.* 2. 2. *quæſt.* 82. *art.* 1. dicit quod deuotio eſt quædam promptitudo, quæ conſiſtit in motione, & applicatione debita voluntatis ad cultum diuinum; ita charitas cum moueat omnes actus, & virtutes ad finem, debet habere promptitudinem ad applicãdum, & mouendum omnem materiam ad finem, & ſi in hac applicatione impeditur propter aliquem affectum inordinatum circa aliquam materiam, dicitur minui feruor illius quantum ad promptitudinem applicationis, non quantum ad intenſionem habitus. Et quia poteſt homo habitualiter retinere illum affectum inordinatum nõ retractando illum, ideò dicitur minuere feruorem habitualiter, quia habitualiter impedit applicationem, ſicut qui ligatur brachio habitualiter non poteſt mouere illud quandiù eſt ligatus, licet nihil amittat de virtute motiua intrinſeca.

3 Secundò *arguitur*. Quia ad remiſſionem peccati venialis oportet quod aliquid habituale ponatur in anima: nam macula peccati venialis priuatio habitualis eſt: ergo per aliquid habituale debet expelli: ergo etiam è contra macula venialis expellit illud habituale, & ſic diminuitur habitus per venialia, ſiquidem aliquid habituale tollere eſt habitum diminuere.

Multa ſolent diſputari ab expoſitoribus *diu. Th.* circa remiſſionem peccati venialis ad *quæſt.* 9 87. 3. *part.* Pro præſenti ſufficit dicere quod ad tollendam maculam corrumpentem, & priuantem intrinſecus aliqua forma neceſſe eſt infundi formam, ſeu habitum oppoſitum: ad tollendã verò maculam impedientem, etiamſi impedimentum habituale ſit non requiritur infuſio nouæ formæ vt ait *D. Thom. citata loca art.* 2. *ad* 3. Sed hoc ipſo quod tollitur impedimentum extrinſecus appoſitum, forma manet libera & expedita. Sic ergo peccatum veniale habitualiter manens in anima, cum non attingat ipſam charitatem in ſe, ſed per affectum inordinatum circa aliquam materiam temporalem impediat charitatis applicationem, & ordinationem erga illam materiam, aut virtutem, inde eſt, quod quilibet actus, qui formaliter, aut virtualiter retractat illum affectum inordinatũ, expellit peccatum veniale, non addendo aliquam formam, ſed tollendo impedimentum, quod habitualiter retardabat applicationem charitatis: ſicut remouens columna non addit grauitatem lapidi vt deſcendat, ſed tollit impedimentum.

4 Dicunt *tamen aliqui authores*, & valdè probabiliter, quod licet non ponatur noua forma reſultat tamen nouus modus in charitate per ablationem impedimenti, qui modus etiam per peccatum veniale tollitur, quia ſicut lapidem eſſe liberum ab impedimento vt deſcendat, & brachium non manere ligatum vt ſe moueat, & candorem non habere lutum vt appareat, licet ſit ablatio impedimentorum, inde tamen reſultat aliquis modus in ipſis rebus, qui dicuntur expedita, & quaſi modificata ad agendum. Ita charitas ex ablatione impedimenti quaſi expeditur, & reſultat in ea modus quidam non intenſionis formæ, ſed expeditionis à contrario impediente, quia intenſio eſt modus radicationis in ſubiecto: iſte autem modus eſt promptitudo applicationis, & ordinationis erga alias materias. Alij dicunt, quod ſolum eſt extrinſeca denominatio macula relicta ex peccato veniali, & ſic ſufficit elicere actum, vt dicatur tolli ſine reſultantia noui modi.

5 Tertiò *arguitur*. Non eſt inconueniens quod veniale aliquando tollat charitatem ratione alicuius circunſtantiæ: ergo non eſt inconueniens quod diminuat. *Conſequentia patet*, quia ideò negatur, quod venialia minuant charitatem ne deueniamus ad hoc quod per aliquod veniale charitas corrumpatur: ſi ergo non eſt inconueniens, neque erit inconueniens quod diminuat charitatem. *Antecedens verò probatur*. Quia cõſuetudo frequẽs venialium eſt proxima mortalis diſpoſitio ad cadendum in mortale: ſed tenemur vitare omnes proximas occaſiones morales peccandi mortaliter: ergo illa frequentia peccati venialis ratione huius periculi ita obligat ad ſui euitationem, quod ſi non euitetur charitas omnino tolletur.

6 Reſpondetur. Quod in iſto caſu frequentia venialium (ſi eſſet verus caſus) non eſſet peccatum veniale, ſed mortale ratione proximæ diſpoſitionis ad tollendam charitatem, ſed hoc incidit in ſententiam ſuprà refutatam de veniali tollente vltimum gradum gratiæ, quod hoc ipſo fieret mortale: non enim eſt poſſibile tale

præceptum imponi homini de vitando illo peccato vltimo ſub mortali, quia non poteſt ſcire quando eſt vltimum. Sic etiam non poteſt ſciri determinatè quando eſt frequentia ſufficiens ad proximam diſpoſitionem ad mortalem, vt teneatur illam ſub mortali euitare. Vnde dicendum eſt communi ſenſu theologorum apud *Div. Th.* 3. *2. quæſt.* 88. *art.* 4. Quod nec omnia peccata venialia de mundo) quanto magis frequentia vnius poſſunt habere de reatu tantum quantum vnum peccatum mortale, ſed ſolum diſpoſitiuè faciunt peccatum mortale. Si autem frequentia venialium eſſet talis proxima diſpoſitio ad mortale, ſine dubio frequentia venialium faceret peccatum mortale, ratione illius circumſtantiæ periculi.

7 Dico *ergo* quod frequentia venialium non eſt diſpoſitio proxima per ſe loquendo, & directè, ſed per accidens, aut per quandam conſequentiam, vt dicit S. *Thom. ibidem art.* 3. Et diſtingue inter diſpoſitionem proximam quaſi obiectiuam, & extrinſecus mouentem, & inter diſpoſitionem quaſi negatiuam, & ex parte agentis ſe tenentem; nam obiectum, ſeu occaſio attrahens proximè ad peccatum mortale debet euitari ſub mortali, quia efficacia obiecti in attrahendo, cum ſit extra nos, non eſt ita facile impedibilis nec debemus confidere vt occaſionibus nos committamus. Cæterum per peccatum veniale diſponitur agens quaſi negatiuè dum minus ſubjicitur ordine debito, & deſtruitur exercitio, & feruore charitatis, vnde facile labitur in mortale. Hanc autem diſpoſitionem non magis tenemur euitare quam ipſa in ſe ordinata ſit ea natura ſua,

8 ſcilicet ſub peccato veniali.

Vltimo *arguitur*. Non videtur aſſignari ſufficiens diſparitas in aliquibus exemplis. Nam in primis non eſt ratio cur dicamus quolibet demeritorio non minui, præſertim cum poſſit eſſe aliquod veniale ita demeritorium, ſicut aliquis actus remiſſus eſt meritorius. *Item.* Non eſt ratio cur habitus acquiſiti ſola negligentia, & ceſſatione actuum minuatur, habitus autem infuſi non minuantur negligentia venialium, & ceſſatione actuum. *Denique* in amicitia humana, leuiores offenſæ minuunt ipſam amicitiam, & communicationem eius ergo etiam in diuina. Quod & ipſa experientia videtur comprobari, cum ea frequentia venialium tepiditas magna conſurgat, quæ eſt ſignum diminutionis charitatis, ſicut feruentior, & expeditior conatus eſt ſignum argumenti: ideoque tam ſancti quam patres ſolicitè nos admonent de vitandis venialibus quæ ſi nimium creſcant ipſam charitatem faciunt periclitari, & deſtrui.

Reſpondetur eſſe diſparitatem in iſtis exemplis. *In primo quidem.* Quia omnis actus meritorius eſt ordinatus ad finem vltimū vitæ æternæ, illamque meretur; actus autem venialis non eſt deordinatus à fine vltimo, & ſi non poteſt mereri priuationem aliquam habitus charitatis ordinantis in vitam æternam. *In ſecundo exemplo*, habitus acquiſiti non minuuntur, & corrumpuntur ſola ceſſatione actus directè ſed occaſionaliter, quatenus ceſſante actu inſurgunt actus contrarij, quibus tollitur habitus, vel obliuiſcimur obiecti, à quo habitus dependet. Supernaturalis autem habitus non tollitur aliquo actu, niſi inducat priuationem corruptiuam illius, quo veniale peccatum non facit, licet diſponat per impedimentum charitatis, vt inſurgat actus peccati mortalis deſtruens illam. 9

In tertio exemplo: Non minuitur amicitia humana per offenſas leues, quandiù cognoſcuntur eſſe leues, & qui ideò amicitiam numeret quantum ad interiorem amorem irrationabiliter procederet: benè tamen poſſunt impedire aliquam communicationem extrinſecam, ſicut faciunt peccata venialia. *Vel ſecundo.* Amicitia humana multum dependet ab extrinſeco, ita quod ſola ceſſatione communicationis poteſt diſſolui, quæ ſi per leues offenſas impediatur, diſſoluetur tandem amicitia. At verò amicitia diuina conſiſtit in habitu infuſo ſemper de ſe permanente, niſi culpa mortali tollatur. *Neque experientia aliquid in oppoſitum comprobat*, quia illa tepiditas non eſt ea diminutione intrinſeca, ſed ea impedimento extrinſeco, quod ſi tollatur poterit etiam habere feruorem charitas, promptitudinis, & applicationis erga illam materiam ordinandam in finem ſine hoc quod intrinſecus habitus charitatis reddatur intenſior: vnde non eſt ſufficiens ſignum augmenti, aut diminutionis intrinſecæ. Scriptura autem, & patres quando commendant euitationem venialium, non dicunt venialia minuere charitatem intrinſecè, aut corrumpere, ſed ſufficit quod diſpoſitiuè. Et hæc etiam ſufficiant per tota iſta materia. 10

QVÆSTIO LXIV.

DE HOMICIDIO.

ABSOLVTIO tractatu de virtutibus Theologicis eodem ferè ordine procedit *S. Thom.* ad explicandas virtutes Cardinales, quæ ſunt *prudentia*, *iuſtitia*, *fortitudo*, & *temperantia*, & in qualibet quinque conſiderat. *Primò* ipſam virtutem ſecundum ſe: *Secundo* partes eius: *Tertiò* donum ei correſpondens. *Quartò* vita oppoſita: *Quintò* eius præcepta. Inter pertinentia autem ad materiam iuſtitiæ primò occurrunt partes ſubiectiuæ, ſeu ſpecies illius, quæ ſunt tres, ſcilicet *iuſtitia legalis*: *diſtributiua*, & *commutatiua*: cum enim iuſtitia conſtituat ordinem ad alterum poteſt iſte ordo conſiderari vel inter partem, & partem,

tem, ideſt, inter duas perſonas priuatas; vel inter totum, & partem, vel è conuerſio inter partem, & totum. Primò modo conſtituitur *iuſtitia commutatiua*. Secundò modo *diſtributiua*, quatenus à capite deriuatur ad partes reipublicæ conueniens diſtributio. Tertio modo eſt *iuſtitia legalis*, qua quælibet perſona reſpicit bonum commune, & debitum legis.

Explicatis iam ſpeciebus iuſtitiæ, & earum actibus agit *S. Thomas* de vitiis oppoſitis Et primo de peccato oppoſito iuſtitiæ diſtributiuæ, quod eſt *acceptio perſonarum*, quæ attendit ad conditionem perſonæ, & non ad proportionem cum præmio. Et de hoc agit *quæſt. 63*. Secundo agit de vitiis oppoſitis iuſtitiæ commutatiuæ, quæ ſunt in multiplici differentia, & ita agit de illis vſque ad *quæſt. 78*. Poſſunt autem ſic in ordinem redigi. Nam iuſtitia commutatiua verſatur circa commutationes rerum: poſſunt autem commutationes iſtæ fieri vel cum conſenſu, & voluntate vtriuſque partis, & ſic propriè ſunt actiones commutatiuæ: vel poſſunt fieri altero inuito ſeu patiente, & ſunt commutationes inuoluntariæ. Circa commutationes inuoluntarias poteſt committi iniuſtitia, ſiue iniuria, vel facto, vel Verbo: facto vel in perſonam propriam; vel inconiunctam: vel in res poſſeſſas. Si primo modo aut fit iniuſtitia per *homicidium*, & de hoc agit *S. Thom. quæſt. 64*. Vel per pœnalem tractationem perſonę vt per mutilationem, verberationem, incarcerationem, &c. Et de hoc agit *quæſt. 65*. Si in perſonam coniunctam, vel in vxorem per adulterium; vel in filiam per ſtuprum; vel in conſanguineam per inceſtum, & de his agit infra tractando de ſpeciebus luxuriæ. In res autem poſſeſſas fit iniuria ſi accipiantur inuito domino, vel per furtum occulte; vel per rapinam manifeſtè, & violenter. Et de hoc agit *quæſt. 66*.

Quot verò modis fiat iniuria Verbo, ſiue in iudicio, ſiue extra iudicium conſiderat deinceps *Sanct. Doctor*, & nos in præſenti omnittimus, latiùs enim de his egimus in tractatu de connexione partium, & ordine quæſtionum, vbi iſta videri poſſunt, ad tractatus de homicidio, & irregularitate à vobis expoſtulatos properantes. Quos quidem ſub breuitate perſtringemus, articulos *D. Thomæ*, vbi opus fuerit vnica commentatoria diſputatione percurrentes.

EXPLICATIO LITTERÆ DIVI THOMÆ.

IN articulo 1. inquirit S. Thomas *vtrum occidere quæcumque viuentia ſit illicitum*: Conſtans eſt apud omnes reſolutio *D. Thomæ* negans in præſenti illicitam eſſe quorumcumque viuentium (præter hominem) occiſionem. Probat *S. Doctor* ex Auguſtino lib. 1. de ciuitate cap. 20. dicente, *cum audimus, non occides non accipimus hoc dictum eſſe de fructetis quia nullus eſt eis ſenſus; nec de irrationalibus animalibus, quia nulla nobis ratione ſociantur. Reſtat ergo quod intelligamus de homine quod dictum eſt non occides.* Ratione probat. Quia nullus peccat per hoc quod vtitur re aliqua ad hoc ad quod eſt; inferiora autem creata ſecundum *Ariſtotel.* fuerunt propter ea quæ ſunt perfectione præſtantia; vt herbæ propter animalia, reliqui fructus, & animalia ipſa propter hominem, vtpote quę viuentia adiumento nobis ſunt, & mortua in cibum, veſtitum, & in alios vſus. Licitum ergo eſt plantas mortificare in vſum animalium, & animalia in vſum hominum occidere.

Concluſio iſta vſque adeo vera eſt, vt ſit etiam veriſſima fidei Catholicæ confeſſio, cuius contrarium ſenſit manicheorum hæreſis vt loco citato *Auguſtinus* refert, & 6. etiam *contra fauſtum manicheum*. Aiebant enim veſani illi animalium animas membra eſſe Dei, & ideo impium eſſe eorum carnibus veſci. Quæ quidem hæreſis præterquam quod ab Auguſtino refutatur, expreſsè etiam *Geneſ. 9.* euincitur, vbi aſſeritur. *Omne quod mouetur erit vobis in cibum*; & multis aliis in locis tam veteris, quam Noui Teſtamenti, vnde nulli de præfata concluſione licet dubitare.

In articulo 2. inquirit *vtrum ſit licitum occidere peccatores?* In quo à brutis pecoribus primus gradus ſit ad improbos, ſeu maleficos homines, qui à ſua per peccatum degenerantes, in inferiorum naturam Dauidis teſtimonio deſciſcunt. Dubitatur ergo an illos liceat morte multare. Concluſio *S. Thomæ* eſt affirmatiua, quam probat primo in *argumento ſed contra* ex illo Exod. 22. *Maleficos non patieris viuere*: & ex Pſal. 100. *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ*. Perpulchra eſt ratio D. Thomæ prædictæ concluſionis probatiua, quam ex ſuperiori articulo deduxit; in quo quidem definiuit ob id licere animalia bruta ma[illegible]i quia in noſtrum vſum ſunt ordinata, ſicuti imperfectius ad perfectius. Ergo cum omnis pars facta ſit à natura propter totum corpus, atque adeò vbi ſaluti hominis neceſſarium eſt membrum putridum reſecatur ne contagione cætera membra deperdat: & ſinguli ciuium totius ſint reipublicæ partes, conſequens ſit vt ibi incolumitati reipublicæ expedierit, ipſa ius habeat ciuem morte reſecandi ne totam inficiat.

Scotus in 4. diſt. 15. q. 3. aſſerit illud præceptum *non occides* generale, & vniuerſale eſſe vt conſtat ex *Exodo*, vbi abſolutè ponitur, & ex 5. *Matth.* vbi etiam abſolutè refertur. Ex quibus infert non licere publicis magiſtratibus interficere maleficos, niſi eos quos Deus, vel lex diuina iuſſerit interficere; & ſic licere fures nocturnos occidere, quia antiquitus id iuſſit Deus lege; neutiquam verò diurnos ſicut neque adulteras morte mulctare, quia licet id Deus in lege antiqua præcepit, *Ioannis* tamen 8 id abrogaſſe videtur, mulierem adulteram (de qua ibi fit mentio) abſoluens.

Nihilominus falſo inniti Scotum fundamento ex eo probatur. Quia falſum omnino eſt præceptum illud *non occides* ſic generaliter, & vniuerſaliter intelligi, vt cunctas in vniuerſum hominum occiſiones comprahendat, cum ad *Roman. 13.* loquens Paulus de magiſtratibus publicis dicat: *Non ſine cauſa gladium portat, Dei enim Miniſter eſt, vindex in ira ei, qui male agit.* Ergo licitum erit prædicto vti gladio ad occidendum, & reſecandum membra putrida, & reipublicæ nociua.

Nec

Nec ſufficit dicere Licitum eſſe gladio vti ſolùm in caſibus in lege antiqua expreſſis, *Tum*, Quia inuaſorem inculpata tutela transfigere licitum eſt in communi omnium ſententia, & tamen lege veteri id expreſsè non habetur. *Tum*, ad hominem contra *Scotum*, Quia ex ſua ſententia adhuc hodiè non liceret fures nocturnos occidere; ſiquidem lex antiqua quantum ad iudicialia abrogata eſt in morte Christi, & In lege noua nulla eſt lex lata de interficiendo quocumque homine. *Tum*, quid ſecuriùs, quidvè ſanctiùs quam hæreticos igne cremare? Nec tamen Deus legem aliquam de hoc tulit. *Tum denique*, quia Deus qui eſt auctor naturæ per leges poſitiues non deſtruit legem naturæ, quin potius perficit, ſed ſecundum Scotum præceptum illud *Non occides* eſt præceptum naturale, ergo legitimus eius ſenſus erit, quem ratio nos naturalis docet, & conſequenter eo vſque generale erit quovſque natura vitam vult humanam conſeruari, ergo in caſibus in quibus naturalis ratio hominis occiſionem aut iubet, aut permittit, licitum erit homines interficere.

Ex quibus infertur pro pleniori totius articuli intelligentia, quod aggreſſoris interfectio non eſt prædicti præcepti exceptio, quia tale homicidium non eſt vetitum à natura, ſicut neque malefactorum extinctio, quæ publica fit authoritate, quoniam vnquam fuit tali præcepto comprehenſa. Quo enim ſe quiſque iure tueri poteſt cum hoſtis internecie, & quo poteſt ſibi membrum amputare, vt ipſe ſit ſoſpes, poteſt reſpublica ſe incolumem per ciuis necem obſeruare. Vnde Princeps qui licet recta ratione doctus poteſt leges nouas facere mortis inflictiuas. De quo *in leg. capitalium. ff. de pœnis.* Vbi incendiariis, atque aliis pœna capitis decernitur, & Parricidæ in dolium occluſi ſubmerguntur; Hæretici exuruntur, Læſores maieſtatis meritiſſimò dilaniantur, &c.

In articulo 3. Inquirit *Vtrum occidere Hominem peccatorem liceat priuata perſonæ*; Et *concluſio eſt negatiua*, Videlicet, non licere vnicuilibet priuato ſceleroſum hominem occidere, ſed ſoli reipublicæ, Principi, ac publico magiſtratui. Hanc probat *ex Auguſtino* lib. 1. de ciuit. Dei cap. 26. dicente. *Qui ſine aliqua publica adminiſtratione maleficum occiderit velut homicida iudicabitur: & tanto amplius quanto ſibi poteſtatem a Deo non conceſſam vſurpare non timuit.*

Ratione in corpore ſic. quia licitum eſt facere quod ad ſalutem totius communitatis ordinatur, ſed malefactorem occidere in commodum vergit totius communitatis, ergo illi præcisè incumbit, bit, cui cura commiſſa eſt, & cuſtodia communis boni: quemadmodum amputatio membri, quæ proficua eſt corpori, medico præcisè incumbit cui cura infirmi demandatur. Cura autem communis boni commiſſa eſt Principibus habentibus publicam authoritatem; eis ergo ſolum licet malefactores occidere non autem priuatis perſonis.

Hic ſolum notatu dignum eſt, cur illi priuato fas ſit alterum occidere, nec etiam in vindictam ſui ipſius? Et præter rationem dictam D. Thom. conſtat hoc, ex eo quod ſi eidem ipſi qui iniuriam paſſus eſt, vindictam commiſiſſet natura, nemo non ſe vltra iuſtum vindicaſſet. Dolor enim illatæ iniuriæ mentem obcæcat, affectumque in rabiem inflammat, atque adeo nemo ſe quam iuſtè deberet, ſed quam poſſet maximè vindicaret. Quod experientia conſtat in pernicioſo nobilium abuſu, qui honoris cæremonias tam ſuperſtitioſè perſequuntur, vt pro parua adhuc iniuria homines morte afficiant. Cum ergo iuſtitiæ virtus non animo perturbato, ſed integro iudicio mandari debeat executioni temperamento rationabili quam maximè ordinatum fuit, vt non pars læſa, ſed communis perſona, omnique affectione libera iniurias vlciſceretur.

Hic controuerti ſolet. An cuiuis ciuium liceat priuatim tyrannum extinguere cuius ſolutio pendet ex diſtinctione quam in præſenti adhibet *Caietanus.* Dupliciter enim contingit aliquem eſſe tyrannum. Quidam eſt tyrannus in modo tantum regendi, ſiue regni, aut potentatus adminiſtratione, quam iuſtè tamen adeptus fuit, vt pluries contingit quod veri domini tyrannicè regunt, ad ſuam vtilitatem omnia conuertentes, diſcordias inter ſubditos ſeminantes, aut nutrientes vt ipſi lucrentur, vel exaltentur: Et talem non licet alicui priuatim occidere: cum enim ius habeat ad regnum non eſt illo niſi per publicum iudicium expoliandus. Aliter quempiam contingit eſſe tyrannum in ipſo iure dominij, ſeu potentatus acquiſitione, quia ſcilicet vſurpauit ſibi dominium vi armorum, vel aliàs iniquè, & talis à quolibet de populo licitè occidi poteſt pro populi libertate, quando videlicet non eſt recurſus ad ſuperiorem à quo poſſit iuſtitia fieri de huiuſmodi inuaſore. Si enim reſpublica ſuperiorem habeat ille adeundus eſt vt remedio ſuccurrat. Sin vero illa poteſt in ipſum coarmari, & quilibet ciuium illum interimere. Talis enim tyrannus eſt hoſtis populi habens continuum bellum iniuſtum populo, inuaſor namque illius eſt, & oppreſſor libertatis, ſeu iuris publici, bellumque quo populum inuadens ſeipſum nominauit Dominum, alioſque coegit ad recognoſcendum ſe vt talem, nulla eſt pace terminatum, nec tregua interruptum, ſed ſuccumbens iacet populus ergo bellum ex parte populi iuſtum eſt, & ex parte tyranni iniuſtum. Ergo quilibet de populo contra tyrannum inſurgens bellum iuſtum agit, ergo auctoritate iuſti belli, quæ eſt auctoritas publica quilibet ciuium illum iuſtè interimere poteſt. Et ſic *Iudic.* 3. Aioth perſona priuata occidit Eglon Regem Moab pro liberando populo ab eius ſeruitute, & multa alia exempla, quæ videri poſſunt apud magiſtrum *Bañez*, & magiſtrum *Soto lib. 5. de iuſtitia, & iure.*

In articulo 4. inquirit *Vtrum occidere malefactores liceat clericis?* Et *Concluſio eſt negatiua.* Conſtat ex illo Pauli 1. ad Timoth. 3. *Oportet Epiſcopum ſine crimine eſſe, non violentum non percuſſorem.* Ratione probat illam dupliciter *D. Thomas.* Primò. quia clerici electi ſunt ad altaris miniſterium, in quo Christi paſſio recolitur, & Christus occiſus repræſentatur, qui cum percuteretur non repercutiebat, ergo percutere, ſeu occidere clericis non licet cum ipſorum capiti debeant conformari. *Secundò*; quia clericis commiſſum eſt miniſterium nouæ legis, in qua quidem non determinatur pœna occiſionis, vel mutilationis. Vt ergò idonei miniſtri ſint noui teſtamenti à talibus debent abſtinere.

Quo autem iure clericis effuſio ſanguinis interdicatur, ſolet in præſenti requiri. Breuiter tamen dicendum exiſtimo prohibitionem hanc ſolùm eſſe de iure merè poſitiuo Eccleſiaſtico, Eccleſia enim id meritò ſanxit ratione decentiæ, & honeſtatis ad Sacerdotale miniſterium requiſitæ. De quo

Gratianus

Gratianus in fronte diſtinct. 45. vbi *Canon. Neminem*, & *Canon. Epiſcopum*, eadem habetur prohibitio.

In articulo 5. Inquirit, *Vtrum liceat alicui occidere ſe ipſum?* In quo etiam concluſio eſt negatiua, videlicet, *Nemini fas eſt ſe ipſum occidere, & qui contra facit grauiſſimi peccati mortalis reus ſit.* Probat ex Auguſtin. in 1. de ciuit. Dei cap. 20. dicente: *Reſtat vt de homine intelligamus illud quod dictum eſt non occides, nec alterum; ergo nec te.* Vt ratione probet prædictam concluſionem tripliciter conſiderat hominem *S. Doctor.* Primo ſecundum ſe, & abſolutè. *Secundo* vt pars eſt totius communitatis, & Reipublicæ, *Tertiò* vt effectus Dei. Et omnibus iſtis modis conſideratus homo ſemper grauiter peccat ſe occidendo. *Primò.* Quia ſi homo ſecundum ſe ipſum conſideretur, contra ſuam naturam, & inclinationem, & amorem facit ſi ſe occidat, quælibet enim res naturaliter ſe amat, & conſeruat ſe, ergo ſui ipſius occiſio contra naturalem legem, & contra charitatem exiſtit. *Secundò.* Quia homo conſideratus vt pars totius Reipublicæ in bonum totius ordinatur, & id quod eſt, communitatis eſt, vnde in hoc quod ſe ipſum interficit iniuriam irrogat communitati, vt ait *Philoſoph.* 5. *Ethic. Tertiò.* Quia conſideratus vt effectus Dei, vitam humanam habet tanquam donum diuinum, à Deoque ſubinde pender tanquam propria eius poſſeſſio; ergo dum ſe ipſum perimit in Deum peccat, ſicut qui alienum ſeruum interficit, in Dominum peccat cuius eſt ſeruus.

In art. 6. Inquirit *Vtrum liceat in aliquo caſu interficere innocentem?* Concluſio eſt negatiua, conſtatque ex illo Exod. 23. *Inſontem, & Iuſtum non occides* Ratione probat ſic S. *Doct.* Nam vel homo ſecundum ſe conſideratur, & ſic nullum occidere licet, quia in quolibet etiam peccatore debemus amare naturam quam Deus facit, quæ per occiſionem corrumpitur: vel conſideratur in ordine ad bonum commune, & in ordine ad hoc fit licita peccatorum occiſio; vita autem Iuſtorum eſt conſecutiua & promotiua boni communis, quia ipſi ſunt principalior pars multitudinis; ergo nollo modo vitam innocentum adimere licet. Doctrina eſt manifeſta, proceditque de innocente, qui non ſolum eſt innocens in re, ſed neque probatur nocens: non verò de innocente qui licet reuera innocens ſit legitimè tamen probatur nocens. De hoc enim An ſit licitum illum morte afficere diſputari ſolet *lib.* 5. *de iuſtitia, & Iure*, vbi videri poteſt *Magiſter Soto quaeſt.* 4. *art.* 2.

In articulo 7. Inquirit *Vtrum liceat alicui occidere aliquem ſe defendendo? Et Prima concluſio eſt.* Si aliquis ad defendendam propriam vitam vtatur maiori violentia, quam oporteat, erit illicita defenſio *Ratio eſt.* Quia actus proueniens ex bona intentione finis ſi non ſit proportionatus fini fit illicitus. *Secunda Concluſio* Si in defenſionem propriæ vitæ; quis moderatè vim repellat licita erit defenſio. *Ratio eſt.* Quia Secundum iura vim vi repellere licet cum moderamine inculpatæ tutelæ. *Tertia Concluſio* Nulli Priuatæ perſonæ habenti ſolum priuatam authoritatem licebit intendere occiſionem ſui aggreſſoris. *Ratio eſt.* Quia hoc intendere ſolum pertinet ad publicam authoritatem.

Quarta *Concluſio.* Habenti publicam authoritatem licitum erit in defenſionem propriæ vitæ intendere mortem aggreſſoris. *Ratio eſt.* Quia ſic intendens aggreſſoris mortem refert hoc ad bonum publicum; vt conſtat in Milite, pugnante contra hoſtes, & in miniſtro Iudicis pugnante contra Latrones. *Quinta Concluſio.* Adhuc iſti ſi priuata libidine moueantur ad hoc peccant. *Sexta Concluſio in ſolutione ad* 4. Actus fornicationis, ſeu adulterij non ordinatur in defenſionem, aut conſeruationem propriæ vitæ ex neceſſitate, ſicut actus ex quo quandoque ſequitur occiſio aggreſſoris.

In articulo 8. Inquirit *Vtrum aliquis caſualiter occidens hominem incurrat homicidij reatum? Prima Concluſio fundamentalis.* Caſualia in quantum huiuſmodi non ſunt peccata. *Ratio eſt.* Quia peccatum debet eſſe voluntarium, Caſualia vero inquantum huiuſmodi ſunt præter voluntatem. *Secunda Concluſio.* Contingere poteſt vt id quod non eſt per ſe, & actu volitum ſit per accidens intentum, aut voluntarium in quantum cauſa per accidens dicitur remouens prohibens. *Ratio eſt.* Quia poteſt quis non remouere cauſam homicidij, quam remouere tenetur.

Tertia *Concluſio.* Dupliciter poteſt contingere quod homicidium ſit per accidens voluntarium; vno modo ſi quis det operam rei illicitæ, alio modo ſi quis det operam rei licitæ, non tamen adhibens ſufficientem diligentiam. *Quarta Concluſio reſponſio in quaeſtioni.* Si quia det operam rei licitæ adhibens ſufficientem diligentiam, etiamſi ſequatur homicidium non incurrit homicidij reatum. *Quinta concluſio etiam reſponſiua.* Si quis det operam rei illicitæ, vel etiam det operam rei licitæ non adhibens ſufficientem diligentiam incurrit homicidium reatum. Rationes pro his duabus vltimis concluſionibus ſunt præcedentes concluſiones, quoniam ſunt fundamenta iſtarum. Difficultates quæ circa prædictos articulos aliquo examine indigent ſequenti diſputatione pertingentur.

DISPVTATIO XVII.

De homicidio.

ARTICVLVS I.

Vtrum liceat alicui occidere ſe ipſum?

1 RATIO Dubitandi deſumitur ex eo quod in *Artic.* 5. in quo præſens dubium mouet *S. Thomas* inefficaciter probari videtur Concluſio illius; probat enim occidere ſemetipſum mortale peccatum eſſe, quia contra naturalem inclinationem fit: at non omnis naturalis inclinatio bona eſt; ergo contra illam facere non malum. *Minor patet* Tum quia inclinatio humana in bonum delectabile naturalis eſt, nec ſemper bona, vt conſtat experientia, *Tum* quia ſpeciem, & indiuiduum conſeruare, ſæpè numero malum eſt, eidemque reſiſtere bonum. Vnde virtus temperantiæ, ac fortitudinis, iuſtitia etiam originalis ad refrænandas naturales affectiones nobis donantur; ergo inefficax eſt conſequentia illa, *fit contra inclinationem naturalem; ergo eſt peccatum*, aut reſtat probandum illam inclinationem eſſe bonam.

Pro

2 Pro explicatione dictorum,& dicendorum notandum eſt. Hominem duas ambaſque naturales inclinationes habere, alteram ratione generis,alteram verò ratione ſpeciei. Prima materialis eſt; ſecunda formalis. Quæ quidem inclinationes poſt naturam corruptam ſunt ſibi inuicem contrariæ: *Caro namque concupiſcit aduerſus Spiritum, & Spiritus aduerſus carnem.* Quia tamen illud alicui dicitur *ſimpliciter naturale*,quod formaliter,& ſecundum ſpeciem cõuenit (quod enim competit materialiter, ſolùm ſecundum quid competere dicitur) ideò fit, vt ſecundum rationem facere contrà materialem, id eſt contrà ſenſualem inclinationem, ad hominis perfectionem pertineat. Quando ergò dicitur inclinationem, ſeu amorem vitæ, ſeu conſeruationis vitæ,naturalem eſſe intelligi debet *ſecundum rationem*, & conſequenter contrà illã inclinationem facere peccatum erit. Eſt enim inclinatio naturalis ad viuere,quia eſt inclinatio naturalis ad fœlicitatem conſequendam, quæ quidem niſi per opera à viuente exercita haberi non poteſt.Relinquitur ergò peccatum eſſe ſemetipſum interimere. Vt tamen quale peccatum ſit videamus.

3 *Dico primò.* Occidens ſiue mutilans ſeipſum aut proximum,peccat contrà iuſtitiam in ordine ad remp. & in ordine ad Deum Itaque tale peccatum habet ſpecialem malitiam in ordine ad hæc duo,nec eſt ſolùm generalis, & communis ratio iniuſtitiæ imbibita in omni peccato,ſed eſt ſpecialis in iſto. *Probatur primò in ordine ad rempublicam.* Quoniam etſi admittamus, quod ex mera hominum voluntate pendet remp. conſtituere,conſtituta tamen in ipſam transferunt homines totum ſuum ius,quod ipſi habent, imò quantum ad hoc ſuppoſito quod remp. conſtituunt non eſt aliqua dependentia in rep. à libera voluntate ipſorum, ſed naturali iure habet reſp. poteſtatem,tum ad occidendum malefactores,& bonum commune procurandum; tum etiam ius ſpeciale ad cuſtodiendam vitam ſuorum ciuium. Ergò qui ſeipſum,vel alterum occidit,ſiue mutilat ius reip.violat,quod ipſa habet ad cuſtodiam vitæ ſuorum ciuium.

4 Neque ex his inferas, (vt malè aliqui docuerunt) remp.habere dominium vitæ ciuium,non enim Princeps,velut Deus,poteſt innocentem in mortem adigere,quod ad rationem dominij eſſet neceſſarium, ſed tantùm vt reip. propugnator, inſtique cuſtos. Imò neque ipſe homo fungitur abſoluto ſuorum membrorum dominio, vt poſſit ea dum libuerit ſibi amputare, ſed vt cuſtos vitæ poteſt illa obiicere ad defendendum totum ac partes dum putreſcunt reſcindere. Ita *Sotus lib.5.de iuſtitia,& iure queſt.*1.

5 Ex dictis probata manet prædicta concluſio in ordine ad Deum. Quia Deus habet ſpeciale dominium vitæ, ita vt ſolus ipſe ſit vitæ dominus, vt dicitur Deut.32. *Ego occidam,& ego viuere faciam.* Ergò peccatum ſe occidendi ſpecialem rationem malitiæ habet in ordine ad Deum. *Patet conſequentia*, quia hoc peccatum opponitur ſpeciali rationi iuſtitiæ.

6 *Dico ſecundò.* Hæc malitia iniuſtitiæ tam in ordine ad Deum, quam in ordine ad remp non eſt malitia iniuſtitiæ commutatiuæ. Iſta concluſio quoad vtramque partem videtur ſatis manifeſtè colligi ex doctrina *D. Thom.* ſuprà *qu* 59. *artic.* 3. *ad* 2. Vbi D. Thomas probat peccatum occiſionis ſui ipſius non eſſe peccatum iniuſtitiæ in ordine ad ipſum occiſum,quia iuſtitia,cui opponitur per ſe,& directè iniuſtitia non poteſt eſſe eiuſdem ad ſe ipſum, ſic enim ait. *Aliqua perſona ſingularis poteſt dupliciter conſiderari. Vno modo ſecundùm ſe: & ſic ſi ſibi aliquod nocumentum inferat poteſt quidem habere rationem alterius peccati, puta intemperantia, vel imprudentia, non tamen rationem iniuſtitia, quia ſicut iuſtitia ſemper eſt ad alterum, ita & iniuſtitia. Alio modo poteſt conſiderari aliquis homo,in quãtum eſt aliquid ciuitatis,ſcilicet pars, vel in quãtum eſt aliquid Dei,ſcilicet creatura, & imago. Et ſic qui ſe ipſum occidit iniuriam quidem facit non ſibi, ſed ciuitati, & Deo:& ideo punitur tam ſecundum legem diuinam,quam ſecundum legem humanam.* Ergò optimè ſequitur per ſimilem formalem conſequentiam, quod ſi particularis ciuis is in ordine ad remp. non poteſt habere rationem iuſtitiæ commutatiuæ in iſto caſu, nec etiam cuiuſuis hominis in ordine ad Deum eſt iuſtitia commutatiua,nec erit peccatum iniuſtitiæ commutatiuæ, nec in ordine ad Deum; nec in ordine ad rempublicam.

7 Quod verò nõ poſſit eſſe iuſtitia commutatiua in ciue particulari ad ſuam remp. nec in quocũque homine in ordine ad Deum, patet ex allegata doctrina D. Thom. Ergò optimè ſequitur iuxtà illam quod nec peccatum iuſtitiæ commutatiuæ poſſit eſſe nec in ordine ad Deum,nec in in ordine ad rempublicam cum homo reſpectu vtriuſque comparetur,vt pars,vt effectus., & vt inferior,iuſtitia autem,& iniuſtitia commutatiua verſari debet inter æquales.

8 *Et ſi obiicias cum M.Bannez.* Nam benè poteſt eſſe aliquod peccatum contrà aliquam ſpecialem virtutem in aliquo homine, & tamen quod in illo non poſſit eſſe talis virtus,ſed aliquid aliud excellentius virtute illa, v. g. odium ſui ipſius eſt contrà virtutem charitatis,non ſolum contrà virtutẽm ſupernaturalem, ſed etiam contrà charitatem naturalem, & tamen in nullo homine reſpectu ſui ipſius ponitur virtus naturalis charitatis, ſed ponitur aliquid excellentius; ſcilicet inclinatio naturalis ad diligendum ſe ipſum. Et ſimiliter ſi quis patrem ſuum occideret, aut mutilaret, peccaret contrà iuſtitiam commutatiuam,ſiquidem ſi poſſibilis eſſet reſtitutio teneretur reſtituere ſecundum æqualitatem iuſtitiæ commutatiuæ, & tamen in filio reſpectu patris non eſt iuſtitia commutatiua, ſed aliquid altiùs, ſcilicet pietas:ergò quamuis nõ ſit iuſtitia commutatiua hominis ad Deum,nec ciuis ad remp. poterit tamen eſſe peccatum iniuſtitiæ commutatiuæ in homine illo, & ciue quia eſt in illo excellentior virtus in ordine ad rempublicam, & ad Deum.

9 *Reſpondetur tamen primò.* Quod ſi hæc obiectio aliquid probaret, vtique probaret malam eſſe conſequentiam factam à *D.Th.* in illa ſolutione ad 2. Dum ex hoc quod eiuſdem ad ſe ipſum non poteſt eſſe iuſtitia infert non poſſe eſſe iniuſtitiam, quæ opponitur iniuſtitiæ; hoc autem à multis Thomiſtis eſt admittendum. *Vnde ſecundò reſpondetur in particulari.* Quod obiectio illa eſt parui momenti, nam odium ſui ipſius nullatenùs opponitur virtuti naturalis charitatis, quia talis virtus non poteſt eſſe in homine in ordine ad ſe ipſum; & ſic obiectio illa non probat quod intendit,

ſed potiùs oppoſitum, quia illud odium non eſt verè odium formaliter oppoſitum virtuti. Et idem verificatur in ſecundo exemplo allato, nam cùm non poſſit eſſe virtus iuſtitiæ commutatiuæ filij ad patrem, nullum peccatum poteſt ei opponi, quod ſit iniuſtitiæ commutatiuę; ſed peccatum illud opponitur directè virtuti pietatis, quæ eſſentialiter non eſt virtus iuſtitiæ, ſed ſolùm pars potentialis illius.

10 *Dico tertiò*. Malitia huius peccati in ordine ad rempublicam eſt iniuſtitia oppoſita iuſtitiæ legali: in ordine verò ad Deum habet modum quemdam iniuſtitiæ commutatiuæ per ordinem ad rem ablatam, non tamen per ordinem ad Deum, quemadmodum diximus de merito ſupernaturali beatitudinis; quod habet modum iuſtitię commutatiuæ per ordinem ad præmium non tamen per ordinem ad Deum præmiantem. Et quidem in ordine ad rempublicam probatur concluſio ex teſtimonio *D. Thom.* iam citato, vbi docet quod iniuſtitia, quæ reperitur in occiſione ſui in ordine ad rempublicam, eſt ſicut partis ad totum, ſed iuſtitia, vel iniuſtitia partis ad totum neceſſariò eſt iuſtitia vel iniuſtitia legalis, quia talis immediatè, & per ſe reſpicit bonum commune politicum; ergò vera eſt prima pars noſtræ concluſionis.

11 *Confirmatur, & declaratur iſta ratio.* Nam quamuis inter rempublicam, & aliquem ciuem ipſius poſſit reperiri aliquando iuſtitia commutatiua in aliquibus commutationibus, quia tunc reſpublica ſe habet, ac ſi illa eſſet alius particularis ciuis, ſed tamen quandiù comparatur reſpublica vt quoddam totum reſpectu cuiuſcumque ciuis, non poteſt tunc inter ciuem, & rempublicam reperiri iuſtitia commutatiua, ſed ſolùm legalis ex parte ciuis ad rempublicam, ergò cùm in hoc peccato occiſionis ſui ipſius, vel alterius ratio malitiæ, & iniuriæ per ordinem ad rempublicam conſideretur ſolùm tanquam partis ad totum ſolùm poteſt eſſe iniuſtitia legalis.

12 *Secunda pars concluſionis* probatur ex ſufficienti enumeratione. Quia talis ratio iniuriæ in ordine ad Deum quando quis occidit ſe ipſum, vel alterum non habet rationem iuſtitiæ potentialis contra aliquam virtutem, quæ ſit pars potentialis iuſtitiæ, videlicet contrà religionem, aut pœnitentiam, nec etiam habet rationem iniuſtitię ſubiectiuę, videlicet legalis, quia hęc reſpicit bonum commune politicum; nec etiam commutatiuæ propriæ, & in rigore (vt iam diximus) quia ad rationem iſtam iuſtitiæ commutatiuæ requiritur æqualitas extremorum quatenùs vnum reſpicit alterum per actum iuſtitiæ, ſiuè iniuſtitiæ commutatiuæ, ergò relinquitur quod ſolùm habeat modum iniuſtitiæ commutatiuæ, ſi tamen comparetur hæc ratio iniuſtitiæ ad rem iniuſtè ablatam nempè ad vitam, non tamen ſi comparetur ad ipſum Deum, vt in exēplo de merito, & præmio ſupernaturali diximus.

13 *Ex quo ſequitur* Quod ſi vita ablata poſſet reſtitui ab illo, qui eam abſtulit talis reſtitutio haberet quidem modum iuſtitiæ commutatiuæ per ordinem ad rem ablatam, non tamen eſſet actus iuſtitiæ commutatiuæ abſolutè, quia non eſt æqualitas extremorum inter reſtituentem, & & Deum, ſiue rempublicam. Et id ipſum diximus, ſi reſtitutio vitæ fieret patri à filio qui eam abſtulit.

Dico vltimò, quamuis in peccato occiſionis ſui vel alterius, & ſimiliter in peccato mutilationis reperiatur hæc multiplex ratio malitiæ, hactenùs explicatæ, nempè iniuriæ in ordine ad Deum, & rempublicam, & ad occiſum, nihilominùs non eſt multiplex peccatum abſolutè loquendo; neque etiam in ordine ad confeſſionem. *Probatur*. Quia tunc eſt multiplex peccatum cum multiplici malitia explicanda in confeſſione, quando vna non eſt intrinſeca alteri, etiamſi ſimul in eodem actu reperiantur plures malitiæ, vt ſi quis vellet furari propter mæchiam, & inanem gloriam, ibi quamuis ſolùm reperiatur vnicus actus peccati, eſt tamen triplex malitia, quarum vna alteri non eſt intrinſeca, ſed tantùm coniunguntur ex intentione operantis, & ſic vtraque malitia ſimul explicanda eſt in confeſſione. Cæterùm in actu mutilationis, aut occiſionis illi primariæ malitiæ quæ in illo actu reperitur contrà quintum præceptum decalogi eſt intrinſeca malitia, & intrinſecè annexa, ea quæ deſumitur in ordine ad rempublicam, & ſimul etiam in ordine ad Deum, quibus fit ſpecialis iniuria, ac ſubinde iſtæ malitiæ non ſunt ſeorſùm explicandæ in confeſſione neceſſariò, ſed ſufficit dicere ſe occidiſſe, ſeu mutilaſſe hominem. Ex quibus ad rationem dubitandi à principio poſitam, & ex notabili ante concluſiones pręmiſſo ſatis patet, neque enim ſpecialem aliam exigit expoſitionem. 14

ARTICVLVS II.

An in remedium totius communitatis poſſit innocens tradi tyranno.

HIſtoria eſt de Demoſthene, quem dum Athenienſis ciuitas cuius obſidione opprimeretur, tantùm duo ille hoſtis petebat vt incolumē relinqueret ciuitatem, tunc autem in ſenatu fabulam luporum retulit, qui ab ouibus canes depoſcebant illa vafritie, vt ſecuri poſtea poſſent iuermem, pauidumque gregem irruere. Dubium ergò præſens eò vergit, an, pro ſalute totius reipublicæ liceat innocentem in manus hoſtis perdendum tradere. 1

Affirmatiuè reſpondet *Magiſter Victoria*, poſſe ſcilicet rempublicam id facere, imò ad id teneri, quia tenetur ad omne medium licitum in defenſionem ſui. *Ita in relectione de homicidio*, & cum eo *alij Theologi*, qui pro hac parte plura multiplicant argumenta. Sed tamen potiſſimum eorum poteſt eſſe. Quod talis traditio innocentis non eſt actio intrinſecè mala, ergò propter bonum commune licitè poteſt reſpublica talem actionem traditionis innocentis exercere. *Conſequentia eſt euidens* Quia quidquid intrinſecam malitiam non habet, etiamſi aliàs ſit de genere malè ſonantium, nihilominùs propter aliquod maximū bonum, & propter particularē finem rectum poteſt honeſtari. *Antecedens autem probatur*. Nam ex traditione illa per ſe loquendo non ſequitur mors innocentis, ſed ſolum omninò per accidens, vt potè ab extrinſeca malitia tyranni. Quando igitur ex aliqua 2

actione

14 actione non ſequitur per ſe mors, ſed per acci-
dens, & potiſſimè ex malitia alterius, talis actio
non eſt directa, nec indirecta occiſio. Ergò talis
traditio non habet, quod ſit intrinſecè mala, ſiqui-
dem tota malitia, quæ ibi poteſt conſiderari per
ordinem ad occiſionem ipſius innocentis, quæ
omninò per accidens ſequitur ad traditionem il-
lius factam à republica.

Confirmatur; quia reſpublica propter ſui de-
fenſionem poteſt exponere ciues ſuos euidentiſſi-
mo periculo vitæ, quamuis ſciat certò moraliter
3 mortem illorum ſubſecuturam: ſed tradere tunc
innocentem nihil aliud eſt quam exponere ipſum
euidentiſſimo periculo vitæ propter bonum ip-
ſius reipublicæ; ergò licitè poterit reſpublica id
facere. *Maior eſt certiſſima.* Quia reſpublica quæ
iniuſtum bellum patitur ab inimicis poteſt ne
ciuitas aliqua capiatur exponere ciues ſuos ob
defenſionem ciuitatis euidentiſſimo periculo vitæ,
quia tunc etiam ſi mors ſubſequatur non impu-
tatur reipublicæ, quia ſequitur ex malitia ini-
micorum. *Minor autem in qua eſt difficultas pro-
batur.* Quia Reſpublica per talem traditionem
innocentis ſe ipſam efficaciter defendit à Ty-
ranno: & poteſt, & tenetur ſe ipſam defendere, &
tradito illa innocentis nihil eſt quam defenſio
ipſius Reipublicæ, & expoſitio innocẽtis euidenti
periculo vitæ, nam mors ſubſecuta innocentis cum
ſequatur ex malitia Tyranni, & non ſit intenta
à republica, non imputabitur illi.

Confirmatur Secũdo. Quoniam vita cuiuſcom-
q; ciuis quantumcumque innocentis poſtponen-
da eſt bono communi, non ſecus ac bonum partis
4 integralis alicuius corporis naturalis poſtponẽda
eſt bono totius: ſed ſi tyrannus minetur mihi
mortem niſi ei offeram brachium amputandum
aut linguam, poſſum ei offerre propter conſer-
uandum bonum totius; ergo ſimiliter reſpublica
tyranno petenti aliquem ciuem occidendum, ita
vt ſi ei non offeratur mortem inferet omnibus
ciuibus illius reipublicæ, tunc poterit illa ipſum
innocentem ciuem tradere propter conſeruandum
bonum totius.

Secunda Sententia eſt per extremum oppoſita
præcedenti aſſerens quod tunc reſpublica non
5 poteſt tradere innocentem, nec ipſe innocens
tenetur ſe tradere. Ita tenet *Sapientiſſimus ma-
giſter Soto, lib. 5. de iuſtitia, quæſtione 1. articul. 7.*
quem ſequuntur alij inter quos eſt *Aragon in
præſenti.* Et hæc ſententia innititur fundamento
oppoſito præcedenti ſententiæ.

Tertia ſententia eſt quaſi media inter has duas.
quod videlicet in tali caſu reſpublica non poteſt
immediatè tradere innocentem tyranno; tenetur
6 tamen innocens ſeipſum tradere tyranno in de-
fenſionem ſuæ reipublicæ, & ad hoc ipſum reſ-
publica poteſt illum cogere. quod ſi ipſe noluε-
rit, hoc ipſo fit nocens, ac ſubinde reſpublica po-
teſt illum tanquam nocentem occidere, & conſe-
quenter vnum nocentem tradere tyranno. Hanc
ſententiam tenet in præſenti *Magiſter Bannez,
& Salon, & Leſſius libro ſecundo, cap. 9. dubita-
tione 7.*

In hac difficultate ſupponenda ſunt aliqua vt
certa inter doctores. *Primum eſt.* quod in præ-
fato caſu iſtius difficultatis reſpublica nullo mo-
7 do poteſt talem innocentem, quandiù innocens
eſt, occidere propter defenſionem boni commu-
nis, quia cum talis occiſio ſit intrinſecè mala
nullo quantumcumque bono fine appoſito po-
teſt licitè fieri. *Secundò ſupponendum eſt*, quod
tunc reſpublica non tenetur talem innocentem
defendere, quia cum tam graui periculo boni
communis non tenetur reſpublica aliquos parti-
culares ciues defendere. *Tertiò etiam certum
eſt.* Quod tunc nec talis innocens tenetur ſe
ipſum defendere à tyranno, quia ceſſat tunc obli-
gatio præcepti conſeruandi propriam vitam
propter vitandum maximum nocumentum com-
mune.

An verò poſſit ſe defendere ſi vellet. dubium
eſt? ad quod reſpondeo, quod nec defendere ſe
ipſum à tyranno poteſt, neque fugere, ſed po-
tiùs tenetur pati mortem quoniam tunc non ſo-
lum ceſſat præceptum conſeruandi propriam vi-
tam, ſed pro tunc obligat aliud ſtrictius præce- 8
ptum conſeruandi bonum commune: & cum
aliàs ſit licitum non ſe defendere, & ſit medium
per ſe ordinatum ad conſeruationem bo-
ni communis tenetur innocens ad illud me-
dium.

Alia duo ſupponit Salon tanquam certa &
communia inter doctores, quę tamen neque certa,
neque communia ſunt inter omnes illos. *Alterum
eſt.* quod in tali caſu tenetur ſe ipſum tradere ty-
ranno in defenſionem ſuæ reipublicæ. *Alterum
eſt.* quod in præfato caſu reſpublica poteſt ſtatue- 9
re legem vt innocens ſe ipſum tradat tyranno:
quod ſi noluerit iam tanquam nocens puniri po-
terit. Quæ duo falſum eſt omnes doctores ſup-
ponere, nam plures nihil horum meminerunt.
Alij autem quamuis primum ſupponant, nihilo-
minùs negant ſecundum, inter quos eſt *Sapientiſ-
ſimus Soto vbi ſupra*, qui docet, quod quamuis ex
charitate teneretur tunc innocens ſe ipſum tradere
reſpublica tamen illum ad hoc ipſum cogere non
poteſt, quia reſpublica non poteſt cogere ciues
ſuos ad illud ad quod tantùm ex charitate te-
nentur.

Dico igitur primò. Non loquuntur conſe-
quenter doctores aſſerentes in præfato caſu te-
neri innocentem ſeipſum tradere tyranno,
& tamen quod reſpublica non poſſit ſe ip-
ſam immediatè tradere eundem innocentem ty-
ranno. *Hæc concluſio probatur.* quoniam talis
actio qua innocens traditur tyrãno, vel eſt intrin-
ſecè mala, vtpotè ordinata ex ratione ſua ad ma-
lum finem, vel non eſt intrinſecè mala. *Si primum*,
quemadmodum traditio illa non poteſt fieri im-
mediatè à republica, quia eſt actio intrinſecè mala,
ſimiliter nec fieri poterit, imò multò minus, ab ip-
ſo innocente, quia maius peccatum eſt quod ipſe
ſit cauſa ſuæ occiſionis, quam quod reſpublica. *Si
verò ſecundum.* Tunc ſicut innocens poteſt ſe
ipſum tradere, quia talis traditio non eſt mala, ſed
potiùs bona ob defenſionem boni communis,
poterit etiam talis traditio fieri à republica propter
eandem rationem, ſiquidem reſpublica poteſt
imo tenetur adhibere omnia media, quæ lici-
ta ſunt in ordine ad bonum commune tuen- 10
dum.

Nec valet reſpondere. quod traditio illa qua-
tenùs fit ab innocente, eſt licita, & bona, quia
ille poteſt cedere iuri ſuo, quatenùs verò fit à
republica eſt illicita traditio, quia reſpublica
cedere non poteſt iuri cuſtodiæ innocentis. *Sed
contra eſt.* Quia hoc dictum videtur volunta-
rium omninò. *Et probatur eſſe falſum.* Tum quia
(vt iam diximus ex omnium ſententia, reſpublica
non tenetur in iſto caſu cuſtodire, nec defende-

re Innocentem; vndè illa non poteſt dici cedere iuri cuſtodiæ innocentis, ſiquidem ille non habet ius vt cuſtodiatur à Republica. *Tum* quoniam ille immediatus effectus ſequitur ex vi illius actionis, & traditionis, ſiue actio fiat ab ipſo innocente, ſiue a Republica, qui immediatus effectus eſt innocentem eſſe traditum ſuis inimicis volentibus illum ad occidendum. *Item etiam* idem quod ab innocente intendi poteſt intenditur etiam à republica tradente illum, videlicet defenſio boni Communis, quæ eodem modo ſequitur ſi Innocens ſe tradat, ac ſi tradatur à Republica; ergo actio illa ſiue procedat ab innocente, ſiue à republica eamdem prorſus rationem habet in ordine ad occiſionem ipſius innocentis, ac per conſequens vel reſpectu vtriuſque debet eſſe licita, vel reſpectu vtriuſque debet eſſe illicita. *Tum denique.* Quia ſi vt iſti authores aiunt innocens teneretur ſe tradere, nullatenùs cedit iuri ſuo tradendo ſe ipſum, ac ſubinde falſa eſt doctrina aſſignata ab iſtis in traditione facta ab innocente, vel à Republica.

Dico *Secundo.* In caſu noſtræ difficultatis in-
12 nocens non tenetur, neque ex iuſtitia, neque ex charitate ſe ipſum tradere Tyranno; imo nec poteſt licitè. *Iſta concluſio probatur* primò quatenùs eſt contra Authores tertiæ ſententiæ ratione ad hominem. Quoniam ex dictis in præcedenti concluſione conſtat, quod ſi reſpublica non poteſt innocentem tradere, neque ipſe ſe ipſum: ſed illi Authores fatentur quod reſpublica immediatè, & per ſe ipſam non poteſt illum tradere, ergo, &c.

Secundo *probatur abſolutè concluſio* Nam, ta-
13 lis actio, qua innocens traderet ſe ipſum Tyranno volenti illum ad occidendum habet intrinſecam malitiam, vtpotè ordinatam ex natura ſua ad malum finem; ergo non poteſt fieri ab ipſo innocente. *probat antecedens* Nam illa actio verè eſt occiſio ſui ipſius, nec poteſt habere rationem defenſionis reipublicæ, ac ſubinde habet cauſalitatem in ordine ad mortem ipſius innocentis, nam quamuis in illa actione appareat quidam modus defenſionis, nihilominùs primarius illius eſt innocentem eſſe traditum ad occidendum, ergo quod formaliter ibi relucet, & actionem ſpecificat eſt innocentis occiſio Ergo ex nullo capite teneri poteſt ad id faciendum, nec licitè poteſt facere, ſiquidem eſt actio ſpecificatiuè & formaliter mala.

14 Nec *Reſponderi poteſt.* Honeſtari ratione motiui ſuperioris, quia videlicet fit in defenſionem boni communis, cui poſtponendum eſt omne bonum particulare, ſicut & bonum partis integralis bono totius, ergo ſicut poſſem tyranno minanti mortem ni brachium aut linguam præbeam, linguam aut brachium exhibere, quia partes ſunt, cuius damnum particulare ex bono totius honeſtatur, & vt licitum, ita Tyranno petenti Ciuem ne mortem inferat toti ciuitati, honeſtum erit, & licitum ciuem particularem tradere illi.

15 Non inquam ſatisfacit hæc reſponſio, Fatemur enim quod tyranno minanti mortem ni præbeas linguam, aut brachium abſcindendum, licitè poteris linguam, aut brachium offerre, quia actio illa non eſt cooperatio peccati alterius; ſed potiùs diſpoſitio ad ſuauiùs patiendum, ſiquidem iam aliter euadere non poteris periculum mortis. Qua ratione plures dicunt & meritò, quod miniſtro iuſtitiæ exigenti linguam, aut manum abſcindendam ex iuſta ſententia, tenetur quis parere, & obedire, quia hoc non eſt niſi remota diſpoſitio ad ſuauiùs patiendum. Si tamen hoc haberet aliquam intrinſecam malitiam, nec etiam in ordine ad iudicem poſſes linguam, aut manum abſcindēdam tradere. Non eſt autem eadem ratio de traditione innocentis vt expoſitum eſt in concluſionibus, ſiquidem eſt cooperari manifeſtè ad actionem iniuſtam & malam, quod nemini nullatenùs licitum eſſe poteſt. Per quæ patet ad argumenta quibus propoſita Sententiæ fulciuntur, quæ laxiori ſtylo in authoribus citatis poterunt videri.

ARTICVLVS. III.

An ſit licitum alicui in defenſionem propria vita occidere alium cum moderamine inculpata tutela?

PRima Sententia extrema eſt aſſerens nullo 1
modo licere alicui defendendo ſe cum moderamine occidere aggreſſorem. Cuius Authores, & Fundamenta infra in ſolutione argumentorum referemus. Secunda ſententia per extremum oppoſita præcedenti aſſerit, quod non ſolum poteſt quis ſe ipſum defendere cum occiſione aggreſſoris, verum quod ad id teneatur. Tertia ſententia eſt media inter iſtas duas extremas aſſerens, quod poteſt quis ſe ipſum defendere cum occiſione aggreſſoris; non tamen tenetur. Hæc ſententia communis eſt inter Antiquos, & Modernos theologos, quæ per omnia a nobis etiam amplectenda. Quo circa eius fundamenta infra explicabimus. Quarta ſententia & eſt media inter illas duas extremas, & partim conuenit cum tertia ſententia, & partim diſſentit ab illa. Conuenit cum illa quantum ad hoc, quod non tenetur quis ſe ipſum defendere, etiam quantum ad id, quod quis poteſt ſe ipſum defendere cum occiſione aggreſſoris. Diſſentit tamen ab illa tertia ſententia quantum ad hoc, quod quando quis eſt in culpa vt inuadatur ab aggreſſore non poteſt ſe ipſum defendere cum occiſione aggreſſoris, ſed peccabit quomodocumque ſequatur mors aggreſſoris.

In hac diſputatione quatuor ſunt quæ habent
ſpecialem difficultatem. *Primum eſt.* An teneatur 2
quis ſe ipſum defendere? *Secundum,* An ſit licita defenſio cum morte proximi ſubſecuta? *Tertium eſt* de conditionibus neceſſarijs, vt iuſta, & moderata ſit defenſio, etiamſi ſequatur mors aggreſſoris. *Quartum eſt* circa ipſam rationē fundamentalem *D. Thom.*

Circa primum igitur dico *Primo.* Quando ag-
greſſus bonis coniecturis exiſtimat ſe eſſe in gra- 5
tia, & vult pati mortem propter vitandam æternā damnationē aggreſſoris, licitè poterit ſe nō defēdere occidēdo aggreſſorē. Iſta cōcluſio ſatis conſtat ex eo, quod tunc coniungitur aliud maius bonū, quā conſeruatio propriæ vitæ; vtrumque autem bonum ſimul conſequi poteſt (in hoc enim caſu loquimur) ergo nunc propter maius bonū conſequēdū ceſſat pro tunc obligatio præcepti cōſeruandi propriam vitā. Dubitabis tamen, An etiam

propter

propter temporale bonum poſſit quis ſe ipſum non defendere? Ad hoc

4 *Dico Secundo.* Quod propter vitandum aliquod maximum nocumẽtum Reipublicæ, propter aliquod maximum bonum Commune poterit quis ſe ipſum non defendere cum occaſione aggreſſoris v. g. ſi aggreſſor eſſet Rex, aut Princeps Reipublicæ, cuius gubernatio maximè neceſſaria eſt bono Communi. Et ſimiliter ſi aggreſſor eſſet aliquis magnus Dux, aut Reipublicæ maximè neceſſarius, præſertim ad defendendam illam ab Hoſtibus, tunc agreſſus poteſt ſe non defendere cũ occaſione aggreſſoris *Et Ratio huius Concluſionis* eſt eadem prorſus quam fecimus pro præcedenti Nam damnum commune maioris nocumenti eſt damnum quod aggreſſus poteſt incurrere ex amiſſione ſolum temporalis vitæ. Nam vt ſupponimus bonis coniecturis exiſtimat ſe eſſe in gratia; quare pro tunc ceſſat obligatio conſeruandi propriam vitam propter maius bonum conſequendum.

5 *Dico Tertio.* Propter conſeruandam ſolum tẽporalem vitam aggreſſoris, aut propter aliud quodcumque bonum temporale particulare, quantumcumque maximum, non poteſt agreſſus prætermittere defenſionem ſui, etiam cum occaſione aggreſſoris, ſed tenetur ſe defendere tali occaſione ſubſecuta *Probatur Concluſio quoad priorem partem de vita aggreſſoris.* Quia illa cum ſit particularis perſonę non eſt maius bonum reſpectu aggreſſi, quam conſeruatio propriæ vitæ, quin potiùs è conuerſo; ergo tunc non ceſſat obligatio conſeruandi propriam vitam, ſed potius currit. *Quo ad ſecundam verò partem probatur.* Quia bonum particulare temporale, quantũuis maximum, eſt minoris momenti & inferioris ordinis, quam vita. *Et ſi inquiras.* An quando quis poteſt ſe non defendere cum occaſione aggreſſoris propter maius bonum conſequendum vt in caſu, primæ & ſecundæ Concluſionis, teneatur etiam tunc ſe non defendere? Ad hoc

6 *Dico quarto.* In caſu primæ concluſionis non tenetur quis ſe ipſum non defendere cum occaſione aggreſſoris: at in caſu ſecundæ concluſionis tenetur ſe non defendere com occaſione aggreſſoris *Prima pars Concluſionis probatur.* Nam quamuis ſit multò maius bonum vita ſpiritualis proximi, quam conſeruatio vitæ temporalis aggreſſi, & aliquando teneatur quis propter vitam ſpiritualem proximi pati mortem temporalem, tamen tunc tenetur ad id quando amiſſio temporalis vitæ eſt medium per ſe ordinatum ad vitam ſpiritualem proximi lucrandam. At in caſu primæ concluſionis amiſſio temporalis vitæ aggreſſi non eſt medium per ſe ordinatum ad ſpiritualem vitam proximi, quoniam ex hoc quod aggreſſor conſeruetur in vita temporali, non ſequitur quod ſpiritualem vitam animæ acquirat, & quod poſtea æternam damnationem euadat, ſiquidem poteſt contingere, vt poſtea in ſuo peccato perſeueret, & in illo, aut in alio moriatur. ergo hoc medium, videlicet quod quis ſe non defendat com occiſione aggreſſoris, non ſolùm eſt per accidens, ſed etiam eſt inefficax medium, ergo aggreſſus tunc non tenetur illud apponere.

7 *Sed obiicies.* Nam ad media per accidens tenetur quis aliquando, vt ſi in via inuadatur à latrone, & exigat latro ab illo centum aureos alioquin ipſum occidet, tunc offerre illa centum eſt medium per accidens ad euitandam mortem, & tamen tenetur ad illum propter vitæ propriæ defenſionem.

Ergo reſpondetur. Quod quamuis hoc ſit 8
medium ex natura ſua per accidens, & inefficax ad finem conſequendum, at in caſu illo ſupra poſito ſit efficax medium ad tuendam vitam à latrone. In caſu autem noſtræ concluſionis ſuppoſito, adhuc medium illud eſt inefficax, & ſic non tenetur ad illud, tenetur autem ad exhibendum centum aureos in alio caſu. *Sed adhuc obiicies.* Quod etiam ſi ſit medium efficax, aliquando tamen non tenetur ad illud quis, vt ſi proximus inuadatur à latrone, & exigat ab illo centum, alioquin illum occidet, non teneor ego offerre cẽtum illa pro ſaluanda vita proximi, quamuis ſit medium efficax, ad hoc illa offerre; ergo ex hoc quod ſit medium efficax, ſi tamen ſit medium efficax, ſi tamen ſit medium per accidens non cadit ſub præcepto.

Reſpondetur, quod ex hoc efficax deſumitur 9
argumentum pro noſtra concluſione Si enim ad medium per accidens, quod aliàs ſit efficax aliquando quis non tenetur, multò minùs tenebitur ad medium per accidens, quod eſt inefficax. Et ſi inquiras quando teneatur homo ad media per accidens, & quando non teneatur? *Reſpondetur.* rem iſtam eſſe difficilem explicatu, ac proinde in pluribus caſibus prudentia potiùs diiudicandum erit quam ſcientia.

Duæ tamen ſe offerunt regolæ ad hoc expli- 10
candum. *Prima eſt.* Quod quis tenetur ad media per acidens, ſiue efficacia ſint, ſiue inefficacia in ordine ad ipſum. Itaque tenetur pati quodcumque detrimentum, ſi ſit inferioris ordinis, potiùs quam detrimentum proprium ſuperioris ordinis, quod tenetur vitare, ſi tamen tale detrimentum inferioris ordinis contineatur intra media communia, & ordinaria & regularia. *Secunda regula eſt.* Quod in ordine ad proximum tenetur etiam ad illa media per accidens, ſiue efficacia ſint, ſiue inefficacia in quibus patitur leue detrimentum, ad illa verò media per accidens in quibus graue patitur detrimentum, etiamſi efficacia ſint non tenetur. *Et ratio* differentiæ vtriuſque regulæ colligitur ex illo principio videlicet, quod præceptum affirmatiuum non obligat ad omnia media poſſibilia, neque omnia æqualiter obligant, ſed magis vel minus, quatenus magis vel minùs ſtricta ſunt præcepta. Et quia præceptum, quo quis tenetur conſeruare propriam vitam ſtrictiùs eſt, quam præceptum conſeruandi, & defendendi vitam proximi, ideo ad aliqua media poſſibilia obligat hoc præceptum reſpectu ſui ipſius, ad quod non obligat reſpectu proximi.

Ex quo ſequitur manifeſta probatio noſtræ concluſionis quoad primam partem. Nam quod aggreſſus patiatur detrimentum vitæ temporalis, eſt medium omninò per accidens, & inefficax in ordine ad bonum ſpirituale aggreſſoris, & ex alia parte eſt grauiſſimum nocumentum aggreſſi.
ergò non tenetur aggreſſus ad illud medium. 11
Secunda vero pars noſtra concluſionis probatur. Quoniam exponere vitam temporalem pro bono communi reipublicæ eſt medium per ſe ordinatum ad illud bonum, & in tali caſu ipſum bonum reipublicæ pendet ex hoc quod vita aggreſſoris conſeruetur: ergò ad

hoc medium tenetur aggreſſus, & non poteſt conſeruari vita aggreſſoris ſine morte ipſius aggreſſi, ergo potius tenetur pati mortem, quam ſe defendere cum occiſione aggreſſoris.

8 *Dico quinto.* In duobus caſibus ſpecialiter tenetur aggreſſus ſeipſum defendere, etiam cum occiſione aggreſſoris. *Et primus caſus eſt.* Si aggreſſus ſit perſona publica, & neceſſaria bono communi reipublicæ. *Et alius caſus eſt.* Si aggreſſus habeat conſcientiam peccati mortalis, de quo facilè non poſſit pœnitere. Prior pars huius concluſionis ſatis manifeſta relinquitur ex ſecunda parte præcedentis concluſionis. *Quoad ſecundam verò partem probatur.* Quia tenetur quilibet magis proſpicere bono ſpirituali animæ ſuæ, quam alteri bono temporali proximi, maximè in illo periculo grauiſſimo mortis, vbi imminet grauiſſimum damnum ſpirituale damnationis æternæ, quod tenetur quis potius vitare, quam quodcumque damnum temporale, imò ſpirituale aliorum. Quæ doctrina colligitur manifeſtè *ex D.Thom.* ſuper *epiſt. ad Rom. c.* 9. in illa verba: *Optabam ego anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis.* Et hactenùs de primo puncto huius difficultatis, & ad ſecundum procedendo,

9 *Dico ſexto.* Licitum eſt cuicumque ſeipſum defendere cum occiſione aggreſſoris, etiam ſi ipſe aggreſſus culpabilem cauſam dederit aggreſſori. *Hæc concluſio,* quæ communis eſt inter Doctores, aduerſatur quantum ad primam partem primæ ſententiæ, & quantum ad ſecundam partem aduerſatur vltimæ ſententiæ. Et quidem quoad primam partem probatur, *ex lege* 1. *ff. de vi, & vi armata,* & ex *lege vt vim, ff. de iuſtitia, & iure.* Vbi expreſsè conceditur facultas vt poſſit quis vim vi repellere, & cum moderamine inculpatæ tutelæ ſe defendere, etiam cum occiſione aggreſſoris. Et idem habetur in *iure canonico diſtinctione* 1. *cap. ius naturale.* Et alia plura loca ex vtroque iure adducunt in præſenti communiter expoſitores *D. Thom.* in quibus locis id ipſum expreſsè habetur.

10 *Secundò probatur* ratione deſumpta ex ipſis legibus. eſt enim licitum per vim æqualem repellere aliam vim. Si autem eſſet licita ſolùm præcisè defenſio illa taliter, vt ex hoc ipſo quod ſequitur mors inuaſoris defenſio fieret illicita, nullatenùs eſſet licitum repellere vim per æqualem vim, quia in ſola præcisè defenſione ſine morte aggreſſoris ſubſecuta non poteſt intelligi ſufficiens vis ad repellendam vim, ergo ſi licitum eſt per vim repellere vim; licita erit defenſio cum vi, & violentia in ordine ad aggreſſorem, ac per conſequens cum morte illius ſubſecuta.

11 *Tertiò probatur.* Nam aggreſſus habet ius ad proſpiciendum vitæ ſuæ magis quam ad proſpiciendum vitæ aggreſſoris; ergo ſi tunc aggreſſus non poteſt proſpicere vitæ vtriuſque ſimul, ſed ſolùm alteri, ex hoc ipſo manet deobligatus ad proſpiciendum vitæ aggreſſoris, ac per conſequens vitã ſuam poterit defendere, & conſeruare occiſione aggreſſoris, quando aliter facere non poteſt. *Probatur conſequentia,* quia ſi quando non poteſt vtrique ſimul vitæ proſpicere, non poſſet vitam propriam conſeruare cum occiſione aggreſſoris, teneretur magis proſpicere vitæ aggreſſoris quam ſuæ, quod eſt falſum & abſurdiſſimum.

Iſtæ duæ rationes, quæ ſatis efficaces ſunt adhuc tamen à priori non probant concluſionem, ſed ſolum à poſteriori. Potiſſima autem, & efficax ratio à priori eſt quam *D. Thom.* adducit *in artic.* 7. & de illa dicemus in vltima concluſione huius dubij. *Secunda verò pars noſtræ concluſionis probatur.* Quia etiamſi aggreſſus culpabilem cauſam, & occaſionem dederit aggreſſori, adhuc tamen aggreſſus non amittit proprium ius defendendi propriam vitam, cum illud ius ſit naturale, ergo non minus poteſt ſe defendere ab aggreſſore cum morte ipſius aggreſſoris, ac ſi nullam cauſam probabilem dediſſet illi. *Antecedens probatur.* Quoniam aggreſſor quantumcumque culpabili cauſa ſibi oblata ab aggreſſo adhuc peccat grauiſſimè, & grauiſſimam iniuriam facit aggreſſo illum occidens, ergo aggreſſus iniuſtè patitur, & iuſtè ſe defendit, ac per conſequens non minus ius habet ad defenſionem propriæ vitæ, quam ſi nullam occaſionem culpabilem dediſſet aggreſſori. Legatur *M. Bannez dub.* 1. *concluſione* 3. & hactenùs de 2. puncto de 3. dicemus ſtatim. 12

Dico ſeptimo. Quatuor conditiones ſunt neceſſariæ, & requiſitæ vt defenſio cum occiſione aggreſſoris ſit licita, ita vt ex defectu cuiuſcumque illarum fiat defenſio illicita. *Prima conditio eſt.* Quod aggreſſo ſe defendenti, inferatur vera vis, ſi enim ei vera vis non infertur nullo modo erit licita defenſio cum occiſione aggreſſoris. Ad explicandam autem iſtam conditionem vtuntur authores aliqui hoc exemplo, verbi gratia, quamuis aliquis maximam calumniam patiatur in iudicio tàm à iudice, quam à teſtibus, vel ab aliis, ita quod per calumniam quam patitur damnetur ad mortem, ſic adeo, vt nullo alio modo poſſit ſe defendere à calumnia, & morte ſibi inferenda; niſi cum morte accuſatoris, aut alicuius falſi teſtis, quia à calumnia non poteſt ſeipſum licitè defendere, niſi ſecundum ordinem iuris. Vnde per vim illatiuam mortis ſolùm poteſt ſeipſum licitè defendere quando ei vera vis infertur in ſua perſona, calumnia autem illa non eſt vera vis. Huius tamen exempli doctrinam non omnes acceptant, imò oppoſitum tenet *M. Bannez dub.* 4. *concluſione* 2. & *Leſſius* id latè probat, tum authoritate aliorum, tum rationibus *lib.* 2. *cap.* 4. *dubitatione* 8. *num.* 47. Quamuis tandem aſſerat iſtam doctrinam eſſe quidem ſpeculatiuè veram, ſeu probabilem, practicè autem minimè ſequendam. Sed de hoc dicendum latè in ſequentibus dubiis. 13

Secunda conditio. Aggreſſoris occiſio debet ſubſequi in actuali defenſione, ita vt nec antea quam vera vis inferatur aggreſſo, nec poſt tranſactam vim occidatur aggreſſor ab aggreſſo. Quæ conditio eſt formaliter intelligenda de actuali occiſione formaliter ſumpta. Nam inter Doctores dubium eſt an aliquis poſſit præuenire aggreſſorem ſuum, quando certus eſt quod ab aggreſſore ſit inuadendus, vel quod aggreſſor præparet arma in ordine ad aggreſſionem faciendam. Nam quando aliter ipſe qui inuadendus eſt alia via ſe defendere non poteſt, quamuis illa videatur præuentio materialiter, formaliter tamen potius eſt defenſio Sed de hoc non determinamus in præſenti quomodo debeat fieri, ſed dicemus in ſubſequentibus. 14

Tertia

Tertia conditio eſt. Quod talis defenſio fiat
15 cum moderamine inculpatæ tutelæ. Quam conditionem *D.Thom.* explicuit *in prima concluſione artic.* 4. videlicet, quod ipſe actus qui ordinatur ad defenſionem ſit proportionatus defenſioni, & nullo modo excedat ipſam. Etenim ſi quis poteſt ſe ipſum defendere non ſolum ſine occiſione aggreſſoris, verum ſine eo quod inferat ei aliquod vulnus, tenetur nec vulnus inferre, & de hoc etiam *in ſubſequentibus dubiis* dicemus. *Quarta conditio eſt.* quod occiſio aggreſſoris non fiat ea intentione ab aggreſſo, quam conditionem explicat *D.Thom. in 3. concluſione*; & nos dicemus amplius in ſubſequentibus dubiis.

16 *Dico vltimo circa vltimum punctum.* Efficax ratio à priori quare defenſio cum præfatis conditionibus poſitis in præcedenti cõcluſione ſit licita eſt quam *S.Thom.* aſſignat *in principio corporis articuli.* quæ ratio potiſſimum in hoc conſiſtit. quoniam defenſio facta cum præfatis conditionibus nullam habet rationem malitiæ, ergo eſt iuſta, & licita. *Antecedens probatur.* Quia occiſio ſubſecuta nullo modo imputatur ad culpam; ergo talis defenſio nullam habet rationem malitiæ, ſi enim aliquam haberet maximè ex parte occiſionis ſubſecutæ. *Sed probatur antecedens.* Nam talis occiſio non eſt voluntaria ipſi aggreſſo, ſiquidem eſt præter intentionem voluntatis; ergo talis occiſio non imputatur aliquo modo ad culpam. *Conſequentia eſt manifeſta.* Nam in tantum aliquid eſt peccatum in quantum eſt voluntarium. *Antecedens* autem oſtendit *D.Thom.* ex quodam præſuppoſito principio. Quoniam benè poteſt contingere quod alicuius actionis ſint duo effectus, quorum alter ſit volitus & intentus, alter verò ſit omninò præter intentionem voluntatis, & hoc quidem principium veriſſimum eſt, & illius poſſunt plura exempla aſſignari. Actus autem morales ſumunt ſpeciem ex eo quod ſe habent per ſe in ordine ad voluntatem, & non ex eo quod eſt per accidens, & præter intentionem voluntatis, & ſic contingit in actu defenſionis propriæ vitæ cum præfatis conditionibus. Nam actus ille defenſionis habet duos effectus, alter eſt per ſe ad quem per ſe ordinatur illa actio, qui quidem eſt tueri, & conſeruare propriam vitam; alter verò eſt per accidens, videlicet mors aggreſſoris. *Tum* quia effectus ille mortis non ſemper ſequitur, ſed aliquando. *Tum* quia non ſequitur ex vi illius actus, quo aggreſſus ſe defendit, ſed ex malitia aggreſſoris: *Tum* denique quia actus ille defenſionis non ordinatur ad illum effectum mortis, & ex hoc prouenit, quod voluntas per ſe poſſit intendere primarium effectum, & nullo modo ſecundarium, & ſubſecutum. Quæ ratio *D. Thom.* quamuis optima ſit, & à priori adhuc tamen habet difficultatem, quæ quidem amplius examinabitur in ſubſequentibus, & præſertim *articulo* immediatè *ſequenti.*

Soluuntur Argumenta.

PRo prima ſententia ſupra relata videri po-
1 teſt *Laſius lib. 5. cap. 9. dubit.* 8. Qui refert authores, & præcipua illorum fundamenta; quæ huiuſmodi ſunt magis homo tenetur proſpicere bono ſpirituali proximi, quam propriæ vitæ, & maximè ſi bonum ſpirituale proximi ſit magni momenti, quale eſt liberare proximum ab æterna damnatione: ergo cum diſpendio tanti damni ſpiritualis proximi, quale eſt aggreſſorem damnari ſi in ipſa aggreſſione occidatur, non erit licitum alicui ſeipſum defendere. *Confirmatur.* Quoniam multoties tenetur quis ex charitate exponere propriam vitam pro ſpirituali ſalute proximi, de quo 2. 2. *quæſt.* 26. *articul.* 4. & *quæſt.* 33. *artic.* 1. Sed non poteſt vigentior reperiri caſus, in quo aliquis teneatur vitam temporalem ponere pro ſpirituali vita proximi, quam iſte caſus de quo loquimur, ergo in tali caſu non licebit aggreſſorem occidere defendendo propriam vitam, ſiquidem cum occiſione aggreſſoris ſequitur æterna eius mors ſpiritualis.

Confirmatur ſecundò. Quia ſi aliqua ratione 2
in hoc caſu eſſet licitum ſe ipſum defendere cum tam graui damno temporali, & ſpirituali aggreſſoris, eo eſſet, quia ipſe aggreſſor culpa ſua ſe exponit tali periculo, ſed hæc ratio eſt nullius momenti, ergo *Minor. probatur.* quoniam ex hoc ſequeretur, quod ſi aggreſſus dedit culpabilem occaſionem & cauſam, vt ab aggreſſore inuaderetur, ſequeretur quod tunc non eſſet licitum ſeipſum defendere cum occiſione aggreſſoris. Siquidem aggreſſor non culpa ſua, ſed culpa aggreſſi expoſuit ſe tali periculo.

Ad hoc argumentum cum prima confirmatione 3
iam ſatis conſtat ex dictis *Concluſione quarta.* Quod licet quis teneatur vitam temporalem exponere pro ſpirituali vita proximi, id verum eſt quando eſt medium per ſe ordinatum ad ſpiritualem vitam proximi, quod in præſenti caſu locum non habet. *Ad ſecundam confirmationem Reſpondetur.* Quod occiſio aggreſſoris ſequitur ex malitia ipſius, & non per ſe, neque ex intentione aggreſſi defendentis ſe, etiam ſi ipſe aggreſſus culpabilem cauſam, & occaſionem dederit aggreſſori, vt iam diximus in ſexta concluſione. 4

Fundamentum pro ſecunda ſententia eſt. Quia ſtrictiori iure, & præcepto tenetur quis propriam vitam conſeruare, & defendere quam vitam proximi, ergò aggreſſus non ſolum poteſt, ſed etiam tenetur ſeipſum defendere, cum occiſione aggreſſoris. Ad hoc argumentum conſtat ex dictis in prima concluſione, & ſequentibus quãdo quis teneatur ſe defendere, & quando poſſit ſe non defendere.

Pro fundamento quartæ ſententiæ eſt. Quod 5
aggreſſus fuit in culpa, vt inuaderetur ab aggreſſore, ſicut dicebamus in ſecunda confirmatione primæ ſententiæ. Ad quod ſatis conſtat ex his quæ ad dictam ſecundam confirmationem dicta ſunt.

.

ARTICVLVS IV.

An liceat priuata perſona in defenſionem vitæ ſuæ intendere occiſionem aggreſſoris tanquam medium ad ſuam defenſionem, aut velle talem occiſionem, ſaltem indirectè per accidens, vel aliquo alio modo.

1 HÆc difficultas (vt inſinuatur in titulo diſputationis) poteſt habere duplicem ſenſum. *Primus ſenſus eſt.* Vtrùm poſſit quis in defenſionem vitæ intendere occiſionem aggreſſoris tanquam medium ad ſuam defenſionem, vt ad finem. *Secundus ſenſus eſt.* Vtrum poſſit quis aliquo modo velle occiſionem aggreſſoris, ita vt etſi tanquam medium non poſſit velle illam poſſit ſaltem indirectè, vel per accidens, vel aliquo alio modo illam velle.

2 *Circa primum igitur ſenſum* eſt duplex ſententia. *Prima* quidem affirmatiua, quam tenet *Nauarrus in manuali cap. 15. num. 3. Syluester verbo Homicidium quæſtion. 5. Halenſis 3. part. quæſtion. 34. membro 2. artic. 11. D. Antoninus*, & alij quos refert, & ſequitur *Leſius lib. 2. cap. 9. dubitatione 8. numero 51.* Quinimò ab hac ſententia parum aut nihil differt ſententia *Magiſtri Soto, & Victoriæ*; quam infra referemus, & potiſſimum fundamentum huius ſententiæ eſt primum argumentum infra ponendum. Secunda tamen ſententia eſt oppoſita negatiua, & communis inter theologos, cum *D. Thom. in hoc articulo*, videlicet. Quod nullo modo poteſt occiſio aggreſſoris eſſe intenta, nec tanquam medium nec tanquam finis. Sed tamen hanc ſententiam, quam ſic expreſſè docet *D. Thom. in hoc articulo* explicant diuerſimodè diſcipuli eius, quorum explicatio procedit in ſecundo ſenſu huius difficultatis.

3 *Circa ſecundum autem ſenſum*, & circa explicationem ſententiæ *D. Thom* eſt triplex modus explicandi illam inter eius diſcipulos. Duo ſunt modi inter ſe oppoſiti, & tertius quaſi medium tenens vtrumque. *Primus igitur modus* explicandi eſt *Magiſtri Soto libro 5. de iuſtitia quæſt. 1. articulo octauo*; Qui quidem conuenit cum *D. Thom.* re tamen ipſa ab ipſo diſſentit. Dicit enim *Soto* aggreſſoris mortem non poſſe eſſe intentam ab aggreſſo, & in hoc verbis conuenit *cum D. Thom.* ſed tamen dicit inſuper *Soto*, quod aggreſſus poteſt intendere occiſionem aggreſſoris tanquam medium ad ſuam defenſionem. Explicat autem *D. Thom.* dicentem, quod non poteſt occiſio aggreſſoris eſſe intēta ab aggreſſo in hoc ſenſu, quod aggreſſus non poteſt aliquo modo habere rationem aggreſſoris reſpectu alterius primi aggreſſoris, quia in hoc ſenſu diceretur intenta mors aggreſſoris, quia in hoc ſenſu diceretur intenta mors aggreſſoris in quantum aggreſſus excedit modum iuſtæ defenſionis, & habet rationem aggreſſoris, quia in hoc ſenſu diceretur intenta mors aggreſſoris, in quantum aggreſſus excedit modum iuſtæ defenſionis, & habet rationem aggreſſoris.

4 *A qua Sententia* partim differt ſententia *Victoriæ in Relectione de Homicidio num. 17.* Vbi dicit licitum eſſe velle occiſionem aggreſſoris tanquam medium in ordine ad propriam defenſionem, quando aliter non poteſt aggreſſus propriam vitam defendere ſine occiſione aggreſſoris. Et tunc non dicitur aggreſſus illam intendere, ſed per accidens omnino illam velle, quia vellet vtique aggreſſus conſeruare vitam aggreſſoris, ſi alia via propriam vitam defendere poſſet. Aliam autem explicationem adhibet *Leſſius* doctrinæ *D. Thom.* ita vt ſenſus ſit priuatæ perſonæ non eſſe licitum abſolutè deſiderare, vt inuaſor moriatur; hoc enim non eſt neceſſarium ad ſui defenſionem, ſed ſufficit, vt concidat aggreſſor viribus deſtitutus, ita vt amplius lædere non poſſit, non tamen vult negare *D. Tom.* quin omnibus modis poſſit ſe tueri, & intendere quicquid ad hoc prudenter iudicatur neceſſarium.

Secundus modus explicandi *D. Tom.* eſt oppoſitus præcedenti, videlicet, quod aggreſſus nullo modo poteſt velle occiſionem aggreſſoris, nec directè, nec per accidens, nec alio quouis modo, ſed ſolum voluntas poteſt dirigi ad propriam defenſionem præcisè, mors autem aggreſſoris ſolum eſt per accidens ſubſecuta. Hanc ſententiam tenet in præſenti *Dominus Caietanus*, quem ſequuntur plures moderni inter quos eſt *Magiſt. Bannez, & Salon.* Et fundamenta huius ſententiæ adducemus ſtatim, præſertim *Concluſione quarta.* 5

Tertius modus explicandi eſt, quaſi medium tenens inter duos præcedentes, videlicet, quod nullo modo licet velle occiſionem aggreſſoris tanquam medium, ordinatum ad propriam defenſionem (hoc enim eſt quod *S. Thom* intendit in hoc articulo) licitum tamen eſt, velle occiſionem aggreſſoris tanquam aliquid ſubſecutum ad actum propriæ defenſionis. *Subſecutum* (inquam) ex defectu, & malitia ipſius aggreſſoris. Et potiſſimum fundamentum huius ſententiæ eſt *Confirmatio primi argumenti.* Quam ſententiam tenent nonnulli moderni inter quos eſt *Petrus de Aragon.* 6

Dico igitur primo. Quicqoid ſit de probalitate; aut improbabilitate primæ ſententiæ poſitæ circa primum ſenſum huius difficultatis, illa tamen ſententia eſt omninò falſa. *Probatur* Quoniam occidere aliquem priuata auctoritate eſt intrinſecè malum: ergo non poteſt aſſumi hoc tanquam medium ad quemcumque finem quantumcumque bonum. *Anteceden eſt manifeſtum* lumine naturali, *& conſequentia probatur* ex illo communi & receptiſſimo axiomate, *Non ſunt facienda mala vt veniant bona. Confirmatur.* Quia occidere aggreſſorem, vel habet rationem boni, & honeſti in ſe præciſa habitudine ad finem propriæ defenſionis, vel eſt intrinſecè malum, & ſolum habet quod ſit bonum per ſolam habitudinem ad illum finem defenſionis. *Primum eſſe non poteſt*, videlicet, quod ſit bonum per ſolam habitudinem ad illum finem defenſionis. *Primum eſſe non poteſt*, videlicet quod ſit bonum præciſa habitudine ad illum finem, nec ab aliquo id conceſſum eſt, ſed illud eſt in ſeipſo ſic abſolutè intrinſecè malum. *Nec ſecundum dici poteſt.* quia id quod abſolutè in ſe ipſo eſt intrinſecè malum præciſa habitudine ad finem, impoſſibile eſt quod fiat bonum per ordinem ad quemcumque bonum finem, quia medium quod de ſe malum eſt non honeſtatur ex quocumque 7

bono

bono fine, quin potiùs voluntas talis medij vitiat intentionem finis.

8 *Dico ſecundo.* Quicquid ſit probabilitate abſoluta primi modi dicendi, quem tenet *Soto, & Victoria*, ille tamen modus eſt expreſsè contra *D. Thom.* & in eius doctrina improbabilis. Probatur manifeſta ratione. quoniam medium volitum in ordine ad finem per ſe comparatur ad voluntatem, neque poteſt dici eſſe præter voluntatem, ſed *D. Thom.* docet expreſsè quod occiſio aggreſſoris eſt præter intenſionem voluntatis, ergo &c. *Confirmatur* ex tertia Concluſione *D. Th.* Vbi docet quod nulli niſi habenti publicam auctoritatem, vt Militi, & Iudici licitum eſt ordinare occiſionem aggreſſoris in deffenſionem propriæ vitæ; ergo ſecundum *D. Thom.* mors aggreſſoris dicitur intenta quando eſt volita tanquam medium ad finem propriæ defenſionis.

9 *Dico tertio*, Tertius ille modus explicandi *D. Thom.* medius inter alios duos non eſt contra *D. Th.* nec improbabilis in eius via. neque abſolutè *Et probatur.* Quoniam *D. Tho.* docet quod occiſio aggreſſoris eſt præter intentionem, & vt hoc explicet, in *Tertia Concluſione* dicit, quod non eſt licitum intendere illam tanquam medium in ordine ad finem propriæ defenſionis; ergo dicere, quod ſit ſolùm volita tanquam quid conſecutum per accidens, & indirectè non eſt contra *D. Th.*

10 Confirmatur. Quoniam in doctrina *D. Thom.* & etiam abſolutè loquendo benè poteſt contingere, quod aliquid ſit præter intentionem voluntatis, & tamen quod ſit voluntarium aliquo modo, videlicet indirectè, & per accidens tanquam quid conſecutum ad id, quod eſt per ſe volitum. V.g. Quando quis per peccatum conuertit ſe ad aliquod obiectum tanquam ad vltimũ finẽ ſui, tunc auerſio à Deo tanquã ab vltimo fine eſt præter intentionẽ voluntatis, & ſe habet per accidẽs in ordine ad illã, & tamẽ talis auerſio eſt voluntaria indirectè, & per accidens: ergo & ſi occaſio aggreſſoris ſit præter intẽtionẽ voluntatis poteſt tamen eſſe indirectè, tanquam per accidens voluntaria, tanquam quid per accidens ſubſecutum ad actum propriæ defenſionis

11 *Dico Quarto.* Nihilominùs tamen modus ille ſecundus explicandi *D. Th.* videlicet occiſionem aggreſſoris nullo modo eſſe voluntariam, eſt conformior doctrinæ *D. Th.* & veritati. Et quidem quod ſit conformior doctrinæ *D. Thom.* probatur. quoniam ipſe catenùs intendit excuſare actionem illam propriæ defenſionis à peccato, quatenùs occiſio aggreſſoris ſubſecuta non eſt voluntaria, nam ſi eſſet aliquo modo voluntaria cum talis occiſio fiat priuata authoritate, & ſit intrinſecè mala imputaretur vtique voluntati ad culpam, ergo vt nullo modo imputetur ad culpam nullo modo debet cenſeri voluntaria in doctrina *diui Thomæ.* Veritati autem conformior eſt iſta ſententia. *Tum*, propter eandem rationem *diuus Thoma* modo factam. *Tum*, nam ratio facta in probatione *Primæ concluſionis noſtræ*, conſequenter etiam probat, quod occiſio aggreſſoris nullo modo poteſt eſſe voluntaria, quia aliàs voluntati imputaretur ad culpam.

12 *Sed adhuc iſte* ſecundus modus explicandi *D. Thom.* poteſt in duplici ſenſu intelligi. *Prior eſt*, quod occiſio aggreſſoris nullo modo ſit voluntaria per modum cauſæ moralis, quamuis aliàs ſit voluntaria per modum cauſæ phyſicæ. Dicitur autem voluntarium aliquid *per modum cauſæ moralis*, quando eſt volitum tanquam medium, aut finis, vel quando eſt volitum tanquam effectus ſubſecutus ad cauſam volitam, quam tenetur quis vitare, & non velle, & hoc modo quando aliquid eſt malum, & rationi diſſonum, & ſic eſt volitum, imputatur ad culpam. Quando verò hac ratione nullo modo eſt voluntarium quamuis ſit malum, & rationi diſſonum ex ſua ſpecie, ad culpam tamen non imputatur voluntati in indiuiduo operanti. *Per modum autem cauſæ phyſicæ* dicitur aliquid *voluntarium*, quando per modum cauſæ moralis voluntas non tendit in illud, vult tamen cauſam Phyſicam illius effectus, quam non tenetur vtique vitare. Secundus autem ſenſus eſt, quod talis occiſio aggreſſoris nullo modo ſit voluntaria, nec per modum moralis, nec per modum cauſæ phyſicæ.

Dico *Igitur Quinto.* In vtroque ſenſu dudum explicato eſt probabilis ille ſecundus modus explicandi *D. Th.* de quo in præcedenti *Concluſione quarta.* Et quidem in primo ſenſu probatur. quoniam poſtquam ſaluatur quod voluntas non habet influxum moralem in occiſionem aggreſſoris, hoc ſufficit vt talis occiſio nullo modo imputetur voluntati ad culpam, & aliàs videtur neceſſarium ponere talem occiſionem aliquo modo voluntariam per modum cauſæ phyſicæ tantùm, ergo non ſolùm non eſt inconueniens, verum etiam conueniens ponere talem occiſionem eſſe voluntariam per modum cauſæ phyſicæ. *Probatur min.* quoniam talis occiſio ſecundum ius antiquum inducebat irregularitatem, quæ quidem non inducitur niſi per homicidium voluntarium. Et modo etiam occiſio aggreſſoris facta in defenſionem honoris, & bonorum temporalium inducit irregularitatem, quæ tamen cum ſit licita occiſio, ac ſi fieret in defenſionem propriæ vitæ, ideo eodem modo eſt voluntaria, aut inuoluntaria. quin potiùs in iure occiſio facta in defenſionem propriæ vitæ appellatur *Homicidium voluntarium*, & magis voluntarium, quam homicidium caſuale voluntarium; ergo neceſſarium eſt ponere talem occiſionem aggreſſoris voluntariam, ſaltem per modum cauſæ phyſicæ. 13

Confirmatur; quia defendere propriam vitam cum moderamine inculpatæ tutelę, quamuis non ſit moralis cauſa occiſionis aggreſſoris, nihilominùs eſt cauſa phyſica, vt plures theologi admittunt; influit enim phyſicè in occiſionem aggreſſoris, qui immittit gladium per viſcera eius, etſi ex intenſione moraliter loquendo ſolum intendat ſe defendere, ergo cum ſit voluntaria talis immiſſio gladij per viſcera aggreſſoris, quæ eſt actus per ſe ordinatus ad propriam defenſionem, & ſimul eſt cauſa phyſica occiſionis aggreſſoris, conſequenter etiam dicetur phyſicè voluntaria occiſio, quæ eſt effectus illius phyſicæ cauſæ. 14

De ſecundo autem ſenſu probatur. quia longè meliùs explicatur quomodo omninò talis occiſio excuſetur à peccato ſi nullo modo ponatur voluntaria, nec moraliter, nec phyſicè; ergo ſatis probabilis eſt modus ille explicandi in illo ſecundo ſenſu. Itaque vt vnico verbo dicam immiſſio gladij per viſcera aggreſſoris ſolùm eſt voluntaria in quantum defenſio præcisè, & non 15

quatenùs

quatenùs eſt cauſa phyſica occiſionis aggreſſoris. qualiter autem illa occiſio in iure appelletur *Homicidium voluntarium*, & qualiter etiam inducat irregularitatem ſecundum ius antiquũ, dicemus in ſolutione argumentorum.

Soluuntur Argumenta.

1 A*Rguitur primò* ad probandum, quod licitè poſſit perſona priuata eligere tanquam medium occiſionem aggreſſoris in ordine ad propriam defenſionem. quoniam poſtquam licitum eſt occidere aggreſſorem, & præponere propriã defenſionem occiſioni aggreſſoris, licitum erit eligere illam occiſionem tanquam medium, quia non minùs neceſſaria eſt illa occiſio ad defenſionem propriæ vitæ aggreſſi, quam ſit neceſſaria occiſio malefactoris ad conſeruationem boni communis, ſed ea hoc licitum eſt intendere occiſionem malefactoris in ordine ad bonum commune; ergo ſimiliter licitum erit intendere occiſionem aggreſſoris in ordine ad defenſionem propriæ vitæ. *Confirmatur.* quia quod licitum eſt facere, licitum eſt velle, ſed licitum eſt in propriam defenſionem occidere aggreſſorem; ergo licitum eſt velle occiſionem aggreſſoris ad propriam defenſionem.

2 *Reſpondetur ad argumentum primè*; quod occiſio aggreſſoris non habet rationem medij per ſe ordinati ad defenſionem propriæ vitæ, ſed medium per ſe ordinatum eſt actus ille, ex quo per ſe ſequitur defenſio, & per accidens occiſio. Vnde non eodẽ modo ſe habet occiſio aggreſſoris reſpectu defenſionis propriæ vitæ, ſicut ſe habet occiſio malefactorum reſpectu boni communis reipublicæ. Quia cùm malefactores corrumpant bonum commune reipublicæ tanquam partes nociuæ ipſi Reipublicæ, ideo medium per ſe ordinatum eſt abſciſio partis corruptiuæ totius ad conſeruationem totius Reipublicæ, & ſic licitum eſt intendere mortem hoſtis patris. Cæterùm aggreſſor non eſt pars aggreſſi ac ſubinde non habet publicam authoritatem agreſſus, vt poſſit mortem aggreſſoris.

3 *Secundò Reſpondetur.* Quod etiamſi occiſio aggreſſoris eſſet medium per ſe ordinatum ad defenſionem propriæ vitæ adhuc quia illud eſt intrinſecè malum non eſſet licitum vti illo medio ad quemcumque bonum finem, vt iam probauimus. Vnde etiam quantum ad hoc non eſt eadem ratio de occaſione aggreſſoris in ordine ad defenſionem proprię vitę de occiſiona malefactorum facta publica auctoritate in ordine ad bonum commune, quia hæc non eſt intrinſecè mala imo bona facta per publicam authoritatem. Eſſet autem illicita ſi fieret priuata authoritate, quia cum hæc iſto modo ſit intrinſecè mala etiam ex quocumque bono fine, & propter bonum Commune nunquam poteſt honeſtari ſi fiat priuata authoritate. Vnde cum aggreſſus procedat authoritate priuata non poteſt licitè aliquo modo velle occiſionem aggreſſoris. *Ad confirmationem Reſp.* Quod quando eſt licitum facere aliquid quod ex ſe ipſo licitum eſt, tunc etiam licitum erit illud velle. Quando verò eſt licitum aliquid facere, non quia ex ſe ipſo licitum ſit, ſed quia ea defectu voluntarij excuſatur à peccato, tunc non eſt verum, quod ſit licitum velle illud *Etſi adhuc Obiicias.* Quia qua ratione à parte rei eſt licitum aliquid facere, etiam illo modo erit licitum velle; ergo ſaltem erit licitum, velle occaſionem aggreſſoris eo modo quo de facto licitè fit *Reſpondetur negando conſequentiam.* Et ratio eſt; quia de facto fit illicita, id eſt non imputatur ad culpam illa occiſio, quia per accidens omninò ſequitur ad actum licitum iuſtæ defenſionis, cuius omninò per accidens, & materialiter ſe habet ipſa occiſio. At ſi ad voluntatem compararetur aliquo modo iam non per accidens, & materialiter, ſed formaliter habebit rationem obiecti voliti, & ſic non excuſaretur à peccato, & culpa

4 *Secundò arguitur* contra Rationem *D. Thomæ.* Quoniam qui vult cauſam, & præuidet effectum contentum in cauſa, conſequenter etiam virtualiter vult ipſum effectum: hac enim ratione dicitur voluntas intendere vnum formaliter, & aliud virtualiter in pluribus caſibus: ſed aggreſſus vult actum, qui eſt cauſa occaſionis aggreſſoris, & præuidet occaſionem contineri in ipſo actu; ergo impoſſibile eſt quod voluntas ſaltem in indirectè, & virtualiter non feratur in occiſionem aggreſſoris.

5 *Ad hoc argumentum Reſpondetur,* Quod non ſemper quod præuidet effectum in ſua cauſa, ſi vult cauſam vult conſequenter effectum ſubſecutum ad cauſam, quamuis verum ſit, quod aliquando ita contingit. Sed tamen non eſt facile explicare, quando qui vult etiam virtualiter, & conſequenter effectum ſubſecutum, & quando non vult illum; vt autem id explicemus breuiter dicimus Tria. *Primum.* Quando cauſa per ſe, & immediatè ordinatur ad aliquem effectum qui præuiſus eſt in ipſa cauſa, tunc qui vult cauſam propter quemcumque finem, vult etiam conſequenter, & virtualiter illud effectum. *Ratio eſt manifeſta.* Qua effectus per ſe alicuius cauſæ continetur in virtute in ipſa cauſa per ſe; ergo ſi præuideatur talis effectus cõtineri in ſua cauſa, impoſſibile eſt vt quis velit cauſam illam, & non effectum. *Secundum.* Quando effectus aliquis non eſt per ſe alicuius cauſæ quia cauſa non per ſe, & immediatè ad illum effectum ordinatur, quin potiùs effectus ſequitur ex aliqua ſuppoſitione ab extrinſeco, tunc in dubium poteſt verti, An qui vult cauſam præuidens effectum? *Et Ratio huius eſt.* Quia aliquando contingit quod effectus iſte ſit volitus, & aliquando contingit non eſſe volitum, vnde hoc indiget explicatione, quam ſtatim adhibeo in ſequenti dicto. *Tertium.* In caſu præcedentis dicti, quando quis exercet actionem, quæ eſt cauſa illius effectus per accidens, ſi illa actio ſit neceſſaria ad conſeruandam rem magni momenti, & ad quam quis habet ius, etiam ſi tunc velit, & exerceat illam actionem, non vult effectum per accidens ſubſecutum. *Ratio huius eſt* Quia actio illa, quæ eſt cauſa per accidens illius effectus ordinatur ex natura ſua, & ex intẽtione operantis ad alium effectum primarium, & per ſe; & ex alia parte cum res illa ſit magni momenti, non tenetur quis ceſſare ab illa actione, & cauſa propter effectum ſubſecutum per accidens. v. g. Quando quis propter defenſionem Reipublicæ vt occidat hoſtes ipſius, ſinè in bello iuſto, vt occidat impugnantes Ciuitatem ſimul occidat innocẽtes, quorum occiſio ſecundum ſe eſt illicita, quia tamen ſequitur per accidens

dens ad actionem neceſſariam, conſeruatur bonum commune magni momenti, ideò talis innocentum occiſio non imputatur voluntati. Et hoc ipſum dicendum eſt de occaſione aggreſſoris in defenſionem propriæ vitæ. *Quartum* Si actio illa, quæ eſt cauſa effectus per accidens non ſit neceſſaria ad rem magni momenti, ſed parum vtilis, vel, ſi ſit neceſſaria illa actio ad rem aliquam conſeruandam, quæ res eſt parui momenti, tunc ſi effectus per accidens ſubſecutus ſit aliquid illicitum ſecundum ſe, vel inferens aliquod graue nocumentum proximo, tunc qui vult cauſam, vult conſequenter effectum, ac ſubinde peccat. *Ratio huius eſt.* Quia quando res eſt parui momenti tenetur quis ceſſare ab illa actione propter euitandum graue nocumentum proximi, vel aliquid illicitum ſecundum ſe, etiam ſi ſit effectus per accidens ſubſecutus, v.g. Si mulier nimis pulchra velit ſolum recreandi cauſa deambulare per agrum prævidens ob nimiam ſuam pulchritudinem aliquos paſſuros ſcandalum, tunc non poteſt exercere licitè talem deambulationem, ſed tenetur ceſſare, ab illa, quia talis deambulatio ſolum recreandi cauſa, cum parum vtilis ſit, & nullo modo neceſſaria, non poteſt exerceri cum tam graui nocumento ſpirituali aliorum, etiam ſi per accidens hoc ſequatur ex malitia ipſorum, & ſic tunc volens cauſam vult conſequenter effectum per accidens ſubſecutum. Si tamen deambulatio illa ex conſilio medicorum cenſetur neceſſaria ad ſalutem, tunc iam res illa erit magni momenti, & ſic non tenetur prætermittere illam deambulationem propter vitandum ſpirituale damnum aliorum, quod per accidens ſequitur: & tunc etiam ſi velit cauſam non vult effectum, nec imputatur illi. Et ſimiliter non tenetur mulier illa prætermittere audire ſacrum, præſertim in diebus feſtiuis, & idem eſt de aliis rebus bonis, & magni momenti, quamuis hæc omnia prudenter diiudicanda ſint. Legatur *D. Thom.* 2.2. *quæſt.* 43. *articulo* 7. *&* 8. *& Caiet.* 2.2. *quæſt.* 169 *artic.* 2. circa ſolutionem *ad* 4. *& magiſter Bannez* 2.2. *quæſtione decima, articulo vndecimo.* Ex dictis facilis eſt Solutio ad argumentum. Nam volens actum, qui per ſe ordinatur ad ſuam defenſionem, etiamſi præuideat occiſionem aggreſſoris tanquam effectum per accidens ſubſecutum, & contentum in illa cauſa, non tamen vult illum effectum propter rationem aſſignatam in iſto tertio dicto.

5 *Tertio, & vltimo arguitur contra eandem rationem.* quoniam in iure non includitur irregularitas ratione homicidij niſi propter homicidium aliquo modo voluntarium, ita quod ſi nullo modo ſit voluntarium homicidium nullo modo incurritur irregularitas, ſed propter occiſionem factam in defenſionem propriam ſecundum ius antiquum inducebatur irregularitas, & modo etiam propter occiſionem aggreſſoris factam in defenſionem honoris, aut bonorum fortunæ inducitur irregularitas, quantumcumque fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ: ergò talis occiſio aggreſſoris eſt voluntaria ſaltem aliquo modo.

6 *Ad hoc argumentum reſpondetur.* quod ſi teneamus, quod occiſio aggreſſoris, quamuis non ſit voluntaria moraliter, eſt tamen voluntaria phyſicè facilis eſt ſolutio dicendo, quod ratione huius voluntarij talis occiſio dicitur *homicidium voluntarium* in iure, & ſecundum antiquum ius inducebat irregularitatem. Si verò teneamus talem occiſionem aggreſſoris nullo modo eſſe voluntariam ſe defendenti, nec moraliter nec phyſicè, tunc dicimus in iure appellari *homicidium voluntarium* ſecundum præſumptionem, quia etiamſi fiat à parte rei cum moderamine inculpatæ tutelæ, & ſe defendens non intendat occiſionem aggreſſoris, adhuc tamen præſumitur quod occiſio illa ſit aliquo modo intenta, & quod non fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ, nam certè ſæpè ita poteſt contingere, & ideo antiqua iura imponebant irregularitatem. De quo tamen amplius dicendum erit *art.* 8. *ſequenti*, agentes de irregularitate.

ARTICVLVS V.

An propter defenſionem honoris, aut bonorum temporalium poſsit quis licitè occidere aggreſſorem.

Ratio dubitandi à parte negatiua eſt. Quia honor, aut bona temporalia ſunt longe inferioris ordinis quam vita proximi; ergò cum tam graui nocumento proximi, in vita ſua non poteſt quis defendere bona temporalia ſua, ſiue honorem ſuum. Circa hanc difficultatem *Salon in præſenti* refert *Abulenſem*, & alios authores, qui tenent partem negatiuam huius dubij. Quorum potiſſimum fundamentum eſt teſtimonium *D. Auguſtini* relatum à *D. Thom. in argumento ſecundo huius articuli.* Et ſimiliter aliqua decreta, quæ habentur in iure, in quibus videtur hoc damnari. Cæterùm hoc fundamentum eſt parui momenti. Nam teſtimonium *D. Auguſtini* explicat *D. Thom.* ita vt loquatur de eo, qui liuore vindictæ, aut ex intentione occidit aggreſſorem. Decreta autem quæ in iure habentur ſolùm imponunt irregularitatē, non tanquam pœnam peccati, ſed tanquam impedimentum canonicum propter ſignificationem. Et ſi aliquando iura hoc damnant tanquam peccatum, ideò eſt quia talis occiſio aggreſſoris præſumitur non fieri cum moderamine inculpatæ tutelæ, vt in ſimili caſu diximus in ſolutione ad tertium præcedentis dubij. 1

Quare oppoſita ſententia affirmatiua eſt cõmunis inter theologos videlicet licitum eſſe cum moderamine inculpatæ tutelæ occidere aggreſſorem in defenſionem proprij honoris, & bonorum temporalium, & ideò hanc ſententiam ſequentibus concluſionibus explicabimus. 2

Dico igitur primò. In defenſionem bonorum temporalium, quando illa ſunt magni momenti, licitum eſt aggreſſorem occidere; ſi verò ſunt parui momenti, nullatenùs erit licitum illa defendere cum occiſione aggreſſoris. *Prima pars huius concluſionis* intelligenda eſt cum eiſdem omnibus conditionibus, & circunſtantiis, quibus ſuprà diximus licitam eſſe defenſionem propriæ vitæ, etiam cum occiſione aggreſſoris. Hæc igitur concluſio quoad vtramque partem conſtat ſatis ex dictis circa ſolutionem ad ſecundum præcedentis dubij.

Dubitabis tamen circa hanc concluſionem, an bona temporalia conſideranda ſint eſſe magni 3

aut

aut parui momenti abſolutè in ſe ipſis: An verò reſpectiuè, videlicet, reſpectu eius qui illa defendit, ſiue à quo auferuntur? *Ad hoc reſpondetur.* quod reſpectiuè cenſenda ſunt eſſe magni, aut parui momenti; & ſimiliter etiam abſolutè in ſe ipſis. Et quidem quod abſolutè ſi magni momenti cenſeantur poſſunt iuſtè defendi, etiam ſi illa reſpectiuè conſiderata non inferant grauiſſimum nocumentum ei à quo auferuntur, certiſſimum eſt ex iam dictis. Quod autem etiam ſi abſolutè ſint magni momenti, ſed ſolùm reſpectiuè, videlicet, quia ſi illa auferantur quamuis ſint minima in ſe, inferunt tamen grauiſſimum nocumentum à quo auferuntur, probatur poſſe tunc defendi cum occiſione aggreſſoris. Quia magis neceſſaria ſunt illa ad vitæ ſuſtentationem eius à quo auferuntur, quam ſi in magna quantitate auferrentur ab homine prædiuite: Sed quãdo ſunt in magna quantitate poteſt diues illa defendere cum occiſione aggreſſoris, præſertim quando inferunt magnum nocumentum, ergò homo pauper poterit cum occiſione aggreſſoris defendere bona temporalia, quæ ſi abſolutè non ſint magni momenti, ſunt tamen reſpectiuè.

5 *Dico ſecundo.* In defenſione honoris, qui cenſetur eſſe magni momenti, poteſt quis aggreſſorem occidere, non tamen ſi ſit parui momenti. Hæc concluſio potiùs indiget explicatione, quã probatione. Nam eiſdem prorſus rationibus probari debet, quibus in ſolutione ad ſecundum præcedentis dubij probauimus tertium, & quartum dictum.

6 *Explicatur igitur concluſio quoad priorem partem.* Nam ſi aliquis inuadatur ab ipſo qui vult ipſum occidere, à quo tamen vitam defendere poteſt per fugam, amittit tamen magnum honorem in tali fuga, tunc iam non in defenſionem vitæ, quam per fugam defendere poterat, ſed in defenſionem honoris, quem amittere poſſet ſi fugeret, licitum eſt ei vt non amittat iſtum honorem inuaſorem occidere. Si tamen non amittat magnum honorem, ſed honorem qui parui momenti cenſetur, vel quia inuaditur in occulto, vbi etiam ſi fugiat à nemine videri poſſit, vel quia ſi inuadatur in loco publico, & communi vbi à pluribus videri poſſit, inuaditur tamen à pluribus aggreſſoribus, quos fugere poteſt ſine amiſſione magni honoris, vel ſi aggreſſus ſit talis homo, vt quamuis inuadatur ab vno ſolo fugiendo ipſum non amittat magnum honorem, tunc non poterit in defenſionem honoris qui parui momenti cenſetur, aggreſſores, vel aggreſſorem occidere.

7 *Et ſi obiicias.* Nam ex prima parte huius concluſionis ſequitur licitum eſſe ſibi in defenſionem honoris occidere illum, qui verbis contumelioſis te afficit, quibus perdis magnum honorem, nec aliter poteris recuperare illum niſi occidendo aggreſſorem, quia iſte non alio modo ceſſabit ab illis verbis niſi occidatur. conſequens autem videtur nimis durum; ergò &c. *Ad hanc obiectionem Nauarrus* vt refert *Leſſius lib. 2. cap. 9. dubit. 1 2. num 78.* Concedit ſequelam, ſed tamen probabilius eſt oppoſitum, vt ibi cenſet *Leſſius.* Et ratio huius eſt. Quia ad recuperandum honorem in iſto caſu ſufficiunt moraliter loquendo verba aggreſſi, quibus oſtendat aggreſſorem mentiri, ſeu falſum dicere.

8 Sed dubitas inſuper circa hanc concluſionem, an propter defenſionem honoris prouocatus ad ſingulare certamen poſſit illud acceptare, ſiquidem ſi non accepret amittit magnum honorem, & talis acceptatio ſolùm eſt medium ad defenſionem honoris? partem affirmatiuam huius tenet *Leſſius dubit. 8. num. 47.* & præſertim 49. Sed tamen vlteriùs *dubit. 1 2. num. 8 3.* tenet partem negatiuam. In præſenti igitur dubio, non diſputamus quale peccatum ſit *Duellum*, & prouocatio ad illud, ſeu acceptatio. De his enim legatur Salon. 2. 2. *quæſt. 6 2. art. 2. controu. 1 1.* & *quæſt. 64. artic. 3. controu. 3.* & potiſſimè *Concilium Tridentinum ſeſſ. 25. cap. 19.* Dico igitur ad dubium, quod nullo modo licitum eſt in iſto caſu acceptatio ſingolaris certaminis, nec illa habet rationem defenſionis honoris, ſed potiùs aggreſſionis. *Et ratio huius eſt*, quia ille qui ad ſingulare certamen ſic prouocatur, poteſt ſufficienter honorem ſuum defendere ſine tali acceptatione, dicendo, ſe nolle acceptare illud eo quod ſit diuina lege prohibitum, & indignum Chriſtiano viro, eſſe tamen paratum ad defenſionem ſuæ vitæ, & honoris vbicumque inuadatur.

Sed inquiris rurſus. An ſi quis dicat alicui *Egrediamur extra ciuitatem, habeo enim ibi aliquid tibi dicere in occulto*, ita quod ille audiens cenſeat per hæc verba virtualiter prouocari ad ſingulare certamen, an tunc poſſit ille extra ciuitatem exire hoc prætextu præcisè vt audiat verba illa, quæ in occulto permittuntur dicenda. 9

Ad hoc dubium nonnulli cenſent veram partem affirmatiuam, quia iſte non accepiat duellum, ſed intendit ſolùm audire verba illa, quæ ſi nolit ſic audire veniet in vilipendium. Nihilominùs tamen dicendum eſt illum non poſſe etiam hoc prætextu extra ciuitatem exire cum altero, quia tunc præuidens, & timens futurum euentum duelli virtualiter vult illud, & ex alia parte eſt res parui momenti nolle ire ad audienda illa verba. ex dictis in prima parte huius concluſionis ſequitur licitum eſſe in defenſionem pudicitiæ occidere aggreſſorem, vt optimè probat *Leſſius dubitatione 1 2. num. 76.* & legatur *dub. 1 1.* 10

Dico tertiò. Monachus, aut clericus in defenſionem honoris quando per fugam poteſt ſe defendere, non poterit occidere aggreſſorem; imò nec in defenſionem vitæ propriæ. *probatur iſta concluſio.* Quia iſti non amittunt honorem fugiendo, ac ſubinde ſemper quod fugere poſſunt tenentur fugam arripere ad ſe defendendum ſine occiſione aggreſſoris. *Et ſi inquiras*, An aliquando ſit eis licitum fugere cum interitu alicuius innocentis opponentis ſe fugæ illorum. v. g. Si in via publica ſint paruuli innocentes, & non poſſit clericus fugere niſi peſſundet ipſos, & maximè ſi inſedeat equo? *Reſpondetur.* Quod ſi aliter non poteſt fugam capere niſi iſto modo vt defendat propriam vitam non imputabitur ei ociſio innocentium exiſtentium in via publica, ſiue in agro, vel opponentium ſe fugę ipſios. Ex his ſequitur quod ſi aggreſſor in actuali aggreſſione vt ſimul ſe defendat opponat innocentem aggreſſo, ſi aggreſſus aliter ſe defendere non poteſt niſi cum occiſione innocentis poterit illum occidere, vt ſimul occidat aggreſſorem, nec imputabitur aggreſſo mors innocentis magis quã ſi interficeret illum per accidens in bello iuſto, aut in defenſionem ciuitatis obſeſſæ contra iniuſtitiam. De his legatur *Leſſius dub. 9.* 11

Ad

12 Ad *Rationem dubitandi poſitam à principio Reſpondetur.* Quod homo tenetur poſtponere bona temporalia vitæ proximi, quando proximus eſt in extrema vitæ neceſſitate conſtitutus, & per bona temporalia poſſit fieri ſubuentio ſuæ neceſſitati tanquam per medium ordinatum ad ſubleuandam illam. Cæterum in caſu noſtræ difficultatis proximus non eſt in extrema vitæ neceſſitate conſtitutus, ſiquidem ſua malitia, & iniquitate ſe in illo periculo conſtituit, & poteſt etiam ſic Conſtitutus libere illud euitare. Vnde cum defendendus bona temporalia ſua vtatur iure ſuo, aggreſſor autem nullum habeat ius contra aggreſſum, imò tenetur ſecundum ius ceſſare ab aggreſſione, & liberè poteſt ceſſare ab illa, ideo aggreſſus non tenetur ceſſare à defenſione bonorum magni momenti propter occiſionem aggreſſoris ſubſecutam ea malitia ipſius.

ARTICVLVS VI.

An poſsit quis in defenſionem Vitæ proximi, aut bonorum temporalium illius occidere aggreſſorem.

1 RAtio *dubitandi pro parte negatiua* deſumi poteſt ea hiſtoria illa, quæ refertur, Quomodo Moyſes occiderit virum Ægyptium in defenſionem proximi iniuriam patientis, & tamen talis occiſio fuit illi imputata ad peccatum vt *D Thom.* docet ea mente *D. Auguſtini*, vt videri poteſt *quæſtione 60. articul. 9. ad 2. confirmatur.* Quia quilibet tenetur magis proſpicere vitæ proximi, quam bonis temporalibus; ergo cum alicui occurrit neceſſitas defendendi vtrumque, & non poteſt ſimol illa duo defendere, tenetur magis proſpicere vitæ proximi, quam bonis temporalibus alterius proximi.

2 Dico *Tamen primo.* Licitè poteſt quis in defenſionem vitæ proximi iniuriam patientis ab aggreſſore occidere ipſum aggreſſorem cum moderamine inculpatæ tutelæ, & alus præfatis conditionibus. *Hac concluſio* eſt *D. Thomæ* ſupra *quæſtione 60. articul. 6. ad 2.* Vbi excuſat Moyſem à peccato cum occidit Ægyptium, eo quod id fecit in defenſionem proximi cum moderamine inculpatæ tutelæ: & etiam eſt ſententia D. Ambroſij lib. 1. de Officiis capit. 36. dicentis, *Quod cum quis non liberat alium patientem dum poteſt, tam eſt in vitio quam qui iniuriam facit*; Et ſic etiam excuſat Moyſem à peccato; ergo ſecundum *D. Thomam*, & *D. Ambroſium* licitum eſt in defēſionem proximi occidere aggreſſorem. *Deinde probatur ratione.* Quia ſuppoſita malitia aggreſſoris neceſſarium eſt vt vel ſequatur mors aggreſſoris, vel patientis iniuriā: ſed magis proſpiciendum eſt vitæ patientis iniuriam, quam vitæ inferentis illam; & ex alia parte, proximus non poteſt vtramque vitam tueri (vt ſupponimus) ergo licitè poterit aggreſſorem occidere; neutiquam tamen ſi vtrunque ſimul poteſt defendere.

3 Sed *Inquires.* An ſuppoſito, quod poſſit quis defendere ſic proximi vitam cum occiſione aggreſſoris teneatur ad hoc?

4 Dico *Secundo.* Tenetur etiam cum occiſione aggreſſoris defendere proximum. *Et ratio eſt eadem*, quam fecimus pro præcedenti concluſione. Probat enim non ſolum quod poteſt, ſed quod tenetur, quia quilibet tenetur, ſi poteſt, proſpicere vitæ proximi; ergo dum non poteſt proſpicere vtrique vitæ tam aggreſſoris quam aggreſſi, tenetur defendere vitam aggreſſi cum occiſione aggreſſoris. Hæc tamen concluſio intelligenda eſt quando aggreſſor non eſt perſona neceſſaria bono communi, neque ex tali occiſione ſequeretur magnum nocumentum Reipublicæ iuxta ſupra dicta. Hactenùs de prima parte dubij quantum attinet ad defenſionem vitæ proximi.

Circa ſecundam partem, quantum attinet ad defenſionem bonorum proximi duo ſunt certa. 5
Primò quod nullus tenetur bona temporalia proximi defendere cum occiſione aggreſſoris, nam ipſe qui iniuriam patitur non tenetur, ſic bona ſua defendere. *Secundò* certum debet eſſe quod vnuſquiſque tenetur ſaltem ex præcepto charitatis bona temporalia proximi defendere in quantum ſibi eſt poſſibile ſine occiſione aggreſſoris. Difficultas igitur eſt. Vtrum poſſit licitè defendere bona temporalia proximi cum occiſione aggreſſoris ſubſecuta, quando aliter illa defendere non poteſt?

Dico *Tertio ad iſtam difficultatem.* Non eſſe 6
improbabile quod talis non poſſit defendere bona temporalia proximi cum tam graui nocumento occiſionis aggreſſoris. *Hac concluſio probari poteſt*, *primo* Confirmatione poſita à principio dubij. *Deinde probatur.* Quia bona temporalia proximi ſiue abſolutè ſint magni momenti, ſiue ſolum reſpectiuè, non debent cenſeri eſſe magni momenti reſpectu defendentis illa per comparationem ad vitam aggreſſoris. *Tum* quia hæc eſt ſuperioris ordinis ad bona temporalia, *Tum* quia quamuis bona temporalia reſpectu eius à quo auferuntur ſint magni momenti, non tamen reſpectu alterius proximi volentis illa defendere ergo &c. *Tertiò probatur.* Nam præceptum charitatis propriæ, & conſeruationis propriæ vitæ, & bonorum temporalium ſtrictiori iure obligat reſpectu ſui ipſius, quam reſpectu proximi (vt iam diximus) ergo ad plura tenetur homo reſpectu ſui, quam reſpectu alterius, & ſic quamuis poſſit quis bona ſua defendere cum occiſione aggreſſoris, non tamen bona proximi, quia ad minora facienda obligatur reſpectu proximi.

Dico *Quartò.* Longè probabiliùs eſt quod 7
poſſit quis in defenſionem bonorum temporalium proximi occidere aggreſſorem. *Probatur Concluſio* ex fundamento oppoſito alteri fundamento, cui innititur præcedens concluſio. Quoniam res quæ magni momenti eſt abſolutè, vel reſpectiuè reſpectu alicuius proximi iniuriam patientis, etiam cenſetur res magni momenti reſpectu cuiuſcumque alterius, qui tenetur ex charitate proximū illum defendere; ergo poterit quicumque in defenſionem bonorum proximi aggreſſorem occidere. *Conſequentia conſtat* ex dictis ſupra, & *Antecedens probatur.* Quoniam charitas ad hoc inclinat, & ad hoc obligat vt videlicet neceſſitas in qua conſtitutus eſt proximus cenſeatur quaſi propria cuiuſcumque, ac ſi quilibet eſſet in eadē neceſſitate cōſtitutus, quamuis non eodē gradu inclinet charitas

ad neceſſitatem proximi, & ad propriam, ſed priùs ad propriam: ſed neceſſitas in qua tunc conſtitutus eſt proximus eſt grauis vt videlicet ab eo auferantur bona temporalia magni momenti; ergo talis neceſſitas debet cenſeri quaſi propria cuiuſcumque alterius proximi in ordine ad ſubueniendum illi in tali neceſſitate. Et ex hoc fundamento facile eſt reſpondere ad rationes factas pro præcedenti conclusione.

7 Dubitabis *Tamen* An ſi mulier grauida ſit conſtituta in periculo mortis propter fœtum liceat præbere tali mulieri pharmacum vt patiatur aborſum, & ipſa euadat periculum mortis cum occiſione prolis? Partem affirmatiuam tenent Quidam quos refert *Leſſius dubit.* 103. Et ratio illorum eſt. Quia in iſto caſu proles eſt aggreſſor contra matrem; ergo in defenſionem matris licebit pharmaco occidere prolem. Hanc tamen difficultatem benè diſſoluit *Leſſius*, & latè. Quo circa lectorem remittimus ad ipſum qui dicit tria. *Primum eſt* Nullatenus eſſe licitum tale pharmacum applicare huic mulieri intendendo mortem prolis: & hoc quidem veriſſimum eſt; & Nos probatum relinquimus in ſupradictis,

8 Secundum *Dictum huius Authoris eſt* Eſſe licitum in iſto caſu præbere huiuſmodi pharmacum matri intendendo ſolum vitam ipſius, & nullomodo volendo aborſum prolis, & hoc debet intelligi dummodo fœtus non ſit animatus. Et hoc dictum etiam conſtat eſſe verum ex dictis ſupra. *Tertium dictum eius eſt* Non licere id facere ſi fœtus ſit animatus, & præſertim ſi probabiliter exiſtimaret quod fœtus egredietur adhuc viuens ex ventre matris ita vt poſſit baptizari. *Et ratio huius eſt*. Quia non licet conſeruare vitam matris cum tam magno diſpendio prolis, quale eſt decedere ſine baptiſmo, & priuari beatitudine in ſempiternum Quinimo & ſi proles non pateretur hoc detrimentum non liceret cum morte illius conſeruare vitam matris per ſe loquendo Nec poteſt aliquis in defenſionem matris prolem occidere, ſicut licitum eſt occidere aggreſſorem in defenſionem proximi aggreſſi. *Et ratio huius eſt*. Quia proles non eſt aggreſſor, ſed aggreſſor eſt infirmitas; Vnde ridiculum eſt dicere quod proles eſt aggreſſor, & ex hoc reſpondetur ad rationem in oppoſitum.

9 Ad *Argumentum factum à principio reſpondetur*. Quod quamuis à nonnullis damnetur factum Moyſis, à pluribus tamen excuſatur à peccato, ex quibus alij dicunt Moyſem occidiſſe Ægyptium ex diuina reuelatione, & iuſſu Spiritus ſancti: alij verò quod titulo Iuſtæ defenſionis proximi, vt conſtat ex doctrina *D. Thomæ* inducta in prima concluſione. *Ad confirmationem reſpondetur* Quod quando duo proximi ſunt conſtituti in neceſſitate alter amittendi vitam, alter amittendi bona temporalia teneor magis ſuccurrere exiſtenti in neceſſitate amittendi vitam. Cæterum in caſu noſtræ difficultatis aggreſſor non eſt conſtitutus in neceſſitate amittendi vitam, ſiquidem liberè poteſt ceſſare ab aggreſſione, & ſic euadere periculum occiſionis propriæ.

ARTICVLVS VII.

An liceat aliquando præuenire aggreſſorem ipſum interficiendo?

RAtio *dubitandi eſt à parte affirmatiua*. Quod non poteſt quis certus eſſe moraliter, quod inuadetur à Petro, v. g. niſi Petrus ſignis, aut actibus exterioribus id ſignificauerit. Sed ex hoc ipſo Petrus incipit eſſe aggreſſor; ergo qui ſic certus eſt moraliter quod inuadetur cum nullum aliud ſuperſit medium poterit illo vti ad ſui defenſionem. *Probatur conſequentia*. Quoniam poſtquam Petrus aggreſſor eſt initiatiuè, aggreſſus vtens illo medio neceſſario ſimpliciter ad defenſionem ſui habet rationem defenſoris meliori modo quo poteſt. 1

Hoc dubium pertractat in præſenti *Magiſter Bannez* in quo tria dicit. *Primum eſt*. Quod ſimpliciter loquendo nullus poteſt præuenire aggreſſorem ſuum; præuenit autem quis inuaſorem quando non eſt certus moraliter, ſed ſolum timet ſe inuadendum ab illo. Tunc etiam ſi aliàs ad defenſionem propriæ vitæ nullum aliud ſuperſit medium niſi occidere inuaſorem antequam actu inuadat, non erit licitum. *Et ratio huius eſt manifeſta*, Quia tunc occiſio illa non habet rationem defenſionis, ſed aggreſſionis. *Secundum eſt*. Quod ſi quis ſit certus moraliter, quod inuadetur ab alio, qui iam incipit parare inſidias contra ipſum, neque ſuperſit aliud medium, quam occidere inuaſorem etiam in quiete iam exiſtentem, poterit occidere licitè. *Et ratio eſt*, Quia tunc formaliter non præuenit aggreſſorem, cum iam ipſe incepit eſſe aggreſſor, & ſic alius habet ius ad defendendam vitam ſuam meliori modo quo poteſt; Et cum non poſſit alia via ſe defendere niſi occidendo alterum, poterit vti illo medio. *Tertium dictum eſt*. Quod ſi quis ſit accuſatus ab aliquo per Calumnia coram iudice de crimine propter quod occidendus ſit, nec poſſit alia via ſe defendere ab occiſione ſibi iam parata, niſi occidat accuſatorem, poterit illum prouocare ad duellum, & occidere ipſum. Pro quo *Bañez* refert *Dominum Caietanum in ſua ſumma* verbo *Duellum*, & 2. 2. q 25. *art.* 8. Et inſuper addit *Magiſter Bañez*, quod ſi titulo iuſtæ defenſionis poterit quis in illo caſu prouocare calumniatorem. & illum occidere, poterit etiam illum quomodolibet occidere, quando alia via vitam ſuam defendere non poteſt. 2

Alia ſententia eſt cuiuſdam moderni Thomiſtæ ſapientiſſimi, aſſerentis hanc ſententiam, quam tenuit *Bañez* non eſſe omninò veram, ita vt quamuis quantum ad primum dictum, nec ſit, nec poſſit eſſe difficultas de illo, cum ſit certiſſimum, & commune apud omnes; nihilominus in ſecundo dicto non loquitur *Magiſter Bannez* conſequenter ad doctrinam *D. Thomæ*, nec ad doctrinam ſuam Sed illud dictum, quamuis abſolutè extra ſcholam *D. Thomæ* habeat probabilitatem, nihilominus tamen probabilius eſt oppoſitum. 3

Et *Ratio huius eſt*, Quia in caſu illius dicti occiſio debet neceſſario eſſe intenta vt medium ad defenſionem vitæ; ſed dicere licitum eſſe intendere talem occiſionem eſt manifeſtè contra *D. Thomam* vt vidimus *art.* 4. & contra doctrinam 4

ipſiuſmet

ipſiusmet *Magiſtri Bannez* docentis ſæpe non poſſe eſſe intentam occiſionem aggreſſoris; ergo *Magiſter Bannez* in illo dicto non loquitur conſequenter ad doctrinam *D. Thomæ*, nec ad ſuam. *Maior probatur.* Tum quia ſæpe *Magiſter Bannez* aſſerit eſſe licitum vti illo medio, nempe occiſione ad defenſionem propriæ vitæ, ac ſubinde cenſet eſſe licitum intendere illam occiſionem tanquam medium ad defenſionem propriæ vitæ. *Tum quia* in præfato caſu impoſſibile eſt occidere illum, qui incæpit eſſe aggreſſor, & iam eſt in quiete, quin occidens velit, & intendat occidere ipſum. Nam in occiſione aggreſſoris in actuali aggreſſione datur actio quædã, videlicet exercitium, & vſus armorum mediante quo aggreſſus intendit propriam defenſionem, & non mortem aggreſſoris, quæ proinde ſequitur ex malitia ipſius aggreſſoris, ac ſubinde nec eſt volita ab aggreſſo. At in illo caſu ſecundi dicti *Magiſt. Bannez*, neutiquam dari poteſt talis actio, ſed actio, quæ interuenit ibi eſt ſola occiſio, quam quis intendit vt medium ad defenſionem vitæ. Et tandem aſſerit iſte Modernus tertium dictum *Magiſtri Bannez* eſſe ſimpliciter falſum, & in illo non legitimè referri Sententiam *Caietani*, vt poſtea amplius videbimus.

5 Dico *Tamen primo* Illud primum dictum *Magiſtri Bannez*, quamvis verum ſit indiget tamen explicatione, nam non ſolum quando non eſt certus quis modo aliter non poteſt occidere illum, quem timet fore aggreſſorem, ſed etiam non poteſt illum occidere niſi habeat probabilem opinionem, quod inuadetur ab illo. *Et ratio huius eſt.* Quia ſi iſte habet talem opinionem quod inuadetur ab altero, hoc ſufficit vt poſſit vti medio neceſſario ad ſui defenſionem, & ſi nullum aliud ſuperſit niſi occiſio alterius, poterit illum occidere (vt Explicabimus dicto ſequenti) *In dubiis namque melior eſt Conditio poſſidentis*, & cum iſte ſit probabiliter dubius, an ſit inuadendus, an non, in tali dubio dummodo ſit verum, & non ſolum exiſtimatũ ex timiditate proueniens poterit ſe tueri, etiam cum occiſione alterius, ſi non ſuperſit alia via ad ſe defendendum.

6 Dico *Secundo*. Illud ſecundum dictum *Magiſtri Bannez* probabile eſt, cum in doctrina ipſius Magiſtri Probatur Fundamento oppoſito alteri fundamento illius Moderni. *Tum* Nam quamvis *Magiſter Bannez* ſæpe dicat eſſe licitum in illo caſo vti illo medio, nempe occiſione, ſi non ſuperſit aliud, nihilominus non ſentit illam occiſionem debere eſſe tunc intentam, aut volitam tanquam medium ad defenſionem propriæ vitæ Neque *Bannez* ſumit *medium* in iſto rigore, ſed mens eius eſt dicere eſſe licitum vti illa actione, quæ eſt vſus armorum tanquam medio ad defenſionem ſui, quando non ſuperſit aliud, ideſt, quando non eſt alia via ſe defendendi. *Tum quia*, vt modo inſinuauimus, etiam in iſto caſu datur actio, nempè vſus, & exercitium armorum, quo mediante iſte intendit defendere propriam vitam, non ſecùs ac in actuali aggreſſione, quia etiam nunc eſt virtualis aggreſſio, quamvis ille, qui incæpit eſſe aggreſſor quieſcat, nam quieſcit quidem phiſicè, non tamen moraliter quatenus aggreſſor. perſeuerat enim ſemper in animo illius aggreſſio præconcepta, ac ſubinde quantum ad ſententiam aggreſſionis habet ſe prorſus ac ſi eſſet actualis aggreſſor; ergo aggreſſus in defenſionem ſui poteſt licitè illum occidere ſine eo quod intendat, aut velit occiſionem, ſed ſolum propriam defenſionem.

Dico *Tertiò*. Illud tertium dictum *Magiſtri* 7 *Bannez* non eſt probabile, ſaltem in praxi. *Et probatur noſtra Concluſio.* Quia quamvis accuſatus innocens opprimatur vſque ad mortem à calumniatore, non tamen opprimitur per vim, ſed per calumniam: non eſt autem medium per ſe ordinatum ad repellendam calumniam illatam inferre vim, ſed potiùs improportionatum. Ergo nullo modo licet vti tali medio, nam medium inſtitutum, & per ſe ordinatum ad euadendam illam calumniam eſt ordine Iuris ſe defendere. Quod ſi hoc medio non poſſit quis ſe defendere non poteſt vti illo alio cum ſit illicitum ſecundum ſe. *Deinde probatur*. Quia ſi in praxi admittamus eſſe licitum vti illo medio, videlicet, occiſione Calumniatoris aperitur ampla via ſe defendendi ſic prætermiſſo ordine iuris, ac ſubinde eſt magna perturbatio in Republica, quia ferè in omnibus litibus exiſtimant homines ſe pati calumniam, ſiue à iudice, ſiue à Teſtibus, ſiue ab Accuſatore, ſiue à tabellione, vel Relatore. Videantur quæ ſupradiximus articulo 1. & *Leſſius dubitatione* 12. n. [illegible]

Et quidem *Caietanus* non tenet Sententiam 8 *Magiſtri Bannez*, ſed ſolum docet, quod ſi calumniator prouocat ad duellum hominem, qui calumniam patitur poterit iſte ex conſenſu Principis acceptare duellum, quia hoc non eſt formaliter duellum acceptare ſed ſe defendere. Itaque *Caietanus* non cenſet eſſe licitum interficere calumniatorem ea præcisè ratione, qua calumniam infert, ſed ea ratione qua prouocat ad duellum, & quidquid ſit de iſta doctrina *Caietani* illud tamen tertium dictum *Bannez* eſt falſum.

Sed quæres. An in præfato caſu accuſatus ſuppoſito quod per vim non poteſt ſe defendere à 9 calumniatore, poſſit ſaltem ſe defendere licitè per calumniam? *Ad hoc Dico.* Nullo modo licere ſe defendere per calumniam illatam Calũniatori, quia hoc medium eſt intrinſecè malum, nec honeſtari poteſt ex hoc, quod ad bonum finem ordinetur, ſed medium eſt vt diximus ſe defendere ſecundum ordinem iuris. *Ad vlteriorem dubitãdi factam à principio* conſtat ex dictis præſertim in ſecunda concluſione.

ARTICVLVS VIII.

An percuſſus ab aliquo, ſiue pugno, ſiue alapa poſſit in defenſionem honoris, ipſum repercutere?

Videtur *quod ſic.* Nam talis repercuſſio eſt de- 1 fenſio honoris, maximè quãdo alia via honor recuperari nõ poteſt: ergo licita eſt talis repercuſſio facta in defenſionẽ honoris. Etſi reſpõdeatur [illegible] illicitũ, quia percutiens ceſſauit iam ab aggreſſione. *Contra* Nam licitum eſt latronẽ, qui furatus eſt bona alicuius perſequi, & illi bona per vim eripere ex manibus [illegible] qui iam ceſſauerat à furto, [illegible] poſtquã qui percuſſus eſt alapa, vel [illegible] eſt ad [illegible] honorem repe[illegible] *Probatur con-* [illegible] temporalia [illegible] bonorum [illegible].

Pro *huius Reſolutione* Notandum eſt poſſe 2 tripliciter contingere vt quis repercutiat ſuum

percuſſorem in defenſionem honoris; *Primo modo* quando poſtquam ſemel percuſſus eſt adhuc percuſſor perſeuerat intendens iterùm repercutere, & tunc in ipſa actuali pugna ſemel percuſſus repercutit ſuum percuſſorem. *Secundo modo* quando quis ſemel percuſſus eſt taliter, quod percuſſor non intendit iterùm repercutere; percuſſus tamen in ipſo feruore pugnæ repercutit percuſſorem adhùc non intendentem iterùm repercutere. *Tertio modo* quando percuſſor poſtquam ſemel percuſſit ſeparat ſe à percuſſione, imò fugit, & tunc percuſſus inſequitur percuſſorem, & ipſum repercutit.

3 *Dico primò* Licitum eſt percuſſo & aggreſſo primo modo repercutere ſuum percuſſorem, non quidem in vindictam prioris repercuſſionis antecedentis, ſed in defenſionem ſubſequentis. *Probatur*, quia illa repercuſſio non fit titulo defendendi ſe à percuſſione iam facta, ſed à percuſſione iterùm facienda, à qua cuicumque licet ſe defendere. *Et ſi obiicias*, quoniam illa repercuſſio non eſt medium per ſe ordinatum ad propriam defenſionem percuſſionis ſubſequentis; ergò non eſt licita. *Probatur antecedens*. quoniam immediatus, & per ſe effectus illius repercuſſionis non eſt fuga aggreſſoris, ſed nocumentum quod infertur aggreſſori per repercuſſionem, ergo talis repercuſſio non eſt medium per ſe ordinatum ad propriam defenſionem videlicet ad fugam aggreſſoris. cuius nocumentum debet ſequi per accidens ea malitia illius qui vult fugere.

4 *Reſpondetur tamen* quod etiam illius repercuſſionis immediatus, & proximus effectus intentus eſt fuga aggreſſoris, ne poſtquam percuſſit ſemel, percutiat iterùm: nam ſicut exercitium armorum immediatè ordinatur ad fugam aggreſſoris, & per accidens ſequitur eius nocumentum poſtquam fugere non vult, ita ſimiliter vt quis ſe defendat à percuſſione, quæ manibus fit medium per ſe ordinatum eſt exercitium manuum conſimile exercitio offenſiuo aggreſſoris, & ita exercitium illud manuum aggreſſi per ſe ordinatur ad fugam aggreſſoris, vt videlicet aggreſſor fugiat manum aggreſſi percutientis, quod ſi non vult fugere ſequitur per accidens eius nocumentum; & ex culpa ſua.

5 *Dico ſecundò*. Nullo modo licitum eſt tertio modo repercutere percuſſorem, & hoc adeò certum eſt, vt oppoſitum aſſerere ſit pluſquam falſum. *Probatur concluſio* quoniam iam percuſſus paſſus eſt detrimentum in ſuo honore, nec percuſſor intendit iterùm percutere, ſed potiùs fugit, ergo talis repercuſſio nullam poteſt habere rationem defenſionis, ſed vindictæ. *Probatur conſequentia*. quoniam non eſt defenſio reſpectu offenſionis iam factæ, quia illa iam præteriit, nec reſpectu futuræ percuſſionis, quia percuſſor fugiens nullo modo intendit iam percutere. *Confirmatur*. quia talis percuſſio ſolùm poſſet ordinari ad recuperationem honoris amiſſi, non autem ad defenſionem, ſed ad recuperandum honorem amiſſum non eſt licitum vti medio intrinſecè malo quale eſt illa repercuſſio, quia cum illa non habeat modum defenſionis fit vt immediatè, & per ſe ordinetur ad nocumentum inferendum proximo, ergò eſt intrinſecè mala.

6 *Dico tertiò*. Repercuſſio illo ſecundo modo facta non eſt licita & oppoſitum huius non eſt cenſendum omninò improbabile. Iſta concluſio eſt contra aliquos, quos refert *Magiſt. Bañez*, qui contendebant percuſſionem iſto modo factam eſſe licitam, quia cum repercuſſio illa fiat in ipſo feruore pugnæ, & proximè ad percuſſionem factam ab aggreſſore, ideò videtur habere rationem defenſionis. ſed tamen probatur noſtra concluſio eiſdem rationibus, quibus præcedens probata fuit. Nam repercuſſio illa non habet magis rationem defenſionis reſpectu percuſſionis factæ, quam ſi prorſus fugeret percuſſor, nec etiam habet rationem defenſionis reſpectu percuſſionis futuræ, quia illa iam à percuſſo non timetur; ergò non magis licita eſt repercuſſio ſecundo modo facta, quam tertio modo. Verum eſt tamen quod ſi quis percuſſus repercuteret hoc ſecundo modo poſſet aliquando excuſari à peccato ex ignorantia inuincibili, ſi non ſatis ei conſtaret, an percuſſor deſiſtat à percuſſione, an verò velit iterùm percutere, ſed iſte caſus eſt per accidens ad noſtram concluſionem quæ procedit abſolutè, & non ſuppoſita ignorantia, quæ nullo modo tollit quin illa repercuſſio ſit illicita ex ſua ſpecie.

Ad rationem dubitandi poſitam à principio reſpondetur. quod repercuſſio illa quando aggreſſor, vel fugit, vel ſeparat ſe, & ceſſat à percuſſione, non eſt medium per ſe ordinatum ad defenſionem honoris amiſſi, imò nullo modo eſt medium, quia reſpectu honoris amiſſi, non habet rationem defenſionis, ſiquidem defenſio eſt reſpectu eius quod nondum ablatum eſt. Nec etiam poteſt ordinari in defenſionem honoris amittendi, quia iam aggreſſor ſeparat ſe à percuſſione. 7

Ad replicam ibidem factam, quæ difficilis eſt *reſpondetur*. Quod dupliciter poteſt dominus rei ablatæ perſequi latronem, & ex ipſius manibus per vim rem ſuam eripere. *Primo modo*, vt perſequatur latronem actu fugientem cum re ablata antequam latro ſe, & rem ablatam conſtituat in loco tuto *Secundo modo* poteſt ipſum perſequi poſtquam rem ablatam, & ſe conſtituit in loco tuto. Et quidem primo modo licitè poteſt perſequi latronem, & per vim è manibus eius eripere rem ſuam. Et tunc reſpondetur aſſignando differentiam. Qoniam ſi latro etiam ſi actu fugiat defert tamen ſecum rem alienam, quæ eſt veri domini, & ſic dominus poteſt illam vtpotè ſuam antequam in loco tuto conſtituatur, eripere per vim, è manibus latronis, quoniam adhuc latro eſt aggreſſor. Cæterùm qui ſemel læſit honorem proximi per percuſſionem, ſi fugiat, aut ceſſet à percuſſione non defert ſecum honorem proximi ablatum, & ſic ſtatim quod ſeparat ſe à percuſſione totaliter deſinit eſſe aggreſſor. Vnde ſi repercutiatur. illa repercutio non habet rationem defenſionis contra aggreſſorem, ſed potius rationem reaggreſſionis, ſeu recuperationis honoris per vindictam, & ideò eſt intrinſecè malum. Eripere autem à latrone rem iſto primo modo non habet rationem recuperationis rei propriè loquendo, ſed habet rationem defenſionis rei ab aggreſſore latrone. Circa ſecundum modum quod dominus rei perſequatur latronem dicendum eſt illo modo non licere illum perſequi, de quo diſputabimus in dubio ſequenti. 8

ARTICVLVS IX.

An quando quis poteſt ſecundum ordinem iuris recuperare bona ſua temporalia iniuſtè ablata à latrone, poſsit tamen tunc in defenſionem illorum occidere latronem.

1 ISta difficultas poteſt duplici ſenſu procedere. *Primò* à parte ante, videlicet antequam bona aliquo modo auferantur de facto, ita quod in defenſionem illorum, vt nullo modo auferantur ab ipſo domino, poſſit dominus latronem occidere. *Secundo modo* à parte poſt, videlicet, poſtquam iam cœpit latro illa auferre fugiens cum illis, vel illa in loco tuto conſtituens.

2 *Circa primum ſenſum* aliqui authores, quos ſuppreſſo nomine refert *Aragon* exiſtimant quod tunc non eſt licitum in defenſionem bonorum occidere aggreſſorem, ſi poteſt dominus illa bona ſecundum ordinem iuris recuperare. *Et probant.* Quia ſi quis poſſit propriæ vitæ ſuæ proſpicere ſine occiſione aggreſſoris non poteſt tunc illum occidere in defenſionem vitæ, neque ſeruaretur moderamen inculpatæ tutelæ, ſed in caſu dubij poteſt quis ſimul & proſpicere bonis proprijs, & vitæ aggreſſoris: ergò nullatenùs poteſt tunc in defenſionem bonorum occidere aggreſſorem. Alij verò authores oppoſitum videntur communiter ſentire, dum abſolutè, & ſine diſtinctione aliqua dicunt, licitum eſſe in defenſionem bonorum temporalium occidere aggreſſorē auferentem actu illa bona, vel intentantem auferre. *Et probant.* Quia nullum ſupereſt medium aliud ad defendendum bona ſua, quia nullus tenetur permittere, vt illa auferantur de facto, vt poſtea amiſſa recuperentur ſecundum ordinem iuris, quia iſte modus recuperandi non eſt medium niſi multum per accidens.

3 *Pro huius reſolutione* ſupponendum eſt quod dupliciter poteſt quis via iuridica recuperare bona amiſſa. *Primò* ita vt ſit moraliter certus, quod etiamſi bona ſua de facto auferantur à latrone, adhùc via iuridica recuperabit illa. *Secundo modo* ita vt non ſit certus moraliter, exiſtimet tamen probabiliter quod poterit via iuridica bona ſua recuperare, etiamſi pro tunc auferantur.

4 *Dico igitur primo.* Si quis ſit certus moraliter quod bona ſua recuperabit via iuridica, non poterit latronem occidere in defenſionem illorum. Probatur iſta concluſio ratione ſatis efficaci facta pro prima ſententia. Et confirmatur ex ſupradictis ſæpè. Nam bona temporalia parui momenti non poteſt quis defendere cum grauiſſimo nocumento latronis, videlicet cum detrimento vitæ, eo quod tunc tenetur magis proſpicere vitæ latronis, quæ maximi momenti eſt, quam leuiſſimo ſuo nocumento in rebus temporalibus: ſed in præſenti caſu dominus rei, quæ auſertur, quamuis illa ſit magni momenti, ipſe tamen patitur leuiſſimum nocumentum in bonis ſuis, ſiquidem certus eſt quod facile via iuridica recuperabit illa, ergò tenetur potiùs pati hoc leuiſſimum nocumentum, & non inferre grauiſſimum nocumentum vitæ proximi.

Dico ſecundò. Si ſolùm probabiliter exiſtimat iſte quod bona ſua poterit via iuridica recuperare poterit in defenſionem illorum occidere latronem. *Probatur concluſio.* Quia tunc non ſupereſt aliud medium ad defendendum bona ſua niſi actus ex quo ſequitur occiſio per accidens; 5
ergò poterit tunc licitè vti illo medio in defenſionem bonorum. *Probatur antecedẽs*: Quia medium ſolum probabiliter exiſtimatum tale non poteſt cenſeri medium neceſſarium; & efficax ad defenſionem bonorum, ergò ſolùm ſupereſt tanquam medium neceſſarium actus defenſionis, ex quo ſequitur occiſio per accidens. *Confirmatur.* Quoniam ſi ſolùm probabiliter exiſtimat quod bona ſua poterit recuperare poſtea, ſi modo non defendat illa, exponit ſe maximo diſpendio bonorum ſuorum, & maximo periculo amittendi illa, hoc autem cenſeri debet magnum nocumentum, & res magni momenti, ergò vt hoc poſſit vitari poterit vti illo medio in defenſionem bonorum, etiamſi ſequatur ex illo mors latronis.

Circa ſecundum verò ſenſum huius difficultatis duo ſupponenda ſunt tanquam certa, alterum autem poteſt difficultatem habere. *Primò* ſupponendum eſt tanquam certum quod tunc dominus rei poteſt inſequi latronem actu fugientem, & per vim eripere res ſuas è manibus eius, dum tamen lethale vulnus, aut mortem latroni non inferat. *Et ratio huius eſt.* Quia quamuis latro actu fugiat, adhuc tamen perſeuerat in actuali, & iniuſta ablatione rei alienæ; ergo dominus rei ius habet ad illam defendendam, & eripiendam è manibus eius, ſaltem quando vulnus aliquod ei non inferat. *Secundò*, ſupponendum eſt tanquam certum, quod poſtquam latro ſe, & rem iniuſtè ablatam in loco tuto conſtituit, tunc dominus rei non poteſt illam contrà voluntatem ipſius latronis auferre. Quæ doctrina eſt manifeſtè *D. Thomæ* infrà *quæſtione ſexageſimaſexta, articul.* 3. *ad* 3. Et ratio huius eſt: quia quamuis res illa iniuſtè detenta à latrone ſit veri domini abſolutè, nihilominùs eſt etiam ipſius latronis ſecundum quid, ſcilicet, quantum ad detentionem, quod eſt dicere, quod poſtquam res iniuſtè ablata eſt adhuc ipſe latro habet ius vt ab ipſo per vim non auferatur etiam à vero domino, ſed latro habet ius ad reſtituendum ipſam voluntariè, & ſolùm poteſt auferri ab eo per vim via iuridica. Nam tunc quia iniuſta ablatio rei fuit tranſacta, & damnum iam fuit illatum proximo, ideò non poteſt ipſe proximus, & dominus rei priuata auctoritate recuperare ſibi damnum illatum à latrone, ſed hoc pertinet ad publicã poteſtatem, quæ ſuperior eſt reſpectu vtriuſque.

Sed adhuc contra iſtam doctrinam certam poteſt eſſe obiectio. Nam ſi dominus rei per vim 7
velit rem iniuſtè ablatam recuperare, ſi latro etiam per vim defendat illam peccat contra iuſtitiam, ſiquidem non defendit rem ſuam, ſed potiùs alienam, & facit iniuriam vero domino defendendo illam, ſiquidem talis defenſio, eſt continuatio ablationis rei alienæ; ergò dominus ei iuſtè infert vim ad illam recuperandam à latrone. *Ad hanc obiectionem* reſpondet in præſenti *Magiſt. Bannez.* Quod iniuſtè facit in iſto caſu, nec eſt conueniens dari bellum iniuſtum ex vtraque parte, maximè cùm in præſenti caſu bellum vtrinſque ſit iniuſtum ſecundum diuerſas rationes. Nam ex parte latronis

eſt iniuſtum contra iuſtitiam commutatiuam, ex parte verò domini rei eſt iniuſtum contrà iuſtitiam legalem.

8 *Hæc tamen ſolutio* non videtur vndequaque vera. Et quidem quod poſſit dari bellum iniuſtum ea vtraque parte certum eſt quamuis non poſſit dari in rei veritate bellum iuſtum ex vtraque parte, niſi ſuppoſita ignorantia inuincibili alterius, vel vtriuſque partis. Nihilominùs tamen iniuſtum bellum dari poteſt ea vtraque parte, vt ſi duo contendant pro eadem re ad quam nullus eorum habet ius. Cæterùm quantùm ad hoc quod in præſenti caſu detur bellum iniuſtum ea vtraque parte non apparet ſolutio illa vera. Nam quamuis latro defendat rem alienam poteſt tamen licitè defendere illam, non quatenùs alienam, ſed quatenùs defendit ius quod ipſe habet; imò verò hoc ſolùm ius defendit vt ab ipſo videlicet res per vim non auferatur, niſi ſolùm via iuridica. Vnde ea parte illius bellum eſt iuſtum ſecundum iſtam conſiderationem, quamuis aliàs per accidens poſſit eſſe iniuſtum, ſi latro intendat defendere rem alienam, vt alienam, & vt illam ſibi retineat. At ex parte domini rei vim inferentis eſt iniuſtum bellum non ſolùm contrà iuſtitiam legalem per vſurpationem iuridicæ poteſtatis. (vt ait *Bañez*) ſed etiam contra iuſtitiam commutatiuam, videlicet, contra ius quod latro habet ne per vim ab ipſo auferatur res, niſi via iuridica.

Sed quæris. An latro in defenſionem ſui iuris

9 poſtquam iuſtè defendit rem ne per vim à domino ipſius eripiatur ab illo, poſſit tunc in talem iuſtam defenſionem occidere dominum rei inferentis vim latroni? *Reſpondetur negatiuè.* Et ratio eſt. Quia ius quod ipſe defendit eſt minimi momenti per comparationem ad vitam alterius, maximè cum dominus rei habeat ſimpliciter ius ad illam, quamuis non habeat ius ad illam ſic eripiendam per vim. Et inſuper ius quod habet latro eſt ſecundum quid, vt ſolùm videlicet non eripiatur ab ipſo per vim ſimpliciter tamen non habet ius ad rem illam detinendam.

Id igitur quod in hac parte difficultatem poteſt habere eſt, an quando dominus rei inſequitur latronem actu fugientem, neque certus eſt quod ſibi ſuperſit alia via ad rem ſuam recuperandam, etiam in via iuridica, vtrum tunc poſſit in defenſionem rei ſuæ latronem occidere actu fugientem. *Et ratio dubitandi eſt à parte negatiua;* Quia tunc latro quamuis ſit in actuali ablatione rei alienæ, non tamen eſt actu inferens vim domino rei, ſiquidem fugit; ergò non videtur eſſe medium proportionatum ex parte domini rei inferre latroni talem vim, quod ex illa ſequatur eius mors. *Probatur conſequentia.* Quia quamuis liceat vim repellere vi, tamen in præſenti ea parte latronis non eſt vis. 10

Dico tamen tertiò. Licitum eſt in hoc caſu occidere latronem. *Probatur concluſio.* Quoniam latro tunc ſicut eſt in actuali ablatione rei quandiù fugit, ſic etiam perſeuerat in actuali vi quam infert domino rei, ſiquidem talis iniuſta ablatio rei non fit ſine vi. Verum eſt tamen quod talis ablatio rei non fit per vim quæ ordinetur ad occiſionem domini rei, fit tamen per vim quæ ordinatur ad iniuſtam ablationem prolongandam, & ita quamuis domino rei ad repellendam vim ſibi illatam in propria perſona non ſuperſit locus, ad repellendam tamen vim ſibi illatam in re magni momenti licitum eſt inferre quamcumque vim, etiam ſi ex illa ſequatur occiſio inuaſoris, quando non ſupereſt aliud medium. Et per hoc patet ad rationem dubitandi modo factam. Et ex dictis in hoc dubio conſtat ſolutio ad argumenta facta pro vtraque ſententia à principio poſita. 11

TRACTATVS
DE IRREGVLARITATE.

ARTICVLVS octauus, huius quæſtionis celebris, & grauiſſimus eſt inter Theologos, quia in illo interpretes D. Thomæ, latiſſimè diſputant de *Irregularitate*, quæ incurritur propter homicidium, quæ quidem irregularitatis materia grauiſſima eſt, & maximè neceſſaria, nec parum difficilis intellectu. Et quamuis *D. Thom. in hoc artic.* ſolùm diſputet de reatu irregularitatis, qui incurritur propter homicidium caſuale, nihilominùs eius expoſitores occaſione huius doctrinæ diſputant vniuerſaliter de omni irregularitate, quæ incurritur propter quodcumque homicidium; imò propter mutilationem, & præſertim quia *D. Thom. artic.* 7. ad tertium egit quamuis breuiſſimè de irregularitate ſi incurritur propter homicidium factum in propriam defenſionem. Et quamuis homicidium importet non quamcumque occiſionem, ſed occiſionem ſolùm iuſtam, & illicitam, & irregularitas incurratur, non ſolùm propter occiſionem iniuſtam, quæ nomine *Homicidij* quantum attinet ad irregularitatem quam inducit, comprehendimus etiam omnem occiſionem iuſtam. Vt autem Irregularitatis materia ſemel, & integrè tractetur, nec curta permaneat decreui non ſolùm de irregularitate ex homicidio, ſed quomodolibet inducta diſputare in tractatu ſequenti de quo vniuerſaliter videri poſſunt authores quos in præſenti refert *Magiſter Bannez, Salon, & Aragon, &c.*

DISPVTATIO XVIII.

De natura, & cauſa irregularitatis.

ARTICVLVS I.

Vtrum irregularitas ſit cenſura Eccleſiaſtica.

1 PRIMA *ſententia* eſt negatiua, quam tenent communiter omnes iuriſperiti, & cum illis *Nauarrus in manuali, cap. 27.* Vbi illam ſæpè repetit, & eandem tenet *Syluester verbo cenſura*, & *Magiſt. Soto lib. 5. de iuſtitia quæſtion. 1. articul. 4.* Et hos authores ſequitur *Suarez tomo 5. de Cenſuris diſput. 1. ſect. 1. & ſect. 3. & diſput. 40. ſect. 1.* & latiùs *Sect. 3. & Manuel Rodriguez tomo 1. quæſtionum regularium, q. 10. art. 17.*

2 *Secunda ſententia* eſt affirmatiua, videlicet quod quantùm ad illam irregularitatem quæ inducitur ex delicto, irregularitas eſt cenſura, non autem eſt cenſura irregularitas quæ inducitur propter indecentiam. Hanc ſententiam docuit *Magiſt. Soto*, ſeipſo doctior factus *in 4. diſt. 22. quæſt. 3. artic. 1. & Bannez in hoc artic. part. 4. dub. 1. concluſ. 1. & Magiſt. Salon in hoc art. controuerſ. 4. in principio*, & *Corduba*, & alij quos referunt iſti authores. Quam etiam ſententiam magis communiter tenent vniuerſi Theologi. Cuius potiſſimum fundamentum eſt Quia prima illa irregularitas habet rationem pœnæ, vtpote quæ inducitur propter delictum, ſecunda verò irregularitas non ſolùm habet rationem inhabilitatis, & non pœnæ. de ratione autem cenſuræ eſt eſſe pœnam, ergo prima irregularitas eſt cenſura, ſecunda verò minimè

3 *Pro reſolutione* huius difficultatis neceſſum eſt alias duas à quibus iſta dependent breuiter explicare. *Prima eſt*, Quid ſit *cenſura*? Et ſecunda quotuplex ſit cenſura? Vt ex his cognoſcere poſſimus, an irregularitas ſit conſtituenda inter ſpecies cenſuræ. Circa primam igitur difficultatem *Suarez tomo 5. diſp. 1. de cenſuris ſect. 1.* intendens in ipſa definitione cenſuræ ſuam opinionem inculcare, ſic definit cenſuram, quod ſit *Eccleſiaſtica pœna medicinalis priuans hominem vſu aliquorum bonorum ſpiritualium, ſic per Eccleſiam impoſita, vt per eam ordinariè abſolui poſſit*. Vnde per illam particulam *Medicinalis*, & per alias poſteriores ſuperadditas intendit excludere à ratione cenſuræ quamcumque irregularitatem, & ſimiliter degradationem, & depoſitionem, eo quod non ſint medicinales pœnæ, ſed quodammodo perpetuæ, & ab illis ordinariè non fiat abſolutio ab Eccleſia. Circa ſecundam autem difficultatem idem *Suarez* cum aliis tenet quod ſolùm eſt triplex cenſura videlicet excommunicatio, ſuſpenſio, & interdictum. *Magiſt. autem Soto in 4. ſententiar. vbi ſupra*, Quinque ponit ſpecies cenſuræ, tres quidem nunc numeratas, & inſuper *Ceſſationem à diuinis*, & irregularitatem non quamcumque ſed contractam per culpam. Alij verò Theologi ponunt ſeptem ſpecies cenſuræ; quinque numeratas, & inſuper *depoſitionem*, & *degradationem*.

Dico igitur primò. Vera, & legitima definitio cenſuræ eſt, quod ſit *pœna Eccleſiaſtica, qua punitur fidelis, & priuatur aliquo bono ſpirituali.* 4
Ad cuius definitionis explicationem ſupponenda eſt differentia inter Eccleſiaſticam poteſtatem, & ciuilem. Ciuilis namque poteſtas ſicut ordinatur ad finem temporalem, & naturalem, videlicet ad bonum politicum reipublicæ, ita etiam media, quibus homines dirigit ad huiuſmodi finem temporalem ſiue per modum præmij, ſiue per modum pœnæ, temporalia etiam ſunt. Cæterùm Eccleſiaſtica poteſtas ordinatur ad finem ſupernaturalem. Vnde etiam media, quibus homines dirigit ad huiuſmodi finem, ſiue per modum præmij, ſiue per modum pœnæ contra delinquentes, ſpiritualia etiam, & ſupernaturalia ſunt. Et conſequenter Eccleſiaſticæ pœnæ quales ſunt *Cenſuræ*, debent eſſe ſpirituales, non quidem quatenùs *ſpirituale* opponitur contra *Corporeum*, ſed vt opponitur contra *naturale*, & eſt idem quod *ſupernaturale*; ſiue illud ſupernaturale ſit aliàs corporeum ſiue non. Hac enim ratione exteriores actus, quibus ſacramenta adminiſtrantur, aut ſuſcipiuntur, & ſimiliter beneficia, aut officia alia Eccleſiaſtica dicuntur ſpiritualia ſupernaturalia. Et quidem etiamſi poteſtas Eccleſiaſtica quandoque verſetur circa temporalia, hoc tamen eſt in ordine ad ſpiritualia, vnde ſpiritualis pœna Eccleſiaſtica directè pertinens ad poteſtatem Eccleſiaſticam verſari debet circa ſpiritualia ſaltem primò, & per ſe. Quocirca ſi quæ eſſet pœna à poteſtate Eccleſiaſtica ſolùm circa temporalia bona, talis pœna non eſſet ſpecialiter Eccleſiaſtica, ſed eſſet communis tam poteſtati ciuili: quam Eccleſiaſticæ.

His igitur poſitis explicatur præfata definitio. Nam *Pœna* ponitur in illa vice generis, pœna enim, vt ſic à ciuili, & Eccleſiaſtica poteſtate imponi poteſt, per hoc autem quod *pœna* dicitur, datur intelligi eſſe inflicta propter culpam, nam pœna propriè loquendo imponitur propter culpam. Dicitur autem *Eccleſiaſtica*, vt per iſtam particulam determinetur pœna illa ex parte poteſtatis, à qua prouenit. Dicitur rurſus, *qua punitur fidelis*, quia Eccleſia per poteſtatem Eccleſiaſticam quam habet, punire non poteſt niſi ſibi ſubditos. Subditi autem Eccleſiaſticæ poteſtati quantum ad hanc pœnam inferendam ſolùm ſunt fideles, qui ſunt, vel fuerunt, vel erunt. In illa verò vltima particula, ſcilicet, *qua priuatur aliquo bono ſpirituali*, explicatur vltima differentia Eccleſiaſticæ cenſuræ, per quam differt à quacumque alia Eccleſiaſtica pœna impoſita ſolùm circa temporalia bona, quia talis pœna circa temporalia bona communis eſt ciuili, & Eccleſiaſticæ poteſtati, vt diximus. Inſuper etiam per illam vltimam particulam explicatur modus intrinſecus huius pœnæ, qui eſt per priuationem bonorum ſpiritualium, non enim poteſt Eccleſia circa ſpiritualia bona ſuis fidelibus aliquam poſitiuam pœnam infligere, & idcircò pœna in ſpiritualibus bonis inducta ab Eccleſia debet eſſe ſolùm priuatiua. Ex quo tandem ſequitur, quod cenſura Eccleſiaſtica non poteſt ver-

ſari circa omnia bona ſpiritualia videlicet circa gratiam,& charitatem, & alias virtutes,& ſacramentales characteres, quia hæc ab eccleſiaſtica poteſtate non pendent,ſed ſolum verſatur circa illa bona ſpiritualia, quæ fidelibus communicari poſſunt dependenter ab eccleſiaſtica poteſtate.

6 Hac *igitur* definitione ſic explicata probatur noſtra concluſio oſtendendo inſufficientiam alterius definitionis, quam tradit *Suarez*. Et imprimis illa particula *medicinalis* inſufficientiſſimè ponitur. Nam per illam intelligit iſte author, quod cenſura debet eſſe *pœna medicinalis* ſecundum communem rationem, qua omnis pœna impoſita à lege ſiue Eccleſiaſtica, ſiue ciuili ordinatur ad hoc, quod homines arceantur à conſimilibus peccatis perpetrandis, ita quod non habet eſſe medicinalis reſpectu peccantis poſtquam iam peccauit, ſed reſpectu aliorum vt ex timore incurrendi talem pœnam arceantur à culpa perpetranda, & hoc non eſt ſpeciale in cenſura, quia hæc ratio *Medicinalis pœna* communis eſt omnibus pœnis, etiam ciuilibus. Id etiam in illis tribus cenſuris non eſt vniuerſaliter verum, nam quamuis excommunicatio propriè imponatur propter peccatum inobedientiæ, ita vt per pœnam excommunicationis intendat Eccleſia rebelles, & inobedientes, & in ſua inobedientia perſiſtentes ad debitam Eccleſiæ obedientiam reducere; id tamen verum non eſt vniuerſaliter in aliis cenſuris etiam ab iſto authore enumeratis, v. g. In ſuſpenſione eſt hoc manifeſtum Plura enim peccata puniuntur per ſuſpenſionem, & tamen non intenditur, quod per illam pœnam ſuſpenſionis homo deſiſtat à peccato perpetrato, & ab illo reſipiſcat, ſiquidem plura ſunt peccata, quæ hac pœna puniuntur, in quibus homo poſtquam ſemel illa commiſſit, non poteſt exterius perſeuerare, v. g ſi per ſaltum, aut ante legitimam ætatem quis ſacrum ſacerdotis ordinem ſuſcipiat, poſtquam hæc peccata ſunt commiſſa, non poſſunt iterum committi; ergo in his peccatis puniendis non intenditur quod homo ab eiſdem peccatis deſiſtens reſipiſcat, & emendatus euadat; ergo talis ratio *Medicinalis pœna* adhuc non reperitur vniuerſaliter in omni cenſura.

7 Secunda *verò particula* ſuperaddita à præfato authore in illa definitione, videlicet, quod cenſura debet eſſe taliter impoſita ab Eccleſia, quod *per eandem Eccleſiam ordinariè abſolui poſſit*, probatur etiam inſufficiens. Et in primis hæc particula ex mente præfati authoris in idem reddit, atque prima illa particula, videlicet *Medicinalis*, nam per hanc particulam intendit quod cenſura non debet eſſe pœna perpetua, quia ex hoc quod pœna ſit perpetua non erit medicinalis. Vnde ſicuti improbata eſt illa prima particula *Medicinalis*, etiam improbatur hæc ſecunda Sed ſpecialius improbatur. Nam quod ſit pœna perpetua, vel quod ordinariè ab ipſa fiat abſolutio per Eccleſiam eſt omnino extrinſecum, & impertinens ad rationem cenſuræ, ergo talis particula eſt inſufficienter poſita, *Antecedens probatur*. Quia ſi ſummus Pontifex concederet facultatem vt ab irregularitate quacumque poſſet ordinariè abſolui, iam ex hoc ſolum irregularitas ſecundum præfatum authorem eſſet cenſura, quia tunc eſſet etiam medicinalis pœna; ergo ad hoc quod ſit cenſura ſolum pendet ex voluntate ſummi Pontificis. Id autem non eſt verum, quia hoc omninò extrinſecum eſt ipſi cenſuræ.

8 Secundo *Probatur idem antecedens*. Quia quod ab aliqua cenſura magis, aut minus ordinariè poſſit abſolui pendet ex hoc quod ſit magis, aut minus grauis cenſura: ergo quod aliqua cenſura non poſſit ordinariè tolli, prouenit ex hoc, quod ſit longe grauior, quam alia, vnde hoc non tollit rationem cenſuræ, ſed eſt extrinſecum illi ratione ſuæ grauitatis.

Tertio *vrgentius Probatur idem antecedens*. 9
Nam idcirco irregularitas ex modo quo imponitur, cenſetur pœna perpetua ex mente præfati authoris, quia non imponitur ſecundum aliquod determinatum tempus (nam abſolutè loquendo multoties contingit, quod irregularitas, ſiue illa quæ eſt cenſura, ſiue quæ non eſt cenſura auferatur à ſummo Pontifice, ſicut auferuntur aliæ cenſuræ) ſed hæc ratio authoris eſt inſufficiens. Nam etiam propter plura peccata imponitur pœna ſuſpenſionis non pro aliquo determinato tempore, & conſequenter ex modo quo imponitur etiam imponitur tanquam perpetua, vt conſtat, quia plures ſuſpenſiones latæ ſunt à iure, propter aliqua crimina, quarum ſuſpenſionem abſolutio remanet reſeruata ſummo Pontifici ſecundum ius commune. Nec imponuntur tales pœnæ ſuſpenſionum pro aliquo determinato tempore; ergo idem prorſus reperitur quantum ad hoc in ſuſpenſione, atque in irregularitate, ac conſequenter conſtat, quam ſuperflua ſit illa particula in definitione cenſuræ.

Dico *Secundo*. Non tantum ſunt tres ſpecies 10
cenſuræ, videlicet Excommunicatio, Suſpenſio, Interdictum, ſed ſunt plures aliæ. *Probatur concluſio*. Quoniam ceſſatio à diuinis eſt cenſura, & ſecundum omnium opinionem eſt diſtincta ab interdicto, nam quamuis includat aliquid pertinens ad interdictum, ſuperaddit tamen aliam longe grauiorem pœnam, & quamuis id, quod ſuperaddit, videatur eſſe eiuſdem rationis, & generis cum ipſo interdicto differens ſolum penes maiorem grauitatem, hinc nihilominus infertur eſſe cenſuram longè grauiorem: & aliàs vniuerſi authores, & ipſe *Suarez*, tenent eſſe diuerſam omnino pœnam ab interdicto; ergo etiam eſt cenſura ſicut interdictum, & ſpecie diſtincta ab illo, quia eſt alterius rationis ab ipſo, nec ſub illo poteſt comprehendi, vt cenſet *Suarez. diſp. 1. ſect. 3.* Quoniam interdictum non includit tantam grauitatem, quam includit ceſſatio à diuinis. *Confirmatur*. Et probamus contra prædictum authorem, quod ſit cenſura, etiam ſecundum definitionem ab ipſo traditam. Nam ceſſatio à diuinis ex modo quo imponitur, nunquam imponitur tanquam perpetua pœna, & ex hoc habet etiam, quod ſit medicinalis, quæ ordinariè tollitur ab Eccleſia; ergo conuenit illi definitio tradita è præfato authore ſecundum omnes eius particulas. Et ex alia parte (vt iam diximus) ceſſatio à diuinis ſecundum iſtum authorem, & omnes alios eſt diſtincta pœna ſpecie ab interdicto; ergo eſt cenſura diuerſa ab illo.

Dico *Tertio*. Irregularitas, quæ incurritur tan- 11
quam pœna impoſita à iure propter culpam, eſt verè, & propriè cenſura. *Probatur ex dictis circa primam concluſionem*. Nam definitio cenſuræ conuenit huic irregularitati; ergo verè eſt cenſura. *Confirmatur*. Quia ſi aliqua ratione eſſet excludenda à ratione cenſuræ, maximè quia non eſt *medicinalis pœna*, ſed potiùs perpetua eo modo, quo à iure imponitur, ſed ſatis ſupra oſtendimus

hoc

hoc non eſſe neceſſarium ad rationem cenſuræ, videlicet eſſe medicinalem pœnam, neque etiam id repugnare irregularitati, ſicut nec ſuſpenſioni ergò nulla ratione poteſt hæc irregularitas excludi à ratione cenſuræ. Dixi in concluſione *Irregularitas impoſita à iure propter culpam*, quia in præſenti non loquimur de omni irregularitate, ſicut dicemus in ſequenti articulo.

12 *Dico quartò*. Septem ſunt ſpecies cenſuræ, videlicet *Excommunicatio, ſuſpenſio interdictum, ceſſatio à diuinis, irregularitas inducta propter culpam depoſitio, & degradatio*. Hæc concluſio probatur. *Tum* ex communi ferè ſententia Theologorum, *Tum etiam* ex definitione cenſuræ tradita, & explicata in prima concluſione. Nam illa quoad omnes ſuas particulas, quas diximus ſolùm eſſe neceſſarias, tam conuenit *depoſitioni, & degradationi, quam ſuſpenſioni, excommunicationi, & interdicto*; ergò omnes iſtæ ſeptem ſpecies pœnæ Eccleſiaſticæ ſunt conſtituendæ ſub genere cenſuræ. *Confirmatur:* Nam quælibet pœna iſtarum ſeorſum habet diuerſam rationem ab alia vt concedit etiam *Suarez*: ergò nulla ratione poteſt excludi à pœna Eccleſiaſtica, quæ eſt Cenſura.

Soluuntur Argumenta

1 ARguitur primò pro prima ſententia, *ex cap. quærenti, de verborum ſignificatione*, vbi *Innocentius III* interrogatus, & requiſitus, quid nomine cenſuræ intelligendum ſit? reſpondet ſolùm quod nomine cenſuræ intelliguntur hæc tria *Excommunicatio, ſuſpenſio, & interdictum*. Ergò ſolùm hæc tria compræhenduntur nomine cenſuræ, & conſequenter irregularitas non eſt cenſura. *Neque poteſt reſponderi* quod *Innocentius* non appoſuit excluſiuam dicens, quod ſolùm illa tria intelliguntur nomine cenſuræ, ſed dixit, quod nihil aliud præter illa tria intelligitur nomine cenſuræ, ac ſubinde ex illa determinatione non licet inferre quod nihil aliud intelligatur nomine cenſuræ. *Nam contra iſtam ſolutionem eſt*, quod, poſtquam ſummus Pontifex requiſitus fuit, quid nomine cenſuræ intelligendum ſit debuit reſpondere explicans omne illud, quod nomine cenſuræ compræhenditur; vnde vel Pontifex fuit diminutus in hoc (quod non eſt admittendum) vel dicendum eſt, quod explicuit omne illud, quod nomine cenſuræ intelligendum eſt, ac per conſequens ſolùm illa tria nomine cenſuræ ſunt intelligenda.

2 Reſpondetur, quod ſi ſummus Pontifex ibidem interrogatus, & requiſitus eſſet, quid intelligendum ſit per cenſuram abſolutè loquendo, certè argumentum haberet maximas vires. Sed tamen ſummus Pontifex non ſic fuit interrogatus, ſed ſolùm quid intelligendum eſſet per cenſuram in reſcriptis apoſtolicis, quando videlicet ſummus Pontifex in ſuis reſcriptis, & litteris præcipit iudicibus inferioribus, vt compellant per cenſuram rebelles obedire mandatis eccleſiaſticis & ſic Papa reſpondit, quod tunc in caſu particulari de quo agebatur, debet intelligi per cenſuram, *excommunicatio, ſuſpenſio, & interdictum*. Ex quo manifeſtè ſequitur, non licere inferre, quod abſolutè loquendo non ſint niſi iſtæ tres ſpecies cenſuræ. Et quidem quod hæc expoſitio legitima ſit, & vera, & colligatur manifeſtè ex contextu probatur. Quia ibi ſic dicitur: *Quærenti quid per cenſuram intelligi debeat cum huiuſmodi clauſulam in noſtris litteris apponimus; &c. Reſpondeo, quod per cenſuram non ſolum interdicti, ſed ſuſpenſionis, & excommunicationis ſententia intelligi valet, niſi iudex diſcretus rerum, & perſonarum circunſtantiis indagatis, ferat quam viderit magis expedire*. Ex quo manifeſtè colligitur noſtra concluſio. Nam quemadmodum abſolutè non fuit interrogatus quid nomine cenſuræ eſſet intelligendum, nec etiam abſolutè reſpondit, ſed in caſu particulari. Et quidem in hoc caſu Papam manifeſtè loqui cum iudicibus inferioribus conſtat ex vltimis verbis illius capitis, ac ſubinde cum iudices inferiores non ferant ſententiam irregularitatis, & ſuſpenſionis ſemper, ideo nullatenus ex illo capite inferri poteſt has non eſſe cenſuras, ſed ſolum tres ibi enumeratas.

3 Secundo *Arguitur*. Quoniam cenſura Eccleſiaſtica eſt quædam pœna medicinalis ordinata ad correctionem fidelium, vt per huiuſmodi pœnas, & cenſuras reſipiſcant; ſed irregularitas non eſt medicinalis pœna, ſed potiùs ex modo quo ab Eccleſia imponitur, habet eſſe pœna perpetua, quæ ex hoc ipſo quod perpetua eſt, non eſt medicinalis, neque ordinata ad correctionem delinquentium, ſed vt ſit nota quædam inhabilitatis illorum; ergo non poteſt eſſe cenſura. *Tertio*. Quoniam alias ſequeretur irregularitatem poſſe diſpenſari, imò abſolui virtute Bullæ Cruciatæ, ſiquidem in iſto priuilegio continetur, facultas diſpenſandi, & abſoluendi ab omni cenſura conſequens tamen eſt falſum, quia nullus hactenus dixit irregularitatem prouenientem ſaltem ex homicidio poſſe virtute Bullæ Cruciatæ abſolui, aut diſpenſari, imò hæc facultas diſpenſandi, ſeu abſoluendi ab omni irregularitate ſolum in aliquo Iubileo pleniſſimo concedi ſolet, & non ſemper, nec ab omni irregularitate; ergo, &c.

Ad *Secundum Reſpondetur*, ex dictis circa primam concluſionem, non eſſe de ratione cenſuræ eſſe medicinalem pœnam eo ſenſu quo argumentum intendit, nec id repugnare cenſuræ.

4 Ad *Tertium Reſpondetur* pro nunc breuiter, nam plura dicemus infrà, quod ſi irregularitas conſideretur ea præciſæ ratione, qua eſt cenſura, benè poteſt abſolui, ſeu diſpenſari per Bullam Cruciatæ, vt cenſent graues authores relati in ſecunda ſententia. Vnde immeritò *Suarez*, aſſerit, quod aliqui Confeſſarij parum docti in theologia hoc tenent. Si tamen cum ratione cenſuræ ſit adiuncta alia ratio irregularitatis impoſita propter culpam, & altera, quæ ſolum eſt canonicum impedimentum, propter indecentiam. *Ad Tertium Argumentum* negamus definitionem cenſuræ conuenire irregularitati prouenienti ex homicidio culpabili, quatenùs culpabile eſt præciſè, vt explicabimus amplius articulo ſequenti.

.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm irregularitas quæ incurritur propter homicidium, aut propter mutilationem habeat rationem cenſuræ.

1 IN hac difficultate id certiſſimum eſt apud omnes authores, quod irregularitas quæ incurritur propter occiſionem iuſtam, aut propter iuſtam mutilationem non habet rationem cenſuræ ſed ſolùm eſt quædam inhabilitas, & canonicum impedimentum ad ſacros ordines ſuſcipiendos. Præſens igitur difficultas ſolùm procedit de irregularitate, quæ incurritur propter homicidium culpabile voluntarium, aut caſuale, ſiue propter illicitam mutilationem, an talis irregularitas ſit cenſura.

2 Pro huius reſolutione aduertendum eſt, Quod omiſſa adhuc irregularitate, quæ inducitur propter homicidium iuſtum, & licitum, quam in principio articuli diximus non eſſe cenſuram, duplex alia irregularitas conſiderari poteſt, quæ inducitur propter homicidium illicitum, aut mutilationem iniuſtam. *Prima eſt*, quæ inducitur propter homicidium culpabile, à quocumque fiat, ſiue clerico, ſiue laico, & ideircò hæc irregularitas communis omnibus. *Secunda* Irregularitas poteſt conſiderari, quæ ſpecialiter à iure impoſita eſt in ordine ad clericos, in quantùm homicidio iniuſto, aut mutilatione à clerico facta ſpecialiter imponitur in iure irregularitas quamobrem ea, quæ aliàs licita eſſe poſſunt ſecundum ſe in ordine ad ſanguinis effuſionem prohibita ſunt clericis, cui prohibitioni adiuncta eſt irregularitas, de qua latè dicemus infrà. De hac ergò duplici irregularitate modo breuiter ſuo ordine diſputandum eſt, omittendo plures ſententias de iſta re diuerſas.

3 *Secundò aduertendum eſt*, quod indecentia dupliciter ſe poteſt habere in ordine ad inducēdam irregularitatem. *Primo modo* ſolùm occaſionaliter, quia videlicet maximè indecens eſt, quod Eccleſiæ miniſtri aliqua peccata committant & ideircò ex hac ſpeciali indecentia ſumit Eccleſia occaſionem, vt in pœnam illorum peccatorum imponat irregularitatem. Et ſimiliter quando aliquis actus ſpecialem habet indecentiam in ordine ad Eccleſiaſticum miniſterium, etiamſi aliàs talis actus ex ſe non ſit illicitus, ex hoc tamen ſumit occaſionem Eccleſia, vt talem actum, aliàs licitum, prohibeat miniſtris Eccleſiæ, & tali prohibitioni adiungit etiam irregularitatem. *Secundo modo* poteſt indecentia ſe habere in ordine ad irregularitatem inducendam tanquam formalis cauſa propter quàm inducitur, ad quod omninò impertinēs eſt, quod actus ille, qui hanc ſpecialem indecentiam importat ſit licitus, vel illicitus.

4 *Dico igitur primò.* Nulla ratione negari poteſt, quod irregularitas homicidij iniuſti, quæ communiter imponitur omnibus ſiue clericis, ſiue laicis ſit impoſita propter indecentiam, & ſignificationem, & ita hæc inhabilitas eſt canonicum impedimentum. *Probatur concluſio* quoniam in quocumque homicidio iniuſto reperitur verum homicidium voluntarium quomodolibet, ſiue directà, ſiue indirectè; ergò reperitur ibi vera ratio indecentiæ, & ſignificationis, propter quam impoſita eſt irregularitas, quæ eſt inhabilitas, & canonicum impedimentum, ergò neceſſarium eſt fateri per quodcumque homicidium iniuſtum induci eandem irregularitatem quæ inducitur propter quodcumque iuſtum homicidium.

Dico ſecundò; Hæc irregularitas homicidij iniuſti, quæ communiter eſt impoſita omnibus nullam prorſus habet rationem cenſuræ. *Probatur concluſio*, quoniam nulla alia irregularitas eſt impoſita propter homicidium iniuſtum reſpectu omnium tam clericorum, quam laicorum, niſi duntaxat irregularitas, quæ impoſita eſt propter homicidium iniuſtum, ſed hoc ſolùm habet rationem inhabilitatis, & non cenſuræ; ergò *Probatur maior.* Quia à iure non eſt impoſita ſpecialis irregularitas propter homicidium iniuſtum eo quod iniuſtum ſit, præter illam quæ communiter eſt impoſita propter homicidium vt ſic, quia talis irregularitas ſingularis propter homicidium iniuſtum non extat ſpecialiter in iure nulla autem conſtituenda eſt alia irregularitas, niſi illa quæ expreſsè habetur in iure, ergò. 5

6 Cofirmatur quoniam ſi propter aliquam rationem eſſet impoſita ſpecialis irregularitas, quando culpa leuis eſt, & venialis tantùm non induceretur talis irregularitas, quia venialis culpa digna non eſt grauiſſima illa pœna: nec enim prudenter procederet ius ſi grauiſſimam irregularitatis pœnam imponeret propter venialia peccata. Conſtat autem propter homicidium caſuale (quod fortaſſis ſolùm fuit veniale peccatum) eodem prorſus modo imponi irregularitatem, ſicut propter homicidium iniuſtum directè voluntarium, non igitur talis irregularitas eſt impoſita in pœnam peccati, ſed tantùm propter indecentiam, & ſignificationem, ac ſubinde non eſt cenſura, quæ eſt grauiſſima pœna, ſed ſolum eſt canonicum impedimentum, quod non eſt grauis pœna.

Dico tertiò. Irregularitas, quæ ſpecialiter eſt impoſita clericis verè, & propriè habet rationem cenſuræ. *Probatur concluſio.* Quia talis irregularitas eſt impoſita propter culpam; ergò eſt cenſura. *Probatur antecedens.* quia antequam imponatur hæc irregularitas, prohibetur per præceptum Eccleſiæ clericis, ne ſe quomodolibet intromittant in cauſa ſanguinis agenda, quamuis aliàs hoc ex ſe poſſet eſſe licitum, & poſtea imponitur irregularitas tanquam pœna pro tranſgreſſione; ergò manifeſtè colligitur, quod hæc irregularitas non inducitur propter indecentiam, & ſignificationem, ſed propter culpam, quia vel eſt contrà præceptum naturale, quando occiſio, vel mutilatio eſt intrinſecè mala, vel quod ſit tantùm contra præceptum Eccleſiæ quo prohibentur clerici, ne aliquo modo cauſam ſanguinis agant, etiā in ordine ad bonum cōmune, quāuis aliàs id ex ſe liceat *Confirmatur*, quoniā laici cauſam ſanguinis agentes non peccant ſed ſolū incurrunt irregularitatem, quæ eſt inhabilitas, & canonicum impedimentū Cæterū clerici cauſam ſanguinis agentes quantumcūq; cedat in bonum commune, peccant, quia tranſgrediuntur præceptum eccleſiaſticum; ergò irregularitas hæc ſpecialis, quæ imponitur clericis, imponitur tanquam pœna propter culpam. 7

Ex

8 Ex dictis ſequitur differentia quædam inter præfatas irregularitates, nam indecentia in irregularitate clericis impoſita ſpecialiter habet ſe ſolum occaſionaliter; in alia autem irregularitate quæ communiter imponitur omnibus habet ſe indecentia vt formalis cauſa, ex quo magis præcedens ratio pro iſta concluſione *Confirmatur*. Quia hæc ſpecialis irregularitas, clericis impoſita non imponitur propter indecentiam tanquam per cauſam formalem; ergo imponitur propter culpam. *Probatur Antecedens*. Quia propter indecentiam iam erat irregularitas communiter impoſita omnibus; ergo ſi modo ſpecialiter imponitur clericis non imponitur propter indecentiam formaliter, hoc enim eſſet ſuperfluum, ergo ſolum imponitur propter culpam, & ſic verè, & propriè habet rationem cenſuræ. *Sed inquires*: An hæc irregularitas quam incurrunt ſpecialiter clerici occidentes, aut mutilantes habeat etiam rationem Canonici impedimenti impoſiti propter indecentiam, vel ſignificationem, an verò ſolum habeat rationem cenſuræ? Hoc enim multum intereſt, nam ſi ſolum habet rationé cenſuræ qui authoritatem habet abſoluendi ab omnibus cenſuris, poterit vtique & ab hac cenſura abſoluere.

9 Dico *Quarto ad hic*. Clerici mutilantes, aut occidentes non ſolum incurrunt irregularitatem, quæ eſt cenſura, ſed etiam irregularitatem, quæ eſt Canonicum impedimentum impoſitum propter indecentiam, & ſignificationem. *Probatur concluſio*. Nam quamuis clerici occidentes, vel militantes ex vi iſtius irregularitatis ſpecialiter illis impoſitæ ſolum incurrant irregularitatem, quæ eſt cenſura, quia hæc irregularitas ſpecialiter impoſita illis ſolum imponitur ab Eccleſia tanquam pœna inflicta propter culpam, nihilominus tamen in ipſa occiſione, vel mutilatione reperitur etiam ratio indecentiæ, propter quam generaliter eſt impoſita irregularitas omnibus occidentibus, vel militantibus tanquam Canonicum impedimentum propter indecentiam, & ſignificationem: ergo omnis clericus occidens, vel mutilans incurrit duplicem irregularitatem, alteram, quæ ſolum eſt cenſura, & eſt clericis ſpecialiter impoſita, alteram, quę eſt Canonicum impedimentum propter indecentiam.

10 Ex *Dictis ſequitur primò*. Quod qui habet authoritatem abſoluendi ab omnibus cenſuris, poteſt conſimiliter abſoluere clericos occidentes, vel militantes ab hac ſpeciali irregularitate, quæ ſolum habet rationem cenſuræ; nullatenus tamen poterit tollere aliam irregularitatem, quæ eſt Canonicum impedimentum, & non cenſura *Secundò ſequitur*. Quod ſi clericus grauem percuſſionem fecerit, & non occiderit, vel mutilauerit. incurrit irregularitatem quæ eſt cenſura ſpecialiter Clericis impoſita, non tamen incurrit aliam irregularitatem communem omnibus, quæ eſt Canonicum impedimentum. *Et ratio eſt*. Quia irregularitas quæ eſt Canonicum impedimentum propter indecentiam, & generaliter omnibus impoſita ſolum imponitur propter occiſionem, aut mutilationem, & ita non ſe extendit ad aliàs percuſſiones, quantumcumque graues. Cæterum irregularitas quæ ſpecialiter eſt impoſita clericis tanquam cenſura, non ſolum imponitur occidentibus, & militantibus, ſed etiam grauiter percutientibus Vnde ab hac irregularitate, quæ incurritur à clerico propter ſolam percuſſionē, quantumcumque grauem, poterit abſoluere clericum ille, qui habet authoritatem abſoluendi à cenſuris.

Soluuntur Argumenta.

1 PRo *parte affirmatiua arguitur* primò ex determinatione *Concilij Trid. Seſſ. 24. cap. 6. de reformatione*, vbi dicit: *Liceat Epiſcopis diſpenſare in omnibus irregularitatibus, & ſuſpenſionibus prouenientibus ex delicto occulto excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario* Qua determinatione ſuppoſita *Sic argumentor*. Nam ibi datur facultas Epiſcopis ad tollendas quaſcumque irregularitates, que prouenjunt ratione delicti occulti, quas proinde neceſſarium eſt eſſe cenſuras, ſiquidem inducuntur ratione culpæ & delicti: ſed in illa generali regula comprehenditur irregularitas, quæ prouenit ex homicidio voluntario occulto culpabili: ergo ſecundum determinationem *Concilij* tali irregularitas eſt cenſura, quia ratione delicti inducitur. *Minor in qua eſt difficultas probatur* Quia ſi illa irregularitas homicidij culpabilis occulti non includitur in illa generali regula, ſuperfluè, & impertinenter exciperetur à *Concilio*, quia ſi nō erat incluſa in illa generali regula, iam ex hoc ipſo erat excepta, ergo non erat neceſſarium nouam ſuperaddere exceptionem.

2 Reſpondetur. Quod quamuis in illa vniuerſali propoſitione *Concilij Trident.* non includatur irregularitas homicidij culpabilis tanquam cenſura, nihilominus tamen, quia poterat dubitari an illa irregularitas homicidij culpabilis includeretur ſub illa vniuerſali cōceſſione Epiſcopi ibi facta, voluit *Concilium* expreſsè illam excipere. *Secundò reſponderi poteſt*. Quod in illa vniuerſali propoſitione includitur aliqua irregularitas homicidij culpabilis, videlicet illa, quæ incurritur propter homicidium culpabile factū à clerico, nam vt dictum eſt, illa quæ ſpecialiter eſt impoſita clerico, habet rationem cenſuræ quatenus prouenit ex delicto, & hanc etiam voluit excipere *Concil.* ne ſuper illam fieret diſpenſatio ab Epiſcopis, non quidem qua parte ſolam habet rationem cenſuræ, ſed excipitur, qua parte habet, quod ſi canonicum impedimentum propter indecentiam.

3 Secundò *arguitur*. Nam ratio adæquata propter quā incurritur irregularitas in huiſmodi homicidiis, eſt quia habent rationem culpæ ſiquidem ſi nullam haberent rationem culpæ, nullam inducerent irregularitatem; ſi verò aliqua eſt ibi ratio culpæ inducitur irregularitas; ergo propriè hæc irregularitas exiſtimāda eſt cēſura. *Probatur cōſequentia*. Quia verè inducitur propter culpā.

4 Tertiò *arguitur* ex definitione cēſuræ à nobis tradita articulo præcedenti concluſione. Nam prima irregularitas, quæ incurritur propter homicidium voluntarium culpabile, eſt pœna Eccleſiaſtica, qua punitur fidelis, & priuatur aliquo bono ſpirituali, vt conſtat manifeſtè; ergo talis irregularitas eſt cenſura.

5 Reſpondetur, quod irregularitas, quæ incurritur propter homicidium culpabile ſi fiat à Laico non habet rationem cenſuræ, quia non imponitur irregularitas propter homicidium culpabile, qua ratione eſt culpabile, ſed qua

ratione

ratione homicidium eſt aliquo modo voluntarium, & ideo accidentarium eſt omnino, & extrinſecum quod coniugatur cum culpa illud homicidium, vel quod fiat ſine illa, quia ſolum imponitur propter indecentiam, quæ reperitur in homicidio voluntario. Si verò tale homicidiū culpabile fiat à clerico iam diximus illud inducere duplicem irregularitatem, alteram, & quæ eſt cenſura impoſita propter culpam, & altera, quæ ſolum eſt Canonicum impedimentum, propter indecentiam. *Ad tertium argumentum* negamus definitionem cenſuræ conuenire irregularitati prouenienti ex homicidio culpabili, quatenùs culpabile eſt precisè, vt explicabimus amplius articulo ſequenti.

ARTICVLVS III.

Quid ſit hæc irregularitas Homicidij, aut mutilationis.

1 HActenus diſputata eſt à nobis. Quæſtio, an ſicut irregularitas, id eſt, an ſit cenſura? Nunc autem recto ordine diſputemus quæſtionem, *quid ſit irregularitas?* Ad cuius explicationem ſupponenda eſt neceſſariò definitio irregularitatis in communi, nam perſpecta natura irregularitatis in communi facilè erit intelligere quid ſit hæc irregularitas homicidij in particulari. Sed tamen cum ſint aliquæ irregularitates cenſuræ, aliæ autem irregularitates non ſint cenſuræ, ſed ſolum ſint canonica impedimenta, vt diximus, articulo præcedenti: hinc fit non poſſe omnes irregularitates vnica definitione definiri, & conſequenter nec irregularitas vt ſic, eo quod omnes iſtæ irregularitates non ſub eodem, ſed ſub diuerſis generibus continentur. Ex quo ſequitur, quod cum inquiritur quid ſit irregularitas, priùs eſt diſtinguendum quam reſpondendum. Nam vel fit ſermo de irregularitate, quæ eſt cenſura, vel de illa, quæ ſolum eſt canonicum impadimentum. Et quidem ſi fiat ſermo de prima ſic definitur, *irregularitas eſt Eccleſiaſtica cenſura, qua per ſe priuatur homo ſuſceptione ordinum & vſu ipſorum poſtquam ſuſcepti ſunt.* Et conformiter ad prædictam definitionem aſſignanda eſt definitio irregularitatis quæ non eſt cenſura, videlicet, quod illa ſit *Canonicum impedimentum, quo homo priuatur ſuſceptione ordinum, & in iam ſuſceptis vſu ipſorum.*

2 Ad explicationem autem primæ definitionis aduertere oportet, quod illa particula *Cenſura Eccleſiaſtica* ponitur loco generis tanquam immediatum genus illius irregularitatis, & ita aliquæ inhabilitates ad ſuſcipiendos ordines excluduntur per illam particulam à ratione huius irregularitatis, quales ſunt inhabilitas hominis non baptizati, & inhabilitas fœminarum; tales enim inhabilitates, cum cenſuræ Eccleſiaſticæ non ſint, excluduntur ab ſpecifica ratione huius irregularitatis, quæ eſt cenſura Eccleſiaſtica. Et eadem particula excluditur peccatum mortale, id eſt inhabilitas, quæ ex illo prouenit ad dignè ſuſcipiendos ſacros Ordines, debitèque miniſtrandum in ſuſceptis.

3 Secunda verò particula, videlicet, *priuans hominem ſuſceptione Ordinum, & vſu in iam ſuſceptis,* ponitur loco differentiæ; quæ particula ſic eſt intelligenda. Quod irregularitas hæc priuat hominem debita ſuſceptione ordinum, & debita adminiſtratione in ſuſceptis, ita vt neque ſuſceptio, neque adminiſtratio licitè fieri poſſit, ſed cum grauiſſimo peccato: non tamen irregularitas iſta priuat hominem ſuſceptione, & adminiſtratione Ordinum valida. Itaque ſi Ordines ſuſcipiantur, validi ſunt, & illorum adminiſtratio valida eſt, nam quod ſuſceptio Ordinum ſit inualida prouenit ex alia inhabilitate, videlicet, quia homo non eſt baptizatus, vel qui eſt Fœmina.

Et *ratio huius eſt.* Quia Eccleſia non habet poteſtatem ad impediendum effectum Sacramētalem. Cum igitur homo baptizatus ſecundum ius diuinum ſit capax ad ſuſcipiendos Ordines, ſi Epiſcopus habet intentionem conferendi Sacramentum Ordinis, adſintque alia neceſſaria ex diuina inſtitutione Chriſti, non poterit Eccleſia impedire quin Sacramentum illud ſortiatur ſuum effectum. Et idem eſt de vſu Ordinum iam ſuſceptorum. 4

Ac *tandem* illa particula *per ſe* poſita, in definitione eſt explicatiua vltimæ differentiæ irregularitatis huius, quatenus per hanc vltimam differentiā hæc irregularitas differt ab aliis cenſuris, vt videbimus in ſolutionibus argumentorum. Definitio autem irregularitatis, quæ non eſt cenſura debet conſimiliter explicari, nam illa prima particula videlicet *Canonicum impedimētum* eſt genus immediatum ipſius, & per illam excluduntur à ratione huius irregularitatis inhabilitates non baptizatorū, & fœminarū, quia illa non ſunt Canonicum impedimentum, ſed ex diuino iure habent impedire ſuſceptionē Ordinū, & inſuper ſunt inhabilitates quaſi negatiuæ. Irregularitas autē ſiue ſit cenſura, ſiue ſolum Canonicum impedimentum imputtat pœnam priuatiuam; excluditur etiam per illam particulam inhabilitas peccati mortalis, quia non ex iure Canonico, ſed ex ipſa natura rei peccatum mortale impedit ſuſceptionem debitam, & adminiſtrationem Ordinum. 5

Soluuntur Argumenta.

AD *maiorem autem explicationem* vtriuſque definitionis arguitur contra illas *primò.* Nam vtraque hæc irregularitas, tam illa, quæ eſt cenſura conueniunt vniuocè in aliquo communi genere; ergo poſſunt vnica definitione definiri. *Probatur antecedens.* Quia vtraque hæc irregularitas eſt aliquid priuatiuum, nam cenſura etiamſi ſit pœna formaliter eſt priuatio, cum ſit pœna priuatiua, & non poſitiua, vt diximus *articul.* 1. huius tractatus. Et ſimiliter irregularitas, quæ eſt Canonicum impedimentum importat aliquid priuatiuum eadem ratione. *Confirmatur.* Quia ſi iſtæ duæ irregularitates non conueniunt in aliqua ratione vniuoca, conueniunt ſaltem in aliqua ratione analoga; & tamen non videtur ad quam ſpeciem analogiæ pertineant & de qua dicatur irregularitas per prius, & de qua per poſterius. 1

Confirmatur *Secundo.* Quoniam præfata definitio maximè illa quæ aſſignata eſt de irregularitate, quæ eſt cenſura, conuenit aliis à definito: ergo illa definitio non eſt bona. *Antecedens probatur.* Quia excommunicatio, quæ etiam eſt cenſura 2

cenſura, habet priuare ſuſceptione Ordinum, & adminiſtratione ipſorum, ita quòd Excommunicatus ſuſcipiens ordines, aut in ſuſceptis adminiſtrans peccat grauiſſimè violans Excommunicationis cenſuram. Et ſimiliter Suſpenſio, & Depoſitio, quæ etiam ſunt cenſuræ priuaot debita ſuſceptione Ordinum, & potiſſimè executione debita Ordinum iam ſuſceptorum; ergo illa definitio conuenit aliis a definito. *Tertiò.* Nam illa definitio non conuenit omni irregularitati, quæ eſt cenſura; ergo non eſt bona. *Probatur Antecedens.* Nam Sacerdos contraheos irregularitatem, quæ eſt cenſura, ſiue quæ non eſt cenſura, non priuatur ſuſceptione Ordinum, ſed tantùm executione ipſorum, ergo.

3 Ad *Primum Argumentum Reſpondetur*, cùm ſua confirmatione, quòd irregularitas, quæ eſt cenſura, & illa quæ non eſt cenſura, vt ſignificantor hoc nomine *Irregularitas* non conueniunt in aliqoo vno genere, nec in aliqua vna ratione analoga, ſaltem analogia attributionis, ſed ſolùm conueniunt æquiuoce in illa voce *Irregularitas*, ſicut in illa voce *Canis* conueniunt ſua ſignificata: vel ſaltèm iſtæ duæ irregularitates conueniunt in vna ratione analogiæ proportionalitatis, ſicut relatio realis, & relatio rationis conueniuot in hac voce *Relatio*, quamuis aliàs vt probat Argumentum iſtæ duæ irregularitates conueniant in vniuoca ratione quatenus ſignificantur hoc nomine *Priuatio*, in quo conueniunt plures aliæ priuationes, ſicut in hoc nomine *Subſtantia*, conueniunt vniuocè ſignificata illius termini *Canis*.

4 Ad *Secundum Reſpondetur negando Antecedens.* Et ad probationem *Dicimus*, Quòd illa verba poſita in definitione vtriuſqne irregularitatis, videlicet. *Priuans ſuſceptione Ordinum, & vſu ipſorum*, debent intelligi formaliter, ita vt ſit ſenſus, quòd irregularitas priuat ſuſceptione, & vſu Ordinùm, quatenùs Ordines ſunt formaliter, quia eſt incapacitas priuatiua impediens formaliter ſuſceptionem, & vſum Ordinum, vt Ordines ſunt. Excommunicatio autem priuat ſuſceptione, & vſu Ordinum non quatenùs Ordines ſunt formaliter, ſed quatenùs communicationes ſunt cum aliis, fidelibus, vel quatenùs Sacramenta ſunt, à quibus videlicet com municationibus, & Sacramentis priuatur excommunicatus formaliter, quatenùs eſt excommunicatus. Et hoc explicat illa particula *Per ſe*, poſita in definitione, nam excommunicatus vt ſic non priuatur per ſe, ſed per accidens à ſuſceptione, & vſu Ordinùm, quatenus Ordines ſunt; ſed per ſe ſolùm priuator illis quatenùs communicationes, & Sacramenta ſunt; non enim priuant hæc per incapacitatem, ſicut irregularitas, ſed per non exercitium debitum. *Suſpenſio* autem & *Depoſitio* per ſe ſolùm priuant actibus ipſorum Ordinum, & non quatenùs Ordioes ſunt, ſed quatenùs actus Eccleſiaſtici ſunt. Legatur *Suarez diſp.40.sect.1.*

5 Ad *Tertium* Aliqui propter illud in definitione irregularitatis apponunt ſub diſiunctione illas duas res, nempe priuationem ſuſceptionis Ordinum, vel priuationem vſus in Ordinibus ſuſceptis. Sed tamen hoc verum non eſt, quia aliàs per iſtam definitionem ſic explicatam diſiunctiuè non excluderetur exactè *Depoſitio, & Degradatio Sacerdotis*, quæ tantùm priuat vſu Ordinum; irregularitas autem priuat copulatiuè ſuſceptione; & vſu ordinum. *Vnde ad Argumentum Dicimus*, Quòd irregularitas quantum eſt ex ſe, habet vim priuandi tùm ſuſceptione debita Ordinum, tùm adminiſtratione illorum. Per accidens autem impeditur a primò effectu in Sacerdote, qui iam ſuſceperat ordines, & ad id explicandum appoſità fuit illa particula *Per ſe*, quia irregularitas per ſe priuat vtroque *Depoſitio* autem, ſeu *Degradatiò* per ſe ſolùm priuat vſo debito Ordinùm.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm irregularitas ſolo Iure Canonico Eccleſiaſtico ſit introducta?

IN hac difficultate Aliqui Authores, vt refert 1 *Suarez diſput.40. sect. 4.* tenuerunt quaſdam irregularitates introductas eſſe Iure diuino. Secunda tamen Sententia eſt aſſerens abſolute quamcumque irregularitatem eſſe ſolo Iure Eccleſiaſtico introductam. Ita tenent communiter vniuerſi Iuriſperiti, & Theologi, vt refert *Suarez* vbi ſupra. Quæ Sententia ideireò à Nobis tenenda eſt, & explicanda ſequentibus dictis.

Dico *igitur Primò.* Irregularitas non eſt introducta Iure diuino in hac noua lege Euangelica. 2 *Probatur.* Quia non eſt introducta diuino Iure pertinente ad Legem Veterem, & perſeuerante vſque ad Legem Nouam; ergo nullo Iure diuino. *Antecedens pro prima parte Probatur.* Quia præcepta Legis Veteris, quæ dicuntur Cæremonialia, aut Iudicialia; quamuis fuerint inducta Iure diuino poſitiuo, tamen nullo modo obligant in hac Lege Euangelica, ſed eorum obligatiò ceſſauit cum Lege Veteri, vt docet *D. Thom. 1.2. quæſtion. 103. artic. 3.* de Cæremonialibus; de Iudicialibus autem *quæſt. 104. artic. 3.* Solùm igitur præcepta moralia Legis Veteris, quæ ad naturalem Legem pertinent, de quibus *D. Thom quæſtion. 100.* obligant etiam nunc in Lege Euangelica. Sed irregularitas non eſt inducta hoc Iure diuino ad Legem naturalem pertinente; ergo non eſt inducta Iure diuino pertinente ad Legem Veterem. *Secundò pars Antecedentis Probatur.* Quia vt ſolet dici cum *D. Thom. 1.2. quæſtion. 106.* & ſequentibus, conſtans, & indubitata eſt Sententia Theologorum, quòd in Lege Euangelica nullum aliud præceptum diuinum continetur, niſi ſolùm præcepta pertinentia ad Fidem, & Spem, & Charitatem, Sacramenta, & Gubernationem Eccleſiæ per Claues: ſed inter hæc præcepta nullatenùs continetur vt pœna pro tranſgreſſione illorum irregularitas; ergo non eſt inducta Iure diuino Euangelico.

Dico *Secundò.* Irregularitas ſolùm eſt inducta Iure Eccleſiaſtico, ita tamen quod nulla 3 alia irregularitas admittenda ſit, niſi ſit expreſſe in Iure. *Prima pars Concluſionis, ſequitur ex præcedenti*, ſi enim diuino Iure non eſt inducta, neceſſum eſt, quòd ſolò Iure Eccleſiaſtico introducta ſit: cùm enim hæc irregularitas ſit priuatiua boni ſpiritualis, introduci nullo modo potuit per Ciuilem poteſtatem.

Et *à poſteriori manifeſtè colligitur Concluſio:* Quoniam in omni irregularitate poteſt fieri diſpēſatio, 4

per Romanum Pontificem; ergo omnis introducta eſt ſolùm Iure Eccleſiaſtico. *Secunda pars Concluſionis* etiam eſt communis, Sententia Doctorum, quam colligunt manifeſtè ex ipſa Iuris diſpoſitione in *Cap. Is qui de Sententia Excommunicationis in 6.* vbi dicitur: *Is, qui in Eccleſia ſanguinis, aut ſeminis effuſionem polluta, aut verò præſentibus maiore Excommunicatione innodatis celebraret, quamuis grauiter delinquat, irregularitatem tamen non incurrit, cùm illa ſuper hoc non contineatur expreſsè in Iure.* Ex quo colligunt rectè vniuerſi Doctores, quòd nulla ſit irregularitas admittenda, niſi ſit expreſſa in Iure.

5 Sed *Inquires Primò* circa iſtam ſecundam partem Concluſionis. Quid intelligendum ſit per *Ius*, in quo expreſſe debet contineri irregularitas, vt incurratur illa? *Ad hoc Dico.* Quòd per *Ius ſimpliciter*, non ſolùm ſunt intelligenda ſtatuta, quæ continentur in corpore Iuris communis, ſed etiam quodcumque decretum Summi Pontificis, quòd exhibetur motu proprio, aut quodlibet alio modo in ordine ad totam Eccleſiam. Et ſimiliter intelligitur quodcumque ſtatutum, & decretum Concilij generalis imponentis pœnam irregularitatis. *Ex quo ſequitur Primò.* Nullam irregularitatem de facto eſſe admittendam, quæ ſolùm ſit inducta Epiſcopali authoritate, imò nec illa, quæ ſolùm inducta eſt Concilio Prouinciali, aut Concilio Nationali, quia nullum ſtatutum ex his poteſt dici *ſimpliciter Ius*, nam *Ius ſimpliciter*, dicitur in ordine ad vniuerſalem Eccleſiam, & quamuis nulla ſtante determinatione Iuris prohibentis poſſet Epiſcopus, & Concilium Prouinciale, & à fortiori Nationale imponere irregularitatem, quæ eſt cenſura, eo quòd in ordine ad punienda delicta, & ad bonam gubernationem Eccleſiæ Epiſcopus habet plenariam authoritatem circa ſibi ſubditos, quamdiu illa à Summo Pontifice non eſt limitata (& eadem ratio eſt quantùm ad hoc de Concilio Prouinciali, & Nationali) nihilominus de facto huiuſmodi poteſtas Epiſcopi, & Concilij generalis, & Nationalis limitata eſt, ne poſſit imponere pœnam irregularitatis, vt conſtat ex præallegato *Cap. Is qui.* Dixi *Irregularitatem, quæ eſt cenſura*, quia de alia irregularitate magis certum eſt apud omnes illam imponi non poſſe ab Epiſcopo, nec à Concilio Prouinciali, aut Nationali.

6 Secundò *Sequitur*, Quòd Summus Pontifex non ſolùm proprio motu, nec ſolùm alio ſtatuto reſpiciente totam Eccleſiam (vt diximus) ſed etiam per particularem Sententiam poteſt irregularitatem, quæ eſt cenſura imponere alicui, vel propter aliquod ſingulare delictum, vel in ordine ad aliquam particularem, vel particulares Perſonas. *Et Ratio eſt.* Quia irregularitas, quæ eſt cenſura, imponitur tantum vt pœna; ergo poteſt imponi à ſupremo Legiſlatore, & Iudice propter ſingulare delictum, vel in ordine ad ſingularem Perſonam, non obſtante quacumque diſpoſitione, aut conſuetudine Iuris, quia Summus Pontifex habet poteſtatem ſuper hæc omnia. Cæterùm ſi fiat ſermo de irregularitate, quæ ſolùm eſt *Canonicum impedimentum*, ſatis probabile eſt non poſſe imponi à Summo Pontifice per talem particularem Sententiam non reſpicientem totam Eccleſiam, quamuis ſi de facto imponeretur à Summo Pontifice cenſendus eſſet ille homo irregularis, ſaltèm in foro exteriori; in interiori autem probabiliùs poſſet cenſeri non irregularis.

7 Tertiò *Sequitur*; Quòd niſi irregularitas contineatur in præfatis Iuribus ſcripta, non eſt admittenda de facto, id enim importat illa particula *expreſſa*, quæ habetur in *Cap. Is qui* dudum allegato. Vnde nullatenus valet Argumentum à conſimili caſu ad probandum incurri irregularitatem, quia illa non incurritur, niſi ſit expreſſa in alio conſimili caſu. Et multò minus valet Argumentum ad probandum incurri irregularitatem propter grauius delictum, nam ſi non ſit expreſſa, & ſcripta, non incurritur propter grauiſſimũ dictũ.

Soluuntur Argumenta.

1 PRo *Prima Sententia* Arguitur Primò ex illo 2. *Reg.* 7. vbi prohibitum fuit ne Dauid ædificaret templum Domino, & cauſa huius redditur 1. *Paralip.* 22. videlicet, quia Dauid multum ſanguinem effuderat, & Vir bellicoſus fuerat. Vbi expreſsè decernitur effuſionem ſanguinis eſſe maximam indecentiam ad ædificandum Templum Domino, & conſequenter ſecundùm Ius Dei importatur inhabilitas ad illud miniſterium; ergo multò magis importatur in ordine ad miniſterium Altaris, quod excellentius eſt, & immediatius attingit Deum. *Confirmatur Primò.* Quoniam in Lege veteri *Leuit.* 21. & 22. plura induccuntur impedimenta, quæ ſunt quaſi quædam inhabilitates, & irregularitates in ordine ad miniſteria à Sacerdotibus exercenda; ergo neceſſum eſt, quod tales irregularitates fuerint inductæ Iure diuino. *Probatur iſta Conſequentia.* Nam aliquæ irregularitates ex illis durant adhuc; ſed non poſſent ſe extendere ad vtramque Legem Veterem, & Nouam, niſi eſſent ex Iure diuino; cùm Ius Cæremoniale, & Iudiciale Legis Antiquæ iam ceſſauerit; ergo. *Confirmatur Secundò.* Nam irregularitas Bigamiæ inducta videtur manifeſtè diuino Iure, quia 1. *ad Timoth.* 3. de Epiſcopis, & aliis Eccleſiæ Miniſtris dicitur, quòd debent eſſe *Vnius Vxoris Viri.*

2 Ad *Argumentum* à principio poſitum, patet ex dictis. *Ad Primam Confirmationem Reſpondetur.* Quòd in Lege Veteri nonnullæ fuerunt impoſitæ irregularitates, & impedimenta in ordine ad miniſteria Sacerdotalia ex Iure diuino poſitiuo, quæ tamen præcepta ceſſauerunt iam cum ipſa Lege, quia ſolùm erant Cæremonialia pertinentia tantùm ad illam legem. Nihilominus tamen aliquæ rationes propter quas talia impedimenta ponebantur in illa Lege erant rationes quædam morales pertinentes ad bonos mores, & ad decentia, & congruentia, quia ea, quæ Sancta ſunt, Sanctè tractari debent. Et idcirco propter eaſdem rationes noſtra Eccleſia impoſuit ſimilia impedimenta ſuis miniſtris, quæ ſolùm habent vim ex inſtitutione ipſius Eccleſiæ. Et quidem vt docet *D. Thom. in 4 diſt.* 25. *quæſt.* 2. *art.* 2. *Quæſtiunc.* 3. *ad* 1. In illa Antiqua Lege non imponebatur irregularitas propter ſanguinis effuſionem, & tamen impoſita eſt in Lege Noua. Vnde non dimanat ex Antiqua, ſicut nec dimanarunt plures irregularitates, quæ fuerunt in illa Lege, & non ſunt impoſitæ in iſta.

3 Ad *Secundam Confirmationem*, Quidam doctiſſimus Thomiſta Reſpondet, Quòd *D. Paulus* non loquitur ibi de irregularitate Bigamiæ, ſed ſolùm intendit inducere Epiſcopos, & Miniſtros Eccleſiæ vt contenti ſint vnica Vxore, nec poſt

illam

illam mortuam vnquam aliam ducant, ſed caſtitatem ſeruent, & in hoc aliis ſæcularibus exemplum caſtitatis præbeant. Sed tamen fallitur iſte Author, quia ibi ſecundùm explicationem *Sanct. Doctorum*, quos refert *Suarez vbi ſuprà dub.* 1. manifeſtè Apoſtolus loquitur de irregularitate Bigamiæ. Nec tamen ſequitur ex hoc illam eſſe ex Iure diuino, nam Apoſtoli aliqua conſtituebant in ſuis Eccleſiis, quibus præerant, quæ tamen non erant præcepta diuina, ſed humana, vt colligunt Doctores ſacri ex illo *Pauli* 1. *ad Corinth.* 7. *Cætera cùm venero, diſponam*, & conſtat id ex Canonibus Apoſtolicis, & iſto modo irregularitas Bigamiæ colligitur ex ibi dictis eſſe de Iure poſitiuo, non tamen ex Iure diuino.

4 Secundò *Arguitur*. Nam probabilis Sententia eſt: quòd irregularitas homicidij contracta ante Baptiſmum, & ſimiliter irregularitas Bigamiæ non tollitur per Baptiſmum, ſed potiùs perſeuerant iſtæ irregularitates poſt Baptiſmum; ergo ſignum eſt manifeſtum à poſteriori illas eſſe introductas Iure diuino. *Probatur Conſequentia.* Quoniam Eccleſia non habet poteſtatem, niſi ad imponendas irregularitates ſuis ſubditis; fiunt autem homines ſubditi Eccleſiæ per Baptiſmum; ergo irregularitas ſtatuta ante Baptiſmum non poteſt eſſe ex inſtitutione Eccleſiæ.

Hoc *Argumentum* tangit illam difficultatem, An Bigamus ante Baptiſmum, ſiue occiſor, aut mutilator, maneant irregulares poſt ſuſceptum Baptiſmum? Ad hoc.

5 Dico *Primò*. Qui duas habuit Vxores ante Baptiſmum, vel vnam ante, & aliam poſt Baptiſmum manet irregularis. Iſta Concluſio eſt contra aliquos Authores, quorum verba referuntur in *Decreto capite* 1. *diſt.* 26. Inter quos *D. Hieron.* dicitur fuiſſe in *Libro ſuper Epiſtolam ad Titum, cap.* 3. Et eandem Sententiam ſequuti ſunt Gloſſa Ordinaria, & Lyranus ſuper 1. *Epiſtolam ad Timoth. cap.* 3. & ex Theologis illam tenuit *Ioannes Maior*, & ex Iuriſperitis *Panormitan. ſuper Cap. Gaudemus, de Diuortiis.* Nihilominus noſtra Concluſio eſt communis Sententia inter Theologos, & Iuriſperitos. Quin potiùs altera Sententia oppoſita iam non eſt cenſenda probabilis, eo quod hæc noſtra Sententia expreſsè determinata in Iure in præfata *diſp.* 26 *c.* 2. *&* 3. *&* 4.

6 Dico *Secundò*. Occiſor ante Baptiſmum non manet poſt Baptiſmum irregularis. Iſta Concluſio eſt contra aliquos Authores ex citatis pro præcedenti. Probatur tamen, Quia expreſsè eſt determinata in Iure in Decreto *Cap. Si quis Viduam, diſt.* 50. vbi decernitur quodcúmque homicidium inducere irregularitatem dummodo illud patratum ſit poſt Baptiſmum, nam in præfato fato c8. ſic habetur. *Si homicidij, aut facto, aut præcepto, aut cõſilio, aut aſſenſione poſt Baptiſmum conſcius fuerit, & per aliquam ſurreptionem ad Clericalem venerit, deiiciatur, & in fine vitæ ſuæ Laicam communionem tantummodò recipiat.* Confirmatur. Nam in iſto *cap. cit.* dùm fit mentio de irregularitate Bigamiæ, quam incurrit quis ducendo Vxorem viduam aſſignatur illa irregularitas abſque diſtinctione, & abſolutè, id eſt, ſiue tale matrimonium fuerit ante Baptiſmum, ſiue poſtea; dùm autem fit mentio de irregularitate homicidij expreſsè dicitur incurri propter homicidium commiſſum poſt Baptiſmum, & idem expreſsè decernitur *diſt.* 51. *cap.* 1. *& cap.* 4. *Si quis.*

Dubitabis *tamen*, Quæ ſit ratio huius differentiæ inter irregularitatem Bigamiæ, & Homicidij? Quare videlicet illa prima incurratur propter duas Vxores habitas ante, ſiue poſt Baptiſmum, irregularitas autem homicidij ſolùm incurratur propter homicidium factum poſt Baptiſmum? Ad hoc. 7

Dico *Tertiò*. Differentia inter iſtas irregularitates conſiſtit in hoc, quòd defectus, qui conſideratur in Bigamia, potiſſimum pertinet ad ipſam naturam, itàque eſt quaſi defectus naturæ, ſeu naturalis, cùm ſit diuiſio carnis cum duabus vxoribus. Cæterùm defectus, qui conſideratur in Homicidio potiſſimum pertinet ad genus mortis, cùm ſit defectus lenitatis, & manſuetudinis. Per Baptiſmum autem tollitur omnis defectus pertinens ad genus mortis, non autem pertinens ad naturam. Quæ doctrina ſatis confirmari poteſt ex Sententia, quam docet *D. Thom. in Additionibus ad 3. part. quæſtion.* 66. *artic.* 3. *ad* 3. Quòd videlicet, vt Bigamia inducat irregularitatem non oportet, quòd ſit voluntaria: Vnde infert *D. Thom.* Quòd qui ducit vxorem corruptam, quam credidit virginem eſſe fit irregularis illam cognoſcens: Homicidium autem non inducit irregularitatem, niſi aliquo modo ſit voluntarium. Ex quo manifeſtè colligitur, quòd quamuis vterque defectus, videlicet Bigamiæ, & Homicidij non ex natura rei, ſed ſolum ex Legis decreto habeant eſſe impedimentum ad ſacros Ordines per comparationem ad Chriſtum, cui eius miniſtri debent conformari. Nihilominus extat differentia ex parte fundamentalis rationis, qua hoc impedimentum Irregularitatis poſitum eſt diuerſimodè in Decreto. Nam Fundamentum defectus irregularitatis Bigamiæ, cùm non expoſcat voluntarium (vt diximus ex *D. Thom.*) pertinet ad genus naturæ, & præſertim, quia eſt naturalis diuiſio carnis cum duabus vxoribus, vel cum vidua. Cæterùm Fundamentum defectus irregularitatis homicidij pertinet ad genus mortis, cùm neceſſario debeat eſſe voluntarium homicidium culpabile, ſiue inculpabile, vt inducat irregularitatem, omnis autem defectus moralis aboletur totaliter per Baptiſmum, non autem defectus pertinens ad genus naturæ: Hæc igitur eſt fundamentalis ratio. Etenim proxima, & formalis ratio diuerſitatis, quæ verſatur inter iſtas duas irregularitates accipienda eſt ex ipſo Iure, videlicet; quia in Iure habetur expreſsè, quòd Bigamia ante Baptiſmum inducat irregularitatem, Homicidium verò non inducat. Igitur quòd dicimus eſt, decretum Eccleſiæ fundari in diuerſitate fundamentali à nobis aſſignata.

Tertiò *Arguitur*, Quoniam ſi irregularitas eſſet ſolo Iure Eccleſiaſtico introducta, cum ſit odioſa neceſſum eſt, quòd quando eſt dubium de aliqua irregularitate an ſit contracta, tale dubium interpretandum eſt in partem negatiuam, quia odia ſunt reſtringenda, quando res, & pœnæ odioſæ introductæ ſunt Eccleſiaſtico Iure; at qui dubius eſt an contraxerit aliquam irregularitatem debet gerere ſe tanquam irregularis; ergo irregularitas non eſt introducta Eccleſiaſtico Iure. 9

Circa *hoc argumentum* eſt ſpecialis Difficultas, Quid ſit cenſendum de eo, qui dubius eſt, An contraxerit irregularitatem? Quæ difficultas in duplici ſenſu poteſt diſputari. *Primò* quidem quantum attinet ad culpam, hoc eſt, quam culpam committat, qui dubius exiſtens de irregulari- 10

tate an contraxerit illam, accedit nihilominus ad ſacros Ordines ſuſpiciendos, vel adminiſtrandum in ſuſceptis; Et ſimiliter, quam culpam committat, qui dubius eſt, An irregularitas ſit annexa alicui operi, & tamen illud opus facit cum tali dubio? *In Secundo ſenſu* poteſt diſputari hæc difficultas non de culpa, quæ committitur, ſed de irregularitate, quæ incurritur, An videlicet cenſendus ſit irregularis, qui dubius eſt an irregularitatem contraxerit? Et quidem in priori ſenſu non eſt nobis diſputanda iſta Quæſtio tunc, quia non pertinet ad præſentem Tractatum, ſed habet ſpecialem locum 1.2. *quæſtione* 19. *artic.* 5. *&* 6. vbi diſputatur de Operationibus factis ex Conſcientia erronea, dubia, ſcrupuloſa, &c. Diſputabimus igitur ſolùm in Secundo ſenſu de præſenti Quæſtione. Ad cuius Reſolutionem ſupponenda eſt in primis breuiter diſtinctio de duplici dubio. Nam aliud eſt dubium Iuris, an videlicet per Ius ſit impoſita irregularitas propter tale, vel tale factum; & aliud eſt dubium facti v.g. ſuppono quòd à Iure lata ſit irregularitas propter homicidium quomodocúmque voluntarium, dubitari poteſt de ipſo facto, An hoc homicidium à Petro factum fuerit aliquo modo voluntarium, nec ne?

11 Dico *igitur Primò*. Qui dubius eſt de ipſo Iure, an in illo contineatur irregularitas nec nè, nullatenus eſt cenſendus irregularis. Iſta Concluſio eſt communis doctrina, tùm inter Theologos, tùm inter Iuriſperitos, qui colligunt illam apertè ex illo *cap. ſuprà cit. Is qui de Sententia excommunicationis in 6.* Vbi decernitur, Quòd nulla eſt irregularitas admittenda, niſi ſit expreſſa in Iure; ergo quando dubium eſt inter Doctores, an aliqua irregularitas ſit impoſita, vel non ſit impoſita in Iure, tunc non eſt expreſſa in Iure, ac per conſequens non inducitur, nec eſt admittenda.

12 Dico *Secundò* Quando dubiùm eſt de ipſo factò, non autem de Iure, qui ſic dubius eſt, an fecerit, vel non fecerit tale factum cenſendus eſt irregularis. Iſta Concluſio etiam eſt communis *Sententia* tam Theologorum, quàm Iuriſperitorum. Et probatur manifeſtè ex *libro* 5. *Decretorum tit.* 52. *capite* 12. *Ad Audientiam, & ex Cap. Significaſti* 12. *de Homicidio*, Vbi decernitur quòd qui dubius eſt, an homicidium perpetrauerit, vel non perpetrauerit, cenſendus eſt irregularis. Qualiter autem hoc ſit intelligendum Dicemus *Concluſ.* 4. Sed Inquires, Quale dubium ſit ſufficiens, vt iuxta primum dictum non inducatur irregularitas, circa ſecundum verò dictum inducatur? Ad hoc.

13 Dico *Tertiò iuxta primum dictum* Quotieſcúmque dubium Iuris fundatum eſt in Opinione probabili tenente, quòd irregularitas illa non eſt impoſita expreſsè à Iure, etiamſi contraria Opinio tenens, quod impoſita ſit à Iure, & expreſsè in Iure contineatur, ſit probabilior, nihilominus talis irregularitas non eſt admittenda. *Probatur.* Nam cùm illud dubium verſetur inter Doctores, non debet cenſeri eſſe in Iure expreſſum id de quo eſt probabile, & rationabile dubium inter ipſos Doctores aſſerentes non eſſe expreſſum in Iure, quoniam vt expreſſum ſit in Iure debet eſſe ita manifeſtum, vt rationabile, & probabile dubium auferat. Ergo quotieſcumque eſt probabile inter Doctores, quòd aliqua irregularitas non eſt expreſſa in Iure, talis neque cenſenda eſt expreſſa in Iure, neque admittenda. Quādo tamen eſt Opinio probabilis inter Doctores aſſerentes talem irregularitatem non eſſe expreſſam in Iure, tunc habenda eſt tanquam expreſſa, & admittenda, quia opinio oppoſitum aſſerens non eſt probabilis, ac ſubinde non fuit Dubium Iuris.

Dico *Quartò Circa ſecundum dictum.* Satis probabile eſt, quòd quotieſcumque Dubium facti tale fuerit, quòd ſecundùm prudentiam rationabilem dubitatur de facto illo, etiam ſi dubitans inclinet magis in negatiuam partem, videlicet non perpetraſſe factum illud, propter quod impoſita eſt in Iure irregularitas, tunc qui ſic dubius eſt an opus illud fecerit, vel non fecerit, cenſendus eſt irregularis. Oppoſitum huius etiam eſt probabile ad iſtum ſenſum, videlicet quòd in tali dubio ſolùm eſt admittenda irregularitas in illis duobus caſibus poſitis in ſecunda Concluſione, videlicet in *Cap. ad Audientiam*, & in *Cap. Significaſti.* Fundamentum potiſſimum cui innititur prima pars huius Concluſionis eſt. Quia Summus Pontifex in illis duobus capitibus modò relatis non condidit nouum Ius, ſed determinauit vniuerſaliter, quòd in dubio facti ratione cuius facti in Iure eſt impoſita irregularitas, cenſendum eſt irregularis quicumque dubius eſt an factum illud perpetrauerit. 14

Confirmatur *Primò*, ex ratione decidendi adducta ibi à Pontifice, videlicet quòd in Dubiis tutior pars eſt eligenda. Tutius autem eſt in caſu talis Dubij, quòd homo cenſeatur irregularis, & abſtineat à ſuſceptione Ordinum, ſiue ab adminiſtratione illorum. Quæ doctrina Pontificis vniuerſaliter procedit, ac ſubinde in illis duobus capitibus non ſtatuit ſpeciale Ius, ſed vniuerſale. *Fundamentum* autem ſecundæ partis Concluſionis eſt; quia vt docet *Nauarrus*, quem refert, & ſequitur *Suarez Diſp.* 40. *ſect.* 6. & alij Auctores illud commune prologium, videlicet. *In dubiis tutior pars eſt eligenda*, ſolùm obligat quando interueniat præceptum ſequendi tutiorem partem, ſed ſolùm in illis duobus capitibus Iuris præcipit Pontifex, vt ſequatur tutior pars; ergo ſolùm in illis duobus caſibus cenſendus eſt irregularis homo, qui dubius eſt an fecerit illud opus propter quòd in Iure impoſita eſt irregularitas. *Confirmatur Secundò.* Quia abſque dubio Pontifex ſtatuit ibi nouum Ius nuſquam antea conditum, ac ſubinde illud Ius eſt ſpeciale, & ideò cum ſit odioſum debet reſtringi, & non extendi vniuerſaliter ad conſimiles caſus. *Confirmatur Demum.* Quia in dubiis melior eſt conditio poſſidentis; ſed in caſu huius dubij ille homo poſſidet ſuum Ius ad ſuſcipiendos Ordines, vel ad miniſtrandum in ipſis, antequam per Iudicis ſententiam ſit priuatus; ergo ſolùm in illis duobus caſibus, & ſi ſunt alij caſus, in quibus interuenit ſententia irregularitatis impoſita à Pontifice, debet iſte homo cenſeri irregularis. 15

DISPVTATIO XIX.

De Irregularitate, quæ incurritur propter Homicidium culpabiliter voluntarium.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Homicidium voluntarium illud ſit, quod fit ex propoſito, & directa intentione occidendi?

1 HÆc *Difficultas* Potiſſimè occurrit diſputanda primo loco in præſenti Quæſtione, vt ſciamus quale ſit Homicidium hoc culpabiliter voluntarium propter quod incurritur Irregularitas, & qualitas à caſuali Homicidio differat, nam conſtitutiuum Homicidij huius voluntarij erit diſtinctiuum illius à caſuali. Eſt autem maximè neceſſaria cognitio differentiæ, quæ verſatur inter *Homicidium voluntarium*, & *Caſuale* propter diuerſitatem quæ aſſignatur à Iure in diſpenſatione facienda ſuper Irregularitatem Homicidij voluntarij culpabilis, & ſuper Irregularitatem Homicidij caſualis. Et idcirco cum materia de Irregularitate connectitur neceſſariò præſens diſputatio, in qua iuxta ſupradicta de Homicidio procedemus. Circa quam ſunt plures Authorum Sententiæ.

2 Prima *Sententia* eſt Domini Caietani 2.2.*q.*64. *art.*8. vbi docet, Quod *Homicidium Voluntarium* non includit in ſua ratione, quod fiat ex propoſito, & ex directa intentione occidendi, ſed Homicidium Voluntarium quatenus à Caſuali diſtinguitur conſiſtit in hoc, quod ſit voluntarium, vel tanquam medium, vel tanquam finis, vel tanquam effectus ſubſequutus ad cauſam per ſe, & directè volitam, ita vt etiam ſi effectus non ſequatur per ſe neceſſariò ad cauſam per ſe, & directè volitam, ſed ſolùm ſequatur regulariter, & vt in plurimùm, tale Homicidium ſic volitum comprehenditur ſub Homicidio voluntario, quatenus à caſuali diſtinguitur. Quam etiam Sententiam tenet *Couarruuias* in *Clement. ſi Furioſus*. Quorum fundamenta inferiùs adducentur.

3 Secunda *Sententia* aſſerit, Quòd *Homicidium Voluntarium*, quatenus à Caſuali diſtinguitur, includit, quod ſit factum ex propoſito, & ex directa intentione occidendi, vel tanquã finis, vel tanquam medium ordinatum ad finem, vel ſaltèm tanquam effectus per ſe, & neceſſariò ſequutus ad cauſã per ſe, & directè volitã, tunc enim effectus ſic volitus per ſe dicitur ex propoſito intentus; ſubditq; hæc Sentẽtia (id in quo potiſſimum differt à Sententia Caietani) quòd ſi Homicidium ſit volitum tanquã effectus, qui regulariter ſequitur ad cauſam per ſe volitã, dummodo non ſequatur per ſe, & neceſſariò ad talẽ cauſam per ſe volitam, tale Homicidiũ ſic volitum cõprehenditur ſub Homicidio caſuali, non voluntario. Hanc Sententiam tenet *Nauarrus in Manuali c.*27. & ſequitur illam *Magiſt. Bañez hic*, & *Suarez Tomo* 5 *diſp.*44. *ſect.* 1. Quorum fundamenta infra etiam adducenda ſunt.

4 Tertia *Sententia* eſt Quorundam, Iuriſperitorum, quos refert *Suarez* Loco nunc allegato, aſſerentium, quod voluntarium Homicidium, quatenus à caſuali diſtinguitur, eſt, quod fit ex conſilio, & ex prædeterminatione, ita quod ſi quis ex rixa repente ſuborta, vel ob verba contumelioſa repẽtè prolata contra ſe, occidat aliquem voluntariè, tale homicidium reputandum eſt *Caſuale*, & non *Voluntarium*. Fundamentum huius Sententiæ poteſt eſſe Teſtimonium illud *Concilij* infra allegandum, & *Cap. Primum de Homicidio Voluntario*, etiam citandum. Vbi explicatur Homicidium Voluntarium per hoc, quod fiat per induſtriam, & per inſidias. Quæ verba in proprietate Sermonis videntur importare quamdam prædeterminationem animi, ita vt in proprietate Sermonis verificari non poſſint de Homicidio Voluntario etiam per ſe intento, quod fit ſubitò, & repentinè.

5 Pro *Huius* tamen Difficultatis explicatione aduertendum eſt primò poſſe illam in duplici ſenſu diſputari. *Primus ſenſus eſt*, Quòd Homicidium ſit Voluntarium, quatenus a Caſuali diſtinguitur, & in quo potiſſimum ab eo differt ſecũdum rigorem metaphyſicum voluntarij, & caſualis? *Secundus ſenſus eſt*, Quid ſit Homicidium Voluntarium, & in quo à caſuali differat ſecundùm Iuris diſpoſitionem? *Secundò*, *notandum*. Quod vt Homicidium poſſit eſſe voluntarium, quatenus a caſuali diſtinguitur, adhuc dupliciter poteſt eſſe volitum. *Primo modo* in ſe ipſo, vel tanquam medium, vel tanquam finis, quia ſic voluntas ad Homicidium immediatè, & in ſe ipſo terminatur. *Secundo modo*, poteſt eſſe volitum in ſua cauſa, qui quidem modus adhuc dupliciter contingere poteſt. *Primo* ita vt ſit volitum in cauſa directè volita tanquam effectus neceſſarius, & per ſe conſequutus ad illam cauſam: *Secundo modo* ita ſit volitum in ſua cauſa directè volita tanquam effectus praeuiſus, qui regulariter, & vt in plurimum ſequitur ad talem cauſam, non tamen per ſe, & neceſſariò ſubſequitur.

6 Tertiò *Supponendum eſt*. Quod in hac difficultate non intendimus inquirere, & explicare rationẽ *Homicidij Voluntarij* abſolutè, & in communi, quatenus à caſuali diſtinguitur, nam rationem Homicidij Voluntarij iuſti, & liciti explicabimus *Diſp. ſequenti*. Et hoc aduerto propter doctrinam *Magiſt. Bañez*, quàm tradit in explicanda hac difficultate. Intendit enim explicare rationem homicidij voluntarij abſolutè, & in communi, vt comprehendit licitum, & illicitum Homicidium. Qua de cauſa ſatis lubricè in hac parte loquitur, & non videtur ſatis conſequenter procedere ad dicta à ſe ipſo in *art.* 7. & ob hanc cauſam neutra Sententia, videlicet nec *Caietani*, nec *Nauarri* ſibi planè ſatisfacit, quia neutra explicat rationem homicidij voluntarij vt ſic, ſed ſolùm culpabilis. Et quidem Nos hoc ipſum ſolùm intendimus in hac difficultate. Verum eſt tamen, quod quantum attinet ad Homicidium Voluntarium culpabile *Magiſt. Bañez*, vt ex eius doctrina colligitur, in Sententiam Nauarri inclinat.

7 Quartò *Notandum eſt tanquam certum*, Quòd Homicidium illud, quod eſt volitum in ſe ipſo, vel tanquàm finis, vel tanquam medium ad finem, ſimpliciter eſt dicendum Homicidium Voluntarium. Quòd quidem inter Doctores primæ, & ſecundæ Sententiæ, & commune, & certiſſimũ eſt, quamuis Authores tertiæ Sententiæ id ex

parte negare videantur. Dicimus tamen hoc tanquam certum eſſe ſupponendum, quia Sententia illa tertia omnino improbabilis eſt, quantum ad id quod aſſerit, quod ſi quis repentè, & ſubitò aliquem occidat, tale Homicidium non eſt voluntarium, ſed caſuale. Fundamentum autem illius tertiæ Sententiæ facilè diſſoluitur. Nam in Iure Homicidium Voluntarium quatenus à caſuali diſtinguitur, non explicatur ſolùm per hoc quod fiat ex induſtria, & ex propoſito, & animo occidendi omninò deliberato, & prædeterminato, ſed explicatur etiam per hoc quod fiat ex induſtria, & ex propoſito, & animo occidendi abſolutè loquendo. Quæ quidem verba Iuris cum omni proprietate, & rigore comprehendunt Homicidium volitum in ſe ipſo tanquam finem, vel tanquam medium quantumcunque ſubitò, & repentinè contingat. Quare punctus huius Difficultatis procedit de Homicidio volito in ſua cauſa.

8 Dico *Igitur Primò*, Secundùm rigorem metaphyſicum loquendo. Prima Sententia eſt veriſſima. Itaque Homicidium volitum, & præuiſum tanquam effectus, qui regulariter ſequitur ad cauſam directè volitam cenſendum eſt Homicidium Voluntarium, & non caſuale. Hanc Concluſionem probant rationes infra ponendæ pro prima Sententia, & hoc eſt, quod *D. Thom* potiſſimum intendit explicare in articulo, *Confirmatur*. Quoniam caſualia in rigore metaphyſico ſunt præter intentionem; ſed Homicidium præuiſum in cauſa volita directè, etiam ſi ſolùm regulariter ſequatur ad illam cauſam, non poteſt dici eſſe præter intentionem, cum voluntas virtualiter, & mediatè in ipſum Homicidium feratur; ergo ſecundùm rigorem metaphyſicum tale Homicidium non eſt caſuale, ſed voluntarium.

9 Dico *Secundò*. Probabilius eſt, quod ſecundùm Iuris diſpoſitionem Homicidium volitum in cauſa directè volita tanquam effectus, qui ſolùm regulariter ſequitur ad illam, non eſt cenſendum voluntarium, ſed caſuale. Hanc Concluſionem ſatis efficaciter probant rationes pro ſecunda Sententia infra ponendæ. *Quæ etiam Confirmantur*. Quoniam Homicidium voluntarium culpabile in Iure eſt odioſum, quia ſecundùm Iuris diſpoſitionem longè difficilior eſt Diſpenſatio in Irregularitate Homicidij voluntarij culpabilis, quàm in Irregularitate Homicidij caſualis; ſed ea quæ odioſa ſunt non ſunt magis extendenda quàm à Iure extenduntur, à Iure autem non extenditur Homicidium Voluntarium ad Homicidium volitum in cauſa, ad quam ſolùm regulariter, & non neceſſariò ſequitur. quoniam Homicidium Voluntarium à Iure ſolùm extenditur ad Homicidium, quod fit ex propoſito, & animo occidendi: Homicidium autem volitum in cauſa ad quam ſolùm regulariter ſequitur, non poteſt dici fieri ex propoſito, cùm ſolùm ſit voluntarium mediatè, & quaſi per accidens. Ergo ſecundùm Ius Homicidium voluntarium non extéditur ad præfatum Homicidium; ergo ſecundùm Iuris diſpoſitionem Homicidium ſic volitum non eſt cenſendum Homicidium Voluntarium.

10 Dico *Tertiò*. Illud ſolùm Homicidium ſecundùm Iuris diſpoſitionem comprehenditur ſub voluntario, quod eſt per ſe volitum, vel per ſe primò, vel per ſe ſecundò. Et quidem per ſe primò, vt illud, quod eſt voluntarium in ſe ipſo; & per ſe ſecundò, illud, quod eſt voluntarium in cauſa directè volita tanquam effectus præuiſus, & neceſſario ſubſequutus ad illam. *Probatur Concluſio*. Nam ſecundùm Iuris diſpoſitionem, illud eſt Homicidium Voluntarium quod fit ex propoſito, & animo occidendi: Sed non poteſt Homicidium fieri ex propoſito, & animo occidendi, niſi voluntas comparetur per ſe ad illud; nam ſi per accidens ſolùm comparetur neutiquam dici poteſt, quod fiat ex propoſito, & animo occidendi, ergo ſecundum Iuris diſpoſitionem Homicidium vt ſit Voluntarium debet eſſe per ſe volitum, videlicet; per ſe primò, aut per ſe ſecundò. Quod autem quando Homicidium eſt præuiſum tanquam effectus per ſe, & neceſſario ſubſequutus ad cauſam per ſe volitam, ſit etiam per ſe volitum ſaltem per ſe ſecundò. *Probatur*. Quia cum tunc voluntas comparetur per ſe ad cauſam, & cauſa per ſe comparetur ad effectum neceſſarium, ideo etiam voluntas per ſe comparatur ad illum effectum ſaltem mediatè, & per ſe ſecundò.

Dico *Quartò*. Satis probabile eſt, quod ſecundùm Iuris diſpoſitionem illud Homicidium eſt Voluntarium, quod ſequitur regulariter, & vt in plurimum ad cauſam per ſe volitam, quamuis non ſequatur ad illam neceſſariò ex natura rei. Hanc Concluſionem probant Argumenta pro prima Sententia facienda. Nam ſecundùm Iuris diſpoſitionem illud eſt Homicidium Voluntarium, quod fit ex propoſito, & animo occidendi ſaltèm per ſe ſecundò, quando voluntas per ſe comparatur mediatè ad illud Homicidium (vt oſtendimus *Concluſ. præcedenti*) ſed in moralibus effectus, qui ſequitur ad aliquam cauſam regulariter, & vt in plurimum, cenſeri debet effectus per ſe illius cauſæ; ergo qui vult directè talem cauſam, ſubinde vult per ſe ſecundò effectum ſubſequutum ad illam regulariter, & vt in plurimum. 11

Soluuntur argumenta.

ARguitur *Primò* pro Prima Sententia ex *D. Thom. in hoc art*. 8. vbi ait homicidium caſuale ſolùm eſſe duplex, vel quod ſequitur quādo quis dat operam rei illicitæ, vel quando non adhibet ſufficientem diligentiam dans operam rei licitæ; ſed plura ſunt Homicidia præter hæc duo, quæ non fiunt ex propoſito, & ex directa intentione occidendi; ergo illa cenſenda ſunt Homicidia Voluntaria, & non caſualia, ac per conſequens ſecundùm *D. Thom*. non eſt de ratione Homicidij Voluntarij, quod fiat ex propoſito, & intentione directa occidendi. *Minor Probatur*. Quia quando quis vult cauſam, ad quam ſequitur Homicidium, iam non eſt caſuale iſto duplici modo aſſignato à *D. Thom*. Plura igitur ſunt Homicidia non caſualia ſed voluntaria, quæ tamen non fiunt ex propoſito, & ex directa intentione occidendi. 1

Secundò *Arguitur* pro eadem prima Sententia ex *Cap. vltimo de Homicidio in 6*. Vbi cenſetur Homicida, & Irregularis quidam præcipiens puerum verberari, aduertens ſimul, & præcipiens exequenti ne excederet in verberatione, ita vt ſequeretur mors, & tamen quia ſequuta fuit, qui præcipit, iudicatur voluntarius Homicida, & Irregularis, non alia ratione, niſi quia mortem voluit in ſua cauſa, non enim voluit illam ex directa intentione; ergo conſtat hoc non eſſe de ratione Homicidij Voluntarij. *Hoc ipſum probatur ratione*. Quia Homicidium caſuale illud eſt, quod eſt per accidens Voluntarium, qua ratione cauſa 2

per

per accidens dicitur remouens prohibens; ſed quando quis vult effectum ſubſequutum ad cauſam per ſe, non vult illum effectum ex directa intentione, ſed nec etiam vult illum per accidens vt remouens prohibens; ergo Homicidium ſic voluntarium non erit caſuale, & alias non eſt volitum ex directa intentione, cum intentio directè, & per ſe ſolùm tenderit ad cauſam; ergo non eſt de ratione Homicidij Voluntarij quod ſit ex directa intentione.

3 Ad *Hæc argumenta*, quatenus militant contra ſecundam Concluſionem, Reſpondetur. Ad Primum. Quod *D. Thom.* potiſſimum, quod contendit oſtendere, & explicare, eſt quid ſit Homicidium caſuale ſecundùm Metaphyſicum rigorem, non tamen quid ſit ſecundùm Iuris diſpoſitionem. *Et ſi obiicias*, Quod illa, quæ *D. Thom.* aſſerit eſſe Homicidia caſualia, dicit etiam eſſe caſualia ſecundùm Iuris diſpoſitionem; ergo *D. Thom.* loquitur de Homicidio caſuali ſecundùm Iuris diſpoſitionem. *Reſpondetur.* Quod *D. Thom.* tantùm intendit quod illa, quæ in rigore Metaphyſico ſunt Homicidia caſualia, ſint etiam caſualia ſecundùm Iuris Diſpoſitionem, non tamen intendit, quod illa ſolum, quæ in rigore Metaphyſico ſunt caſualia, ſint etiam caſualia ſecundùm ordinem Iuris; nam caſuale Homicidium ſecundùm Iuris diſpoſitionem latiùs patet, quàm caſuale in rigore, comprehendit enim illud, & ad aliud ſe extendit. *Ad ſecundum Reſpondetur.* Quòd in illo *Cap.* Qui præcepit puerum illum verberari non cenſetur Homicida voluntarius, ſed Homicida, & Irregularis, quod verificatur de Homicidio caſuali, quale fuit illud. *Ad Tertium* conſtat ex dictis.

4 Tertio, *Principaliter Arguitur* pro ſecunda Sententia. Ex *Concil. Trid. Seſſ.* 14. *Decreto de Reformatione Cap.* 7, vbi dicitur, Homicidium Voluntarium eſſe quatenus à caſuali diſtinguitur, quod fit per induſtriam, vel per inſidias, & ex propoſito. Ergo Homicidium Voluntarium quatenus à caſuali diſtinguitur, includit quod fiat ex propoſito, & directa intentione occidendi, nam aliàs verificari non poſſet quomodo Homicidium fiat per induſtriam, & inſidias, & ex propoſito. *Secundò, Probatur* ſecunda Sententia ex diſpoſitione vtriuſque Iuris. Nam in *Canonico cap.* 1. *de Homicid.* cuius verba deſumpta ſunt ex 21. *Exod.* explicatur, quid ſit Homicidium voluntarium, per hoc quod fiat per induſtriam, & per inſidias; Et in *cap. ſicut dignum eod. Tit.* dicitur, Homicidium Voluntariũ eſſe quod fit animo occidendi; ergo tale Homicidium Voluntariũ eſt quod fit ex propoſito, & directa intentione occidẽdi. In *Iure verò Ciuili* idẽ determinatur, vt patet *in L.* 1. *ff. de Siccariis.* Vbi dicitur Homicidium Voluntarium eſſe quod fit dolo, & animo occidendi. *Tertiò, Probatur Ratione.* Quoniam Homicidium Voluntarium diſtinguitur à caſuali per hoc quod caſuale eſt per accidens voluntarium, non per ſe; Homicidium verò Voluntarium eſt quod per ſe eſt volitum, & ex propoſito, & ex directa intentione, vel tanquam finis, vel tanquam medium ordinatum ad finem; ergo Homicidium Voluntarium, quatenus à caſuali diſtinguitur includit quod fiat ex directa intentione occidendi, & ex propoſito. Ad omnia hæc Argumenta iam conſtat ex dictis.

Articvlvs II.

Vtrùm quando Homicidium eſt per ſe ſecundo volitum in ſua cauſa ſit neceſſarium, quod ipſa cauſa quæ eſt per volita ſit formaliter volita in quantum cauſa ipſius Homicidij, An verò ſufficiat, quod illud quod eſt cauſa per ſe illius Homicidij ſit per ſe volitum, non tamen vt cauſa?

Ratio *Dubitandi eſt.* Quia Homicidium hoc voluntarium in cauſa, quod dicitur per ſe ſecundo volitum, diſtinguitur ab Homicidio Voluntario in ſe ipſo, & per ſe primo volito, ſed ſi cauſa eſſet volita per ſe in quantum cauſa Homicidij, iam illud eſſet voluntarium in ſe ipſo, & per ſe primò; ergo vt Homicidium dicatur in cauſa, non eſt neceſſarium, quod cauſa ſit volita in quantum cauſa. *Minor Probatur.* Quoniam quando voluntas fertur in aliquam cauſam per ſe, vt eſt cauſa alicuius effectus, appetit effectum tanquam finem, & cauſam tanquam medium; media enim ſunt volita propter finem, quatenus ſunt cauſa ad conſequutionem finis. Quod autem eſt volitum tanquam finis, vel tanquam medium eſt Voluntarium in ſe ipſo, & per ſe primò, quod quidem potiſſimum de fine verificatur. *Confirmatur.* Quia ſi cauſa appetitur in quantum cauſa alicuius effectus; ſolum appetitur propter effectum; ergo id quod potiſſimum ibi appetitur eſt effectus, quia *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis.* 1

In *Contrarium tamen eſt.* Quia ſi cauſa non debet eſſe volita in quantum cauſa, poterit Homicidium eſſe volitum ſolùm per accidens, vt contingit, ſi quis velit illam rem, quæ eſt cauſa Homicidij, non cognoſcens eſſe cauſam per ſe Homicidij, tunc enim Homicidium eſt per accidens voluntarium, & aliquando nullo modo voluntarium, ſi inuincibiliter ignoretur illam rem eſſe cauſam Homicidij. Ergo vt ſit volitum per ſe ſecundo in ſua cauſa, oportet illam eſſe volitam tanquam cauſam.

Pro *Huius* Reſolutione aduertendum eſt Primò, Quòd dupliciter poteſt voluntas velle per ſe cauſam Homicidij in quantum cauſa eſt. *Primo modo* ita vt ly *in quantum* accipiatur reduplicatiuè, & ſit ſenſus, quòd ratio propter quam cauſa eſt volita, eſt per ordinem ad Homicidium tanquam ad effectum. *Secundo modo* poteſt voluntas velle per ſe cauſam homicidij in quantum cauſa eſt, ita vt particula *in quantum* accipiatur ſolùm ſpecificatiuè, & ſit ſenſus, quod voluntas per ſe vult illud, quod eſt cauſa Homicidij, in ordine tamen ad alium finem, & præuiſa nihilominus cauſa ipſa Homicidij, adhuc cum hac conditione vult illud, quod eſt cauſa Homicidij. Secundò aduertendum eſt, Quod voluntas in illud, quod eſt cauſa homicidij quaſi materialiter poteſt dupliciter per ſe ferri, ſicut dupliciter poteſt contingere, quod illud dupliciter non præcognoſcatur, ſed ignoretur eſſe per ſe cauſam Homicidij. *Primo* quidem ex ignorantia inuincibili, & inculpabili. *Secundo modo* ex culpabili ignorantia, quæ quantum ad præſens attinet, triplex eſſe poteſt, alia affectata, quæ eſt intenta, & volita; & alia nimis craſſa, & ſupina, quæ 2

ad ipſam affectatam reducitur;& alia taliter colpabilis, vt non ſit nimis craſſa, vel ſupina, eſt tamen vincibilis.

3 Dico *Primò*. Quando Voluntas vult illud quod eſt cauſa Homicidij, in quantum cauſa eſt reduplicatiuè modo explicato in primo notabili, Homicidium eſt Voluntarium in ſe ipſo, & per ſe primò. Hæc Concluſio conſtat ea ratione dubitandi.

4 Dico *Secundò*. Quando quis vult per ſe id quod eſt cauſa homicidij, non in quantum cauſa eſt homicidij, ſed accepta ſpecificatiuè, tunc tale homicidium dicitur voluntarium in ſua cauſa. *Probatur*. Quia tunc Homicidium illud non eſt Voluntarium in ſe ipſo, quia neque tanquam medium vt conſtat, neque vt finis, ſiquidem cauſa formaliter homicidij non eſt volita in quantum medium in ordine ad homicidium, ſed vt medium ordinatum ad illum finem intentum, & diſtinctum ab homicidio vt dicebamus in primo notabili; ergo relinquitur quod ſolum ſit voluntarium illud Homicidium in ſua cauſa.

5 Dico *Tertiò*. Quando voluntas per ſe vult illud, quod eſt cauſa homicidij, ſi procedat voluntas ex ignorantia inuincibili, imò vincibili culpabiliter, qua homo ignorat, quod illud, quod agit, ſit per ſe cauſa homicidij, dum tamen ignorantia illa culpabilis non ſit affectata, aut ſupina, aut nimis craſſa; tunc tale homicidium non poteſt dici voluntarium in ſe, neç in ſua cauſa ſecundum Iuris diſpoſitionem. Et quidem quod in ſe non ſit voluntarium conſtat manifeſte, & probari poteſt à fortiori ex ratione facta pro *præcedent. Concluſ.* Quod autem quando ex ignorantia inuincibili homo facit illud, quod per ſe eſt cauſa homicidij, non ſit illud homicidium voluntarium certiſſimè tenendum eſt, cùm potius tunc nec culpabile ſit tale homicidium, quia nullo modo eſt voluntarium. Et loquimur de homicidio ſecundùm ſe illicito ex ſua ſpecie, & dicimus illud ex defectu voluntarij non imputari ad culpam in indiuiduo. Quod verò quando ignorantia eſt culpabilis non dicatur Homicidium Voluntarium in cauſa ſecundùm Iuris diſpoſitionem. *Probatur*. Quia tunc homicidium per accidens reducitur ad voluntatem; ergo non eſt voluntarium ſecundùm Ius: *Conſequentia Patet* ex dictis in *præcedent. dub.* Quoniam Homicidium Voluntarium ſecundùm Iuris diſpoſitionem quatenus à caſuali diſtinguitur debet per ſe reduci ad volontatem. Sed *Probatur Antecedens*. Nam ignorantia illa, quæ nec affectata eſt, nec nimis craſſa, nec reducitur ad illam, ſubinde non reducitur per ſe ad voluntatem, ſed indirectè, vt docet *D. Thom. 1. 2. Quæſt. 76. art. 3.* Ergo totum, quod ex hac ignorantia ſequitur, non poteſt reduci ad voluntatem per ſe, ſed per accidens, & indirectè.

6 Dico *Quartò*. Quando quis per ſe vult illud, quod eſt cauſa homicidij, ignorans eſſe per ſe cauſam homicidij cum ignorantia affectata, ſiue ſupina, vel nimis craſſa, tunc tale homicidium dicitur etiam voluntarium in cauſa. *Probatur Concluſio*, quæ quidem de ignorantia affectata eſt manifeſta in Doctrina D. *Thom. 1. 2. Quæſt. 76. art. 3.* Vbi expreſsè docet, quòd ignorantia affectata eſt directè volita. *Et Ratio huius eſt*. Quia ignorantia affectata eſt ea, quæ à voluntate intenditur; ergo per ſe habet terminare actum, voluntatis; ergo totum illud, quod ex tali ignorantia ſequitur, comparatur per ſe ad voluntatem. *Confirmatur, & Explicatur amplius*. Quoniam in præſentiarum loquimur de ignorantia affectata, qua quis vult ignorare cauſam per ſe Homicidij. Qui autem talem ignorantiam affectat, per ſe volt periculum incluſum in eo, quod eſt cauſa per ſe homicidij; ergo homicidium per ſe ſubſequutum ex tali ignorantia affectata cauſæ per ſe homicidij, comparatur per ſe ad voluntatem, & conſequenter tale homicidium erit voluntarium in cauſa ſecundùm Ius, & non caſuale. *Secunda* autem pars Concluſionis de ignorantia nimis craſſa conuincitur eiſdem rationibus, quia reducitur ad ignorantiam affectatam, vnde participat naturam, & conditiones ignorantiæ affectatæ.

Et *Si obiicias*. Nam ignorantia eſt cauſa per accidens illius effectus, qui ſequitur ex ignorantia; 7 Tum quia illa eſt ens rationis, cum ſit priuatio ſcientiæ debitæ; Tum quia ignorantia dicitur cauſa peccati ſicut remouens prohibens, quia eatenus dicitur cauſa, quatenus remouet ſcientiam, quæ ſi adeſſet, impediret effectum malum; ergo effectus ſubſequutus ea ignorantia, quæ eſt cauſa per accidens, non poterit per ſe reduci ad voluntatem. Sed omnis ignorantia, quantumcumque affectata eſt cauſa per accidens (vt iam probauimus) ergo nulla ignorantia erit cauſa, vt homicidium ſubſequutum ex illa reducatur per ſe ad voluntatem.

Reſpondetur tamen, quod ignorantia com- 8 parata ad effectum ſubſequutum habet ſe vt cauſa per accidens phyſicè loquendo: Si tamen ipſa cauſa per accidens eſt per ſe volita in ordine ad effectum, tam ipſa ignorantia, quàm effectus reducuntur per ſe ad voluntatem. Vnde in genere moris ignorantia per ſe connectitur cum effectu ſubſequuto, ſaltèm ex voluntate operantis cum tali ignorantia per ſe volita ab illo in ordine ad effectum. *Et exemplum eſt*. Si quis remoueat impedimentum Verbi gratia quando lapis detinebat tectum ne caderet, & ſic remoto impedimento deſcēdit tectum, & occidit hominem, tunc etiamſi remouens prohibens ſit cauſa per accidens in genere phyſico, quia tamen ipſa remotio prohibentis fuit per ſe volita in ordine ad effectum Homicidij comparatur per ſe ad voluntatem in genere moris.

Ex *dictis ſequitur*. Quod ſi quis intendat ſolùm 9 ſe vindicare inferendo leue vulnus, quia exiſtimat ex ignorantia, quod vulnus quantumcumque graue in aliqua parte corporis, videlicet in brachio nunquam eſt lethale, ſed leue in ordine ad occiſionem, ſi tamen ex vulnere illo inflicto ſubſequatur mors, tunc ſi ignorantia illa ſit nimis craſſa, tale homicidium cenſendum eſt voluntarium: ſi tamen non ſit nimis craſſa, erit caſuale. Ratio huius manifeſte deducitur ex 3. & 4. *Concl. Sed Inquires?* Quando quis nullam habet ignorantiam, ſed certò exiſtimat, quod vulnus graue in quacumque parte corporis eſt lethale, intendit tamen ſolùm inferre vulnus leue, & non graue, de facto tamen intulit vulnus graue ex quo ſubſequuta eſt mors, An tunc homicidium illud ſit cenſendum voluntarium?

Dico *ad hoc*. Quod dupliciter contingere poteſt, 10 quod in præfato caſu quis graue vulnus inferat. *Primo modo* ita vt ex parte percutientis fuerit leuis percuſſio, quia leui ictu percuſſit proximum, contingit tamen quod ex parte percuſſi fiat vulnus illud graue, quia motu aliquo corporali ipſe percuſ-

ſus

lus fecit eſſe vulnus illud graue; vel quia multum appropinquauit ad percuſſorem intendens ipſum repercutere; vel alia ratione, videlicet propter malam complexionem percuſſi. *Secundo modo* ita vt vulnus illud etiam ex parte percutientis ſit graue, quia magno impetu percuſſit proximum. Dicendum eſt igitur quod ſi *Primo modo* vulnus fiat graue ex quo ſequatur mors, Homicidium illud non eſt cenſendum voluntarium, ſed caſuale. Cuius ratio eſt, quia tunc percutiens nec habet intentionem occidendi, nec grauiter vulnerandi, nec de facto fuit grauis percuſſio, ſed per accidens aggrauatum eſt vulnus, & ſecuta eſt mors; ergo homicidium illud cenſendum eſt caſuale. Si autem ſecundo modo fiat, tunc homicidium ſecutum eſt voluntarium per ſe in illa cauſa, quia quamvis tunc percutiens videatur habere intentionem non occidendi, neque grauiter vulnerandi in ordine ad occiſionem, tamen talis voluntas eius inefficax fuit, & voluntas grauiter vulnerandi abſolutè fuit efficax. ſiquidem ex parte percutientis fuit grauis percuſſio, ad quam per ſe ſequuta eſt mors; vnde huic voluntati efficaci fuit per ſe comparata mors, ac ſub inde tale homicidium fuit voluntarium in illa cauſa per ſe, & non caſuale.

11 Dubitabis *Secundò*. Vtrùm quando quis ſolùm voluit ſe vindicare quomodolibet, ſiue occidendo, ſiue leuiter vulnerando An tunc ſi graue ei inferat vulnus, & ſequatur mors, homicidium illud dicatur voluntarium? *Et videtur quod non*. Quia ex vi illius voluntatis non magis graue, quam leue ſequitur vulnus; ergo ex vi illius voluntatis non magis ſequitur mors, quàm leuis aliqua percuſſio. Ergo tunc homicidium non erit voluntarium in cauſa, quia cauſa per ſe volita, quæ fuit vindicatio quomodolibet facta, non habet quod per ſe ſit illatiua mortis. *Dico tamen*. Tale homicidium cenſendum eſſe voluntarium in cauſa, & non caſuale. *Et ratio huius eſt*. Quia cauſa per ſe illatiua mortis etiam fuit per ſe volita, quamvis non adæquatè, ſed inadæquatè, nam adæquatè ſolùm intendebat ille homo ſe vindicare quomodolibet, ſed tamen inadæquatè vtrumque per ſe voluit, id eſt, ſiuè graue, ſiue leue volnus inferre, vnde tale Homicidium fuit Voluntarium in ſua cauſa. Et per hoc patet reſponſio ad rationem in contrarium obiectam.

12 Dubitabis *Tertio*. An ſi quis propinet venenum alteri, non quidem animo occidendi, ſed animo oſtendendi virtutem cuiuſdam medicinæ, quæ maximam habet efficaciam ad impediendum effectum mortis, ſed tamen cum deberet poſtea talem medicinam applicare, non applicuit, vnde ſequuta eſt mors. An tale homicidium ſit cenſendum voluntarium? *Videtur quod ſic ex dictis*. Quia ille per ſe vult cauſam, quæ eſt cauſa per ſe mortis, videlicet propinationem veneni; ergo homicidium erit voluntarium in cauſa. *Dico tamen* dupliciter poſſe contingere, quod ille non applicet medicinam impeditiuam, *Primò*, quia quamvis dum contulit venenum non habuerit intentionem occidendi; modo tamen ex propoſito vult non applicare medicinam. Et hoc modo manifeſtum eſt tale homicidium eſſe voluntarium non ſolùm in cauſa, ſed in ſe ipſo. *Secundo modo* poteſt contingere, quod non applicet medicinam ex negligentia, aut oblinione, & tunc ſi talis negligentia, aut oblitio non fuit nimis craſſa dicendum eſt, tale homicidium eſſe caſuale, & non voluntarium. *Probatur*. Quia cauſa illius mortis non fuit voluntaria directè vt cauſa etiam ſpecificatiuè; ergo homicidium illud non eſt voluntarium in cauſa ſecundùm Ius. *Antecedens Probatur*. Nam ille voluit cauſam vt impedibilem per medicinam in ordine ad effectum homicidij non ſubſequendum; ergo nullo modo voluit cauſam vt cauſam homicidij etiam ſpecificatiuè. Et per hoc patet reſponſio ad obiectionem in contrarium. Ad rationes autem dubitandi factas à principio conſtat manifeſtè ex dictis.

ARTICVLVS III.

Vtrùm omnis Concauſa Homicidij voluntarij incurrat Irregularitatem prouenientem ex Homicidio Voluntario?

DIfficultas Huius articuli annexa eſt præcedentibus, nam poſtquam in illis egimus de cauſa principali homicidij, nunc de concauſa eius recto ordine agendum venit. *Et à parte negatiua Arguitur*. Nam concurſus concauſæ moralis fit ſolùm per influxum intellectus, & voluntatis, vtpotè per Iuſſionem, Conſilium, Exhortationem, & alia huiuſmodi; ſed ille concurſus non ſufficit ad inducendam Irregularitatem, quia aliàs quicumque per intellectum decerneret, & per voluntatem vellet efficaciter occidere hominem, etiam morte non ſequuta, de facto Irregularitatem incurreret, ſiquidem habuit influxum moralem in ordine ad mortem. Hoc autem falſum eſt, & abſurdum; ergo non omnis concauſa homicidij, videlicet concauſa moralis, incurrit Irregularitatem impoſitam propter homicidium voluntarium.

Pro *Huius* Reſolutione ſupponendum eſt *Primò* Quod illæ concauſæ, quæ concurrere poſſunt 1 ad damnificandum proximum, ita vt ex illarum concurſu obligatio oriatur ad reſtituendum, poſſunt etiam concurrere ad homicidium perpetrandum, de quibus cauſis latè dicitur ſupra in Materia de Reſtitutione 2. 2. *Quæſt*. 62. *art*. 7. Quæ quidem concauſæ explicantur illis verſibus *Iuſſio, Conſiliũ, Conſenſus, Palpo, Recurſus, Participans, Mutus, Non obſtans, Non manifeſtans*. Et de iſtis concauſis nobis in præſenti diſputandum eſt, qualiter videlicet homicidium voluntarium illis imputetur ſecundùm Ius, & conſequenter Irregularitas.

Secundò *ſupponendum eſt*, Quod In præfatis 2 concauſis enumeratis aliæ ſunt, quæ ex natura ſua ſunt efficaces ad cauſandum; aliæ verò ſunt, quæ ſecundùm ſe non efficaces, ſed aliquando influunt in effectum. Quæ quidem concauſæ tunc ſolùm de facto cenſendæ ſunt influere quando probabiliter exiſtimatur, quod verum habeant influxum in effectum, vt aduertit *D. Thom. in illa Quæſt*. 62. *a*. 7. Deinde etiam inter præfatas concauſas aliæ ſunt cauſæ influentes poſitiuè, vt *Iuſſio*, *Conſilium*, *Palpo*, *Recurſus* aliæ verò non poſitiuè, ſed quaſi negatiuè, & per accidens influunt, ſicut ſunt illæ tres poſteriores enumeratæ, *Mutus*, *Non obſtans*, *Non manifeſtans*. Ac denique etiam ex præfatis cauſis; aliæ ſunt phyſicæ, & ſimul morales, vt ſunt *Recurſus*, *Participans*, & qualitercumque phyſicè coadiuuans; Aliæ autem ſunt morales, vt *Iuſſio*, *Conſilium*, *Conſenſus*, *Palpo*.

Tertiò *ſupponendum eſt*. Quod cum morales 3 cauſæ ſolùm influant per influxum moralem dupliciter poteſt quis huiuſmodi influxum cauſare;

Primò

Primo modo directè, videlicet quando quis præcipit alicui, ſiue aliquibus vt interficiant Petrum, vel præbet Conſilium, aut exhortationem ſuadens alios ad hoc; tale præceptum, aut Conſilium, aut quicumque influxus moralis huiuſmodi directè, & per ſe ordinatur ad Homicidium Petri. *Secundo modo* poſſunt influere moraliter indirectè, verbi gratia, quando cauſa præcipiens, aut conſilians, aut alia moralis profert aliqua verba, quæ qoamvis directè, & per ſe ad Homicidium non ordioentur, ex illis tamen indirectè colligitur Conſilium, aut præceptum, ſiue cooſenſus in Homicidium, vt ſi aliquis Pater diceret filio offenſo, & iniuriato ab aliquo, *Tu non es meus filius.* Ex quibus verbis filius colligit indirectè, quod Pater ei præcipiat, vt vindictam ſumat de offendente. Et ſimiliter ſi quis dicat alicui offenſo ab alio, *Si mihi talis iniuria eſſet illata qualis tibi illata fuit, Ego ſcio quod facerem.* Et ſimiliter ſi quis dubius an offenſus ſit, vel iniuriatus ab alio, qood vulgariter dicitur *Cargado*, & interroget alium, & ille reſpondeat, *Quod ſic*, ſciens, & præuidens qui reſpondit, quod interrogatus id inquirit ad ſe exonerandum per vindictam.

4 Dico *Igitur Primò*. Omnis concauſa, ſiue phyſica, ſiue moralis, ſiue directè, ſiue per accidens influens, quæ ſic influit, & concurrit ad homicidium, ſicut concurreret ad damnificandum proximum, ita vt obligetur ad reſtituendum, talis inquã concaoſa incurrit Irregularitatem Homicidij, ſiue voluntarij, ſiue caſualis. In iſta Concluſione loquimur ita vniuerſaliter, & ſub diſiunctione de irregularitate, quæ incurritur propter Homicidium, ſiue illud ſit Voluntarium, ſiue caſuale, quia io ſubſeqoentibos in particulari hoc determinandum erit. Circa quam Concluſionem ſuppooenda ſunt ea omnia quæ fusà dici ſolent 2.2. *Quæſt.* 62. *art.* 7. tàm in communi de huiuſmodi Concauſis, quam in particulari circa ſingulas. *Quo ſuppoſito Probatur Concluſio.* Nam quando quis obligatur ad reſtituendum propter Homicidium, eo eſt, quia verè influxit ad damnificandum proximum, & eſt verè cauſa damni illati ſiue per ſe, ſiue per acidens; ergo ſi ſic influit reſpectu Homicidij, verè erit cauſa illius, ſiue per ſe, ſiue per accidens; ergo incurrit Irregularitatem Homicidij, ſiue voluntarij, ſiue caſualis.

5 Dico *Secundò*, Reſpectu cauſæ phyſicæ concurrentis illud dicitur Homicidium Voluntarium in ſe, vel in ſua cauſa, quod etiam dicitur, & eſt voluntarium in ſe, vel in ſua cauſa (reſpectu cauſæ principalis phyſicæ, de qua in dubiis præcedentibus diximus. *Probatur Concluſ.* Quoniam, quod quis concurrat tanquam concauſa, non tollit, nec diminuit ſimpliciter rationem cauſæ, vel cauſalitatis in ordine ad effectum; ergo eodem modo iudicandum eſt de Homicidio Voluntario io ſe, vel in cauſa reſpectu concauſæ phyſicæ, ac de Homicidio Voluntario in ſe, vel in cauſa reſpectu cauſæ principalis phyſicæ.

6 Dico *Tertiò*. Cauſa moralis poſitiuè, & directè influens in homicidium ſic ſe habet reſpectu illius, qood homicidium dicitur ei voluntarium in ſe ipſo. Iſta Concluſio oon ſolùm intelligitur de cauſis moralibus, quæ ſemper, & regulariter influunt, ſed etiam de illis, quæ ſolùm aliquando, & non ſemper iofluunt, ſi tamen verè iofluant directè. *Probatur igitur Concluſio.* Quoniam cauſa moralis poſitiuè, & directè influens in homicidium ex intentione tendit in homicidium, eo quod directus iſte influxut, & poſitiuus potiſſimùm dicitur directus, quia ex intentione dirigitur ad illum effectum; ergo talis effectus, videlicet homicidium, eſt voluntarius in ſe ipſo reſpectu talis cauſæ. *Confirmatur, & explicatur iſta ratio.* Quoniam cauſa poſitiua moralis directè influens influxu morali per præceptum, aut conſilium, aut alia huiuſmodi via ordinat tale præceptum, ſiue conſilium tanquã medium ad homicidium vt ad finem, ex hoc enim talis ioſluxus moralis dicitur directus. Id aotem quod eſt voluntarium taoquam finis, aut medium eſt voluntariom in ſe ipſo (vt explicuimos *dubiis præcedent*) Ergo Homicidiom, qood ſequitur erit voluntarium in ſe ipſo. Quod autem etiam hoc verificetur in cauſis moralibus, qoæ ſolùm aliquãdo influunt. *Probatur.* Quia quamvis non ſemper influant, tamen quando influunt verè ſunt cauſæ talis Homicidij; & alias influxu ille eſt directus ad homicidium tanquam ad finem; ergo homicidium ſequutum ex tali influxu eſt volontarium in ſe ipſo tanquam finis, quamvis ſic de facto non ſequatur ex illo influxu, nullatenus imputabitur tali cauſæ morali.

Dico *Quartò*. Quando quis profert verba, 7
quæ indirectè ex ſe ipſis ordioantur ad homicidium, & indirectè influunt, ſi tamen iſte ex intentione talia verba dirigat ad homicidium, vt illud ſequatur, tale homicidium erit etiam Voluntarium in ſe ipſo. *Concluſio iſta Probatur ratione vltima facta pro præcedenti* Concluſione. Nam quamvis verba illa non habeant directè ordinari ad homicidium, nec directè influere in illud, nihilominus ſi à morali caoſa principali proferente talia verba dirigantur ad Homicidium, tunc illud intenditur vt finis; ergo ſi tenera talia verba habeant influxum io homicidium de facto, tale homicidium erit voluntarium in ſe ipſo.

Dico *Quintò*. Quando quis profert verba, 8
quæ indirectè ex ſe ipſis ad Homicidium ordinantur, ſi tamen Homicidium non intendat, ſed ſolùm alium finem, quamvis malum, & ſequitur nihilominus Homicidium indirectè ex illo influxu morali, tale Homicidiom cenſendum eſt caſuale, & non voluntarium ſecundùm Iuris diſpoſitionem reſpectu eius, qui talia verba protulit. *Probatur.* Qoia tunc tale Homicidium ſubſequutum non eſt voluntarium ſecundùm Ius in ſe ipſo, nec in ſua cauſa; ergo eſt caſuale. *Probatur Antecedens.* Et quidem quod non in ſe ipſo manifeſtum eſt, Quia non intenditur vt medium, nec vt finis. Quod autem non in ſoa cauſa probatur. Quia tunc eſt voluntarium homicidium in ſua cauſa ſecundùm Ius, quando cauſa eſt per ſe volita, & ad illam ſequitur per ſe, & neceſſario homicidium (vt diximus *artic.* 1.) ſed in caſu huius Concluſionis ad illa verba, quæ indirectè ordinantur ad homicidium non ſequitur per ſe, & neceſſariò talis effectus; ergo homicidium illud non erit volontarium in cauſa ſecundùm Ius; ergo ſolùm erit caſuale in ordine ad Irregularitatem inducendam.

Difficultas tamen ſupereſt explicanda. An ali- 9
quando poſſit dari homicidium voluntarium in cauſa reſpecto concauſæ moralis? Hactenus enim ſolùm explicuimus, qualiter reſpectu huius concauſæ moralis homicidiom ſit voluntarium in ſe ipſo, vel ſit caſuale; vnde relinquitur explicandum, An poſſit eſſe voluntarium in cauſa: *Et Ratio dubitandi eſt à parte negatiua.* Quia ſi fiat Sermo de concauſa morali indirectè influente in Homicidium,

cidium, tunc vel intendit Homicidium, vel alium finem: ſi intendit homicidium, & illud ſequatur erit iam voluntarium in ſe ipſo, vt conſtat ex quarta Concluſione. Si verò intendit alium finem, tunc Homicidium ſubſequutum ex tali influxu morali indirectò erit caſuale, vt diximus in prima Concluſione. Vnde videtur, quod reſpectu cauſæ moralis indirectè influentis nullum poſſit eſſe Homicidium voluntarium in cauſa, ſed omne illud debet eſſe, vel voluntarium in ſe ipſo, vel caſuale. Si verò fiat Sermo de concauſa morali directè influenti, videtur etiam non poſſe eſſe homicidium voluntarium in cauſa, quia quamvis moralis concauſa directè influat in homicidium, tamen ex ipſo morali influxu, qui videtur eſſe proxima cauſa moralis, non ſequitur neceſſariò, imò nec ſequi poteſt homicidium, niſi interueniat cauſa phyſica exequens illud, à qua proinde moralis cauſa pendet neceſſariò in ordine ad illum effectum. Vt autem homicidium dicatur voluntarium in cauſa, neceſſum eſt cauſam proximam Homicidij eſſe per ſe volitam in ordine ad alium finem, & inſuper neceſſum eſt ipſam cauſam proximam phyſicam eſſe per ſe cauſatio talis homicidij. Quare videtur non poſſe contingere, vt omnia prædicta interueniant ſimul. Vnde videtur non poſſe dari homicidium voluntarium in cauſa reſpectu concauſæ moralis directè, ſiue indirectè influentis.

10 Dico *Tamen Sextò*. Aliquando poteſt contingere, quod ſit aliquod Homicidium voluntarium ſolùm in cauſa reſpectu concauſæ moralis, ita vt illud Homicidium nec ſit Voluntarium in ſe ipſo, nec caſuale. Iſta Concluſio non aliter probatur, quàm aſſignando caſus in quibus hoc poteſt contingere. *Primus caſus ſit*. Si præcipiens ſeruo ſuo vt occidat aliquem, & non intendat Dominus occiſionem illam tanquàm finem, nec tanquam medium, ſed intendat alium finem, præuideat tamen ex aliis circumſtantiis, quæ conſiderantur reſpectu illius ſerui, quod ſtatim ad præceptum Domini ſequatur homicidium, tunc tale homicidium erit voluntarium in cauſa, & non in ſe ſeipſo, quia moraliter certus eſt omni certitudine morali, qui præcepit, quod in tali præcepto continetur homicidium vt in cauſa. *Secundus caſus*, quo clariùs hoc contingere poteſt, eſt reſpectu cauſæ moralis per accidens influentis, vt ſunt *Non obſtans*, *Non manifeſtans*. Nam ſi cauſa *Non obſtans* non intendat Homicidium, ſed alium finem, & tamen præuidet, quod ſi obſtaret neceſſariò impediretur effectus homicidij, tunc homicidium ſubſequutum imputatur cauſæ *Non obſtanti*, tanquam voluntarium in cauſa, quia continetur illud in hoc, quod eſt non obſtaſſe dum tenebatur, & poterat obſtare, & quia non obſtauit ſequutum fuit neceſſariò homicidium.

11 Dico *Septimò*. Si cauſæ iſtæ morales per accidens influentes intendant homicidium, & illud fuerit ſubſequutum, erit quidem voluntarium in ſe ipſo quantumcumque per accidens influant: ſi verò homicidium non intendant, ſed alium finem, & non ſequatur neceſſariò homicidium ex tali influxu morali erit homicidium caſuale. Circa iſtam Concluſionem ſupponimus, Quod vt iſtæ cauſæ influant in effectum neceſſariò præſupponitur, quod ex parte harum cauſarum adſit obligatio ex officio ad impediendum homicidium iuxta ea, quæ dicuntur cum *Diu. Thom. 2. 2. Quæſtion. 62. articul. 7.* Probatur igitur prior pars Concluſionis manifeſtè ex dictis. Nam tale homicidium eſt volitum vt finis, & ſequitur de facto ex illo influxu morali; ergo eſt voluntarium in ſe ipſo. *Secunda Pars Concluſionis Probatur:* Quoniam quando homicidium non eſt intentum, non eſt voluntarium in ſe, & quandiu non ſequitur neceſſariò ex hoc quod quis non impediat dum poteſt, & tenetur ex officio, non eſt voluntarium in cauſa; ergo relinquitur tale Homicidium eſſe ſolùm caſuale. Secundùm Iuris diſpoſitionem in ordine ad inducendam Irregularitatem. Si tamen aliquando dubium fuerit, An cauſa moralis præſtiterit influxum ad homicidium, necne? Et An tunc incurrat Irregularitatem, iudicandum erit iuxta dicta à Nobis *Diſputatione præcedem. art. 4.*

Ad *rationem dubitandi poſitam à principio Reſpondetur*, Quod duplex influxus moralis poteſt 12
conſiderari ex parte intellectus, & voluntatis circa homicidium. Alter in ordine ad culpam, in quantum voluntas fertur ad homicidium tanquam ad obiectum volitum; alter verò quatenus intellectus, & voluntas media aliqua actione exteriori morali influunt in homicidium tanquam in effectum. Et quidem prior influxus non eſt influxus cauſæ homicidij, ac proinde nec ſufficiens ad inducendam Irregularitatem. Secundus influxus eſt verè influxus cauſæ moralis, quæ veram habet cauſalitatem in effectum, quamvis moralem, & talis influxus ſufficiens eſt ad inducendam irregularitatem: & de hoc influxu moralis cauſæ locuti ſumus in iſto articulo, & dicemus in ſequentibus.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm vt quis incurrat Irregularitatem Homicidij adhibendo cauſam ad illud ſit neceſſarium quod de facto Homicidium ſubſequatur?

PArtem Negatiuam tenent aliqui Authores, 1
quos refert *Suarez Tomo 5. Diſput. 44. Sect. 2.* aſſerentes, quod qui cauſam dedit Homicidij, illud exteriori opere intendendo, quamvis de facto non ſubſequatur, incurrit tamen Irregularitatem. Quorum Fundamenta infra adducenda ſunt.

Dico *tamen Primò*. Per ſolum actum interio- 2
rem voluntatis circa Homicidium nondum in exteriorem actum explicatum, non incurritur Irregularitas homicidij de facto. *Iſta Concluſio eſt certiſſima*, nec de illa eſt controuerſia inter Doctores. *Et Probatur*. Quia Eccleſia de facto nunquam iudicat de occultis; actus autem ſolum internus eſt purè, & per ſe occultus. Difficultas tamen eſt, An Eccleſia poſſet, ſi vellet propter ſolùm actum internum inducere Irregularitatem: Quam difficultatem quantum attinet ad Cenſuram in communi, diſputat latè *Suar. diſp. 4. ſect. 2.* Vbi tanquam longè probabilius ſuſtinet partem negatiuam. Quia tamen ipſe exiſtimat Irregularitatem non eſſe cenſuram, ideò de Irregularitate nihil determinat. Nos tamen cenſemus eſſe eandem rationem de Irregularitate, quæ eſt cenſura, ac de aliis Cenſuris, & Dicimus non poſſe imponi ab Eccleſia propter actum merè internum; ſecùs tamen probabiliter

aliqui

aliqui aſſerunt de Irregularitate, quæ eſt Canonicum impedimentum.

3 Dico *Secundò*. Probabilius cenſeo, quod propter ſolùm actum purè internum circa homicidium non poteſt Eccleſia imponere hanc Irregularitatem, quæ eſt Canonicum impedimentum. *Probatur Primò generali ratione*, qua probari ſolet, quod Eccleſia non poteſt punire actum ſolùm internum, quia talis actus non ſubditur poteſtati Eccleſiæ (poteſtati, inquam, coërcitiuæ, & directiuæ, ſeu Iudiciariæ in ordine ad communem gubernationem) ergo propter eandem rationem nequit Eccleſia inferre Canonicum impedimentum Irregularitatis propter actum purè internum. *Secundò, Probatur ſpeciali ratione.* Quia Canonicum impedimentum imponi poteſt propter indecentiam, ſecundùm quam homicidia conformari non poteſt in lenitate cum capite Chriſto; ſed Eccleſia ſolùm poteſt intendere hanc conformitatem ad Chriſtum, quatenus caput eſt, ſecundùm exteriorem manſuetudinem, nam ſecundùm interiorem relinquitur conformatio ad illum reſeruata ſolùm Iudicio interno Dei: ergo Eccleſia non poteſt inducere tale Canonicum impedimentum propter actum merè internum. *Confirmatur.* Nam confirmatio interior ad Chriſtum fit per Gratiam, & virtutes, quarum actus intenduntur per præcepta naturalia, & ſupernaturalia. Eccleſia autem ſolùm poteſt intendere aliquid per præcepta poſitiua; ergo non poteſt intendere illam conformationem internam.

4 Dico *Tertiò.* Propter actum internum adhuc exterius explicatum quomodolibet circa homicidium, dum tamen illud de facto non ſequatur, non incurritur Irregularitas. Iſta Concluſio eſt communis Doctrina inter Doctores, & probari ſolet ex duplici capite Iuris, alterum ex *cap. In pœnis de regulis iuris in 6.* vbi dicitur, Quod in pœnis benignior interpretatio eſt adhibenda; ergo cum in Iure dicatur, quod propter homicidium inducitur Irregularitas, interpretandum eſt benignè de homicidio exterius de facto ſubſequuto. Alterum *cap. eſt in 6. cap. Perpetuum de electione* vbi dicitur, Quod qui in aliqua electione indignum eligunt, niſi communis electio ſubſequatur facta pro indigno non priuantur poteſtate eligendi. Sed tamen circa primum *cap.* oportet aduertere, quod nomine *Pœnæ* ibi non ſolùm intelligitur id, quod verè, & propriè eſt pœna impoſita propter culpam, qualis eſt Irregularitas, quæ eſt cenſura; ſed intelligitur, quidquid in Iure eſt odioſum, & eodem modo poteſt adaptari ſtatutum in illo *cap. Perpetuum. Confirmatur.* Quoniam vt iam probauimus, Irregularitas non eſt admittenda in Iure, niſi ſit in ipſo Iure expreſſa, ſed non reperitur expreſſa niſi ſolùm propter homicidium, ergo illo non ſubſecuto non incurritur Irregularitas, quia homicidium intentatum non eſt verè Homicidium.

5 Dico *Quartò.* Etiam ſi quis cauſam ſufficientem exteriorem, imò efficacem homicidij dederit, ſi tamen illud de facto non ſequatur, quamvis miraculosè impediatur, nihilominus talis Irregularitatem non incurrit. *Hæc concluſio ſequitur ex præcedenti.* Probatur tamen ſpeciali ratione. Quia adhuc poſita tali cauſa ex ſe efficaci, de facto tamen non fuit cauſa, ad quam de facto ſequeretur effectus; ergo cum Irregularitas ſit impoſita in Iure propter homicidium de facto ſubſequutum, & reſpectu illorum, qui ſunt cauſa ad quam ſequitur de facto, fit vt in caſu noſtræ Concluſionis Irregularitas non incurratur.

Soluuntur Argumenta.

ARguitur *Primò* Contra noſtram Reſolutionem ex *capit. de Homicidio Lib. 6.* vbi decernitur, Quod *Quicumque mandauerit aliquem Chriſtianum interfici per Aſſaſſinum deponatur à dignitate, ordine, honore, officio, & beneficio etiamſi de facto forſitan mors non ſequatur.* Per iſtam autem tam rigoroſam *Depoſitionem* videtur intelligi *Irregularitas*, imò quamvis per talem *Depoſitionem* non intelligeretur Irregularitas, inde tamen ſufficiens argumentum deſumitur, quod ſi Depoſitio, & aliæ cenſuræ inducuntur ſecundùm Ius propter delictum homicidij intentatum, adhuc non ſubſequutum, etiam Irregularitas homicidij induceretur. 1

Reſpondetur. Quod in illo *cap. de homicidio* non imponitur Irregularitas, ſed pœna depoſitionis ab ordine, officio, & beneficio, per quam Depoſitionem nullatenùs intelligitur *Irregularitas*, cum hæc inter ſe diſtinguantur. Et deinde etiamſi ibi intelligeretur Irregularitas (quod omnino falſum eſt) illa tamen non imponitur propter quodcumq; homicidium intentatum non ſubſequutum, ſed ſolū propter homicidium intentatum per Aſſaſſinos contra Chriſtianos. *Et tandem ad illud quod ibid. ſubinfertur dicimus.* Quod quamvis propter homicidium intentatum nondum ſubſequutum impoſita ſit in Iure tam grauis pœna, qualis eſt illa depoſitionis, inde tamen non licèt colligere argumentum à ſimili reſpectu Irregularitatis, quia ſola illa Irregularitas eſt admittenda, quæ expreſſa eſt in Iure. 2

Secundò *Arguitur ex L. Viuus. ff. de Siccariis* vbi dicitur. *In maleficiis voluntas expectatur, non exitus.* Vbi Sermo fit non ſolùm de voluntate quantum ad actum interiorem; ſed quantum ad exteriorem, quo maleficium fuit intentatum, qua ratione etiam in *L. ff. de Siccariis* dicitur, *Quod dolus pro facto reputatur, & accipitur*, hoc eſt maleficium intentatū, ergo ſecundùm Iura pœnæ impoſitæ propter delicta, & maleficia intelliguntur impoſitæ non ſolùm propter delicta opere ſubſequuto, ſed propter ipſa intentata. 3

Reſpondetur. Quod in Iure Ciuili aliquando contingit vt pœnæ impoſitæ propter aliqua grauiſſima crimina, inferantur etiam propter illa crimina intentata, & non ſubſequuta, & hoc intendunt præfatæ Leges. *Cuius ratio eſt.* Quia Leges Ciuiles primò, & per ſe intendunt communē pacem, & tranquillitatem Reipublicæ; contingit autem quod aliquod crimen grauiſſimum intentatū, & non ſubſequutum, ſit nihilominus aliis manifeſtum, & ſcandaloſum, & idcirco vt alij arceantur à ſimili crimine perpetrando, conueniens eſt vt tale crimen intentatum eadem pœna puniatur, poſtquam iam eſt ſcandaloſum. *Item etiam.* Nam pœna illa impoſita à Iure Ciuili non incurritur ipſo facto, ſed infligenda eſt à Iudice per Sententiam, & prudentiæ Iudicis relinquitur executio Legis. Hoc autem in Iure Canonico Locum non habet, ſpecialiter in hac Materia de qua loquimur, in qua Canonicum Ius ſolùm intendit, quod ſpiritualia miniſteria, & maximè miniſteria ſacrorum ordinum dignè exerceantur, & inſuper hoc impedimentum 4

mentum, quod imponitur In Iure, debet incurri ipſo facto in foro conſcientiæ, & idcirco per hanc rationem, & propter expreſſam etiam declarationem Iuris, non eſt hæc Irregularitas amplius extendenda, quàm extendatur expreſsè in Iure, quæ ſolùm imponitur propter homicidium opere ſubſequutum.

5 Tertiò *Arguitur ratione.* Quia hæc Irregularitas homicidij potiſſimum imponitur propter indecentiam etiam in homicidio culpabili, vt diximus *Diſp præcedenti*, ſed tota indecentia, quæ in hac Irregularitate conſideratur, repetitur in voluntate exteriùs explicata in ordine ad homicidium perpetrandum; ergo ad hanc Irregularitatem incurrendam omnino per accidens, & impertinens eſt, quod de facto ſubſequatur homicidium *Minor Probatur.* Quoniam ſi Petrus lethale vulnus inferat, & ſimiliter, & æqualiter Paulus, & moriatur ſolùm homo vulneratus à Petro, homo autem vulneratus à Paulo euadat mortem, quia peritiorem habuit chirurgum, vel ſpecialiſſimam medicinam, vel ſanetur per miraculum, tunc æqualis indecentia eſt ex parte Petri, & ex parte Paulij ergo non eſt maior ratio quare ſecundùm Ius Petrus incurrat Irregularitatem, & non Paulus, ſiquidem illa ponitur propter indecentiam. *Confirmatur.* Nam ſi quis intendat ſe interficere per ſuſpendium, ſine per vulnera, & tamen defendatur ab aliis, Ita vt non ſequatur mors, ille tamen manet excommunicatus; ergo ad incurrendam cenſuram non eſt neceſſe opus ſequi de facto. Ergo ad incurrendam Irregularitatem non oportet homicidium ſequi de facto, nec hoc habet fundamentum in Iure.

6 Reſpondetur. Quòd conformitas, quæ ſolùm conſiſtit in interiori actu voluntatis ad Chriſtum caput, ab Eccleſia non intenditur, ſed nec intendi poteſt, vt probatum relinquimus. Cæterùm conformitas ad manſuetudinem Chriſti poſſet quidem ab Eccleſia intendi in quocumque opere exteriori ordinato ad homicidium, quamuis illud non ſequeretur, de facto tamen Eccleſia hanc conformitatem non intendit, ſed ſolùm illam quam excludit vera cauſa homicidij de facto ſubſequuti. Ad confirmationem negatur conſequentia, quia vt ſæpè diximus non valet in materia de Irregularitate argumentum deductum à ſimili cenſura.

Articvlvs V.

Vtrùm vt quis dans cauſam Homicidii incurrat Irregularitatem, ſit neceſſarium, quòd Homicidium ex vi talis cauſa ſequatur?

1 PRo reſolutione ſupponendum eſt hanc difficultatem in duplici ſenſu poſſe intelligi. *Primò*, ita vt cauſa appoſita verum habeat influxum circa homicidium, etiamſi præcisè ex vi illius ſolius cauſæ, & influxus non ſequatur homicidium de facto. *Secundò*, ita vt ex vi illius cauſæ, & influxus præcisè poſſet effectus homicidij ſubſequi de facto. Et deinde ſupponenda etiam ſunt ea, quæ ſupra diximus eſſe neceſſaria, vt homicidium ſit voluntarium in ſe, vel in ſua cauſa, vt diſtinguitur à caſuali.

2 Dico *Primò.* Vt quis dans cauſam homicidij maneat irregularis neceſſe eſt, quod homicidium ſequatur ex vi cauſæ appoſitæ ab ipſo in primo ſenſu, ſiue ſequatur per ſe illud homicidium, ſiuè per accidens. Si enim per ſe ſequatur ad cauſam erit voluntarium; ſi tamen per accidens ſequatur erit caſuale. *Iſta Concluſio eſt communis doctrina. Et probatur.* Nam ſi cauſa aliqua nullum prorſus habet influxum in homicidium, nullo modo verificatur, quod de facto ſit cauſa homicidij, ergo neceſſe eſt illud ſequi ex influxu cauſæ modo iam explicato. Et quidem quando homicidium ſequitur per ſe cenſendum erit voluntarium iuxta dicta *art.* 1. Si tamen per accidens ſequatur non erit voluntarium ſecundum Ius, ac ſubinde erit caſuale. *Confirmatur.* Nam quando cauſa concurrit ad homicidium in primo ſenſu explicato, quamuis non ſit totalis cauſa illius, nec ſequatur præcisè ex vi influxus illius cauſæ, nihilominus illa cauſa verè eſt concauſa influens in homicidium; ergo qui vult illam cauſam, eo modo quo vult illam, comparatur homicidium ad eius voluntatem; ergo ſi ſit cauſa per ſe, comparabitur homicidium per ſe ad voluntatem, ac ſubinde erit voluntarium; ſi autem per accidens erit caſuale.

Dico *Secundò.* Vt quis incurrat irregularitatem homicidij voluntarij, ſi ſemel de facto illud ſequatur, non eſt neceſſe ipſum homicidium de facto ſequi ad cauſam in ſecundo ſenſu explicato. *Iſta Concluſio eſt manifeſta ex dictis.* Siquidem cauſa moralis irregularitatem homicidij voluntarij incurrere poteſt, etiamſi ex vi ſolius influxus moralis cauſæ homicidium non ſequatur de facto. Et idem eſt de cauſa, ſiue concauſa phyſica; nam quamuis ſæpè ſæpiùs contingat, quod ex vi influxus cauſæ phyſicæ non poſſit ſequi effectus homicidij, niſi adſit etiam concurſus alterius cauſæ, ſi tamen illud de facto ſequatur, vtraque cauſa influit in ipſum ſimul. 3

Dico *Tertiò.* Poſtquam quis cauſam appoſuit homicidij ſiue phyſicè, ſiuè moraliter, tenetur, vt non incurrat irregularitatem; efficaciter reuocare influxum, ita vt talis influxus non attingat homicidium, ſed totaliter impediatur. *Probatur* Quia aliàs ſi non ſic impedit, comparabitur ſemper homicidium ad ſuam voluntatem, de quo tamen amplius dicemus *art. ſequenti.* 4

Soluuntur argumenta.

PRo *Parte negatiua Arguitur Primò.* Quia ſi quis inferat alicui vulnus lethale, & tamen ſtatim ille percuſſus ab aliis occidatur, homicidium illud non ſequitur ex vi vulneris primò illati, quia tale vulnus non intulit de facto mortem, etiamſi ex ſe ipſo eſſet lethale; & tamen talis inferens vulnus illud manet irregularis, vt videtur manifeſtè conſtare ex *Cap. Significaſti* 2. *de Homicidio Voluntario in* 5. *Tit.* 12. *cap.* 18. Ergo vt incurratur irregularitas homicidij voluntarij non eſt neceſſarium, quod illud ſequatur ex vi cauſæ appoſitæ. *Confirmatur.* Nam ſi quis inferat alicui vulnus lethale, & tamen ſtatim percuſſus intereat fulmine, vel alio caſu fortuito, tunc videtur manifeſtum, quòd vulnus illatum non intulit de facto mortem, & tamen qui vulnus intulit incurrit irregularitatem iuxta diſpoſitionem illius *Cap.* ergo. Et à fortiori poteſt fieri Argumentum ex *Cap. Suſcepimus, eodem Titulo.* 1

Reſpondetur. Quòd qui lethale vulnus intulit alicui, etiam ſi percuſſus ab aliis poſtea ſtatim repentè occidatur, nihilominus verum habuit influxum circa homicidium, qui intulit vulnus 2

lethale, cùm illud ex natura ſua diſponat ad mortem, nec fuerit impeditum, ſed potiùs adiuuatum ab aliis cauſis ſuperuenientibus, quæ quamuis accelerent mortem, non tollont quin vulnus illud fuerit cauſa homicidij. *Et per hoc patet ad Confirmationem.* Sed tamen circa illud *Cap. Suſcepimus* aduertendum eſt, Quòd ille,qui ſimul cum fratre ligauit latrones cooperatus eſt morti illorum, quamuis remotè, & idcircò incurrit irregularitatem,non quidem homicidij voluntarij, ſed caſualis,quia ille noluit occidere latrones; frater autem eius, qui illos occidit incurrit irregularitatem homicidij voluntarij.

3 Secundò *Arguitur.* Quoniam ſi quis vulnus leue intulerit alicui, quod de ſe nulla ratione eſſet cauſa ſufficiens ad inferendam mortem, & tamen poſtea culpa ipſius percuſſi vulnus efficitur graue, & lethale, ex quo de facto ſequuta fuit mors, tunc talis manet irregularis; & tamen ex vi cauſæ appoſitæ ab illo non fuit ſubſecutum homicidium; ergo, &c. Quod autem ille maneat irregularis probatur ex *Cap. ad Audientiam, eodem Tit.*

4 Reſpondetur, quòd in illo caſu, qui leue vulnus intulit ſufficienter tamen influit in mortem ſubſecutam, ſaltèm ad hoc vt incurrat irregularitatem homicidij caſualis, nam qui ſolùm vulnus leue intulit, & adhibuit ſufficientem diligentiam ne percuſſus moreretur, qui tamen mortuus eſt culpa ſua, ſi is, qui intulit vulnus nullo modo voluit illum occidere, ſed ſolùm ſe vindicare, vel ſatisfacere iræ ſuæ, tunc illud homicidium non fuit ei voluntarium, ſed caſuale: ſi tamen dum ſolùm leue vulnus intulit habuit voluntatem occidendi illum hominem ſi poſſet, tunc iam erit homicidium voluntarium, non quidem comparatum ad leue vulnus, ſed ad voluntatem occidendi explicatam tamen in leui vulnere.

5 Et *Si obycias* ex *Cap. Tua nos, de Homicidio*, in quo decernitur, quod quidam Monachus aperuit tumorem gutturis cuiuſdam Fœminæ, admonens ipſam ne vento ſe exponeret, illam tamen contempto præcepto Monachi vento ſe expoſuit, ex quo ſubſecuta fuit mors, & tamen decernitur ibi, quòd Monachus non fuit Homicida, nec irregularitatem incurrit. Videtur autem quod eodem modo influxit iſt mortem illius mulieris, ſicut ille, de quo in præcedenti ſolutione locuti ſumus, ac ſubinde ſolutio eſt falſa. *Reſpondetur tamen*, Quòd Monachus ille multò aliter ſe habuit circa mortem mulieris, quia vt conſtat ex illo *Cap.* erat peritus Chirurgus, nec dabat operam rei illicitæ, & fecit ſufficientem diligentiam, ne mulier ſe exponeret periculo mortis. Quòd ſi aliquid ex his defecit in Monacho, cenſetur ibidem irregularis.

6 Tertiò *Arguitur.* Nam ſi quis videns amicum contendentem cum alio armis, velit adiuuare illum amicum, & adiuuet de facto, ipſe tamen non infert vulnus alteri, ſed tantum amicus adiutus infert vulnus lethale, tunc iſte adiuuans manet irregularis, quia fuit cauſa; & tamen ex vi cauſalitatis ipſius non fuit homicidium ſubſecutum; ergo. *Confirmatur.* Nam ſi quis præcipiens, vel conſulens homicidium, reuocaret præceptum, & Conſilium antequam de facto ſequeretur homicidium, executurus tamen homicidium non obſtante reuocatione illud perpetrauit, tunc præcipiens, & conſulens incurrit irregularitatem, quia fuit cauſa moralis: & tamen ex vi huius cauſalitatis moralis non fuit ſubſecutum homicidium, ſiquidem præceptum, vel Conſilium iam ſunt reuocata; ergo. *Reſpondetur.* Quòd ille coadiuuat amicum contendentem armis cum alio, & ideo quamuis nullum vulnus inferat, ſed ſolus amicus occidat, nihilominus adiuuans eſt cauſa mortis ſubſecutæ,quia amicus ratione auxilij præſtiti ab illo occidit alium, & ſic concauſalitatem habuit circa homicidium ſubſecutum. Ad confirmationem dicemus *Articulo ſequenti.*

Articvlvs VI.

Vtrùm cauſa Moralis incurrat Irregularitatem Homicidii voluntarii, etiamſi cauſalitatem ſemel præſtitam impediat de facto ante Homicidium ſubſecutum?

IN *Hac* difficultate aliqui Authores, quos refert *Suarez. diſp. 44. ſect. 2.* dicunt, Quòd qui præcepit homicidium fieri, etiamſi poſtea ſufficienter mandatum reuocauerit, ſi tamen homicidium ſequatur de facto, manet præcipiens illud irregularis. *Et ratio illorum eſt.* Quia adhuc illud præceptum quantumcumque reuocatum ſit, ſemper influit, eo quòd exequens homicidium nullo modo occideret,neque vellet,niſi præceptum fuiſſet. Supponunt namque iſti Authores, quod exequens homicidium habet modo voluntatem occidendi ortam ex illo præcepto. 1

Dico *tamen Primò.* Si præcipiens homicidium reuocauit ſufficienter præceptum, ita vt quamuis homicidium ſequatur poſtea, non tamen ſequitur ex vi illius præcepti, etiamſi talis occiſio ortum habeat ex illo præcepto,taliter quod occidens nunquam voluiſſet occidere, niſi ei præceptum fuiſſet, præcipiens tamen nullam incurrit irregularitatem. Iſta Concluſio eſt communior Sententia, quam tenet *Innocent. & alij* in *Capit. ad Audientiam ſæpè citat.* *Et ratio* huius eſt. Quia occiſio illa ſolùm reducitur tanquam in cauſam in voluntatem occidentis phyſicè, ſiquidem (vt ſupponimos) ſufficienter impeditus eſt influxus moralis cauſæ præcipientis. Quod autem ortum habeat homicidium ex illo præcepto, eſt omninò per accidens, ſiquidem tale præceptum poſtquam ſufficienter fuit reuocatum tam ſolùm eſt occaſio, & non cauſa, vnde manifeſtum eſt, non ſufficere ad inducendam irregularitatem. *Dubitabis tamen*, An quando ille, cui præceptum occidendi impoſitum fuit, poſtquam ſufficienter à præcipiente reuocatum eſt, adhoc tamen mandatarius perſeueret in voluntate occidendi, neque vult deſiſtere, etiamſi intuitu præcepti id non faciat, ſed ſolùm ſua voluntate. An tunc qui præcepit teneatur quacumque alia via ſibi poſſibili impedire illud homicidium etiam admonendo occidendum vt ſibi proſpiciat? Ad hoc. 2

Dico *Secundò.* In caſu iſto ex hoc, quod voluntas illa occidendi habeat ortum ex præcepto, tenetur præcipiens,ex ſpeciali obligatione Charitatis ſaltèm, impedire quacumque via ſibi poſſibili homicidium: nec ſufficit reuocaſſe ſufficienter præceptum. Ita ſentiunt communiter Doctores. *Et ratio illorum eſt.* Quia præcipiens fuit in cauſa, vt alter incurrat detrimentum vitæ; ergo ex Charitate ad minus tenetur omni via intendere vitare detrimentum illud. 3

Dico

4 Dico *Tertiò*. In præfato caſu probabilius eſt non teneri ex iuſtitia, qui præcepit homicidium, procurare omni via poſſibili vt impediatur, ſed ſatisfacit iuſtitiæ ſi ſufficienter, quantum eſt ex ſe reuocauerit præceptum datum. Iſta Concluſio eſt contra *Suarez*. 10 illa *Diſp.* 44.*ſect.* 3. Vbi aſſerit præcipientem teneri ex iuſtitia in iſto caſu, quæ quidem Sententia probabilis eſt. *Sed tamen probatur noſtra Concluſio.* Quia per ſufficientem reuocationem præcepti impeditur totaliter cauſalitas, & influxus ipſius, ita vt iam mandatarius non occidat intuitu præcepti, ſed illud ſe habeat ſolùm vt occaſio. Alia via. *Confirmatur, & explicatur iſta Ratio.* Quia talis obligatio ex iuſtitia oriri non poteſt, niſi titulo iniuriæ illatæ circa homicidium illud perpetrandum, vt etiam admittit ipſe *Suarez*, Sed iniuria illata per præceptum omninò ſublata eſt per ſufficientem reuocationem præcepti; ergo ſi iam nullus relinquitur locus iniuriæ, neque aliqua poteſt ſuboriri obligatio ex iuſtitia ex vi illius iniuriæ.

5 Dubitabis *Inſuper*, An vt cauſa præcipiens incurrat irregularitatem, neceſſarium ſit quod ille, cui præcipitur, acceptet præceptum? Nam ſi quando præcipitur, non acceptaret, & poſtea vellet intuitu præcepti occidere, & de facto occidat, videtur quod tunc præcipiens ſit omninò inuoluntarius; nam cùm alter non acceptauerit præceptum, præcipiens nullam habet curam de homicidio perpetrando, vnde ſic ſe habet, ac ſi nullo modo præciperet.

6 Dico *tamen Quartò*. In hoc caſu non eſt neceſſarium, quòd mandatarius ſtatim acceptet præceptum mandantis, ſed præcipiens incurrit irregularitatem. *Et probatur.* Quia ipſe præcipiens veram appoſuit cauſalitatem moralem, quam non impediuit, & exequens fecit homicidium intuitu præcepti. Quòd verò non acceptauerit ſtatim eſt omninò impertinens, ſi poſtea acceptauit præceptum, & intuitu illius commiſit homicidium, quandoquidem præcipiens tenebatur reuocare præceptum, & impedire homicidium. Maior tamen Difficultas eſt de cauſa Conſiliante; An per reuocationem Conſilij maneat immunis ab homicidio ſubſecuto, & ab irregularitate?

7 Et *à parte negatiua eſt Ratio dubitandi.* Quia conſilium potiſſimè ad intellectum dirigitur, & non ad voluntatem, cùm ordinetur ad inſtruendum, vel de modo quo poteſt fieri homicidium, vel de conuenientia homicidij faciendi reſpectu illius, qui vult ipſum perpetrare: ſed ea, quæ ſemel ab intellectu percipiuntur tanquam conuenientia difficillimè remoueri poſſunt per quamcumque reuocationem; ergo Conſilium ſemel datum, ſi poſtea homicidium ſequitur, ſemper habet influxum moralem in homicidium, quantumcumque Conſilians conetur reuocare. *Confirmatur.* Nam ſi quis propinet venenum alteri, & poſtea per medium potiſſimum, & medicinam efficaciſſimam contra venenum illud procuret cauſalitatem eius impedire, ſi tamen de facto ſequatur homicidium, manet irregularis; ergo à ſimili in noſtro caſu. *Probatur Conſequentia* Quia quòd homicidium ſequatur ad cauſam phyſicam veneni, vel ad cauſam moralem Conſilij nihil differt, dum tamen homicidium ſequatur de facto.

8 Pro *parte autem affirmatiua Arguitur.* Nam ſi ille, qui dedit Conſilium fecit totum quod in ſe eſt ad reuocandum illud, conſequenter abſtulit omnem influxum moralem cauſæ conſulentis; ergo cum iam non ſit cauſa homicidij, quamuis illud de facto ſequutum fuerit, non imputabitur ei, ſed ſolùm exequenti. Ergo qui conſuleret non incurrit irregularitatem ſaltem homicidij voluntarij. In hoc dubio ſunt duæ oppoſitæ Sententiæ. *Altera negatiua*, quæ innititur primo Argumento facto, & illam tenuerunt aliqui Authores, & nouiſſimè quidam Thomiſta. *Altera autem eſt affirmatiua*, quæ innititur ſecundo Argumento facto, & illam tenuerunt alij Authores, ac tandem tanquam communiorem, & magis piam ſuſtinet illam *Suarez*, *Tom.* 1. *diſp.* 44. *ſect.* 3. *n.* 11. *& ſequent.*

Pro *Huius* tamen reſolutione aduertendum eſt, Quòd Conſilium illud datum poteſt referri, vel ad intellectum, vel ad voluntatem, ſeu appetitum recipientis illud, v. g. ſi Petrus conſulat Paulo dirigendo Conſilium ad intellectum eius, id eſt, oſtendendo ei modum, & conuenientiam homicidij faciendi à Paulo, qui iniuriam paſſus eſt, & conuincendo illum rationibus apparentibus, quibus ſibi viſum ſit multum expedire ad ſuum honorem recuperandum, occidere eum, qui ſibi iniuriam intulit, & quamuis iſta perſuaſio redundet in appetitum Pauli, potiſſimè tamen dirigitur ad intellectum eius perſuadendum, & hoc propriè appellatur *Conſilium*. Altero autem modo poteſt contingere ſic, vt Petrus conſulens paſſus fuerit iniuriam, & perſuadeat Paulo, vt velit illam in fauorem Petri vindicare, & hæc perſuaſio potiſſimè dirigitur ad appetitum, & voluntatem Pauli, & potiùs debet appellari *Petitio*, quàm *Conſilium*, ſiquidem Petrus petit vt Paulus velit homicidium facere. 9

Dico *igitur vltimò*. Si Conſilium dirigatur ad voluntatem ſatisfaciet conſilians, ſi ſufficienter reuocat Conſilium, ſeu potiùs petitionem illam: Si tamen dirigatur Conſilium ad intellectum perſuadendum, & conuincendum, tenetur conſilians non ſolùm reuocare Conſilium ſufficienter, ſed facere totum quod in ſe eſt ad vitandum homicidium admonendo, imò eripiendo eum contra quem dederat Conſilium; & quidem ſi ita faciat immunis erit ab irregularitate, etiam homicidio ſubſecuto. *Prima pars huius Concluſionis eſt manifeſta* ex rationibus quibus probauimus, quod præcipiens homicidium, ſi ſufficienter reuocat mandatum non incurrit homicidij reatum, nec irregularitatem; hæc autem petitio facta à Petro habet aliquo modo rationem mandati, ita vt regulanda ſit ſicut ipſum mandatum: *Secunda* autem pars Concluſionis probatur ſufficienter argumento facto pro parte affirmatiua. 10

Et *Confirmatur* ex differentia, quæ verſatur inter propinantem venenum, & inter conſulentem ad intellectum. Nam qui venenum propinauit alicui mortiferum, ferè impoſſibiliter reuocare poterit effectum veneni, ſeu influxum; vnde in propinatione ipſa fuit volita per ſe hæc impoſſibilitas reuocandi effectum veneni, vnde ille effectus, & homicidium per ſe neceſſariò conſequutum fuit volitum in ipſa propinatione veneni mortiferi, quæ cum ſit cauſa phyſica, & neceſſariò influens, non remanet in poteſtate illius, qui appoſuit ipſam impedire effectũ eius. At qui præbuit Conſiliũ poteſt regulariter illud reuocare oſtendendo rationes ita efficaces, imò ſæpè efficaciores, quàm Cõſilium illud, quibus poſitis ſi adhuc Conſilium perſeuerat in intellectu alterius erit ex malitia illius, & non ex culpa Conſiliantis. Et hæc eſt notanda differentia, nam venenum etiamſi adhibeatur medicina, ſi 11

tamen ſequitur mors ab ipſo ſequitur, non ex malitia alterius. quæ non eſt in eo, qui Conſilium dedit. Et per hoc patet ad Argumentum, & Confirmationem in oppoſitum. Aduertendū tamen eſt, quod ad hoc vt in caſu huius Cōcluſionis ille non iocurrat irregularitatem oportet, vt de facto perueniat reuocatio Conſilij ad aures illius, cui datum fuerat, & idem eſt de reuocatione præcepti. Si tameu non peruenerit ex culpa ipſius, qui Conſiliatur, vel quia tam ſerò voluit reuocare Conſilium, ſeu præceptum, vt impoſſibile fuerit reoocationem peruenire ad executorem homicidij, tunc Conſilians, & præcipiens incurrit irregularitatem, ſicut qui propinauit venenum.

DISPVTATIO XX.

De Irregularitate, quæ incurritur ex Homicidio voluntario licito, ſiue priuata, ſiue publica authoritate facto.

ARTICVLVS I.

Vtrùm qui alterum occidit in defenſionem propriæ vitæ contrahat Irregularitatem?

1 DIco *Primò*. Per homicidium voluntarium in defenſionem propriæ vitæ cum moderamine inculpatæ tutelæ factum, quando àliter vita defendi non poteſt, niſi occidendo aggreſſorem non incurritur irregularitas. Iſta Concluſio eſt communis reſolotio omnium Theologorum, & Canoniſt. *ex Clement.vnica, Lib.5. Clem. Tit.4.de Homicidio.* Vbi manifeſtè decernitor ſub his verbis: *Si furioſus, aut infans, ſeu dormiens hominem mutilet, vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit. Et idem de illo cenſemus, qui mortem aliter non valens vitare ſuum occidit, vel mutilat inuaſorem.* Difficultas tamen eſt circa iſtam *Clement.* An illa abrogauerit antiquum Ius, quo irregularitas videbatur imponi propter homicidium factom in defenſionem propriam, ita vt nouum Ius decretum ſit in illa *Clement.* An verò illa ſolùm fuerit explicatio Antiqui Iuris, ita vt in illo non fuerit manifeſtè poſita Irregolaritas propter homicidium factum in defenſionem propriam.

2 Prima *Sententia* aſſerit in illa *Clement.* eſſe conditom nooum Ius derogans Antiquum, & Fundamentom potiſſimum hoius Sententiæ eſt. Quia com temporibus *D.Thom.* nondùm facta fuerit illa *Clement.* vtpote in *Concilio Viennenſi* ſtatuta, ideò *D.Thomas* ſequendo Ius antiquum in iſta *q.64.* cenſet, quod qui ſe defendendo interficit aliquem eſt Irregularis, quamuis non iotendat interficere, ſed ſeipſum defendere. *Nec valet dicere*, quod *D.Thomas* loqoitur de illo, qoi in defenſionem propriam occidit alterum excedendo moderamen inculpatæ tutelæ, ſiquidem *D.Thomas* manifeſtè loquitor de iſta occiſione, quando licitè fit, vt conſtat ex contextu. *Secunda Sententia* aſſerit per oppoſitum præfatam *Clement.* non ſtatuere nouum Ius, ſed ſolùm explicare antiquum. Ita tenet *Suarez. Tom.5.diſp.46.ſect.1.n.2.* Vbi adducit ad id quædam capita Iuris, & *Gloſſ.* & *Nauarrum*, & alios Authores, & ad authoritatem *D.Thomæ* in oppoſitum toodo inductam non reſpondet iſte Author, ſed relinquit illam, ac ſi *D.Thomas* neceſſariò non eſſet tenendus in hac parte.

Dico *tamen Secundò.* Probabile eſt, in præfata *Clement.* non ſtatui nouum Ius antiquo contrarium, ſed ſolùm explicari illud, nec ex iſta aſſertione ſequitur aliquid contra doctrinam *D.Thom.* Prima pars huius Concluſionis probatur; Quia ſi in aliquo Iure antiqno impoſita fuiſſet irregularitas propter homicidium licitè factum in defenſionem propriam, maximè io decreto *Nicolai Papæ diſt.50. Cap.de his Clericis*; ſed in iſto decreto nulla talis imponitur irregularitas; ergo in Iure Aotiquo oon erat impoſita. *Maior acceptatur ab Omnibus*, etiam Authoribus primæ Sententiæ, qui potiſſimùm in illo Decreto cenſent poſitam fuiſſe irregularitatem propter homicidium licitè factum in defenſionem propriam, ac ſubiode Ius illod derogatum fuiſſe in illa Clement. etc. *Minor Probatur.* Quia in illo *Decreto Nicolai Papæ* ſolùm imponitur irregularitas propter homicidium illicitè factum in defenſionem propriam, vt conſtat ex contextu, ſiquidem conſultus Summus Pontifex reſpoodet: *Quod ſi occiſores Clerici poſtea per pœnitentiam emendati fuerint, &c.* Vbi in illo verbo *Pœnitentia* manifeſtè indicatur homicidium illud fuiſſe cum peccato, ex eo quia occiſores exceſſerunt moderamen inculpatæ tutelæ, *Tum* quia erant plores contra vnum, *Tum* quia ille erat Paganus, & ideò coniectari poteſt illos nimia ira irruiſſe in eum: *Tum denique* quia cum eſſent Clerici, poterant, imò debebant fugere aggreſſorem ſine dedecore, nec infamia ipſorum, ac ſubinde iam poterant aliter ſe defendere, quam occideudo inuaſorem, & hoc ipſum eſt, quod ſtatuitur in *Clement. Si furioſus*, dom ait: *Qui mortem aliter vitare non valens niſi occidendo, vel mutilando inuaſorem.*

Confirmatur. Quia omnes, etiam Aothores 4 primæ ſententiæ, vt ſtatim videbimus, tenent Clericos, & Religioſos teneri ad fugam, vt non occidant aggreſſorem, ſi tamen aliter fecerint, incurrunt irregularitatem. *Secunda pars Concluſionis probatur* ex dictis, quoniam *D.Thom.in ſolut.ad 3.* infra citanda, nequaqoam dixit, vt exiſtimant Authores primæ Sententiæ, quod vniuerſaliter omnis, qui occidit alium licitè in defenſionem propriam, incurrit irregularitatem, ſed ſolùm docet, quod ſi Clericus, etiamſi ſe defendendo ioterficiat aliquem, irregularis eſt, quamois non intendat interficere, ſed ſeipſum defendere, & ratio huius doctrinæ *D.Thom.* eſt, quia Clericos poteſt aliter, nempe fugieodo ſe defeodere ſine occiſione inuaſoris, vt iam diximus. Probabile (inquam) hoc eſt, ſed non conformius Menti Angelici Doctoris. Pro quo vt magis conſtet de vero ſenſu illius in hac parte recolenda eſt doctrina à nobis tradita in Tractatu de Approbatiooe doctrinæ ipſius, in quo explicationem aliquarum Propoſitionum quæ tanquam falſæ, aut minùs idoneæ in Sanctum Doctorem iactabantur, exhibuimus. Inter quas vndecimum locum tenet hæc de qua in præſenti redit ſermo, videlicet *Clericum ſi occidat aliquem ſe defendendo irregularitatem incurrere.* Sic enim tunc ſenſit *D.Thomas*, & ſic ſentiebat Eccleſia, vt conſtat ex Decreto Nicolai Papæ quod in Argumento 3. adducit *S.Doctor.* Correxit autem, & reuocauit

Eccleſia

Eccleſia Ius Antiquum in *Clementina vnica, de Homicidio*, prædictam tollens irregularitatem, ſi enim iuxta Ius Antiquum non incurreretur otioſa eſſet noua declaratio Eccleſiæ in prædicta Clementina. Condidit ergo nouum Ius, & ſic iuxta Antiquum veriſſima fuit prædicta D. Thomæ Propoſitio, videlicet in dicto caſu irregularitatem incurri.

5 Ex *dictis ſequitur Primò*. Quòd ſi quis excedat in modo defenſionis propriæ vitæ, non excipitur ab irregularitate per prædictam *Clementinam*, quia talis defenſio non fit cum moderamine inculpatæ tutelæ. Hoc tamen ſic intelligendum eſt, quod ſi exceſſus defenſionis ſolùm ſit peccatum veniale, non incurritur irregularitas. *Et ratio huius eſt*. Quia peccatum ex ſe mortale fit veniale ſolùm duplici via, videlicet, vel propter paruitatem materiæ; & hoc non habet locum in præſenti: vel propter indeliberationem actus: propter peccatum autem proueniens ex indeliberatione actus non imponitur iſta pœna in iure, ſed propter actum humanum ſufficienter deliberatum, vt ſit peccatum mortale. *Et inſuper*. Nam ſi propter ſolum veniale incurreretur irregularitas in iſto caſu, ferè nunquam haberet locum illa *Clementina*, quia difficile fit defenſio propriæ vitæ, ſic vt nullum interueniat peccatum veniale. Quando tamen fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ dicitur 2. 2. *quæſt.* 64. *art.* 7. & legatur *Suarez Tom.* 5. *diſp.* 46. *ſect.* 1. *num.* 7. & 9.

6 Secundò *Sequitur*. Quòd ſi ſcias inimicum tibi futurum obuium, & quòd erit neceſſarium occidere illum, vt te defendas, & nolis declinare à via, qua obuiat tibi, cum ſine dedecore poſſis aliò abire, tunc ſi inimicum occidas, incurris irregularitatem, quia ſolùm excuſatur ab illa in præfata *Clementina*, qui aliter mortem euadere non poteſt, ſed in iſto caſu poteras aliter euadere, & inimicum non occidere, ſi alia via properaſſes, ergo. *Dubitabis tamen*, An aggreſſus, qui non vult fugere aggreſſorem, ſed occidit illum, fiat irregularis? *Et ratio dubitandi eſt*, Quia aggreſſus tunc poterat aliter vitare mortem ſuam nempe fugiendo.

7 Dico *Tertiò*. Si aggreſſus poſſit fugere ſine magno dedecore, & nolit, ſed occidat aggreſſorem, manet irregularis: ſecus tamen ſi non poſſit fugere ſine magno dedecore, & infamia, & idem dicendum de fuga, quæ poteſt fieri ſine periculo, vel cum periculo mortis. Prima pars huius Concluſionis eſt communis omnium Sententia. *Et conſtat manifeſtè ex dictis*. Vnde Clerici, & Religioſi ſemper incurrent irregularitatem occidendo aggreſſorem, eo quia nolunt fugere. *Et ratio eſt*, Quia iſtis non eſt ignominioſa fuga, quia non tenentur eſſe parati ad ſe defendendum, imò neque decet eorum ſtatum. Et idem cenſendum de homine infimæ ſortis, vtpotè cui nihil honoris detrahitur fugiendo, vel quamuis ſit nobilis, eſt tamen ignotus, vt peregrinus, vel noctu fugam arripit. *Secunda autem* pars Concluſionis non eſt ita communis doctrina. Nam contrarium tenet quidam Thomiſta.

8 Cuius *Præcipuum Fundamentum eſt*. Quia in præallegata *Clementina* ſolùm excipitur ab irregularitate caſus, in quo aliter mors vitari non poteſt, quando purè caſualiter contingit occiſio. Noſtram tamen Sententiam tenet *Magiſter Bañez*, & plures alij, quos ſequitur *Suarez* vbi ſuprà. *Et Fundamentum eſt*. Quia moraliter eſt ineuitabilis mors aggreſſi, ſi fugiat cum tam magno dedecore, & infamia, vel cum periculo vitæ; ergo per ſe moraliter loquendo non poteſt aggreſſus aliter euadere mortem, niſi occidendo aggreſſorem; ergo meritò debet ſub verbis *Clementin.* excipi. *Probatur Antecedens*. Quia quod vitari non poteſt, abſque magna infamia cenſendum eſt moraliter ineuitabile. *Confirmatur*. Quia in tali caſu nulla interuenit culpa in aggreſſo, vt eſt communis opinio, imò nec tunc vult aliquo modo mortem, ſed ſolùm ſuam defenſionem, & eſt moralis neceſſitas, nam nihil magis neceſſarium moraliter tunc eſt, quam vitare grauem infamiam, & amiſſionem honoris, ergo non eſt ibi ſufficiens voluntarium ad inducendam irregularitatem. Et ex hoc patet ad Fundamentum in oppoſitum.

Dubitabis *inſuper*, An ſi quis per iniuriam proximè antecedentem dedit occaſionem aggreſſori, ſi illum poſtea occidat, quia aliter propriam vitam iam tueri non poteſt, niſi occidendo aggreſſorem, An maneat irregularis? Et ſit commune Exemplum de Adultero comprehenſo in adulterio, & adulter, qui dedit cauſam rixæ, occidat alterum in defenſionem propriæ vitæ. In hoc dubio Iuriſperiti aſſerunt occiſorem incurrere irregularitatem, eo quod culpa immediatè antecedens ſit quaſi inchoatio talis rixæ, & veluti aggreſſio, vtpotè inferens iniuriam alteri, quam ille propulſare conatur, ac ſubinde iam non eſt pura defenſio ex parte adulteri, ſed moralis aggreſſio, cui ſubinde tribuendum eſt totum, quod ſubſequitur, vtpotè incipienti, & inchoanti rixam. 9

Secunda *Sententia aſſerit*, Quòd quamuis in præfato caſu Adulter non incurrat irregularitatem, in alio tamen caſu incurrit illam, videlicet ſi præuideat ſe comprehendendum in adulterio à marito adulteræ, & nihilominus exponat ſe illi periculo. *Et ratio huius eſt*, quia ille culpabiliter exponit ſe periculo occidendi alterum, & pro vnica eademque actione reputatur accedere cum iſto periculo ad alienam, & exponere ſe periculo occidendi maritum, ne ipſe adulter occidatur ab illo; vnde cùm occiſio mariti fuerit adultero voluntaria in acceſſu ad adulteram manifeſtè periculoſo, ideò incurrit irregularitatem homicidij voluntarij, nec excipitur ab illa *Clementin. citat. Tertia Sententia eſt*, quam tenet *Suarez* in illa *diſput.* 46. *ſect. tantum.* 12. Vbi ait in iſto caſu adulterum teneri ad fugiendum etiam cum dedecore, quòd ſi non faciat, & occidat maritum incurrit irregularitatem propter rationem factam pro ſecunda Sententia. 10

Dico *tamen Quartò*. In caſu huius Dubij probabilius eſt adulterum non incurrere irregularitatem occidendo maritum, ſi aliter propriam vitam defendere non poteſt, nec tenetur fugere cum magno dedecore. Iſta Concluſio intelligenda eſt per ſe loquendo, nam per accidens poterit oppoſitum contingere. Per ſe tamen loquendo, & ex natura rei, quamuis adulter cum illo periculo accedat ad alienam, nihilominus maritus non habet Ius ad hoc, vt priuata authoritate occidat adulteros. Vnde ſi adulter velit ceſſare ab iniuria, ceſſat iam aggreſſio illius contra maritum. Quocirca ſi maritus adhuc perſeuerat volens adulterum occidere, iam maritus eſt aggreſſor, & adulter poteſt ſe licitè defendere, & ſi alia via non poteſt niſi occidendo maritum, poterit illum occidere, ſine eo quod 11

committat peccatum homicidij, vt dici ſolet 2. 2. *quæſt. 64. art. 7.* Imò illa occiſio mariti poteſt fieri ab adultero ſine eo, quod habeat voluntatem erga homicidium, ſed ſolùm erga propriam defenſionem, ac ſubinde non adulter, ſed maritus eſt aggreſſor, cui proinde, id eſt marito, imputatur ſua mors, & conſequenter adulter manet immunis ab irregularitate per *Clement. præfatam.*

22 Secunda autem pars Concluſionis probatur contra tertiam Sententiam, in qua quidem *Suarez* non procedit conſequenter ad dicta ſuperiùs, quæ quidem nos etiam tanquam vera ſtatuimus, videlicet non teneri aggreſſum cum magna infamia ſui fugere aggreſſorem, ſed poterit illum occidere ad vitandam talem infamiam ortam ex fuga, vt conſtabit magis ex *Articulo ſequenti.*

23 Ad *Rationem* autem factam pro prima Sententia huius dubij, conſtat ex dictis Adulterum non fuiſſe formaliter aggreſſorem reſpectu homicidij ſubſecuti, ſed ſolùm reſpectu libidinis. *Ad Rationem autem factam pro ſecunda Sententia Reſpondetur.* Quòd adulter in acceſſu illo periculoſo ad alienam, quamuis aliquo modo virtualiter voluerit homicidium tanquam in cauſa in illo periculoſo acceſſu, nihilominus cùm illud homicidium non ſit effectus per ſe, & neceſſariò ſequendus ex illa cauſa, ſed vt plurimum ſit effectus, qui regulariter ſubſequitur, ideò illud homicidium ſecundùm Ius non eſt voluntarium ſufficiens ad inducendam irregularitatem homicidij voluntarij iuxta dicta à nobis *Diſput. 1. art. 1.* Nec inſuper eſt homicidium caſuale ſufficiens ad inducendam irregularitatem, ſed voluntarium omninò inculpabile factum in defenſionem propriam, ſi adulter (vt diximus) poſtquam conſtituit ſe in tali periculo, ceſſat tamen ab iniuria, in qua quidem ceſſatione interrupta fuit illa voluntas homicidij virtualis, quam diximus reperiri in illo periculo tanquam in cauſa; vnde cùm iam adulter nolit occidere maritum, ſi maritus vult occidere illum, adulter eſt aggreſſus, & poteſt occidere maritum, ſi alia via ſe defendere non poteſt, vnde non incurrit irregularitatem.

Soluuntur argumenta.

1 CONtra Reſolutionem principalem *Arguitur Primò.* Nam in *Concil. Trident. Seſſ. 14. in Decret. de Reformat. cap. 7.* datur facultas Ordinario, vt diſpenſet in irregularitate, quàm quis contrahit occidendo alterum in defenſionem propriæ vitæ, ſic enim habet Concilium. *Si verò homicidium non ex propoſito, ſed caſu, vel vim vi repellendo, vt quis ſe à morte defendat fuiſſe commiſſum narretur, quare quodammodo diſpenſatio iure debeatur, eam committimus Ordinario loci.* Ex quibus verbis manifeſtè colligitur, quod in caſu præſentis Dubij incurratur irregularitas. *Secundò ex pluribus Cap. Iuris,* in quibus aſſignatur vt ſufficiens cauſa irregularitatis homicidium voluntarium indiſtinctè, ſiue ſit in defenſionem propriam, ſiue non, vt videre eſt in *Cap. Si quis Viduam Diſtinct. 50.* & in aliis, quæ refert *D. Thom. 2. 2. quæſt. 64. art. 7. argument. 3. Confirmatur* ex D. Thom. in ſolut. eiuſdem argumenti, vbi manifeſtè concedit irregularitatem contrahi propter homicidium voluntarium factum in defenſionem propriam occidentis. *Tertiò.* Nam quamuis in prædicto caſu non incurratur irregularitas in pœnam delicti quia nullum fuit occidere alterum ſe defendendo, incurritur tamen irregularitas propter ſignificationem, & defectum lenitatis, ſicut in Iudice ſuſpendente malefactores; ergo manet irregularis occidens alterum in defenſionem propriæ vitæ.

Ad *Primum Reſpondetur.* Quòd in *illo Decreto Concilij Tridentini* nihil determinatum eſt contra ſupra allegatam *Clement.* ſed Concilium ſolùm loquitur de occiſione facta in defenſionem propriam ſine moderamine inculpatæ tutelæ, & propter talem occiſionem aſſerit incurri irregularitatem, eo modo, quo iam diximus. Vel ſenſus *Concilij eſt.* Quòd ſi aliquando fuerit dubium, An homicidium ſit ſubſequutum cum moderamine inculpatæ tutelæ, néc ne: tunc committatur Epiſcopo loci, vt ipſe inquirat, & explicet an diſpenſatio ſit neceſſaria ſecundùm Ius. *Ad Secundum* conſtat ſatis ex dictis in ſecunda Concluſione. *Ad Tertium Reſpondetur.* Quòd ſicut Iudex abſque aliqua culpa incurrit irregularitatem puniendo malefactores, poſſet etiam, qui alterum occidit in defenſionem propriæ vitæ conſimilem contrahere irregularitatem abſque aliqua culpa. Et ita cenſent Aliqui, quòd contrahebatur temporibus *D. Thom.* ita vt ex benignitate Iuris iſte talis exciperetur, ne contraheret irregularitatem. Cæterùm, quia vt dixi in ſecunda Concluſione, probabile eſt, nunquam contraxiſſe irregularitatem quis occidendo alterum in defenſionem ſui moderatam, & neceſſariam poteſt ratio diſcriminis aſſignari inter iſtum, & Iudicem, nam iſte ſe defendens non vult occiſionem alterius, ſed ſuam defenſionem (vt iam diximus) & ideò omnia iura tam naturalia, quàm poſitiua fauent defendenti propriam vitam. At Iudex quamuis licitè iubeat occidere, voluntariè tamen intendit mortem malefactorum, vt docet *D. Thom. 2. 2. quæſt. 64. art. 7.* Et hoc voluntarium in Iudice ſufficiens eſt ad hoc, vt Ius imponat illi impedimentum Canonicum irregularitatis propter defectum lenitatis; eò vel maximè, quia occidere alterum in defenſionem ſui contingit rarò alicui. At Iudici frequens eſt occiſiones quàm plurimas velle fieri, & ideò in illo eſt defectus lenitatis.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Iudices ſæculares proferentes Sententiam ſanguinis morte ſubſecuta maneant Irregulares?

PRO *parte negatiuà Arguitur.* Quia vt ſæpè 1 oſtendimus maximè *diſput. 1. huius tractatus, art. 4.* irregularitas non eſt admittenda niſi ſit expreſſa in Iure; ſed nullibi habetur in iure expreſſa irregularitas pro Iudicibus ſæcularibus proferentibus Sententiam ſanguinis, ergo.

Confirmatur. Nam ſi Iudices incurrunt Irregu- 2 laritatem in iſto caſu, à fortiori etiam ipſi Principes, quorum poteſtate, & authoritate talis Sententia profertur à Iudicibus, ſiquidem Iudices ſunt miniſtri ipſorum Principum, & inſtrumenta quædam moralia, quocirca Principes principaliùs ſunt cauſa mortis ſubſecutæ. Sed indubitatum eſt inter Doctores, huiuſmodi Principes non incurrere irregularitatem, ergo neque Iudices.

Dico

3 Dico *tamen Primò.* Iudices ſæculares profe- rentes Sententiam ſanguinis, quantumcumque iuſtam morte ſubſecuta, manent irregulares. Dixi *quantumcumque iuſtam*, quia ſi iniuſtam profe- rant, manent vtique irregulares alia irregulari- tate procedente ex homicidio iniuſto. *Iſta Con- cluſio eſt communis omnium Doctorum* ſine contro- uerſia. Sed tamen mirum eſt, quàm leuibus vi- deatur inniti fundamentis hæc Sententia in Iure; plura namque inducantur à Doctoribus Capita, tam ex Decreto, quàm extra, ad comprobandam hanc irregularitatem, cùm tamen ibidem nullibi videatur hæc irregularitas expreſsè contineri; vnde *Suarez diſput.* 47. *ſect.* 1. poſtquam multa refert Capita adducta ab aliis illa tamen refutat, quia in nullo illorum fit ſermo de Iudice ſæculari, ſed ſolùm de Clericis. Et inſuper præfatus Au- thor plura alia Capita refert, in quibus tamen non magis, quàm in aliis ab ipſo confutatis, videtur hæc irregularitas cõtineri, quia in omnibus Ca- pitibus quæ affert pro ſe *Suarez* ſolùm videtur fieri ſermo de Epiſcopis, & aliis Clericis ſe intro- mittentibus in cauſam ſanguinis. Quocirca tota Difficultas huius Articuli in eo conſiſtit, vt addu- camus legitimum caput Iuris, quo hæc irregulari- tas expreſsè contineatur.

4 Dico *igitur Secundò.* Manifeſtum eſt hanc ir- regularitatem contineri expreſsè in Iure. Proba- tur primò ex *capite Aliquantos, diſtinct.* 51. *in Decreto*, in quo Capite videtur magis expreſsè hæc irregularitas contineri; vnde ex iſto *Capite* probant iſtam Concluſionem *Stephanus de Auila*, & alij quos refert ipſe, & ſequitur *Tract. de Cen- ſuris, part.* 7. *diſput.* 5. *ſect.* 2. In illo namque Ca- pite decernitur, quòd duplex genus hominum ad Ordines non aſſumatur; Primum eſt illorum, qui in Forenſi exercitatione verſati ſunt. Secun- dum eſt illorum, qui militiæ dediti ſunt. Manife- ſtum eſt autem quod illorum, qui in Forenſi exer- citatione verſantur potiſſimum locum obtinent Iu- dices ſæculares; ergo manifeſtum eſt hanc irregu- laritatem contineri in illo *Capite.*

5 Sed *Dices*: Quòd hæc irregularitas non impo- nitur intuitu Sententiæ ſanguinis, ſed alia ratione, ſub qua comprehenduntur omnes, qui in Fo- renſi exercitatione verſati ſunt. *Reſpondetur tamen*, Quòd in illo *Capite* explicatur etiam cauſa, pro- pter quam hæc irregularitas imponitur, tam Fo- renſibus, quàm Militibus, quia videlicet *Obe- diendo Poteſtatibus ſaua præcepta impleuerunt.* Per quæ verba manifeſtè datur intelligi, quòd talis irregularitas non imponitur vniuerſaliter om- nibus Forenſibus, neque omnibus Militibus, ſed illis ſolùm, qui *ſæua præcepta impleuerunt.* Per *ſæua* autem *præcepta* non ſunt intelligenda iniqua, & quæ ſine præcepto impleri non poſſunt, ſed in- telliguntur ea, quæ ad ſanguinis effuſionem ordi- nata ſunt. Quæ præcepta ideò *ſæua* dicuntur, quia quamdam crudelitatem, & ſæuitiam ſecum ferunt, quantumcumque ſint iuſta, in ordine ad maximam lenitatem Chriſti, quam eius Miniſtri repræſen- tare debent.

6 Sed *Obiicies.* Nam in illo *Capite* non imponitur irregularitas, ſiquidem ibi ſolùm dicitur, quod ſi aliqui eorum ordinati fuerint, cum ſuis Ordina- toribus deponantur; vbi non imponitur irregula- ritas, ſed Depoſitionis cenſura in pœnam peccati illis, qui tales Ordines ſuſcipiunt. Et inſuper talis depoſitionis cenſura non imponitur ipſo facto in illo *Capite*, ſed decernitur imponenda, quod eſt contra rationem irregularitatis, vtpotè quæ in- curritur ipſo facto. *Reſpondetur* tamen, Quòd ex verbis antecedentibus ſatis intelligitur, quòd imponitur irregularitas in illo *Capite*. Nam ibi- dem dicitur, quod *Plures illorum ad ſacros ordines aſſumpti ſunt, qui tamen aſſumi non poterant*, Qui- bus verbis ſupponitur iam inducta irregularitas. Et præterea vt colligitur ex eodem *Capite* Illo- rum qui ad ordines aſſumpti erant, qui tamen aſſumi non poterant, videtur fieri diſpenſatio ſuper irregularitate, *cuius ratio ibidem aſſigna- tur*, videlicet, Quia aliàs magna ſcandala ori- rentur in Prouinciis Hiſpanienſibus, in qui- bus morabantur plures illorum, qui ordinati erant.

Confirmatur. Quia præfata irregularitas col- ligi poteſt ex omnibus *Capite* quæ habentur in *Titulo de Homicidio voluntario*, quam in illis impo- nitur irregularitas omnibus quomodocumque vo- luntariè occidentibus, niſi in propriam defenſio- nem iuxta dicta *artic. præcedentibus.* Quæ qui- dem irregularitas non imponitur propter culpam, quæ in ipſo homicidio reperiatur, vt in pœnam illius tanquam cenſura, ſed ex eo quòd homici- dium illud ſit aliquo modo voluntarium. *Et con- ſtat hoc ex eo.* Quia homicidium caſuale poteſt eſſe voluntarium, ita vt tale voluntarium ſit im- perfectum, & ſolùm ſufficiens ad veniale pecca- tum; & tamen propter illud homicidium incurri- tur irregularitas (vt dicemus *Diſputatione ſequenti*) ergo talis irregularitas non imponitur vt cenſura, ſed propter ſignificationem defectus lenitatis; ergo imponitur contra Iudices ſæculares pro- Sententiam ſanguinis morte ſubſecuta. *Vltimò Probatur.* Quia colligitur hæc irregularitas communi conſenſu, & interpretatione omnium Doctorum ſic intelligentium, & explicantium Iu- ra, quæ intelligentia eſt anima Legis & Iuris; ergo in ipſo Iure continetur formaliter hæc irre- gularitas, ſiquidem ſenſus legitimus Iuris eſt vniuerſaliſſima interpretatio omnium Do- ctorum. 7

Dico *Tertiò.* Clerici officium Iudicis agentes & Sententiam ſanguinis proferentes morte ſub- ſecuta non ſolùm incurrunt irregularitatem, quæ eſt Canonicum impedimentum, quam incurrunt Laici, ſed etiam irregularitatem, quæ eſt cen- ſura Eccleſiaſtica. Iſtam Concluſionem poſuimus ſupra *diſputat.* 8. *artic.* 2. Sed nunc neceſſaria eſt ad complementum doctrinæ. Et probatur mani- feſtè ex pluribus *Capite Iuris* adductis à *Suarez diſputat.* 47. *ſect.* 6. in principio, & inſuper po- tiſſimè ex *Capite Sæpè*, & ex *Capite His quibus* 23. *quæſtione* 8. Vbi expreſsè imponitur irregulari- tas tanquam pœna in tranſgreſſionem præcepti Eccleſiaſtici, quo prohibentur Clerici, ne cauſam ſanguinis agant, de quo latè dicitur 2. 2. *quæſt.* 64. *art.* 4. 8

Dico *Quartò.* Tam Perſonæ Eccleſiaſticæ, quàm ſæculares, quæ iuriſdictionem tempora- lem, & dominium Terrarum habent, poſſunt illam iuriſdictionem delegare, & committere quibuſcumque aliis, abſque periculo irregulari- tatis, etiamſi Iudex delegatus ex vi poteſtatis, & iuriſdictionis ſibi commiſſæ malefactores occidat. Iſta Concluſio eſt communis Sententia Autho- rum, quos refert, & ſequitur *Stephanus de Auila part.* 7. *diſputat.* 5. *ſect.* 2. *dub.* 4. & *Suarez*

diſput.47. ſect.1. num.5. Et probatur tum ex iure. Nam ita decernitur in *Capite Epiſcopus in 6.* Et quamvis ibi ſolùm fiat ſermo de Eccleſiaſticis Perſonis, videlicet Epiſcopis, Abbatibus, & Clericis, & aliis huiuſmodi; nihilominus tamen in illa determinatione, ſeu conceſſione comprehenduntur etiam Laici temporalem iuriſdictionem habentes tanquam Domini, eo quòd ſi Eccleſiaſtici, in quibus eſt ſpecialis prohibitio ne ſe intromittant in cauſam ſanguinis, & quibus impoſita eſt ſpecialis irregularitas, nihilominus poſſunt ſine irregularitatis periculo temporalem iuriſdictionem, cuius ſunt Domini, aliis committere; à fortiori ſæculares poteſtates, & Domini poterunt id facere ſine periculo irregularitatis, vtpote quibus non ita ſtrictè incumbit imitari lenitatem, vel manſuetudinem Chriſti.

10 Deinde *Probatur Ratione.* Quia delegantes ſic ſuam iuriſdictionem, etiamſi poſtea Iudices delegati occidant malefactores, non tamen ſunt proxima, & ſpecialis cauſa mortis ſubſecutæ ipſi delegantes, ſed tantùm vt plurimum ſunt cauſa remota, & vniuerſalis, in quo profectò nihil indecentiæ reperitur in ordine ad lenitatem Chriſti repræſentandam, eo quòd talis delegatio iuriſdictionis ordinatur immediatè ad bonum Commune, & vt iuſtitia, & pax Reipublicæ conſeruetur, non autem ordinatur ad particularem effectum mortis ſubſecutæ, & idcircò meritò ex hoc non debent incurrere irregularitatem; de quo dicitur latè loco citato.

11 Difficultas *tamen eſt*, An Iudices delegati, & conſtituti ad huiuſmodi iuriſdictionem temporalem exercendam, poſſint etiam abſque periculo irregularitatis, illam etiam aliis committere, ita vt ſi ſubdelegatus malefactorem occidat, Iudex delegatus maneat immunis ab irregularitate? *Et videtur*, quòd non maneat immunis ab irregularitate. Quia in illo *Capite Epiſcop. citat.* ſolùm conceditur facultas ipſis dominis iuriſdictionem temporalem habentibus, vt poſſint ſine periculo irregularitatis illam aliis delegare; ergo alij inferiores Iudices delegati ab ipſis dominis non poterunt aliis iuriſdictionem committere abſque periculo irregularitatis. *Confirmatur.* Nam Iudices delegati in iſto caſu iam ſe habent quaſi cauſa proxima, & particularis cuiuſcumque mortis ſubſecutæ, & inflictæ à ſuis ſubdelegatis; ergo non excuſantur ab irregularitate.

12 Dico *tamen Quintò.* Tales iudices delegatos poſſe abſque periculo irregularitatis talem iuriſdictionem aliis ſubdelegatis committere. *Probatur.* Quia talis commiſſio iuriſdictionis, etiam ſe habet vt generalis, & remota cauſa mortis, nam qualiter ipſis delegatis commiſſa eſt iuriſdictio, ſic illam committunt aliis ſubdelegatis. *Deinde Probatur.* Quia lex illa eſt fauorabilis; ergo extendenda eſt ad omnes illos, in quibus reperitur prorſus eadem ratio. Quare etiamſi aliquo modo influeret in occiſionem ſubſecutam is, qui committit iuriſdictionem, nihilominus maneret immunis ab irregularitate, quia lex illa eſt exceptiua illorum, qui committunt iuriſdictionem, & ſolùm comprehenſiua aliorum, qui exercent immediatè talem iuriſdictionem in cauſa ſanguinis. Et per hoc patet ad Rationem dubitandi poſitam pro iſta Difficultate.

13 Secunda *Difficultas eſt*, An poſſit committi poteſtas, & iuriſdictio non ſolùm in vniuerſali, & in communi, ſed circa particulare factum, quod ſecundùm leges pœna mortis plectendum eſt; & an illa ſubſecuta maneat irregularis, qui ſic commiſit iuriſdictionem? *Videtur quod ſic.* Quia commiſſio iuriſdictionis circa particulare factum immediatè ordinatur ad effectum ſubſecutum, ad hoc enim tanquam ad finem proximum committitur iuriſdictio; ergo talis commiſſio habet rationem cauſæ proximæ; & particularis in ordine ad occiſionem ſubſecutam.

Pro *huius Reſolutione notandum eſt*, Quod dupliciter poteſt fieri commiſſio iuriſdictionis circa particulare factum. *Vno modo* determinatè ad hoc, vt delinquens puniatur pœna mortis taxata per legem. *Alio modo* circa delictum ipſum poteſt committi iuriſdictio, ſicut quod inquiſitio fiat de illo delicto, & etiam de delinquente, & ſeruetur iuſtitia in ordine ad bonum Commune. 14

Dico *igitur Sextò.* Si primo modo committatur iuriſdictio, tunc committens illam incurrit irregularitatem, non tamen incurrit illam ſi ſecundo modo committat iuriſdictionem. *Prima pars huius Concluſionis probatur manifeſtè.* Ratione dubitandi propoſita in iſta Difficultate, & nihil ampliùs conuincit. *Secunda autem pars probatur.* Quia in præfato *Cap. Epiſcopus* expreſsè dicitur, Quòd circa particulare factum, videlicet homicidij, aut alterius maleficij perpetrati à delinquente, poſſit fieri commiſſio iuriſdictionis ab Eccleſiaſticis Perſonis, qui ſunt Domini iuriſdictionum temporalium, vt videlicet circa illud particulare factum fiat debita ſecundùm iuris ordinem inquiſitio, & ſeruetur iuſtitia. 15

Ex *dictis ſequitur* à fortiori, quod multò melius, & tutius ſine periculo irregularitatis poterit committi iuriſdictio in communi, ſiquidem circa particulare factum, quod pœna mortis plectendum eſt, poteſt committi ſecundùm iuris diſpoſitionem. *Deinde ſequitur*, Quòd longiùs abeſt ab irregularitate incurrenda conditor alicuius legis, qua decernit, quod aliquod particulare flagitium ſit pœna mortis plectendum, eo quòd vniuerſalior cauſa ſit conditor Legis, quàm committens iuriſdictionem. *Et tandem ſequitur ſolutio ad Rationem in oppoſitum.* Quia quamvis committatur iuriſdictio circa particulare factum, non tamen committitur determinatè ad effuſionem ſanguinis, ſed committitur ſecundùm rationem, & modum generalem, vt videlicet ſeruetur iuſtitia. 16

Tertia *Difficultas eſt*, An ſi Iudex delegatus non ſeruato ordine iuris, ſed iniuſtè omnino, & iniquè aliquem occideret; Vtrùm tunc Dominus iuriſdictionis illi commiſſæ ſit immunis ab irregularitate? *Et videtur quod non*, Quia in præfato *Cap. Epiſcopus*, vbi decernitur, Quòd poſſint Domini Eccleſiaſtici iuriſdictionem committere temporalem, apponitur quædam determinatio, videlicet quod Iudices delegati ſi ad cauſam ſanguinis procedant, id faciant mediante iuſtitia, ex quo videtur colligi, quod ſi hoc modo excuſantur Domini iuriſdictionum ab irregularitate incurrenda, nihilominus ſi non ſeruetur iuſtitia, ſed iniquè, & iniuſtè à Iudice damnetur quis ad mortem, tunc non excuſabuntur Domini iuriſdictionum ab irregularitate. 17

Dico *tamē ſeptimò.* In iſto caſu nō eſt cur timeatur 18
periculum

periculum irregularitatis in Dominis iuriſdictionum, nam ſuppoſito quod illas poſſunt committere ſine periculo irregularitatis (vt vidimus) ſi poſtea ex ſola iniqua voluntate iudicis delegati quis occidatur, nulla poteſt ſuboriri ſufficiens cauſa, vt committens iuriſdictionem incurrat irregularitatem. Vnde illa particola, quæ videtur habere difficultatem, videlicet *mediante iuſtitia*, meritò à Legiſlatore appoſita fuit, vt ſciant iudices delegati qualiter ab eis exercenda ſit commiſſa iuriſdictio. Et per hæc patet ad rationem dubitandi pro iſta difficultate.

19 Quarta *Denique, & potiſſima difficultas eſt circa hunc Articulum*, An Patres Fidei Inquiſitores hæreticæ prauitatis, & alij Iudices Eccleſiaſtici tradentes hæreticum Reum iudicibus ſæcularibus puniendum pœna mortis, incurrant irregularitatem: *Et ratio potiſſima dubitandi eſt*. Quia Patres Inquiſitores tradunt delinquentes in materia fidei, & qui plectendi ſunt pœna mortis ſecundùm leges, tradunt (inquam) illos iudicibus ſæcularibus, vt in illis hanc pœnam mortis exequantur, & inintelligibile omnino videtur, quod iſto modo tradentes non ſunt cauſa proxima mortis. *Confirmatur*. Quia ſi Iudex ſæcularis non exequatur pœnam mortis in Reos, tunc Patres Inquiſitores procedent contra illum. *Hanc difficultatem* tractant plures Antiqui, & Moderni, quos refert *Suarez in illa Diſput.* 47. *ſect.* 1. *num* 10. *& Doct. Auila vbi ſuprà dub.* 2. Et eſt huius expreſſa determinatio Iuris in *Cap. Nouimus, de verborum ſignificatione*, in quo decernitur, Quod poſſit Iudex Eccleſiaſticus Clericum degradatum tradere brachio ſæculari; debet tamen pro eo efficaciter intercedere, vt citra periculum mortis Sententia piè moderetur.

20 Dico igitur *Octauò*, Patres Fidei Inquiſitores hæreticæ prauitatis, alióſque Iudices Eccleſiaſticos nullatenus incurrere irregularitatem, quamuis tradant Iudicibus ſæcularibus huiuſmodi Reos puniendos infallibiliter pœna mortis. *Probatur iſta Concluſio primò*, Ratione vniuerſali, quam tradit *Couarruu. part* 2. *§.* 5. *num.* 6. Quia Inquiſitores, & alij Iudices Eccleſiaſtici rogant verè, & ex animo Iudices ſæculares, vt miſericorditer ſe gerant cum Reis, vnde quando tradunt hæreticum brachio ſæculari ſolùm declarant ſe functos fuiſſe officio ſuo, & hæreticum tanquàm incorrigibilem dimittere à propria iuriſdictione. Et idem eſt de Clerico degradato, quem tradit Iudex Eccleſiaſticus ſæculari, & per prædictam proteſtationem liberantur ab irregolaritate tam Inquiſitores, quàm alij Iudices Eccleſiaſtici, vt conſtat ex illo *Cap. Nouimus cit.*

21 Sed *contra* iſtam rationem poteſt quis obiicere. Quòd interceſſio illa, quæ in illo *Capite* decernitur facienda ſit omnino impertinens, & otioſa, quia vel illa eſt ficta, vel ſaltèm iniqua, nam ibidem decernitur, quod debeat fieri efficaciter; Tunc ſic, nam Inquiſitor in tali interceſſione, vel habet animum, quod Reus abſoluatur à pœna mortis, vel non habet talem animum. *Si dicas hoc ſecundum*, Tunc interceſſio non ſolùm non eſt efficax verùm ficta, ſiquidem non eſt conformis ad decretum illud, quo decernitur, vt fiat interceſſio efficaciter in fauorem Rei, vt citra periculum mortis feratur in illum Sententia. Si verò Iudex Eccleſiaſticus habet animum abſoluendi Reum à pœna mortis; ergo talis voluntas eſt iniuſta, & iniqua, quia quod hæreticus non puniatur pœna mortis iniquum eſt, & contra commune bonum Reipublicæ Chriſtianæ.

Reſpondetur *Tamen ad iſtam Obiectionem*. 22
Quòd talis interceſſio nec ficta eſt, nec iniqua, ſed potiùs iuſtè fit, & efficax eſt ad finem intentum ab Eccleſia. *Efficax quidem*, Quia intentum Eccleſiæ in illa interceſſione eſt explicare ſuum piiſſimum animum, qui non eſt vt reus pœna mortis afficiatur, ſed potiùs vellet; quod in quantum poſſibile eſt, & bono communi non nociuum, abſolueretur à pœna mortis, & ad iſtum finem oſtendendum ſatis efficax eſt illa interceſſio, quæ tamen non fit efficaciter ad hoc, vt de facto Reus à pœna mortis abſoluatur, quia talis abſolutio eſſet nociua bono communi, ac ſubinde iniqua. Vnde non eſt iniqua interceſſio, ſiquidem non tendit ad hoc, vt fiat iniuria bono communi, nec inde ſequitur illos Iudices velle abſolutè ſanguinis effuſionem, quia datur medium inter hoc, quod eſt velle talem mortem, & non velle illam, & medium eſt, velle quod ſeruetur iuſtitia, & ſimul oſtendere pium animum Eccleſiæ.

Secundò *Probatio* huius Concluſionis propria 23
eſt, & peculiaris pro Inquiſitoribus. Quia ſcilicet eis ſolùm eſt prohibita executio mortis, non tamen traditio Rei Iudici ſæculari, quomodocumque fiat talis traditio; vnde ſolùm poſſent incurrere Irregularitatem, ſi per ſe ipſos exequerentur cauſam ſanguinis. Hanc rationem tradit *Magiſt. Medina in Summa Lib.* 1. *cap.* 12. §. 10. *Regula* 4. Sed tamen non ſatis efficaciter fundat præfatam rationem. Cuius efficax Fundamentum eſt In quadam Bulla *Pauli IV.* Conceſſa Cardinalibus *die* 29. *April. anno* 1557. Et habetur in *Iudiciali Inquiſitorum folio* 474. Quam Bullam *Pius V.* Confirmauit, & extendit ad omnes Inquiſitores, eorúmque Vicarios, & Conſultores: In qua quidem Bulla conceditur illa facultas tradendi Reos brachio Sæculari ſine periculo Irregularitatis incurrendæ. Itaque illam ſolùm poſſunt incurrere, ſi per ſe ipſos exequerentur cauſam ſanguinis. *Ex quo* ſequitur Primò, quod quamuis nullam faciant proteſtationem, non erunt Irregulares, ſic tenet *Henriquez in Summa Tract. de Irregularitate num.* 5 *Litt. B. cap.* 12. Secundò ſequitur, Quòd ſi Iudex ſæcularis differat executionem mortis, poſſunt Inquiſitores abſque metu Irregularitatis inſtare omnino, vſque dum ille exequatur Sententiam. Hoc enim eſt contra *Couarr. vbi ſupra num.* 6. *in fine*. Sed tamen id tenet *Medina vbi ſupra*, & *Henriquez vbi ſupra in Gloſſa litt. D. & Tabiena verb. Irregularitas* 2. §. 15. Sequitur tertiò, quod Fiſcalis, & Secretarius; & teſtes, & denuntiatores, & alij Officiales in Tribunali Inquiſitionis quamuis nullam faciant proteſtationem non ſunt Irregulares; quia nec ipſi, ſicut nec Inquiſitores procedunt per ſe ad cauſam ſanguinis.

Tertia *Probatio* Vniuerſaliter procedens pro 24
omnibus Iudicibus Eccleſiaſticis tradentibus Reos Iudici ſæculari eſt. Nam in iſta traditione Iudices Eccleſiaſtici oſtendunt illos Reos eſſe incorrigibiles, & ideò abiiciunt illos à ſua Iuriſdictione Eccleſiaſtica, & manifeſtant eos eſſe dignos pœna mortis tanquam maximè nociuos Reipublicæ Chriſtianæ, ac ſubinde tales Rei manent ſub iuriſdictione Iudicis Sæcularis, qui ex iuſtitia tenetur ipſos pœna mortis plectere. Vnde ſequitur Iudices Eccleſiaſticos in tali facto nullatenus ſe

intromittere

intromittere in cauſam ſanguinis, ſed illam remittere arbitrio Iudicis Sæcularis. *Ad rationem* dubitandi à principio huius articuli conſtat ex dictis, qua ratione in Iure inueniatur expreſsè poſita Irregularitas in Iudices Sæculares proferentes Sententiam ſanguinis morte ſubſecuta. Vnde neganda eſt Minor illius argumenti, vt conſtat ea ſecunda noſtra Concluſione. *Ad Confirmationem* ex dictis etiam ſimiliter conſtat quando Principes habentes dominium Iuriſdictionum incurrant Irregularitatem, & quando non incurrant illam, vt oſtendimus in 4.*Concluſ.& ſequent.*

ARTICVLVS III.

Vtrùm Aduocati ferentes patrocinium in Cauſa Sanguinis incurrant Irregularitatem?

1 IN *Hac Difficultate* in primis ſupponenda ſunt aliqua tanquam certa, & communia inter Doctores. *Primò* quidem certum eſt, quod Aduocati ferentes patrociniũ in Cauſa Sanguinis morte ex vi patrocinij ſubſequuta, incurrunt Irregularitatem, vt conſtat *ex illo cap. Aliquantos* quod eſt primum in *Diſt.51.in prima parte Decreti*, in quo prohibentur ad ſacros ordines aſſumi, *qui Forenſi exercitatione verſati ſunt.* Per quos potiſſimùm Doctores intelligunt Aduocatos. Et præterquam quod hæc doctrina communis eſt inter Doctores, & certa, confirmari poteſt ea dictis à nobis *artic. præcedenti* in quo ſatis oſtendimus Iudices ferentes ſententiam in cauſa ſanguinis morte ſubſequuta fieri Irregulares; eſt autem prorſus eadem ratio de Aduocatis ferentibus patrocinium, morte ſubſequuta ex vi patrocinij facti contra eum qui morte punitus eſt.

2 Secundò Certum eſt in hac parte, quod Aduocati ferentes patrocinium, quando mors non ſequitur, non fiunt Irregulares. Quæ doctrina quamuis nobis ſit certa, non tamen eſt ita communis, vt præcedens, quia ſunt multi exiſtimantes, quod etiamſi mors non ſequatur, fiunt Irregulares Aduocati, imò etiamſi patrocinium ferant in cauſa purè Ciuili, quos Authores refert *Suarez in illa Diſput. 47. Sect.4.* Quorum potiſſimum Fundamentum eſt. Quia in præfato *Cap. Aliquantos* indifferenter fit ſermo de omnibus Aduocatis quoad Irregularitatem incurrendam ſiue in cauſa criminali, ſiue in cauſa ciuili agant ex hoc ipſo ſolùm, quod *verſati ſunt in Forenſi exercitatione.* Nihilominus tamen doctrina à nobis propoſita communior eſt inter Doctores, & certa. *Et probari poteſt*, Tum quia (vt diximus *artic. præcedenti*) Iudicibus ſolùm imponitur Irregularitas, ſi ferant Sententiam in cauſa ſanguinis morte ſubſequuta; ergo à fortiori Aduocatis, qui non ita præcipuè ſunt cauſæ Sanguinis, ſicut Iudices, ſolùm imponitur Irregularitas ex hoc, quod ſint cauſa Sanguinis morte ſubſequuta ex vi patrocinij illorum. Tum probari poteſt ex Contextu illius *Capitis* dum dicitur, *Qui in Forenſi exercitatione verſati ſunt, & obtinendi pertinaciam ſuſceperunt.* Per quæ verba irregularitas imponitur non quidem omnibus Aduocatis, ſed illis dumtaxat, qui per patrocinia ſua obtinuerũt effectũ Sãguinis. Et ex hoc conſtat ſolutio ad Fundamentum in oppoſitum.

3 Tertiò *Supponendum eſt* in hac parte tanquam certum, quod Aduocati ferentes patrocinium in fauorem Rei, etiam morte ipſius Rei ſubſequuta non incurrunt Irregularitatem. *Cuius ratio eſt manifeſta.* Quia tale patrocinium potiùs fuit ordinatum ad impediendam mortem; tantùm abeſt vt cauſalitatem circa mortem haberet. Quæ doctrina intelligenda eſt, niſi in caſu quo ex negligentia aduocati Reus ad mortem damnaretur, tunc enim per negligentiam eſſet cauſa mortis ſubſequuta atque irregularitatem incurreret, quæ tamen non eſſet homicidij voluntarij ſecundùm Iuris diſpoſitionem, de quo in præſenti loquimur, ſed eſſet irregularis homicidij caſualis de quo dicemus in *ſequenti Diſputatione.*

Difficultas Igitur in hac parte poteſt eſſe in duobus caſibus, videlicet Quando Aduocatus fert patrocinium in fauorem Rei, & ex efficaci defenſione Rei ſequitur mors, aut mutilatio accuſatoris, qui accuſabat Reum? *Et ſecundus caſus eſt*, Quãdo Aduocatus fert patrocinium contra Reum in fauorem accuſatoris, in cauſa tamen iniuſta, ex qua etiam prouenit, quod accuſator poſtea puniatur pœna mortis, aut mutilationis alicuius membri. *Et ratio dubitandi pro parte negatiua in vtroque caſu eſt.* Quia patrocinium Aduocati non ordinatur ad mortem, quæ ſubſequitur, nam qui in primo caſu defendit Reum, ordinat ſolùm in eius defenſionem patrocinium; & ſimiliter qui fauet accuſatori contra Reum, ordinat ſolùm patrocinium in fauorem, & non in mortem accuſatoris; ergo tale patrocinium non habet cauſalitatem, & influxum aliquem circa mortem de facto ſubſequutam, & conſequenter nullam inducit irregularitatem. 4

In *Contrarium tamen eſt.* Quia etiamſi ex intẽtione Aduocati patrocinium illud non ordinetur ad mortem de facto ſubſecutam, tamen ex vi illius patrocinij de facto ſequitur mors; ergo de facto habuit influxum in mortem ſubſecutam; ergo incurrit irregularitatem. *Circa hanc difficultatem* ſunt varij modi dicendi, quos refert *Suarez in illa Diſp.47.Sect.4.* Quibus addendus eſt alius modus, quem ſequitur *Stephanus de Auila vbi ſuprà dub.1.* Aſſerens, Quod ſi Aduocatus petat in primò caſu, vt accuſator puniatur pœna Talionis per mortem, aut mutilationem, & illa ſequatur de facto, incurrit Aduocatus irregularitatem, ſecus autem ſi id non petat. 5

Dico *Tamen Primò.* Aduocatus efficaciter patrocinium ferens in fauorem Rei in cauſa iuſta nõ manet irregularis, etiamſi de facto ſequatur mors, vel mutilatio accuſatoris. Hæc Concluſio conſtat ex ratione dubitandi, & conſtabit ex dicendis in *Concluſione 4.* 6

Dico *Secundò* Aduocatus patrocinium ferens in fauorem Rei in cauſa iniuſta improbando accuſatorem manet irregularis ſi ſequatur mors, aut mutilatio accuſatoris. Quia ex improbatione, & calũnia accuſatoris, ſequitur mors, aut mutilatio; ergo verè influit in illam, & conſequenter manet irregularis. 7

Dico *Tertiò.* In ſecundo caſu quando patrocinium fertur pro accuſatore in cauſa iniuſta, ex qua prouenit quod accuſator occiditur, aut mutilatur tunc Aduocatus manet irregularis. Ratio eſt, quia talis Aduocatus dat operam rei illicitæ, ex qua ſequitur moraliter periculũ mortis. Quæ doctrina intelligenda eſt quando ipſe Aduocatus cognoſcit cauſam eſſe iniuſtam, tunc enim iniuſtus eſt ipſi accuſatori decipiendo illum, & 8

ideo

ideò ad omnia damna ſubſecuta accuſatori tenetur. Et idem dicendum quando ex ignorantia maximè culpabili, & vincibili Aduocatus ſuſcipit patrocinium accuſatoris in cauſa iniuſta. *Duæ tamen* Difficultates ſuperſunt à nobis explicandæ circa præfatam doctrinam; Vtrùm videlicet irregularitas, quam incurrit Aduocatus in caſu ſecundi, & tertij dicti ſit irregularitas homicidij voluntarij; An caſualis. Et Vtrùm quando Aduocatus ſolum fert patrocinium in fauorem Rei in caſu primæ Concluſionis, & ſequitur mors, aut mutilatio accuſatoris ſaltèm per accidens, An tunc incurrat irregularitatem homicidij caſualis?

9 Dico *Igitur Quartò*. In caſu ſecundæ Concluſionis irregularitas illa eſt irregularitas homicidij voluntarij; in caſu verò tertiæ Concluſionis eſt irregularitas homicidij caſualis. *Prima pars huius dicti probatur*. Quia tunc Aduocatus improbando accuſatorem, ſiue ei calumniam inferendo, intendit per ſe, & directè damnum illius, vel ſaltèm tale patrocinium ex natura ſua ad damnum, ſeu mortem accuſatoris dirigitur; ergo mors ſubſecuta eſt per ſe volita, ſiue voluntaria ipſi Aduocato. *Secunda autem pars probatur*. Quia patrocinium tunc nec ex intentione Aduocati (vt ſupponimus) nec etiam ex natura ſua ordinatur ad mortem, aut mutilationem accuſatoris, vt conſtat; ergo non habet rationem homicidij voluntarij ſecundùm Iuris diſpoſitionem, ſed caſualis, cum nec per ſe comparetur ad intentionem Aduocati, nec ad eius patrocinium.

10 Dico *Vltimò ad ſecundam Difficultatem*. Etiamſi ex vi legis inſeparabilis ſit mutilatio, aut mors accuſatoris a iuſta, & efficaci defenſione Rei, Aduocatus tamen efficaciter defendens Reum non incurrit irregularitatem, nec homicidij voluntarij, nec caſualis. Iſta Concluſio dependet ex dicendis à nobis *Diſput. ſequenti*. Probatur tamen nunc breuiter. Quia talis mors, aut mutilatio ſequitur omnino per accidens ad patrocinium Aduocati, qui aliàs etiam dat operam rei licitæ, vtpote in cauſa iuſta, ergo &c.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm accuſator in cauſa ſanguinis maneat Irregularis ſubſecuta morte, aut mutilatione Accuſati?

1 Videtur *Quod ſic*. Quia Accuſator non ſolùm eſt cauſa mortis ſubſecutæ, verùm inter præcipuas cauſas numeratur; ergo manet irregularis. In contrarium tamen eſt, quia experientia conſtat plures accuſare in cauſa ſanguinis abſque metu irregularitatis. In hac difficultate duo ſunt ſupponenda tanquam certa. *Primum eſt*. Quod Accuſator in cauſa Sanguinis morte ſubſecuta, ſi nullam fecit proteſtationem, manet irregularis. Et hoc conuincit ratio dubitandi propoſita. *Secundum eſt*. Quod ex Iuris diſpoſitione Accuſator in cauſa Sanguinis, etiam morte ſubſecuta, ſi duo efficiat in ipſa accuſatione, non manet irregularis: quorum primum eſt, ſi petat ſibi fieri emendam malefactoris accuſati, & prouideri ne de cætero talia delicta præſumantur contra ipſum malefactorem accuſatum. Et ſecundum eſt, quod expreſsè proteſtetur ſe vindictam, ſeu pœnam Sanguinis non intendere. Quæ duo expreſsè præcipiuntur fieri in *cap. Prælatis*; quod eſt Secundum *cap. de Homicidio in 6. l. 5. tit. 4.* vbi habetur ſic. *Prælatis, vel Clericis quibuſcumque de Laicis ſuis malefactoribus querelam pœnes ſecularem Iudicem deponentes petant emendam ſibi fieri, & prouideri ne de cætero talia contra ipſos præſumantur, expreſsè proteſtando quòd ad vindictam, vel pœnam Sanguinis non intendunt, non imputatur illis, quamuis aliàs in tali caſu de Iure debeat pœna Sanguinis irrogari, ſi Iudex mortem illis inferat Iuſtitia exigente*. Et quamuis conceſſio huius *cap.* ſolùm viſa ſit fieri Prælatis, & Clericis, Nihilominus vt in decurſu videbimus, extenditur ad alios.

Dico *Igitur Primò*. Conſultius, & probabilius eſt proteſtationem præfatam in illo *cap.* debere fieri in ipſa accuſatione, quamuis oppoſitum huius ſit etiam probabile, videlicet ſufficere, vt fiat ante mortem, vel mutilationem accuſati. *Probatur primò ſecunda pars huius Concluſionis*. Quia illa proteſtatio, quæ ponitur tanquam grauamen, non præcipitur ibi fieri pro certo, & determinato tempore; ergo ſufficit vt fiat ante mortem ſubſecutam, quia Ius nihil aliud expoſcit. *Prima tamen* pars Concluſionis à nobis tenenda, videtur colligi ex ipſo contextu, dum dicit *Deponentes querelam expreſsè proteſtando*, quaſi per hoc intendat, quod in ipſa querelæ depoſitione debeat fieri proteſtatio. *Item etiam*. Quia accuſatio ipſa, & alia acta accuſatoris contra Reum in cauſa criminali ex natura ſua, & per ſe ordinantur ad cauſam Sanguinis, & verum habent influxum in mortem ſubſecutam; ſed per proteſtationem factam paulò ante mortem non impeditur influxus, neque tollitur indecentia, quæ iam præhabetur in ipſa accuſatione facta; ergo vt impediatur influxus ipſius accuſationis, eo modo quo impediri poteſt, & vt tollatur indecentia ipſius in ordine ad mortem ſubſecutam, neceſſum eſt quod fiat ſtatim proteſtatio, quaſi determinatiua ipſius accuſationis. 2

Dico *Secundò*. Probabilius eſt, & Nobis tenendum, quod etiam ſi accuſator poſſet alia via ſibi ſatisfactionem comparare, ſine accuſatione coràm Iudice, poteſt tamen abſque periculo Irregularitatis incurrendæ accuſare Reum cum tali proteſtatione. Oppoſitum huius Concluſionis tenent aliqui Aothores, quos refert *Suarez in illa diſput. 47. ſect. 2.* Sed tamen noſtra Concluſio eſt communior doctrina. *Et ratio eſt*. Quia talis facultas accuſandi cum præfata proteſtatione conceditur abſolutè Clericis abſque limitatione aliqua, nec reſtringendo talem conceſſionem ad caſum neceſſitatis. *Et deinde*. Quia talis accuſatio non ſolùm ordinatur ad ſatisfactionem ipſius accuſatoris, ſed etiam vt prouideatur à Iudice, ne de cætero talia contra Clericos fieri præſumantur; ergo non ſolùm propter ſatisfactionem, ſed vt in futurum etiam prouideatur, poteſt quis licitè accuſare in cauſa Sanguinis, etiamſi ſatisfactionem ſibi alia via poſſet comparare. 3

Dico *Tertiò*. Quamuis Accuſator ſciat pœnam mortis eſſe infallibiliter infligendam ſecundùm legem, poteſt nihilominus cum tali proteſtatione accuſare malefactorem abſque periculo irregularitatis. Oppoſitum huius tenent Nonnulli, quos refert *Suarez* ibidem; ſed tamen probatur noſtra Concluſio. Et Ratio eius colligitur ex ipſo contextu in illis verbis, *Quamuis aliàs in tali caſu de Iure debeat pœna Sanguinis irrogari*. Quando autem in aliquo delicto à Iure eſt determinata pœna mortis, iam infallibilis eſt 4

talis pœna in illo caſu, ſi delictum ſufficienter probetur; ergo non obſtante tali infallibilitate mortis ſubſequendæ, determinat Ius poſſe fieri præfatam accuſationem ſine periculo Irregularitatis.

5 Dico *Quartò*. Quamuis mors non eſſet promerita pro delicto malefactoris, Iudex tamen ſua iniquitate, & malitia non ſeruato ordine Iuris facit occidi accuſatum malefactorem, adhuc nihilominus accuſans cùm illa proteſtatione non incurrit Irregularitatem. Iſta Concluſio ponitur à Nobis occaſione illius particulæ, *Iuſtitia Exigente*, quæ quidem particula non apponitur tanquam neceſſaria limitatio ad hoc, vt irregularitas non incurratur, ſed ſolùm intendit Legiſlator, quòd etiamſi accuſator petat ſatisfactionem ſibi fieri, quæ ſecundùm ordinem Iuris fieri non poteſt ſine pœna Sanguinis, adhuc Accuſator non incurrit irregularitatem. Ex quo à fortiori ſequitur, quòd multo minus incurrit illam ſi ſecundùm ordinem Iuris non eſſet imponenda pœna Sanguinis; ſed ſolùm imponatur iniquitate Iudicis. Et hac eadem ratione oſtendimus *art.3.* non incurrere irregularitatem illos, qui delegando iuriſdictionem, poſtea Iudices delegati, aut ſubdelegati occidunt contra iuſtitiam aliquos.

6 Sed *Contra determinationẽ huius* Capitis *poteſt eſſe Obiectio*. Nam in illo conceditur facultas, vt Accuſator petat emendã in futurum, quæ ſæpiùs fieri non poteſt, niſi occidatur malefactor, qui aliter non emendabitur; ergo Accuſatores ſic petentes emendam, ſubinde petunt mortem malefactoris. *Reſpondetur tamen negando conſequentiam.* Quia (vt diximus in illo *art.3.*) datur medium inter iſta duo, & illud eſt, petere vt fiat iuſtitia, & proſpiciatur bono cõmuni, cætera relinquẽdo arbitrio Iudicis ſæcularis. *Difficultas* tamen prima eſt circa iſtud *Cap.* An facultas accuſandi ſic conceſſa in illo Clericis, & Prælatis extendatur ad Laicos?

7 Dico *Quintò*. Secundùm Omnis Sententiam certum eſt talem facultatem ad Laicos extendi. *Cuius ratio eſt duplex.* Prima Quia cùm determinatio illa Iuris ſit fauorabilis ad vitandam irregularitatem, extendenda eſt etiam ad Laicos quia in illis eadem proſſus ratio reperitur. *Secunda ratio, & Confirmatio præcedentis eſt.* Quia multo maior indecentia reperitur in Clerico accuſatore, quàm Laico; ergo ſi ex benignitate, & fauore Iuris excuſantur Clerici ab irregularitate cum illa proteſtatione; à fortiori ex illa diſpoſitione excuſari debent Laici *Secunda Difficultas huic annexa eſt.* An hæc proteſtatio ſit etiam neceſſaria Laicis accuſantibus alios in cauſa ſanguinis? *Et videtur quod non.* Quia obligatio ad proteſtationem faciendam eſt grauamen, ac proinde odioſum, & ideò reſtringendum ad ſolos Prælatos, & Clericos, nec extendendam ad Laicos.

8 Dico *Tamen Sextò*. Ante determinationem illius *Capitis*, Quilibet ſiue Clericus, ſiue Laicus accuſans, nulla facta proteſtatione, manebat irregularis. *Hæc Concluſio eſt certiſſima*, & conſtat manifeſta ratione; Quia cùm talis accuſatio influat in mortem ſubſecutam, debet ſecundùm generalem diſpoſitionem Iuris incurri irregularitas; & ex alia parte non erat ſpeciale Ius ante iſtud *Cap.* excuſans ab irregularitate in tali caſu; ergo.

9 Dico *Septimo*. Ante determinationem illius *Cap.* quilibet accuſator, ſiue Clericus, ſiue Laicus, etiam facta proteſtatione manebit irregularis. *Probatur Concluſio.* Quia ante determinationem illius *Cap.* nulla facta proteſtatione incurrebatur irregularitas, ſed proteſtatio illa ante determinationem *Cap.* erat nullius momenti ad vitandam irregularitatem; ergo. *Minor in qua eſt difficultas Probatur;* Quia proteſtatio illa ex ſua propria ratione non habet impedire influxum ipſius accuſationis in ordine ad mortem ſubſequendam, eo quòd accuſatio illa per ſe, & ex ſua ratione habet influere in mortem; ergo per hoc quòd accuſans dicat ſe non habere intentionem vindictæ, nec pœnę Sanguinis, non impeditur effectus, qui per ſe ſequitur ad illam cauſam; quin potius, etiamſi de facto intentionem vindictæ non habeat, talis intentio non eſt efficax, ſed inefficax, qui enim vult cauſam per ſe alicuius effectus, vult conſequenter effectum ſubſequutum ad illam cauſam.

In quo maximè differt hæc proteſtatio ab intercesſione illa qua Eccleſiaſtici Iudices tradentes aliquem brachio ſæculari morte puniendum intercedunt pro ipſa, quia (vt diximus *art.3.*) talis traditio non eſt poſitiua actio influens in mortem ſubſecutam; vnde interceſſio illa non eſt ſimpliciter neceſſaria. Cæterùm hæc proteſtatio ſolùm ex Iuris benignitate habet non quidem impedire effectum accuſationis, quia hoc eſt impoſſibile, ſed excuſare ab irregularitate, quia cùm irregularitas ſolùm inducatur ex Iuris diſpoſitione, ex eadem excuſatur quis ab irregularitate, quamuis accuſatio per ſe influat in mortem ſubſequutam. 10

Dico *Octauò*. Hæc proteſtatio poſt determinationem illius *Cap.* ita eſt neceſſaria Laicis ſicuti, & Clericis. Itaque ſi Laicus accuſans in cauſa Sanguinis non faciat illam proteſtationem, manet Irregularis morte ſubſecuta. Concluſio iſta ſequitur neceſſariò ex præcedenti, & ex eius probatione. Nam ſi hæc proteſtatio ſolùm ex Iuris benignitate habet excuſare ab irregularitate, qui talem proteſtationem non facit in accuſatione, non erit vnde excuſari poſſit ab irregularitate. *Confirmatur.* Quoniam ſicut conceſſio iſta Iuris fauorabilis eſt, & idcirco extendenda ad Laicos, in quibus reperitur eadem ratio, ita conſimiliter quidquid grauaminis reperitur in illa ad eoſdẽ etiã extendendum eſt, nam qui ſentit commodum debet etiam, & damnum ſentire. Et per hoc patet ad Rationem dubitandi in oppoſitum. 11

Tertia *Difficultas* eſt circa illam particulam præfati *Cap.* videlicet *de Laicis ſuis malefactoribus.* An poſſit abſque periculo irregularitatis Clericus, ſiue Laicus accuſare non ſuos in cauſa Sanguinis non ſua, ſed aliena. *Et ratio dubitandi deſumitur ex ipſo Contextu* dum *de ſuis malefactoribus* dicit, poſſe fieri accuſationem. Et inſuper ex verbis ſubſequentibus videlicet, *Petant emendam*, id eſt ſatisfactionem ſibi fieri. Ex quo videtur colligi, quod non poſſit petere emendam, ſiue ſatisfactionem aliis, ac ſubinde in cauſa aliena non poterit accuſare ſine periculo irregularitatis. *Confirmatur.* Ex illis verbis, videlicet; *Et prouideri ne de cætero contra ipſos talia præſumantur fieri*, id eſt contra ipſos accuſatores. Ex quo videtur ſatis colligi hanc conceſſionem non poſſe extendi ad Accuſatorem in cauſa aliena, nam quamuis illa conceſſio fauorabilis ſit, extendi tamen non poteſt extra proprietatem verborum. 12

In *Hac Difficultate* in primis ſupponendum eſt tanquam certum inter omnes Doctores quod in cauſa aliena nullus ſiue Clericus, ſiue Laicus 13

poteſt

poteſt accuſare, aut denuntiare abſque periculo, irregularitatis quando talis acculatio, ſiue denunciatio non eſt in præcepto, ſed ſolùm eſt libera, etiamſi aliàs ſit licita. Id autem in præſenti poteſt habere Difficultatem, Vtrùm quando accuſatio, aut denunciatio eſt in præcepto, & neceſſaria in cauſa aliena, accuſans, aut denunciians maneat irregularis? *Secundò* ſupponenda eſt differentia, quæ verſatur inter *Accuſationem*, & *Denunciationem*, quoad præſens attinet, nam qui accuſatione vtitur tenetur ad probationem criminis, de quo accuſat, tenetúrque adhibere, & inquirere teſtes, & omnia alia, quæ ad conuincendam cauſam ſunt neceſſaria; ita quod ſi in probatione deficiat, punietur accuſator, vel pœna Talionis in aliquibus grauiſſimis cauſis, vel alia pœna in aliis. Cæterùm denuncians ad hoc non tenetur denunciatio enim nihil aliud eſt, quàm tradere notitiam Iudici de crimine, aut delinquente.

13 Secunda Autem differentia eſt ex parte finis, quam tradit *D. Thom.* 2.2. *quæſtion.* 68. *articul.* 2. Quòd *Denunciatio* ordinatur ad correptionem, & emendam fratris; *Accuſatio* autem ad punitionem criminis. Ex qua duplici differentia ſequitur alia in ordine ad cauſalitatem, ſeu influxum reſpectu mortis, aut mutilationis ſubſequutæ, quòd Accuſatio proximior, & ſpecialior cauſa eſt mortis ſubſequutæ, quàm Denunciatio, quia denunciatio ſolùm eſt vniuerſalis & remota cauſa, & potiùs videtur quędam occaſionalis cauſa. *Tertiò* ſupponendum eſt, quod *Denunciatio* poteſt Dupliciter fieri, *Vno modo* de delicto ſiue perpetrato, ſiue quod timetur perpetrandum, non tamen de delinquente in particulari; *Alio modo* poteſt fieri de crimine, & de ipſo delinquente.

14 Dico *Igitur nonò*. Ex hoc ſolùm, quod denunciatio facta ſit in præcepto, non ſequitur quòd mors, ſiue mutilatio ſubſecuta ad denunciationem non inducat irregularitatem, ſi denunciatio ſit in cauſa aliena. Iſta Concluſio eſt certiſſima, & manet probata ex dictis a Nobis ſupra. Nam occaſio facta a Iudice ſæpe eſt in præcepto, & tamen ex hoc Iudex non euadit irregularitatem.

15 Dico *Decimò*. Licitum eſt denunciare abſque periculo irregularitatis incurrendæ, quando denunciatio eſt in præcepto, & de aliquo grauiſſimo damno imminenti proximo, vel bono communi, ad quod impediendum neceſſarium medium ſit denunciatio. Hanc Concluſionem admittimus cum *Caietano* 2. 2. *quæſt.* 63. *art.* 7. & aliis Authoribus, quos refert, & ſequitur *Suarez tom.* 5. *diſp.* 47. *ſect.* 2. Fundamentum autem potiſſimum *Caietani* eſt. Quoniam Eccleſia non poteſt prohibere id, quod eſt de Iure naturæ, quia ſicut gratia perficit naturam, & non deſtruit, ita Ius Eccleſiaſticum perficit Ius naturale, & non deſtruit, Denunciatio autem in caſu huius Concluſionis eſt de Iure naturæ, vtpotè debita fieri ex præcepto naturali ad vitandum magnum damnum proximi, ſiue boni communis. *Hac tamen* Ratio ſicut nimis vniuerſalis eſt, ita & parum efficax ad propoſitum, & habet manifeſtam inſtantiam, nam de Iure naturæ eſt vt Iudex occidere faciat malefactores, præſertim nociuos bono communi, & tamen Ius Eccleſiaſticum imponit irregularitatem Iudici ſic occidenti. *Efficax igitur* probatio huius Concluſionis deſumi debet ex præfato *Cap. Prælatis*. Nam denunciatio cum his circunſtantiis, & conditionibus facta habet vrgentiorem rationem, vel ſaltèm eandem prorſus, quæ reperitur in accuſatione, qua quis querelam deponit de ſuis malefactoribus, vbi autem eſt eadem ratio, eadem videtur eſſe Iuris diſpoſitio.

Et *Hoc quidem amplius explicatur*. Nam in accuſatione petit quis emendam, ſiue ſatisfactionem ſibi fieri: in denunciatione autem quando grauiſſimum imminet damnum proximi, aliquid amplius expoſtulat denuncians, *Tum* quia illud grauiſſimum malū adhuc imminet, & vitari poteſt per denunciationem; Accuſator autem iam paſſus eſt malum, & iniuriam, & ſolùm expoſtulat emendam. *Tum etiam* quia grauiſſimum malum impedire nō eſt minoris, ſed Potiùs maioris momenti, quàm expoſtulare emendam poſt iniuriam ſibi factam; ergo ex hac parte vrgentior ratio, vel ſaltèm eadem eſt in denunciatione. *Ratio verò* alterius, quòd ſubſequitur, videlicet quod accuſator petit prouideri ne de cætero contra ipſum talia præſumantur, eadem prorſus ratio eſt, imò vrgentior. 16

Dico *Vndecimò*. In caſu præcedentis Concluſionis facienda eſt expreſſa proteſtatio, non ſecus hac in accuſatione in cauſa propria iuxta determinationem illius *Cap. Prælatis*; aliàs denuncians incurret irregularitatem, morte, aut mutilatione ſubſecuta. *Concluſio iſta euidenter, & neceſſario ſequitur ex præcedenti.* Quia ſi poteſt quis denunciare abſque periculo irregularitatis in caſu *præcedentis Concluſionis* ex hoc ſolùm quòd conceſſio facta in iſto *Cap. Prælatis* accuſatori in cauſa propria extenditur propter eandem rationem ad denunciationem, quæ eſt in præcepto in cauſa aliena; neceſſariò ſequitur, quòd facienda ſit in denunciatione eadem expreſſa proteſtatio, quæ determinatur in eodem *Capit.* facienda in accuſatione, vt euitetur irregularitas. 17

Dico *Duodecimò*. Per denunciationem de delicto perpetrando, quando ſufficienter prouidetur malo imminenti ſine denunciatione, ſeu detectione delinquentis, non poteſt fieri denunciatio de ipſo delinquente in particulari abſque periculo irregularitatis. *Probatur*. Quia in iſto caſu non eſt neceſſaria denunciatio de delinquente in particulari, cùm per aliam denunciationem in communi de delicto perpetrando ſufficienter prouideatur; ergo in hoc caſu, ſi fiat denunciatio de delinquente in particulari, non ſaluatur, quòd talis denunciatio ſit in præcepto, & neceſſaria, & conſequenter non reperitur in illa denunciatione ratio excuſans ab irregularitate, ſicut reperitur in accuſatione in cauſa propria, vt diximus in decima Concluſione. *Confirmatur*, Quia denunciatio de delinquente proximior cauſa, & magis ſpecialis eſt in ordine ad mortem ſubſecutam, quàm denunciatio in communi de delicto ſolùm; ſed in accuſatione, vel denunciatione eſt vitanda communis cauſalitas, quæ vitari poteſt, aliàs incurretur irregularitas; ergo multò magis vitanda eſt denunciatio de delinquente in particulari. 18

Dico *Tertiò-Decimò*. Si aliquando contingat, quòd accuſatio ſit in præcepto, & neceſſaria ad vitandum aliquod grauiſſimum malum futurum imminens, ita vt per denunciationē non poſſit tali malo ſufficienter prouideri, tunc idem dicendum eſt, de accuſatione iſta, atque de denunciatione cum conditionibus, & limitationibus iam expli- 19

catis, *Hæc Concluſio eſt contra plures Authores.* Nihilominus ſequitur manifeſtè, ex *præcedenti*, Quia militat eadem ratio pro illa atque pro ipſis. Et notandum, quod quamvis *D. Thom. Quæſt.* 68. *art.* 1. doceat accuſationem eſſe aliquando in præcepto, loquitur de accuſatione in ordine ad delictum iam perpetratum. Nos autem etiam ad delictum perpetrandum, & imminens loquimur in iſta Concluſione.

20 Sed *Inquires:* An accuſatori in cauſa propria licitum ſit abſque periculo irregularitatis indicare locum vbi delinquens comprehendi poſſit? Et ſimiliter vtrùm poſſit accuſator Clamare, quando delinquens fugit, vt ab aliis detineatur, & comprehendatur, & vtrùm ipſe accuſator poſſit illum detinere vſque dum à Miniſtris iuſtitiæ comprehendatur? *Videtur quod non poſſit*, Tum quia accuſatori ſolùm conceditur, vt poſſit petere emendam, & ſatisfactionem, non autem ex hoc ipſo ei conceduntur aliæ actiones diſtinctæ: *Tum etiam* quia iſtæ actiones potiùs videntur pertinere ad executionem iuſtitiæ, & punitionem, quia ſicut comprehendere delinquentem pertinet ad Miniſtros iuſtitiæ, ita etiam actiones iſtæ, quæ per ſe, & immediatè ad iſtam comprehenſionem ordinantur, conſequenter ſunt executiones inchoatiuè iuſtitiæ poſtea efficiendæ.

21 Ad *Hæc reſpondeo ſub diſiunctione.* Nam ex his actionibus, vel ſequitur morale periculum, quod malefactor à priuatis hominibus occidatur fortè dum ipſe intendit ſe ab illis defendere, & fugere, aut verò non eſt tale morale periculum, ſed ſolùm quòd comprehendatur, & à Iudice puniatur. *Et quidem ſi primo modo fiat*, non excuſatur accuſator ab irregularitate, eo quod talis occiſio præuiſa, & ſubſecuta imputatur ei, & cum illa inducat irregularitatem in omnes, qui ſunt cauſa illius, conſequenter inducit irregularitatem in accuſatorem. Et in hoc videntur communiter conuenire Doctores. Sed tamen oportet aduertere, quod ſi morale illud periculum regulariter, & quaſi per ſe ſequatur ſuppoſita hominum malitia, tunc veriſſima eſt iſta Doctrina, ſi tamen non ſequatur regulariter, & quaſi per ſe, ſed omnino per accidens, tunc nulla inducitur irregularitas in accuſatore iuxta dicta à nobis *diſputatione ſecunda, huius tract.* At verò ſi abſit tale periculum morale, nulla incurritur irregularitas. Ita tenent plures Authores, quos refert & ſequitur *Suarez in illa diſputatione quadrageſima ſeptima, ſectione ſecunda.* Et ratio huius eſt. Quia iſtæ actiones non tam ordinantur in punitionem delinquentis propter crimen perpetratum, quam ad emendam, & Satisfactionem accuſatoris, & ad prouidentiam in futurum, ne iterùm tale crimen fiat, & idcircò ſicut accuſatori conceditur accuſatio, & petitio emendæ, etiamſi huic ſit annexa pœna mortis, ita etiam conceduntur aliæ actiones, quæ ad emendam, & ſatisfactionem ordinantur, quales ſunt illæ de quibus in iſto dubio, quæ quidem ad accuſationem conſequenter ſe habent. Et ex dictis conſtat ſolutio ad rationem dubitandi.

22 Quarta *difficultas* eſt circa illam particulam præfati *capit.* videlicet, *Penes Iudicem ſæcularem*, An accuſator coram Eccleſiaſtico Iudice de crimine, propter quod ſi probetur, deberet accuſatus tradi brachio ſæculari puniendus morte, teneatur tunc accuſator ad vitandam irregularitatem facere illam proteſtationem? *Et videtur quod ſic*, Tum ex illa particula, *Apud Iudices ſæculares*, ex qua colligitur eandem eſſe rationem ſi fiat accuſatio coram Iudice Eccleſiaſtico, ſiquidem ex vtraque accuſatione ſecuta eſt mors, ſiue mutilatio; ergo ſicut incurritur irregularitas facta accuſatione coram Iudice Sæculari ſine proteſtatione, eodem modo incurretur irregularitas ſi fiat accuſatio coram Iudice Eccleſiaſtico ſine tali proteſtatione. *Confirmatur.* Nam ſæpè contingit quod Iudex Sæcularis, cui traditur ab Eccleſiaſtico Iudice reus puniendus pœna mortis, nullam aliam adhibeat probationem, ſed ſolùm mediante probatione data ſibi à Iudice Eccleſiaſtico, condemnet Iudex Sæcularis reum ad mortem; ergo qui accuſauit hunc reum coram Iudice Eccleſiaſtico, qui tradidit reum Sæculari Iudici, incurret accuſator irregularitatem ſi accuſet ſine proteſtatione.

Dico *tamen ad iſtam difficultatem* Accuſator in tali caſu, quamvis non faciat proteſtationem, non tamen incurrit irregularitatem, etiam ſi poſtea ſequatur mors delinquentis accuſati inflicta per Iudicem Sæcularem; imò neque Teſtes, neque Aduocatus, nec alius Miniſter iuſtitiæ agentes coram Tribunali Eccleſiaſtico de cauſa, propter quam delinquens tradendus eſt brachio ſæculari pœna mortis puniendus, non incurrunt irregularitatem, quinimò nec aliquis iſtorum incurrit illam in præfato caſu, etiamſi ipſemet Iudex Eccleſiaſticus vellet pœnam mortis inferre cum ſuo periculo irregularitatis. Vnde quamvis hoc præuideant alij Miniſtri præfati, non incurrunt irregularitatem. *Iſta Concluſio quoad omnes ſuas partes probatur.* Quoniam accuſator, & alij Miniſtri agentes coram illo Iudice Eccleſiaſtico, nec intendunt, nec volunt per ſe loquendo mortem ſubſecutam, nec ad illam ordinantur eorum actiones, ſed ſolùm ad ſatisfactionem, & emendam, & prouidentiam in futurum, ne delinquens iterùm talia faciat, vnde illi iam dant operam rei licitæ, & vtuntur iure ſuo; ergo. 23

Confirmatur. Nam accuſator, & alij, illorúmque actiones nullatenus reſpiciunt niſi præcisè ad id, quod iuſtè poteſt efficere Iudex Eccleſiaſticus, qui quidem nullatenus iuſtè poteſt per ſe ipſum infligere pœnam Sanguinis, ſed ſolùm dimittere reum à ſua iuriſdictione, & committere illum iuriſdictioni Sæculari, ſed ex hoc facto Iudex ipſe non incurrit irregularitatem, ergo multò minùs alij Miniſtri agentes coram ipſo, ſiquidem ſunt remotiores cauſæ mortis poſtea infligendæ per Iudicem Sæcularem. *Minor huius rationis conſtat ſatis ex dictis à nobis art.* 3. *huius diſp.* 24

Confirmatur *denique.* Nam ſi quis accuſet, ſiue alio modo agat contra reum coram Iudice Sæculari propter crimen, quod non eſt dignum pœna Sanguinis, nullatenus incurrit irregularitatem, quamvis præuideat Iudicem eſſe iniquum, & inflicturum contra Ius pœnam Sanguinis; ergo à ſimili in noſtro caſu. *Confirmatur tandem ex ipſa experientia.* Nam denunciantes, & accuſantes coram Inquiſitoribus in cauſa ſanguinis non incurrunt irregularitatem, quamvis ſciant reum tradendum brachio ſæculari, & puniendum pœna mortis, vt diximus in illo *articulo tertio. Ad rationem autem dubitandi in oppoſitum iam conſtat* accuſatorem, aliósque Miniſtros in caſu huius dubij non eſſe concauſas, nec cooperari ad mortem cum Iudice ſæculari, ſed eorum actio terminatur ſolùm ad id, quod poteſt facere Iudex Eccleſiaſticus iuſtè. 25

Quinta

26 Quinta *Difficultas* eſt circa aliam particulam *capit.* videlicet, *Quod vindictam, & pœnam ſanguinis non intendat*, An accuſatores debeant habere veram intentionem, vt non ſequatur vindicta, & pœna ſanguinis; An verò ſufficiat illis proteſtatio exterior facta conformiter ad Ius illius *cap.* quamvis interius habeant intentionem, vt reus occidatur? *In hac* difficultate *Suarez in illa diſputatione 47. ſectione 5.* & alij, quos refert, tenent non requiri hanc rectam intentionem, ſed ſolùm exteriorem proteſtationem ad vitandam irregularitatem. *Et fundamentum illorum eſt.* Quia talis proteſtatio eſt grauamen, ac ſubinde non extendendũ ita vt obliget accuſatorem ad habendum illam rectam intentionem interiorem, ſed potiùs reſtringendum ad ſolam proteſtationem exteriorem iuridicam, quia iſtam tantùm expoſcit illa lex. *Confirmatur.* Quia illa proteſtatio quamvis relata ad voluntatem accuſatoris videatur ficta, nihilominus in ordine ad intentionem legis eſt vera proteſtatio, quia lex nec reprobat, nec approbat, ſeu expoſcit illam rectam intentionem interiorem.

27 Dico *tamen ad iſtam difficultatem*, Probabilius eſſe requiri illam rectam intentionem cum proteſtatione ad vitandam irregularitatem. Iſtam Concluſionem tenent alij plures Authores, quos ibidem refert *Suarez*. Et ratio potiſſima eſt. Quia niſi accuſator habeat hanc rectam intentionem, abſque dubio volens interius mortem delinquentis, habet verè, & realiter, & per ſe influxum in illam mediantibus ſuis actionibus exterioribus; ergo verè incurrit irregularitatem homicidij voluntarij iniuſti, non quidem ex parte obiecti, ſiquidem reus erat dignus pœna mortis, ſed ex parte ſubiecti, cui prohibitum erat velle talem mortem, ſi accuſator erat Clericus, cui licitum non eſt velle cauſam ſanguinis. Si autem accuſator erat ſæcularis, cui non prohibetur velle iſtam mortem, vtporè iuſtam, incurrit irregularitatem homicidij voluntarij iuſti. *Confirmatur, & ſimul diſſoluitur fundamentum oppoſitum.* Nam in illo caſu quamvis in foro exteriori non ſit condemnandus vt irregularis ille, qui accuſat cum proteſtatione ſine recta intentione, quia ſeruat exterius præceptum illius legis poſitæ in *capit. Prælatis*, nihilominus in foro interno animæ iudicandus eſt irregularis. Vnde Fundamentum in oppoſitum ſolùm probat de irregularitate conſiderata in foro iudiciali exteriori.

28 Vltima *difficultas*, an accuſator iniuſtè procedens, ſeruans tamen omnia quæ in præfato *capiti* decernuntur, vitet irregularitatem? *Partem* affirmatiuam tenent aliqui, quos ibidem refert *Suarez*, Quorum Fundamentum eſt. Quia accuſatori in illo *capit.* confertur priuilegium, quod immunis ſit ab irregularitate, ſi ſeruet omnia, quæ ibi decernuntur, ſed ibi non decernitur accuſationem debere eſſe iuſtam; ergo.

29 Dico *tamen vltimo.* Accuſator iniuſtè procedens in ordine ad accuſatum, quantumcumque faciat proteſtationem, & ſeruet omnia alia decreta in illo *capit.* morte tamen ſubſecuta, ſiue mutilatione, manet irregularis. Iſta Concluſio eſt communis Doctrina. *Et probatur*; Tum quia priuilegium ibi conceſſum accuſatoribus nullo modo fauet illorum iniquitati, ſed non habent vnde aliàs excuſentur ab irregularitate, niſi per illud priuilegium; ergò. *Tum quia* priuilegium illud concedit accuſatori facultatem contra malefactores accuſandi illos, vt non habeant liberam poteſtatem trucidandi Clericos; & ipſorum bona deprædandi, ſi enim Clerici non poſſent accuſare ex metu irregularitatis, non euaderent tot malefactorum damna. Ex qua ratione manifeſtè colligitur, quòd intentio Legiſlatoris ſit tollere periculum irregularitatis, quando accuſatores intendunt euitare iſta damna, & non aliàs. *Tum* denique, Quia in illo *capit.* conceditur hoc priuilegium in ordine ad emendam, ſeu ſatisfactionem, & ad prouidendum, ne in futurum talia fiant contra Clericos; ſed in ordine ad iſtum finem nullo modo poteſt intendere Legiſlator liberare ab Irregularitate accuſatorem iniquè procedentem contra illum, cuius non eſt neceſſaria emenda, nec ſatisfactio, nec prouidentia illa in futurum, ergo, &c.

Articvlvs V.

Vtrùm ferens teſtimonium in cauſa Sanguinis iuſta ſubſecuto effectu fiat Irregularis?

Pro *huius reſolutione notandum eſt.* Quòd Teſtis poteſt ferre teſtimonium vel in cauſa criminali Sanguinis, vel in cauſa Ciuili. Et quidem in cauſa Ciuili dupliciter. *Vno modò* ita vt teſtificando de cauſa Ciuili inuoluatur delictum criminale Capitis, ſine cuius delicti manifeſtatione non poteſt teſtificari de cauſa Ciuili; & ideò teſtificatur etiam de illo delicto Criminali. *Alio modo* poteſt teſtificari de cauſa Ciuili præciſè, ſed tamen Iudex ex illo teſtimonio accipit indicia, & occaſiones ad inquirendum etiam ab alijs Teſtibus de cauſa criminali capitis propter quam tandem reus occiditur. *Secundò notandum eſt.* Quod Teſtis poteſt ferre teſtimonium in cauſa Sanguinis iuſta vel offerendo ſe libenter, quamvis nullo teneatur præcepto, aut obligatione ad teſtificandum; vel poteſt teſtificare, eo quia præcepto naturali tenetur ferre teſtimonium, & præſertim ſi interrogetur à Iudice ſecundùm Ius, & mediante iuramento. *Tertiò autem modò* poteſt teſtificare, non quia vltro ſe offert, nec quia tenetur iure naturali, ſed quia cogitur per metum cadentem in virum conſtantem. *Tertiò notandum eſt.* Quod in his omnibus modis teſtificandi Teſtis poteſt apponere proteſtationem, de qua diximus *artic. præcedenti* vel poteſt non apponere aliquam proteſtationem. 1

Dico *Igitur Primò.* Si Teſtis voluntariè, & ſpontaneè ferat teſtimonium in cauſa Sanguinis, quantumcumque iuſta, ſubſecuto effectu manet irregularis, etiamſi faciat proteſtationem. Iſta Concluſio eſt communis Sententia tam Theologorum, quàm Iuriſperitorum; quos refert, & ſequitur *Suarez in illa diſputatione quadrageſima ſeptima, ſectione tertia, & Stephanus de Aula part. ſeptima, diſputatione quinta; ſectione ſecunda, dubio duodecimo*, Et ratio huius Concluſionis eſt eadem, quam ſupra attulimus *art.* 1. ad probandum Iudicem incurrere irregularitatem propter latam Sententiam mortis ſubſecutæ. *Confirmatur.* Quia (vt diximus *art. præcedenti*) ex benignitate Iuris ſolùm prouenit, vt 2

proteſtatio impediat effectum irregularitatis in accuſatore in cauſa propria, & in aliena quando dũtaxat interuenit præceptum; ſed Teſtis agit cauſam alienam, nec interuenit præceptum teſtificandi (in hoc enim caſu procedit iſta Concluſio) ergo quantumcumque adhibeat proteſtationem manet Teſtis irregularis. *Confirmatur demque*, Quia (vt videbimus in hoc articulo) priuilegium illud immunitatis ab irregularitate conceſſum in *c. Prælatis* cum illa proteſtatione nullatenus extenditur ad Teſtes.

3 Dico *Secundò*. Quando Teſtis fert teſtimonium in cauſa Ciuili manifeſtando tamen crimen capitale Sanguinis, effectu ſubſecuto, vel quando fert teſtimonium in cauſa Sanguinis iuſta, ſiue teneatur ex præcepto, ſiue cogatur metu cadente in virum conſtantem, manet irregularis effectu Sanguinis ſubſecuto, quamvis faciat proteſtationem. Iſta Concluſio eſt communior Sententia quoad omnes ſuas partes, quamvis oppoſitum teneat *Doctor Auila*, vt probabile vbi ſupra in caſu quo Teſtis tenetur iure naturali ferre teſtimonium. Et *Fundamentum pro iſto Authore poteſt eſſe*, Quia (vt diximus *art. præcedenti*) accuſator, imò alij ſunt immunes ab irregularitate, quando in cauſa aliena tenentur ex præcepto accuſare, vnde ſi id faciant facta proteſtatione, quamvis ſint Laici accuſatores, extenditur ad illos priuilegium conceſſum in *capite Prælatis, & Clericis quibuſcumque*; ergo illud priuilegium extendi debet ad Teſtem, quando ex præcepto naturali tenetur teſtificare. *Confirmatur*. Nam ſi illud priuilegium non extendatur ad Teſtes erit inutile reſpectu accuſatoris, ſiquidem inanis eſt accuſatio, quæ Teſtibus comprobari non poteſt. Si autem Teſtis incurrit irregularitatem, non poterit accuſator commodè probare ſuam accuſationem.

4 Nihilominus probatur noſtra Concluſio quoad omnes ſuas partes. Nam in caſibus huius Concluſionis Teſtis per ſe influit in mortem rei ſubſecutam; ergo incurrit irregularitatem homicidij voluntarij. *Antecedens Probatur*. Nam quando teſtificatur de cauſa Ciuili reuelando tamen crimen capitale Sanguinis, & teſtificando de illo, per ſe iſtud teſtimonium influit in mortem rei ſubſecutam. Et ſimiliter quando ex præcepto naturali teſtificatur. Quando autem ex metu maior videtur eſſe difficultas, quia Teſtis videtur procedere inuoluntariè, ſed tamen quamvis ſecundùm quid ſit inuoluntarius, nihilominus abſolutè, & ſimpliciter eſt voluntarius. *Secundò probatur Concluſio* ex differentia, quæ in hac parte per ſe verſatur inter accuſatorem, & Teſtem, nam Teſtis eſt proxima cauſa mortis, non autem accuſator, quinimò teſtimonium teſtium eſt adæquata menſura, ſecundùm quam Iudex profert Sententiam mortis ſubſecutæ, vnde Teſtes ſe habent ex parte Iudicis, ac ſubinde incurrũt irregularitatem ſicut Iudex. Accuſatio autem nullo modo eſt regula ferendæ Sententiæ mortis, ſed habet ſe multùm remotè. Et ex hoc Reſpondetur ad Fundamentum contrarium poſitum in iſta Concluſione. Et ad confirmationem facilè dicimus, Quod quamvis Teſtis incurrat irregularitatem, non redditur inutilis accuſatio accuſatoris, ſiquidem etiam Iudex proferendo Sententiam incurrit irregularitatem ſicut Teſtis teſtificando.

5 Dico *Tertiò*. Si Teſtis ferat teſtimonium in cauſa purè Ciuili, quamvis inde Iudex ſumat indicia ad inquirendum de cauſa criminali, qua comprobata per alios Teſtes, ſequitur mors delinquentis, nihilominus ille Teſtis non incurrit irregularitatem aliquam, etiamſi nullam faciat proteſtationem. Iſta Concluſio eſt communis Sententia, & probatur facilè. Quia illa mors ſequitur omnino per accidens ad teſtimonium teſtificantis præcisè de cauſa Ciuili, qui inſuper dat operam rei licitæ; ergo nullatenus imputatur illi mors ad incurrendam aliquam irregularitatem.

Arguitur contra naturam Reſolutionem. Quia 6
vt habetur in *libro 5. Decret. Tit. 12. capit. 19. Paragrapho vltimo*. Quando aliquis præbet ſigna manifeſta, vt illis comprehendatur fur, qui poſtea damnatus fuit ad mortem, Conſultus Pontifex decreuit immunem fuiſſe ab irregularitate, qui talia prodidit ſigna, qui vtique erat Scholaris; ergo à fortiori, qui reddit teſtimonium in cauſa Sanguinis iuſta non fit irregularis. *Probatur Conſequentia*. Nam maius eſt præbere ſigna, quibus euidentiùs comprehenditur fur, & occiditur, quàm ferre teſtimonium de furto. *Confirmatur*. Quia vt habetur in eodem *Libr. Tit. 18. capit. 4. Qui furti conſcius eſt, & non reuelat poſſeſſori quærenti furem, occidit animam ſuam, quia fit particeps delicti furis*. Ergo ſecundùm illud *capit.* non ſolùm poteſt ſine irregularitate, ſed potiùs tenetur detegere furem; ſed nihil aliud facit Teſtis, ergo non incurrit irregularitatem.

Reſpondetur. Quod in *capit.* ibi citato excuſa- 7
tur ab irregularitate ille, qui prodidit ſigna quibus comprehenderetur fur, ex eo quia exiſtimauit non eſſe occidendum furem, ſed ſolùm auferendum ab eo quædam, & ipſe quidem puniendus, non tamen cauſa Sanguinis: ſi enim manifeſtaret furem, quem prudenter exiſtimaret occidendum, aut mutilandum, maneret irregularis, qui prodidit illum, de quo legatur *Stephanus de Auila part. 7. diſput. 5. ſect. 2. dubio 15. Ad Confirmationem* Reſpondetur, in illo *capit.* ſolùm decerni fieri participem delicti furti illum, qui non manifeſtat Latronem, dum tenetur manifeſtare, ac ſubinde teneri ad reſtitutionem tanquam *Non manifeſtans*. Ex hoc autem nullatenus colligere licèt non fieri irregularem, qui manifeſtat latronem occidendum, quia quantumcumque iuſtè manifeſtet, fiet irregularis ex homicidio voluntario iuſto, cum ſit per ſe cauſa illius.

Articvlvs VI.

Vtrùm quomodolibet Concurrentes ad mortem, ſeu mutilationem fiant irregulares?

Dico *Primò*. Tabelliones, & Procurato- 1
res, & Sollicitatores, & alij æquales, aut inferiores miniſtri iuſtitiæ incurrunt irregularitatem morte, ſiue mutilatione delinquentis ſubſecuta. Probatur ex illo *Capit. Aliquantos ſæpè cit. Diſt. 51.* Vbi vniuerſaliter ponitur irregularitas pro omnibus huiuſmodi Curialibus. Interpretes autem illius *Capitis* intelligunt per *Curiales* huiuſmodi Miniſtros iuſtitiæ, ergo.

Dico *Secundò*. Iſti Miniſtri iuſtitiæ, quan- 2
diu in huiuſmodi cauſis curialibus exercentur, ſunt irregulares, etiam morte, aut mutilatione non ſubſecuta.

ſubſecuta,ſi tamen hoc exercitium ex animo verè deſerant, deſinunt eſſe irregulares, & poſſunt ad ſacros ordines promoueri, dummodo verſati non fuerint in cauſa mortis, aut mutilationis de facto ſubſecutæ aut poſtea infallibiliter ſubſequendæ. Iſta Concluſio eſt communis Doctrina, & probatur ex eodem *cap. aliquantos, & alijs*, in quibus decernitur hos Curiales non poſſe ad ſacros ordines promoueri, dum in huiuſmodi negotiis verſantur, benè tamen illis derelictis, ſi tamen mors, aut mutilatio non ſubſequatur.

3 Dico *Tertiò*. Cuſtodes carceris, in quo detinentur delinquentes, qui puniuntur morte, aut mutilatione incurrunt irregularitatem, ſiue ſint miniſtri, & Cuſtodes immediati, ſiue Superiores & Gubernatores carceris, & maximè illi, qui detinent delinquentes, qui propter durum, & aſperum carcerem moriuntur ibi. *Iſta Concluſio etiam eſt communis Doctrina, & probatur.* Quia omnes iſti Cuſtodes influunt per ſe in mortem, aut mutilationẽ, & quamvis non efficienter phyſicè, concurrunt tamen moraliter, ſaltem in genere cauſæ diſpoſitiuæ, & quaſi materialis, & hoc ſufficit ad incurrendam irregularitatem. Et quidem de immediatis Cuſtodibus carceris loquendo, nullam habet Concluſio difficultatem quamvis aliquam videatur habere, ſi fiat ſermo de ſuperioribus Cuſtodibus carceris: eo quià iſti ſæpè ignorant quinam delinquẽtes ibi detineantur, aut propter quæ crimina ſint ibi. Nihilominus quia ex Iuſſu, & gubernatione horum ſuperiorum, alij miniſtri inferiores exercẽt ſuas operationes Cuſtodiæ erga delinquentes, ideò eadem eſt ratio de omnibus Cuſtodibus Carceris, quià non ponit in numero, ſed eſt eadem actio miniſtri, & ſuperioris agentis.

4 Dico *Quartò*. Medici, & Chirurgi non incurrũt irregularitatem, etiamſi mors, aut mutilatio infirmi ſubſequatur, dum tamen adſint duæ conditiones, quarum prima eſt illos eſſe peritos in ſua arte, & ſecunda eſt adhibere ſufficientem diligentiam. Si tamen iſtarum aliqua conditio defuerit fiunt Irregulares. Iſtam Concluſionem tenent omnes Theologi, & Iuriſperiti in illo *Capit. Tua nos, ſæpè cit.* Et Ratio eſt manifeſta. Quia ſeruatis illis conditionibus mors, aut mutilatio ſequitur omnino per accidens, & ex altera parte dant operam rei licitæ; ergo non incurrunt irregularitatem. *S*ecùs tamen eſt deficiente aliqua conditione. Iſta concluſio Intelligitur de Medicis, & Chirurgis ſæcularibus, nam Clericis, & Monachis non eſt licitum hoc munus exercere, niſi habita diſpenſatione. Ita colligitur ex illo *c. Tua nos.*

5 Dico *Quintò*. Alij ferentes exercitium pietatis erga infirmos, ſi adhibeant ſufficientem diligentiam, ne ſequatur, aut acceleretur mors, nullam incurrunt irregularitatem, quamvis de facto ex eorũ cura, & actione ſequatur mors. Secùs tamen ſi non adhibeant ſufficientem diligentiam, & ſequatur, aut acceleretur mors ex eorum actione, & cura, ſine incoria, incurrunt irregularitatem. Iſta concluſio probatur eadem ratione qua præcedens.

6 Sed circa Hactenus dicta in iſto dubiò, & alia, quæ ſupererant dicenda ſufficiat Regula generalis obſeruanda, quæ eſt huiuſmodi. Quando actio proximè, & per ſe influat in mortem, ſiue mutilationem inducit irregularitatem; non tamen ſi concurrat remotè, & per accidens. Et quidem non eſt cenſenda cauſa remota illa, quæ mediantibus aliis proximis cauſis concurrit ad mortem, ſeu mutilationem, nam Iudex tanquam cauſa vniuerſalis ſuperior concurrit mediantibus aliis proximis cauſis ad mortem, & tamen manet irregularis: actio igitur illa debet cenſeri remota, cuius effectus omnino terminatur ad alium finem, qui non eſt mors, aut mutilatio, nec ſequitur per ſe mors, aut mutilatio ex illo fine, vt conſtat in Iudice Eccleſiaſtico dimittente à ſua iuriſdictione reum, & remittente illum iuriſdictioni ſæculari. Ex quo fit vt Tortores delinquentium, quando in ipſa tortura non moriũtur, nec mutilantur, nec ſequitur per ſe mors, aut mutilatio ex ipſa afflictione torturæ, non manent tortores irregulares, cùm tamen maneat irregularis quicumque profetat Sententiam mortis. Illi tamen, qui adſtant huiuſmodi Sententiæ non manent irregulares, qui ibi conuenerunt per accidẽs.

Ex *dictis ſequitur*. Quod ſi Iudex conſulat Clericũ de crimine alicuius malefactoris digno morte, aut mutilatione, poterit Clericus ſine metu irregularitatis contrahendæ reſpondere in communi, dicendo tale delictum ſecundùm Ius eſſe plectendum morte, aut mutilatione. Si tamen Clericus cõſulatur in particulari caſu, v.g. Petri malefactoris, ſi ex reſponſione Clerici quaſi Aduocati Vices gerentis ſequenda foret mors, aut mutilatio manebit irregularis; ſi tamen abſque reſponſione Clerici infligenda erat infallibiliter mors, aut mutilatio, tunc quamvis dicat Iudici Petrum eſſe dignum morte, aut mutilatione, non manet Clericus irregularis. Iſta Doctrina eſt communis Authorum, & illos refert *Stephanus de Auila part. 7. diſp. 5. dict. 2. dub. 6.* Ex dictis etiam colligitur. Quod debeat facere confeſſarius, cui conſtat, quod pœnitens, v.g. Iudex, cuius confeſſionem audit, non vult interficere malefactorem dignum morte ſecundùm Ius, tunc enim Confeſſarius licitè poterit abſque incurſione irregularitatis, imò debet dicere Iudici, nolo te abſoluere, niſi firmiter proponas punire vniuerſos malefactores ſecundùm Ius, quamvis Confeſſarius ſciat ſecuturam eſſe ex hoc infallibiliter mortem Petri in particulari. *Hoc probatur* ex illa regula ſupra poſita, vnde à fortiori ſunt in minori periculo irregularitatis Prædicatores, qui ſæpè perſuadent Iudicibus, vt puniant malefactores, & reprehendunt Iudices acerrimè, niſi id faciant. 7

ARTICVLVS VII.

Vtrùm Laici Militantes in bello iuſto, morte, aut mutilatione ſubſecuta maneant Irregulares?

IN *hoc dubio* ſolùm Inquirimus de Laïcis, nã de Clericis dicemus in ſubſequẽti, & ſolùm agimus in præſenti de bello iuſto, quia de iniuſto dicemus *art. vlt.* In præſenti igitur duo ſupponenda ſunt tanquam certa, & alia duo ſunt, quæ habent difficultatem. *Primò quidem certiſſimum eſt*, Quod quãdo quis in bello defenſiuo iuſto ſuam etiam propriam vitam defendit, & non ſolùm commune bonum Reipublicæ, tunc etiam ſi per ſe ipſum mutilet, aut occidat, non incurrit irregularitatem, quia expreſsè excipitur ab illa occidens in defenſionem propriæ vitæ in illa *Clement. Si furioſus*, de qua egimus *art. 1. & 2 huius diſput.* 1

Secundo *eſt certum*, Quod quicumque liberè mutilans in quocumque bello, ſiue defenſiuo, ſiue aggreſſiuo, & mutilat, aut occidit per ſe ipſum, manet irregularis, & dixi *ſi liberè mutilat*, id eſt, quando nullum extat præceptum mutilandi. *Duo igitur ſunt*, quæ difficultatem habent. *Primum* 2

eſt, An quando quis ex præcepto tenetur debellare, ſiue in bello defenſiuo, ſiue aggreſſiuo propter ſolum bonum commune ſui Principis, aut Reipublicæ, ſiue propter defendendam vitam innocentum maneat irregularis, ſi mutilet, vel occidat per ſe ipſum? circa quam difficultatem aliqui Thomiſtæ (vt retulimus *artic.* 2.) tenent partem affirmatiuam ducti rationibus à Nobis ibi propoſitis, & potiſſimè, quia in illa *Clement. Si furioſus*, ſolùm excuſatur ab irregularitate furioſus, aut dormiens occidens, aut mutilans in defenſione propriæ vitæ.

3 Dico *tamen* Probabilius eſſe, quod militantes in iſto caſu non incurrunt irregularitatem. Ita tenent plures Authores, quos refert, & ſequitur *Suarez diſput.* 47. *ſection.* 6. *& Stephanus de Auila*, vt diximus in illo *art.* 2. Vbi oſtendimus Authorem iſtum in hac parte non procedere conſequenter. *Et Fundamentalis ratio huius concluſionis eſt*, Quia, vt ibidem oſtendimus, ex Sententia Iuriſperitorum, & Theologorum, illa *Clementina ſi furioſus* optimis rationibus extenditur ad eximendum ad irregularitate eos, qui occidunt, ſiue mutilant in defenſionem vitæ proximi, & bonorum temporalium Reipublicæ, quæ ſunt maximi momenti.

4 Secunda *difficultas eſt*, An quando qui militat in bello iuſto, ſiue defenſiuo, ſiue aggreſſiuo, & ſequuntur mortes, aut mutilationes inimicorum, non tamen per ſe ipſum factæ, ſed per alios milites, An tunc incurrat irregularitatem? In qua difficultate communis Sententia eſt inter Doctores non incurrere irregularitatem Milites, qui ex præcepto Principis ſunt in tali bello, nec occidunt, nec mutilant, & hoc ſequitur à fortiori ex dictis, nam ſi occidentes in tali caſu non fiunt Irregulares, multò minùs alij. *Sed tamen* punctus difficultatis ſtat in hoc, An ſi iſti, nec occidentes, nec mutilantes iuuent alios, præbẽdo eis vires, ſiue inſtrumenta, quibus alij ex mala intentione occidunt, quamvis in bello iuſto ex ſe. An incurrant irregularitatem iſti non occidentes, nec mutilantes.

5 Dico *Conſequenter ad ſupradicta* eſſe probabilius iſtos non incurrere irregularitatem, niſi manifeſto illis conſtet de mala intentione Militum occidentium. Id conſtat ratione pro *præcedenti Concluſione*. Quinimò quamvis conſtet de iniqua intentione, ſi tamen aliàs victoria conſequi non poſſet, niſi mediantibus his Militibus iniquis non incurrit irregularitatem, qui his præbet robur, imò nec Dux præcipiens illis bellare. *Et ratio huius eſt*, Quia tam Dux, quàm alij adiuuantes, nec occidentes dant operam rei licitæ, vtpote iuſtæ defenſioni Reipublicæ, vnde tam mors inimicorum, quàm iniqua intentio Militum occidentium ſequitur omnino per accidens ad bonam, & debitam actionem Ducis, & aliorum, ac ſubinde his nullatenus imputatur mors, nec eſt eis volita, ac ſubinde non incurrunt irregularitatem.

Articvlvs VIII.

Vtrùm Clerici Militantes in bello iuſto incurrant Irregularitatem?

1 IN *hac difficultate* quædam præſupponenda ſunt tanquam certa. *Primum quidem certum eſt*, Quod quotieſcumque Laïci militantes incurrunt irregularitatem, Clerici etiam incurrunt illam, & non ſolùm illam, quæ eſt Canonicum impedimentum, ſed illam etiam quæ eſt cenſura Eccleſiaſtica. *Secundò etiam certum eſt*, Clericis eſſe interdictũ militare in bello, quando non inſtat præceptum bellandi obligans illos, quod quidem præceptum raró contingere poteſt in bello aggreſſiuo, quamvis poſſit aliquando obligare in bello defenſiuo, ſiue ſit præceptum poſitiuum, ſiue naturale, ſiue diuinum, vt ſtatim dicemus. *Tertiò etiam certum eſt*, Clericos poſſe de licentia Superioris, qui poteſt illam dare intereſſe bello, & præſertim propter bonum ſpirituale militum, videlicet ad Sacramenta illis adminiſtranda, quod quidem non ſolùm in bello iuſto, ſed etiam in bello iniuſto (vt aliqui probabiliter exiſtimant) poteſt licitè fieri, quia ſuppoſito bello iniuſto, cui Clerici non cooperantur, licitum eſt illis prouidere de bono ſpirituali Militibus.

D.fficultas *autem prima eſt*, An in aliquo bello ſit licitum Clericis militare ſine periculo irregularitatis; Ratio dubitandi à parte negatiua deſumi poteſt ex *D. Th.* 2. 2. *Quæſt.* 40. *a.* 2. Vbi abſolutè negat licere Clericis pugnare, quia prohibitũ eſt eis propter ſtatum illorum; ergo ratione huius prohibitionis ſi pugnant, incurrunt irregularitatem. *In hac* difficultate inuoluuntur duo dubia, aliud an liceat Clericis pugnare; Et hoc quidem in præſenti non eſt à nobis diſputandum, quia proprium Sedẽ habet apud *D. Thom in illa Quæſt.* 40. *art.* 2. Vbi exactè id tractat *Magiſter Bañez*, & alij Theologi. Quorum communis Sententia eſt, quod quãdo inſtat naturale præceptum bellandi obligans Clericos in caſu extremæ neceſſitatis Reipublicæ, ſiue Principis, non ſolùm poſſunt licitè, ſed tenentur bellare, quia Eccleſiaſticum præceptum prohibens illis bellum nullatenus poteſt derogare, nec contraire præcepto naturali, aut diuino, quo tenentur defendere Rempublicam in cuius defenſionem licitè poſſunt Clerici, & Monachi occidere, ſiue mutilare inimicos ſi aliter Reſpublica defendi non poteſt. Quinimò Clerici habentes iuriſdictionem temporalem poſſunt ad defendendam illam inducere bellum, & multò magis ad defendendam ſuam Eccleſiam. *Aliud dubium eſt*, An in caſu præcedentis dubij Clerici militantes incurrant irregularitatem; In quo quidem dubio aliqui Authores cenſent Clericos in iſto caſu incurrere irregularitatem, ſaltèm quæ eſt Canónicum impedimentum, à qua ſolùm excuſantur, quando aliter vitam propriam defendere non poſſunt, niſi occidendo, aut mutilando inimicos. 2

Dico *tamen* Clericos in iſto caſu occidentes, ſiue mutilantes nullam incurrere irregularitatem. Iſta Concluſio, quantum ſpectat ad irregularitaté, quæ eſt cenſura Eccleſiaſtica, neceſſariò debet admitti ab omnibus. *Et ratio conuincens eſt*. Quia in illo caſu non currit præceptum Eccleſiaſticum prohibens Clericis bellum, ſiquidem inſtat præceptum naturale bellandi; ergo ceſſat omnino pœna irregularitatis, quæ eſt cenſura Eccleſiaſtica: *Probatur Conſequentia*. Quia iſta irregularitas ſolùm poteſt incurri propter tranſgreſſionem præcepti Eccleſiaſtici *Quantum* tamen attinet ad irregularitatem, quæ eſt Canonicum impedimentum, etiam debet eſſe certum apud omnes, quod ſi Clerici iam conſtituti in bello aliter non poſſunt defendere vitam propriam, niſi occidendo, aut mutilando inimicos, non incurrunt irregularitatem, vt conſtat ex *Clem. Si furioſus*. 3

Tota

4 Tota *igitur* difficultas eſt, quando Clerici ſolùm in defenſionem Reipublicæ occidunt inimicos. Et dicimus probabilius eſſe Clericos non incurrere irregularitatem, quæ eſt Canonicum impedimentum. Ita tenent plures Authores, quos refert, & ſequitur *Suarez diſputat.* 47. *ſection.*6. Et ratio eſt. Quia (vt iam probatum reliquimus in ſuperioribus Articulis huius Diſputationis) illa *Clement. Si Furioſus* extendit ſe ad excuſandum ab irregularitate illos, qui in defenſionem vitæ proximi, & boni communis Reipublicæ occidunt alios; ſed quantum ad hòc eſt eadem prorſus ratio de Clericis, ac de Laicis; ergo. *Ad Rationem* dubitandi factam Reſpondetur, quòd *D. Thom.* non loquitur in caſu, quo obligat præceptum naturale, ſed ex vi præcepti Eccleſiaſtici.

5 Difficultas *Secunda eſt*, An liceat Clericis in bello exhortari milites ad ſtrenuè pugnandum contra inimicos? Et ratio dubitandi à parte negatiua deſumitur ex *Cap. Quòd in dubiis de pœnis*, vbi interdicitur hoc Clericis. *Et Ratio poteſt eſſe*, Quia talis exhortatio immediatè ordinatur ad occiſionem inimicorum faciendam à Militibus; ergo ad illam cooperantur Clerici exhortando; ergo incurrunt irregularitatem.

6 In *hoc dubio certum eſt*, Quòd ante pugnam in bello iuſto licitum eſt Clericis iſtam exhortationem facere ſine periculo irregularitatis. In ipſa autem actuali pugna conſiſtit punctus difficultatis, Quia tunc illa exhortatio eſt actio immediatè tendens ad occiſionem, & ideò cenſent Aliqui Clericos incurrere irregularitatem. *Sed tamen probabilius eſt oppoſitum*, Quia illa actio ex ſe ſolùm ordinatur ad Victoriam obtinendam, mors autem ſiue mutilatio ſequitur per accidens; vnde non fiunt Clerici irregulares. Nihilominus non eſt licitum eis dicere, *Occidite inimicos*, ſiue *Mutilate*, quia tunc Clerici incurrunt irregularitatem. Ita ſentiunt communiter Doctores, & hoc conuincit ratio dubitandi propoſita. Præter quam quod *Cap. illud citatum* ſolùm procedit de bello iniuſto. *Aduertendum tamen eſt*, Quòd reſolutio huius dubij non ſolùm habet verum quando Clerici ex præcepto naturali tenentur bellare, quia in hoc caſu nulla eſt difficultas, quin poſſint exhortari ſine irregularitate, ſiquidem poſſunt occidere; ſed procedit noſtra doctrina, quando ex licentia Superioris Clerici ſunt in bello, etiamſi nulla inſtet neceſſitas, nec obligatio præcepti naturalis.

7 Difficultas *Tertia*, An Clerici militantes in bello iuſto contra prohibitionem Eccleſiæ, exhortando milites, & ſimul belligerando, ſi tamen nulla ſequatur mors, nec mutilatio facta à Clericis, nec ab aliis militibus, maneant Clerici irregulares? *Partem* affirmatiuam tenent Aliqui, & probant. Quia Clerici tunc intromittunt ſe in cauſam ſanguinis.

8 Dico *tamen* in iſto caſu probabilius eſſe Clericos nullam incurrere irregularitatem. *Et probatur*, Quia illa nunquam incurritur ſecundùm ius, niſi morte, aut mutilatione ſubſequuta de facto, vel grauiſſima percuſſione facta ab ipſomet Clerico (vt diximus *diſput.* 1. *art.* 2.) ergo niſi hoc interueniat Clericus non incurrit irregularitatem.

9 Difficultas *Quarta eſt*, An Clerici militantes contra prohibitionem Eccleſiæ in bello iuſto incurrant irregularitatem ſi contingat occiſio, ſeu mutilatio facta non ab ipſis Clericis; ſed ab aliis? Partem affirmatiuam tenent Authores, quos refert *Suarez diſput.* 47. *ſect.* 6. Quorum Fundamentum eſt, Quia Clerici in iſto caſu intromittunt ſe in cauſam ſanguinis, & cooperantur ad illam contra prohibitionem Eccleſiæ; ergo incurrunt irregularitatem, quæ eſt cenſura Eccleſiaſtica poſita in pœnam contra illam prohibitionem.

In *hoc Dubio primo certum eſt in omnium Sententia*, Quòd ſi Clerici tunc adiuuant occiſores, ſiue mutilantes exhortando, ſiue præbendo eis robur, ſiue ſimul pugnando cum illis, incurrunt irregularitatem. Et hoc probat manifeſtè Fundamentum illorum Authorum. *Punctus autem Difficultatis conſiſtit in hoc.* An ex eo, quòd Clerici interſunt bello contra prohibitionem Eccleſiæ, quamuis nihil aliud faciant, niſi Sacramenta militibus miniſtrare, incurrant irregularitatem? *Dico igitur* Probabilius eſſe Clericos in iſto caſu nullam incurrere irregularitatem. *Et Probatur.* Quia tunc ſolùm incurrunt illam, quando contra prohibitionem Eccleſiæ intromittunt ſe in cauſam ſanguinis effectu ſubſequuto ex vi actionis Clericorum; hoc autem non contingit in præſenti caſu, quia longè abeſt miniſtratio Sacramentorum, & alia huiuſmodi à morte, ſiue mutilatione iniuſtè facta à militibus. Ita tenent plures Authores, quos refert, & ſequitur *Suarez ibidem.* 10

Sed *Inquires*; Vtrùm Militantes in bello iniuſto tam Clerici, quàm Laici, vbi nulla interuenit occiſio, nec mutilatio, incurrant irregularitatem? Dixi in hoc Dubio; *Vbi nulla interuenit occiſio, nec mutilatio*, quia ſi illa interueniat certum eſt vniuerſos illius cooperatores incurrere irregularitatem, & ideò Clerici exiſtentes ibi, vel ſine licentia Prælati, vel ſi cum illa exhortentur milites, aut præbeant illis robur, manent irregulares, quia dant operam rei illicitæ, & de facto ſequitur effectus; vnde quamuis nihil aliud faciant, niſi miniſtrare Sacramenta, ſine licentia tamen Prælati ad exiſtendum in bello dant operam rei illicitæ, vtpotè exiſtere in bello iniuſto, & contra prohibitionem Eccleſiæ, ac ſubinde incurrunt irregularitatem morte, aut mutilatione ſubſequuta, & à fortiori ſi cooperantur ad illam, & magis certum eſt, incurrere irregularitatem Laicos cooperando in iſto caſu. *Punctus igitur Difficultatis* conſiſtit, quando nulla ſequitur mors, nec mutilatio. Et quidem non deſunt Authores, qui dicant Clericos incurrere irregularitatem, & contendunt probare ex pluribus *Capit. Iuris*, quamuis Laici non incurrant talem irregularitatem. 11

Dico *tamen* In iſto caſu Clericos nullam incurrere irregularitatem, & à fortiori nec Laicos. *Et Probatur.* Quia quantumcumque Clerici dent operam rei illicitæ, & contra prohibitionem Eccleſiæ, nihilominùs de facto nulla ſequuta fuit mors, nec mutilatio; ergo nullatenùs incurrunt irregularitatem; vnde nulla ſunt *Capita Iuris*, quæ oppoſitum huius decernant, quia illa manifeſtè procedunt, quando de facto ſequitur effectus mortis, ſiue mutilationis. Legatur *Suarez in illa diſput.* 47 *ſect.* 5. & *Stephan. de Auila, p.* 7. *diſp.* 5. *ſect.* 3. Et hactenus de iſta Quæſtione. 12

DISPVTATIO XXI.

De Irregularitate, quæ contrahitur propter Homicidium caſuale.

1 IN *Hac Diſputatione* ante omnia ſupponendum eſt poſſe eſſe duplex homicidium caſuale, nam alterum eſt tale ſecundùm rigorem metaphyſicum, & alterum ſecundum Iuris diſpoſitionem, etenim cùm quis vult cauſam per ſe, ad quam regulariter tantùm, non tamen per ſe, & neceſſariò ſequitur homicidium, ſi tamen illud ſit præuiſum, non tamen per ſe intentum, nec per ſe volitum, ſed intendatur alius finis, tale homicidium ſecundùm rigorem Metaphyſicum non eſt caſuale, ſed voluntarium. Cæterùm ſecundum diſpoſitionem Iuris illud cenſetur caſuale; quia iuxta diſpoſitionem illud homicidium cenſetur voluntarium, quòd per ſe comparatur ad voluntatem, vt ſatis diximus *Diſp. 2. huius Tract. artic. 1.*

2 Secundò *Supponendum eſt.* Quòd in præſenti agimus de omni homicidio ſecundùm Iuris diſpoſitionem caſuali, & illud quidem comprehendit homicidium, quòd ſecundum rigorem metaphyſicum cenſetur voluntarium, quamuis non ſit voluntarium ſecundùm Iuris diſpoſitionem, quantum attinet ad incurrendam irregularitatem, quia iſto modo illud ſolùm homicidium dicitur voluntarium, quòd per ſe comparatur ad voluntatem, vt ibidem diximus. *Tertiò* ſupponendum eſt, quòd homicidium caſuale ſecundùm iuris diſpoſitionem poteſt dupliciter contingere. *Primo modo* ex eo quod quis exerceat aliquam poſitiuam actionem, non adhibendo ſufficientem diligentiam, nè ex illa ſequatur homicidium. *Alio modo* per puram omiſſionem ex eo quod quis non exercet actionem, quam tenetur exercere ad defenſionem, ſiue conſeruationem vitæ alterius. Et quidem circa Homicidium primo modo ſubſequutum non apparet ita ingens Difficultas, An incurratur, ſicut apparet in homicidio ſubſequuto ſecundo modo, & Ideò de iſto prius diſputandum erit.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Homicidium caſuale ſubſequutum ex pura omiſſione actionis debitæ inducat irregularitatem rei omittentis?

1 AD hanc Difficultatem explicandam priùs ſupponendum eſt ex communi doctrina Theologorum cum *Diu. Thom. 1. 2. quæſtion. 6. artic. 3.* duas eſſe conditiones neceſſariò requiſitas, vt omiſſio aliqua culpabilis ſit, & imputetur omittenti. *Prima eſt*, Quòd poſſit facere talem actionem; *& Secunda*, Quòd teneatur illam facere. Et ex his duabus conditionibus omiſſio fit culpabilis, & de hac loquimur in præſenti dubio. *Ratio autem dubitandi pro parte affirmatiua* deſumi poteſt ex *Capit. quarta de Sententia Excommunicationis*, Vbi decernitur, Non ſolùm incurrere irregularitatem illum, qui violentas manus impoſuit Clerico, verùm etiam illum, qui omiſit fauere Clerico. *Confirmatur ex Theologica ratione.* Quia vt docet *D. Thom. vbi ſupra.* Omiſſio cum illis duabus conditionibus non ſolùm imputatur ad culpam, ſed etiam euentus ſubſequutus ad illam omiſſionem reducitur ad voluntatem tanquam in cauſam; ergo homicidium illud ſubſequutum imputatur voluntati, in quam reducitur vt in cauſam; ergo inducit irregularitatem ſaltem homicidij caſualis.

In *Contrarium tamen eſt.* Quia irregularitas nunquam incurritur, niſi adſit aliqua cauſalitas, ſeu influxus in homicidium; ſed per puram omiſſionem, quæ in ſola priuatione actus conſiſtit, nullus eſt influxus, aut cauſalitas in homicidium; ergo. *Confirmatur.* Quia vt homicidium inducat irregularitatem, non ſolùm debet reduci in voluntatem tanquam obiectum volitum, ſed neceſſum eſt vt reducatur in voluntatem, & in ipſum volentem, ſicut effectus in cauſam; cùm igitur ex negatione actionis non poſſit reduci in ipſum volentem, fit vt homicidium illud non inducat irregularitatem. In hac Difficultate ſunt duæ Sententiæ inter Doctores, quibuſdam tenentibus partem affirmatiuam, aliis autem negatiuam, & vtriuſque Sententiæ Aſſertores refert *Suarez. Diſput. 45. ſect. 4.* Vtraque tamen iſta Sententia facilè poteſt cum altera Conciliari. 2

Dico *igitur Primò.* Si omiſſio culpabilis ſit ſolùm contra præceptum Charitatis, & non contra Iuſtitiam in ordine ad proximum, tunc non eſt ſufficiens ad incurrendam irregularitatem homicidium ex tali omiſſione ſubſequutum. *Ratio huius Concluſionis à poſteriori ſatis manifeſta eſt, & clara.* Quia quando quis ſolùm peccat contra charitatem omittendo, nullo modo cooperatur, nec influit in homicidium; ergo non Incurrit irregularitatem. *Probatur Antecedens.* Quia vt omiſſio imputetur debet quis teneri ex iuſtitia, vt peccet contra proximum, ita vt obligatus ſit ad tuendam vitam illius ſecundùm ius iuſtitiæ, ad hoc vt ipſum Ius inducat irregularitatem, cum ex ſolo iure proueniat illud. 3

Dico *Secundò.* Si omiſſio ſit culpabilis contra Iuſtitiam homicidium ſubſequutum inducit irregularitatem. In his duabus Concluſionibus exiſtimo conuenire, vel ſaltèm debere conuenire omnes Doctores, & ſic conciliantur eorum Sententiæ. *Et ratio pro iſta Concluſione à poſteriori, etiam eſt manifeſta,* Quia ius imponens irregularitatem procedit contra illos, qui non ſeruant ipſum Ius, aut lenitatem Chriſti in illo requiſitam; ergo qui omittit actionem debitam ex iuſtitia influit in homicidium ſubſequutum, ita vt imputetur illi ad irregularitatem. *Difficultas tamen non modica eſt* in explicando, Quomodo in iſta omiſſione reperiatur verus influxus cauſæ in homicidium? Et hoc quidem à Doctoribus explicatum non video. Nihilominus tamen hoc ex duplici capite explicari poteſt. Etenim quando eſt obligatio iuſtitiæ in omittente ſequitur ex omiſſione violatio vera Iuris contra proximum, & vera mors ipſius; quòd tamen non contingit ſic quando ſolùm eſt omiſſio 4

contra

contra Charitatem, vt in ratione pro iſta Concluſione infinitum eſt. *Ex alio Capite* poteſt hoc explicari, quia vt incurrat quis irregularitatem homicidij ex omiſſione actionis debitæ, debet ſe habere, ac ſi vere occideret hominem quamuis caſualiter, homicidium namque caſuale per voluntarium debet regulari, præſertim cum aliquod homicidium caſuale ſecundùm Ius dicatur, & ſit voluntarium ſecundùm rigorem metaphyſicum; occidere autem alterum ſemper eſt contra iuſtitiam.

5 Et *Nota hic* Quod reſpectu voluntarij indirectè, quale eſt effectus ſequutus ad omiſſionem, præceptum ſuperueniens, & obligatio non ſolùm dat rationem imputabilis, ſed etiam voluntarij. *Ratio eſt.* Quia licèt ille actus ante eſſet in poteſtate quoad volendum illum, vel non, tamen non comparabatur ad voluntatem, vt ad cauſam influentem in illum; per obligationem autem ſuperuenientem voluntas ordinatur ad illum vt cauſa, & conſequenter incipit iam comparari vt voluntarium reſpectu voluntatis, cùm antea non influeret voluntas mediante omiſſione in illud; ſuperueniente autem obligatione influit.

6 Ad *Rationem* Dubitandi factam à principio ex illo *Capit. Quamu*, dicimus, Quòd ibi non imponitur irregularitas, ſed ſolùm Excommunicatio pro his, qui non impediunt ne alij imponant violentas manus Clericis; ex illa autem excommunicatione nullum poteſt deduci argumentum efficax à ſimili ad probandum incurrere irregularitatem illos, qui non impediunt, ſicut incurrunt illam, qui imponunt Clericis manus violentas, & ſequitur mors, aut mutilatio, ſiue enormis percuſſio. *Secundò Reſpondetur*, Quòd etſi ibi imponatur irregularitas pro illis, qui non impediunt; nihilominus illa ſolum imponitur in foro exteriori iudiciali, non tamen in foro interiori animæ. *Ad Confirmationem Reſpondetur* doctrinam *Sanct. Thom.* eſſe intelligendam ita, vt qui omittit defendere vitam proximi quam tenetur ſolùm ex Charitate defendere, peccet quidem contra Charitatem, & ſic omiſſio illi imputatur, non tamen peccat contra iuſtitiam, niſi quando ex iuſtitia tenetur defendere, & tunc incurrit irregularitatem, cuius diuerſitatis rationem aſſignauimus. Ad Argumentum in contrarium cum ſua Confirmatione Reſpondetur ex 1. *Concluſione*.

7 Sed *Dubitabis*. Vtrùm Omiſſio debeat eſſe voluntaria directe, & quaſi per ſe ſecūdò, vt incurrat irregularitatem? In hac Difficultate non intendimus diſputare, quæ culpa, & qualis negligentia ſit ſufficiens ad hoc vt omiſſio inducat irregularitatem, quia quamuis hoc ex ipſa voluntate potiſſimè penſandum ſit, tamen ſpecialius id diſputabimus *artic. ſequenti*. In præſenti igitur ſolùm intendimus diſputare de modo, quo omiſſio, & homicidium ex illa ſubſequutum debeant eſſe voluntaria, vt inducant irregularitatem. In qua Difficultate *Suarez in illa Diſputation. 45. ſection. 4.* tenet, Quòd quando omiſſio non eſt præuiſa, etiamſi ſit ex incuria, & negligentia omittentis non eſt ſufficiens ad inducendam irregularitatem.

8 Et *Ratio eius eſt*. Quia tunc omittens videtur cauſa multùm remota reſpectu homicidij ſubſecuti, ſiquidem nec illud fuit præuiſum, nec omiſſio ex qua illud fuit ſubſequutum; vnde multùm per accidens ſe habet omittens reſpectu illius homicidij. Ergo talis omiſſio non eſt ſufficiens ad inducendam irregularitatem, & conſequenter, vt illam inducat debet eſſe præuiſa, & volita quaſi per ſe ſecundò.

9 Pro *huius Reſolutione ſupponendum eſt*. Quòd voluntas tripliciter ſe poteſt habere circa omiſſionem, & conſequenter circa homicidium ex illa ſubſequutum. *Primo modo*, ita vt omiſſio ſit per ſe, & directè volita, ad hoc vt homicidium ſequatur ex illa, verbi gratia, ex odio, aut alia cauſa. *Secundo modo*, poteſt voluntas ferri in omiſſionem quaſi per ſe ſecundò, ſcilicet quodammodo indirectè, ita vt omiſſio ſit præuiſa, & tamen ex negligentia impediendi homicidium, vel ex alia aliqua occupatione ſibi magis voluntaria prætermittit impedire homicidium. *Tertio modo* poteſt voluntas ſe habere, ita vt omiſſio non ſit præuiſa, & tamen ex negligentia ipſius voluntatis non præuidit, cùm præuidere teneretur omittens, ſiue hæc negligentia procedat ex aliqua occupatione cui nimis intentus, & affectus eſt, ſiue ſit pura negligentia, & incuria huius, quod eſt præuidere.

10 His *Igitur poſitis* in hac parte duo debent eſſe certa, & communia inter Doctores. *Primum eſt*, Quòd quando omiſſio eſt volita primo modo non ſolùm inducit irregularitatem, ſed irregularitatem homicidij voluntarij, & non caſualis (vt ſatis oſtendimus *Diſputation. 2. artic. 2.*) vbi explicuimus quomodo etiamſi homicidium ſequatur per accidens ad aliquam cauſam, ſi tamen cauſa illa eſt per ſe volita in ordine ad homicidium, ita vt homicidium ſit per ſe intentum, aut volitum, tunc inducitur irregularitas homicidij voluntarij, vt diſtinguitur a caſuali. *Secundùm* etiam certum eſt, Quòd quando omiſſio eſt volita ſecundo modo tunc inducit irregularitatem homicidij caſualis, nam quamuis omiſſio illa videatur quaſi per ſe ſecundò volita, tamen in rigore non eſt per ſe volita, nec ex eius affectatione ſequitur homicidium, ſed ex incuria prætermittendi diligentiam.

11 Punctus igitur Difficultatis ſtat in omiſſione volita tertio modo. De qua dicimus illam etiam omiſſionem, ſeu homicidium ex illa ſubſequutum inducere irregularitatem homicidij voluntarij. Iſta Concluſio eſt contra *Suarez*. Sed probatur. Quia quamuis omiſſio illa non ſit præuiſa, ſit tamen culpabilis, quia ex negligentia omittentis fuit omiſſio non præuiſa, ex qua ſubſequutum fuit homicidium, reſpectu cuius ita eſt cauſa proxima influens in illud, ſicut quando omiſſio fuit præuiſa, & ex negligentia non fuit impeditum homicidium ſubſequendum ex illa; ergo eodem modo inducitur irregularitas, quando omiſſio eſt volita iſto tertio modo, atque quando fuit volita illo ſecundo modo. *Antecedens Probatur*. Quia ex eo quod propter negligentiam prævidendi non fuerit præuiſa omiſſio, non eſt minùs proxima cauſa moralis homicidij Omittens, atque quando præuidit omiſſionem, & ex incuria non præuidit homicidium; ergo eodem modo influit in illud vno atque alio modo tanquam cauſa proxima illius in genere moris. Et ex hoc conſtat ſolutio ad rationem *Suarez*.

Articvlvs II.

Quæ, & quanta debeat eſſe negligentia in omiſſione, ex qua ſequitur homicidium, vt illud inducat irregularitatem?

1 PRo *intelligentia* tituli Quæſtionis, & totius Difficultatis ſupponenda ſunt modo ea, quæ communiter in Materia de Reſtitutione dici ſolent. Et in primis quod duplex culpa poteſt eſſe in hac materia, altera quidem *Theologica*, quæ dicitur culpa in ordine ad Deum, quæ mortalis eſt, aut venialis; altera autem, quæ dicitur & negligentia, quæ à Iure conſideratur, ſiue ſit culpa in ordine ad Deum, ſiue non. Quæ quidem (vt ibi dici ſolet) alia eſt lata, alia leuis, alia leuiſſima. In præſenti igitur diſputamus, quænam culpa ſufficiat, & requiratur ad hoc vt omiſſio tali culpa culpabilis inducat irregularitatem ratione homicidij ſubſequuti?

2 In *hac Difficultate* ſunt plures Sententiæ tam inter Theologos, quàm inter Iuriſperitos; quas omnes latè refert *Suarez in illa Diſputation. 45. ſection. 5.* Et quidem Iuriſperiti ferè Omnes conueniunt, quòd culpa lata, & leuis inducunt irregularitatem, differunt tamen, quia alij aſſerunt leuiſſimam culpam eſſe ſufficientem ad inducendam irregularitatem in omiſſione, non autem in commiſſione. Alij verò exiſtimant leuiſſimam culpam ab irregularitate omninò excuſare. Theologi autem loquentes de culpa Theologica, & in ordine ad Deum, partiti ſunt in duas Sententias, quarum prima eſt Aſſerentium veniale peccatum non ſufficere ad inducendam irregularitatem, ſed eſſe neceſſarium peccatum mortale. Huius Sententiæ Author eſt *Magiſter Soto libro 5. de Iuſtitia quæſtion. 2. articul. 9.* Quam ſequitur *Suarez vbi ſupra, & Salon. in hoc articul.* Et Alij. Et probatur hæc Sententia ex *Capit. Quæſitum in 5. Titul. 28 de Pœnitentiis, & Remiſſionibus*, Vbi decernitur, Quòd Pater dormiens ſimul cum filio paruulo, opprimens illum tunc cenſetur irregularis, quando id fit ea ſtudioſa negligentia procurantis mortem paruuli; ergo ex determinatione huius *Capitis* manifeſtè colligitur, quòd nulla negligentia, quæ ſtudioſa, & affectata non ſit, nullatenùs ſufficit ad inducendam irregularitatem; quia aliàs Summus Pontifex non congruam, ſed maximè incongruam, & indebitam reſponſionem redderet. *Confirmatur Ratione*, Quia hæc irregularitas à pluribus cenſetur cenſura, & pœna, quæ incurritur propter homicidium illicitum: ſed tam grauis cenſura impoṅi non debet, niſi propter graue peccatum, quale eſt mortale; ergo, &c.

3 Secunda Sententia Theologorum aſſerit, ſufficere peccatum veniale ad inducendam irregularitatem. Et probatur ex *Capit. Continebatur in 5. Tit. 12.* vbi refertur, Quòd Clerici cum Laicis inſtituerant quendam ludum aliàs licitum, & honeſtum, videlicet, vt iacerent baculos in altum, & ille, cuius baculus baculum alterius percenter, victor contra illum euaderet, & tunc victor vteretur alio vt equo ad equitandum; contingit autem, vt Laicus contra Diaconum Victor euaderet, & ipſe Laicus repente inſiliens in Diaconum ad æquitandum, falce, qua ipſe Diaconus erat præcinctus, vulneratus eſt, & tandem obiit. Conſtat autem Diaconum tunc nullam culpam, nec venialem commiſiſſe, & tamen conſultus Summus Pontifex cenſuit Diaconum incurriſſe irregularitatem; ergo culpa iuridica ſufficiens eſt ad inducendam irregularitatem, & à fortiori culpa venialis Theologica, quæ ſecundùm Aliquos reperta fuit in illo Diacono ex negligentia.

4 Confirmatur. Quia hæc irregularitas homicidij non eſt cenſura, quæ imponitur propter culpam, ſed ſolum eſt Canonicum impedimentum, quòd inducitur propter homicidium alias iuſtum, & licitum; ergo ſaltèm eſt ſufficiens venialis culpa, quia cum illa homicidium reducitur in voluntatem. Tota autem indecentia huius irregularitatis conſiſtit in hoc, quòd homicidium in voluntatem reducatur, & à fortiori incurritur irregularitas propter culpam iuridicam latam, imò propter leuem, & leuiſſimam, ſiquidem ſufficit homicidium iuſtum, & licitum.

5 In *hac* Difficultate duo debent eſſe certiſſima apud Theologos, & alterum eſt ſub Dubio. *Primum certiſſimum eſt*, Quòd negligentia, quæ eſt peccatum mortale inducit irregularitatem. *Et Ratio huius eſt manifeſta*, Quia talis culpa cùm ſit grauis ſufficit ad inducendam irregularitatem, ſiue quæ eſt cenſura, ſiue quæ eſt Canonicum impedimentum, ſiquidem grauis culpa continet maximam indecentiam, vtpote faciens homicidium perfectè voluntarium. *Secundò*, etiam debet eſſe certum in alio extremo, (quidquid Iuriſperiti dicant) quod quantumcumque inueniatur negligentia, quæ ſit culpa lata iuridica, ſi tamen nullo modo eſt culpa Theologica in ordine ad Deum, nullatenus ſufficiens eſt ad inducendam irregularitatem, quia iſto modo homicidium nullatenùs reducitur in voluntatem. Quod igitur in hac parte habet Difficultatem eſt, An veniale peccatum ſit ſufficiens ad inducendam irregularitatem? *Dico igitur Primò.* Secundùm Sententiam illorum, qui aſſerunt hanc irregularitatem homicidij culpabilis venialiter eſſe cenſuram, probabilius eſt irregularitatem non incurri propter veniale peccatum. Illam Concluſionem probant argumenta primo loco poſita.

6 Dico *Secundò*. Iuxta noſtram Sententiam, quam in prima Diſputatione huius Tractatus diximus, hanc irregularitatem homicidij culpabilis eſſe ſolùm Canonicum impedimentum; non ſecùs atque irregularitas homicidij liciti, etiam eſt probabile, quòd propter veniale peccatum in huiuſmodi negligentia vitandi homicidium non incurritur hæc irregularitas. Iſtam Concluſionem tenent plures Authores, quos refert, & ſequitur *Stephanus de Auila part. 7. Diſp. 6. Dub. 11. concluſion. 3.* Et probatur etiam Argumentis primo loco factis.

7 Et *Deinde*, Quia minimum voluntarij, & conſequenter minimum indecentiæ reperitur in tali peccato, & negligentia in ordine ad homicidium; ergo ſufficiens non eſt ad inducendum Canonicum impedimentum irregularitatis grauiſſimum. *Probatur Conſequentia.* Quia talis grauiſſima pœna non imponitur in iure, niſi propter perfectum actum culpæ; Peccatum autem veniale eſt imperfectum in ratione culpæ. *Confirmatur.* Quia cauſa remota homicidij, etiamſi aliqualem influxum habeat in

illud

illud non incurrit irregularitatem ; ergo à ſimili cùm minimum voluntarij peccati venialis ſit ſolùm aliqualis influxus, non ſufficit ad ioduceodam irregularitatem.

8 Dico *Tertiò*. Adhuc iuxta noſtram Sententiam longè probabilius videtur, quòd propter veniale peccatum negligentiæ vitandi homicidium, incurratur irregolaritas, quæ eſt Canonicum impedimentum. Iſtam Concluſionem probant Argumenta pro Secunda Sententia.

9 Et *Confirmatur*. Quia minima ratio voluntarij reſpectu homicidij ſubſequuti non eſt minima, ſed maxima indecentia in ordine ad irregularitatem inducendam ; ſiquidem homicidium illud verè comparator ad voluntatem, quæ culpabiliter influit in illod, quamuis peccatum ſit ſolùm veniale.

10 Ad *Argumentum factum pro prima Sententia Reſpondetur*, Quòd in illo Capito non agitur de irregularitate, ſed de pœnitentia imponenda Clericis filior ſuor opprimentibus, & occidentibur dormiendo. *Ad Confirmationem conſtat ex dictis*. Ad Argumentum pro ſecunda Sententia *Reſpondetur*, Quòd ille Diaconus deliquit ſaltèm venialiter propter negligentiam, & incuriam in non cuſtodienda falce, vt Laicur non vulneraretur lethaliter. *Et Secundè Reſpondetur*, Quòd ſi Diaconus non peccauit venialiter, oſtenditur tamen Reur irregolaritatir in foro exteriori, non in foro conſcientiæ. Ad Confirmationem conſtat ex dictis.

ARTICVLVS III.

Vtrùm qui dat operam rei illicitæ morte ſequuta ſit irregularis, quamuis omnem adhibeat diligentiam?

1 PRima *Sententia* extrema tenet vniuerſaliter hunc eſſe irregularem. Ita cenſent *Caietanus*, *Syluester*, *Innocentius*, *Ioannes Andreas*, & multi alij, quos refert *Suarez, in illa Diſputation. 45. ſection. 1. & Stephanus de Alia 7. part. Diſputation. 6. ſection. 1. Dubit. 1.* Et probatur ex *Iure Canon.* vbi ſæpè excuſantur aliqui ab Irregularitate, quia dabant operam rei licitæ ; ergo à contrario ſenſu ſi darent operam rei illicitæ eſſent irregulares. *Antecedens Probatur ex Capit Dilectus de Homicidio in 5.* ex aliis multir, quæ refert *Stephanus de Auila* vbi ſuprà. *Et ſi Reſpondeas*, Argumentum à contrario ſenſu non eſſe firmum in iure ad probandam irregularitatem. *Contra*. Nam hoc falſom eſt, vt conſtat ex *Capit. Apoſtolica*, de his, quæ fiunt à Prælatis ſine conſenſu Capituli ; *Confirmatur*. Quia hoc argumentum non ſolùm eſt à contrario ſenſu, ſed à ceſſante ratione, & cauſa (vt inquit *Nauarrus*) quia ea ratione excuſantur ab irregularitate, quia dabant operam rei licitæ ; ergo ceſſante iſta ratione incurritur irregularitas, quia Argomentum à ceſſante ratione eſt firmiſſimum in iure, vt conſtat *Capit. Cum ceſſante, de Appellationibus. Confirmatur Secundè ex Sanct. Thom. in hoc articul.* Vbi docet, Quòd in duobus caſibus ſit homo irregularis. *Primò*, Si dat operam rei illicitæ. *Secundò*, Si dat operam licitæ rei, non adhibita ſufficienti diligentia ; ergo clarè ſentit *Sanct. Thom.* quòd in primo caſu non requiritur, vt præcedat aliqua negligentia.

Secunda *Sententia extrema dicit*, Quòd daos operam rei illicitæ nonquam ſit irregularis, ſi adhibuit debitam diligentiam. Ita tenuit *Magiſter Cano*, vt refert *Stephanus de Auila*, & tenet *Henriquez in Summa, part. 2. capit. 15. numero 1.* & alij, quos ibidem refert. *Et probatur*. Quia irregularitas non incurritur propter opus præcedens homicidium, ſed propter ipſum homicidium, dummodo ſit voluntarium ; ſed in eo, qui adhibet debitam diligentiam nullo modo eſt voluntarium ; ergo. *Confirmatur* ; Nam eſto, qui vult opus periculoſum cenſeatur virtualiter velle mortem inde ſequutam, nihilominos per hoc qnod adhibet debitam diligentiam ne mors ſequatur, videtur excludi totaliter illa virtualis volitio mortis ; ergo mors oon eſt illi voluntaria. 2

Confirmatur *Secundè*. Nam ſi tale opus ſit alteri licitum, vt Torneamentum reſpectu Laici, homicidium inde ſequutum non inducit irregularitatem, ſi adhibita fuit debita diligentia ; ergo quando idem opur eſt alteri illicitum, ſi tamen adhibeatur debita diligentia, non incurretur irregularitas. *Probatur Conſequentia*. Quia irregularitas oon incurritur propter illud opus, & ex alia parte debita diligentia excuſat ab homicidio ſequuto in eo, cui tale opur eſt licitum, quamuis ſit inductiuum homicidij ex ſe ; ergo conſequenter excuſat alterum, cui eſt illicitum illud opus. 3

Tertia *Sententia eſt* Media nempe, quòd ſi quis dat operam rei illicitæ non tamé periculoſæ de ſe, vt ex illa ſequatur mors, aut mutilatio, & ideò illa res illicita non eſt prohibita homini propter homicidiom, ſed propter aliam rationem, tunc ſi debitam adhibuit diligentiam, noo manet irregularis morte, aut mutilatione ſubſequuta. At verò ſi dabat operam rei illicitæ, & de ſe periculoſæ ad homicidiom, & ideò prohibitæ, manet irregularis ; quamuis omnem adhibuerit diligentiam. Iſta Sententia eſt communior, quia illam tenent multi Authores, quos refert, & ſequitur *Sapient. Magiſter Medina 1. 2. quæſtione 73. artic. 8. ad 1.* contra tertiam regulam. Et *Magiſter Bañez, & Arragon, & Salon in hoc artic. Stephanus de Auila vbi ſupra.* 4

Pro *Explicatione igitur* huius Sententiæ ſupponendum eſt, Quòd opus poteſt eſſe illicitum, & prohibitum dupliciter. *Primo modo*, Quia eſt periculoſum, & inductiuum mortir ; Et hoc modo prohibitum eſt Clericis pugnare, vel mittere bombardam in arcem, vel exercere Torneamenta, & alia ſimilia, & exercitium Chirurgiæ per aduſtionem, vel inciſionem, & etiam Venatio vrſorum, & Aprorum, quia ſolet fieri cum armorum ſtrepitu. *Secundo modò* non quia ſit periculoſum, nec inductiuum mortis, ſed alia de cauſa eſt illicitum illud opus, vt ſi Venatio cunieulorum prohibeatur certo tempore, quia tunc concipiunt. 5

Dico *Igitur* iſtam tertium Sententiam ſic explicatam eſſe à Nobis tenendam, vtpotè veram. *Et Probatur Primò contra primam Sententiam.* Nam tale homicidium, quando opus illud non eſt periculoſum, & ſit ſufficiens diligentia, nullo modo eſt voluntarium ; ergo non inducit irregularitatem. *Antecedens Probatur*. Quia non eſt vo- 6

litum

litum directè (vt conſtat) nec virtualiter in ipſo opere, quia non continetur virtualiter in illo, ſiquidem tale opus non eſt periculoſum; nec eſt volitum homicidium ratione alicuius negligentiæ, quia nulla fuit (vt ſupponimus) ergo nullo modo eſt voluntarium homicidium. Et hoc Argumentum eſt euidens meo iudicio, ſi ſupponamus (vt neceſſariò ſupponendum eſt) quod irregularitas homicidij caſualis nullatenus incurritur, niſi illud ſit voluntarium, quia caſuale in præſenti non accipitur pro caſuali phyſicè, ſed pro caſuali moraliter, videlicet pro illo, quòd non eſt per ſe primò, nec per ſe ſecundò directè volitum, aut intentum, ſed eſt indirectè volitum, & contingens vt in plurimum, & regulariter, vt diximus *Diſp.* 2.

7 Secundò *Probatur.* Quia ex prima Opinione ſequerentur innumera inconuénientia. *Primò*, ſi aliquis tepore interdicti pulſaret Campanã ad horas Canonicas, quæ cadens occideret aliquem, tunc pulſans eſſet irregularis quamuis omnem adhibuerit diligentiam, quia dabat operam rei illicitæ, & tamen ſi non eſſet Interdictum, non maneret irregularis. *Secundò.* Si aliquis cederet arborem alienam, vel in die feſto, ſi de facto opprimeret aliquem adhibita omni diligentia, maneret irregularis; non tamen ſi arbor eſſet propria, & caderet in die non feſtino. *Tertiò*, Si duo venentur cuniculos vnus in proprio nemore, alter in alieno, & vterque debitam adhibeat diligentiam; hic maneret irregularis morte ſequuta, alter non.

8 Tertiò *Probatur* ex optimo textu in *Cap. Quantum Diſtinction.* 50. Vbi *Gelaſius Papa* loquens de illo, qui equus furatus tulit, & caſu offenderunt mulierem, quòd fuit illis cauſa aborlus, & determinat Pontifex, Quòd ſi æquos alienos furatus tulerit, inde eſt culpabilis, nam de muliere, quæ caſu inter æquos confracta eſt, vbi voluntas non agnoſcitur pernicioſa fuiſſe, non poteſt puniri. Ex quo Textu conſtat illum fuiſſe Reum furti, non tamen homicidij.

9 Secunda *verò pars noſtra Sententiæ*, Quæ eſt contra ſecundam Opinionem probatur. Quia quando opus prohibetur, quia periculoſum eſt in ordine ad homicidium inde ſequutum eſt voluntarium in cauſa; ergo inducit irregularitatem. *Antecedens Probatur.* Opus de ſe tendit ad homicidium; ergo qui vult illud, conſequenter vult homicidium. *Ex quo ſequitur.* Quod dans operam rei illicitæ, & periculoſæ nunquam cenſetur adhibere debitam diligentiam, ne ſequatur homicidium, niſi ceſſando à tali opere, nam quamdiu vult opus, vult cauſam, & periculũ homicidij. *Hanc* autẽ ſententiam ego ſic limito, vt in foro conſcientiæ ſolùm procedat quando opus illicitum, cui datur opera eſt de ſe ita periculoſum, vt ſit proxima occaſio mortis. At verò in rebus in quibus rarò contingit mors, vt in venatione Aprorum, & Vrſorum, & aliis huiuſmodi. Exiſtimo, quòd ſi adhibita fuit diligentia debita, non ſit irregularis in foro conſcientiæ, quamuis in foro exteriori ſemper damnabitur tanquam irregularis, præſertim Clericus, cui ſpecialiter prohibita eſt talis venatio.

Soluuntur Argumenta.

1 AD Primum Argumentum factum pro prima Sententia bona eſt ſolutio ibi data, nec contra illam procedit *Capit. Apoſtolica*, ſi attentè legatur *Ad Replicam autem Dicimus*, Argumentum à ceſſante ratione non valere, niſi procedat à negatione totius cauſæ totalis, & adæquatæ, cauſa autem adæquata excuſandi aliquem ab irregularitate non eſt ſolùm, quia dedit operam licitæ rei, ſed quia debitam adhibuit diligentiam, nam quamuis opus ſit licitum, ex quo tamen neceſſariò ſequitur mors, ſi non adhibeat debitam diligentiam ad vitandam mortem, erit irregularis. *Ad Confirmationem Reſpondetur*, Quòd *Sanct. Thom.* intelligendus eſt de dante operam rei illicitæ, & periculoſæ.

Ad *Argumentum* pro ſecunda Sententia iam 2
Diximus, quòd quamdiu homo non ceſſat ab opere illicito, & periculoſo non cenſetur adhibere ſufficientem diligentiam. Et per hoc patet ad Primam Confirmationem. *Ad ſecundam Reſpondetur* Bene contingere, quòd homicidium ſit voluntarium, & culpabile dandi operam rei illicitæ, & periculoſæ, & tamen non ſit voluntarium alteri, cui talis res eſt licita. *Et ratio eſt*, Nam qui dat operam licitæ rei, non vult homicidium in ſe (vt ſupponimus) nec in cauſa, ſiquidem non tenebatur vitare illam, & adhibuit debitam diligentiam. At verò qui dat operam rei illicitæ, & periculoſæ, vult homicidium indirectæ, & in cauſa, quia tenebatur eam vitare in ordine ad vitandum homicidium, vt conſtat ex doctrina *Sanct. Thom.* 1. 2. *quæſt.* 6. *artic.* 3.

Dubitabis *tamen*, An Clericus in ſacris Chi- 3
rurgiam exercens per inciſionem, ſiue aduſtionem fiat Irregularis morte, vel mutilatione ſubſequuta, quamuis omnem adhibeat diligentiam? *Et videtur* quod non ex *Capit. Tuam nos* ſæpè citato. Dico tamen talem Clericum incurrere irregularitatem ſecundùm Ius, niſi habeat ſpecialem diſpenſationem illius à Summo Pontifice. *Et Ratio huius eſt.* Quia opus illud eſt periculoſum. Ita tenent plures Authores, quos refert, & ſequitur *Stephanus de Auila vbi ſupra Dub.* 2. Ad illud autem *Cap. tuam nos*, Dicimus, Quòd ibi potius cenſetur irregularis ille Monachus, ſiquidem dicitur, quòd poteſt cum illo miſericorditer agi, quia non propter quæſtum, ſed propter pietatem curauit.

Dubitabis *Deinde*, An Magiſter caſtigans Diſ- 4
cipulum, ſi ex caſtigatione caſu ſequatur mors, fiat irregularis? Partem affirmatiuam tenet *Felinus in cap. Presbyterum de Homicidio.* Dico tamen ſi non exceſſit in caſtigatione, & circumſpectè, fecit, quamuis ſequatur mors, non manet irregularis, quia tunc homicidium eſt merè caſuale, metaphyſicè loquendo, id eſt omnino inuoluntarium. Si tamen nimis exceſſit, vel ſine circũſpectione fecit, ita vt percuteret in capite, vel loco periculoſo, manet irregularis, vt conſtat ex *Cap. ad Audientiam de Homicidio.* Ita tenent plures Authores, quos refert *Stephanus de Auila, & Henriquez part.* 2. *c.* 14. *n.* 4. *in Gloſſa Littera D.* Vbi infert, Quòd ſi Iudex iuber furem flagellis cædi ſecundùm præſcriptum legis, & tamen executor excedens, occidit executor ſit irregularis, non Iudex.

Dubitabis *inſuper*, Vtrùm qui illicitè percuſſit 5
alterum vulnere non lethali, & tamen percuſſus moritur ex malo regimine, vel ex imperitia, aut negligentia Chirurgi maneat percuſſor irregularis? Partem negatiuam tenet *Caiet. in iſta Quæſtione.* Et Alij. Partem autem affirmatiuam tenent Alij plures, quos omnes refert *Stephanus de Auila.* Dico tamen, Si vulnus erat graue, quamuis non lethale de ſe, percuſſor manet irregularis. *Probatur.* Quia ſi vulnus non eſſet illatũ mors non eſſet

ſequuta,

ſequuta, etiam poſita imperitia Chirurgi, & malo regimine; ergo vulnus fuit concauſa mortis. Si tamen vulnus erat adeò leue; vt exiguo medicamine poſſet ſanari, & nihilominus mors ſequuta eſt ex imperitia Chirurgi, vel quia ex malitia adhibuit medicamenta nociua, tunc homicidium non imputabitur, ſed Chirurgo. *Dico Deinde*, quamuis mors non ſequatur præcisè ratione vulneris; quia non erat lethale, ſed ratione febris, vel alterius infirmitatis inde prouenientis à qua nunquam percuſſus conualuit; percuſſor fit irregularis irregularitate homicidij caſualis ſecundùm Ius. Ita tenent plures Authores, quos ibidem refert *Stephanus de Auila.* Et ratio eſt eadem atque præcedenti dicto.

6 Dubitabis *Vlterius*, Vtrùm ſaltans cum muliere grauida fiat irregularis aborſu ſequuto poſt animationem? *Syluester verbo Saltus*, dicit quod ſi ſaltatio erat illicita, vt ſi erat amator obſcœnus, aut Clericus, fit irregularis; & idem ſentit *Nauarrus lib. 5. Concl. conſil. 20. de Homicidio*, & probatur *ex Capit. Sicut ex Litterarum de Homicidio.* Dico tamen. Si ſaltatio fuit moderata non inducit irregularitatem, quamuis fuerit illicita, vt in Clerico, ſiue amatore obſcœno: Secus verò ſi fuit ita immoderata, vt meritò ex illa timeretur aborſus, quia ſic dabatur opera rei illicitæ, & periculoſæ. Et ſic eſt intelligendum *Caput illud citatum*

7 Dubitabis *Præterea* de alente feram, vt vrſum; vel leonem, qui tamen occidit aliquem. Dico ad hoc. Si cuſtodit illam benè ligatam, & abſque ſua culpa eſt ſoluta, non incurrit irregularitatem, aliàs incurret illam. Ita *Nauarrus, Couarruu. Henriquez*, & Alij, quos refert *Auila.* Et ratio huius eſt eadem, atque pro præcedenti dicto. *Aduertendum tamen*, Quòd quamuis habeat feram ligatam, ſi tamen ponit illam in via, vel publico loco, quæ occidit incautè antecedentes, fit irregularis.

8 Dubitatur *tandem*: An ſi puer intra tempus infantiæ; ſcilicet ante ſeptennium habeat plenum vſum rationis ſufficientem ad peccandum mortaliter, fiat irregularis ſi occidat? Partem affirmatiuam tenent plures Authores. Sed nihilominus probabilius eſt oppoſitum, *Tum quia* (vt diximus *Diſput. præced. art. 2.*) *Clementina, Si Furioſus* extenditur ad excipiendum infantem; *Tum quia in Cap. Infans ff. Ad legem Corneliam de Sicariis*, dicitur, Quòd Infans, vel furioſus, ſi hominem occiderit, non tenetur lege Cornelia; quæ ſtatuebat illum irregularem. Quando autem beneficium conceſſum eſt cauſa miſerationis, extendi debet non ſolùm ad infantem vſu rationis carentem, ſed ad alios: *Maior tamen Difficultas eſt*; Si ille ſit maior ſeptennio, & non habeat plenum vſum rationis, vel dubitetur vtrùm habeat illum; *Ad hoc Dico* Non fieri irregularem propter eandem rationem, ſicut nec fit irregularis opprimens dormiendo aliquem, niſi id fiat ex propoſito, & incuria culpabili, vt diximus. Et eadem ratione extrahens cautè ſecundùm regulas artis ſagittam, vel gladium de homine percuſſo morte accelerata non fit irregularis. De aliis autem quam plurimis caſibus in particulari ſpectantibus ad iſtam Diſputationem legendi ſunt Authores, quos iam citauimus.

DISPVTATIO XXII.

De Irregularitate proueniente ex Mutilatione.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Mutilatio alicuius membri inducat irregularitatem?

VIDETVR *quod non.* Quia vt habetur in *Cap. Is qui non in 6. lib. 5. tit. 11. de Sententia Excommunicationis*, nulla irregularitas eſt admittenda, niſi ſit expreſſa in Iure; ſed in nullo iure habetur expreſsè irregularitas poſita propter mutilationem; ergo non eſt admittenda. *Minor probatur.* Quia in iure dum ponitur irregularitas propter homicidium, nulla fit mentio de mutilatione: & ex alia parte, cum irregularitas ſit pœna odioſa, nō debet extendi ab homicidio ad mutilationē, ergo. 1

Dico *tamen* certiſſimum eſſe irregularitatē incurri propter mutilationem actiuam alicuius membri humani. Dixi *propter mutilationē actiuam*, quia modo non agimus de mutilatione paſſiua, id eſt, de defectu alicuius membri, quia irregularitas ex tali defectu pertinet ad irregularitatem prouenientem ex defectu natalium, de qua in *ſequenti Diſput. dicemus.* Et quidem nomine *Mutilationis* intelligitur abſciſſio, & ſeparatio membri ſecundùm Sententiam communem Doctorū, & non intelligitur debilitatio, ſiue tarditas, vt Aliqui exiſtimant. Sic igitur explicata Concluſio eſt cōmunis Sentētia omnium Theologorū, & Iuriſperitorum. *Tota tamen Difficultas eſt* in aſſignandò aliquo textu Iuris vbi expreſsè cōtineatur iſta irregularitas. Circa quam Difficultatem *Suarez. diſp. 44. ſect. 1.* exiſtimat contineri in *Cap. in Archiepiſcopatu, de Raptoribus, & Incendiariis*, Vbi decernitur Epiſcopos poſſe caſtigare malefactores circa vindictam Sanguinis: Si autem debeant puniri morte, vel mutilatione, remittendi ſunt ad poteſtatem ſæcularem. Sed certè ex iſto *Cap.* non videtur ſufficienter probari iſta irregularitas, *Tum quia* ſolùm procedit de Clericis mutilantibus, nec inde liceret extendere illam ad alios, cùm ſit odioſa; *Tùm quia* ibi ſolùm prohibetur Clericis mutilatio, & nulla fit mentio de irregularitate. *Probat* deinde *Suarez.* ex *Clement. Si Furioſus*, vbi dicitur, quòd qui occidit, vel mutilat, non valens aliter ſe defendere, non manet irregularis; ergo ſentit Ius fieri irregularem, qui mutilat extra caſus illius *Clementinæ.* Sed certè hoc potius eſt argumentatiuè colligere irregularitatem, & non oſtendere illam expreſſam in Iure illo. 2

Quo *Circa* probatur noſtra Concluſio ex *Cap. Aliquantos 51. diſt.* Vbi expreſsè decernuntur irregulares, qui in cauſis forenſibus verſati ſunt, & in bello, & ſæua præcepta impleuerunt, eſt autem ſæuitia quædam abſcindere membrum hominis contraria lenitati, & manſuetudini Chriſti. Cùm igitur ibi imponatur irregularitas vniuerſaliter non ſolū pro homicidis, ſed pro omnibus, *qui ſæua præcepta impleuerunt*, ideò illo texto cōtinetur expreſsè. *Secundò probatur Ratione.* Quia (vt alibi 3

Diximus) Legitima mens, ſenſus, & anima Iuris eſt vniuerſalis Interpretatio Doctorum exiſtimantium aliquid in Iure contineri, ſed vniuerſi Doctores cenſent irregularitatem mutilationis contineri in Iure; ergo dicendum eſt illam eſſe expreſſam in Iure. Ad rationem dubitandi conſtat ex dictis.

4 Dubitabis: Quæ pars hominis dicatur *Membrum*, vt ſi abſcindatur, inducatur irregularitas? Prima Sententia eſt *Caietani 2.2.quæſt.65.artic.1.* & *Soto libro 5. de Iuſtitia quæſt.2.artic.1.* Et Aliorum exiſtimantium non ſolùm dici membrum illam partem, quæ habet officium diſtinctiuum ab aliis, ſed etiam illam, quæ habet officium iunctum cum aliis, vt digitus.

5 Dico *Tamen.* Probabilior eſt alia Opinio, & à Nobis tenenda, quæ aſſerit illam partem hominis dici propriè *Membrum*, quæ habet officium diſtinctum ab aliis partibus, vt oculus ad videndum, manus ad palpandum, auris ad audiendum, & ſic de reliquis. Si autem non habet ſpeciale officium quamuis opem ferat aliis, vt digitus iuuans manum, non dicitur propriè *Membrum.* Ita tenet *Couarr. Nauarrus, Henriquez,* & multi Recentiores quos refert, & ſequitur *Stephanus de Auila part.7.diſp.5.ſect.1.* Et probatur primò, Quia (vt docet *Ariſt.libr.10. de partibus animalium cap.5.*) illa dicenda ſunt membra corporis, quæ ſunt in illo operationis propriæ genericæ; & colligitur ex *D.Paulo 1. Corinth.12.* dicente, Quòd membra in corpore diſtinctam habent operationem; ſed digitus non habet diſtinctam operationem à manu; ergo. *Deinde probatur Ratione.* Quia cum irregularitas ſit pœna odioſa, ſolùm debet comprehendere mutilationem membri propriè ſumpti; ergo extendenda non eſt ad alia membra.

6 Ex *Dictis ſequitur Primò* Non eſſe irregularem, qui alteri abſcindit auriculam, ideſt Cartilaginem, quæ ſolùm deſeruit ad ornatum, & tutelam auris, ſed oportet, vt Organum auditus abſcindat, vt maneat irregularis. Et eadem ratione non manet irregularis, qui euellit dentem, vel præſcindit digitum, etiam pollicem, vel indicem, eò vel maximè, quia iſti non habent per ſe propriam operationem. Et ſimiliter non fit irregularis, qui alteri abſcindit teſticulos. (De eo verò qui ſibi abſcindit iſta dicemus in ſubſequentibus.) Teſticuli namque nullam propriam operationem habent abſque membro genitali. De eo autem, qui præſcindit mamillam fœminæ Aliqui cenſent fieri irregularem: Aliqui tenent oppoſitum, & vtrumque etiam probabile. *Secundò ſequitur* poſſe contingere, vt aliquis faciat alium irregularem, & ipſe non fiat irregularis, vt ſi abſcindat alteri indicem, aut pollicem, præſertim de dextera manu. Sed de hoc in ſubſequentibus dicemus.

7 Dubitabis *Præterea* Vtrùm qui læſit membrum alterius reddens illud inutile ad ſuam operationem maneat irregularis? *Videtur quod ſic*, Quoniam idem prorſus nocumentum infertur proximo, & idem peccatum committitur, ac ſi omnino abſcinderetur. *Confirmatur Primò.* Quoniam iſta læſio membri quamuis non ſit materialiter, & realiter ſeparatio illius, nihilominus formaliter eſt idem atque ſeparatio, & eadem indecentia, & ſæuitia reperitur vtroque modo fiat. *Confirmatur Secundò.* Quia aliàs ſequeretur, quod qui oculum alterius reddit omnino aridum, non maneret irregularis, ſiquidem nullum abſcindit membrum, & tamen nihil minus facit, quàm ſi erueret illum oculum. *Confirmatur Tertiò*, Quia aliàs ſequeretur non incurrere irregularitatem eum, qui abſcindit membrum; Conſequens tamen eſt falſum, ergo. *Sequela probatur.* Quia ſi prius redderet illud inutile, & aridum, quamuis poſtea abſcinderet illud, non abſcindit verum membrum, ac ſubinde per abſciſſionem non incurrit irregularitatem; ergo ſi non incurrit illam reddendo membrum inutile, manifeſtè ſequitur poſſe ſine irregularitate abſcindere membrum alterius.

Pro *Reſolutione notandum eſt* Dupliciter poſſe ex læſione fieri membrum aridum. *Vno modo* ita vt totaliter reddatur inutile ad operationem exercendam, non tamen totaliter fiat emortuum, ſed participet aliquem influxum vitæ. *Alio modo* ita vt totaliter areſcat taliter vt nullum vitæ influxum participet, quamuis hoc contingat raró. 8

Dico *Igitur Primò.* Si quis primo modo lædat membrum, non manet irregularis. Hæc Concluſio eſt communis Sententia inter Doctores. *Et Ratio eſt manifeſta*, Quia cum membrum illud participet influxum vitæ, remanet continuum cum reliquo corpore viuente; ergo non manet abſciſſum formaliter, nec materialiter. Et ex alia parte cum irregularitatis lex ſit odioſa nullatenus extendenda eſt niſi ad veram abſciſſionem, ſeu mutilationem membri. 9

Dico *Secundò.* Si læſio membri fiat ſecundo modo, ſic lædens fit irregularis. *Probatur*, Quia tunc membrum illud omnino emortuum non informatur anima rationali, ſed alia forma, vnde nec eſt continuum cum reliquo corpore viuenti, ac ſubinde quamuis non ſit realiter ſeparatum, & materialiter, nihilominus verè, & realiter eſt ſeparatum. Et præſertim quantum ad exercendam ſuam operationem; ergo cum irregularitas inducatur propter veram abſciſſionem membri, qualis eſt iſta, illam comprehendit lex irregularitatis. 10

Dico *Tertiò.* Qui abſcindit membrum debilitatum, & inutile, non tamen totaliter emortuum manet Irregularis. Qui autem abſcindit membrum totaliter mortuum, nullam incurrit irregularitatem, quando ipſe non fecit membrum illud eſſe mortuum per læſionem moraliter coniunctam cum abſciſſione illius. *Prima pars huius Concluſionis colligitur neceſſario ex præcedenti*, Quia illud membrum, vtpotè viuens continuum erat cum reliquo corpore viuenti. *Et ſi obiicias* Illud non eſſe formaliter membrum, quia non poterat exercere propriam operationem, verum autem membrum dicitur, quòd poteſt exercere illam, vt conſtat ex *Articul. præcedent.* *Reſpondetur* Illud eſſe formaliter membrum, quamuis ab extrinſeco ſit impeditum à ſua operatione; ſecus eſt de membro emortuo, vtpotè ab intrinſeco impedito ab operatione ſua, quia non informatur anima rationali; vnde non eſt pars vera hominis, & à fortiori nec membrum. Et ex hoc conſtat probatio pro ſecunda parte Concluſionis. 11

Tertia *Autem pars Concluſionis aſſerit*, Quòd ſi idem homo læſit membrum faciendo illud emortuum, & ſimul abſcidit, ita vt læſio, & abſciſſio, quamuis ſint duæ actiones reales, & fiant diſtinctis temporibus, ſi tamen habeant vnitatem moralem inducunt irregularitatem, Quia illa læſio membri, quando erat viuum induit rationem abſciſſionis futuræ. Si tamen moraliter nullatenus coniungantur iſtæ operationes, ille non manet irregularis, quia prima læſio nullo modo inducit 12

rationem

rationem abſciſſionis. *Ex dictis* conſtat ſolutio ad Argumentum cum ſua prima, & tertia Confirmatione. *Et ad ſecundam Dicimus ſpecialiter*, Quòd ſi oculus manſit ex læſione omnino mortuus, lædens fit irregularis, ac ſi erueret illum, ſiue dextrum, ſiue ſiniſtrum, vt conſtat ex *Capitul. Vltim. Diſtinct.* 55. Secus autem ſi oculus non manſit quamuis omnino lumine priuatus, non fit lædens irregularis.

Articvlvs II.

Vtrùm qui ſeipſum mutilat incurrat irregularitatem?

1 IN hac difficultate in primis tria ſupponenda ſunt tanquam certa, & alia tria ſunt, quæ difficultatem habent. *Primò certum eſt*, Quòd qui ſe ipſum mutilat, ita vt ſibi membrum abſcindat non ſanitatis cauſa, efficitur irregularis, non ſecus ac ſi alium mutilaret. *Ratio huius eſt manifeſta*, Quia tunc eodem modo iſte eſt cauſa voluntaria mutilationis ſuæ, ac ſi alium mutilaret. *Secundò certum eſt*, Quòd qui abſcindit ſibi partem aliquam ſui corporis voluntariè, etiamſi membrum non ſit, imò etiam ſi partem partis abſcindat, videlicet partem digiti, fit irregularis. *Cuius ratio eſt*, Quia ita habetur expreſsè in *Iure Diſt.* 55. *Cap. Qui partem*, vbi dicitur, Quòd qui partem digiti ſibi abſcindit fit irregularis, & tamen digitus non eſt membrum, ſed pars; ergo qui partem partis abſcindit fit irregularis. Ex quibus Regula quædam generalis colligitur à Doctoribus, videlicet, Quòd quotieſcúmque aliquis fit irregularis mutilando alium, etiam fit irregularis mutilando ſe ipſum, non tamen è conuerſo. *Tertiò certum eſt*, Quòd qui ſanitatis cauſa ſe, vel alium mutilat non fit irregularis. *Et ratio huius eſt*, Quia talis mutilatio non eſt formaliter niſi curatio, ſicut occiſio in propriam defenſionem, formaliter non eſt niſi defenſio. Et inſuper conſtat ex *Cap. ex parte* 2. *de corpore Vitiatis*, & ex aliis multis *Capitibus*.

2 Difficultas *Igitur prima eſt*, An qui partem carnis ſibi abſcindit fiat irregularis? *Et videtur quod non*, Quia irregularitas in *Iure Capit. Qui partem Diſt.* 55. ſolum ponitur propter abſciſſionem partis alicuius membri; ergo non eſt extendenda ad abſciſſionem carnis, ſiue partis homogeneæ. *Dico tamen.* Qui abſcindit ſibi partem carnis notabilem, quamuis alia pars loco ablata virtute naturali ſuccreſcat, irregularitatem incurrit. Probatur ex Deciſione *Cap. iam cit.* Et ex eius ratione. Etenim irregularitas non imponitur in illo *Capite* ex eo ſolùm, quòd quis ſibi abſcindat aliquam partem pertinentem ad totum heterogeneum, & ad integritatem totius corporis humani, ſed imponitur (vt ibidem dicitur) propter atrocitatem ſpecialem, quàm quis circa ſe ipſum exercet, & ad vindicandam voluntatem, quæ ſibi ipſi auſa eſt ferrum inicere; ſed ad hæc omnia impertinens eſt, quòd pars abſciſſa, ſiue pars partis ſit pertinens ad integritatem totius heterogenei; ergo. *Ex hoc conſtat ad Rationem dubitandi*, Quia non fit extenſio, ſed expreſsè ponitur ibi irregularitas pro abſciſſione talis partis carnis.

3 Difficultas *Secunda eſt*, An hæc irregularitas, quam incurrit quis mutilando ſe ipſum, aut ſibi partem abſcindendo, ſit cenſura Eccleſiaſtica an ſolùm ſit Canonicum impedimentum? *Et probatur ſolùm eſſe Canonicum impedimentum*, Quia in mutilatione reperitur vera cauſa voluntaria, non ſecus ac ſi quis alium mutilaret; ſed in mutilatione alterius inducitur irregularitas, quæ eſt Canonicum impedimentum propter indecentiam, & non in pœnam peccati, quia (vt ſupra Diximus) irregularitas homicidij voluntarij culpabilis non eſt ex ſe niſi Canonicum impedimentum; eſt autem eadē irregularitas mutilationis alterius, & occiſionis ac irregularitas proprię mutilationis, ergo. *In contrarium tamen eſt*, Quia vt conſtat ex *Cap. iam citato* irregularitas, quæ ibi imponitur abſcindenti ſibi partem aliquam eſt in pœnam atrocitatis, quam quis circa ſe ipſum exercet; ergo tunc ſit pœna, erit Cenſura Eccleſiaſtica.

Dico *tamen.* In mutilatione, qua quis ſe ipſum voluntariè mutilat, duplex incurritur irregularitas, quæ eſt Canonicum impedimentum, & quæ eſt cenſura. Vtramque partem huius dicti probant duæ rationes modo factæ. In abſciſſione tamen ſui ipſius, quæ non eſt mutilatio membri, ſed ſolùm abſciſſio alicuius partis, quæ non eſt membrum, ſolùm incurritur vna irregularitas, quæ eſt cenſura. *Et probatur*, Quia iſte non incurrit irregularitatem Canonici impedimenti impoſitam generaliter pro omni homicidio, aut mutilatione voluntaria facta ſibi, ſiue aliis; ergo ſolùm incurrit irregularitatem poſitam in illo *Capit. Qui partem* in pœnam delicti atrocitatis, ac ſubinde eſt cenſura Eccleſiaſtica. 4

Sed *Tamen aduertendum eſt.* Quòd ad incurrendam irregularitatem, quæ eſt Canonicum impedimentum in mutilatione ſuiipſius ſufficit peccatum veniale, quia in illo eſt ſufficiens voluntarium ad maximam indecentiam propter quam incurritur hæc irregularitas (vt iam diximus.) Ad incurrendam autem irregularitatem, quæ eſt cenſura in quacumque mutilatione, ſiue abſciſſione partis ſuæ requiritur peccatum mortale. *Et ratio eſt*, Quia hæc irregularitas imponitur propter peccatum, vtpotè in pœnam, leue autem peccatum non eſt dignum tanta pœna. 5

Difficultas *Tertia eſt*, An qui ſeipſum indirectè mutilat, aut indirectè ſibi partem abſcindit, eo quia voluntariè dedit cauſam culpabilem, ſiue occaſionem; vt ab alio mutilaretur incurrat irregularitatem? *Partem* affirmatiuam tenet *Nauarrus in Manual. cap.* 27. *num.* 198. Et ratio eius eſt. Quia iſta mutilatio, ſiue abſciſſio partis facta ab alio fuit voluntaria in ſua cauſa illi, qui voluit cauſam, & paſſus eſt mutilationem, ſiue abſciſſionem ex illa ſubſecutam. *Dico tamen in caſu huius dubij*, Qui paſſus eſt illam mutilationem, ſiue abſciſſionem, nullatenus incurrit illam irregularitatem impoſitam in illo *Capit. Qui partem.* Et probatur ex alio *Cap. de Corpore Vitiatis*, & ex *Capit. ſi quis* 2. *eadem Diſt.* 55. Vbi expreſsè decernitur hanc irregularitatem incurri propter abſciſſionem, ſiue mutilationem affectatam ab ipſo, qui ſe abſcindi permiſit; vnde ſolùm incurrit hanc irregularitatem in aliquo caſu, quando videlicet voluit cauſam, in qua neceſſariò continebatur talis mutilatio, aut abſciſſio, & præuidit, & tamen affectauit ponere talem cauſam. Iſte tamen caſus eſt rarus, & ideò doctrina *Nauarri* non eſt regulariter, & communiter vera. *Aduertendum tamen eſt*, Quòd quando ſequitur mutilatio alicuius membri facta ab alio, ille qui dedit cauſam, & paſſus eſt, incurrit aliam irregularitatem 6

tem, quæ eſt Canonicum impedimentum, & eſt generalis propter quamcumque mutilationem, vel occiſionem ſui, vel alterius volitā in ſua cauſa.

6 Dubitabis: Vtrùm læſio facta proximo citra occiſionem, & mutilationem, ſiue abſciſſionem induat irregularitatem? In hac difficultate aliqui Authores tenent, Quòd ſæculares ſi lædant enormiter proximum, etiam citra occiſionem, mutilationem, & abſciſſionem incurrunt irregularitatem. Et ſtatuunt regulam generalem, videlicet, Quòd quotieſcúmque lædens per læſionem enormem reddit alterum irregularem manet ipſe lædens irregularis. Et vt hoc explicent aduertunt duplicem eſſe læſionem, videlicet aliam actiuā procedentem à lædente, & aliam paſſiuam receptam in læſo, & hæc reddit læſum irregularem, quando interuenit vna ex tribus conditionibus. *Quarum prima eſt*, vt læſio ſit tam enormis, quòd prohibeat læſum, ſeu impediat, ne poſſit exercere miniſterium altaris, & ordinis. *Secunda Conditio.* Quòd quamuis poſſit exercere tale miniſterium, nihilominus hoc fiat cum magna indecentia. *Tertia Conditio.* Quòd quamuis poſſit exercere tale miniſterium ſine maxima indecentia, nihilominus læſio ſit talis, vt inferat notabilem deformitatem.

7 Quo *Suppoſito* Duo dicunt iſti Authores. *Primum eſt.* Quòd læſio paſſiua, cui xdiacet quæcumque ex his conditionibus reddit læſum irregularem, quamuis ſine culpa ſua læſus fuerit. Et hoc quidem dictum eſt verum, de illo tamen nihil in præſenti agendum, ſed in *Sequent. Diſput. Secundò* dicunt lædentem fieri irregularem ſemper atque per iſtam læſionem reddit læſum irregularem. *Et probant primò* ex quodā motu proprio *Martini V.* Concedentis cuidam Religioni, vt Prælatus poſſit abſoluere, ſeu diſpenſare in irregularitate ſuorum ſubditorum contracta, non ſolùm propter homicidium occultum, & propter mutilationem, ſed etiam propter Sanguinis effuſionem; ergo ſentit Pontifex incurri irregularitatē non ſolùm propter mutilationem, ſed etiam propter maximam læſionem cum Sanguinis effuſione. *Confirmatur.* Nam *Sixtus V.* impoſuit irregularitatem procurantibus abortum. *Secundò* probant ratione, quia in huiuſmodi enormi læſione non reperitur minor indecentia, nec minor defectus lenitatis, quàm in abſciſſione partis corporis, imò ſæpè infertur maius nocumentum proximo per enormem læſionem.

8 Dieo *Tamen Primò.* Probabile eſt Clericos per enormem læſionem ab ipſis factam aliis, etiam ſæcularibus, incurrere irregularitatem, quæ eſt Cenſura Eccleſiaſtica. *Probatur.* Quia Clericis ſpecialiter prohibitum eſt ne ſe intromittant in cauſam Sanguinis, non ſolùm iuſtam de ſe ſi non prohiberetur, ſed etiam iniuſtam, quæ fit per occiſionem, aut mutilationem, aut abſciſſionem partis corporis: ſed etiam, vt colligunt Doctores, probabiliter iſta prohibitio extenditur ad enormem læſionem, præſertim ſi fiat cum magna Sanguinis effuſione. Vnde in pœnam tranſgreſſionis huius prohibitionis, ſeu præcepti Eccleſiaſtici incurrunt irregulxritatem, quæ eſt Cenſura Eccleſiaſtica. *Dixi* in iſta Concluſione, *hoc eſſe probabile*, nam oppoſitum etiam eſt probabile, quia multi Authores ita tenent. *Et Fundamentum illorum eſt.* Quia illa prohibitio Clericis facta non debet extendi niſi ad caſus in illa expreſſos, in quibus expreſsè non habetur, quòd iſta enormis læſio inducat irregularitatem.

Dico *Secundò.* Sæculares enormiter lædentes alios citra mutilationem, aut abſciſſionem partis, corporis non incurrunt irregularitatem. Et illa regula generalis Authorum oppoſitæ Sententiæ nullo firmo nititur fundamento. *Probatur Concluſio.* Quia nullibi in toto Iure inuenitur expreſsè talis irregularitas impoſita ſæcularibus; vnde pauciſſimi Authores ſunt oppoſitum tenentes, ac proinde noſtra Sententia eſt cōmunis doctrina. 9

Ad *Argumentum* primum factum à principio multiplex ſolet adhiberi ſolutio. Reſpondetur tamen facilè per primam Concluſionem, Quòd cum Pontifex indultum illud faceret Religioſis, cenſuit illos per enormem læſionem incurrere irregularitatem. *Et ſi dicas*; Ergo oppoſitum huius non eſt probabile. Reſpondeo per ſecundam ſolutionem, quòd Pontifex ad ſedandas conſcientias appoſuit illam particulam, quia ſciebat eſſe probabile Clericos per iſtam læſionem incurrere irregularitatem, quamuis oppoſitum eſſet probabile; & ideò vt in vtraque Sententia præſertim in prima manerent tuti, fecit eis illam conceſſionem *Tertiò Reſpondeo*, Quòd ibi ſolùm intendit Pontifex concedere, quòd ſi aliqui Religioſi ſe intromiſiſſent in cauſam Sanguinis iuſtam de ſe, ſi non prohiberetur, propter quam quidem incurriſſent irregularitatem, poſſent diſpenſari à ſuis Prælatis. Ex quo conſtat illam conceſſionem nullatenus eſſe factam ad diſpenſandum in irregularitate contracta per enormem læſionem, cùm talis irregularitas non ſit, vt diximus probabiliter. Ad Confirmationem Reſpondetur illud decretum *Sixti V.* iam eſſe redactum ad Ius commune per *Clementem VIII.* Ad ſecundum argumentum negatur conſequentia, quia quamuis ſit maximus defectus lenitatis illa percuſſio, propter illam tamen non eſt impoſita in Iure irregularitas. 10

DISPVTATIO XXIII.

De Irregularitate proueniente ex indebito Vſu ſiue actiuo, ſiue paſſiuo Sacramentorum.

ARTICVLVS I.

Vtrùm ex iteratione Baptiſmi incurratur Irregularitas?

DE *Iſta* Re agunt Summiſtæ, Verbo *Irregularitas*, & *Verbo Baptiſmus*, & Specialiter *Syluester verbo Baptiſmus §. 3. & verbo Irregularitas, §. 5. & Nauarr. in Manual. c. 27. n. 246.* & Theologi ſuper tertiam partem *D. Thom. q. 66. art. 9.* & *Suarez tom. 5. diſp. 42.* 1

Dico Igitur *Primò.* Rebaptizatores ſcienter, & ipſi Rebaptizati ſcienter, irregularitatis pœnā incurrunt. Iſta Concluſio eſt communis Sententia Theologorum, & Iuriſperitorū. Et probatur communiter ex *c. eos quos de conſecrat. diſt. 4.* & ex *c. 2. de Apoſtatis.* Et quamuis primū *Cap.* videatur loqui tantùm de Epiſcopis, & Præsbyteris, & Diaconis Rebaptizatoribus, & ſecundùm *Capit.* videatur ſolùm loqui de Acholytis miniſtrantibus 2

bus Rebaptizanti, non autem de Subdiacono, & de aliis; nihilominus tamen communis ſenſus omnium Iuriſperitorum, & Theologorum circa illa Capita eſt comprehendere vniuerſos Rebaptizantes, & iſte communis ſenſus eſt anima Iuris, vnde in ipſo continetur hæc irregularitas. Et ſic manet probata prima pars noſtræ Concluſionis. *Pro ſecunda* verò parte vbi loquimur de Rebaptizatis ſcienter eſt Textus irrefragabilis in *Capit. Confirmandum Diſtinct.* 50.

3 Dico *Secundò* Ignorantia culpabilis ſiue Iuris, ſiue facti neminem excuſat à pœna lata contra Rebaptizantes, & Rebaptizatores. *Probatur.* Quia ex communi Doctorum Sententia illa pœna imponitur in Iure propter delictum iterationis Baptiſmi, & ignorantia quæ non excuſat à delicto, non excuſat à pœna.

4 Dico *Tertiò.* Ignorantia inculpabilis excuſat omninò à pœna irregularitatis ſiue Rebaptizantes, ſiue Rebaptizatos. Ista Concluſio eſt contra plures Authores, quos referunt Theologi illa *quæſt.* 66. *artic.* 9. Sed aduertendum eſt, Quòd in Sacerdotibus, qui ſunt miniſtri baptiſmi ex officio, nunquam inueniri poteſt ignorantia inuincibilis, ſiue Iuris, ſiue facti, quia tenentur Iura baptiſmi ſcire, & de facto ſolerter inquirere Ruſtici tamen poterunt aliquando inuincibiliter ignorare. An licite poſſit baptiſmus iterari. *Probatur igitur Concluſio.* Nam hæc irregularitas ponitur propter delictum; ergo ignorantia, quæ excuſat à delicto excuſabit etiam à pœna. *Secundò probatur* ex *Cap. Placuit*, ex *Cap Qui apud* 1, *quæſt.* 1. vbi definitur, Quòd infantes baptizati ab hæreticis promoueantur ad miniſteria altaris; ergo idem erit de ignorantibus inuincibiliter, quia in hac parte non differunt à pueris. *Tertiò Probatur.* Quia ad incurrendam irregularitatem propter ſignificationem, quæ incurritur propter aliquem actum, eſt neceſſarium vt actus ille ſit voluntarius, & humanus directè, vel indirectè; ſed in caſu poſito ignorantia inculpabilis aufert omnino voluntarium, vt dicitur 1. 2. q. 6. ergo. *Confirmatur.* Quia ſic iterantes Baptiſmum dant operam rei licitæ; ergo non incurrunt irregularitatem. *Probatur Conſequentia.* Quia ideò alij incurrunt illam, quia dant operam rei illicitæ.

5 Dubitabis *Tamen*; An Rebaptizantes ſub conditione extra caſum dubij incurrant pœnam irregularitatis? Et dico *Extra caſum dubij*, Quia quando Baptiſmus collatus fuit dubius, licitè poteſt ſub conditione iterari. Ad hoc dubium *Magiſt. Soto* reſpondet affirmatiuè. Sed tamen oppoſitum eſt probabilius, nempe Rebaptizantes, ſiue Rebaptizatos ſub conditione, etiam quando nullum eſt dubium de præterito baptiſmo, non fieri irregulares. Ita tenent cum aliis *Magiſt. Nuño in illa quæſt.* 66. *art.* 9. Et probatur, Quia (vt ſæpè oſtendimus) irregularitas non debet admitti niſi ſit expreſſa in Iure; ſed non ponitur expreſsè in Iure irregularitas contra Rebaptizatos, ſiue Rebaptizantes ſub conditione; ſed ſolùm ponitur propter actum perfectum Rebaptizationis, qui eſt abſolutus, ergo. *Confirmatur.* Nam odia ſunt reſtringenda; ergo pœna irregularitatis cùm ſit odioſa, ſolùm debet comprehendere Rebaptizatos, & Rebaptizantes abſolutè, & non ſub conditione, quia iſti ſolùm Rebaptizant ſecundùm quid.

6 Ex *Dictis ſequitur*, Quòd propter ſolam iterationem baptiſmi perfectam, completam incurritur irregularitas. Itaque ſi aliquis Rebaptizet exterius ſine animo Rebaptizandi, non fit irregularis, quamuis fiat irregularis Rebaptizatus, ſi habuit animum iterum ſuſcipiendi baptiſmum, & de facto ſuſcepit. Si tamen de facto ſuſcepit exterius ſine animo interius ſuſcipiendi, non fit irregularis Rebaptizatus. *Secundò ſequitur* Non fieri irregularem; qui prima vice ſuſcepit baptiſmum, quantumuis fictè ſuſcipiat. *Et probatur*, Quia fictio, vel poteſt eſſe contra ipſum baptiſmum, vel contra effectum eius tantum, qui eſt gratia Et quidem ſi fictio ſit contra ipſum baptiſmum, ita vt ſuſcipiens illum exterius nolit interius baptizari, non manet baptizatus, ac ſubinde nec irregularis, quia irregularitas, iſta ſolùm poteſt comprehendere eos, qui ſunt intra Eccleſiam per baptiſmum. De alia autem fictione manifeſtum eſt non inducere irregularitatem.

Dico *Tertiò.* Adultus, qui differt baptiſmum 7
vſque ad mortis periculum, & tunc neceſſitate compulſus recipit illum, manet irregularis, & inhabilis ad ſacros ordines ſuſcipiendos. Ita tenet *D. Antonin.* 3. *part. tit.* 28. *Cap.* 6 §. 2. *Angelus verb. Irregularitas numer.* 55. *Syluester verb. Irregularitas quæſt.* 21. Et alij quos refert, & ſequitur *Suarez tom.* 5. *diſp.* 42. *ſect.* 1. *n.* 5. Et probatur. Quia iſte caſus irregularitatis continetur planè expreſſus in Iure de *Conſecrat. diſt.* 57. *cap.* 1. *ex Concilio Neocæſarienſi cap.* 12. Vnde vt refert *Euſebius lib.* 6. *Hiſtor. cap.* 32. *Nouatus* fuit ſic baptizatus, & quidem Epiſcopus deſiderabat maximè *Nouatum* ordinare, & id minimè licebat, quia Iure prohibitum erat. *Et ratio huius Decreti eſt*; Quia fides illius, qui ſic baptizabatur; non videbatur eſſe voluntaria, ſed ex neceſſitate. Is autem de cuius vera fide dubitatur, non licebat ad ſacros ordines promoueri, cùm ſic ordinatus debeat eſſe firmus in fide, vt inſtruat alios in illa. Qui autem ex neceſſitate ægritudinis ſuſcipit fidem in baptiſmo in periculo mortis, non videtur permanſurus in fide firmus, ſed potius Dubius. *Aliam rationem aſſignant Alij*, Videlicet, quòd quamuis ſine culpa ſua quis differat baptiſmum vſque ad mortis periculum, quia tamen ſæpè ille non eſt ſufficienter inſtructus in fide, cenſetur Neophytus, & conſequenter non ſatis idoneus ad docendam fidem. Sed prima ratio eſt melior. Et dixi in Concluſione illam intelligi de Adultis, quia de paruulis neutra ratio currit.

Aduertendum *Tamen*, quòd in duobus caſibus 8
ille, qui differt baptiſmum poterit ad ſacros ordines promoueri. *Primus caſus eſt.* Si purgauerit ſuſpicionem, poſtquam incolumis fuerit proteſtatus fidé, docénſque illam firmiter nacta occaſione. *Secundus caſus*, Si vrgeat neceſſitas miniſtrorum Eccleſiæ. Ita decernitur in illo Textu, & tenent omnes Doctores. *Dubitabis tamen*, An in his caſibus requiratur diſpenſatio irregularitatis? Aliqui tenent partem negatiuam. Alij per aliud extremum dicunt eſſe neceſſariam diſpenſationem Summi Pontificis. Sed tamen veritas eſt ſufficere diſpenſationem Epiſcopi, ita tenet communis Sententia, & ad iſtam diſpenſationem non requiritur, vt ſimul concurrant illæ duæ cauſæ nempe purgatio ſuſpicionis, & neceſſitas Miniſtrorum; ſed ſufficit ſi cõcurrat prima cauſa. Et in ſecundo caſu tanta poterit eſſe neceſſitas miniſtrorum, vt quamuis non purgauerit ſuſpicionẽ conueniens ſit illũ ordinari.

Dubitabis *Inſuper*, An iſta irregularitas extendatur ad omnes illos, qui neceſſitate compulſi 6

baptiſmum ſuſceperunt, etiam nulla inſtante ægritudine periculoſa, ſed quia per Vim, & metum, qui non excludat voluntatem baptiſmi, receperunt illum? *Ad hoc dubium Reſpondet affirmatiuè*, Tum quia vbi eſt eadem ratio, eſt eadem Iuris diſpoſitio; *Tum quia* iſte caſus non procedit ſolùm à ſimili cum alio caſu de ægritudine periculoſa, ſed prorſus eſt idem caſus, quia illa lex inducens irregularitatem non fundatur in ægritudine, ſed in periculo inconſtantiæ fidei. De qua inconſtantia ſuſpectus eſt omnis, qui neceſſitate compulſus baptiſmum ſuſcipit, ſiue per metum, ſiue propter inſtantem periculoſam ægritudinem. Imò experientia compertum eſt hanc fidei inconſtantiam in iſtis perdurare vſque ad plures generationes, vnde ſæpè cautum eſt, vt illi non promoueantur ad ſacros ordines, nec committatur illis fidei inſtructio, & multò minus defenſio.

10 Dubitabis *Tandem*, An hæc irregularitas poſſit extendi, ita vt etiam comprehendat illos, qui ob ſolam moram culpabilem dilatant nimis ſuſceptionem baptiſmi, ſunt tamen firmi in fide ante ſuſceptionem illius, & ſolùm procraſtinantur, vt interim liberius peccent in aliis vitiis, quæ non ſunt contra fidem? Aliqui tenent partem affirmatiuam, inter quos eſt *Maior*, vt refert Suarez. Sed tamen veritas eſt iſtos non incurrere irregularitatem, quia nullo modo ſunt ſuſpecti de fide. Quinimò etiam ſi expectent articulum mortis ad ſuſcipiendum baptiſmum, dum tamen manifeſtè conſtet illos ſemper fuiſſe in fide firmos, ſunt immunes ab iſta irregularitate. *Et ratio eſt*, Nam quamuis Textus ille comprehendere videatur vniuerſos, qui ſic differunt baptiſmum, nihilominus in tantũ procedit deciſio Textus, in quantum ſe extendit efficacia rationis decidendi; quæ quidem ratio ſolùm procedit de ſuſpectis in fide propter dilationem baptiſmi, & cum alias lex iſta irregularitatis ſit pœnoſa venit reſtringenda.

11 Dico *Quartò*. Si quis in loco vbi peregrinatur, & incognitus eſt, baptizatus fuerit, fit irregularis, & inhabilis ad ſacros ordines ſuſcipiendos. Ita decretũ fuit in *Cõcil Eliberitino Can.* 24. & habetur apud *Gratianũ Cap. Omnes Diſt.* 98. vbi ſic dicitur, *Omnes qui peregrè, ſeu in peregrinatione fuerint baptizati, eo quod eorum minimè ſit cognita vita, placuit ad Clericum non eſſe promouendos in aliis Prouinciis.* Ex quibus verbis conſtat, non incurri iſtam irregularitatem ratione baptiſmi ſuſcepti formaliter loquendo, ſed ob ignorantiam vitæ, & morũ, quibus ſe geſſit ille ante baptiſmum. Potuerunt namque mores eſſe tam praui, vt meritò poſt baptiſmum denegentur illi ſacri ordines; vel poteſt ignorari an ille ſit Rebaptizatus poſtquam in illa peregrinatione fuit primò baptizatus.

12 Et *Si dicas*: Dubium hoc eſſe merè negatiuum, ac ſubinde ſufficiens ad reddendum inhabilem iſtum hominẽ, quia propter dubium negatiuum de idoneitate alicuius non eſt cõdemnandus. *Reſpondetur tamen Primò*, Quòd quamuis ad habendam opinionem de bona fama alicuius nihil obſtet dubium merè negatiuum, nihilominus ſufficit illud, vt non promoueatur ad ſacros ordines, quamdiu non conſtiterit de integritate vitæ eius, ac de vero baptiſmo, & aliis neceſſariis *Et ratio diſcriminis eſt*, Quia ad habendam bonam opinionem de fama alicuius, non requiritur fieri prius informationem de moribus, & vita ipſius, quæ tamen informatio requiritur ad ſacros ordines. Et ea hoc, *Secundò Reſpondetur* Dubium illud non eſſe merè negatiuum, ſed aliquo modo poſitiuum, quia ille modus recipiendi baptiſmum præbet ſuſpicionem de veritate eius. Legatur *Concil. Trident. Seſſ.* 23. *cap.* 8. *de Reformat.*

Ex *Dictis* Sequitur hanc irregularitatem potius reduci ad illam, quæ oritur ex infamia, ſeu 13
dubia fama; vnde ſublata infamia, ſeu dubia fama non manet ille irregularis; nec indiget aliqua diſpenſatione, & ideò merito in illo Textu adduntur illa verba, *In aliis Prouinciis*, vt detur intelligi hanc dubiam famam moraliter loquendo ſolùm habere locum, dum aliquis baptizatus fuit in remotiſſimo loco, vbi incognitus erat, aliàs autem de facili poteſt tolli iſta dubitatio.

Dico *Quintò*. Quamdiu dubitatur de baptiſ- 14
mo alicuius ſtante illo dubio manet irregularis, & inhabilis ad ſacros ordines ſuſcipiendos. Ita habetur *Cap. Placuit de infantibus, de Conſecrat. Diſt.* 4. Et quamuis nullo Iure eſſet lata iſta irregularitas, nihilominus ex natura rei eſſet illa prohibitio, ne ille ſuſciperet ſacros ordines, quia naturalis ratio dictat non eſſe ſuſcipiendos ab eo de cuius baptiſmo meritò dubitatur. Vnde hæc irregularitas eſt Canonicum impedimentum, imò incapacitas naturalis, vel reducitur ad illam, quam modo dicebamus de dubia fama, quia qui dubius eſt an alter adultus verè ſuſcepit baptiſmum, ſubinde dubius eſt de eius fama. *Aduertendum tamen eſt ad* hoc non ſufficere leue dubium, ſed requiritur graue, quale etiam requiritur ad Rebaptizandum aliquem ſub conditione, quando de eius primo baptiſmo eſt rationabile dubium, & graue.

Dico *Vltimò*. Baptizati ab hæreticis manent 15
irregulares, & inhabiles ad ſacros ordines ſuſcipiendos. Ita definit *Innocentius Primus*, vt habetur *Cap. Ventum eſt* 1. *quæſt.* 1. Cuius rei triplex ratio ſolet aſſignari. *Prima* Odium, quod meritò habet Eccleſia Catholica contra miniſtros hæreticos. Sed tamen illa ratio efficax non eſt, quia ex illa ſequeretur Infantes ab hæreticis baptizatos eſſe irregulares, quòd tamen eſt falſum, vt conſtat ex pluribus capitibus Iuris, vt refert *Suarez* vbi ſupra. *Secunda* ratio eſt dubietas baptiſmi. Sed hæc etiam eſt inefficax propter rationem modò factam de infantibus, & præſertim quia hæretici ferè omnes recipiunt baptiſmum, vnde ritè adminiſtrant illum. *Vnde tertia vera ratio eſt* hanc irregularitatem eſſe impoſitam propter crimen baptizati adulti, qui poterat à Catholico recipere baptiſmum. Vnde noſtra Concluſio ſolùm procedit de adultis.

Articvlvs II.

Vtrùm per indebitam ſuſceptionem aliorum Sacramentorum incurratur irregularitas?

NAuarrus *in Manual. c.* 27. *n.* 247. & alij Iuri- 1
ſtæ tenuerunt incurri irregularitatem per iterationem Sacramenti Confirmationis *Quorum Ratio erat*, Quia vbi eſt eadem ratio eſt eadem Iuris diſpoſitio, ſed currit eadem ratio de iteratione confirmationis ac de iteratione baptiſmi, cum vtrúmque Sacramentum imprimat Characterem, nec iterari poſſit; ergo.

Nihilominus vera Sententia eſt oppoſita, quam 2
modò communiter tenent vniuerſi Theologi, &

Iuriſtæ,

Iuriſtæ, inter quos eſt *Magiſt. Nuño 3. q. 72. art. 5. concl. 3. & Suar. tom. 5. diſp. 42. ſect. 2.* Et probatur efficaciter. Quia in iure nulla extat talis irregularitas, nec argumentum à ſimili eſt efficax in materia de irregularitate, vt ſæpè diximus. Illa autem regula, ſcilicet, *Vbi eſt eadem ratio, eſt eadem Iuris diſpoſitio*, eſt intelligenda quando Ius conſtituit vniuerſaliter decretum de rebus eiuſdem ordinis; in præſenti autem dum fit ſermo de irregularitate contracta per iterationem baptiſmi, ſolùm conſtituit Decretum de iſto Sacramento in ſingulari, ſicut de Sacramento Ordinis (vt ſtatim dicemus) vnde non comprehenditur Sacramentum Confirmationis.

3 De *Eucharistia* autem Sacramento oportet diſtinguere, nam in illo ſæpè coniunguntur ſimul duo, videlicet & miniſterium ordinis adminiſtrando illud, & receptio ipſius Sacramenti. *Regula igitur generalis eſt.* Per nullam indebitam ſuſceptionem huius Sacramenti incurri irregularitatem, quia in Iure non extat talis irregularitas. Ratione autem miniſterij ordinis, quod exercetur in iſto Sacramento à celebrantibus illud incurritur ſæpè irregularitas quæ tamen pertinet ad Sacramentum ordinis. De quo ſtatim dicemus.

4 De *Pœnitentia* autem Sacramento manifeſtum eſt etiam per nullam indebitam ſuſceptioné ipſius incurri irregularitatem. Solùm igitur aduertendum eſt eum *Bellarm. tom. 3. lib. 1. de Pœnitentia cap. 21. & 22.* Triplicem eſſe pœnitentiam, videlicet priuatam, quæ eſt Sacramentum, & publicam, & ſolemnem, quæ non ſunt Sacramenta, & per ſolam pœnitentiam ſolemnem incurri irregularitatem, quæ irregularitas potiùs reducitur ad eam quæ oritur ex infamia. Cùm autem talis pœnitentia ſolemnis iam non ſit in vſu in Eccleſia, ideò ablatum eſt fundamentum talis irregularitatis.

5 De *Sacramento* autem Extremæ-Vnctionis magis certum eſt nullam incurri irregularitatem per indebitam ſuſceptionem ipſius; imò regula generalis eſt, per nullam ſuſceptionem alicuius Sacramenti quantumcumque peccaminoſam incurri irregularitatem, ſi talis ſuſceptio conſideretur quatenus præcisè eſt ſuſceptio Sacramenti, vt oſtendit inter alios *Suar. in illa ſect. 2.* in qua non fit ſermo de baptiſmo, nec nos comprehendimus illum in iſta regula, quia jam de eo egimus *art. præced.*

6 Tota *ergo difficultas* eſt de Sacramento Ordinis, & de Sacramento matrimonij, de quibus multa ſuperſunt dicenda, quæ tamen placet relinquere pertractanda in ſuis proprijs locis, cum de his Sacramentis agetur. Et interim legatur *Suarez in illa diſp. 42. ſect. 3.* Vbi latè examinat ſexdecim caſus, in quibus incurritur irregularitas per indebitam ordinum ſuſceptionem. Et *ſect. 4.* latè diſputat de irregularitate, quæ contrahitur per indignam ordinis vſurpationem, & *ſect. 5.* latè etiam examinat alios octo caſus, in quibus incurritur irregularitas per indignam ordinis adminiſtrationem. De Sacramento autem Matrimonij iterato, vel ſemel facto cum vidua, ſiue corrupta, conſtat incurri irregularitatem bigamiæ, de qua in ſuperioribus egimus, & latè tractat *Suar. diſp. 49.* per totam. Vnde in præſenti nihil reſtat ſuperaddendum.

7 Quæſtiones *aliæ* de iſta irregularitatis materia poterant in præſenti diſputari, nempe de irregularitate proueniente ex infamia, de qua tamen ſatis diximus, & legatur *Suar. diſp. 48.* Et ſimiliter de irregularitate proueniente ex defectu natalium, de qua *Suar. diſp. 50.* Et de irregularitate proueniente ex defectu perſonali inculpabili, de qua *Suar. diſp. 51.* Et de irregularitate proueniente ex defectu perſonali culpabili, videlicet ex hæreſi, & Simonia, & aliis huiuſmodi, de quibus *Suar. diſp. 43.* Et frater *Manuel Rodrig. tom. 1. Quæſtionum Regular.* Et alij Authores. Nos igitur ab his diſputandis abſtinemus, & ſuis proprijs locis relinquimus, nec in hoc loco ſunt adeò neceſſaria, cùm ſint tam contingentia, & nimis prolixa eorum diſputatio.

DISPVTATIO XXIV.

De Poteſtate diſpenſandi ſuper Irregularitate.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Epiſcopi habeant poteſtatem diſpenſandi in Irregularitate Homicidij voluntarij liciti?

IN *hac difficultate* ſunt tres ſententiæ. Prima aſſerit, quòd Epiſcopi ex iure antiquo communi poterant diſpenſare in hac irregularitate homicidij voluntarij liciti, idque modò poſſunt, ſiquidem quantum ad hoc non eſt reuocatum Ius antiquum per aliud nouum Ius. Authores huius Sententiæ ſuppreſſo nomine refert *Suarez diſputatione 47. ſectione 6. circa finem.* 1

Secunda *ſententia* aſſerit, Quòd in hac irregularitate poſſunt omnino diſpenſare Epiſcopi non ex Iure antiquo communi, ſed ex iure communi nouo, videlicet ex facultate conceſſa illis in *Concil. Trident. ſeſſ. 24. in decreto de reformat. cap. 6.* Vbi conceditur facultas Epiſcopis, vt poſſint diſpenſare in omnibus irregularitatibus prouenientibus ex delicto occulto, excepta irregularitate homicidij voluntarij. *Ex quibus verbis deſumitur argumentum.* Nam irregularitas homicidij liciti non comprehenditur ſub exceptione illa, ſcilicet ſub irregularitate homicidij voluntarij, quia homicidium licitum non dicitur homicidium ſimpliciter, & abſolutè loquendo, ſed multùm impropriè, cum homicidium importet occiſionem iniuſtam, & illicitam propriè loquendo; ergo hæc irregularitas, quæ contrahitur ex occiſione iuſta, & licita cùm non comprehendatur in illa exceptione, comprehenditur in conceſſione Concilij. 2

Confirmatur. Quoniam irregularitas homicidij voluntarij illiciti longè difficiliùs diſpenſatur, quam irregularitas homicidij liciti voluntarij. *Tum quia* ratione ipſa conſtat grauiorem eſſe indecentiam in homicidio illicito, & quia illicitum, & quia voluntarium; *Tum quia* expreſsè decernitur in *Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 7.* Quod ſuper irregularitatem homicidij voluntarij illiciti nunquam fiat diſpenſatio, ſed talis homicida omni prorſus ordine, ac beneficio, atque Eccleſiaſtico officio perpetuò careat. Ergo cum ſub illa determinatione, & deciſione non includatur homicidium volunta- 3

rium licitum, conſequenter non includitur in illa exceptione, quæ habetur in *c.6.ſeſſ.24.*

4 Confirmatur *Secundò.* Quia homicidia iſta licita comprehenduntur à Iure ſub homicidio caſuali, cum igitur in illo *Decreto Concilij* ſolùm excipiatur irregularitas homicidij voluntarij, quatenus à caſuali diſtinguitur, videtur conſequenter dicendum concedi Epiſcopis facultas diſpenſandi in irregularitate cuiuſcumque homicidij caſualis, ſub qua continetur hæc irregularitas homicidij liciti. Iſtam Sententiam ſic probatam tenet *Couarr. in Clement. ſi furioſus de homicidio part. 1.* Quem etiam alij Iuriſperiti ſequuntur. Et eandem tenet *Eman. Rodrig. tom. 1. Quæſtionum Regular. Quæſt. 24. art. 8.* Et mouetur iſte Author argumento facto cum prima confirmatione. *Couarr.* autem mouetur ſecunda confirmatione.

5 Tertia *ſententia* eſt omnino negatiua aſſerens. Quod Epiſcopi nullo modo poſſunt diſpenſare in hac irregularitate; Hæc eſt communior Sententia, quam tenet *Nauarr. in Manuali cap. 27. & Bañez. 2. 2. Quæſt. 64 art. 8. & Salon, & Arragon, & Suar. in illa diſp. 47. ſect. 6.* In hoc dubio duo ſunt, quæ poſſunt habere difficultatem. *Primum* eſt circa fundamentum, quo mouentur aliqui ex Authoribus ſecundæ Sententiæ, videlicet, nomine *homicidij voluntarij* non comprehendi occiſionem hominis iuſtam, & licitam. *Secundum* eſt de principali Quæſtione. Et quidem circa primum non ſolùm aliqui ex Authoribus ſecundæ Sententiæ tenent, quod nomine *homicidij voluntarij* in ordine ad irregularitatem inducendam non intelligitur occiſio hominis iuſta, & voluntaria, verum etiam plures Authores tertiæ Sententiæ id ipſum exiſtimãt. Ita *Suar. & Magiſt. Bañez. 2. 2. Q. 40. art. 2. dub. 4.* quamvis *Quæſt. 64. art. 8.* vbi diſputat de diſpenſatione huius irregularitatis, oppoſitum teneat. *Caiet.* Inſuper in *Summa verb. Irregularitas* vniuerſalem tradit regulam, videlicet, Quod quotieſcumque conceditur facultas diſpenſandi in omni irregularitate, excepta irregularitate homicidij voluntarij, conceditur facultas diſpenſandi in irregularitate contracta ex occiſione hominis voluntaria iuſta, & licita. *Et ratio eius eſt.* Quia talis occiſio hominis non comprehenditur ſub nomine *homicidij voluntarij*, cùm illud importet iniuſtam, & illicitam occiſionem hominis.

6 Dico *tamen primò.* Probabilius eſt, quod in materia irregularitatis nomine *homicidij voluntarij* intelligitur occiſio hominis voluntaria iuſta, & licita. Hanc Sententiam tenet *Magiſt. Bañez, & Arragon, & Salon ſuprà cit.* Quin potiùs plures Doctores hoc ſupponunt tanquam certum in iſta materia, quamvis loquendo in rigore Metaphyſicò nomen *homicidium* ſolùm importet occiſionem illicitam hominis (vt nos etiam diximus in initio huius tractatus) vnde nomine *homicidij voluntarij* quoad irregularitatem inducendam comprehenditur occiſio hominis voluntaria, & licita. *Probatur igitur Concluſio*, Quoniam Iura indiſcriminatim loquuntur in materia irregularitatis appellando homicidium, occiſionem iuſtam, vt conſtat in *Clem. de homicidio ſi furioſus*, Vbi occiſio hominis facta in defenſionem propriam quando aliter quis euadere non poteſt, appellatur *homicidium*. Conſtat autem talem occiſionem non eſſe illicitã, ſed licitè fieri, & ſine peccato. Et deinde in tit. *de homicidio voluntario, & caſuali* plura appellantur homicidia, quæ tamen non cenſentur irregularitatem inducere, quia non fuerunt aliquo modo voluntaria, & conſequenter nec peccata.

Confirmatur. Quia potiſſima indecentia, quæ in 7
hac irregularitate conſideratur ab Eccleſia non eſt ratio culpæ homicidij, ſed ratio voluntariæ occiſionis, & effuſionis Sanguinis in ordine ad repræſentandam manſuetudinem Chriſti, quamvis etiã culpa homicidij maiorem inducat grauitatem. Et hac ratione diximus ſuprà irregularitatem homicidij voluntarij culpabilis non eſſe cenſuram impoſitam in pœnam peccati, ſed eſſe ſolùm Canonicum impedimentum, ſicut eſt irregularitas homicidij voluntarij liciti. Meritò ergo tam in Iure, quàm in communibus diſputationibus de materia irregularitatis nomine *homicidij* comprehenditur tam licitum, quàm illicitum, quia in vtroque potiſſima indecentia reperitur.

Maior *tamen difficultas* eſt de homicidio facto 8
in defenſionem propriam cum moderatione Inculpatæ tutelæ. An illud comprehendatur ſub homicidio voluntario? *Ratio dubitandi eſt pro parte affirmatiua*, Quia tale homicidium non eſt caſuale, cùm homicidium caſuale ſecundùm Iura ſemper ſit illicitum; ergo continebitur ſub homicidio voluntario. *In contrarium tamen eſt*, Quia hoc homicidium non eſt, nec poteſt eſſe volitum, ſed vt plurimùm per accidens ſubſequutum; ergo non poteſt comprehendi ſub homicidio voluntario, cùm homicidium voluntarium ſit per ſe volitum. *Pro huius* reſolutione diſtinguendum eſt de homicidio facto in defenſionem, nam vel poteſt fieri ſeruato moderamine, vel illo non ſeruato. Et rurſus ſi non ſeruetur moderamen, vel exceſſus, qui fit in non ſeruando moderamine, vel eſt paruus, vel magnus.

Dico *Igitur ſecundò.* Homicidium factum in de- 9
fenſionem propriã cum moderamine debito propriè loquendo, nec comprehenditur ſub homicidio voluntario, nec ſub caſuali; reducitur tamen ad homicidium caſuale. *Prima pars huius Concluſionis* ſatis conſtat ex dictis à nobis *diſp. 2. huius tractatus*, Vbi latè oſtendimus homicidium voluntarium debere eſſe per ſe volitum in ſe, ſiue in ſua cauſa; ergo cum homicidium factum in defenſionem cũ moderamine nec ſit volitum in ſe, nec in ſua cauſa, nullatenus eſt voluntarium propriè loquendo. *Secunda verò pars*, videlic. non eſſe propriè caſuale, *Probatur.* Nam quamvis homicidium caſuale ſecundùm amplam extenſionem comprehendat homicidium præuiſum, quod regulariter ſubſequi poteſt, & de facto ſubſequutum eſt; nihilominus tamen in ordine ad inducendam irregularitatem illud ſolùm caſuale homicidium dicitur, quod eſt culpabile, & ſecundùm rigorem iuris imputatur ad culpam, ergo cum homicidium factum in defẽſionem cùm moderamine ſit inculpabile, non eſt cenſendum propriè caſuale ſecundùm Ius. *Tertia verò pars*, videlic. illud reduci ad caſuale. *Probatur.* Quia cũ ſequatur multùm per accidens, & ex alia parte omninò differat à voluntario, ſapit naturam alterius extremi, videlic. homicidij caſualis.

Ex *iſta concluſione ſequitur.* Quod ſi priuilegium 10
concedat facultatem diſpenſandi in omni irregularitate homicidij, excepta irregularitate homicidij voluntarij, concedit conſequenter facultatẽ ad diſpenſandum in omni irregularitate homicidij facti in defenſionem, etiam honoris, & bonorum temporalium innocentis. *Et ratio eſt.* Quia cum hæc irregularitas non comprehendatur ſub exceptione illa, & facultas ſit ad omnem aliam, extenditur etiam ad iſtam.

Dico

11 Dico *Tertiò*. Homicidium in defenſionem, ſi non ſeruetur moderamen inculpatæ tutelæ, exceſſus tamen in illo non ſeruando fuit paruus, tale homicidium ſub caſuali comprehenditur. *Probatur ex dictis.* Nam illud per accidens reducitur in voluntatem, & non per ſe, & aliàs eſt culpabile, ergo habet conditiones homicidij caſualis, quod in Iure ſic appellatur) & ſuper eo poteſt fieri diſpenſatio virtute priuilegij exceptantis tantùm homicidium voluntarium (vt dicebamus in fine *concl. præc.*) Aduertendum tamen eſt circa iſtam concluſionem, quod exceſſus paruus non cenſetur ille, qui ſolùm eſt peccatum veniale, nam fortaſſis quicumque exceſſus quantumcumque paruus ſemper eſt mortale, cùm ſit in materia homicidij, & raró poteſt oppoſitum contingere; ſed dicitur exceſſus paruus, quia quamvis ſit mortale peccatum, non tamen eſt ſufficiens, vt voluntas intendat occiſionē illam directè in ſe, vel in ſua cauſa, & hac ratione paruus exceſſus ille extrahit homicidium extra omne homicidium voluntarium per ſe, iuxta dicta *diſp.* 2.

12 Dico *Quartò*. Quando exceſſus eſt magnus in non ſeruando moderamine inculpatæ tutelæ tale homicidium continetur propriè ſub voluntario. *Ratio huius eſt*, Quia tunc eſt per ſe intentum, ſiue per ſe volitum in ſe, ſiue in ſua cauſa; ergo formaliter induerit rationem homicidij voluntarij. *Et ſi inquiras.* Quomodo cognoſcetur ſufficienter quando exceſſus ſit magnus, vel paruus? *Reſpondetur.* Quòd quando aggreſſus nihil curat, nec cogitat de ſeruando moderamine, ſed ſolùm de conſeruandis rebus ſuis, tunc exceſſus erit magnus. Cæterùm quando intendit, & curat ſeruare aliquo modò moderamen debitum, ſi fiat exceſſus in illo ſeruando, cenſeri debet paruus.

13 Circa ſecundum punctum huius articuli *Dico Quintò.* Secundùm ius commune antiquum Epiſcopi non habebant facultatem ad diſpenſandum in irregularitate homicidij voluntarij liciti. Iſta concluſio eſt contra primam ſententiam. Sed nihilominus eſt communis Doctrina, quamvis difficile ſit efficacem eius probationem aſſignare, cum facultas ad diſpenſandum in irregularitate quacumque non ſit Epiſcopis deneganda niſi expreſsè fiat exceptio in Iure, quia Epiſcopi in ſua Diœceſi Iure diuino habent eandem poteſtatem, quam Romanus Pontifex ſupra totam Eccleſiam. In Iure autem Canonico non de facili reperitur, vbi hæc facultas ſit Epiſcopis denegata. Nihilominus tamē exiſtimo efficaciter probari iſtam concluſionē ex *cap. miror diſt.* 50. *& ſequentib. duobus*, & efficaciùs ex *cap. continebatur de homicidio*, in quo irregularitas homicidij ferè caſualis, & aliquo modo voluntarij reſeruatur Summo Pontifici; ergo à fortiori irregularitas homicidij omninò voluntarij.

14 Dico *Sextò* probabilius eſt Epiſcopos etiā poſt *Concil. Trid.* nullam habere facultatem ad diſpenſandum in irregularitate homicidij voluntarij liciti. Probatur ratione efficaci deſumpta ex decreto *Conc. Trid. ſeſſ.* 24. *c.* 6. Vbi ſolùm conceditur Epiſcopis facultas diſpenſandi in omnibus ſuſpenſionibus, & irregularitatibus prouenientibus ex delicto occulto; ſed hæc irregularitas homicidij voluntarij liciti nullatenus prouenit ex delicto occulto; ergo non poteſt dici, quod Epiſcopis poſt Concilium liceat in hac irregularitate diſpenſare. *Ex iſta concluſione ſequitur.* Quod cum homicidium voluntarium licitum non comprehendatur ſub homicidio propriè voluntario (vt diximus) ideò non includitur in illa exceptione Concilij. Et ex alia parte non includitur in illa conceſſione (vt modò probauimus in iſta Concluſione) & ſubinde ex vi decreti *Concilij* nec tollitur, nec conceditur Epiſcopis facultas ſuper irregularitate huiuſmodi homicidij voluntarij liciti, quo circa ſi aliunde haberent poteſtatem diſpenſandi ſuper illam, non tollitur per *Concil. Trid.* ſicut nec datur de nouo.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Epiſcopi habeant poteſtatem ſecundùm Ius commune antiquum ante Concilium Tridentinum ad diſpenſandum in irregularitate homicidij voluntarij illiciti Occulti?

ET *ratio dubitandi eſt* à parte affirmatiua. Quia talis irregularitas non legitur in Iure reſeruata Summo Pontifici. In hac difficultate vnum videtur ſupponi, & alterum inquiri. Nam in titulo quæſtionis ſupponitur homicidium voluntariū illicitum occultum inducere irregularitatem, & inquiritur de eius diſpenſatione. Et quidem circa primum *Eman. Rodrig. tom.* 1. *Quæſtionum regul. quæſt.* 24. *art.* 11. cum aliis Authoribus, quos ibi refert, affirmat tale homicidium omninò occultū non inducere irregularitatem, ac ſubinde nullam requiri diſpenſationem illius quamvis oppoſitum cenſeat eſſe probabile. 1

Dico *tamen primò*. Parum probabilis eſt ſententia illa aſſerens præfatum homicidium illicitum, & omninò occultum nullam inducere irregularitatē. Iſta concluſio ſatis conſtat ex dictis à nobis in *diſput.* 2. *huius tract.* & ex *cap. quæſitum*, quod eſt vltimum de temporibus Ordinandorum. Et videtur manifeſtè colligi ex *Concil. Trid. ſeſſ.* 14. *c.* 7. *de reformat.* Vnde mirum eſt, quod præfatus Author *Eman. Rodrig.* conetur probare ſuam ſententiam ex antiquo Iure, & ex nouo *Concil. Trid.* cum in vtroque noſtra ſententia contineatur. 2

Dico *Secundò*. Probabilius eſt Epiſcopos non poſſe ſecundùm ius antiquum diſpenſare in hac irregularitate. Oppoſitum huius tenent nonnulli Authores, quos refert *Sylueſter verb. homicidium* 3. *quæſt.* 8. Noſtra tamen concluſio eſt communior inter Doctores, & probatur ex *cap. iam cit. in præced. art. ex diſt.* 50. *cap. miror. & ſequent.* Dubitabis tamen, vtrum Epiſcopi ſaltèm poſſint circa hanc irregularitatem diſpenſare quantum ad aliquid, videlicet quantum ad recipiendos ordines minores, vel quantum ad beneficium Eccleſiaſticum obtinendum, vel retinendum. *Et ratio* dubitandi pro parte affirmatiua poteſt deſumi ex *cap. ad audientiam de homicidio*, vbi dicitur, Quod Epiſcopus poſſit diſpenſare quantum ad Ordines minores cum quodam homicida. 3

In *contrarium tamen eſt*, quod cùm hæc irregularitas ſit reſeruata Summo Pontifici, ideircò Epiſcopi non poſſunt diſpenſare quantum ad ſuſceptionem ſacrorum ordinum; ergo nec quantum ad ſuſceptionem minorum, *Probatur conſequentia* Nā per reſeruationem priuantur Epiſcopi illo, quod maius eſt, & conſequenter illo quòd minùs eſt. *In hac* difficultate duo ſunt examinanda. Primum eſt, quam facultatem habuerint Epiſcopi circa hanc irregularitatem ante *Concil. Trid.* Et ſecundum eſt, Quid poſſint poſt Concilium. 4

Dico *igitur tertiò*. Secundùm ius antiquum probabile

babile eſt Epiſcopos potuiſſe diſpenſare quantum ad obtinendum, & retinendum beneficium ſimplex; & ſimiliter quantum ad retinendum beneficium curatum. Hæc concluſio ſatis probatur probabiliter ex *cap. 2. de Clericis pugnantibus in bello*, & ita tenent aliqui Authores, qui ſufficiunt ad conſtituendam iſtam probabilitatem.

5 Dico *Quartò*. Epiſcopi poterant ante *Concil. Trid.* diſpenſare in adminiſtratione Ordinum Minorum, non tamen quantum ad ſuſceptionem de nouo. *Prima* pars huius concluſionis probatur ex illo *cap. ad audientiam*, ex quo probabiliter poteſt colligi, eo quia ibi conceditur facultas Epiſcopis circa irregularitatem cuiuſdam caſualis homicidij, vnde probabiliter poteſt colligi concedi eadem facultas circa irregularitatem homicidij voluntarij occulti, eo quòd cõceſſio illa fauorabilis eſt, & extendi poteſt, cùm ſit eadem ratio de homicidio caſuali, & de omnino occulto. *Secunda autem pars probatur*. Quia ex nulla conceſſione iuris poteſt probabiliter colligi talis facultas ad diſpenſandum in ſuſceptione Ordinum Minorum.

6 Dico *Quintò*. Quamvis non ſit improbabilis ſententia aſſerens Epiſcopos idem poſſe circa iſtã irregularitatem poſt *Concil. Trid.* atque poterant antea, nihilominus probabilior eſt oppoſita ſententia, quæ quidem firmius fundamentum habet in decreto Concilij *ſeſſ. 14. cap. 7. de reform.* adiuncta etiam *ſeſſ. 24. cap. 6.* Ex dictis patet ad rationes dubitandi.

7 Dubitabis *inſuper*; vtrùm Epiſcopi poſſint diſpenſare ſaltèm in omni alia irregularitate homicidij caſualis, & etiam mutilationis? *Et ratio dubitãdi eſt à parte negatiua.* Quoniam omnis talis irregularitas videtur reſeruata Summo Pontifici excepta ea, quæ prouenit ex delicto occulto; ſed irregularitas homicidij caſualis, & mutilationis per ſe non prouenit ex delicto occulto; ergo per ſe non eſt diſpenſabilis ab Epiſcopo. *In contrarium* tamen eſt, quia in *Concil. Trid. ſeſſ. 14. c. 7.* conceſſa videtur Epiſcopis facultas diſpenſandi in regularitate homicidij caſualis, & in illa, quæ prouenit ex eo, quia quis nimis exceſſit occidendo alterum in defenſionem ſui. *In hoc dubio* duo agenda ſunt, *primò* determinandum erit de irregularitate homicidij caſualis, & *ſecundò* de irregularitate mutilationis.

8 Dico *igitur primò* Epiſcopi modò poſt *Concil. Trid.* non poſſunt diſpenſare in irregularitate homicidij caſualis publici. *Probatur*, Quia ante Concilium ſecundùm ius antiquum irregularitas homicidij caſualis erat reſeruata Summo Pontifici, vt conſtat ex *cap. continebatur*. Sed in Concil. Trid. non conceditur facultas ad diſpenſandum in irregularitate homicidij caſualis publici; ergo manet hæc reſeruata ſicut ante Summo Pontifici. *Minor probatur*. Quia in *c. 6. ſeſſ. 24.* ſolùm conceditur facultas Epiſcopis ad diſpenſandum in irregularitate delicti occulti; ergo non in irregularitate homicidij caſualis publici. In alio autem *c. 7. ſeſſ. 14.* non conceditur Epiſcopis noua facultas circa irregularitatem homicidij caſualis, ſed ſolùm decernitur modus, quo Summus Pontifex, committat facultatem diſpenſandi Epiſcopo proprio, ſiue Metropolitano. Quale autem ſit homicidium caſuale publicum? Dicemus *concl. 2. & 3.*

9 Dico *Secundò*. Poſt *Conc. Trid.* habent Epiſcopi poteſtatem ad diſpenſandũ in irregularitate homicidij caſualis occulti. Hæc concluſio colligitur ex illo *c. 6. ſeſſ. 24.* Vbi conceditur facultas Epiſcopis diſpenſandi in omnibus ſuſpenſionibus, & irregularitatibus prouenientibus ex delicto occulto, excepta irregularitate homicidij voluntarij; & aliis deductis ad forum contentioſum; ergo cùm ibi ſolùm fiat exceptio de irregularitate homicidij volũtarij, & de aliis irregularitatibus publicis, vtpotè deductis ad forum contentioſum, inter quas non includitur irregularitas homicidij caſualis occulti. & ex alia parte conceditur Epiſcopis facultas diſpenſandi in omni alia irregularitate prouenienti ex delicto occulto, cuiuſmodi eſt irregularitas homicidij caſualis occulti, manifeſtè conceditur Epiſcopis facultas diſpenſandi in illa.

Interrogabis *tamen*. Quid nomine *delicti occulti* intelligendum ſit in illa conceſſione generali, ſiquidem homicidium multipliciter poteſt eſſe occultum? *Ad hoc* reſpondent aliqui Theologi poſſe delictum quadrupliciter dici occultum; *Primo modo*, Quando eſt merè internum, & nullo modo actu externo explicatum. Sed tamen hoc impertinens eſt ad propoſitum, quia per nullũ actum iſto modo internum incurritur irregularitas. Vnde *primo modo* dicitur occultum delictum quando explicatũ eſt in exteriori actu, non tamen poteſt iuridicè probari, quia nullus extat Teſtis, vel vt plurimùm eſt vnicus ſolus Teſtis, nec acceptione maior, nec ſunt indicia, nec clamoroſa inſinuatio. *Secundo modo* delictum dicitur occultum latè, ſcilicet quando in iudicio probari poteſt duobus, ſiue tribus teſtibus, eſt tamen occultum, ita vt non ſit notorium, ſiue publicum in populo, vel ciuitate, vel vico, cuius delinquens erat pars. *Tertiò dicitur* occultum latiori modo, quamvis etſi probari poſſit coram Iudice, & ſimiliter ſit notorium in Ciuitate, vel communitate, adhuc tamen de facto non eſt deductum ad forum contentioſum coram iudice, & ita habet eſſe occultum quatenus opponitur publico in Forenſi Tribunali. 10

Dico *igitur tertiò*: In præfato decreto *Conc. Trid.* nomine *delicti occulti* intelligitur delictum occultum cum omni amplitudine, & latitudine, etiam vt comprehendit delictum occultum in vltimo modo latiori aſſignato. Itaque vniuerſaliter intelligitur delictum occultum omne illud, quod non eſt deductum ad forum cõtentioſum, etiamſi probari poſſit iuridicè, & notorium ſit in Ciuitate; & ideò ſuper omni irregularitate proueniente ex illo poſſunt Epiſcopi diſpenſare. Et ſic eſt intelligenda præcedens concluſio. Et quidem iſta tertia concluſio probari non poteſt ſufficienter ex eo, quòd cùm conceſſio illa ſit maximum priuilegium, & fauorabile, ſubinde ſit extendenda, quia extenſio in huiuſmodi conceſſionibus non poteſt trahi extra proprium genus. At delictum occultum ſecundo, & tertio modo aſſignato eſt omnino extra genus occulti delicti, cùm ex natura ſua ſit publicum iuridicè. Quo circa legitima, & efficax probatio noſtræ concluſionis deſumenda eſt ex verbis *Concilij*, videlicet ex illa exceptione, qua à ratione delicti occulti ſolùm excipit tanquam publicum illud, quod de facto deductum eſt ad forum contentioſum, ſicut ſolùm excipit irregularitatem prouenientẽ ex homicidio propriè voluntario. Cum igitur exceptio firmet regulam in contrariam, ideò in illa generali conceſſione eſt habenda tanquam regula generalis, quòd omne illud delictum eſt occultum de mente Concilij ad hoc propoſitum, quòd de facto non eſt deductum ad forum contentioſum. 11

Sed *Inquires*: An ſi delictum homicidij caſualis ita ſit occultum, quòd probari non poſſit iuridicè ex malitia tamen alicuius ſit deductum ad forum 12

contentio

contentioſum, an in iſto caſu poſſit Epiſcopus in foro conſcientiæ in illa irregularitate diſpenſare? Pro huius reſolutione notandum eſt dupliciter poſſe hoc contingere. *Vno modo*, ita vt de facto comprobetur delictum falſis teſtibus, & condemnetur delinquens. *Alio modo*, vt tale delictum nec ſit probatum, nec delinquens condemnatus.

13 Dico *Igitur Quartò*. Vtroque modo iſte caſus contingat poterit Epiſcopus in foro conſcientiæ diſpenſare ſuper illam irregularitatem. *Et ratio huius eſt*, Quia *Concil. Trid.* ſolùm intendit excludere delictum, & irregularitatẽ iuridice deducibilem, & de facto deductam ſecundùm Ius ad forum contentioſum, ita vt delinquens poſſit ſecundùm iuſtitiam, & non contra illam condemnari, ſiue ex malitia Iudicis, ſiue teſtium, quia iniquitas horum in nullo debet derogare fauorabili concesſioni *Concil. Trid.*

14 Sed *Obiicies*. Sequitur, quòd ſi delictum poterat probari iuridice, & tamen de facto non fuit probatum, in tali caſu delinquens poſſit diſpenſari ab Epiſcopo ſuper illa irregularitate. *Ad hoc argumentum* aliqui concedunt ſequelam, eo quia tale delictum non eſt iuridicè comprobatum. Sed tamen verior eſt oppoſita ſententia, quia delinquenti fauere non debet defectus probationis alias ex ſe publico, ſicut nocere non debet probatio facta contra ius de aliquo delicto, quod ſecundùm ius probari non poterat, vt vidimus *concl. præced.* In ſecunda parte huius articuli agendum eſt de poteſtate diſpenſandi in irregularitate mutilationis.

15 Dico *igitur Quintò*. Omnis irregularitas contracta ex mutilatione voluntaria licita, ſiue illicita, ſiue etiam ex mutilatione caſuali erat reſeruata Summo Pontifici ſecundùm ius antiquum commune ante *Concil. Trid.* In hac concluſione conueniunt Theologi, & Iuriſperiti, illámque colligunt ex *c.1. de Clericis pugnantibus in duello*, vbi dicitur: *Quod Clericus ſponte offerens duellum, vel oblatum acceptans ſiue victus, ſiue victor euadat, deponendus eſt ſecundum iuris diſpoſitionem*, & ſtatim ſubditur, *Quod talis Clericus Sententiam depoſitionis euadere poterit, ſi ſuus Epiſcopus duxerit eum eo miſericorditer diſpenſandum, dum tamen ex tali delicto homicidiũ, aut mutilatio*, id eſt membri diminutio *non ſequatur*. Et quidem ex *cap.* ſatis efficaciter colligitur, Quod irregularitas mutilationis voluntariæ, & illicitæ ſit reſeruata Summo Pontifici ſecundùm ius antiquum, quia in illo *cap.* expreſsè fit ſermo de mutilatione voluntaria, & illicita, qualis eſt illa, quæ ſequitur ex duello voluntariè oblato, vel voluntariè acceptato. Cæterùm qualiter ex iſto *cap.* colligatur eſſe Summo Pontifici reſeruatam irregularitatem mutilationis caſualis, difficile eſt. Nihilominus tamen ſufficienter poteſt colligi, quia Clerico imponitur irregularitas, non ſolùm quando victor euaſit in duello mutilando alterum voluntariè, ſed etiam imponitur ei irregularitas, quãdo victus euaſit in duello patiens diminutionem alicuius membri proprij, ſeu mutilationem, quæ quidem mutilatio reſpectu ipſius Clerici, cùm non ſit voluntaria in ſe, nec in cauſa per ſe illius cenſetur caſualis reſpectu eiuſdem Clerici, & nihilominus irregularitas quam incurrit ipſe ratione mutilationis ſui membri reſeruata dicitur Summo Pontifici in illo *cap.*

16 Dico *Sextò*. Secundùm ius commune nouum, videlicet ſecundùm diſpoſitionem *Conc. Trid.* Epiſcopi non poſſunt diſpenſare in irregularitate prouenïente ex mutilatione voluntaria publica, ſiue licita ſit, ſiue illicita. Iſta concluſio conſtat ex illa *ſeſſ. 24. c. 6.* Vbi ſolùm conceditur Epiſcopis poteſtas diſpenſandi in irregularitate proueniente ex delicto occulto. Qualiter autem mutilatio ſit cenſenda publica, aut ſecreta iudicandum eſt iuxta dicta *concl. 2. & 3.*

Dico *Septimò*. Poſt Concil. Trid. poſſunt Epiſcopi diſpenſare in omni irregularitate mutilationis illicitæ, quæ non eſt publica, id eſt ad forum contentioſum deducta, ſiue illa mutilatio ſit caſualis, ſiue voluntaria. Iſta concluſio conſtat ex eadem *ſeſſ. & cap.* Vbi conceditur facultas Epiſcopis diſpenſandi in omni irregularitate proueniente ex delicto occulto excepta irregularitate homicidij voluntarij, & aliis deductis ad forum contentioſum. De irregularitate autem mutilationis voluntariæ licitæ nec fit ibi conceſſio, nec exceptio, nec valet Argumentum à maiori ad minus. Vnde quatenus illa irregularitas eſt Canonicum impedimentum exiſtimo reſeruatam eſſe Summo Pontifici. 17

ARTICVLVS III.

Vtrùm virtute priuilegij Bullæ Cruciatæ poſſit quis abſolui ab Irregularitate?

ET *ratio dubitandi* eſt à parte negatiua; Quia in præfato priuilegio ſolùm conceditur facultas ad abſoluendum, non autem ad diſpenſandum, vt conſtat ex verbis priuilegij, ſed irregularitas nõ abſoluitur, ſed diſpenſatur, vt conſtat ex communi vſu, nam poſtquam in capitulis fit abſolutio à cenſuris, ſubditur poſtea de irregularitate ſic, *Ego diſpenſo vobiſcum ſuper irregularitate, &c.* In hac difficultate ſupponendum eſt tanquam certum, & cõmune inter Doctores, quòd irregularitas illa, quæ ſolùm eſt Canonicum impedimentum, & nullo modo cenſura, aut pœna Eccleſiaſtica, non poteſt auferri per huiuſmodi priuilegia, in quibus nulla conceditur facultas ad diſpenſandum, ſed ſolùm ad abſoluendum. *Cuius ratio eſt*, Quia huiuſmodi irregularitates, quæ non ſunt impoſitæ in pœnam delicti, ſed ſolùm per ſignificationem, non cadunt ſub abſolutione, ſed ſolùm ſub diſpenſatione, vt ex communi opinione conſtat in irregularitate Bigamiæ, & homicidij liciti; vnde tota difficultas huius dubij conſiſtit in duobus. *Primum eſt*, circa irregularitatem, quæ purè eſt cenſura Eccleſiaſtica. *Secundum eſt*, circa irregularitatem homicidij illiciti. 1

Dico *igitur primò*. Negari non poteſt quin aliquæ irregularitates poſſint cadere ſub abſolutione. Hæc concluſio eſt communis Doctrina inter Theologos, & Iuriſperitos. Ad cuius probationem reuocanda ſunt breuiter in memoriam ea, quæ latè diximus *diſp. 1. huius tract.* videlic. aliam eſſe irregularitatem, quæ eſt pœna Eccleſiaſtica, ſiue Canonicum impedimentum, & aliam eſſe, quæ eſt cenſura, & quamvis ſit ſub opinione, an irregularitas ſit cenſura, vel non ſit cenſura, nihilominus dubitat irregularitatem eſſe pœnam Eccleſiaſticã, quæ eſt Canonicum impedimentum. *Quo ſuppoſito facilè & efficaciter probatur concluſio.* Nam in antiquis Bullis Cruciatæ dabatur facultas ad abſoluẽdum non ſolùm à cenſuris, ſed à pœnis Eccleſiaſticis; ergo irregularitas ſiue ſit cenſura, ſiue pœna Eccleſiaſtica continebatur ſub illa abſolutione. 2

Dico *Secundò* Omnis irregularitas, ſiue ſit cenſura, ſiue ſolùm ſit pœna Eccleſiaſtica, ſiue ſit tantùm 3

QVÆSTIO LXXXI.

DE RELIGIONE,

DISPVTATIONIBVS ET ARTICVLIS ſicut præcedentes adornata.

EXPLICATIS in præcedentibus Quæſtionibus, vſque ad iſtam ſpeciebus iuſtitiæ (quæ partes ſubiectiuæ ſolent appellari) & integralibus, quæ videlicet ſunt (non partes componentes entitatiuè) conditiones aliquæ, ſeu diſpoſitiones ad perſectionem integralem iuſtitiæ concurrentes, procedit S. Thomas explicare Partes Potentiales illius. Appellantur autem *Partes Potentiales* alicuius Virtutis, habitus illi, ſeu Virtutes, quæ in aliquo conueniunt cum principali Virtute, & in aliquo deficiunt à perfecta ratione ipſius. Virtus enim Cardinalis, ſeu Principalis reſpicit materiam magis principalem, & difficilem. Partes verò Potentiales in materia minus difficili, aut principali ſeruant modum talis Virtutis. Cum ergo Iuſtitia ad alterum ſit reddendo alteri id quod debetur, ibi erit principalis ratio Iuſtitiæ, vbi redditur rigoroſum debitum, & rigoroſa æqualitas fit: quæ verò Virtutes ad alterum ſunt conuenienter rationi iuſtitiæ annecti dicentur.

Harum autem aliquæ à ratione iuſtitiæ deficiunt in quantum deficiunt à ratione æqualis, quia videlicet etſi reddant debitum alteri, non tamen ſeruare poſſunt æqualitatem in reddendo illud. Aliæ vero à prædicta ratione deficiunt in quantum deficiunt à ratione debiti, quia ſcilicet etſi æquale reddere poſſint, non tamen habent debitum rigoroſum, ſeu Legale, id eſt, iure aliquo, ſeu lege adſtrictum, ſed morale ſolùm, & ex quadam honeſtate Virtutis. Omnes ergo huiuſmodi Virtutes iuſtitiæ annectuntur, & Partes Potentiales illius appellantur, quia videlicet ad alterum exiſtunt, deficienter tamen ac iuſtitia.

Primi generis ſunt Virtutes quæ reddunt debitum Deo, Parentibus, & Superioribus, ſeu excellentioribus hominibus (his enim Perſonis maxime obligamur) non tamen poſſunt reddere æquale. In ordine ad Deum datur *Religio*, cultum enim debitum exhibet, ſed non quantum debet. In ordine ad Parentes ponitur *Pietas*: In ordine ad ſuperiores, & excellentes Perſonas ponitur *Obſeruantia*, *Homines enim aliqua dignitate antecedentes quodam cultu, & honore dignantur*. vt inquit Tullius.

In Secundo ordine collocantur Virtutes quæ licèt æquale tribuant, deficiunt tamen à ratione debiti iuſtitiæ. Qui defectus attendi poteſt dupliciter ſecundum quod etiam eſt duplex debitum ſcilicet *Morale*, *&* *Legale*. Debitum legale dicitur illud ad quod reddendum aliquis lege aſtringitur: *Morale* verò quod aliquis debet ex honeſtate Virtutis. Iſtud autem duplicem gradum habet. Quoddam enim eſt ſic neceſſarium vt ſine eo honeſtas morum conſeruari non poſſit, quia pertinet ad debitam correſpondentiam inter homines. Et hæc eſt triplex, nam ex parte ipſius debentis attenditur *Veracitas*, vt ſine mendacio, & fictione procedatur: ex parte verò eius cui debetur attenditur recompenſatio, quod facit in bonis *Gratitudo*, & in malis *Vindicatio*.

Aliud autem debitum eſt neceſſarium ſicut conferens ad maiorem honeſtatem, ſine quo tamen honeſtas conſeruari poteſt (eſt enim neceſſarium ſolùm ſecundùm quid, ſeu ad melius eſſe) & ad hoc ordinatur *Liberalitas*, *&* *affabilitas*, ſeu *Amicitia*. Et de his in ſequentibus Quæſtionibus.

De Prima ergo parte potentiali Iuſtitiæ, quæ eſt Religio agit Sanct. Thomas ab iſta

Quæſtion. 81. Et in ea tria principalia conſiderat. *Primò* Eſſentiam Religionis. *Secundò* Actus illius. *Tertiò* Vitia illi uppoſita. Eſſentiam, & diſtinctionem Religionis à Virtutibus Theologicis, & Moralibus, eiúſque perfectionem in tota hac Quæſtione perſoluit.

In 1. *Articul.* aſſerit *Religionem ordinare hominem ſolum ad Deum*; Quia vel Religio dicitur à relegendo ea quæ ſunt diuino cultui; vel à reeligendo Deum quem peccando amiſeramus negligentes; vel à religando: omnibus autem bis modiś propriè importat ordinem ad Deum. Ipſe enim eſt cui principaliter alligari debemus tanquam indeficienti principio, ad quem etiam noſtra electio aſſiduè dirigi debet ſicut in vltimum finem, quem etiam negligenter peccando amittimus, & credendo, & fidem proteſtando reparare debemus.

In *Artic.* 2. oſtendit *Religionem eſſe virtutem*, Quia ad ipſam pertinet reddere honorem debitum Deo, reddere autem alicui, quod ſibi eſt debitum rationem boni habet, quia per hoc conſtituitur in proportione conuenienti reſpectu ipſius, quaſi conuenienter ad ipſum ordinatus, bonum ergo facit opus, & habentem (quæ eſt definitio Virtutis) ergo manifeſtum eſt, quod Religio Virtus ſit.

In *Articul.* 3. Probat *eſſe vnam Virtutem*, Quia Habitus diſtinguuntur ſecundùm vnā rationem obiecti (Principium eſt paſſim in operibus Diu. Thomæ repetitum) ſed ad Religionem ſpectat exhibere cultum vni Deo ſecundùm vnam rationem in quantum ſcilicet eſt primum principium creationis, & gubernationis rerum. Ergo Religio vna virtus eſt.

In *Articul.* 4. demonſtrat Religionem *eſſe ſpecialem virtutem ab Aliis diſtinctam*, Quia ſpecialem rationem boni reſpicit, exhibere videlicet Deo debitum, & ſpecialem honorem; honor enim correſpondet excellentiæ, vnde in humanis diuerſis Perſonarum excellentiis diuerſus honor debetur, alius quidem Patri, alius Regi, &c. Cum ergo ſpecialiſſima ſit, & ſingularis excellentia Dei in quantum omnia in infinitum tranſcendit, ſpecialiſſimus ei debet honor correſpondere. Igitur Religio quæ exhibitionem prædicti honoris tanquam obiectum reſpicit ſpecialis virtus eſt.

In *Articul.* 5. *Negat eſſe Virtutem Theologicam*, Quia Talis debet Deum reſpicere tanquam materiam vel obiectum (vt ſupra probatum manet) non aliquid creatum, quod ordinetur ad finem. Sed Religio quæ Deo debitum cultum affert, Deum reſpicit tanquā obiectum cui cultus exhibetur, cultum autem tanquam materiam, & ubiectum, non quaſi actus quibus Deus colitur ipſum Deum attingat, ſicut cum credimus Deo, credendo Deum attingimus, ſed in quantum actus quidam quibus Deus colitur in Dei reuerentiam fiunt, videlicet ſacrificiorum oblationes, &c. Ergo Religio non eſt Virtus Theologica, cuius obiectum eſt vltimus finis, ſed eſt Virtus Moralis, cuius eſſe eſt circa ea quæ ſunt ad finem.

In *Articul.* 6. Affirmat *Religionem præferendam eſſe aliis Virtutibus Moralibus.* Tum quia *Exodi* 20. ponuntur primò præcepta ad Religionem pertinentia tanquam præcipua; præcepta autem Ordini Virtutum proportionantur, dantur enim de actibus Virtutum. *Tum quia*, ea quæ ſunt ad finem ſortiuntur bonitatem ex ordine in finem, vnde quātò magis propinquant fini, tantò meliora ſunt. Inter Virtutes autem Morales (quæ vt dictum eſt ſupra verſantur circa ea, quæ ordinantur in Deum tanquam in finem) Religio magis appropinquat Deo, quia operatur ea, quæ directè, & immediatè in diuinum honorem ordinantur; ergo præeminere neceſſe eſt inter Virtutes Morales.

In *Articul.* 7. docet *Religionem exteriores actus quaſi ſecundarios habere ad interiores actus ordinatos.* Quia per Religionem Deo reuerentiam exhibemus non propter ſe ipſum, ita vt illi aliquid deficiat, eſt enim gloria plenus, cui nihil adiici poteſt à creatura; ſed propter nos, quia per hoc quod Deum reueremur, & honoramus mens noſtra ei ſubiicitur, qua ſubiectione perficimur. Ergo opportet aliqua exteriora ſigna habere, quibus mens excitetur humana ad ſpirituales actus ſubiectionis ad Deum, quibus vt dictum eſt nos, & quælibet res inferior perficitur ſubdendo ſe ſuo Superiori, ſicut aër per hoc quod à Sole illuminatur, & corpus per hoc, quod ab anima viuificetur, Ergo Religio actus interiores quoſdam debet habere quaſi principales, & per ſe ad Religionem pertinentes, & actus aliquos exteriores quaſi ſecundarios, & ordinatos ad iſtos, quibus videlicet manuducamur viſibiliter ad inuiſibilem coniunctionem cum Deo, & ſubiectionem ad ipſum.

In

In *Articul.* 8. Dicit *Religionem idem eſſe ac Sanctitatem.* Quia vel Sanctitas *Munditiam* ſignificat, vel *Firmitatem*, ſi ad ſignificationem ſuam Græcam, quàm Latinam attendamus. Sed Religio munditiam, & firmitatem dicit eſſentialiter; ergo eſt idem quod Sanctitas *Probat. minor.* Quia Religio Deo exhibet debitum famulatum in his quæ pertinent eſſentialiter ad cultum diuinum, ſicut in ſacrificiis, & oblationibus, &c. applicat enim omnia iſta diuino cultui, & mentem Deo coniungit: Munditia autem, & Sanctitas neceſſaria eſt ad hoc, vt mens Deo applicetur, inquinatur enim mens humana ex eo quod inferioribus rebus coniungitur: ergo vt ſupremæ rei coniungi poſſit neceſſe eſt vt ab iſtis abſtrahatur, & munda ſit, Sancta, & ſine terra. Ergo Religio quæ mentem habet Deo coniungere ſanctitas eſt, id eſt, Munditia, *Tum ſic.* Applicatur, & coniungitur mens Deo ſicut vltimo fini, & primo principio: ergo ad hanc applicationem firmitas apprimè eſt neceſſaria, ſecundum quam dicebat Apoſtolus Roman. 8, *Certus ſum quod neque mors, neque vita ſeparabit me à Charitate Dei.* Ergo Religio quæ applicationem prædictam facit mentis humanæ ad Deum firmitatem inuoluere neceſſe eſt. Ergo ſiue ſanctitas munditiam dicat, vel firmitatem ſignificet, Religio idem erit ſanctitati.

DISPVTATIO XXV.

De Eſſentia, & Quidditate Religionis.

Articvlvs I.

Vtrùm Religio ordinet Hominem ſolùm ad Deum?

1 Titvlvs clarus eſt, Ly *ordinet ad Deum* intelligitur iuxta doctrinam traditam a *S. Thom.* ſuprà ſæpe, quam recopilauit. *Queſtion. precedent, articul* 1. *in corpor.* Religio enim, vt pars potentialis Iuſtitiæ debet eſſe ad alterum, vt conueniat cum iuſtitia, & ille alter eſt Deus, cui debitum reddit. Et ſic intelligitur ordinare hominem ad Deum ſicut iuſtitia ad proximum. Ex quo patet quod illa excluſiua *ſolùm* non excludit aliquid creatum ab obiecto Religionis, ita quod intentum ſit inquirere ſi ſolus Deus eſt obiectum ad quod tendit Religio, quia vt *artic. ſeq.* patebit obiectum Religionis eſt cultus *Dei*, & per cultum aliquid creatum intelligitur, ſcilicet ipſa actio creaturæ per quam colitur Deus. Et ſic illa excluſiua ponitur ad excludendum aliud obiectum, *cui* ita quod ſolus Deus ſit obiectum. *cui* Religio exhibet cultum, ita quod nulla creatura per Religionem colatur.

Vnica Concluſione affirmatiua reſpondet *Sanct. Thom. in corpor.* Quam probat ex multiplici ethymologia huius nominis *Religio*, quibus alius [illegible] Commentatores. Duplex tamen eſt potiſſima, *Prima* quam adducit ex Iſidoro, & Tullio, quod *Religio* dicitur *a relegendo ea quæ ſunt diuini cultus* iuxta illud Prouerbior. 5. *In omnibus viis tuis cogita illum.* Secunda adducitur ex *Auguſtin.* quod *Religio* dicitur à *Religando* quam ex *Lactantio* adducit *Caietanus*, & poſt illum *Magiſt. Torre*, & alij. Prima ſumitur quaſi à poſteriori ex effectu, qui eſt actus elicitus à Religione; ſecunda ſumitur quaſi à priori, hoc eſt, quaſi à ratione formali ipſius Virtutis, & vna ſequitur ex alia. Si enim homo ligatus, vel religatus eſt Deo, conſequens eſt vt cogitet quæ Deo ſunt offerenda, & in eius cultum operanda. Alia verò ethymologia adducitur à *Reeligendo Deum*, quem peccando amiſeramus, quæ etiam eſt *Auguſtini*, hæc tamen non eſt ita vniuerſalis quia ſolùm procedit de peccatoribus, qui Deum per peccatum amiſerunt, & tamen Religio eſt in Innocentibus nunquam peccantibus, vt in Chriſto, Beatiſſima Virgine, & in Angelis Beatis.

2 Ex his probat *Sanct. Thom. Concluſionem ſic.* Quocunque modo iſtorum dicatur Religio importat ordinem ad Deum, *Probatur.* Deus eſt cui principaliter alligari debemus tanquam indeficienti principio, & ad quem ſicut in vltimum finem electio noſtra aſſidue dirigi debet, & quem peccando amittimus, & recuperare debemus; ergo Religio eſt ad Deum.

3 Contra *hunc Diſcurſum* ſtatim ſe offert defectus. Quia non probat intentum; Concluſio enim vt reſpondeat Titulo debet eſſe enim excluſiua ſic, quod Religio ordinet ſolum ad Deum: hæc autem ratio probat quidem quod ordinat ad Deum non tamen probat quod *ſolùm ad Deum*, imò oppoſitum inſinuatur in ipſa ratione, quatenùs dicitur, quod *principaliter Deo alligari debemus.* Ergo datur locus quod minus principaliter poſſimus alligari creaturæ, & ideo ſolum probatur quod Religio ordinet principaliter ad Deum, cum quo ſtat quod minus principaliter ordinet ad creaturam. Sicut Charitas ordinat ad diligendum Deum principaliter, & minus principaliter proximum, & ſic *Sanct. Thom.* vel non reſpondet Titulo, vel non probat Concluſionem reſponſiuam.

4 Reſpondetur, Quod ſicut in *Sanct. Thom.* nullus terminus ſuperfuit, ſic formaliſſimè loquutus fuit, & probat intentum, & excludit hanc obiectionem ex duplici termino, quem ponit in probatione aliàs per ſe noto. Dicit enim: *Quod Deo tanquam indeficienti principio alligari debemus, & vt vltimum finem eligere.* Conſtat autem quod indeficiens principium non poteſt eſſe niſi vnum, vt 1. *part. Quæſtion.* 11. *articul.* 3. reliquit demonſtratum; & ſimiliter vltimum finem non poſſe eſſe niſi vnum, vt 1. 2. *Quæſtion.* 1. *articul.* 5 etiam probat; ergo ſi ponit quod ratio Religionis eſt ordinare ad Deum tanquam ad primum principium, & tanquam ad vltimum finem, vt explicuit hic *ad* 1. *& ad* 4.

& latius *articul. 4. ſequenti.* Et iſtæ rationes ita ſunt propriæ ſolius Dei, vt nulli creaturæ communicari poſſint, ſatis clarè, & efficaciter probatur, quod Religio taliter ordinat ad Deum, quod ordinat ad *ſolum Deum*, quia ordinat ad illum tanquam ad primum principium, & vltimum finem, & ſolus ille poteſt eſſe principium primum & finis vltimus.

6 Illud autem aduerbium *Principaliter* non eſt ſumendum comparatiuè in ordine ad obiectum colendum per Religionem, ita quod aliud præter Deum poſſit minùs principaliter coli per illam, ſed comparatio eſt ad alias virtutes per quas creaturæ coluntur, vt Obſeruantia, & Dulia. Et ſenſus eſt, quod principaliùs colimus Deum per Religionem, quàm creaturas per Duliam, & ſic *Sanct. Doct.* poſuit illum terminum non cum Religione, ſed in communi, ſupponēdo quod debemus alligari Deo, & Parentibus, & Magiſtris, & Perſonis in dignitate conſtitutis per ſingulas virtutes ad hoc deputatas, de quibus intendit agere in hoc Tractatu, & incipit à Religione tanquam à principaliore illarum. Et ideò benè, & congruè loquitur in probatione, dicendo quod *Deo principaliter alligari debemus*, & explicat hanc principalem obligationem, quia eſt indeficiens principium, & vltimus finis. In quibus ſatis denotat quod Ly *Principaliter* refertur ad alias creaturas, quas debemus colere, non tamen tam principaliter, quia non relucent in illis iſti Tituli primi principij, & vltimi finis. Et in hoc etiam denotat, quod non admittitur aliud minùs principale ſub hac ratione formali Religionis, ſed quod ſolus Deus eſt per illam colendus, quia nihil præter Deum has duas rationes primi Principij, & Finis vltimi habere poteſt.

Dvbivm Vnicvm.

Quomodo verificetur quod Religio eſt ad ſolum Deum, cum iniuria creaturæ ſit ſacrilegium contra Religionem?

1 Ratio Dubitandi inſinuata eſt in Titulo, & ſumitur ex ipſo *Sanct. Doct.* infr. *Quæſtion.* 92. in Prologo, vbi inquit, *Conſiderandum eſt de vitiis Religioni oppoſitis & primò de illis quæ cum Religione conueniunt, in hoc, quod exhibent cultum diuinum. Secundò de vitiis manifeſtam contrarietatem ad Religionem habentibus per contemptum eorum quæ pertinent ad diuinum cultum.* Et poſtea *Quæſtion.* 99. in Prologo, inquit, *Deinde conſiderandum eſt de vitiis ad Religioſitatem pertinentibus, quibus rebus ſacris irreuerentia exhibetur. Et primò de Sacrilegio.* Et in tota illa *Quæſtion.* agit de ſacrilegio contra Religionem, quod definit artic. 1. *Quod ratio ſacra violatio.* Et articul. 3. diuidit illud in tres ſpecies, quarum prima eſt *Iniuria in Perſonam Sacram.* Ex quo ſic formatur ratio. Iniuria in Perſonam Sacram eſt ſacrilegium contra virtutem Religionis; ergo cultus Perſonæ Sacræ eſt actus virtutis Religionis: *Antecedens eſt D. Thom.* in his locis. *Conſequentia Probatur.* Ad illam virtutem pertinet cultus, ſeu veneratio alicuius obiecti contra quam eſt iniuria eiuſdem obiecti, vt patet in aliis virtutibus. Quia ad Pietatem, pertinet cultus Parentum, ideò iniuria in Parentes eſt vitium contra Pietatem, quod eſt impietas, & ſic in aliis.

Et *Ratio eſt manifeſta.* Quia actus vitioſus ideò 2
eſt contrarius tali virtuti, quia contrariatur actui virtutis, quia immediata oppoſitio eſt inter actum, & actum, & ideò ſi actus aliquis eſt contrarius alicui habitui, eſt quia contrariatur actui eiuſdem habitus, & ſic ſi iniuria in Perſonam Sacram eſt vitium contra habitum, & virtutem Religionis, neceſſe eſt, quod ſit contra actum Religionis; & conſequenter quod cultus Religionis verſetur circa illam Perſonam Sacram circa quam verſatur iniuria huic cultui contraria. Ergo falsò aſſeritur in Concluſione præcedentis articuli quod Religio eſt ſolùm circa Deum taliter, quod non eſt circa aliquam Perſonam creatam.

Confirmatur. Quia in *art. 3. cit. Q. 99.* po- 3
nit tertiam ſpeciem ſacrilegij contra Religionem? Iniuriam quæ fit in Imagines, & Reliquias Sanctorum in quibus inquit, *Quodammodò Perſonæ Sanctorum venerantur, & dehonorantur:* vbi ponit fundamentum rationis dubitandi. Imagines enim non habent propter ſe dignitatem, vt adorentur, ſed adorantur propter exemplar, vnde eadem adoratione eſt adoranda Imago, qua ſuum exemplar, vt docet *S. Th. 3. p. Q. 25 art. 3.* Et idem eſt de Reliquiis Sanctorum, vt ibidem *ar.* 6. docet. Et etiam eadem iniuria inuantantur Imagines, & Reliquiæ Sanctorum qua Perſonæ ipſorum; ergo ſi iniuria in Imagines, & Reliquias Sanctorum facta eſt ſacrilegium contra Religionem, etiam cultus Reliquiarum, & Imaginum Sanctorum erit actus Religionis, & conſequenter Sancti in ſuis Imaginibus, & Reliquiis colentur per virtutem Religionis, quia vt allatum eſt ex *D. Thom.* eadem eſt adoratio Imaginis, & exēplaris, ad quod applicat illud dictum Philoſophi. *Idem eſt motus in Imaginem, & in rem Imaginatam.* Etſi Perſona Sancti in ſua Imagine colitur per Religionē multò melius in ſe ipſa, quia cultus in Imagine exhibetur propter dignitatem quam Perſona habet in ſe; ergo falsò dicitur in *præſent. art.* quod ſolus Deus colitur per Religionem, & non alia Perſona. Et falsò etiam *3. p. Q. 25. art. 5.* docet quod ſoli Deo, & nulli puræ creaturæ rationali debetur cultus Latriæ, qui eſt actus virtutis Religionis; vel ſi hæc doctrina eſt vera, falſa eſt doctrina eiuſdem Sancti in *Quæſt. 99. cit.* Quod iniuria contra Sanctos, eorum Imagines, & Reliquias eſt ſacrilegium contra Religionem. Tam manifeſta videtur contradictio quod vna, vel alia doctrina falſitatis conuincitur.

Patri Vaſquez adeò efficax viſa eſt hæc ratio 4
vt ea conuictus *Tom. 1. in 3. p. Diſp. 98. c. 4. in principio*, & de Adoratione *Diſp. 6. c. 8.* teneat quod iniuria, quæ fit Perſonis ſacris, qualis eſt percuſſio Clerici, aut monialis non recenſeri inter ſpecies ſacrilegij oppoſitas peculiari virtuti Religionis, ſed Duliæ per quam coluntur. Concedit tamen ibidem *Tom. cit. 3. p. n.* 15. Quod poteſt aliqua iniuria in Perſonam ſacram interdum eſſe ſacrilegium virtuti Religionis oppoſitum, quando videlicet non ſimpliciter fieret, ſed ex odio peculiari miniſterij, & inſtitutionis, ſicut contingit in hæreticis, qui Sacerdotes inſectantur, ipſorum ordinationem ſuperſtitioſam habentes. Et *numer.* 17. de Imaginibus, & Reliquiis Sanctorum, inquit, Non erit iniuria earum ſacrilegium contra virtutem Religionis, ſed contra Duliam, vt ipſorum Sanctorum iniuria. Vbi

admittit

admittit dici quidem *ſacrilegium* ne etiam verbis communi ſenſui Eccleſiæ opponatur, ſed limitat dicendo non eſſe ſacrilegium contra Religionem, ſed contra Duliam. Et obiter *numer.* 15. reprehendit *Diu. Thom.* dicendo. Mirandum eſt, quod non egit poſt tractatum de Dulia, & Obſeruantia de Vitiis oppoſitis, ſicut egit de ſacrilegio, ſiquidem illis virtutibus peculiare vitium eſt contrarium. Hæc *P. Vaſquez.*

5 Sed *Pater Suarez Tom.* 1, *de Religione Tract.* 3. *Lib.* 3. *cap.* 6. *numer.* 4. poſtquam *numer.* 3. poſuerat, rationem dubitandi refert, & reiicit Sententiam *Vaſquez* ſic. Reſponderi poteſt concedendo totum (vt planè concedit *Gabriel Vaſquez de Adoratione*, &c.) vbi ait percuſſionem Clerici, aut Religioſi non eſſe ſacrilegium contra virtutem Religionis, ſed contra virtutem Obſeruantiæ propter rationem factam; & hoc idem conſequenter dicit de irreuerentia facta Reliquiis, vel Imaginibus Sanctorum ex eodem fundamento. Quæ quidem Sententia videtur eſſe contra communem modum loquendi tam Canonum capit. *Si quis ſuadente*, quàm *D. Thom.* reliquorum Authorum. *Ita Suarez*, cum quo etiam conuenit *Magiſt. Torre Tom.* 2. *Quæſtion.* 99. *articul.* 2. *Diſputation. vnica ad* 4. vbi inquit. Diſplicet tamen eius (ſcilicet *Gabrielis Vaſquez*) poſitio vtpotè quæ aduerſatur *D. Thom.* & omnibus Doctoribus, qui pleno ore ea peccata commemorata in argumento vocant ſacrilegia, & in ſacris Canonibus idem habetur, verbi gratia in cap. *Si quis ſuadente.* Hæc *Magiſt. Torre.*

6 Et meritò; eſt enim ſingularis Sententia contra Sacros Canones, vt patebit, & contra omnes Doctores, tàm Theologos & Scholaſticos, quàm Summiſtas, & Canoniſtas. Theologi enim agentes de ſacrilegio admittunt iniuriam dictam habere malitiam contra virtutem Religionis. Canoniſtæ etiam in hoc conueniunt interpretando Canones adducendos; imò ipſe *Vaſquez Tom.* 1. *in* 1. 2. *Diſp.* 53. *cap.* 3. *num.* 18. *& Tom.* 4. *in* 3. *part. Quæſt.* 91. *artic.* 1. *Dub.* 4. *num.* 19. ſentit quod iniuria per percuſſionem monialis eſt contra Religionem, ſicut etiam violatio caſtitatis illius, quáuis diuerſæ rationis in ſpecie à *Thoma*, propter quod dicit eſſe ſpeciem ſubalternam iniuria contra Perſonam Sacram, ſicut etiam iniuria contra locum ſacrum extrahendo hominem ab illo, vel effuſione ſanguinis, aut ſeminis, & ſicut eſt peccatum contra pietatem incæſtus, recta linea, vel tranſuerſali, vnde nec in hac Sententia, nec ad ſe ipſum conſequenter loquitur.

Impugnatur Sententia Vaſquez ex iure Canonico, & ratione D. Thomæ.

1 PRimò impugnatur hæc Sententia *Vaſquez* ex cap. *Si quis contumax* 17. *Quæſtion.* 4. vbi habetur ſic. *Dicitur etiam ſacrilegium committere qui violentas, & impias manus in Clericum iniecerit.* Et Cap. *Quiſquis* ibidem immediatè ſequenti, *Sacrilegium committitur ſi quis infregerit Eccleſiam, vel domos aliquid diripiendo, vel auferendo, ſeu qui irreuerentiam vel oblationem rerum intulerit Clericis vel Monachis, omnibuſque Eccleſiaſticis Perſonis. Similiter ſacrilegium committitur auferendo ſacrum de ſacro &c. Si quis domum Dei violauerit, vel Eccleſiaſticis Perſonis iniuriam fecerit.* Ita ibi. Denique ſi quis ſuadente Diabolo ibidem. *Huius ſacrilegij vitium, vel crimen incurrerit quod in Cle-*

Ioan. à S.Thom. in 2.2. *D.Thom.*

ricum, vel Monachum violentas manus iniecerit anathematis vinculo ſubiaceat. In quibus tribus Capitibus expreſſe ponitur quod eſt ſacrilegium iniuria contra Perſonam ſacram, vt percuſſio Clerici, vel Monachi.

Duplex ſolutio adhiberi poteſt ex *Vaſquez* 2 iuxta duas limitationes ſuæ Sententiæ, quas ipſe ponit. *Prima Solutio.* Quod ibi ſolum dicitur, quod eſt *ſacrilegium*, non tamen dicitur, quod eſt *contra Religionem*, & Vaſquez iam admittit, quod eſt ſacrilegium, ſed dicit non contra Religionem, ſed contra Duliam, cuius contrarium non habetur in textu. Et explicatur ius Canonicum quod loquitur de ſacrilegio largo modo, vt comprehendit etiam ſacrilegium contra Duliam, quia vt habet *D. Thom.* ſæpe, præcipuè in *art. præſent. ad* 2. extenſo nomine Religionis aliæ virtutes dicuntur Religio: ita vitia contra alias Virtutes extenſo vocabulo poſſunt dici *Sacrilegium.*

Secunda *Solutio eſſe poteſt.* Quod eſt ſacrilegium contra Religionem quando læditur Perſona 3 ſacra in quantum ſacra, hoc eſt, ea intentione quia ſacra eſt. Sed vtraque ſolutio eſt inſufficiens, & contra primam benè redarguit *Suarez*, Quia quandò *D. Thom.* & Doctores diuidunt ſacrilegium loquuntur de ſacrilegio propriè dicto, & ſacrilegium per turpem acceſſum ad Perſonam ſacram propriè contra Religionem eſt; ſed eodem modo cenſent omnes de ſacrilegio, quod committitur in percuſſione Perſonæ ſacræ. Denique iura interpretanda ſunt iuxta receptum vſum vocum maximè quando communiter ita intelliguntur. Hæc Suarez & benè, quia appellare peccatum contra Duliam *ſacrilegium*, eſt abuti terminis, & loqui impropriè, ſicut qui Duliam Religionem vocaret vt ipſe *Vaſquez* admittit quod eſt extenſo vocabulo vti. Et hanc impropriam locutionem tribuere iuri Canonico irrationabile eſt, & ſi hæc licentia daretur interpretendi definitiones Eccleſiæ per improprias loquutiones nulla daretur veritas firma, certa.

Secundò *euidentius* ex contextu reuincitur hæc 4 ſolutio. Quia ibidem ponitur ſacrilegium æqualiter in furto rei ſacræ, & in loco ſacro, & in violatione Eccleſiæ, ac in percuſſione Clerici, vel Monachi eodem tenore verborum ſub eiſdem terminis, & in eadem clauſula, & ſenſu eiuſdem propoſitionis; ſed *Vaſquez* non negat eſſe ſacrilegium contra Religionem quod committitur contra locum ſacrum, & contra rem ſacram: nec negat quod in Textu intelligatur ſacrilegium contra Religionem reſpectu illarum, ergo malè negat, quod intelligatur reſpectu Perſonæ ſacræ de ſacrilegio cum eadem proprietate contra Religionem. *Conſequentia patet* ex ipſa connexione verborum in Textu; ponuntur enim ibi tria eſſe ſacrilegium, & explicare, & limitare quod duo ſolòm ſunt ſacrilegium proprium, & tertium improprium omnino voluntarium eſt.

Tertiò conuincitur quàm impropriè loquatur 5 *P. Vaſquez.* Quia à *Diu. Thom. Quæſtion. citat.* 99. ponitur iniuria in Perſonam ſacram prima ſpecie ſacrilegij tanquam grauius ſacrilegium, quàm in vaſa Sacra, & in locum Sacrum, quæ eſt ſecunda ſpecies ſacrilegij ibidem poſita; & tamen *Vaſquez* tenet, quod iniuria in locum ſacrum, & in vaſa ſacra eſt propriè ſacrilegium, & eſſe ſolùm contra Duliam, quia eſt dicere quod eſt minus prauè ſacrilegium, ſiquidem minus propriè ſacri-

legium ponitur, & quia etiam ponit ſolùm contra Duliam, quæ eſt imperfectior virtus Religione, & ſic tranſmutat grauitatem peccatorum, ponit enim ſacrilegium, quod à *Sanct. Thom.* ponitur grauius, & contra perfectiorem virtutem minus graue, & contra imperfectiorem virtutem. Et ad-minus conuincitur *Vaſquez* perperam intendere per hanc explicationem ſaluare mentem *Sanct. Thom.* vt ibidem *n.* 14. in fine oſtentat, cum eius explicatio omnino ſit contraria litteræ *S. Thom.* Hæc ſolutio amplius impugnabitur ratione *D. Thom.* in ſecunda impugnatione principali.

6 Secunda etiam ſolutio ſtare non poteſt in Textu Quia ibidem fit ſermo de percuſſione Clerici; quæ fit inter Catholicos in Eccleſia, pro qua ponitur Excommunicatio; ſed conſtat quod ad incurrendam iſtam cenſuram non eſt neceſſarium quod quis percutiat Clericum ea intentione, quia Clericus eſt, ſed propter vindictam, vel quancumque aliam illicitã causã; ergo etiam vt committat culpam pro qua ponitur pœna huius Excommunicationis non eſt neceſſe quod percuſſio fiat cum illa intentione reflexa, quia Clericus eſt, & per conſequens, vt incurrat ſacrilegium de quo loquitur Textus. Hæc eſt euidens impugnatio huius ſolutionis ex contextu, quæ amplius impugnabitur in ſequentibus.

7 Secundò Principaliter impugnatur Sententia *Vaſquez*, & excluditur vtraque ſolutio aſſignata ratione à priori *D. Tho.* inſt. *Quæſtion.* 99. *citat. artic.* 1. in corpor. vbi inquit: *Sacrum dicitur aliquid ex eo quod ad diuinum cultum ordinatur; & ſic ei quædam reuerentia debetur, quæ refertur in Deum; & ideò omne illud quod ad irreuerentiam rerum ſacrarum pertinet, ad iniuriam Dei pertinet, & habet rationem ſacrilegij.* Secunda conſequentia tenet ex prima fundata in principio aſſumpto in ratione dubitandi. Si enim iniuria penſanda eſt veneratione contraria, & veneratio eſt talis quod refertur in Deum, etiam iniuria tranſiet in Deum, & conſequenter habebit malitiam ſacrilegij contra cultum Dei. *Prima conſequentia* clarè ſequitur ex Antecedenti, & *Antecedens Probatur à D. Thom. ſic.* Sicut ex eo, quod aliquid ordinatur ad finem bonum, ſortitur rationem boni, ita etiam ex hoc quod aliquid deputatur ad cultum Dei, efficitur quoddam diuinum, quæ propoſitio eſt certa, & non negatur à *Vaſquez*, vt patet in calice, Eccleſia, &c. quæ dicuntur diuina, quia ad cultum Dei ſunt deputata, & conſequenter ex vi huius cauſalis debet concedi vniuerſaliter, quod omne deputatum ad cultum Dei in quantum tale habet rationem diuini, aliàs cauſalis non eſſet bona: ſed Perſonæ ſunt etiam deputatæ ad cultum Dei, v. g. Sacerdos, de quo non poteſt *Vaſquez* negare quod per ſuſceptionem ordinum conſecratur ad cultum Dei magis quàm Calix, vel templum, quia ad principalius munus diuini cultus conſecratur, quod fit in vſu Sacramentorum, & conſecratione Corporis Chriſti, ad quod ordinantur vaſa, & loca ſacra.

8 Propter Quod probauit D. Thom. Quæſt. 99. cit. art. 3. in corp. Quod eſt maior Sanctitas Perſonæ, quàm loci ſacri, quia iſta eſt propter illam; ergo contra rationem eſt ponere ſacrilegium rigoroſum, & contra Religionem iniuriam in locum ſacrum, & hoc negare de iniuria in Perſonam ſacram vtpote de percuſſione Sacerdotis. *Patet Conſequentia*, ex definitione ſacrilegij, quæ eſt *Violatio rei ſacræ* admiſſa communiter à Theologis, & tradita *Cap. ſi quis Contumax eit.* probatione præcedenti. Ergo ſi Perſona eſt Deo ſacrata, & magis conſecrata quàm locus ſacer, iniuria in Perſonam ſacram eſt ſacrilegium magis graue, & rigoroſum, quàm in locum ſacrum, & magis contra virtutem Religionis. Proportionabiliter loquendum eſt de aliis Perſonis diuino cultui deputatis, vel Deo conſecratis, quia ratio formalis eadem eſt, & *Vaſquez* æqualiter loquitur de omnibus, & ſufficit illum conuincere in vno, ſcilicet in Sacerdote, in quo euidentior eſt ratio.

Confirmatur. Eccleſia inſtituit Legem de veneratione Perſonæ ſacræ ponendo immunitatem illius in aliquibus actionibus, vt in percuſſione, Iudicio Laïco, in impoſitione tributi, &c. Ex motiuo virtutis Religionis, & non virtutibus Duliæ; ergo qui talem legem frangit facit contra motiuum virtutis Religionis. *Antecedens Patet. Primò*, Quia Eccleſia ſic potuit præcipere, & quod ita præceperit ſolùm poteſt conſtare ex Iure; conſtat autem in Iure Canonico vbi hæc lex ponitur quod Eccleſia dicit eſſe ſacrilegium æqualiter ſicut de aliis ſacrilegiis, quæ ſunt contra Religionem ibidem ab Eccleſia allatis (vt iam ponderatum eſt) ergo motiuum Eccleſiæ in hac lege eſt veneratio Religionis. *Secundò*. Quia lex Eccleſiæ pro veneratione loci ſacri & bonorum Eccleſiæ inſtituta eſt ex motiuo Religionis (vt *Vaſquez* concedit) & ponitur in eiſdem capitibus eadem tenore verborum cum hac lege de Perſona ſacra; ergo hæc lex etiam eſt ex eodem motiuo Religionis, imò per modum vnius legis videtur inſtituiſſe circa omnia hæc, & per conſequens motiuum fuit idem circa omnia. 9

Tertiò. Quia Eccleſiæ immunitas in hac lege vniuerſaliter comprehendit bonos, & malos Eccleſiaſticos, Sacerdotes, vel non Sacerdotes, & ſic non allegatur motiuo Duliæ quæ eſt Perſonalis ſanctitas, & per conſequens non inſtituit hanc legem ex motiuo Duliæ, ſed ex motiuo Religionis, quatenus Perſona deputatur ad diuinum cultum. *Quod conſtat*. Quia deficienti tali deputatione deficit lex, ſicut Nouitij Religionis dum ſunt cum habitu Religionis gaudent hoc priuilegio, & dimittentes habitum tranſeuntes ad ſæculum amittunt illud. Clerici etiam in minoribus conſtituti dum cum habitu Clericali, & tonſura Eccleſiæ deſeruiunt, comprehenduntur hac lege, ſi tamen hæc dimittant, & nubant, excluduntur ab illa; ſignum ergo eſt quod motiuum huius legis Eccleſiæ eſt deputatio Perſonæ ad cultum diuinum, ſiquidem ſtante tali deputatione ſtat lex, & ablata deputatione aufertur lex circa illus. Sicut in bonis Eccleſiæ apparet, quod dum ſunt bona Eccleſiæ, vel exiſtunt in Eccleſia ſacrilegium eſt illa furari, ſecus autem ſi tranſeant ad dominium laïcorum, & ſint extra Eccleſiam, propter quod colligitur, quod ex motiuo Religionis bona Eccleſiæ ſunt priuilegiata; Ergo ſimiliter erit de Perſona ſacra, quod non ex motiuo Duliæ, ſed ex motiuo Religionis gaudet priuilegio huius Canonis, quia ſi eſſet ex motiuo Duliæ deficiente ſanctitate Perſonali deficeret hæc lex, quia vt habet *D. Thom. in* 3. *Diſt.* 9. *Quæſt.* 2. *art.* 1. *ad* 2. *Prælato dum eſt in actu peccati non debet exhiberi Dulia, quia apparet in eo aliquid honori contrarium.* Hæc D. Thom. & per conſequens mali Sacerdotes non eſſent comprehenſi ſub priuilegio huius legis, quod ſine controuerſia eſt falſum. 10

Quartò. Quia ſi non eſſet hæc lex ex motiuo Religionis, quamuis ex intentione, quia Clericus 11

eſt

eſt, ſiqret vt percuſſio Clerici eſſet ſacrilegium non contra Religionem, ſed contra Duliam, quia intentio tunc fertur ad titulum quod in re eſt Duliæ in Sententia *Vaſquez*. Sicut ſi quis iniuriaret Perſonam ſanctam quia ſancta perſonaliter eſt, committeret culpam contra Duliam, quia ſanctitas perſonalis eſt ratio formalis Duliæ, in quo conuenit *Vaſquez*. Sed ij ſe tenet *num.* 14. *cit.* Quod conſecratio Sacerdotis ratione cuius prohibetur Percuſſio illius ſolùm pertinet ad obiectū Duliæ; ergo euidenter concluditur contra *Vaſquez* quod quamuis ex intentione quia Clericus eſt, vel quia conſecratus eſt percuteretur non eſſet ſacrilegium contra Religionem, ſed contra Duliam, quod tamē ipſe negat dicens quod tunc eſt contra Religionem.

12 Ex *Quo efficaciter* reuincitur, qood conſecratio pertinet ad obiectum Religionis, & per conſequens hæc lex in Eccleſia conſtituta propter reuerentiam conſecrationis facta eſt ex motiuo Religionis, ex quo ſequitur prima conſequentia, quod qui illam frangit peccat contra Religionem. *Patet Conſequentia.* Quia motiuū in præſenti non ſumitur pro fine legiſlatoris, quia eſt extinſecus legi, & dicitur non cadere ſub lege, ſed pro fine intrinſeco legis propter quem tanquam propter rationem formalem fit lex, & accipit ſpeciem ab illo, ſicut lex de veneratione loci ſacri facta propter conſecrationem illius quantum ad actionem furti, aut effuſionis Sanguinis, aut ſeminis facit iſtas culpas ſubinduere malitiam ſpecificam contra Religionem, quia eſt violatio rei ſacræ prohibita propter eius conſecrationem.

13 Dices: Non eſt eadem ratio de Perſona ſacra, quia res inſenſibiles, vt Locus ſacer, &c. non habent ſanctitatem propriam ratione cuius ſint capaces venerationis propriè, & ſic ſolùm coluntur, vel iniuriantur ratione conſecrationis. At verò Perſona rationalis habet dignitatem propriam, & ideo ratione illius poſſunt coli, vel iniuriari non attingendo conſecrationem.

14 Contra. Licèt vera ſit differentia quod res inſenſibiles non habeant dignitatem quam habent Perſonæ, tamen non excluditur quod Perſonæ ſimul habeant duas dignitates, aliam perſonalem in qua excedunt res inſenſibiles, aliam conſecrationis in qua conueniunt cum illis, ſaltèm genericè, quia iſtę duæ dignitates non ſunt incompatibiles, de facto enim repetiuntur in Sacerdote; ergo ſicut poſſunt venerari ratione dignitatis perſonalis propter ſe, poſſunt etiam venerari ratione conſecrationis, propter reſpectum ad Deum, cui ſunt conſecratæ, vel deputatæ, & per conſequens poſſunt ſub vtraque formalitate iniuriari. *Conſequentia eſt bona:* Quia ſecundum quod aliquid eſt capax honoris, eſt capax iniuriæ. *Antecedens autem exemplis fit manifeſtum.* Nam non ſolùm res inſenſibiles, vt veſtis, vel domus, aut irrationalis vt equus quatenus poſſidetur à Rege eſt capax vt veneretur propter reſpectum ad Regem ita vt qui iniuriat aliquid iſtorum, indicetur iniuriare Regem, ſed etiam homines vt ſerui, vel mancipia quamuis ſint Perſonæ rationales, tamen quatenus poſſidentur à Rege & illi ſeruiunt, debetur illis ſpecialis veneratio propter Regem, quæ non debetur illis propter ſe ipſos, quamuis debeatur alia propter ſe, iuxta propriam nobilitatem, vel dignitatem; ita qood qui interficeret ſeruum, vel mancipium Regis non minùs iniuriaret Regem, quàm qui interficeret equum, vel canem Regis, quia contra lumen rationis eſſet, quod magis iniuriaretur Rex per percuſſionem, vel occaſionem Equi, vel Canis, quam per occiſionem ſerui ſui.

Ad hoc ſolùm poteſt reſpondere *Vaſquez* iuxta ſuam doctrinam, quod conuincitur, quod ſi occideretur ſeruus Regis, quia Regis eſt, ita verum eſt, ſed quia poteſt occidi non quia Regis eſt, ſed propter ſuam indignitatem perſonalem, & res inſenſibiles, ſeu irrationales non poſſunt iniuriari niſi propter reſpectum ad Regem, ideò non tenet paritas. Et ſimiliter ſi percuteretur Clericus, quia Clericus eſt, eſſet contra Religionem, ſi autem propter ſuam indignitatem perſonalem percutiatur, tunc non eſt contra Religionem. 15

Contra. Hoc iam eſt recurrere ad ſecundam ſolutionem ſuperiùs allatam, in præſenti tamen ratione, & ſpecialiter in confirmatione, vt patet in ſuis probationibus intentū fuit primam ſolutionē *Vaſquez* funditus euertere, quæ conſiſtebat in hoc, quod in Perſona rationali non erat titulus virtutis Religionis, ſed ſolùm Duliæ, & per conſequens quod iniuria in Perſonam ſacram ſolū erat contra duliam. Cuius contrarium euidenter demonſtratum eſt oſtendendo quod in Perſona rationali reperitur ratio formalis obiecti virtutis Religionis, ſcilicet conſecratio, vel deputatio ad cultum diuinum ratione cuius iniuria in Perſonam rationalem poteſt habere malitiam ſacrilegij contra Religionem. Hæc etiam ſecunda ſolutio non minùs efficaciter impugnabitur ratione ſequenti *D. Thom.* qui illam nobis impugnatam reliquit. 16

Tertiò Principaliter impugnatur Sētentia *Vaſquez*, & excluditur eius ſecūda ſolutio. Diu. Thom. in 4. Diſt. 16. Quæſt. 3. art. 2. Quæſtione. 3. in Corp. ſic habet, *Quidā dicunt quod hoc accidit* (ſcilicet circumſtantias mutare ſpeciem) *in quantū illa circumſtantia accipiuntur vt fines voluntatis, quia à fine actus moralis accipit ſpeciem, ſed hoc non videtur ſufficienter dictum, quia aliquando variatur ſpecies peccati ſine eo quod intentiō feratur ad circumſtantiam illam. Sicut fur ita libenter acciperet vas aureum non ſacratum, ſicut ſacratum, & tamen in aliam ſpeciem peccatum mutaretur, ſcilicet de furto ſimplici in ſacrilegium. Et præterea ſecundùm hoc ſola illa circumſtantia quæ dicitur eius gratia, ſpeciem peccati mutare poſſet, quod falſum eſt* Hæc Diu. Thom. Vbi refert in communi Sententiam, quam *Vaſquez* ſequitur in ſingulari de percuſſione Clerici, ſcilicet, quod actus non accipit ſpeciem ſacrilegij, niſi fiat ex intentione circumſtantiæ Perſonæ ſacratæ, ſcilicet quia ſacrata eſt, quod eſt dicere tanquam finis cuius gratia actus fit, & hoc impugnat *D. Thom.* duplici ratione in verbis allatis vtraque euidenti. 17

Prima. Qui furatur vas ſacratum committit ſacrilegium quamuis non furetur illud quia ſacratum, ſed quia aureum eſt. *Secunda,* Quia aliàs ſola circumſtantia finis poſſet mutare ſpeciem, quod eſt falſum. Quæ ratio quamuis videatur ab inconuenienti procedere includit tamen rationem à priori, ad hanc formam redoctam. Aliæ circumſtantiæ poſſunt mutare ſpeciem, quamuis non ſumantur tanquam circumſtantiæ finis cuius gratia, quod eſt dicere, quamuis actus non fiat ex intentione illius circumſtantiæ, quaſi in actu ſignato; ergo falſum eſt qood ſolùm cauſetur ſpecies talis, quia actus fit ex intentione talis circumſtantiæ. *Conſequentia bene ſequitur ex Antecedenti.* Antecedens autem Probatur. In circumſtantia *Quis.* Quando v.g. coniugatus accedit ad non ſuam, adul- 18

terium committit; quamuis non faciat ex intentione iniurandi ſuæ, ſed ex ſola libidine. Similiter qui accedit ad coniugatam non quia coniugata, ſed quia amica ſua, & melius accederet ſi eſſet ſoluta, tamen talis eſt adulter. Etiam in circumſtantia *Vbi* effuſio ſeminis, vel Sanguinis in loco ſacro non quia locus ſacer eſt, ſed quia ibi occurrit occaſio appetitus iraſcibilis, vel concupiſcibilis eſt ſacrilegium contra Religionem, quod etiam admittit *Vaſquez*. Ergo verum eſt quod vt aliqua circumſtantia mutet ſpeciem non eſt neceſſe quod ex intentione talis circumſtantiæ fiat actus, alias ſi hoc eſſet verum, falſum eſſet quod allatis exemplis committeretur adulterium, vel ſacrilegium: cum autem hoc non audeat pronunciare *Vaſquez*, conuincitur quod eius doctrina eſt falſa.

19 Confirmatur. Quia Hæretici quando occidunt Sacerdotes, & Catholicos, quia tales ſunt, non dicunt ſe intendere iniuriam Dei, imò arbitrantur ſe obſequium præſtare Deo, & occidunt illos tanquam inimicos veræ fidei, quam exiſtimant eſſe ſuam: imò & Gentiles perſequendo Chriſtianos, & Chriſtum, non dicunt intendere iniuriam Dei, ſicut Saulus cum deuaſtabat Eccleſiam, & Imperatores Idololatræ interficiendo Martyres quia non immolabant diis ſuis, non ſolùm non exiſtimabant in hoc facere iniuriam contra Deum, & ſacrilegium committere, ſed maximum cultum, & reuerentiam exhibere Deitati, & tamen de facto ſacrilegium committebant contra virtutem Religionis; (vt fatetur *Vaſquez*) Ergo non eſt neceſſarium ad hanc malitiam ſacrilegij intendere iniuriam Dei. Qua ratione vtitur etiam *Suarez* contra *Vaſquez loc. cit.* & efficaciter conuincit intentum.

20 Concluditur Summariè contra *Vaſquez* ex vno principio ab illo admiſſo, quod eius Sententia eſt falſa, & vtraque eius ſolutio infirma, ex eo quod ipſe admittit quod percuſſio Perſonæ ſacræ, quia ſacra, eſt ſacrilegium contra virtutem Religionis, euidenter ſequitur contra ipſum quod ratio conſecrationis non pertinet ad rationem Duliæ, quia ſi pertineret, intendere iniuriam conſecrationis non transferret actum ad aliam ſpeciem, ſcilicet contra Religionem, ſed remaneret actus in ſpecie contra duliam, ſiquidem ſolùm intenderetur contra obiectum duliæ ex intentione, ſicut quando intenditur iniuria Perſonæ ſanctæ propter ſanctitatem perſonalem, quia talis ſanctitas eſt obiectum duliæ. Hoc contra primam ſolutionem.

21 Sequitur etiam contra ſecundam. Quod ſi percuſſio Clerici quia Clericus eſt, eſt ſacrilegium contra Religionem, quod ratio Clericatus pertinet ad rationem Religionis ex eſſentia ſua, & per conſequens quod in exercitio iniuriatur, committiturque eadem malitia. Sicut qui in exercitio accedit ad coniugatam, vel monialem committit malitiam adulterij, & ſacrilegij, quia in exercitio læditur maritus, & conſecratio monialis. Et ſicut qui furatur vas aureum ſacrum, non quia ſacrum, ſed quia aureum; Et ſicut qui percuteret, vel occideret Equum, vel Canem Regis, non quia Regis, ſed propter aliam cauſam, falſum enim eſt, quod in his rebus inſenſibilibus, & irrationabilibus non poterat eſſe ratio iniuriæ, niſi propter reſpectum ad Dominum, vt ponebatur pro ſecunda ſolutione in fine rationis præcedentis ad dandam diſparitatem de iniuria Perſonæ ſacræ propter dignitatem perſonalem, & non propter conſecrationem. Conſtat enim quod veſtes, vel vaſa Eccleſiæ, vel Regis poſſunt rapi propter valorem quem habent; canis, vel equus quia læſit, ſicut dicitur de Perſona ſacra, quod poteſt iniuriari, quia inimica. Sicut ergo in aliis exemplis non excluditur malitia ſacrilegij, vel contra Regem in iniuria in exercitio facta, ita neque excluditur in percuſſione Clerici in re exercita.

Nota quod non nititur hic diſcurſus impugnare 22
aliam Sententiam eiuſdem *Vaſquez* de actu purè interno, & delectatione moroſa in qua tenet, quod delectatio purè interna circa religioſam, vel coniugatam, non tamē intendens in re illam exercere, poteſt præcindere ab his circumſtantiis, & non habere malitiam ſacrilegij, vel adulterij. Quæ Sententia licèt falſa ſit, tamen non eſt ad præſens intentum, quia modò fit ſermo de actu exteriori actu conſummato, de quo non audet *Vaſquez* aſſerere, quod qui accederet ad Religioſam non committeret ſacrilegium, & qui ad coniugatam non committeret adulterium, quamuis non intendat actum quia religioſa, vel quia coniugata eſt, ſed ad explendam libidinem. Et ſic redarguitur in præſenti in eodem ſenſu de percuſſione Clerici opere conſummato, & exercito. Quod aduertimus ne de vna ad aliam Opinionem fiat tranſitus non animaduertēdo diſtinctionem Opinionum, quamuis ex vna ad aliam poſſit ſumi Argumentum; tamen Opinio de qua in præſenti fit ſermo valdè diſtincta eſt ab alia, & euidentius falſior, quamuis alia falſa ſit, de qua nihil in præſenti quia non eſt huius loci.

Soluuntur Argumenta.

AD *Rationem dubitandi à principio Reſpondetur.* Quod in Perſona ſacra duplex dignitas 1
reperitur, alia quæ dicitur *abſoluta*, quæ eſt propria ipſius Perſonæ, quæ eſt Sanctitas Perſonalis, & ſecundùm hanc formalitatem iniuria Perſonæ ſacræ, habet ſpeciem peccati contra duliam. Alia ratio eſt, vt eſt aliquid Dei, quæ eſt ratio *reſpectiua*, quatenus Deus in tali Perſona ſibi conſecrata colitur, & iniuriatur, vt habet *D. Thom.* verbis allatis, & hoc non minùs quàm in aliis rebus inſenſibilibus Deo conſecratis, in quibus & colitur, & iniuriatur Deus. Et ſicut talis iniuria Dei in rebus inſenſibilibus Deo conſecratis illata eſt ſacrilegium contra Religionem, ita iniuria in Perſonis Deo conſecratis facta, quia quantum ad hoc quod eſt, eſſe Deo conſecrata conueniunt, quamuis differant in alia dignitate perſonali, quia ex hac differentia ſolùm ſequitur, quod iniuria in res inſenſibiles ſacras non poteſt habere malitiam contra duliam, ſed contra Religionem. At verò in Perſonas ſacras poteſt habere malitiam contra vtramque virtutem.

Ad *Confirmationem Reſpondetur* Quod in Ima- 2
ginibus, & reliquiis Sanctorum Perſonæ ipſorum coluntur, & iniuriantur ſecundùm vtramque rationem, ſcilicet reſpectiuam ad Deum, & abſolutam ſibi propriam; vnde iniuria, quæ fit Sanctis in ſuis Imaginibus, vel reliquiis non ſolùm habet malitiam contra Duliam, ſed etiam contra Religionem, quia iniuriatur Deus quando illi iniuriantur in ſuis Imaginibus, & reliquiis, hæc enim vult Deus eſſe in Eccleſia tanquam inſtrumenta Sanctorum cultus. Vnde æſtimat iniuriam propriam quæ illis fit, ſicut Rex iniuriaretur per iniuriam quæ fit ſuo filio, ſiue illa iniuria inferretur filio Regis immediatè in ſua Perſona, vel in ſua imagine. Igitur ad formam argumenti conceditur, quod ad illam virtutem

tatem pertinet cultus, & veneratio obiecti contra quam eſt iniuria talis obiecti. & etiam concedimus quod ſicut eſt ſacrilegium contra Religionem iniuria in Perſonam ſacram, ita cultus, & veneratio einſdem Perſonæ ſacræ poteſt eſſe actus Religionis conſiderata Perſona tam in cultu, quam in iniuria ſecundùm eandem formalitatem, ſcilicet ſecundum reſpectum ad Deum.

3 Ad *contrarietatem*, quæ in obiectione opponitur *D. Thom.* Reſpondetur, Quod ſicut *S. Doctor* docet Sanctos venerandos Dulia, ita docet iniuriam in Perſonam ſacram eſſe ſacrilegium contra virtutem Religionis. Et ſicut docet reliquias, & imagines Sanctorum colendas propter Sanctos, & ideo eodem honore, & conſequenter dulia, ita etiam docet iniuriam contra Imagines, & reliquias Sanctorum eſſe ſacrilegium contra Religionem, ſicut iniuriam contra templa, & vaſa ſacra, & hoc ſine aliqua contrarietate. *Et ratio eſt*: Quia in eadem Perſona reperitur vtraque ratio duliæ, & Religionis; quod ſæpè tradidit D. Thom. & præcipuè in 3. diſt. 9. Quæſt. 1. art. 2. Quæſtiunc. 1. in Corpor. Vbi ſic habet. *Duplex eſt modus, quo aliquid honoratur: aliquid enim honoratur ratione ſui, & ratione alterius ſecundùm Philoſ. in 1. Ethic. Laus & honor in hoc differunt, quod laus debetur alicui propter bonitatem quam habet in ordine ad alterum; Honor autem debetur alicui propter bonitatem, quam habet ſecundùm ſe*; Hæc S. Thom. Quæ repetit ad *Annibaldum ibidem Quæſt. 1. art. 2. & 3. p. Quæſt. 25. art. 2.* & ſemper ex hac doctrina infert quod humanitas Chriſti adoratur latria propter Verbum, & dulia propter ſanctitatem creatam. & concludit locu citato ex 3. part. in fine corporis, *Hoc non eſt inconueniens, cum ipſi Deo Patri debeatur honor Latriæ propter Deitatem & etiam honor Duliæ propter dominium, quo gubernat creaturas*. Ita S. Thom. In quibus locis quamuis loquatur de humanitate Chriſti determinatè, conſtat quod tradit doctrinam vniuerſalem, quæ poteſt aliis creaturis rationalibus applicari propter vniuerſalem modum loquendi, & quia eadem eſt ratio.

4 Sed Adhuc de aliis Perſonis creatis loquendo expreſsè docet, quod actus Religionis poſſunt referri ad Sanctos propter Deum, vt de actu deuotionis, & orationis locis ſtatim adducendis. De actu verò cultus, & honoris eſt ſingularis locus infrà Quæſt. 103. art. 3. vbi ponit 3. argument. ſic. *Idem eſt motus, quo aliquis mouetur in imaginem, & in rem cuius eſt Imago; ſed per duliam honoratur homo in quantum eſt ad Dei imaginem factus; ergo dulia non eſt alia virtus à Latria, qua honoratur Deus.* Et reſpondet duplici ſolutione; Prima ſic, *Ad Tertium dicendum, Quod motus, qui eſt in imaginem in quantum eſt imago refertur in rem cuius eſt imago, non tamen omnis motus, qui eſt in imaginem fertur in eam in quantum eſt imago, & ideo quandoque eſt alius motus ſpecie in imaginem, & motus in rem. Sic ergo dicendum, quod honor, vel ſubiectio duliæ reſpicit abſolutè quandam hominis dignitatem, licèt enim ſecundum illam dignitatem ſit homo ad imaginem, & ſimilitudinem Dei, non tamen ſemper homo quando reuerentiam alteri exhibet, refert hoc actu in Deum.* Hæc S. Doctor. Vbi in primis ſupponendum quod loquitur de Imagine Dei viua, quæ eſt homo deinde expendendum quod ponit duos motus vnum qui ſiſtit in ipſo homine tanquam in ſpecificatiuo, & ideo dicitur *Duliæ*, alius qui non ſiſtit ibi, ſed tranſit ad Deum, & hoc tanquam propter rationem formalem, & ſic debet eſſe *Latriæ*, aliàs non diſtingueretur à primo; non tamen eſt latriæ ſicut quando adoratur Deus in ſe, quia illa adoratio eſt propter Sanctitatem diuinam abſolutam, & prout in Deo, quæ non poteſt communicari creaturæ.

Et Propter hoc dicit ibidem S. Doct. in ſecunda ſolutione. *Quod non tamen motus, qui eſt in rem oportet quod ſit in imaginem, & ideo alia eſt reuerentia quæ ipſi Deo exhibetur, quæ nullo modo pertinet ad eius imaginem*, Scilicet hæc Latria abſoluta. Tamen venerationem Latriæ reſpectiuam quam poſuit in humanitate Chriſti verbis allatis, hanc non negat in ſecunda ſolutione, & eſt quam affirmat in prima ſolutione in homine in quantum eſt imago Dei per reſpectum ad Deum. Nunquam igitur *S. Thom.* negauit quod poteſt creatura rationalis ſecundùm reſpectum ad Deum coli per Religionem, ſed quando dixi, quod ſolùm dulia eſt veneranda ſemper determinauit ſecundum ſe, vel propter ſe, vt intuenti litteram parebit in omnibus locis allatis in obiectione. In quo ſatis denotauit etiam in eiſdem locis, quod reſpectiuè ad Deum poſſet coli per Religionem, ſed hoc non eſt conueniens quod regulariter fiat, Tum propter periculum Idololatriæ; Tum quia excellentius eſt venerari dulia propter ſe quã Latria propter aliud, vt latius infrà ad ſecundam obiectionem ponderabitur. 5

Apparet Autem quam ad mentem *S. Thom.* eſt hæc ſolutio, quia ad ſoluendum argumentum in ſimili forma ea vtitur *S. Doct.* Et ſimul confirmabitur veritas, & conſequentia doctrinæ, primò de actu bono infra Quæſt. ſequenti art. 2. vbi agit de Deuotione tanquam de principaliori actu Religionis, vbi proponit 3. argument. ſic, *Per Religionem homo ordinatur ſolum in Deum vt dictum eſt* (ſcilicet in hoc artic.) *Sed deuotio etiam habetur ad homines, dicuntur enim aliqui eſſe deuoti aliquibus Sanctis Viris; ergo deuotio non eſt actus Religionis.* Ecce argumentum fundatum in *præſenti artic.* Et Reſpondet. *Ad 3. dicendum Quod deuotio, quæ habetur ad Sanctos Dei mortuos, vel viuos non terminatur ad ipſos, ſed tranſit in Deum in quantum ſcilicet in miniſtris Dei Deum veneramur*, Hæc *S. Thom.* Quod clariùs ad intentum? Loquitur enim de actu venerationis, & qui eſt actus ſpecificæ Religionis, & docet quod terminatur ad Sanctos non ſiſtendo ibi, ſed quod tranſit in Deum, & hoc tanquam in obiectum formale, & ſpecificatiuum, aliàs non eſſet actus ſpecificæ Religionis. Similiter *Quæſt.* 83. ſequenti *art.* 4. loquendo de Oratione, quam in *art.* 3. dixerat eſſe actum Religionis elicitiuæ, docet eſſe ad Sanctos ſecundariò, & ponit primum argumentum ſimile, ac de Deuotione, & ſoluit eadem doctrina proportionabiliter applicata dicendo, quod oratio fit ad Sanctos in ordine ad Deum tanquam ad Interpellatores noſtros apud Deum. 6

De actu iniurioſo adhuc clarior, & proprior locus ad intentum reperitur ſuprà *Quæſt.* 13. *art.* 1. vbi ponit *Sanct. Doct.* ſecundum argumentum ſic. *Ad Epheſios 4. ſuper illud Blaſphemia tollatur à vobis, dicit Gloſſa, Quæ fit in Deum, vel in Sanctos, ſed confeſſio fidei non videtur eſſe, niſi de his quæ pertinent ad Deum, qui eſt fidei obiectum: ergo blaſphemia non ſemper opponitur confeſſioni fidei.* Ecce argumentum ſimilis formæ omnino, cum præſenti ratione, qua conuincitur *Vaſquez.* Sicut 7
fides,

fides, & confeſſio fidei eſt ad Deum tanquam ad proprium obiectum, ita vitium contrarium debebat eſſe in Deum, & non in Sanctos, ſic eſt præſens argumentum, Religio eſt ad Deum; ergo ſacrilegium contra Religionem debet eſſe iniuria in Deum, & non in Sanctos. Et reſpondet Sanct. Thom. *Ad ſecundum dicendum, quod ſicut Deus in Sanctis ſuis laudatur in quantum laudantur opera, quæ Deus in Sanctis efficit, ita blaſphemia, quæ fit in Sanctos ex conſequenti in Deum redundat.* Hæc *Sanct. Doctor.* Ecce ſolutionem à nobis datam, quod iniuria quæ fit in *Sanctos* redundat in Deum, & ideo habet contrarietatem ad virtutem, quæ habet Deum pro obiecto. Quod ſicut verificatur de Blaſphemia in Sanctos, quod eſt vitium contra confeſſionem fidei propter hanc rationem, ita verificatur de iniuria in Sanctos, quod eſt ſacrilegium contra Religionem. Vnde illud verbum S. Thom. *Ex conſequenti in Deum redundat* non debet intelligi quaſi mediatè, & ſecundariò, ſed tanquam in obiectum primarium, & ſpecificatiuum ad quod tranſit, non ſiſtendo in Sanctis, quia vt bene inquit Caietanus in fine Commentarij explicando illam ſolutionem *ad* 2. eadem ſpecie eſt blaſphemia Dei, & Sanctorum. Et poſt pauca reddit rationem dicens: *Ratio autem quare iniuria Sanctorum, & Dei eſt eiuſdem ſpeciei, eſt quia Sancti vt ſic ad Deum referuntur.* Ita Caietan. Ille terminus iniuria eſt communis ad blaſphemiam, & ſacrilegium, quæ ſolum differunt per hoc quod eſt iniuriare verbis, vel factis & ſic comprehendit noſtram doctrinam non ſolùm per ſimilitudinem, ſed in proprietate verborum, & reddit rationem a nobis aſſignatam.

8 Ad admirationem *P. Vaſquez*, reprehendentis omiſſionem *Sanct. Thom.* quia non egit de Vitio contra Obſeruantiam, & duliam cum ſit ſpeciale ſicut de ſacrilegio, *Reſpondetur* Quod Admiratio naſcitur ex ignorantia, ceſſaſſet enim admirari Author iſte ſi vellet edoceri à *Sanct. Thom.* quia in illo inueniſſe quod *Sanct. Doct.* cognouit ſpeciale vitium contra Obſeruantiam, & duliam, & de illo egit quod neceſſarium erat, & non amplius, quia ſuperfluebat. In Quæſt. enim 102. ſequenti agendo de Obſeruantia, & illius partibus quarum prima eſt dulia in Prologo ſic habet, *Deinde conſiderandum eſt de Obſeruantia, & partibus eius, per quæ de oppoſitis vitiis erit manifeſtum.* Hæc *Sanct. Thom.* Vbi ſatis oſtendit, quod ſicut cognouit Obſeruantiam, & partes eius, etiam cognouit vitia oppoſita, quæ manifeſtauit per virtutes contrarias, & non inſtituit ſpecialem Quæſtionem de iſtis peccatis, ſicut de ſacrilegio, & de aliis, quia non habent ſpeciales difficultates, & ſolùm erat neceſſarium cognoſcere illorum eſſentiam, & hæc innoteſcit cognitis virtutibus contrariis. Quo ſtylo etiam vſus eſt Quæſt. 101. de Pietate dicendo in Prologo. *Conſiderandum eſt de Pietate cuius oppoſita vitia ex ipſius conſideratione innoteſcunt.* Ita ibi, & non inſtituit ſpecialem Quæſtionem de Impietate, quāuis cognouerit eſſe ſpeciale vitium, quia non erat neceſſarium. Si autem Quæſtionem facit de Sacrilegio, de Infidelitate, Simonia, &c. eſt, quia materia iſtorum peccatorum petebat ſpeciales Articulos, & indigebat ſpeciali doctrina, propter plures difficultates quæ in illis occurrunt; hoc autem non contingit in vitio Impietatis, nec in vitio contra obſeruantiam, & contra duliam, & ideo de iſtis non inſtituit ſpeciales Quæſtiones.

Obijcies *Primò*. Quomodo intelligitur, quod iniuria quæ fit in Sanctos tranſit ad Deum, & fit iniuria Dei: Si intelligitur remotè, & quaſi in finem vltimum, etiam iniuria quæ fit contra duliam tranſit ad Deum, quia ipſa dulia vltimatè, etiam tendit in Deum, & hoc videtur docere *D. Thom. hic ad* 5. dum inquit de Religioſis, *Huiuſmodi autem non ſe ſubijciunt homini propter hominem, ſed propter Deum.* Hæc autem ſubiectio Religioſorum pertinet ad obedientiam, de qua infra *Quæſt.* 104. docet ſæpè quod eſt ſubiectio alteri hominum propter Deum. Et ſpecialiter art. 9. in Argum. Sed contra confirmat eum illis verbis 1. Petri 2. *Subiecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum*, & tamen conſtat quod obedientia eſt diſtincta à Religione, & ponitur à *D. Thom.* inter partes Obſeruantiæ ſpecialis virtus poſt duliam. Et denique omnis iniuria proximi eſt peccatum contra Deum iuxta illud, *Neſcitis quod qui in hominem peccatis, in Deum peccatis*, ergo ex hoc quod iniuria in Perſonam ſactam tranſit ad Deum non bene ponitur quod ſit ſacrilegium ſpeciale contra Religionem, ſicut non bene poneretur actus duliæ, & obedientiæ actus elicitus à virtute Religionis, quia etiam fiunt circa perſonas propter Deum, ſed ad multum imperatiuè, vt docet *D. Thom.* in *præſenti art. ad* 1. 9

Reſpondetur. Quod dupliciter ſtat eſſe aliquem actum propter Deum, vel tanquam propter finem vltimum mediatè, & remotè reſpectum; & hoc modo referuntur ad Deum omnes actus virtutum: & hæc ordinatio poteſt eſſe expreſſa ex imperio alicuius virtutis ſuperioris, vt Religionis, & hoc modo ordinantur actus duliæ, & Obſeruantiæ ſicut etiam miſericordiæ, & temperantiæ de quibus loquitur *D. Thom. hic ad* 1. Alio modo actus eſt propter Deum tanquam propter obiectum proximum, & ſpecificatiuum, ſiue conſideretur Deus in ſe, ſiue in ſuis creaturis, & hoc modo eſt actus Religionis, quo colitur Deus in ſe, & quo coluntur Sancti propter Deum. & eodem modo actus quo iniuriantur Sancti eſt etiam contra Deum, ita quod Sancti reſpectu huius malitiæ ſolum ſe habent materialiter, ſicut ſubiectum in quo relucet ratio formalis obiecti Religionis, ſicut Calix, & Templum. Et hoc quod reſpectu huius formalitatis Religionis eſt materiale comparatur ad duliam formaliter, vt benè notauit *Suarez, ſec.* [illegible] *num* 6. reſpondendo ad rationem *Vaſquez*. Et [illegible] rat ibidem *Tract.* 1 *lib* 1. *cap.* 4. *num.* 8. vbi [illegible] difficultatem tetigit, hoc eſt, quod ſanctitas Perſonalis ſecundum ſe conſiderata, & abſolutè pertinet ad obiectum formale duliæ. At verò eadem ſanctitas, vel Perſona ſancta ſecundum quod ſubinduit quendam reſpectum, & formalitatem ad Deum pertinet ad obiectum formale Religionis, ad quod quaſi materialiter ſe habet illa formalitas, quæ pertinebat ad obiectum formale duliæ. 10

Sed valde notandum hic. Quod Perſona, vt ſubinduit hanc formalitatem reſpectiuam ad Deum, quæ dicitur pertinere ad obiectum formale Religionis non purè materialiter, ſed aliquo modo formaliter intrat obiectum Religionis, quia prima ſpecies ſacrilegij diſtinguitur à *D. Thoma* per contrapoſitionem ad alias ſpecies, quia eſt contra ſanctitatem Perſonæ, vel contra Perſonam ſanctam, vnde Perſona intrat vt principium diſtinctiuum ſanctitatis reſpectiuæ, quæ genericè conſiderata diuiditur in tres ſpecies, ſcilicet, in Perſonam ſacram, in locum ſacrum, & in alias res ſacras. Tamen 11

men ipſa ſanctitas perſonalis quæ facit Perſonam obiectum formale duliæ eſt quæ dicitur coincidere cum formalitate Religionis. Quando ergo *D.Thom.* docet de dulia, & obſeruantia quod ordinantur ad Deum, vel ſunt propter Deum, intelligitur primo modo, ſcilicet vltimatè, & remotè, & eodem modo intelligitur de obedientia, ſicut explicat *hic ad* 5. quod totum eſt imperatiuè, quia ſubiiciuntur per votum obedientiæ, & votum eſt actus Religionis, & obedientia promiſſa eſt imperata, & ſic imperatiuè eſt à Religione, quamuis poſſit eſſe aliqua obedientia ad Deum immediatè, quæ ſit actus Religionis, vt expreſsè docet Sanct. Doct. *infr. Quæſtion.* 104. *art.* 3. *ad* 1. dicens: *Quod Obedientia in quantum procedit ex reuerentia Dei eſt ſub Religione, & pertinet ad deuotionem, quæ eſt principalis actus Religionis.* Hæc D.Thomas.

12 Quod intelligendum videtur de actu elicito Religionis, quia de actu imperato nihil ſpeciale diceret, omnis enim alia obedientia ad Prælatos etiam imperatiuè poteſt contineri ſub Religione. Eodem modo loquendum eſt de vitiis, & peccatis oppoſitis, de inobedientia enim *infr. Quæſtion.* 105. *artic.* 2. *in corpor.* circa finem dicit: *Qui contra proximum peccat, etiam contra Dei præceptum agit*, & ſæpe repetit, & ſic intelligitur illa doctrina, quod omne peccatum in proximum, eſt etiam contra Deum, imò in ratione peccati ſolùm eſt contra Deum iuxta illud *Tibi ſoli peccaui*, quod dixit adulter, & homicida. Malitia enim infinita peccati ſolùm ex Deo ſumitur, quæ conſiſtit in auerſione, & de hac non loquimur modo, & de illa verificantur hæc verba; malitia autem conuerſionis eſt finita, & in hac peccata differunt ſpecie, ſecundùm diuerſa obiecta proxima ad quæ terminatur conuerſio, & quamuis ſolùm hoc vltimatè reſultet in offenſam Dei, tamen non omnes ſumunt ſpeciem ab ipſo Deo; hoc ſolùm habent quædam ſpecialia vitia ſecundùm quod diuerſo modò attingunt Deum vt ſpecificatiuum, ſicut infidelitas, deſperatio, & odium contra charitatem. In hoc ſenſu dicitur, quòd ſacrilegium ſpecialiter eſt contra Deum, non in recto ſicut hæc vitia Theologalia, ſed in obliquo; eſt enim contra cultum Dei, & hoc etiam in Perſona ſacra facta quatenus in tali Perſona relucet formalitas Dei, & propter ipſum Deum debebat non iniuriari.

13 Obiicies *ſecundò*, Quod *P.Vaſquez* non negauit duas formalitates dictas in Perſona ſacra, ſcilicet propter ſe, & propter Deum, & quod prima ſit duliæ, & ſecunda Religionis, & conſequenter quod iniuria in Perſonam ſacram ſecundùm reſpectum ad Deum eſt ſacrilegium contra Religionem, ſicut ſecundum ſe eſt contra Duliam; ſed ſolùm dixit quod iniuria, quæ fit Perſonæ ſacræ in ſe, aut in ſua Imagine, vel Reliquiis regulariter non eſt contra illam ſecundùm illum reſpectum ad Deum, & ſic regulariter non eſt ſacrilegium contra Religionem, ſicut veneratio quæ illi exhibetur regulariter non fit per virtutem Religionis, ſed per duliam, vt docet S.Thom. *infr. Quæſt.* 1c4. *art.* 4 *&* 3. *part. Quæſt.* 25. *art.* 5. & ſæpe. Et hoc videtur verum, quia nulla apparet ratio quare iniuria, quæ regulariter fit ſanctis ſit ſacrilegium contra Religionem, & veneratio quæ communiter, & regulariter illis exhibetur non ſit ex Religione. Sicut enim in tali Perſona reperitur reſpectus ad Deum, & iſte tangitur per iniuriam, quare non attingitur idem reſpectus per venerationem, & cultum, ſiquidem poteſt hoc fieri? Vel ſi non reſpicitur communiter per venerationem, quare non dicetur etiam quod non læditur communiter per iniuriam ſecundùm eundem reſpectum, quamuis aliquando poſſit lædi? Itaque intentum *Vaſquez* eſt, quod ſicut ſancti regulariter coluntur per duliam, & vt venerentur per Religionem eſt neceſſe quod ex intentione actus feratur ad illos ſecundùm reſpectum ad Deum, quod non fit regulariter, ſed aliquando, quando fit talis reflexio in intentione, ita iniuria communiter illis illata fit ſacrilegium contra duliam, & ſolùm erit contra Religionem, quando ex intentione iniurientur ſecundùm reſpectum ad Deum.

Reſpondetur, quòd Sententia *P.Vaſquez* in præſenti eſt quod iniuria, quæ fit communiter à fidelibus, & Catholicis in Perſonas ſacras, vt percuſſio Clerici non eſt ſacrilegium contra Religionem, & idem dicit de iniuria quæ fit in Imagines; & Reliquias Sanctorum. Quæ Sententia adeò falſa eſt, quòd vt contra Sacros Canones, & contra communem ſenſum Doctorum reiiciant illam *P.Suarez, & Magiſt.Torre*, vt allatum eſt, & eius falſitas in impugnationibus oſtenſa eſt: Quia ſufficit lædere conſecrationem in exercitio, vt ſit ſacrilegium contra Religionem, vt accedere ad Religioſam, ſicut eſt adulterium accedere ad coniugatam. Et ideò *Vaſquez* defecit in ſubſtantia Sententiæ, quæ ſingularis eſt in illo; defecit etiam in ratione dicendo, quòd conſecratio eſt formalitas duliæ; defecit etiam, quia non conſequenter loquitur, quia ſi ita eſſet quod conſecratio eſſet formalitas duliæ, quamuis iniuria fieret propter conſecrationem non tranſiret peccatum ad malitiam contra Religionem, ſed maneret contra duliam, ſiquidem poneret ab ipſo conſecratio, formalitas duliæ, & ideò à nobis ponitur conſecratio, formalitas Religionis diſtincta à formalitate duliæ, & quod ſic contra vtramque virtutem poteſt iniuriari. Denique defecit, quia dixit vnum contra Duliam eſſe ſacrilegium interpretando Canones, per locutionem impropriam. Solùm reſtat reſpondere ad hanc obiectionem, quæ petit rationem, quare actus venerationis, quæ regulariter, & communiter exhibetur Sanctis, eſt ſecundùm formalitatem abſolutam, & ſibi propriam, & conſequenter eſt actus duliæ; & tamen iniuria, quæ communiter illis fit eſt ſecundùm formalitatem reſpectiuam ad Deum; & conſequenter ſubinduit malitiam contra Religionem. Quare fit iſta mutatio? vel quod fundamentum eſt ad illam aſtruendam? & non potiùs dicetur quòd eſt eadem ratio de Veneratione, & de iniuria?

15 Pater Suarez *loco cit. Lib.* 3. *de Religione, cap.* 6. *num.* 6. Sic reſpondet. Ad peculiarem illam adorationem in Sanctis (ſcilicet ſecundùm formalitatem propter Deum) requiritur peculiaris intentio, quia actus virtutis eſt. At verò ad contrariam iniuriam non eſt hoc neceſſarium, quia actus vitij eſt, ad quem ſatis eſt quod malitia ſit in obiecto, ſicut iniuria facta Principi tranſit in Regem, licet non ſit intenta reſpectu Regis; *Ita ille.* Vbi admittit, quod veneratio vt ſit actus Religionis petit quod fiat ex peculiari intentione propter reſpectum ad Deum, & quod iniuria hoc non petit, vt habeat malitiam contra Religionem; & non aſſignat aliam rationem huius diſparitatis, niſi quia vnus eſt actus virtutis, & quia talis petit fieri ex illa intentione, alius eſt actus vitij & quia talis hoc non petit.

16 Magiſt. Torre *loc. cit. infr. Q.* 99. *art.* 2. *D ſp.* *vnic.*

vxor, ità qui percutit Clericum propter vindictam ſi cognoſcat quod eſt Clericus & magis vellet quod non eſſet, nihilominus percutit, ſacrilegium committit contra conſecrationem, quia talis malitia ſimpliciter eſt volita in exercitio, & hoc ſufficit, vt imputetur, & idem eſt in omnibus exemplis adductis ab Authoribus citatis, & in pluribus aliis quæ poſſunt adduci in actionibus iniurioſis, quia eadem eſt ratio in omnibus.

24 At vero de Veneratione non eſt eadem ratio. Conſtat enim in exemplo adducto à *Magiſt. Torre* de filio qui poteſt venerari Patrem ex pietate vt Patrem, &, non vt Prætorem, & è contra vt Prætorem ex obſeruantia, & non vt Patrem, & ſimilibus, vt ſi aliquis aſſumeretur in Regem ſicut aſſumptus fuit Saul, & Dauid poſſet à conſanguineis ex pietate honorari ſine eo quod ibi ingrederetur dignitas Regis, ſed ſolùm ſecundùm communicationem, & æqualitatem ſanguinis, & etiam poſſet per obſeruantiam coli vt Rex ſine eo quod talis cultus eſſet ex pietate, & ſic & per ipſa exempla quæ clara ſunt, & de quibus nullus dubitat, conſtat veritas doctrinæ quantum ad ſubſtantiam, quia in actionibus humanis, & moralibus quæ ſunt communes apud omnes nationes id quod ab omnibus admittitur intelligitur iuxta lumen rationis, conuenientia enim in aliquo apud omnes nationes eſt indiciũ de conformitate illius cum ratione naturali. Aſſignare autem rationem huius quaſi ſpeculatiuè non eſt ita facilè, & Authores citati (vt viſum eſt) ſolum dicunt, quod hæc eſt conditio actus virtutis, & vitij, ſed propter replicam factam, quod hoc eſt petitio principij.

25 Reſpondetur, Quod ſic poteſt explicari, vt ratio à priori huius diſparitatis, vt appareat quod non eſt petitio principij, videlicèt quod hæc eſt natura malitiæ, quod non eſt, nec poteſt eſſe per ſe & ratione ſui intenta, aut volita, quia nemo intendens ad malum operatur, & malum ſub ratione mali non eſt appetibile, ſed ſub ratione boni adiũcti, ſcilicet vtilis, vel delectabilis. Vnde vt aliqua actio accipiat malitiam ab aliqua circunſtantia obiecti non eſt neceſſe, quod talis malitia ſit intenta, ſed ſufficit quod ſit cognita, & non recuſata, ſed admiſſa in re in ipſo opere, quod eſt eſſe ſufficienter volitam indirectè vt cauſetur malitia in actione. At verò honeſtas, vel bonitas eſt per ſe amabilis, & ſic poteſt mouere voluntatem propter ſe, & ratione ſui non indigẽdo ratione alterius adiuncti, quia quod eſt bonũ, & honeſtum poteſt amari propter ſuam bonitatem. Vnde vt actus moralis à tali bonitate accipiat ſpeciem moralẽ bonam debet bonitas obiecti ſic eſſe propter ſe amata, & conſequenter directè volita, & intenta. Vnde ſi non intendatur actus non accipit ſpeciem ab illa quamuis ſit in obiecto, ſed ibi eſt quaſi materialiter comparatiuè ad iſtum actum, & ideò eſt diſpar ratio de malitia, quæ accipitur ex circunſtantia obiecti quamuis non ſit intenta. Ecce rationem quaſi à priori huius diſparitatis inter vitium & virtutem deſumptam ex ipſa natura boni, & mali, quod malitia obiectiua à qua ſumitur moralitas mala actus non poteſt eſſe per ſe intẽta, nec eſt capax, vt intendatur per ſe, & ideo poteſt dare ſpeciem actui ſine eo quod intendatur, quia dat illam vt poteſt ſecundum ſuam conditionem, & naturam, vt ſolùm in exercitio attacta, quia vt intenta non poteſt, eo quod nec intendi poteſt. E contrario contingit in bonitate, quæ eſt per ſe amabilis, & poteſt per ſe intendi, & ſic ſua natura, & conditio petit, quod det moralitatem actui per ſe intenta, & non aliter, & ideo iniuria in Perſonam ſacram, & ſanctam exercita eſt ſacrilegium contra Religionem ratione conſecrationis, quamuis non ſit intenta, ſed cognita. At verò veneratio Perſonæ ſanctæ non eſt actus Religionis, ſed ſolùm Duliæ, ſi non intendatur formalitas reſpectiua ad ipſum Deum. Hac doctrina ſoluitur hæc eadem paritas de bonitate, & malitia in communi loquendo *loc. cit.* 1. 2. *Quæſt.* 18. Vbi videri poſſunt quæ hic diximus.

Secunda *Solutio eſt* admittendo paritatem, Quod 26
eodem modo actio debet reſpicere circunſtantiam Perſonæ ſiue ſit bona, vel mala, vt accipiat bonitatem, vel malitiam, & quod cum hoc ſtat benè quod Sancti regulariter colantur Dulia, & regulariter iniuriantur contra Latriam, vel Religionem. Cuius veritas claritatis gratia per quatuor propoſitiones oſtendetur, *Prima Propoſitio.* Actiones aliquæ habent ſpecialem conformitatem, vel deformitatem ad rationem comparatiuè ad aliquã circunſtantiam obiecti, quam tamen non habent aliæ actiones ſiue bonæ, ſiue malæ, & hoc ex lege naturæ, aut diuina, aut Eccleſiaſtica. *Secunda Propoſitio.* Regulariter in genere mali reperiuntur magis actiones, quæ habent repugnantiam, vel deordinationem, aut deformitatem ratione circunſtantiæ obiecti, ratione alicuius legis prohibentis illas, quam actiones bonæ habeant conformitatem, aut ordinationem ratione alicuius legis præcipientis. *Tertia Propoſitio.* Quando actio ex ſe, vel quaſi ex fine operis habet conformitatem, vel deformitatem ad aliquam circunſtantiam obiecti non eſt neceſſe quod ſit circunſtantia intenta & directè volita quaſi in actu ſignato, vt actio accipiat moralitatem bonam, vel malam talis circunſtantiæ, ſed ſufficit quod in exercitio ſit volita ſecundum quod circunſtantia eſt cognita, & cum tali cognitione elicitur actio. *Quarta Propoſitio.* Quando actio de ſe, vel ſecundùm ſe non habet ordinationem: vel deordinationem, conformitatem, aut deformitatem ad rationem reſpectu circunſtantiæ obiecti neceſſe eſt, quod ex intentione, vel ordinatione operantis eliciatur actio in ordine ad talem circunſtantiam, ita vt fiat finis operantis ad hoc vt accipiat bonitatem, vel malitiam ex illa, aliàs ſi non ordinetur ex intentione operantis non accipiet moralitatem ab illa.

Explicantur, *& probantur* iſtæ propoſitiones 27
breuiter, quia non ſunt huius loci, ſed citati *ex* t. 2. *Et prima ſic.* De actionibus malis, v. g. dies feſtus, & locus ſacer iniuriantur ratione conſecrationis diuerſis actionibus, quia operari opus ſeruile die feſto eſt contra ſanctitatem diei, ita quod accipit ſpeciem ab illa, & operari illud in Eccleſia non eſt contra ſanctitatem loci ex ſe ita quod accipiat ſpeciem ab illa, & è contra furari, occidere, vel Mæchare in Eccleſia habet malitiam ſpecificam ratione ſanctitatis loci, & idem facere in die feſto non habet hanc malitiam ſpecificam propter ſanctitatem diei. Dico ſemper *ſpecificam* ad excludendam grauitatem notabilem, vel paruam, quæ poſſet ſumi ex tali circunſtantia, quia de hoc non eſt ſermo, ſed de ſpecie diſtincta malitiæ. Similiter in perſonam ſacram accedere ad monialem eſt ſacrilegium, & hoc ex lege diuina ratione voti; violentas manus in illam imponere etiam eſt ſacrilegium ratione legis Eccleſiaſticæ, infamare

illam verbis non habet talem malitiam, quamuis aliquando ſit maior iniuria, quæ verbis fit quàm percuſſio. Ita etiam Clericum percutere eſt ſacrilegium, quia talis actio eſt prohibita lege Eccleſiæ, ſicut quod non grauetur tributis, vel quod non iudicetur à Iudice laico, quidquid ſit ſi hoc priuilegium perſonæ Eccleſiaſticæ in aliqua, vel aliquibus actionibus illarum habetur ex iure diuino de quo diſputant Authores, & quia non eſt neceſſarium ad intentum hæc controuerſia dimittitur. Quidquid enim ſit de illa certum eſt has actiones eſſe prohibitas ex ſpeciali lege, quæcumque illa ſit pro perſonis Eccleſiaſticis, iniuriare tamen perſonam Eccleſiaſticam dicendo eſſe latronem, ebrium, concubinarium, de genere Iudæorum, & ſimilia, non eſt ſacrilegium, quia non eſt aliqua lex tales iniurias prohibens, ſicut percutere, iudicare, &c.

28 Sic ſimiliter filius Prætoris, qui percuteret Patrem peccaret contra Obſeruantiam, & Pietatem, quia vtraque virtus læditur per actionem percuſſionis. Si tamen diceret iſte non eſt Pater meus peccaret contra Pietatem, quia negaret potiſſimum beneficium Pietatis, ſcilicet eſſe genitum ab illo, & non peccaret contra Obſeruantiam, per quam tenetur venerari illum, vt Prætorem, quia in hoc dicto non læditur dignitas Officij Prætoris. Si tamen tranſgrederetur legem ab illo, vt Prætore promulgatam, peccaret contra Obſeruantiam, quatenus illi non ſubditur in gubernatione, & etiam ſi contemneret eius regimen, non tamen contra Pietatem ex vi talis actus. Ad hunc modum diſcurrendum eſt de actionibus malis in omni materia proportionabiliter; & ratio huius doctrinæ eſt, quia actio non habet malitiam ex circunſtantia deſumptam, niſi habeat ſpecialem contrarietatem ad illam, ſi enim illi non contrariatur non poteſt propter illam eſſe mala. Hoc verificatur loquendo de actione ſecundum ſe.

29 De actionibus bonis eodem modo diſcurrendum eſt, verbi gratia, ſicut qui furatur de loco ſacro rem ſacram præter iniuſtitiam furti committit malitiam ſacrilegij ex duplici capite, quia eſt res ſacra, & quia eſt in loco ſacro; ita ſatisfactio, ſeu reſtitutio eadem actione fit, & habet moralitates bonas contrarias, ſcilicet iuſtitiæ, & Religionis. Etiam qui percutit Patrem Prætorem ſicut peccat eadem actione contra Pietatem, & Obſeruantiam, exhibendo ſatisfactionem debitam operatur ex Pietate, & Obſeruantia. Et idem eſt in perſona ſacra, ſicut percuſſio Clerici eſt iniuſtitia, & ſacrilegium. Ita ſatisfactio huius percuſſionis habet moralitatem iuſtitiæ, & Religionis: & etiam ſicut eſt aliqua actio per quàm quis iniuriat Patrem, vt Patrem, & non vt Prætorem, & è contra vt Prætorem, & non vt Patrem, ita eſt aliqua actio per quàm quis veneratur Patrem vt Patrem, & non vt Prætorem, & è contra vt Prætorem, & non vt Patrem, vt in exemplis allatis pro prima ſolutione viſum eſt in conſanguineis alicuius aſſumpti ad dignitatem Regiam. Patres enim, & fratres Saulis, & Dauidis affectu ſanguinis erga illos ex Pietate afficiebantur, & ex Obſeruantia honorabant vt Reges genuflectentes coram illis.

30 Et ratio eſt eadem, quæ allata eſt de actionibus malis applicata ſub eadem forma. Quia actio non habet bonitatem ex circunſtantia obiecti, niſi habeat ſpecialem conformitatem ad rationem comparatiuè ad illam circunſtantiam, quæ ratio eſt D. Thom. 1. 2. *Quæſt.* 18. *artic.* 10. *ad* 3. vbi inquit: *Non omnis circunſtantia conſtituit actum moralem in aliqua ſpecie boni, vel mali, cùm non quælibet circunſtantia importet aliquam conſonantiam, vel diſſonantiam ad rationem.* Hæc S. Thom. Et ibidem in corpore inquit: *Circunſtantia dat ſpeciem boni, vel mali actui morali in quantum reſpicit ſpecialem ordinem rationis.* Ita *Sanct. Doctor.* Expende quod ſemper loquitur æqualiter de ſpecie boni, vel mali. Et radicale principium huius rationis, & huius æqualitatis eſt, quia tam bonum, quàm malum in genere moris eſt tale, in quantum eſt contra legem, vel iuxta legem, & ex hoc bonitas, vel malitia deriuatur in actionibus quatenus verſantur circa aliquod conſonum, vel diſſonum legi, vel rationi.

Secunda *Propoſitio* adducitur propter exempla 31
allata in prima ſolutione, in quibus apparet, quod non æqualiter actiones ſunt bonæ ex circunſtantia perſonæ ſicut malæ. *Ratio enim huius diſparitatis eſt.* Quia regulariter non ſunt præceptæ actiones bonæ intuitu circunſtantiæ, ſicut regulariter, & communiter plures actiones malæ ſunt prohibitæ, intuitu circunſtantiæ perſonæ, tamen vt conſtat exemplis in præcedenti propoſitione allatis etiam aliquæ actiones bonæ dantur, quæ ſunt præceptæ propter circunſtantiam obiecti, ſicut reſtitutio rei ſacræ, ſatisfactio percuſſionis Clerici, vel Patris Prætoris, &c. Itaque propter ſimiles circunſtantias magis regulariter prohibentur actiones malæ, & iniurioſæ, quàm præcipiantur actiones bonæ. Tamen etiam aliquando inuenitur, quod actio bona præcipitur. V. g. in die feſto propter ſanctitatem temporis prohibetur opus ſeruile, & præcipitur auditio Miſſæ propter eamdem rationem; & in vigilia alicuius Sancti præcipitur ieiunium propter conſecrationem diei, ſicut & in quadrageſima, & quatuor anni temporibus. Et circa conſanguineum aſſumptum in Regem præcipitur ſpecialis cultus, qui antea ei non debebatur, ſicut prohibetur iniuria contra illum tanquam crimen læſæ maieſtatis, quæ tamen anteà non habebat hanc malitiam illatam in eandem perſonam, ſed ſolùm contra Pietatem.

Sed quia non ita frequenter præcipiuntur 32
actiones bonæ, ſicut prohibentur malæ, ideò ab aliquibus ponitur diſcrimen inter actionem bonam, & malam, quantum ad accipiendam ſpeciem bonam, vel malam ex circunſtantia obiecti: Quòd videlicet actio mala accipit malitiam per hoc, quod in obiecto exerceatur circunſtantia, & actio bona non accipit bonitatem per hoc ſolùm, & adducunt aliqua exempla in quibus hoc verificatur. *Sed ratio diſcriminis ea eſt.* Quia ita vniuerſaliter actiones bonæ ſunt præceptæ intuitu circunſtantiæ obiecti ſicut malæ ſunt prohibitæ, & talia ſunt exempla ab illis allata. Tamen ſi actiones bonæ eſſent præceptæ, ſicut malæ prohibitæ eadem ratio eſſet de actionibus bonis, ac de malis ad accipiendam moralitatem bonam, vel malam ex circunſtantia obiecti. Eſt ergo diſparitas, & diſcrimen in aliquo præſuppoſitiuè, & antecedenter concurrente, ſcilicet in prohibitione, vel præcepto, eſt tamen conuenientia in ratione formali accipiendi moralitatem, quia ſi actiones bonæ æqualiter præciperentur, ſicut prohibentur malæ de facto æqualiter actiones bonæ acciperent moralitatem bonam, ſicut malæ accipiunt malam ex circunſtantia obiecti.

Tertia

33 Tertia *Propoſitio* Patet ex dictis, quia vt aliquod voluntarium ſit peccatum ſufficit, quod ſit voluntarium ſimpliciter, quamuis ſecundùm quid ſit inuoluntarium, vt patet in exemplis allatis; ſed ille qui cognoſcendo perſonam, & circunſtantiam eius de facto facit actionem prohibitam propter talem circunſtantiam ſimpliciter vult malitiam contra talem prohibitionem, quamuis vellet ibi non eſſe talem circunſtantiam, & prohibitionem, quod eſt eſſe inuoluntarium ſecundùm quid, ſicut qui proiicit merces in mare. Et idem eſt dè eo qui accedit ad Religioſam, vel coniugatam, & percutit Clericum; ergo imputatur illi talis ſpecies malitiæ, quia ex fine operis ſuppoſita tali prohibitione actio habet illam malitiam, & operans aduertit, & facit, & ſic efficaciter vult actionem cum illa malitia, quàm de ſe habet actio: Vnde conſtat quod non eſt neceſſe quod faciam actionem ex intentione, hoc eſt quia Clericus; & ſic de aliis. Et quantùm ad hoc benedicetur in prima ſolutione.

34 De actione bona eadem eſt ratio, ſufficit enim quod quis audiens Miſſam quotidie audiat die feſto, vt adimpleat Præceptum, Imò ponamus quód non audierat, & ea metu alicuius pœnæ audit Miſſam ſimul adimplet præceptum, quia in exercitio iam vult adimplere. Idem eſt de illo, qui recitat Officium diuinum, vel recipit Sacramenta ea metu alicuius pœnæ, certum eſt quod adimplet præceptum, vt conſtat in illis qui confitentur, & communicant tempore Paſchatis ex metu Excommunicationis, quæ promulgatur ab Epiſcopo, quamuis ita faciant, quod ſi non timeretur Excommunicatio non confiterentur, nec reciperent Euchariſtiam, tamen ſic faciendo adimplent Præceptum. Ita reſtituere, vel ſatisfacere pro furto Eccleſiæ, vel occiſione Clerici, ſicut non furatus fuit vas ſacrum quia ſacrum, nec occidit Clericum quia Clericus, & tamen eſt reus malitiæ ſacrilegij, ita reſtituendo in exercitio, vel ſatisfaciendo de facto ſimul recompenſat pro iniuſtitia, & pro ſacrilegio, & ſic operatur ex Iuſtitia, & Religione; vtraque enim moralitas bona inuoluitur in ſatisfactione, ſicut duplex moralitas mala in iniuria, ſcilicet contra Iuſtitiam, & contra Religionem.

35 Quarta *Propoſitio*, Iam etiam ex præcedenti innoteſcit. Quando enim actio de ſe non habet talem conſonantiam, vel diſſonantiam, conformitatem, aut deformitatem, debet ab extrinſeco illam recipere, hoc eſt ex intentione, & fine operantis, vel manebit ſine illa. Verbi gratia; quia furtum de ſe non habet connexionem cum Mæchia, ſi ille qui furatur non operatur propter Mæchiam, actio non habebit malitiam Mæchiæ; & ſi furatur propter Mæchiam erit Mæchus ſimul, & fur. Ita quamuis occidere, vel furari non habeat ſpeciem malitiæ ſacrilegij ſecundùm ſe, ſi fiat in die feſto, tamen ſi quia ideò furaretur in die feſto, vt iniuriaret conſecrationem diei haberet tunc talem malitiam contra ſanctitatem diei. Et ſimiliter qui faceret opus ſeruile in loco ſacro ex intentione iniuriandi ſanctitatem loci erit ſacrilegus. Secus tamen ſi hoc faciat ſine tali intentione, quia actio de ſe non habet talem malitiam. Et idem eſt in actione bona, qui illam faceret in obſequium Eccleſiæ, vel loci ſacri propter ſanctitatem loci facit actum Religionis, ſicut ſuſpendere arma, vel ſudaria in Eccleſia. Et etiam qui dat eleemoſynam Pauperi, quia Clericus, vel Religioſus eſt, quia illæ actiones ex natura ſua non habent talem moralitatem, ſed ex intentione facientis. *Et ratio huius doctrinæ eſt clara.* Quia finis operantis bonus, vel malus intentus tribuit moralitatem operi iuxta naturam finis, quia talem finem intendere conſequi per hanc actionem, vel per hoc medium non poteſt non communicare medio, & actioni moralitatem finis, quæ eſt communis doctrina 1. 2. *Quæſt.* 1. late tradita ab Authoribus, & hic ſupponenda.

Igitur *hæc ſecunda ſolutio* reſumpta ex doctrina in iis quatuor propoſitionibus præmiſſa eſt ad obiectionem concedere, Quod eadem eſt ratio de actione bona, & mala quantum ad hoc quod participet bonitatem, vel malitiam ex circunſtantia obiecti, quia quando de ſe hoc habet vtraque participat moralitatem. Dico *de ſe* modo explicato, ex natura ſua ex lege ſuperueniente poſitiua diuina, vel Eccleſiaſtica. Si autem de ſe hoc non habet indiget vtraque ordinatione operantis Ex qua doctrina deſcendendo ad Venerationem, & iniuriam perſonæ ſacræ cum diſtinctione loquendum eſt, quia in duplici differentia eſt quòd perſona ſit ſacra, vel ſancta aliqua enim dicitur ſacra, aut ſancta, quatenus eſt conſecrata, vel deputata diuino cultui ſpeciali conſecratione, vel deputatione, vt Sacerdos per ſuſceptionem ordinum, & Religioſus per profeſſionem, Clericus, & omnes qui ſub nomine *Clerici* comprehenduntur ſub priuilegio Canonis, *Si quis ſuadente diabolo*, &c. Secundò modo dicitur perſona ſacra, vel ſancta, vel quia eſt imago viua Dei, vel quia habet ſanctitatem perſonalem, quæ conſiſtit in participatione diuinæ naturæ per gratiam, & virtutes. Et iſta adhuc conſideratur, vel prout in hac vita, vel prout iam aſſiſtens in patria, vt ſunt ſancti viui, vel ſancti mortui. Et illi adhuc diuiduntur, quia vel ſunt Canonizati de quibus infallibiliter conſtat regnare cum Chriſto in cœlo, vel non ſunt Canonizati, & ſolùm pia æſtimatione priuata fidelium iudicantur ſaluati. 36

Loquendo de perſona ſacra primo modo, quæ in communi vſu loquendi non dicitur ſancta, ſed ſacra, vel ſacrata; abſtrahendo ergo à Quæſtione de nomine, & attendendo ad rem in ſenſu explicato, iam viſum eſt in ſuppoſitione præmiſſa immediatè ante primam ſolutionem, quod *Lorca* conſentiens cum *Vaſquez* tenet quod veneratio eius eſt ex virtute Duliæ. At verò *Magiſter Torre* tenet, quod eſt ex virtute Religionis, & hoc ſecundùm magis placet, & oſtenſum eſt ibi eſſe rationabilius. In hac ergo noſtra Sententia, quod perſona ſacra, vel Eccleſiaſtica diuino cultui deputata comprehenſa ſub priuilegio legis Eccleſiæ colitur per virtutem Religionis nullam difficultatem habet obiectio, quia & veneratio eſt ex Religione, & iniuria eſt contra Religionem, & ſic pacificantur cultus, & iniuria. 37

Admiſſa tamen opinione contraria *Magiſtri Lorca*, & *Vaſquez* quod coluntur Dulia, & Iniuriatur contra Religionem procedit difficultas præſentis obiectionis. Et tunc *Reſpondetur*, quod conſequenter loquendo dicendum eſt, Quod 38

talis conſecratio, vel deputatio diuino cultui eſt ratio formalis Duliæ ſecundum ſe, & non eſt per aliquam legem, vel præceptum veneratio illius tranſlata ad rationem formalem Religionis, & ideò manet in ſua ſpecie, hoc eſt quam ſecundùm ſe habet. Vnde vt ſubinduat bonitatem ſpecificam Religionis debet fieri ex intentione operantis ex motiuo Religionis, hoc eſt propter Deum tanquam propter rationem formalem; & tunc ille actus habebit bonitatem Duliæ ex ſe, ſeu ex fine operis, & bonitatem Religionis ex fine operantis. Sicut, qui dat eleemoſynam pauperi Eccleſiæ, quia eſt Eccleſia conſecrata, & habet bonitatem miſericordiæ, quàm de ſe habet largitio eleemoſynæ, & bonitatem Religionis, quia ex intentione operantis facit propter conſecrationem. Authores enim citati *Lorca*, & *Vaſquez* pro hac opinione quamuis dicant quod conſecratio Sacerdotis pertinet ad Duliam, quia eſt conſecratio perſonæ rationalis, admittunt tamen quod conſecratio Eccleſiæ pertinet ad Religionem, in quo tamen vt viſum eſt non conſequenter loquuntur.

39 At verò iniuria perſonæ ſacræ ex lege prohibente illam in aliquibus actionibus determinatis tranſlata eſt ad motiuum Religionis, v. g. in percuſſione, in impoſitione tributi, in ſubiectione ad Tribunal Laicum, & ſimilibus, quæ pertinent ad immunitatem Eccleſiæ de quibus in Iure Canonico extat lex; & ſpecialiter in Bulla in Cœna. Iſtæ enim actiones iniurioſæ prohibitæ ſunt ab Eccleſia ex motiuo Religionis circa Perſonas Eccleſiaſticas, vt probatum fuit ex profeſſo in confirmatione ſecundæ impugnationis à principio poſitæ contra *Vaſquez*. In quo communiter Authores etiam *Lorca* contra *Vaſquez* conueniunt, & ideò ſuppoſita hac lege prohibente illam iniuriam ex motiuo religionis, hæc iniuria habet malitiam ſacrilegij contra religionem ex ſe, & quaſi ex fine operantis, quod non haberet ablata hac lege in opinione iſta, quòd ex natura ſua conſecratio perſonæ ſacræ pertinet ad duliam, quia quamuis id concedatur, nullatenus eſt negandum, quòd ſuppoſita iam lege prohibente ad priuilegiandam perſonam ſacram ex motiuo religionis, ſcilicet propter Deum, quòd maneat malitia præcisè contra duliam, ſed tranſirod aliam lineam, ſcilicet contra religionem ſecundùm quod eſt contraria ad legem factam ex motiuo religionis, vt eſt tranſgreſſio illius legis. Et vt imputetur hæc malitia ſufficit, quod in exercitio aduertat circumſtantiam perſonæ, & cùm tali cognitione faciat iniuriam; hoc enim eſt eſſe voluntarium in exercitio ſimpliciter illam malitiam, quamuis non fiat ex intentione, quia perſona ſacra eſt, & quamuis vellet quod non eſſet ſacra.

40 Duplici via adhuc in hac ſecunda ſolutione ſoluitur obiectio iuxta duas opiniones. Si dicatur, quòd conſecratio, vel deputatio perſonæ ſacræ cultui diuino pertinet ad Religionem facilè ſoluitur dicendo quòd iniuria eſt contra religionem, & ſic parificantur. Secunda via admittendo quod talis conſecratio ſecundùm ſe pertineat ad duliam, ſolutio eſt quod quia non eſt lex æqualiter poſita ſuper venerationem ſicut ſuper iniuriam, ideò non eſt eadem ratio de veneratione, & iniuria. Et hoc eſt quod dictum fuit in ſecunda propoſitione, quod non ita vniuerſaliter ſunt leges præcipientes actiones bonas ſicut prohibentes malas ex motiuo alicuius virtutis. Et hæc eſt ratio, quare poteſt eſſe, quod veneratio perſonæ ſacræ pertineat ad duliam, & iniuria perſonæ ſacræ pertineat ad religionem vt ſacrilegium contra hanc virtutem, non tamen omnis iniuria, ſed illa quæ fit per actiones prohibitas per tales leges. Alia verò iniuria perſonæ ſacræ, quæ non eſt ſpecialiter prohibita non habebit hanc malitiam ſacrilegij, vt iniuria per verba, vt in propoſitionibus præmiſſis explicatum relinquitur.

De Perſona ſancta ſecundo modo ſic licet, quia 41
eſt imago Dei ſecundùm naturam intellectualem expreſſe habet D.Thom. infra *Quæſt.* 93. *art.* 3. *ad* 3. Quod veneratur dulia: & de ſanctis ſecundum ſanctitatem perſonalem locis ſupra citatis etiam docet, quod venerantur dulia, ſpecialiter 3. *part. Quæſt.* 25. *art.* 5. loquendo de Beata Virgine modò exiſtente in patria. Et a fortiori idem eſt de aliis ſanctis exiſtentibus in alia, vel in hac vita. Et ſic ſecunda ſolutio *Magiſtri Torre*, Quòd veneratio perſonæ ſacræ pertinet ad religionem nullo modo eſt applicanda ad Sanctos iſto ſecundo modo, ſed ad perſonam ſacram primo modo ſumptam, de qua loquebatur *Vaſquez* loquendo de percuſſione Clerici. In his ergo perſonis ſanctis iſto ſecundo modo, quæ abſolutè, & in communi vſu loquendi vocantur *Sancti* propter ſanctitatem perſonalem, non ſacræ ad contrapoſitionem perſonæ Eccleſiaſticæ, vel Sacerdotis, quæ propter deputationem, vel conſecrationem dicuntur *Sacræ*, non *Sanctæ*, vt dictum eſt. In his ergo ſanctis quamuis verum ſit, quòd poſſint per religionem coli propter reſpectum ad Deum, tamen communiter, & regulariter non per religionem, ſed per duliam venerantur iuxta doctrinam *Sancti Thomæ*. Et in hoc conſiſtit punctus difficultatis præſentis, quare iniuria quæ communiter fit, & regulariter eſt ſacrilegium contra religionem?

Ratio *Diſparitatis*, & Solutionis ex præmiſſis 42
iam patet. Veneratio enim & cultus, qui communiter fit Sanctis non eſt eleuatus, vel tranſlatus ad motiuum Religionis ex aliqua lege, vel præcepto, imò oppoſitum præcipitur, vel ad minùs conſulitur, ſcilicet, quòd colantur ſolùm in cultu regulari, & communi per duliam. Quod colligitur ex ratione *D.Thom.* qua probat locis citatis colendos eſſe non per religionem, ſed per duliam, quæ procedit de cultu, qui regulariter illis exhibetur. Et ratio reducitur ad duo capita. *Primum Caput eſt* ad euitandam occaſionem erroris Gentilium, qui adorabant creaturas cultu diuino, quia illas adorabant vt Deos, & hoc propter excellentias proprias ipſarum: ne ergo videantur Catholici aliqualiter in hunc errorem Idololatriæ incidere, & ad euitandum ſcandalum huius ſuſpicionis Sancti Coluntur dulia ab illis in cultu regulari, & communi. *Secundum Caput eſt*, Quia excellentius quid eſt, quòd aliqui propter dignitatem propriam honorentur, quam propter reſpectum ad dignitatem alterius, & ſic in maiorem excellentiam Sanctorum cedit quòd Colantur per duliam propter Sanctitatem perſonalem, quàm per religionem propter reſpectum ad Deum, quamuis religio ſit perfectior virtus, quam dulia, quia iſte cultus religionis propter reſpectum ad Deum exhibetur etiam Creaturis inſenſibilibus, & inanimatis, vt Corporalibus, & Vaſis

Vaſis Sacris, &c. Iſte enim cultus religionis reſpe-ctiuus non denotat in creaturam excellentiam pro-priam. Dulia verò denotat excellentiam, digni-tatem perſonalem, & ideò eſt hæc maioris æſti-mationis, quamuis inferior in ſpecie comparatiuè ad obiectum, cui exhibetur.

43 Hoc *Intelligitur* (vt dictum eſt) de cultu, qui regulariter exhibetur Sanctis propter quod non excluditur, quod ex ſpeciali intentione pro-pter reſpectum ad Deum poſſint Coli per virtu-tem religionis ab aliquo viro docto, qui ſciat prædicta inconuenientia vitare. Sed hoc non po-teſt eſſe commune omni populo, & vniuerſale omnibus perſonis propter inconuenientia allata ex hoc duplici Capite explicato; propter quæ di-citur eſſe præceptum quod Colantur per duliam in communi modo, & vſu quo venerantur. Et hoc præceptum non aliter debet cōſtare niſi ex doctri-na communi Eccleſiæ, quàm tradit *D. Thom. 3. p. Quæſt.* 25. & *in 3. Diſt.* 9. & ad Anibaldum ibidem; & infrà *Quæſtion.* 103. *art* 4. In quibus locis ſem-per dixit quod debetur dulia Sanctis, & quod non debetur latria, ille terminus *Debetur* obligationem ſignificat, quæ obligatio ex aliquo præcepto oritur, vel lege.

44 Et Etiam propter rationem eius, In his locis ſæpius repetita. Quod cultus Dei non debet Creaturis exhiberi quando propter ſe venerantur, quod certum eſt cadere ſub præcepto diuino non idololatrandi; coniungendo ergo iſtud præ-ceptum cum vſu fidelium, quo venerantur San-cti propter ſuam Sanctitatem, hoc rationabili-ter iuxta lumen naturæ, quia eſt quod cedit in dignitatem, & excellentiam eorum: propter hanc enim ſegregantur a peccatoribus, & effi-ciuntur digni veneratione. Ex his ergo ſatis con-ſtat quod eſt præceptum, quod in cultu vſuali, & communi per duliam venerantur Sancti, quia in iſto communi propter ſe honorantur, quod vt dictum eſt non tollit quod ſi non propter ſe, ſed propter Deum poſſint per religionem Coli, quod tamen non eſt regulare. Ex quibus conſtat hæc propoſitio quod nulla lex præceptiua reperi-tur quæ venerationem communem, & vſualem Sanctorum transferant ad motiuum religionis, ſed potiùs præcipiat vt maneat Intra limites Du-liæ.

45 Iniuria Verò Sanctorum prohibita eſt, ne vi-delicet iniurientur amici Dei, ſicut ab Eccleſia eſt prohibitum ne percutiantur perſonæ Eccleſia-ſticæ Deo Conſecratæ, vel cultui deputatæ. Quæ prohibitio reſpectu Sanctorum conſtat ex ſacris litteris. *Qui vos tangit tangit pupillam oculi mei* Zachariæ 2. & in Pſalmis *Nolite tangere Chriſtos meos*. Quod quamuis poſſit referri ad Sacerdotes, tamen etiam extenditur ad San-ctos vnctos gratia Spiritus Sancti. Et modò lo-quimur de Sanctis exiſtentibus in Patria, & de illis eſt Connaturalis ſtatui beatorum hæc prohi-bitio, quia tranſlati ſunt ad regnandum cum Deo, & ſpeciali vnione amicitiæ conſummatæ facti ſunt aliquid Dei, vnde qui illos iniuriat magis iniuriat Deum, quam illos. Et hoc ip-ſum lumen naturæ dictat ex his quæ in hac vita reperiuntur in hominibus tanquam generale, & Commune apud omnes nationes. Iniuria enim facta in amicum, vel filium Regis tranſit in Regem quia tangit aliquid Regis, ſcilicet ami-cum, vel filium: Denotatur enim quod non timetur perſona Regis, & patrocinium eius circa amicum, vel filium, quem facit participem Re-gni, & ideò denotatur quod iniuriatur, & de-honoratur perſona Regis. Et ſicut non ſtat iniu-riare perſonam aſſumptam ad regnandum, & quod non ſit Crimen Læſæ Maieſtatis, ita non ſtat quod Sancti cum Chriſto regnantes in patria iniurientur, & non iniurietur Chriſtus, & Deus illos ibi beatificans, & tanquam amicos, & filios in ſe transformans, & ſecum illos vniens: Quia rationabiliter intelligeretur, quod qui talem Sanctum iniuriat non timet prote-ctionem Dei, & contemnit amicitiam cum Deo ſaltem in exercitio, & ſic quod inhonorat Deum.

Ratio *Ergo diſparitatis* Inter Venerationem, & iniuriarum Sanctorum, quæ in vſu commu-ni ſit colligenda eſt, quia *Veneratio* exhibetur propter Sanctitatem perſonalem, & non eſt ali-qua lex præcipiens quod fiat propter Deum tan-quam propter rationem formalem, ſed potiùs eſt lex, quod non fiat regulariter niſi propter ſanctitatem propriam, quia Coluntur propter merita ſua, & quia hæc eſt ratio formalis du-liæ ideò manet intra limites duliæ. At verò *In-iuria* illorum eſt prohibita à Deo non ſolùm pro-pter ipſos Sanctos ſecundùm ſuam ſanctitatem perſonalem, ſed ſecundùm quod ſunt aliquid Dei, & ſic talis iniuria tranſlata eſt ad hoc quod habeat non ſolùm malitiam contra duliam vt eſt contra Sanctos propter ſe, ſed etiam malitiam contra religionem, quia eſt etiam contra Sanctos vt ſunt aliquid Dei, ſicut in humanis Rex aſſumens aliquem in amicum, non ideò vult, nec ratio-nabiliter vellet quod honoraretur amicus ſicut ip-ſe honore regio; tamen vellet quod non iniuria-retur amicus, & quod iniuria illius æſtimaretur propria, quia in illa inuolueretur dehonoratio regis ſpecialiter prohibentis iniuriam amici. Sic Deus honorem vult referri ad Sanctos, quia vult illos coli, & honorari ſecundùm merita illorum, ſicut ipſe ſecundùm merita illorum præmiat, & glorificat illos, & quia merita illorum ſunt obie-ctum duliæ, vult honorare illos a nobis per duliam, quia vult illos honorari tanquam perſonæ ratio-nales conſequentes regnum per proprios labores, quamuis honor iſte vltimatè tranſeat in Deum; tamen motiuum ſpecificatiuum in creaturis habet, hoc eſt in ipſa Sanctitate creata. Iniuria verò taliter fit in Sanctos quod non poteſt præſcindi à Deo tanquam à ſpecificatiuo, quia non poteſt non iniuriari Deus ſpecialiter iniuriando illam Creaturam, quàm ipſe tam ſpecialiter ſecum vnit. Et ſic ſicut *Veneratio* Sanctorum per du-liam, eſt quid excellentius, ita *Iniuria* illo-rum eſt quid peius quatenus eſt in illos contra ſan-ctitatem propriam, & contra reſpectum Dei Vnde hæc diſparitas reducitur tanquam ad radicē ad hoc quod quia non eſt lex ex motiuo religionis præci-piens venerationem Sanctorum, ideò veneratio manet ſolùm intra limites duliæ, & quia eſt lex prohibens ex motiuo religionis (hoc eſt quia ſunt aliquid Dei) iniuriam eorum, ideò Iniuria eſt nō ſolùm contra duliam, ſed etiam ſacrilegium contra religionem.

47 Hæc *Doctrina* Proportionabiliter eſt appli-canda ad Sanctos exiſtentes in patria ſecundùm certitudinem, quæ habetur de eorum beatitudine, quia vt dictum eſt, debet circumſtantia perſonæ co-gnoſci vt imputetur malitia deſumpta ex tali cir-cumſtantia; qui enim percutit Clericum non

46 (margin, beside "Ratio Ergo diſparitatis")

cognoſcens quod eſt Clericus non ſit reus malitiæ ſacrilegij, nec incurrit pœnam propter Violentas manus in Clerico impoſitas Cap. *Si quis ſuadente.* Et ſic iniuriare Sanctos exiſtentes in Cœlo non cognoſcens eſſe in Cœlo non cognoſceret circunſtantiam perſonæ propter quam eſt ſacrilegium illius iniuria. Cognoſcitur autem hoc certe, & infallibiliter per Canonizationem Eccleſiæ, & ſic de Canonizatis eſt certa talis malitia, nec excuſatur hæreticus, quia non credit hanc veritatem, quia debebat credere. Et etiam ex vi Canonizationis oritur ſpecialis lex quod non iniurientur illi propter quod ſpecialiter ab Eccleſia puniuntur iniuriantes Sanctos Canonizatos. Et hoc eſt ex motiuo religionis, hoc eſt quia ſunt aliquid Dei. Et ex hoc *Cap.* etiam conſtat. Quod in illa iniuria reperitur malitia contra religionem, ſicut in percuſſione Clerici propter prohibitionem Eccleſiæ. Et quamuis ex vi Canonizationis etiam ponatur lex vt honorentur tamen hoc non præcipitur ex motiuo religionis, ſed duliæ, quod conſtat quia eſt propter merita propria, & Sanctitatem perſonalem, quæ per informationem Eccleſiæ comprobatur, & propter illam iudicantur digni tali honore; ex quo colligitur quod motiuum eſt duliæ.

48 Et *Ratio huius diſparitatis.* Inter has leges quare lex præcipiens venerationem eſt ex motiuo duliæ, & non religionis eſt duplex Caput poſitum. Quia hæc lex eſt in fauorem Sanctorum, & quid excellentius eſt venerari dulia propter ſe, quàm latria propter aliud, & ideò ſi hæc lex eſſet ex motiuo latriæ nó eſſet in fauorem Sanctorum, ſiquidem minueret quod illis excellentius eſſet, & quia eſſet etiam occaſio idololatriæ, & periculum erroris. Vnde Colligitur, quod rationabiliter non eſt poſita ex motiuo religionis. De lege autem prohibente non ſequuntur hæc inconuenientia, & potiùs quid excellentius eſt illis, quod iniuria ipſorum æſtimetur à Deo tanquam iniuria etiam propria, & ideò rationabiliter intelligitur quod eſt ex motiuo religionis.

49 De aliis verò non Canonizatis, quia non conſtat quod ſint in Cœlis, neque eſt obligatio ad hoc credendum, recurrendum eſt ad exiſtimationem, & iudicium iniuriantis, ſi enim iudicans quod eſt in Cœlo iniuriat imputabitur illi hæc malitia, non alias. De exiſtentibus in via maior incertitudo eſt propter inflexibilitatem, & malitiam hominum, ſæpè enim peiores per ſimulationem apparent Sancti cum non ſint, & è contra qui ſunt Sancti non apparent, & ſic etiam in illis recurrendum eſt ad æſtimationem iniuriantis. Eſt enim alia differentia inter Sanctos exiſtentes in via, & in Patria. Quod omnis iniuria contra exiſtentes in Patria habet malitiam dictam ſacrilegij, hoc *Pater Suarez* in *Tomo primo de Religione* loco citato *num. 6.* inquit eſſe valdè probabile ſuppoſito modo communi, quo coluntur in Eccleſia propter rationem dictam, quia exiſtimandi ſunt vt coniunctiſſimi Deo. Sed nobis non ſolùm probabile, ſed certum apparet conſequenter loquendo ad dicta. At verò circa Sanctos adhuc in hoc mundo degentes non omnis iniuria iudicanda eſt ſacrilegium, ſed ſolùm illa quæ habet oppoſitionem cum Sanctitate, ſicut illi qui perſequuntur Sanctos, quia illis diſplicent opera iuſta illorum, ſicut contingit in illis qui *perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam*, quòd valdè commune eſt, quia *omnes qui volunt piè viuere propter Ieſum perſecutionem patiuntur.* De aliis verò iniuriis nullam contrarietatem habentibus ad virtuoſam vitam non eſt cur ſacrilegia iudicentur, niſi ea intentione operantis ad hoc ordinentur. Et totum hoc intelligendum eſt de actione iniurioſa, quæ in rei veritate eſt iniuria; quia reſpectu exiſtentium in Patria multæ actiones non ſunt iniuria ſecundum ſe, quæ tamen ſunt iniuria reſpectu exiſtentium in hoc mundo, vt quod ſint ignobiles, &c. Et in iſtis ſtandum eſt ſolùm ad intentionem operantis ſi fiunt ex animo iniuriandi iuxta dicta in *Quarta Propoſitione*, quod quando actio de ſe non habet malitiam quaſi ex fine operis, ex fine operantis poteſt, & ſolet iſtam habere.

Loquendo Tamen de perſona rationali, vt eſt imago Dei, veneratio quæ regulariter fit pertinet ad duliam vt habet *D. Thom. infra Quæſt.* 103. *art.* 3. *ad* 3. & Caietanus ibidem ſuper illam ſolutionem, quamuis ex intentione operantis poſſit eſſe propter reſpectum ad Deum, & ſic ad religionem pertinebit: & iniuria quæ regulariter fit etiam eſt contra duliam, quam vis etiam poſſit eſſe contra religionem ex intentione facientis. Quòd contingit in peccato diaboli, qui in odium Dei & Creaturæ eius imaginem Dei inducendo ad peccatum intendit obſcurare, vt ſic & iniuriet Deum & lædat Creaturam; vnde tunc habebit malitiam contra duliam, & latriam. 50

Itaque De perſona facta primo modo veneratio, & iniuria pertinet ad religionem; de illa vt imagine Dei veneratio & iniuria communis pertinet ad duliam. De perſona ſancta ſanctitate perſonali. Veneratio pertinet ad duliam, ſed iniuria ad religionem. Et ratio huius iuxta duas ſolutiones eſt, iuxta primam, quia malitia non ſpecificat per ſe intenta, ſed ſolùm in exercitio, quia non poteſt per ſe intendi. Et contra verò bonitas. Et iuxta ſecundam ſolutionem, quia actio bona non præcipitur ex motiuo religionis; actio verò iniurioſa prohibetur ex motiuo religionis. Hæc de primo Artic. 51

ARTICVLVS II.

Quid ſit obiectum formale, & materiale virtutis Religionis.

Diximus In Commentario huius Quæſtionis Religionem eſſe Virtutem, idque probauimus ratione *D. Thom.* Circa quam reſolutionem ſolùm occurrit diſputandum de obiecto formali, & materiali illius, An videlicet ſit Deus cui honorem exhibet, vel honor Deo exhibitus, aut actus per quem prædictum exhibet honorem. Circa quod *Pater Suarez Thom.* 1. *de Religione Tract.* 1. *lib.* 1. *Cap.* 3. *num.* 2. tenet Deum verè, ac propriè pertinere ad obiectum virtutis Religionis. Sed hoc potiùs pertinet ad materiam *Art.* 5. vbi diſputatur ſi Religio eſt Virtus Theologica, cuius reſolutio dependet ex hoc principio, videlicet, ſi habet Deum pro obiecto, & ſic ibi adducetur Sententia *Suarij*, & eius ratio diſſoluetur. 1

Pater *Valentia* 2. 2. *Diſp.* 6. *puncto* 1. poſtquam diſtinxerat de obiecto materiali & formali Religionis aſſerit quod obiectum formale eſt exiſtimatio de Deo, quæ reſultat ex illo, quod 2

Deo

Deo offertur, illud autem quod Deo offertur, quidquid illud ſit eſt obiectum materiale, quatenus offertur ad excitandam talem exiſtimationem de Deo, quæ exiſtimatio (inquit) eſt idem cum gloria Dei, quam, videlicet, poteſt apud homines habere. *Eius ratio eſt*. Quia ad hoc exhibetur cultus, vel honor alicui perſonæ, vt de illa digna exiſtimatio habeatur. Igitur ratio formalis Colendi Deum eſt gignere exiſtimationem de diuina perfectione, & excellentia. Talis ergo exiſtimatio erit obiectum formale, quia eſt motiuum Religionis,

3 Poteſt hoc amplius explicari, & confirmari. Quia in qualibet virtute debent diſtingui habitus, actus, & obiectum. Habitus enim per actus ſpecificantur ab obiectis, & ſic etiam ipſi actus ab obiectis habituum ſpecificantur. Vnde actus elicitus ab habitu non poteſt eſſe obiectum eius, aliàs actus à ſe ipſo ſpecificaretur. Actus autem elicitus à virtute Religionis eſt ille, quo Colitur Deus ſiue internus, ſiue externus, vt ex *Quæſtionibus ſequentibus* patebit, & talis actus dicitur *Cultus*, quia per illum actum Colitur Deus; actio igitur Colendi eſt cultus ipſe. Igitur cultus, ſeu actio colendi non eſt obiectum habitus, ſed aliquid ad quod ordinatur actus colendi, & illud reſpicit tanquam rationem formalem obiectiuam, & ſpecificatiuam habitus, & actus. Hoc autem nihil aliud poteſt eſſe, quàm illa exiſtimatio, quæ ex cultu Dei cauſatur habenda de diuina perfectione: ergo hæc erit obiectum formale: materiale autem erit actus reuerentiæ, vel cultus ex quo ſequitur dicta exiſtimatio.

4 Nihilominus *tamen* ſententia *D. Thomæ* eſt, Quod cultus Dei eſt obiectum Religionis. Ita expreſſè *art. 5. ſequenti in Corpore*, vbi ſic habet: *Duo in Religione conſiderantur, vnum quidem quod Religio Deo affert, ſcilicet cultus: & hoc ſe habet per modum materiæ & obiecti ad Religionem.* Hæc S. Doctor. Pro cuius tamen luce, vt in cultu Dei cognoſcatur quod eſt obiectum formale, & quod materiale, Primò notanda eſt Doctrina *D. Thomæ*, ſupra *Quæſt.* 80. *art.* 1. *in Corpore*. vbi diſtinguit partes potentiales iuſtitiæ numerando illas; & docet quod in aliquo debent conuenire cum iuſtitia, propter quod ei annectuntur, & dicuntur partes eius, & in aliquo deficiunt, propter quod non niſi potentiales partes ſunt. Iuſtitia autem eſt ad alterum: & reſpicit æqualitatem perfectã ad illum: & partes potentiales conueniunt cum iuſtitia in hoc, quod ſunt ad alterum, & deficiunt in hoc quod non reddunt perfectam æqualitatem, & huiuſmodi ſunt, Religio, Pietas, &c. Per quas non poteſt debitor reddere creditori æquale ad id quod accepit, quia nec Deo, nec parentibus pro beneficio creationis, aut generationis naturalis poſſumus reddere beneficium æquale. Poſſumus tamen, & debemus aliquam recompenſationem exhibere, per quam iuxta poſſibile noſtrum aliquam imperfectam æqualitatem faciamus ad debitum & hoc fit ſicut reſpectu patris per Pietatem, reſpectu Dei per virtutem Religionis Venerando, & Colendo ipſum in proteſtationem eius ſupremæ excellentiæ, cui per talem cultum ſubiicimur.

5 Secundò *notandum eſt* Quod eſt in ipſo cultu Dei, & eſt conſiderare actum, & eſt conſiderare effectum actus. Et in vtroque ſolet eſſe æquiuocatio propter diuerſa nomina quibus ſignificatur. Loquendo igitur de actu ad propoſitum aliquando dicitur *Colere*; aliquando *Honorare*, & aliquando *Venerari*, ſeu *Revereri*, aut *Laudare*. Hæc autem omnia ad noſtrum intentum nihil, aut parum differunt, vt benè inquit *Magiſt. Torrebic n. 3. & Suar. c. 7.* Et ſic apud nos quaſi ſinonima habenda ſunt. Quod clarè conſtat ex contextu literæ *D. Tho.* in tota hac Materia de Religione, in qua aliquando dicit quod Colimus Deum, aliquando quod veneramur, & honoramus ipſum. Effectus autem actionis quaſi formalis ſolet dici Honor, Laus, aut Cultus, quamuis non ſit idem, vt habet D. Thom. infra Q. 103. art. 1. ad 3. *Laus conſiſtit in ſolis ſignis verborum, honor autem in quibuſcumque exterioribus ſignis, & ſecundum hoc laus in honore includitur. Alio modo quia per exhibitionem honoris teſtimonium reddimus de excellentia bonitatis alicuius abſolutè, ſed per laudem teſtificamur de bonitate alicuius in ordine ad finem: ſicut laudamus bene operantem propter finem. Honor autem eſt etiam optimorum, quæ non ordinantur ad finem, ſed iam ſunt in fine; vt patet per Philoſophum. 1. Ethicorum. Gloria autẽ eſt effectus honoris, & laudis, quia ex hoc quod teſtificamur de bonitate alicuius clareſcit bonitas eius in notitia plurimorum, & hoc importat nomen Gloria. Nam gloria dicitur quaſi clara. Vnde ad Romanos 1. dicit quadam gloſſa Ambroſij, Quod gloria eſt clara cum laude notitia.* Hæc Sanct. Doctor. Vbi breuiter recopilauit plures differentias inter honorem, & laudem quas alij ad longum tradunt. Nihilominus tamen hæc pro eodem accipiuntur ad intentum præſens (vt inquit *Suarez capit.* 7. citato) Similiter conſtat quomodo gloria eſt quid ſequutum ex honore, in quo conuenit *Valentia*, Quia illam exiſtimationem, quam ponit obiectum formale explicat etiam dicendo, quod eſt gloria, quæ reſultat ex cultu Dei.

Ex his conſtat, Quod ſit obiectum formale, 6 & quod materiale in Religione. Formale enim eſt non gloria, aut exiſtimatio à *Valentia* poſita; ſed illa æqualitas, quam ponit cultus Dei inter creaturam colentem, & ipſum Deum, quem colit, quatenùs per illam reddit honorem, quem poteſt in ſolutionem debiti, quod incurrit per beneficium creationis, & alia quæ ad illud ſequuntur, ſubiiciendo creaturam ipſi Deo. Hæc ergo ſubiectio in qua conſiſtit dicta imperfecta æqualitas eſt quam intendit virtus Religionis; & actus eius & ab hac tanquam à ratione formali obiectiua ſpecificatur, & actus, & habitus Religionis. Quod probatur ex doctrina data *notabili primo*: Sicut iuſtitia perfecta habet pro obiecto perfectam æqualitatem ponere, ita imperfecta iuſtitia ponere imperfectam æqualitatem, quia per hoc eſſentialiter differt à perfecta iuſtitia. Ergo in hoc ponendum eſt conſtitutiuum eſſentiale, quia idem eſt diſtinctiuum, & conſtitutiuum. Et ſicut Pietas reſpicit æqualitatem imperfectam reſpectu parentum tanquam obiectum, ſic Religio reſpectu Dei.

Secundò reiicitur ſententia *Valentiæ*. Exiſtimatio de Deo eſt per actum intellectus, etſi fiat 7 ſermo de ſupernaturali, regulariter fit per lumen Fidei; propter quod *Sanct. Thomas* infra *Quæſtion.* 101. *articul.* 3. *ad* 1. ait, Quod Religio eſt quædam proteſtatio Fidei, Spei, & Charitatis, quibus homo primordialiter ordinatur ad

 Deum

Deum ; & ideò inquit *Sanct. Doctor.* 1. 2. *Quæſtion.* 63. *artic.* 3. *in Corpore.* Quod virtutes Theologales ſe habent ad morales ſicut principia naturalia ad ſcientiam naturalem. Ergo præſupponitur exiſtimatio de Deo ad actum Religionis. *Patet conſequentia.* Ad hoc quod voluntas exhibeat debitum cultum Deo debet præconceptum habere excellentiam Deitatis ; per ſe ergo ſupponitur hæc digna exiſtimatio ad cultum potiùs quàm ſequatur , imò poſt exhibitum cultum non ampliùs creſcit hæc exiſtimatio , vt quando per interiorem actum creatura orat , & ſubiicit ſe Deo , qui eſt cultus ſpecialis & ſpecificus Religionis ; & ſic dicta exiſtimatio non poteſt eſſe obiectum formale , ſiquidem deficit non deficiente cultu Religionis quoad ſpeciem.

8 Nec *valet dicere* , Quod cultus de ſe exigebat quod fieret coram aliis vt ſequeretur dicta exiſtimatio in illis. Quia cultus interior conſiſtit in actu deuotionis , & orationis , qui ſunt principaliores huius virtutis , vt ex infra dicendis patebit: ſed actus interior non petit per ſe aliis manifeſtari. *Tum,* Quia interius petit conſummari. *Tum,* Quia potiùs deficeret à ratione virtutis , deuotio enim non eſt oſtentanda , nec oratio manifeſtanda , ſed potius occultandæ ſunt iuxta præceptum Chriſti Matth. 6. *Cum ieiunas vnge caput tuum, & faciem tuam laua , ora patrem tuum in abſcondito.* Et ſimilia. Quæ opera ſi per ſe peterent fieri coram aliis non præciperetur vniuerſaliter fieri in occulto. *Tum.* Adhuc etiam loquendo de ipſo cultu exteriori non debet poni obiectum formale in illo quod ſequitur apud alios videntes, cum illud potiùs ſit quid conſecutum ſupponens iam naturam actus , & ad multum erit finis , & non primarius , ſed ſecundarius ; quia actus proprius vnius non habet pro fine intrinſeco , & quaſi ſpecificante id quod alij ex tali actu debent facere in honorem Dei , ſed potiùs hoc quaſi exemplo vnius ſequitur in aliis. Sicut à contrario ſenſu ex peccato vnius ſequitur in aliis à quibus videtur aliqua ratio ſcandali , & inclinatio ad peccandum , hoc tamen non eſt ſpecificatiuum , ſed circumſtantia generalis cuiuſcunque peccati. Ergo nec in actu bono debet poni illud vt obiectum ſpecificatiuum cultus Religionis , ſed ad multum quaſi finis extrinſecus.

9 Tertiò. Quia exiſtimatio eſt actus intellectus. Ex quo principio colligitur ratio efficax communis etiam pro aliis materiis , quia ratio ſpecifica obiectiua continetur intra lineam habitus ſpecificati : Si ergo Religio eſt in voluntate , ratio ſpecifica non debet eſſe extra lineam voluntatis , nec per conſequens actus intellectus , ſed aliquod bonum à voluntate reſpectum. Propter quod adhuc Oratio , quæ eſt actus Religionis , & ſimul intellectus ſubinduit formalitatem obiecti Religionis , quæ eſt ſubiectio , vel honor exhibitus Deo per talem actum.

10 Similiter ex dictis conſtat quod ſit obiectum materiale. Illud enim dicitur *Obiectum materiale*, in qualibet virtute , quod eſt materia circa quam exercentur actus virtutis , actus igitur colendi Deum ſubiicit Deo corpus , vel animam , intellectum , vel voluntatem ſecundùm diuerſos actus, quos habet interiores , & exteriores , de quibus inferius agit *Sanct. Doctor* , & ita obiectum materiale ſunt illæ res ; quæ Deo offeruntur , vel ſubiiciuntur per actum cultus honoris.

Ad *Rationem Patris Valentiæ* Facile patet 11 patet ex dictis. Quod illud ad quod ordinatur cultus poteſt eſſe in duplici differentia , vel ex intentione operantis , vel ex natura operis. Et hoc adhuc dupliciter vel tanquam ad immediatum obiectum , & ſpecificatiuum , vel tanquam ad finem vltimum , & remotum , vel quid per accidens ſecutum. Cultus igitur Dei non ordinatur per ſe ad illam exiſtimationem gignendam ex natura operis , imò potiùs ex natura ſua ex illa cauſatur , & gignitur , & ſic non habet illud pro obiecto ex hac parte. Et quamuis ex intentione operantis ordinaretur , hoc non ſufficit ad hoc quod ſit eſſentiale ſpecificatiuum actus , quoad ſubſtantiam. Præterquam quod adhuc hoc non verificatur conuenire omni cultui religionis, vt in actibus interioribus (ſicut in probationibus oſtenſum eſt.) Et de cultu exteriori hoc etiam non per ſe , ſed per accidens contingeret cultui ex propria natura conſiderato (vt probatum relinquitur) quatenus hæc opera etiam per ſe non debent fieri *Vt videamur ab hominibus* ; hoc eſt ex intentione, quia quamuis dicatur , *Sic luceat lux veſtra coram hominibus , vt videant opera veſtra bona.* Matthæi 5. Tamen hoc componitur cum alio præcepto Matthæi 6. *Attendite , ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus , vt videamini ab eis.* Et communis compoſitio eſt , quod non fiat opus bonum ea intentione vt videatur. Et denique hoc eſt quid conſecutum, & ſic non poteſt eſſe à quo dependeat ſubſtantia, & ſpecificatio actus, ſed potius ad illas ſupponitur.

Ad *Confirmationem* , quæ magis vrget *Reſpondetur* Quod verum eſt habitum , & actum 12 diſtingui ab obiecto formali , & materiali , & hoc iam verificatur in doctrina data. Diſtinguitur enim obiectum formale , quatenus ponitur in illa æqualitate , quàm facit actus Religionis ſubiiciendo Creaturam Creatori in eius honorem , & teſtificationem diuinæ excellentiæ , & quaſi ſolutionem pro debito , quod recognoſcit tanquam primo principio. Honor igitur iſte, ſeu æqualitas , aut ſubiectio non eſt actus , ſed illud ad quod actus terminatur. De obiecto materiali ſimiliter patet. Quia iſte actus non eſt anima, neque voluntas , neque corpus , quæ ſunt bona intrinſeca , quæ Deo offeruntur , & ſubiiciuntur per actum , & in quibus exercetur honor , & cultus ſubiiciendo ea. Clariùs hoc patet in bonis extrinſecis, quæ offeruntur per actum Religionis , ſicut in ſacrificiis , & oblationibus; conſtat enim quomodo oblatio diſtinguatur à re oblata.

Dices. In virtute Iuſtitiæ quando debitor 13 reddit pecunias debitas creditori facit æqualitatem , & æqualitas ipſa (vt dictum eſt in reſolutione) eſt obiectum formale, pecuniæ verò ſunt materiale , quia per pecunias redditas fit æqualitas ad pecunias acceptas , & ſic in pecuniis tanquam in materia exercetur ratio formalis obiecti iuſtitiæ , ſed quando reſtitutio iuſtitiæ fit circa honorem , vel famam , honor , vel fama reſtituta eſt materia in qua exercetur æqualitas iuſtitiæ , abſtulit enim honorem , & reddit honorem , & ſic facit æqualitatem. Ho-

nor

nor igitur eſt in his rebus obiectum materiale, ſeu materia ſicut in datis, & acceptis pecunia. Ergo reſpectu Dei in cultu Religionis per quem ſoluitur debitum modo explicato non debent identificari honor, & cultus, & ſubiectio tanquam obiectum formale, ſed potius honor debet eſſe obiectum materiale, hoc eſt materia in qua exercetur ſolutio, & ſatisfactio debiti pro beneficio Creationis, ſicut in exemplo iuſtitiæ in reſtitutione honoris, vel famæ apparet.

14 Reſpondetur, Quod honor, & ſubiectio, ſeu ratio cultus eſt in quo exercetur ipſa æqualitas requiſita à virtute, non enim concipitur æqualitas, vel ratio æqualis, vel inæqualis niſi reddendo æqualem, vel inæqualem honorem; & ideo honor, ſeu ſubiectio non dicitur materia, ſeu materiale, ſed formale, quia eſt quaſi forma cauſans quaſi in genere cauſæ formalis dictam æqualitatem. Res verò illæ in quibus recipitur ſubiectio cultus, aut honor exhibitus eſt materiale reſpectu talis æqualitatis ſicut & honoris, & ſubiectionis. Et hoc idem eſt in exemplo de reſtitutione honoris, vel famæ, honor enim vel fama reddita eſt forma faciens æqualitatem pro honore, vel fama ablata, materia verò eſt perſona ſubiecta verbis, vel factis ad reddendum honorem; Et ſic honor non debet comparari ad pecunias, ſed ad valorem pecuniarum, qui facit æqualitatem dati, & accepti, vel ablati. Quod autem ſit in ære, vel argento, vel auro eſt materiale; Ita eſt honor, qui exhibetur per ſubiectionem animæ, vel corporis, aut alterius rei, quod eſt qui facit illam imperfectam æqualitatem formaliter. Vnde non debet comparari pecuniis materialiter conſideratis, ſed res quæ ſubiiciuntur in Dei cultu ſunt quæ comparantur pecuniis, & ſic illæ ſunt obiectum materiale.

ARTICVLVS III.

Vnde ſumatur, & quomodo ſoluetur Religionem eſſe vnam virtutem.

1 PRæterea quæ ſupra in Commentario huius articuli dicta ſunt notandum venit in præſenti, quod non eſt idem inquirere *Si eſt vna virtus*, & *Si eſt ſpecialis virtus*, & ſic non coincidit articulus iſte cum ſequenti; ſæpe enim *D. Th.* illos diſtinguit etiam in aliis virtutibus, vt ſupra de Charitate *Quæſt.* 23. *ar.* 4. Diſputat ſi eſt ſpecialis virtus, & *art.* 5. Si eſt vna virtus. Eſt ergo differentia quod quando inquiritur ſi eſt vera virtus Religio eſt idem ac inquirere ſi habet plures ſpecies, quæ quaſi ſub genere comprehenduntur ſub Religione, & ſic non ſit vna, ſed plures ſpecies? Inquirere autem ſi eſt ſpecialis virtus idem eſt ac inquirere ſi coincidit cum aliqua alia virtute. V. g. de Dulia inquirit *D. Thom infra Quæſtion.* 103. *articul.* 3. Si eſt ſpecialis virtus à latria diſtincta? & *art.* 4. immediato inquirit, ſi habet plures ſpecies, & in *art.* 3. in corpore reſoluit Quod eſt ſpecialis ſecundum quod homini reddit debitum, & *art.* 4 Secundùm quod exhibet reuerentiam cuicumque homini inquit habere plures ſpecies. Stat ergo benè quod non ſit vna quatenus continet plures ſpecies; & quod ſit ſpecialis quatenus omnes illæ ſpecies conueniunt in vna ratione, quæ diſtinguitur ab aliis rationibus aliarum virtutum & hæc ratio ex parte obiecti eſt generica ad illas plures ſpecies virtutum ſub ea contentas.

Probat *Sanct. Thom.* Religionem eſſe vnam virtutem, quia Habitus diſtinguuntur ſecundùm diuerſam rationem obiecti; ſed Religio habet vnam rationem obiecti; quia ad Religionem pertinet exhibere reuerentiam vni Deo ſecundùm vnam rationem, in quantum ſcilicet eſt primum principium creationis, & gubernationis; hæc autem eſt vna ratio: ergo & Religio vna virtus. Quæ doctrina, & diſcurſus non opponitur cum dictis *artic. præcedenti*, & dicendis *articul.* 5. *ſequenti*, quia hic non dicitur quod Deus vnus eſt obiectum *Quod* Religionis, nec quod ratio principij creantis, & gubernantis eſt ratio obiectiua virtutis Religionis, neque hoc ſubſumit ex maiori, quod habitus diſtinguuntur ſecundùm diuerſam rationem obiecti; hoc enim eſt quod negatur in *Alus articulis*, ſcilicet Deum eſſe obiectum *Quod* Religionis, nec formale, nec materiale, ſed cultus, ſeu reuerentia illi exhibita, vt explicatum eſt *Articul. præcedenti* & amplius clareſcet ex dicendis *Arti ul.* 5. Et hoc idem dixit hic *Sanctus Doctor*, ſiquidem poſuit quod ad Religionem pertinet exhibere reuerentiam vni Deo ſecundùm vnam rationem, vbi poſuit clarè obiectum *Quod*, ſcilicet ipſam reuerentiam exhibitam in recto; at verò *Vni Deo ſecundùm vnam rationem* poſuit in obliquo. Et ſuo dicere quod reuerentia exhibita Deo ſecundum vnam rationem eſt ſpecialis ratio obiecti Religionis. Verum eſt quod ipſa reuerentia diuerſificatur ex hoc quod exhibetur Deo, vel creaturæ, ſed hoc non eſt dicere quod Deus, vel Creatura ſit obiectum *Quod*, ſed *Cui*, ex quo diuerſificatur ratio honoris, vel reuerentiæ tanquam ex aliquo quod eſſentialiter reſpicit, vel connotat; & ſic diuerſificata reuerentia efficitur diuerſa ratio formalis obiecti ſpecificans habitum. 2

Prima ergo opinio eſt Quod Religio eſt vna vnitate generica, & habet ſub ſe plures ſpecies. Hanc adducit *Suarez Tomo* 1. *de Religione Tractat.* 1. *Libr.* 8. *Capitul.* 8. Inſinuans eam ſibi veriſimiliorem videri, vt inquit *numer.* 1. & 8. Iuxta hanc Opinionem diſtinguit tres habitus huius virtutis, quos (inquit) *Fidelitatem* ad Deum, *Gratitudinem* ad Deum, & *Latriam* poſſumus appellare. Probat hanc Opinionem *numero* 2. ſic Primò. Virtutes, quæ reddunt debitum alteri iuxta varias rationes debiti diſtinguuntur; ſed intra latitudinem Religionis inueniuntur debita diuerſarum rationum, ergo & virtutes. Maior eſt Diu. Thomæ 1. 2. Quæſt. 60. art. 3. vbi ſic habet. *Debitum non eſt vnius rationis in omnibus, aliter enim debetur aliquid æquali, aliter ſuperiori, & aliter minori, & aliter ex pacto, vel ex promiſſo, vel ex beneficio ſuſcepto, & ſecundùm has diuerſas rationes debiti ſumuntur diuerſæ virtutes.* Et ſimilem 3

lem doctrinam habet 2. 2. *Quæſtion.* 80. *Articul. vnico in corpore.* Et Ratio eſt. Quia ſi ratio debiti formaliter reſpicitur a virtute diuerſa ratio debiti faciet formalem diſtinctionem in obiecto, & conſequenter in ipſa virtute. *Minor Probatur* ex eiſdem verbis *Diu. Thomæ.* Nam licèt in Religione non inueniatur diuerſitas ex parte perſonæ, cui debitum ſoluit, quia ſemper eſt ad Superiorem, tamen altera diuerſitas ex titulo ipſius debiti his inuenitur. Nam aliquid debetur Deo ex pacto, ſeu promiſſo, aliquid ex beneficio accepto, aliquid ex vi ſolius excellentiæ eius.

4 Confirmatur. Similis varietas debiti erga proximum ſufficit ad diſtinguendam, & diuerſificandam, rationem Virtutum circa eandem. Nam debitum ex pacto ſoluit *Iuſtitia*, ex promiſſione *Fidelitas*, ex beneficio *Gratitudo*, ex dignitate perſonæ *Obſeruantia*, & eſt optima *Diu. Thomæ* authoritas in fauorem huius 3. p. Quæſtion. 25. articul. 1. in corpore? *Honor* (inquit) *eſt reuerentia alicui exhibita propter ſui excellentiam (vt in 2. p. dictum eſt) & ideò ſi in vno homine ſint plures cauſæ honoris putà prælatio, ſcientia, & virtus, erit quidem illius hominis vnus honor ex parte eius qui honoratur, plures tamen ſecundùm cauſas honoris, homo enim eſt qui honoratur propter ſcientiam, & propter virtutem.* Hæc Sanct. Doctor: Ergo idem erit reſpectu Dei; quia hæc doctrina eſt generalis, & eſt eadem ratio. *Tum* quia illam adducit *S. Doctor.* ad probandum quod in Chriſto eſt diuerſa cauſa honoris ſecundùm diuerſam naturam diuinam, & humanam: Ergo quamuis Deus ſit vnus, cum tamen in illo reperiantur iſtæ diuerſæ rationes honoris, & diuerſi tituli (Et *Diu. Damaſcenus Oratione* 3. *de Imaginibus* quinque diſtinguit) multò meliùs quàm in vno homine: Ergo à fortiori diſtinguentur in Ipſo reſpectu ipſius diuerſæ virtutes, ſiquidem propter hoc diſtiguuntur reſpectu vnius hominis, quod eſt primum argumentum *D. Thomæ in hoc Articul.* Quod quia in Deo ſunt plures perſonæ, & diuerſa attributa ſunt plures rationes, & diuerſæ adorationes, & cultus. Ad quod etiam reducitur argumentum *Scoti in* 3. *Diſtinct.* 9. Vbi in dubium adducit. An propter iſtas tres rationes Dei vt ſic, & vt Creatoris, & vt Saluatoris ſint diſtinguendæ ſpecies adorationum ſpecialiter iſtæ duæ Creatoris, & Saluatoris. Et eadem ratio eſt de aliis attributis, quæ reſpiciunt Creaturas, quod non pertineant ad latriam. Cui fauet Diu. Auguſtinus in Exodum Quæſtion. 94. dicens, *Deo vt Deo latriam, vt domino verò Duliam deberi.* Et Sanct. Thom. 3. part. Quæſtion. 25. articul. 2. in fine corporis vbi inquit. *Ipſi Deo Patri debetur honor latriæ propter Deitatem, & etiam honor Duliæ propter dominium, quo gubernat Creaturam: Vnde ſuper illud Pſ. 7. Domine Deus meus in te ſperaui, dicit gloſſa, Domine omnium per poteſtatem, cui debetur Dulia, Deus omnium per creationem, cui debetur latria.* Hæc Sanctus Doctor.

5 Secundò *Arguit Suarez.* In hac virtute ſunt plures habitus ſpecie diſtincti; ergo plures virtutes. *Patet Conſequentia.* Quia omnes illi habitus ſunt virtutes eſſentialiter. *Antecedens autem probatur.* Quia in hac virtute inueniuntur plures actus ſpecie diſtincti ex diuerſa honeſtate proximi obiecti, quorum vnus ex alio non oritur, neque habent inter ſe connexionem, ſed ſolum genericam conuenientiam in ratione cultus diuini, vt ſunt vouere, iurare, ſacrificare: Quilibet autem ex his actibus eſt ſufficiens ad generandum habitum, & habitus qui per vnum fit non recipit ab alio actu ſpecie diuerſo augmentum, vel promptitudinem aliquam circa ſuum actum. Sed hoc eſt ſufficiens ſignum diſtinctionis habituum, & vnuſquiſque ex his actibus generat diſtinctum habitum, atque adeò diſtinctam virtutem, ſi fuerit actus naturalis generabit habitum naturalem, ſi verò actus, & habitus ſunt ſupernaturales ſecundum diſtinctionem actuum infundetur diſtinctus habitus.

6 Tertiò & *Vltimò Arguitur.* Religio ponitur diſtincta à Pœnitentia, & Obedientia ex diuerſis debitis reſpectu ipſiuſmet Dei, vel ex diuerſo modo, & motiuo ſoluendi, vel implendi debitum. Sed non eſt minor ratio diſtinctionis inter debitum, quod conſurgit ex promiſſione iam facta Deo, & debitum quod redditur, vel exhibetur in ipſa promiſſione promittendo aliquid, nam illud prius eſt magis rigoroſum, & legale, neceſſarium ad honeſtatem morum, & fortaſſe eſt cuiuſdam iuſtitiæ ſuperioris ordinis; Debitum autem quod ante promiſſionem poteſt conſiderari in ipſa promiſſione nec iuſtitia eſt, nec rigoroſa, nec neceſſaria ad honeſtatem morum, ſed ex quadam decentia, & voluntario cultu, ergo ferè ſimilis ratio diſtinctionis hic inuenitur. Ad quod conducit maximè doctrina *Diu. Thomæ* 1. 2. *Quæſt.* 102. *art.* 3. *ad* 8. Vbi ponit Quod in Veteri Lege triplex genus ſacrificiorum offerebatur Deo, ſacrificium autem ad Religionem pertinet, Ergo triplex habitus Religionis diſtinguendus erit, alia ſacrificia non diſtinguerentur genere.

7 Nihilominus *Concluſio eſt* Quod Religio eſt vna ſecundùm ſpeciem athomam. Hanc tenet *Diu. Thom. in hoc art. & in* 3. *Diſt.* 9. *Quæſt.* 1. *art.* 2. *& ad Anibaldum ibidem art.* 1. *Alenſis* 3. *p. Quæſt.* 30. *art.* 3. *Gabriel Lect.* 49. *in Canon. Caietanus, Aragon, Torre in hoc art. Suarez tom.* 1. *in* 3. *p. Diſp.* 51. *Sectione* 3. Simpliciter ſequitur hanc Sententiam dicendo quod eſt communis Theologorum, & Soluit Argumenta contraria. Imò loco citato, *Tom.* 1. *de Religione* inquit probabiliter poſſe deffendi hanc Sententiam *D. Thomæ*, & Soluit Argumenta, quæ pro contraria Sententia poſuerat. Ratio huius Concluſionis eſt potiſſima, quam tradit D. *Thom. in corpore huius art.* Quæ conſiſtit in hoc, Quod ex vnitate rationis formalis obiecti ſumitur vnitas ſpecifica Virtutis. In quo principio conuenit contraria Sententia, & eſt communis doctrina 1. 2. *Quæſt.* 54. *art.* 2. de diſtinctione habituum. Sed ſolùm reſtat explicare quomodo ſit vna ſpecie athoma ratio formalis obiecti Religionis, quia in hoc eſt punctum diſſenſionis, Contraria enim Sententia intendit quod non eſt vnius ſpeciei athomæ ſed ſubalternæ, quia ſub illa inuenit plures alias rationes ſpecie differentes, & vult quod hæc differentia ſit formalis, & non materialis.

8 Pro luce ergo efficaci huius rationis notanda eſt doctrina, quam adducit *D. Thom.* 1. 2. *Quæſt.* 54. *art.* 2. *ad* 3. ex Philoſopho 1. Phyſicorum,

&

& 7. Ethicorum ſic. *Quod ita ſe habet finis in operabilibus ſicut principia in demonſtratiuis, & ideo diuerſitas finium diuerſificat virtutes, ſicut diuerſitas actiuorum principiorum ſunt etiam ipſi fines actuum interiorum, qui maximè pertinet ad virtutes.* Hæc S. Doctor. Ex his colligitur regula ad cognoſcendum quando aliquæ rationes obiectiuæ diſtinguuntur ſpecie materiali, aut formali vt poſſint diuerſos actus ſpecie diſtinctos cauſare, aut ſub vna ſpecie formali comprehendi, videlicet ſi finis proximus actionum, quas ſpecificant tales rationes ſit vnus, vel diuerſus ſpecie.

9 Præterea S. *Thom.* loco citato in 3. *Diſt.* 9. *Quæſt.* 1. *art.* 3 *Quæſt.* 1. *in corpore* probatur quod Deo debetur latria ratione potentiæ, ſapientiæ, bonitatis, &c. ſic. *Latria profitetur ſeruitutem, quam debemus Deo, quia fecit nos: Vnde debetur ſibi latria inquantum Creator ſecundum quod ipſe eſt finis, & origo noſtri eſſe. Et hoc eſt quod dicit Gloſſa ſuper illud Pſ. 7. Domine Deus meus in te ſperaui. Deus per creationem, cui latria debetur, & quia ipſe Creator eſt in quantum Bonus, Sapiens, & Potens & ſecundum omnia huiuſmodi, ideo ratione omnium debetur ſibi latria, & non ſecundum vnum modum tantùm.* Hæc S. Doctor. Vbi eleganter explicat rationem præſentis articuli, videlicet, Quomodo eſt vna ratio in Deo ex qua reuerentia à Religione exhibita eſt vna quamuis comprehendat omnia attributa diuina, & tres Perſonas, quia videlicet, *Sapientia, Bonitas, Potentia, & omnia huiuſmodi*, hoc eſt, omnia attributa diuina concurrunt ad hanc rationem, ſcilicet quod Deus eſt primum principium noſtri eſſe in quantùm Creator noſter, quia ſi non eſſet ſapiens, aut bonus, aut potens, aut infinitus, &c. Deficeret ratio Creatoris, quia ſcientia ſua eſt cauſa rerum. Vnde dicit Eccleſia, cuius ſapientia conditi ſumus, & prouidentia gubernamur. Si non eſſet iuſtus, & miſericors non congruè gubernaret Creaturas. Omnia ergo attributa abſoluta ad hoc conducunt quod Deus habeat rationem primi principij, & Creatoris noſtri. Perſonæ ſimiliter diuinæ tres, quamuis inter ſe relatiuè oppoſitæ ad creandum indiuiſibiliter adunantur, quia actio Creatoris, vtpote actio ad extra totius Trinitatis eſt indiſcriminatè; omnia igitur quæ in Deo aliquam diuerſitatem habent ſiue realem, vt Perſonæ, ſiue formalem conducunt ad hoc quod Deus ſit ratio Creatoris. Sed Conceptus iſte Creatoris ſecundum ſuam rationem formalem eſt vnus ſpecie athoma (eo modo quo in Deo poteſt reperiri ratio ſpecifica) ſicut dicitur conceptus iuſtitiæ, vel conceptus miſericordiæ, quia ratio creationis non eſt alia quatenùs correſpondet bonitati Sapientiæ, aut potentiæ, &c. Sed eadem indiuiſibilis ratio creatoris eſt, quæ exigit & Sapientiam, & bonitatem, & potentiam (& ſic de aliis attributis) & tres perſonas indiuiſibiliter.

10 Vnde *hæc propoſitio negari nequit.* Ratio primi principij creatiui in Deo eſt vna ſpecie athoma, quamuis exigat plura attributa, & plures rationes diuinas quaſi ſpecie inter ſe diuerſas, ſed non diuerſificantes ſpecie rationem formalem, ſeu conceptum creatoris: Sed iſte conceptus cauſat debitum in creaturis, quo tenentur creaturæ venerari, & colere Deum quatenus illas creauit, & gubernat, quod eſt quid conſecutum ad creare, & propter ſe debent intendere ſoluere hoc debitum, quamuis non accedant ad æqualitatem. Sicut ergo ratio creatoris eſt vna ſpecifica, debitum ex illa cauſatum vnius ſpeciei athomæ eſt, & conſequenter reuerentia, quæ reſpicit Deum ſecundùm hanc rationem creatoris eſt vna ſicut ratio creatoris vna & quia ratio creatoris eſt vna ſpecie infima (vt explicatum eſt) reuerentia iſta eſt vna ſpecie athoma: & quia debitũ cauſatũ in creaturis ex iſto principio vnum ſpecie athoma eſt, ſicut principiũ, ideo finis iſte, ſcilicet ſoluere hoc debitũ vnius ſpecie athoma eſt. Vnde cũ Religio habeat pro obiecto formali exhibere reuerentiã Deo ſecundùm rationẽ primi principij creantis, & habeat pro fine proximo ſoluere rationem huius debiti, ſequitur per bonam conſequentiam, quod eſt vna in ſpecie athoma. *Iſta Conſequentia patet ex antecedentibus*, Quia habet pro obiecto formali reuerentiam vnam in ſpecie athoma, quæ eſt ratio Creatoris. Et iſte eſt diſcurſus præſentis Articuli breuiter, & profundiſſimè à *D. Tho.* traditus, vt patet ex eius terminis, quibus vſi ſumus.

Vis *huius rationis* non poteſt eneruari, niſi negando illud primum principium, Quod reuerentia à Religione exhibita reſpiciat excellentiam diuinam ſolùm ſecundùm rationem primi principij creationis. Si enim hoc eſſet verum conuinceret ratio; ſed hoc non admittitur à contraria Sententia, ſed potius dicitur quod reuerentia Religionis poteſt reſpicere Deum præcisè vt ſapientem, bonum, potentem, &c. Solùm propter quodlibet attributum ſiſtendo in illo, & ſicut ipſa ratione diſtinguuntur, ſic reuerentia propter quodlibet attributum diſtincta eſt; ſicut Charitas & Fides, quæ reſpiciunt ſolum bonum, & verum diuinum, &c. & alia attributa vt dominium, Prouidentia, Gubernatio, &c. adhuc circa creaturas ſunt in Deo diſtinctæ formaliter à ratione creatoris, & ſic diſtinctas venerationes terminare poſſunt. Et denique ex diuerſis motiuis veneratio Deo exhibita diuerſitatem accipere poteſt; ex diuerſo enim motiuo eadem excellentia diuerſo actu veneratur, vt in primo Argumento ſuo intendit *Suarez.* Deficit ergo ratio *D. Thomæ* in hoc quod ſupponit, & non probat, quod veneratio Religionis reſpiciat omnia attributa Dei ſub vna ratione formali ſolùm, ſcilicet in ratione primi principij creationis tam *in hoc articulo in corpore, & ad* 1. quàm in 3. *Sententiarum* loco citato. 11

Contra *hoc tamen eſt*, Quod *D. Thomas* hoc principium ſupponit probatum ex natura Religionis iam explicata *art.* 1. huius *Quæſt* Q. a n colligit ex ipſa Ethymologia nominis Quia *Religio*, dicitur à *Religando*, & etiam Religio explicat quandam ſeruitutem ad Deum, ſicut dulia ad creaturam, vt habet infra *Quæſt.* 103. *art.* 3. *ad* 1. Quod latiùs explicuit Opoſculo 19. contra impugnantes Religionem cap. 1. in principia his valde notandis verbis: *Vt autem Religionis naturam cognoſcere valeamus huius nominis originem inquiramus. Non igitur* Religionis, *vt Auguſtinus in Libro de vera Religione innuere videtur* à Religando *ſumptum eſt. Illud autem propriè legari dicitur quod ita vni aſtringitur, quod ei ad alia diuertendi libertas tollatur. Sed religatio iteratam ligationem importans oſtendit ad illud aliquem ligari, cui primò coniunctus fuerat, & ab eo diſtare incepit. Et quia omnis creatura prius in Deo extitit quàm in ſe ipſa, & à Deo proceſſit quodammodo ab eo diſtare incipiens ſecundùm eſſentiam per creationem, ideò rationalis creatura ad ipſum Deum debet religari, cui* 12

primò

primò coniuncta fuerat, etiam antiquam eſſet, vt ſic ad locum, vnde exeunt flumina reuertantur, Eccleſiaſtic. 1. Et ideo Auguſtinus dicit in libro de vera Religione, Religet nos Religio vni omnipotenti Deo. & habetur in Gloſſa, Romanorum 11. *ſuper illud ex ipſo, & per ipſum, &c.* Ex his probatur efficaciter illud principium rationis diſtinguendo de perfectionibus, vel attributis diuinis, quæ ſubſequuntur ad rationem Creatoris vt dominium, prouidentia, gubernatio, &c. & de illis probatur ſic.

13 Reuerentia virtutis Religionis eſt ſeruitus quædam ad Deum; ergo reſpicit excellentiam diuinam ſub formalitate dominij. *Patet conſequentia.* Quia ſeruitus formaliter eſt ad Dominum: vnde ſi reſpicit aliquid, & non tanquam Dominum formaliter non eſt ſeruitus formaliter, iſta enim relatiuè ſe habent, & talis eſt relatiuorum natura, quod vnum non niſi correlatiuum formaliter reſpicere poteſt (non diſputamus eum Logicis ſi terminatur ad abſolutum, vel relatiuum) ſed ſolùm Theologicè ſecundum rationes formales propriè, ſicut filiatio non eſt niſi ad Patrem, ſiue ad fundamentum, quatenus generans fundat rationem patris, ſic loquimur de ratione dominij, & ſeruitutis ſecundum quod ratio dominij in Deo eſt per reſpectum ad ſeruitutem creaturæ, quidquid ſit iſte reſpectus. Ratio autem dominij fundatur in aliquo alio titulo; ideò enim aliquis eſt Dominus alterius, & habet ſubiectum ſibi, vel quia emit, vel captiuauit in bello, &c. Et in Deo fundatur ratio dominij in ratione creatoris vt habet *D. Thom.* art. 1. huius Quæſt. ad 3. dicens: *Manifeſtum eſt autem quod dominium conuenit Deo, ſecundùm propriam, & ſingularem quandam rationem, quia ſcilicet, ipſe omnia fecit, & quia ſummum in omnibus rebus obtinet principatum, & ideò ſpecialis ratio ſeruitutis ei debetur. Et talis ſeruitus nomine* Latriæ *deſignatur apud Græcos, & ideò ad Religionem propriè pertinet.* Hæc S. Doctor.

14 Et *Ratio eſt clara.* Quia cum habeat dominium à ſe, & non ab alio communicatum habet dominium, & principatum ſuper creaturas ſecundùm quod naturaliter ipſi ſubiectæ ſunt, & hoc eſt quia ab illo habuerunt eſſe. Et conſtat, quod ratio gubernationis, & prouidentiæ ſequitur ad creationem rerum, quas etiam conſeruat: ergo non alia virtute debet reſpici ratio dominij, & gubernationis, & prouidentiæ in Deo niſi illa, qua reſpicitur ratio creatoris, quia illæ ſunt rationes conſecutæ, & quaſi connaturaliter debitæ ad rationem creatoris. Vnde eadem ratio formalis virtutis, quæ reſpicit rationem creatoris reſpicit etiam rationem dominij, & principatus, & gubernationis, ſeu prouidentiæ tanquam acceſſoriam, quod efficaciter conuincitur in humanis. Filius enim per eandem virtutem pietatis ſpeciei colit patrem vt principium generationis, & ſui eſſe, & vt gubernatorem, & vt prouidentem, & vt habens dominium deſpoticum ſupra ipſum in quantum pater, & omnia iſta pertinent ad rationem Patris, quia omnia ſequuntur ad principium generationis, & ideo pertinent ad eandem virtutem pietatis. Ergo etiam omnia iſta reſpectu Dei pertinent ad eandē virtutem Religionis, quæ per excellentiam dicitur *Pietas* in ordine ad Deum, vt habet *D. Thom.* infrà *Quæſt.* 103. citata *articul.* 3. *ad* 1.

15 De attributis verò antecedentibus adorationem creationis, vt de Sapientia, & de Bonitate, &c. hoc idem conuincitur ſic ex eodem principio ſeruitutis. Quia ſeruitus Religionis exhibetur Deo, ratione Sapientiæ debet eſſe quatenus per Sapientiam ſubinduit rationem dominij correlatiuam ſeruituti, Sapientia enim vt præcisè Sapientia non eſt correlatiua ſeruituti, & ſic non poteſt in hac præciſione ſeruitutem ſpecificare aut diſtinguere (idem eſt de bonitate, infinitate, &c.) Si autem ſubinduit rationem dominij procedit iam ratio facta, Quod ratio dominij fundatur in ratione primi principij creantis, & reſpicitur ab eadem virtute, qua reſpicitur ratio creatoris tanquam acceſſoria ad illam, & ſic ex hoc principio manet, quod ſeruitus Religionis non poteſt formaliter reſpicere tanquam diſtinctiuum aliquod attributum in Deo, niſi ſub ratione primi principij creantis.

Secundò *idem oſtenditur* ex munere Religandi 16
quod eſt *iterato ligare* principium à quo creatura ſeparata eſt, ſed hoc non per peccatum, quia hæc intelligentia vt dictum fuit *art.* 1. non eſt vniuerſalis, & propria ad Religionem in quocumque ſubiecto, quia in Chriſto, & in Beata Virgine eſt propriſſima virtus Religionis, & tamen non eſt ſeparatio per culpam à Deo: ſed intelligentia legitima eſt, quàm tradit. *D. Thom.* in verbis allatis ex *Opuſculo* quatenus, ſcilicet eſſe creaturæ per creationem ponitur extra Deum, & in hoc ſenſu quaſi ſeparatur ab illo, quod antea intra ipſum continebatur. *Ex quo ſic.* Veneratio Religionis religat creaturam Deo tanquam principium à quo diſceſſit, ſed diſceſſit formaliter per rationem creatoris: ergo ſolum hanc rationem reſpicit. Si autem reſpicit Sapientiam, vel Bonitatem diuinam erit religando creaturam Sapientiæ, vel bonitati Dei: ergo quatenus creatura diſceſſit à Sapientia, vel bonitate Dei in qua continebatur antequam fieret: ſed Sapientia, vel bonitas non educit creaturam ex ſe, vel creatura non exit à Sapientia, vel bonitate Dei à quibus continetur, niſi per rationem formalem creationis: ergo cultus, ſeu veneratio Religionis non poſſunt reſpicere Sapientiam, vel bonitatem Dei in ſe vt præſcindunt à ratione principij creationis, ſed quatenus concurrunt omnia hæc attributa in Deo ad creãdum, vt explicatum eſt. Et ſic ex ipſa natura religionis manet probatum, quod veneratio, ſeu cultus ſolùm poteſt reſpicere in Deo formaliter hanc vnicam rationem primi principij creationis, & omnia alia attributa, quæ reſpicit &, vt ſub iſta ratione comprehenduntur.

Tertiò *idem oſtenditur* ex natura huius Virtutis, quatenus ponitur pars potentialis iuſtitiæ, & 17
ex hoc ipſo habet ſoluere aliquod debitum, quamuis imperfectè (vt ſupra dictum eſt) ex quo ſic arguitur. Cultus, & veneratio Religionis petit exhiberi Deo ad ſoluendũ aliquod debitum: ergo non poteſt reſpicere Deum, niſi quatenus Deus eſt Creator, & conſtituit creaturam debitorem. Sed per Sapientiam, & bonitatem, & alia attributa ſecundùm ſe non habet hoc, quia nec hæc attributa ſunt reſpectiua ad creaturas formaliter, ſed ſolùm quatenus communicat creaturæ per Sapientiam, & bonitatem, &c. aliquod donum ratione cuius creatura debet aliqualem recompenſationem exhibere, quod facit per cultum, & ſubiectionem Religionis. Sed primum donum, quod Deus creaturæ communicat eſt ipſum eſſe ad quod ſe-

quuntur

quuntur alia dona: ergo creatura conſtituitur debitor Deo primò, & per ſe per creationem, & Deus habet rationem creditoris in quantum creans primò, & per ſe reſpectu illius. Et virtus, quæ ponitur in creatura ad ſoluendum debitum reſpicit formaliter Deum vt Creatorem, & quidquid reſpicit in Deo ſolùm eſt in ratione Creatoris, quia nullum attributum cauſat in Deo debitum, niſi quatenus concurrit ad creationem, ſi ſit ex attributis antecedentibus ad creationem, vt Sapientia, & Bonitas, Potentia, &c. Si ſit ex ſubſequentibus, vt Dominium, & Gubernatio, &c. eſt quatenus hæc debita fundantur in primo debito creationis, vt explicatum fuit in prima probatione. Si autem ſunt alia debita ex aliis motiuis materialiter reſpicientur à Religione, vt patebit ad 1.

18 Relinquitur *ex his*, Quod hoc principium, quod ratio D.*Thom.* in hoc *art.* ſupponit *in corpore, & ad 1. & in 3. Sententiarum loco citato*, ſcilicet, Quod veneratio Religionis eſt ad Deum ſecundùm vnam rationem, ſcilicet primi principij creationis, & quod omnia attributa, quæ reſpiciuntur ab hac veneratione attinguntur ab illa quatenus concurrunt ad rationem creationis eſt certum ſecundùm naturam virtutis Religionis, quatenus eius actus, qui eſt Latria eſt ſeruitus, quæ reſpicit dominium, quod fundatur in titulo creationis; & quatenus eſt religatio creaturæ ad principium à quo diſceſſit per creationem; & quatenus eſt imperfecta iuſtitia ſoluens debitum Deo, quod debitum incurritur per creationem primordialiter. Vnde niſi negando naturam Religionis, videlicet, quod ſit *Religatio*, & naturam eius actus, quæ eſt *Latria*, ſcilicet, quod eſt ſeruitus, & naturam partis potentialis iuſtitiæ, non poteſt negari hoc principium D.*Thomæ* quod veneratio Religionis reſpiciat ſolùm in Deo attributum, ſeu rationem formalem primi principij creantis, & omnia alia, ſi aliquando illa reſpicit eſt vt comprehenduntur ſub hac ratione formali. Admiſſo autem hoc principio demonſtratiuè oſtenditur concluſio ratione à principio poſita, quod quia conceptus creantis in Deo eſt vltimus, & ſimpliciſſimus, veneratio ad illa terminata eſt in ſpecie infima, & athoma, & per conſequens, quod virtus Religionis eſt vna in ſpecie infima.

Soluuntur Argumenta.

1 AD *Primum Reſpondetur*, Concedendo, Quod virtutes, quæ ſunt ad alterum diuerſificantur ſecundùm diuerſam rationem debiti formaliter reſpectam. *Negatur tamen minor*, ſcilicet, Quod ſub Religione reperiatur diuerſa ratio debiti formaliter reſpecta. Vnde illi quatuor tituli à *Suarez* in argumento allati, ſcilicet ex pacto, ex promiſſo, ex beneficio accepto, ex vi ſolius excellentiæ comprehenduntur ſub Religione ſolùm cum diſtinctione materiali.

2 Et *Ratio eſt iam allata pro Concluſione*, vbi viſum eſt quomodo ex vi excellentiæ diuinæ præciſæ à ratione principij creatiui non poteſt exhiberi cultus, qui formaliter ſit actus Religionis attenta natura Religionis, quæ eſt ſeruitus, religatio, & ſolutio debiti, & excellentia diuina. Sicut ſapientia, & bonitas, &c. Si non ſubinduat rationem principij creatiui non reſpicitur formaliter à religione propter has rationes, quia ſolùm ſub iſto conceptu conſtituit creaturam debitorem, & ſic titulus *Ex beneficio* accepto eſt formalis huius virtutis. Etiam titulus *Ex promiſſione*, quia illa includitur in voto induit rationem formalem, vt dicetur *ad 2.* Titulus autem *ex pacto* poteſt pertinere ad diuerſas virtutes, quatenus ex motiuo diuerſæ virtutis pactum eſt initum, & & tunc poteſt imperari adimpletio talis pacti à Religione.

Ad *Confirmationem Reſpondetur* cum D.Thoma 3
infra Quæſt. 106. art. 1. in corpore, vbi ſic habet. *Dicendum, Quod, ſicut ſupra dictum eſt, ſecundùm diuerſas cauſas ex quibus aliquid debetur neceſſe eſt diuerſificari debiti reddendi rationem, ita tamen quod ſemper in maiori illud quod minus eſt continetur. In Deo autem primò, & principaliter inuenitur cauſa debiti, eò quod ipſe eſt primum principium omnium bonorum noſtrorum, ſecundariò autem in patre, &c.* Et poſt pauca, *Quia ergo non quidquid debemus* Deo, *vel patri, vel perſonæ in dignitate excellenti debemus alicui benefactori à quo aliquod particulare beneficium recipimus, inde eſt quod poſt religionem, qua debitum cultum* Deo *impendimus, &c. Eſt gratia, ſeu gratitudo, quæ benefactoribus gratiam recompenſat, & diſtinguitur à præmiſſis virtutibus, ſicut quodlibet poſteriorum diſtinguitur à priori quaſi ab eo deficiens.* Hæc S. Doctor in corpore; & ad 1. ibidem inquit, *Sicut religio eſt quædam ſuperexcellens pietas, ita eſt quædam excellens gratia, ſeu gratitudo. Vnde hæc gratiarum actio ad* Deum *ſupra poſita eſt (ſcilicet Q. 83. art. 17.) inter ea quæ ad religionem pertinent.* Hæc Diu. Thomas. Vbi clarè ſoluit argumentum de iſto titulo gratitudinis, quod maximè ponderat *Suarez* pro contraria Sententia locis citatis. Habetur enim clarè in D.*Thoma hic*, Quod gratitudo, quæ ponitur ſpecialis virtus eſt in ordine ad alium hominem ſecundùm beneficia particularia; hæc tamen ratio reſpectu Dei non eſt ſufficiens diſtinguere ſpecialem virtutem, ſed includitur in virtute religionis, quæ reſpicit Deum vt primum principium eſſendi, & omnium bonorum noſtrorum, quæ ſequuntur ad primum, ſcilicet eſſe. Et ſic religio habet pro actu proprio gratias agere Deo pro omnibus beneficiis ab eo acceptis. Vnde Gratitudo eſt ſpecialis virtus quando excludit rationem debiti ſuperioris, ſcilicet parentis, vel Dei, & hæc eſt ad alium hominem æqualem; Gratitudo autem, quæ hanc excluſionem non habet, ſed imbibitur in debito generationis, vel creationis non conſtituit ſpeciem diuerſam, ſed tanquam quid inferius continetur, vt quid materiale ſub ratione formali ſuperioris debiti.

Ex his etiam patet quod ad alios homines poſ- 4
ſunt multiplicari virtutes ex pacto, ex promiſſione, &c. Pactum enim poteſt inducere obligationem iuſtitiæ commutatiuæ ad alium hominem, vt conſtat ex contractibus, & non ſequitur quod hoc poſſit reſpectu Dei. Promiſſio ſimiliter ſiue ex fidelitate, ſiue ex iuſtitia inducit obligationem; tamen quia promiſſio Deo fit vt excellenti Domino per virtutem religionis, vt in voto, ad eandem religionem pertinet adimpletio voluntaria promiſſi. Vnde non benè arguitur, quod rationes diuerſæ reſpectu inferiorum formaliter habeant hanc diſtinctionem formalem reſpectu ſuperioris. Tituli ergo diuerſi reſpectu inferiorum adunantur reſpectu Dei, & hic verificatur, *Quæ in inferioribus ſunt diſperſa in ſuperioribus ſunt vnita.* Vnde eadem virtus religionis reſpectu Dei eſt reſpectu ipſius Pietas, Obſeruantia, Dolia,

Gratitudo,quæ tamen reſpectu hominum ſpecies diuerſæ ſunt virtutum.

5 Vnde non bene arguit Suarez ex multiplicatione virtutum reſpectu hominum multiplicationem reſpectu Dei; Et dato quod multiplicarentur, reſtabat probare quod caderent ſub ratione formali religionis, ſicut enim motiua ab ipſo allata ſunt extra rationem duliæ reſpectu hominis, ſic eſſent extra rationem religionis reſpectu Dei, & non ſpecies religionit, & ſic ſi aſſumeretur aliquid creatum pro motiuo actus non eſſet latria, ſed dulia, quamuis perſona cui daretur eſſet diuina, & hoc eſt quod contingit in perſona Chriſti, quæ ratione humanitatis, & gratiæ creatæ, & virtutum in illa exiſtentium dulia adoratur, vt habet *D. Thomas. 3.p. loco citato in obiectione*. Et ſic Deus ſi coleretur ex motiuo alicuius perfectionis creatæ poſitæ ab ipſo in creatura non latria, neque religione adorandus eſſet. Quando autem adoratur vt dominus ſupremus omnium poteſt hoc dupliciter fieri, aut ratione doni creati, & hoc iam diximus, quod eſt dulia. aut ratione ipſius perfectionis diuinæ propter quàm eſt dominus, & idem eſt Saluator, Glorificator, &c. Et iſtæ perfectiones ſunt quid diuinum, & ſic non Dulia propria, ſed Religio illis debetur, quæ eſt excellẽs dulia. Sic explicat *D. Thomas* authoritatem *Gloſſa* in Obiectione allatam infra *Quæſt*. 103. *art*. 3. *ad* 1. Et eodem modo explicandus eſt *Auguſtinus*, Quia eadem verba ſunt.

6 Ex quo patet ad *Scotum*, Quòd Deus in quantum Saluator, vel Creator non propter motiuum creatum, ſcilicèt propter perfectionem, quàm in creatura ponit colitur, ſed propter perfectionem increatam ſuam ratione cuius habet eſſe creatorem, & ſaluatorem; ipſæ verò perfectiones creatæ ſunt motiua extrinſeca inducentia creaturas ad venerandam perfectionem diuinam, à qua illas accipiunt. Per quod etiam ſoluitur quomodo omnes diuinæ perfectiones reſpiciuntur à Religione ſub ratione primi principij creationis, vt habet *D. Thom. hic ad* 1.

7 Ad ſecundum Reſpondetur cum *Diu. Thom. hîc ad* 2. negando quod ſint plures habitus. Et ad probationem *Dicitur*. Quòd Votum, Iuramentum, Sacrificium, &c. ſunt plures actus ſolùm ſpecie materiali diſtincti, quia omnes iſti ordinãtur ad vnicum finem proximum, ſcilicet, ſoluendi debitum, quem incurrit creatura per creationem, & ſic reſpiciunt vnam rationem formalem Dei creantis, cui ſubiicitur creatura ſiue vouendo, ſiue iurando, ſiue ſacrificando, ſicut etiam per deuotionem, & orationem. Nec oppoſitum probatur in Argumento. Et licèt omnes iſti actus non ſint ſubordinati inter ſe, tamen non omnes æqualiter reſpiciuntur, deuotio enim eſt principalior actus, poſtea oratio, & ſic de aliis, & ſic ſuo ordine tractantur à *Diu. Thoma in ſequentibus*. Quod autem dicitur quod actus vnius non intendit habitum alterius actus ex iſtis abſolutè falſum eſt, quia idem eſt habitus omnium iſtorum actuum: poteſt tamen diſtingui: idem enim habitus habet virtualitates diuerſas, vt principium diuerſorum actuum, & ſic per multiplicationem iuramenti, v. g. augetur facilitas ad iuramentum, & non ad votum ſecundùm virtualitatem ſibi correſpondentem. Ratio tamen formalis habitus perficitur, quæ reſpicit omnes actus Religionis, iuxta ſuam naturam, ſi eſt acquiſitus principaliter, & ſi eſt infuſus diſpoſitiuè, ſicut in aliis habitibus contingit.

Ad *tertium Reſpondetur*. Quod Pœnitentia, 8
& Obedientia ſunt diuerſæ virtutes à Religione, non ſolùm ex diuerſo modo ſoluendi debitum, ſed ex diuerſo debito, & ex diuerſa ratione formali, quam in Deo reſpiciunt, ſcilicet Pœnitentia (vt dicetur 3. *part*. in ſuo loco) reſpicit ſoluere debitum offenſæ per quam offenſus eſt Deus, non ſolùm vt principium creationis, ſed etiam vt Deus in ſe, ſecundum quod per culpam aufertur ab illo ratio vltimi finis, ſummi boni, &c. In quo deficit *Caietanus* exiſtimans Religionem indentificari cum Pœnitentia, quia exiſtimauit, quod ſicut omnis cultus Dei erat à Religione, omne peccatum mortale eſſet contra Religionem, & ſic ad illam pertinebat reſarcire offenſam. *Sed hoc eſt falſum*, Quia peccatum odij, infidelitatis, & deſperationis, iniuſtitiæ, imprudentiæ, & ſimilia non ſunt formaliter contra Religionem. Apparet ergo ratio diuerſa Religionis, & pœnitentiæ, quod Religio reſpicit debitum creationis, & ſic ſolùm formalem rationem principij creatiui; Pœnitentia verò reſpicit debitum offenſæ cuiuſcumque quæ poteſt fieri contra omnia attributa Dei ſigillatim, & ſic reſpicit ſolùm Deum offenſum vt placabilem. Obedientia ſimiliter reſpicit ſpecialem ſubiectionem ad præceptum, & ſic reſpicit etiam ſpecialem rationem Dei vt præcipientis, non tamen eodem modo eſt diuerſitas promittendi, & adimplendi promiſſum. Licet enim verùm ſit quod adimpletio promiſſi cadit ſub debito neceſſario ad ſalutem, & ipſa emiſſio voti hoc non habeat, tamen illa neceſſitas adimpletionis promiſſionis non eſt iuſtitia rigoroſa legalis, aut commutatiua, ſed potentialis videlicet, Religio, quia eſt conſummatè exterius per adimpletionem ipſum votum emiſſum, iuxta illud *Vouete, & reddite Domino Deo veſtro omnes, qui in circuitu eius affertis munera*. Offerte enim munera in cultum Dei actua Religionis eſt. Quod autem ad hoc obligetur quis ex alio actu Religionis præcedente, ſcilicet, ex voto, non tollit ab obligatione rationem cultus Religionis neque ex hoc infertur, quod debeat pertinere ad aliam virtutem, ſed potiùs quod eſt conſecutio diuini cultus intenta per votum adimplẽdo illud per oblationem actualem rei promiſſæ, quamuis ex vi voti ſequatur obligatio ſub mortali ad oblationem, quæ ſine voto non erat.

Ad Authoritatem *D. Thom. ex* 12. dicitur. 6
Quòd ex illis tribus generibus ſacrificiorum, primum pertinebat ad Religionem, quia vt ibidem habet *D. Thom*. Primum quod dicebatur *Holocauſtum*, quaſi totum incenſum, offerebatur Deo ſpecialiter ad reuerentiam maieſtatis ipſius; totũmque comburebatur, vt ſicut totum animal reſolutum in vaporem ſurſum aſcendebat, ita etiam ſignificaret totum hominem, & omnia, quæ in eo ſunt; Domino eſſe ſubiecta, & ei eſſe oferenda. Vnde hoc ſacrificium Deo fiebat, ad ſeruitutem hominis proteſtandam quod ad Religionem directè pertinet. *Secundum* autem ſacrificium, quod erat *Hoſtia pro peccato*, vt dicit *S. Thom*. offerebatur Deo, ex neceſſitate remiſſionis peccati; vnde hoc potiùs, ad *Pœnitentiam* pertinere videtur. Tertium denique erat *Hoſtia pacifica*. quæ Deo pro gratiarum actione offerebatur, vel pro ſalute, & proſperitate offerentium,

ex debito beneficij, vel accipiendi, vel accepti; & hoc pertinet ad *Gratitudinem*, quæ, ſi diſtincta eſt à Religione, non tamen eſt ſpecies eius, (vt diximus ſolutione ad Primum) ſic ergo ex diuerſitate illorum ſacrificiorum, non colligitur diuerſitas in virtute Religionis.

10 Vel *ſecundò* dicatur: Quòd ſi illa ſacrificia proximè ad diuinum cultum referantur, licèt differant in actu exteriori, aut materia circa quam cultus, habent tamen eandem rationem formalem, quia Deo exhibentur, quatenus in perfectione omnem excellit creaturam. Dicuntur tamen tria genera ſacrificiorum, non quia genericè, aut ſpecificè differant, ſed propter diuerſum modum, quo fiebant, ſicut dici ſolet, quòd ſunt diuerſa genera hominum, propter diuerſos mores, qui in illis ſunt, non quia genericè differant.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm Religio ſit ſpecialis Virtus ab alijs diſtincta?

1 SVppoſitis duobus Articulis præcedentibus, in quibus determinatum eſt Religionem eſſe *Virtutem*, & eſſe *Vnam*, hoc eſt, quod ſit indiuiſa in ſe (idem eſt enim eſſe vnum, & eſſe indiuiſum) in præſenti inquirit *S. Doctor*, Quomodo ſit diuiſa à qualibet alia virtute Theologica, vel Morali; an verò identificetur cum aliqua morali, quæ exhibeat honorem creaturæ, vel ſit diſtincta ab omnibus.

2 Circa quod affirmatiuè reſpondet, videlicet: *Religio eſt ſpecialis virtus ab omnibus alijs diſtincta*, Quod probat hoc diſcurſu. Virtus ordinatur ad bonum; ergo vbi eſt ſpecialis ratio boni, debet eſſe ſpecialis virtus. *Conſeq. conſtat ex antecedente*: Quia ſic ſe habet virtus ad bonum, ſicut ſpecialis virtus ad ſpeciale bonum. *Vlterius*. Sed bonum ad quod ordinatur Religio eſt ſpeciale; ergo ipſa eſt virtus ſpecialis *Anteced. prob.* Bonum ad quod ordinatur Religio eſt exhibere Deo debitum honorem; ſed honor Deo debitus eſt ſpecialis: ergo bonum ad quod ordinatur Religio eſt ſpeciale. *Conſequent. eſt bona ex præmiſſis. Maior* eſt ipſa eſſentia Religionis, vt conſtat ex *artic. 1. & 2.* præcedentibus. *Minor prob.* Honor debetur ratione excellentiæ, ſed in Deo reperitur ſpecialis excellentia: ergo ei debetur ſpecialis honor. *Maior* eſt per ſe nota. *Conſequentia*, bona: *Minor prob.* Excellentia eſt dignitas, ſeu ſuperioritas, qua vnum excedit aliud: Sed Deus omnia excedit in infinitum ſecundùm omnem modum, & exceſſum; ergo. Totus diſcurſus parificatur in humanis, vbi diuerſis excellentiis perſonarum diuerſus honor exhibetur, vt Patri, Regi, &c.

3 Diſcurſus iſte ſolùm poteſt in illatione difficultatem facere, quia in prima conſequentia ponitur. Quod vbi eſt ſpecialis ratio boni, eſt ſpecialis virtus, quia virtus ordinatur ad bonum. Et poſtea ſubſumitur, Quod eſt ſpecialis ratio boni in Religione, quia eſt ſpecialis excellentia; *hic opus, hic labor*, Quia excellentia, & bonum, non ſunt idem in *D. Thoma*, vt expreſsè habet *hic ad 3.* Et multis alijs in locis; diſtinguit enim *Bonum*, & *Excellens* in eo, quod *Bonum* eſt obiectum amoris, *Excellens* verò: obiectum honoris. Et quod bonitas Dei communicatur creaturæ, non verò excellentia; & ideo Charitas, (*inquit S. D.*) qua diligitur Deus non eſt virtus diſtincta à Charitate, qua diligitur proximus. Ergo non benè arguitur à *Bonitate* ad *Excellentiam* Nec verum etiam eſt, Quòd omnis virtus ordinetur ad bonum tanquam ad obiectum, ſiquidem. *Loco citato, Bonum* ponitur obiectum amoris; & *Excellens* condiſtinctum à *bono*, ponitur obiectum honoris, & Religionis.

Reſpond. Quòd *D. Thom.* in *ſolut ad 3.* non loquitur de eadem bonitate de qua loquutus fuerat *in Corpore*; quia *ad 3.* loquitur de bonitate, quæ eſt in obiecto, quod diligitur, & adhuc de hac dicetur infra *dub. 2.* quod eſt idem cum excellentia, ratione cuius exhibetur honor perſonæ, quamuis differant ſecundùm diuerſas rationes formales, & ſecundùm diuerſum modum terminandi amorem, vel honorem. At verò *in Corpore artic.* non ſumitur bonum tam ſtrictè, ſed magis amplè, quatenus videlicet extenditur ad omne obiectum cuiuſcumque virtutis; & conſtat quod obiectum Religionis non eſt ipſum bonum diuinum vt dictum eſt *artic. 2.* propter quod infrà dicetur quod non eſt virtus Theologica: ſed eius obiectum eſt exhibere honorem diuinæ excellentiæ, & bonum quod eſt in tali exhibitione honoris, eſt ſpeciale bonum quod Religio reſpicit, propter quod ponitur ſpecialis virtus. Et ſic conſtat, quod diſcurſus eſt legitimus ex hoc principio, *Quod omnis virtus reſpicit bonum*; & ſic benè infertur, Quod ad ſpeciale bonum debet aſſignari ſpecialis virtus, conſtatque quomodo hoc principium ſit verum, *Quod virtus ordinatur ad bonum*, ſumendo *Bonum* ſecundum quod eſt prædicatum generale omni obiecto virtutis; ſicut etiam *Malum* dicitur obiectum vitij. 4

5 In ſolutione *ad 2.* aſſerit S. *Thom. Quod* ad Religionem pertinent elicitiuè quæ *ſecundùm rationem ſuæ ſpeciei pertinent ad reuerentiam* Dei; imperatiuè autem omnia ea, quæ in gloriam Dei fiunt. Cùm conſtet autem plures actus aliarum potentiarum ad Dei venerationem, & reuerentiam pertinere, Religionem verò in voluntate ſolùm reperiri, magnum inſurgit Dubium in præſenti. An poſſit eſſe actus elicitiue alicuius virtutis, qui non ſit actus illius potentiæ in qua virtus exiſtit? Hoc infra *Quæſt. 83. art. 3.* Loquendo de Oratione, quæ eſt actus intellectus in ſingulari determinabitur, modò verò in communi de quacumque potentia ſiue exteriori, ſiue interiori id inquirimus.

DVBIVM.

Vtrùm actus vnius Potentiæ poſſit eſſe elicitiue ab Habitu exiſtente in alia potentia?

1 NOn procedit hoc Dubium de actibus illis, qui à Religione procedunt intra eandem potentiam in qua eſt; tales enim ſi habeant ex ratione ſuæ ſpeciei exhibere reuerentiam Deo,

certum eſt elicitiuè à Religione procedere, cùm ſimul procedant a potentia in qua eſt Religio. Pondus ergo difficultatis quæ non videtur hucuſque vſque ad fundamentum examinata, eſt de illis actibus, qui ab alia potentia fiunt, & non habent aliam ſpeciem, & bonitatem, quàm exhibere reuerentiam Deo, quos tamen vt proprios, & immediatos Religionis (& conſequenter vt elicitos) agnouit *S. Thom.* ſupra *art.* 1. ad 1. vt Sacrificare, Adorare, &c. Pullulat ergo tota difficultas ea vna radice, ſcilicet quod habitus nunquam elicit actum niſi cum aliqua potentia; non enim eſt intelligibile quod potentia non operante actus aliquis egrediatur ab habitu, ſiquidem actus ille non eſt ab habitu extra ſubiectum, ſed ab habitu in aliquo ſubiecto exiſtenti; & ita oportet quod anima influat in tali actu. Anima autem non operatur cum aliquo habitu, niſi mediante aliqua potentia, cum habitus operatiui ſemper ſint in anima mediante potentia. Cui Doctrinæ ſi addamus, Quod actus ille eſt immanens, planè ſequitur quod non poſſit egredi ab habitu, niſi manendo in eadem potentia, in qua eſt habitus, non autem operando in alia in qua non eſt.

2 Nec *recurri* poteſt ad virtutem aliquam, ſeu modum diffuſum a tali habitu in aliam potentiam. Nam inquiro, Qua actione diffunditur illa virtus, ſeu modus? Si actu procedente ab ipſo habitu, currit ratio poſita. Nam actus ille etiam debet eſſe à potentia, in qua eſt talis habitus: ille autem habitus eſt immanens: ergo nihil facit, quod tranſeat ad aliam potentiam. Et dato quod faciat, iam ille actus non erit elicitus à virtute diffundente ſuperiori, ſed à diffuſa virtute, & poſita in alia potentia; & hoc erit talem actum eſſe imperatum, non elicitum à potentia ſuperiori. Et ex hoc accreſcit difficultas. Nam etiam quando virtus, vel potentia ſuperior imperat inferiori, aliquid imprimit inferiori, quo actuata producit actum perfectiorem, & ordinatum ad finem imperantis: Ergo ſi talis diffuſio virtutis ſufficit, vt ille actus dicatur elici à virtute diffundente; Cur non ſufficiet, vt dicatur elici à virtute imperante? Aut quæ eſt diſtinctio inter impreſſionem virtutis imperantis in potentia aliena, & virtutis elicientis in potentia aliena?

3 In *hoc puncto*, & circa explicationem *D. Thom.* extremè videntur proceſſiſſe *Pat. Suarez & M. Torre*; ille enim *lib.* 2. *de Relig. cap.* 3. præſertim *num.* 8. cenſet propriè nullum dari actum elicitum à Religione extra potentiam, in qua eſt; & idem eſt de quacumque alia Virtute, ſed omnes iſtos actus exiſtimat eſſe imperatos ex motione Religionis, aliquando quidem ex immediata motione, aliquando ex mediata, quia mediantibus aliis virtutibus producuntur, & in communi modo loquendi primi ſolent vocari *Eliciti*, ſecundi autem *Imperati*. At verò *M. Torre Tom.* 1. *de Relig. Q.* 81. *art.* 7. *Diſp.* 3. per aliud extremum cenſet omnium actum procedentem ex impreſſione, & communicatione reali virtutis, ſeu habitus exiſtentis in alia potentia eſſe elicitum à tali virtute. Vnde infert *n.* 11. Quòd ſi eſſet vera illa Sententia, quod actus imperans imprimit potentiis, ſeu actibus inferioribus modum intrinſecum & realem, actus illi eſſent eliciti à virtute imperante.

4 Et *quidem* totum Fundamentum *Suar.* radicatur in vna propoſitione, ſcilicet. Quod Religio non habet aliquam efficientiam Phyſicam, vel Moralem in actus externos, vel alterius potentiæ niſi mediante actu elicito ab ipſa Religione. *Cuius ratio eſt.* Quia efficientia Phyſica non eſt niſi per operationem Phyſicam; non operatur autem Phyſicè aliqua virtus; niſi quatenùs tali virtute vtitur ipſa potentia, ac per hoc non poteſt habere Phyſicam efficientiam, niſi per actum elicitum à potentia, in qua eſt talis habitus. Similiter neque moraliter efficit, aut mouet potentias inferiores, niſi applicando eas ad operandum: applicatio autem iſta fit per aliquem actum elicitum a voluntate, ſeu potentia, in qua eſt. Ergo non efficit aliquid in aliam potentiam Religio, niſi mediante actu elicito à potentia in qua eſt. Ex qua propoſitione, ſeu principio infert *Suarez*, Quod virtus ſuperioris potentiæ non poteſt dare facilitatem, ſeu modum, aut virtutem inferiori potentiæ ad operandum, niſi in quantum dat facilitatem ipſi actui elicito, quo debet mouere potentiam inferiorem: facilitas autem voluntatis, qua mouet potentias inferiores ad operandum per actum à ſe elicitum, non ponit intrinſecam facilitatem in potentia inferiori exequente. *Tum*, quia, ſi aliunde habeat impedimenta potentia inferior, non tollit ea motio ſuperioris potentiæ, ſed per proprias diſpoſitiones potentiæ inferioris tollenda ſunt. *Tum*, quia potentia ſuperior, ſi elicit actum, poteſt quidem per illum applicare, & imperare potentias inferiores; Cæterùm mediante illo actu potentia inferior non dicetur elicere, ſed ad ſummum ſuſcipere aliquid, vt eliciat tanquam mota, & applicata à ſuperiore. Vnde iam virtus ſuperior non dicetur elicere in potentia inferiori, aut dare illi potentiæ facilitatem intrinſecam ad operandum, ita vt illa operatio procedat à ſuperiori.

Fundamentum verò *M. Torre* ſic poteſt colligi ex eius notabilibus. Quia quando à potentia 5 nuda, & ſpoliata omni habitu, vel quando ab vno habitu in alium habitum alterius potentiæ fit imperium, non ponitur aliquid intrinſecum in re imperata. Ergo ſi intrinſecum ponit, non eſt ad imperandum, ſed ad eliciendum. *Antecedens patet*, Quia quando potentia nuda mouet alteram potentiam, non poteſt ei præſtare, quod eliciat actum, neque quantum ad ſubſtantiam: neque quantum ad facilitatem. Quantum enim ad ſubſtantiam actus, ipſa potentia mota eſt ſufficiens principium. neque quoad ſubſtantiam poteſt procedere ab alia potentia, alias actus amoris poſſet elici ab Intellectu, & cognitio à voluntate. Quoad facilitatem autem, & modum, potentia non poteſt illum præbere, cum ſit denudata omni habitu, qui ſolum præbet facilitatem, & modum. Ergo tunc potentia ſuperior mouet inferiorem imperando, & applicando illam ſine impreſſione alicuius realis, & intrinſeci. Et ſimile eſt de habitu, quando mouet habitum alterius potentiæ tunc enim non præbet illi facilitatem ad actum, quia ad eum inclinat ipſe habitus inferior, neque quoad ſubſtantiam, quia ad hoc ſufficit potentia: Ergo nihil reale ei imprimit. Inuenimus ergo iam verum imperium ſine impreſſione alicuius intrinſeci. Vnde quando aliqua potentia ſuperior vel habitus diffundit ſuam

virtutem

virtutem ad aliam inferiorem, ſemper eſt ad eliciendum.

5 *Si difficultas* iſta ex ipſis *D. Thom.* fontibus haurienda ſit, tria inuenio apud ipſum, quibus propoſita Dubitatio videtur ſolui. *Primum eſt* contra *Suarez*, pro certo habendum eſſe in *D. Thom.* Quod virtus exiſtens in vna potentia, non ſolum poteſt imperare, & applicare, ſed etiam elicere actum alterius potentiæ. *Secundum eſt.* Quod potentia vel virtus mouens alteram, non ſolùm quando imprimit ei ad eliciendum actum, ſed etiam quando mouet per modum imperij, imprimit potentiæ inferiori aliquam formam, & aliquid reale. *Tertium eſt.* Quod diſcrimen inter *Imperare*, & *elicere* circa actus alterius potentiæ, conſiſtit in eo, quod imperans imprimit potentiæ inferiori ordinando actum imperatum in finem extrinſecum; eliciens autem imprimit inferiori ordinando actum in finem intrinſecum, ſeu obiectum ſpecificatiuum.

6 Et *quia hæc Dicta* probanda non ſunt, referendo diuerſas Authorum ſententias, quæ circa hoc punctum variæ ſunt, ſed ſolum ex ipſis *D. Thom.* Locis, & rationibus, ideò ſolùm verba *Sancti Doctoris*, in quibus continentur adducimus.

Primum *dictum* manifeſtè habetur *in D. Thom. in 4. Diſt. 15. Quæſt. 4. art. 1. Quæſtiunc. 2.* in fin. Corporis, vbi ita inquit: *Oratio actus Latriæ erit elicitiue. Nec obſtat quod Latria in voluntate eſt, non in Ratione, cuius actus eſt Oratio; quia Iuſtitia cuius pars eſt Latria materialiter vtitur actibus omnium virium, vt ex eis reddat cuilibet, quod ſuum eſt: vnde cohibet actum concupiſcibilis, ne aliquis mœchetur, & actum iraſcibilis, ne quis occidat, & ſimiliter vtitur actu Rationis, vt ex eo Deo reuerentiam exhibeat.* Hæc S. Thom. Quam doctrinam etiam tradit in præſenti *art. 1. præcedent. ad 1.* & infr. *Quæſt. 83. art. 1. ad 3.* Et eadem ratione *ſupra Quæſt. 3. art. 1. ad 3.* ait Confeſſionem exteriorem fidei elicitiuè eſſe à Fide, & denique *in 4. diſtinct. 17. Quæſt. 3. art. 2. Quæſtiunc. 1.* ait, Quod confeſſio peccatorum pertinet elicitiuè ad Pœnitentiam; & Confeſſio beneficiorum Dei ad Latriam, & tamen conſtat has confeſſiones fieri ore, & lingua, quæ eſt alia potentia ab ea, in qua reſidet Pœnitentia, & Religio, & Fides.

7 Secundum *dictum habetur etiam apud D. Thom. in 3. diſt. 23. Quæſt. 3. art. 1. Quæſtiunc. 1. in Corp.* vbi inquit: *Cum ergo in Viribus animæ voluntas habeat locum primi motoris, actus eius eſt prior quodammodo actibus aliarum virium, in quantum imperat eos ſecundum intentionem finis vltimi, & vtitur eis in conſecutione eiuſdem. Et ideo vires motæ à voluntate duo ab ea recipiunt, primo formam aliquam ipſius ſecundum quod omne mouens, & agens imprimit ſuam ſimilitudinem in motis, & patientibus ab eo.* Et poſt pauca. *Hæc autem forma quam a voluntate Vires motæ participant eſt omnibus communis. Vnde præter eam habitus, qui ſunt perfectiones earum habent ſpirituales formas, ſecundum quod congruit potentiæ, quàm perficiunt per comparationem ad actus obiecta.* Et in eodem 3. Diſt. 27. Quæſt. 2. art. 4. Quæſtiunc. 1. ad 5. *Vnaquæque* (inquit) *virtus, quæ eſt in inferiori potentia habet quandam formam, quæ eſt virtus ex participatione perfectionis ſuperioris potentiæ, ſed formam, quæ eſt hæc virtus habet ex natura propria potentiæ per determinationem ad proprium obiectum: & hanc formam & modum ponit vnaquæque virtus circa ſuum actum, & iterum illam formam, vel modum, quem habet ex ſuperiori ſicut temperantia in actu ſuo ponit modum proprium, & prudentiæ, & charitatis, & gratiæ.* Conſtat autem Charitatem imperatiuè ſe habere reſpectu Temperantiæ, & tamen formam, ſeu modum, quem communicat Temperantiæ vocat *Sanct. Thom.* formam, quæ eſt virtus. Quo pacto etiam idem *Sanct. Doct.* dicit, *Quod Charitas ponit aliquid intrinſecum in Fide,* vt patet 14. de Verit. artic. 5. ad 4. *Id, quod ex Charitate in Fide relinquitur, eſt Fidei intrinſecum.* Et idem habet *artic. 7. ſolut. ad 1. & ad 3.* Et videri etiam poteſt *in 1. 2. Quæſt. 17. art. 4.* Vbi agit de modo, quo actus imperatus, & imperans dicuntur vnus.

Tertium dictum colligitur imprimis *ex Quæſt. de Charitate, in diſput. artic. 5. ad 3.* vbi inquit: 8
Virtus elicit illos actus tantùm, qui ſunt ſecundum rationem propriæ formæ, ſicut Iuſtitia rectè facere, & temperantia temperanter, ſed imperare dicitur omnes actus, quos ad ſuum finem annotat. Idem etiam tradit in 3. *Diſtinct. 27. Quæſtiunc. 2. artic. 3. Quæſtiunc. 3.* vbi ponit diſtinctionem inter elicere actum, & imperare. Et *in 4. Diſtinct. 15. Quæſt. 3. artic. 1. Quæſtiunc. 3.* vbi ponit actum elici ab illa virtute, quæ conuenit cum actu in propria ratione obiecti videatur ibi.

Cæterùm profundiùs tradidit totam hanc do- 9
ctrinam *S. D. 3. part. Quæſt. 19. art. 1. in medio Corporis,* his verbis: *Actio eius quod mouetur ab altero eſt duplex. Vna quidem, quàm habet ſecundum propriam formam: Alia autem, quàm habet ſecundum quod mouetur ab altero, ſicut ſecuris operatio ſecundum propriam formam eſt inciſio; ſecundum autem quod mouetur ab artifice, operatio eius eſt facere ſcamnum. Operatio igitur, quæ eſt alicuius rei ſecundum ſuam formam, eſt propria eius, nec pertinet ad mouentem, niſi ſecundùm quod vtitur huiuſmodi re ad ſuam operationem: ſicut calefacere eſt propria operatio ignis, non autem fabri; niſi quatenus vtitur igne ad calefaciendum ferrum. Sed illa operatio, quæ eſt rei ſolùm ſecundùm quod mouetur ab alio, non eſt alia præter operationem mouentis ipſum, &c. Et ideo vbicumque mouens, & motum habent diuerſas formas, ſeu virtutes operatiuas, ibi oportet quod ſit alia operatio mouentis, & alia operatio propria moti. Licèt motum participet operationem mouentis, & mouens vtatur operatione moti.* Hæc D. Thom.

Ex *qua* Doctrina ſumimus Fundamentum ſo- 10
lidum omnium Dictorum, applicando ea, quæ tradit idem *S. D. 2. 2. de Veritat. art. 13. & 1. 2. Quæſt. 17. art. 1.* ſcilicet, Quod voluntas, & ratio ſunt potentiæ ad inuicem ordinatæ, & ideò adinuicem mouere ſe poſſunt. Et ita poteſt voluntas habere duplicem actum, vnum, qui competit ei ſecundùm ſuam naturam, inquantum tendit in proprium obiectum abſolutè, alium, qui competit ei ſecundum id quod ex impreſſione rationis relinquitur in voluntate, ſicut in aliis agentibus ordinatis (*inquit D. Thom.*) videmus; quod ſphæra Solis mouetur non ſolùm motu proprio, ſed etiam motu primi mobilis: & aqua maris non ſolum mouetur motu proprio, qui eſt deſcendere, ſed etiam motu Lunæ, qui eſt fluere, & refluere.

11 Eſt *ergo* hoc fundamentum certum. Quod Voluntas, & Ratio, & potentiæ quæ ab illis pendent habent ſe vt Agentia ordinata; ita quod vnum mouet aliud propter dependentiam, quam ab altero habet: & hoc non ſolùm moraliter ſicut Dominus mouet ſeruum, aut Rex miniſtrum, ſed etiam phyſicè, quia in ipſa reali, & phyſica eficientia actus, voluntas pendet ab intellectu, ſicut à ſuo reali determinatiuo; quia voluntas de ſe eſt indifferens realiter. Si ergo determinatur per intellectum, determinatur realiter, & ab ipſo intellectu tanquam à reali radice originatur eius libertas, & ab ipſo conceptu procedit inclinatio voluntatis. Et ita in diuinis Amor, ſeu Spiritus Sanctus realiter, & phyſicè procedit à Verbo. Non eſt ergo id negandum Verbo creato, & amori creato. De quo optimè diſſerit *Caiet.* 1. *p.* Q. 80. *art.* 2. Si ergo illæ potentiæ habent ſe vt mouens & motum phyſicè, neceſſe eſt, quod in illis agnoſcamus naturam agentium ordinatorum, & mouentium, quæ eſt vt mouens imprimat aliquid in moto, Et tale agens motum, & ſubordinatum agat virtute mouentis.

12 Quòd *autem* potentia mouens ita moueat, vt ſolùm imperet inferiori, aut ita moueat, vt etiam eliciat in inferiori, ex diuerſo modo mouendi iudicandum eſt; & debemus vti alio principio etiam certo, ſcilicet, Quòd ab illo principio elicitur aliquis actus, à quo egreditur, & accipit proximè, & immediatè primum, & eſſentiale eſſe. Nam ſi ſupponitur, quod acceperit eſſe, & egreſſus ſit ab aliquo principio, & ſolùm ab altero principio aliquid ſuperaddatur tali eſſe ab hoc iam non elicitur, ſed perficitur eſſe, quod habet ab alio principio. Cùm autem eſſe alicuius rei, aut actus pendeat à pluribus cauſis, ab illa dicitur elici, à qua habet vltimum, & ſpecificum eſſe; quia talis cauſa eſt agens magis proximum, & immediatum, & minus vniuerſale; vnde talis actus eſt ei magis proprius, & minùs communis; atque adeò pertinet ad illud principium, vt à quo proximè procedit, & elicitur. Et pro eodem reputatur exire actum à tali principio, vel ab eius virtute; quia vnum quodque operatur per virtutem quam habet, ſicut quod procedit à ſemine procedit elicitiue ab animali & quod à calore ignis ab igne.

13 Si *ergo* Principium mouens, & imprimens alteri virtutem, ita moueat illud vt det ei virtutem, & ipſum primum, & ſpecificum eſſe actus, qui à tali potentia mota egredi debet, manifeſtum eſt, quod talis actus reſpicit illam potentiam mouentem tanquam dantem ſibi ſpecificum, & primum eſſe, atque adeò vt principium proximum à quo egreditur, ſi quidem aliud principium proximius, & immediatius ſui eſſe non habet. Hoc autem contingit quoties actus egrediens ab aliqua potentia non habet aliam ſpeciem niſi illam, quam participat à potentia mouente, tunc enim habet ab illa primum, & eſſentiale eſſe; atque adeò ab illa primò, & per ſe egreditur, quod eſt reſpicere illam, vt principium proximum, & immediatum, & elicitiuum. Quando verò motio ſuperioris agentis non dat actui propriam ſpeciem, & eſſentiam, ſed ſupponit illam ab alio principio datam, ſolùm poteſt addere aliquid accidentale, vt purà ordinationem ad aliquem finem, à quo non habet primam ſpecificationem ſuam; & ideò mediante tali ordine, actus ille non egreditur, nec primò elicitur, ſed ſolùm ab illo à quo habet primum eſſe. Imperium autem dicit hanc ordinationem, & applicationem inferioris potentiæ ad finem ſuperioris, vt conſtat ex 1. 2. Q. 13. art. 1. Igitur *Imperare eſt* ſolum mouere inferiùs ordinando illud ad finem extrinſecum, & accidentale, *elicere* verò tunc attribuitur ſuperiori potentiæ, quando mouet inferiorem ad producendum actum, quantum ad primam, & eſſentialem ſpeciem actus, quæ ſumitur in ordine ad obiectum, & finem intrinſecum.

Soluuntur Argumenta.

AD *Difficultatem* motam à principio Fatemur nullum habitum elicere actum non operante etiam potentia, in qua eſt talis habitus, vel per ſe, vel per ſuam virtutem; & ideò habitus ſuperioris potentiæ non elicit in potentia inferiori, niſi per aliquam virtutem ei impreſſam, qua agit, & elicit ipſa potentia inferior. *Et quando quæritur.* Quomodo per actum immanentem diffundatur illa virtus? *Reſpondetur* Actus illarum potentiarum, quarum vna agit in aliam, non eſſe ita purè immanentes, quia ſunt virtualiter tranſeuntes; ſicut ſe habent actus intellectus practici, qui influunt, & ordinantur in opus: aliàs vna potentia non poſſet ordinare, & mouere aliam. Et hoc eſt ita certum in *D. Thom.* vt ipſe non admittat dubitationem de oppoſito. Eſt inſignis Locus circa hoc apud ipſum *D. S. Opuſc.* 11. *art.* 3. in quo quærebatur an Angeli mouerent Cœlos ſuo imperio? Et reſpondet D. Thom. *Si hoc vertatur in dubium, quod dicatur eos mouere cœleſtia corpora ſuo imperio, irrationabilis dubitatio videtur; non enim poſſunt mouere aliquod corpus per contactum quantitatis, cum ſint incorporei; ſed per contactum virtutis. Nil autem in Angelis altius quàm eorum intellectus, cum & ipſi à Dionyſio Intellectus, vel Mentes nominentur. Vnde eorum motiones à virtute intellectus procedunt. Ipſa autem conceptio intellectus, ſecundum quod habet efficaciam aliquid tranſmutandi Imperium nominatur, vnde ſi mouent, nullo modo niſi per imperium mouere poſſunt.* Hæc S. Thom. 1

In quibus verbis agnoſcit, quod actus immanens, ſcilicet *Conceptus intellectus* habet efficaciam immutandi aliquid; ergo debet eſſe actio virtualiter tranſiens: aliàs illa Conceptio non moueret Cœlum, nec tranſmutaret aliquid. Actus ergo iſti, quos habet intellectus circa voluntatem, vel è contra, aliquid imprimunt, quia ſunt actiones virtualiter tranſeuntes & habentes efficaciam, etiam in ordine ad aliam potentiam. Differentia autem inter *Elicere* & *Imperare* reſpectu potentiæ mouentis, eſt illa aſſignata, quando ſcilicet mouet in ordine ad propriam ſpeciem actus, vel in ordine ad finem extrinſecum. 2

Ad *Fundamentum Suar. Reſpondetur.* Verum eſſe, quod nil mouet, aut imprimit potentiis inferioribus niſi mediante operatione, & actu elicito ipſius mouentis: negamus autem, quod per hanc operationem non imprimat aliquid intrinſecum, id eſt, inhærens in potentia mota ad operandum. Quod ſi in potentia inferiori ſit aliquod impedimentum ad ſuſcipiendum talem diſpoſitionem, ſeu motionem, non ſuſcipit illam, nam mouens non imprimit formam ſuam niſi in ſubiecto diſpoſito, non impedito. *Et quando dicitur.* Quod potentia ſuperior, ſi elicit aliquem actum, mediante tali actu poterit quidem mouere, aut applicare potentiam inferiorem, non autem in illa elicere. *Reſpondetur* Latere hìc magnam æquiuocationem. Nam potentia ſuperior poteſt conſiderari, vel 3

prout

prout mouet potentiam inferiorem præciſè, & imprimit illi virtutem; vel prout potentia inferior recepta illa impreſſione operatur. Et quia operatur cum virtute ſibi impreſſa à mouente, dicitur ipſum motum ſimul operari, & elicere. Si ſumatur potentia ſuperior prout præciſè mouet, clarum eſt, quod per actum elicitum mouet; ſed ille actus eſt ſolius potentiæ ſuperioris, quia ſicut ſola ipſa mouet, ſic ſola ipſa elicit actum mouendi, & mediante tali actu non elicit potentia inferior, ſed ſuſcipit motionem, vt poſtea eliciat. Quando verò potentia inferior mota à ſuperiori elicit, tunc ipſa potentia inferior operatur quidem, vt clarum eſt, ſed non ſola operatur, ſed etiam operatur, & elicit ſuperior non per ſe, ſed per virtutem ſuam impreſſam inferiori. Et ita iſte ſecundus actus procedit à duplici principio, ſcilicet à potentia mota, & à potentia mouente; ſicut omnis actus pendet à potentia, & ab habitu quoad elicientiam, ſiue ille habitus per ſe exiſtat in tali potentia ſiue per ſuam virtutem. Qua ratione etiam quando cœlum mouet aquam maris per ſuam influentiam, aut ſemen decidit ab animali, tunc ſolùm cœlum operatur, & ſimiliter ſolum animal: quando verò aqua mota à cœlo fluit, & refluit, & quando ſemen introducit animam, tunc non ſola aqua elicit, ſed aqua cum cœlo, & ſemen cum animali.

4 *Ad Fundamentum M. Torre dicitur.* Quod potentia nuda, quando mouet alteram, v.g. Intellectus voluntatem aut è contra, imprimit ibi virtutem, vt eliciat ſubſtantiam actus non abſolutè; ſed vt habet modum communicatum à potentia mouente. Sicut quando voluntas elicit actum electionis, vel intentionis, tunc non elicit ſubſtantiam volitionis abſolutè, ſed ſubſtantiam volitionis collatiuè, & ordinatiuè, qui modus *collatiuè, & ordinatiuè*, eſt ei ab intellectu. Et ſimile eſt de actu Imperij, aut Prudentia, qui ſunt actus intellectus moti à voluntate, & ſunt cognitiones cum efficaci motione, qui modus mouendi *efficaciter*, eſt ei à voluntate. Et ſic patet quomodo vna potentia etiam nuda imprimat in aliam, nec tamen efficit ſubſtantiam actus eius. Exempla videri poſſunt in *D. Thom.* 1.2.*q.*13.*art.*1.*& q.* 17. *art.*1.*&* 2.2.*de verit.art.*13.

5 *Quæres* Quid ſit ſi actus vnius potentiæ habeat motionem, & impreſſionem ab altera potentia, non quidem in ordine ad ſpeciem eſſentialem actus neque ad accidentalem, ſed ad conditionem aliquam eſſentialiter requiſitam ab actu? Sicut pia affectio voluntatis requiritur intrinſecè ad fidem, & tamen non dat ſpeciem fidei, nec etiam ſolùm imperat illi, quia non ordinat illam ad finem extrinſecum, ſed ad proprium, qui eſt attingere veritatem credibilem. Et ſimile eſt de actu prudentiæ, qui requiritur ad omnes alias virtutes.

6 *Reſp.* Tales actus non eſſe eliciriuè, à potentia mouente, ſed actus ſolùm eliciuntur ab illa; quæ dat ſpeciem eſſentialem actus, ſecundùm quod ſpecies ſumitur ex parte obiecti ſpecificantis; in caſu verò poſito, illi actus ſunt à potentia mouente ſolùm per modum dirigentis, vel adiuuantis, aut alio ſimili modo.

7 Notanda eſt ergo optima doctrina D. Thom, in 4. diſt. 15. Q. 3. art. 1. Quæſtiun. 3. *Quamuis* (inquit) *aliquis actus à pluribus virtutibus poſſit procedere, ſicut ab imperantibus ipſum, vel dirigentibus ad eum, vel quocumque modo adiuuantibus; tamen illius virtutis propriè actus dicitur quæ elicit ipſum, à qua ſcilicet procedit formaliter quaſi in ſimilitudinem ſpeciei, ſicut caleſactio à calore. Sed tam virtutes quam actus virtutum penes obiecta diſtinguuntur: Et ideo actus, ab illa virtute elicitur, qui ſecum conuenit in propria ratione obiecti.* Sic S.Tho. In quibus verbis clarè dicit quod motio alterius potentiæ à qua actus pendet, non eſt ſolùm per modum imperij, quando ſcilicet ordinatur in finem extrinſecum ab imperante, ſed etiam per modum directionis, ſicut prudentia dirigit alias virtutes, vel per modum adiuuantis, ſicut voluntas iuuat intellectum ad credendum, ad quod ſolus intellectus non ſufficit & tales motiones dirigentes, aut adiuuantes poſſunt imprimere aliquam conditionem eſſentialiter requiſitam ad actum alterius potentiæ nec tamen imprimunt id, quod requiritur ad dandam ipſam eſſentiam, & ſpeciem actus: ad hoc enim neceſſe eſt, vt det illis ordinem ad obiectum ſpecificum. Et tunc dicentur per talem motionem elicere actum, quando actus conueniat in ratione ſpecifica obiecti cum virtute, & motione impreſſa, à potentia mouente, quod eſt dare illi ſpeciem ſecundùm quod requiritur ex parte obiecti, non ſolùm ex parte conditionis, aut modo eſſentialis.

Expenditur ſolutio D. Thom. ad 3. Argum.

Circa ſolutionem ad 3. *Arg.* in qua aſſerit *S. D.* quod Charitas, qua diligitur Deus, & proximus eſt vna virtus non verò qua colitur Deus, & proximus; Mirum eſt quam multa congerunt moderni, quibus valdè difficilis viſa eſt doctrina *S. Tho.* in hac ſolutione. Ea verò inter omnes maximè inſufficiens iudicata eſt a *P. Vaſq. 3. p. diſp. 98. cap.* 1. Vbi referens differentiam, quam *S. Thom.* ponit inter charitatem, & Religionem hac 2. 2. Q. 25. *art.* 1. *ad* 2. dicit, Se fateri tarditatem ingenij ſui: *Vix enim* (inquit) *diſcrimen hoc mente concipere poſſum, nec dum de illo iudicium ferre.* Sed neque Solutio præſentis articuli quadrat ipſi *Vaſquez*, & eam reijcit ea eo, quod ſicut excellentia Dei non communicatur homini; ſic neque bonitas diuina: ergo malè reducit *D. Thom.* totam ſolutionem ad illam differentiam. Nec verum eſt amorem reſpicere bonum in communi, vt dicit ipſe *D. Thom. q.* 25. *citata*, honorem verò reſpicere proprium bonū honorati, cum conſtet charitatem reſpicere bonum particulare, id eſt, diuinum, non autem bonum in communi. Quod ſi reſpicit primò, & per ſe bonū Dei bonum autem proximi vt relatum ad Deum, ſeu vt eſt aliquid Dei; cur etiam non reſpicit Religio excellentiam Dei, & excellentiam hominis, vt eſt aliquid Dei, & participatur à Deo? Ecce tarditas ingenij *Vaſquez*.

Vt *explicemus* hoc punctum, duo notanda ſunt. 2
Primum Quod licèt bonitas diuina, & excellentia diuina conueniāt in hoc, quod vtraque poteſt communicari creaturis quaſi effectiuè, efficiēdo ſcilicet in eis, & deriuando bonitatem, & excellentiam creatam; tamen differunt in communicatione quaſi formali, hoc eſt, in communicatione rationis formalis, taliter quod bonitas diuina poteſt eſſe ratio formalis diligendi creaturam, excellentia verò diuina non poteſt eſſe ratio formalis colendi creaturā: *Et huius proxima Ratio eſt.* Quia aliquid poteſt amari propter bonitatē non ſui, ſed alterius per ſe loquendo, non poteſt autem per ſe honorari tan-

quam aliquid honore dignum propter excellentiam alienam, quia honor intiiolcce eſt teſtimonium propriæ virtutis in aliquo. *Radicalis autem, & fundamentalis ratio iſtorum eſt*, Quia *Bonum* importat rationem cauſæ finalis, vt dicitur 1. *p.* Q. 5. *art.* 4. Excellentia autem importat rationem cauſæ formalis tantùm, quia importat perfectionem, qua aliquid excedit alterum: non excedit autem alterum niſi per id, quod habet formaliter in ſe, De ratione autem cauſæ finalis eſt, vt propter illam alia appetantur, quia ipſa finalizat media, reddendo illa appetibilia propter finem. Vnde neceſſe eſt, quod formalis ratio diligendi finem communicetur mediis quaſi ſecundariò, vt propter ipſum reddantur diligibilia. Excellentia autem, qua aliquid excedit alterum fundat rationem reuerentiæ, & honoris in eo, in quod alterum excedit: hac enim ratione aliquid honoramus in quantum dignificatur ſupra aliqua. Vnde implicat quod honoretur aliquid ſecundùm communicationem cum altero, cum honoretur in eo in quo quiſque excedit. *Vnde fit*, quod pes ſe loquendo propter bonum alterius poteſt aliquid amari, ſicut medium propter finem, non autem propter excellentiam alterius honorari, ſi loquamur de honore debito per ſe alicui. Hoc eſt ergo quod dicit S. *Thom. in præſenti*, ſcilicet bonitatem Dei communicari creaturæ, Non enim eſt ſenſus, quod bonitas, quæ in Deo eſt tranſeat ad nos, ſed bonitatem diuinam eſſe rationem propter quam diligitur creatura. Et ſimiliter quando dicit *Amorem reſpicere bonum in communi*, non eſt ſenſus, quod tendat ad bonum vniuerſale, ſed ad bonum, quod ſe communicat in genere cauſæ finalis, quod non conuenit Excellentiæ ſecundum quam aliquid redditur honore dignum perſe. Et dico *Per ſe*, quia Imagines pes ſe non ſunt dignæ, aut capaces honoris, ſed vt repræſentant, & ducunt nos ad id, quod per ſe eſt dignum honose. Et homines, qui honorantur propter alios honorantur alio honore per ſe eis debito, quam his propter quos honorantur, ſicut famuli propter Dominum

3 Secundum *quod aduertimus eſt*. Quod licèt homo participet in ſe bonitatem ſupernaturnalem creatam per dona gratiæ, non tamen poteſt terminare amorem diſtinctũ à Charitate. Licèt enim illa ſupernaturalis bonitas ſecundùm ſe ſit appetibilis amore concupiſcentiæ diſtincto à charitate, non tamen amore amicitiæ. Cuius ratio, & ſi difficultè reddatur ab Authoribus, breuiter tamen hæc eſſe poteſt. Quia Amicitia eſt mutua redamatio fundata in communicatione bonorum; communicatio autem bonorum ſupernaturalium primò, & per ſe eſt à Deo, vnde primò, & pes ſe debet verſari inter Deum & homines, non autem inter hominem, & hominem. Licèt enim vnus homo poſſit communicare alteri in ſupernaturalibus, tamen qui per ſe primò facit talem communicationem, eſt Deus, & ideo repugnat habere amicitiam ad alterum hominem in bonis ſupernaturalibus, niſi mediante Deo, & propterea ad illum primò, & per ſe eſt amicitia ſupernaturalis vt ad primò, & per ſe communicatiuum botum bonorum: ſecundariò verò ad homines in quantum ſunt aliquid Dei, & communicant nobiſcum in beatitudine mediante Deo. Sicut ſi Deo non poſſent communicari in aliquibus bonis niſi medio aliquo tertio, qui eis illa diſtribueret, & donaret, non poſſent [illegible] inter ſe habere amicitiam, ſed mediante eo, qui ſibi [illegible] a bonâ communicat. Vnde patet quod in [illegible] rdine ad Deum, & homines eſt eadem ratio fundandi amicitiam in quibuſcunque bonis ſup[illegible]ibus, ſcilicet eadem communicatio bonor[illegible], & conſequenter eadem charitas. Quæ quidem cum ſit amicitia, non ſpecificatur a bono volito amico (vt tradit *S. Thom. in hoc* 2. 2. *Quæſt.* 23. *art.* 5. *in Corpore, & art.* 1. *in Corpore.* Et *Quæſt.* 25 *art.* 2.) ſed ab ipſa perſona primariò reſpecta cui tale bonum eſt volitum. In quo conſiſtit differentia Charitatis ab honore, ſeu veneratione, quia veneratio non à perſona, ſed ab ipſa bonitate ſpeciem ſumit. Quod expreſſè docuit S. Doct. 1. p. Quæſt. 25. art. 1. in Corpore dicens: *Propriè Honor exhibetur rei ſubſiſtenti, cauſa autem honoris eſt id ex quo ille, qui honoratur habet aliquam excellentiam. Nam honor eſt reuerentia alicui exhibita propter ſui excellentiam, & ideo ſi in vno homine ſunt plures cauſa honoris, puta Prælatio, Scientia, Virtus, erit quidem illius hominis vnus honor ex parte eius, qui honoratur [illegible] plures tamen ſecundum cauſas honoris, homo enim eſt qui honoratur, & propter ſcientiam, & propter virtutem.*

Vnde manifeſtè conſtat, quod propter diuerſas excellentias diſtinguitur ſpecie honor tanquam propter diuerſas rationes formales. Quod ibidem artic. 2. confirmat dicens: *Honor adorationis debetur ſubſiſtenti, tamen ratio honoris poteſt eſſe aliquid non ſubſiſtens propter quod honoratur perſona, cui illud ineſt* Et concludit. *Vna, & eadem perſona Chriſti adoratur adoratione Latria propter ſui diuinitatem, & adoratione Dulia propter perfectionem humanitatis.* Ecce claram differentiam inter *Amorem*, & *Honorem*, quod *Honor* habet pso ratione formali obiectiua, à qua ſpecificatur Excellentiam, ſeu bonitatem, quæ eſt in perſona. Hæc autem eadem Excellentia, & bonitas per amorem amicitiæ, eſt volita eidem perſonæ, non tamen taliter quod ipſa bonitas ſit ratio formalis amicitiæ, ſicut dictum eſt quod eſt ratio formalis honoris, quia Amor vt terminatur ad talem bonitatem eſt Concupiſcentia, & ratio formalis amicitiæ eſt in perſona, cui eſt concupita illa bonitas. Quæ differentia manifeſtiùs apparet ex eò quod non exiſtente tali bonitate actualiter in perſona, adhue poteſt amor amicitiæ terminari ad perſonam deſiderando illi bonitatem. Proptes quod dixit *D. Thom. ſupra Quæſt.* 25 *art.* 6. Quod Peccatores ſunt diligendi ex Charitate propter ordinem, & Capacitatem ad Beatitudinem; tamen non ſunt colendi Dulia, quia deficit illis bonitas, & Excellentia gratiæ Vnde Diſt. 9. Quæſt. 2. art. 3. ad 2. dixit S. D. *Prælato dum eſt in actu peccati, non debet exhiberi Dulia, quia reperitur in eo aliquid honori contrarium.* Conſtat ergo differentia intenta inter. *Amorem*, & *Honorem*, quod Excellentia taliter eſt ratio formalis honoris, quod illa deficiente in perſona deficit honor, & non deficit amos terminatus ad perſonam.

Ex his ſufficientiſſimè patebat ad Rationem *P. Vaſquez.* Quia tamen plures Moderni in iſta difficultate torquentur, vlteriùs eſt prænotandum *Amorem*, & *Honorem* in communi conuenire in duobus, & in vno differre. Conueniunt primò. Quod ſicut datus honos Dei diſtinctus ſpecie ab honore creaturarum, & ipſe honor creatu- 5

carum

tarum per diuerſas ſpecies ... ſecundùm diuerſa obiecta; ita datur ... Dei ... ſpecie ab amore, qui eſt amicitiæ creaturæ propter ſe amatæ, & iſta amicitia creaturæ adhuc diuiditur in plures ſpecies. Conſtat hoc ex D. Thom. in 2. 2. Quæſt. 103. art. 3. diſtinguente Duliam à Latria, & art. 4. diuidente Duliam in plures ſpecies. Et videri poteſt etiam 3. p. Quæſtio. 25. In quo omnes Commentatores, & ipſe Vaſquez conueniunt. De Amore autem, ſeu amicitia, & diuerſis ſpeciebus eius, ſecundùm diuerſitatem communicationum in quibus amicitia fundatur, videri poteſt S. Thom. ſupra Quæſtio. 23. art. 5. in Corpore & infra Quæſtio. 103. art. 3. ad. 2. Vbi dirimmet Argumentum, quod in præſenti ſoluimus, proponit his verbis: Secundum Philoſophum S. Ethic. Amari ſimile eſt quod eſt Honorari; ſed eadem eſt virtus Charitatis, qua amatur Deus, & qua amatur proximus: ergo Dulia, qua honoratur proximus, non eſt alia virtus à Latria, qua honoratur Deus. Ecce Argumentum; Vide ſolutionem: Ad 2. dicendum, Quod Ratio diligendi proximum, Deus eſt, non enim per Charitatem diligimus in proximo niſi Deum & ideo eadem charitas eſt qua diligitur Deus, & proximus. Sunt tamen alia amicitiæ differentes à Charitate ſecundum alias rationes, quibus homines amantur; & ſimiliter cum ſit alia ratio ſeruiendi Deo, & homini, aut honorandi vtrumque, non eſt eadem virtus Latria, & Dulia. Ecce quomodo præter amicitiam Dei ſunt aliæ amicitiæ differentes à charitate ſecundum alias rationes, quibus homines amantur, & quomodo verificatur Charitatem, & honorem conuenire in eo, quod datur amicitia ad Deum, & aliæ amicitiæ ſpecie diſtinctæ ad creaturas, ſicut datur Religio ad Deum & Dulia ad creaturas.

6 Conueniunt ſecundò in eo, Quod ſicut amatur proximus propter Deum, tanquam propter rationem formalem eadem Charitate, qua Deus in ſe, ita quod Deus in proximo amatur, quæ eſt diſtincta ab amicitia, qua amatur in ſe propter ſe; ita ſimiliter per Religionem, quæ reſpicit cultum Dei in ſe, venerantur Sancti, non propter ſe ipſos, nec propter Sanctitatem perſonalem ipſorum, ſed propter Deum, ita vt Deos in illis Latria Colatur (vt art. 1. late dictum eſt) quæ eſt diſtincta ſpecie à Dulia qua Sancti coluntur propter ſe ipſos. Vnde ſi obiectio non amplius intenderet, facilis erat Solutio concedendo paritatem. Sed Difficultas eſt in aſſignando diſcrimen.

7 Differunt ergo in eo. Quod proximus propter ſanctitatem propriam colitur Dulia, quæ ſanctitas eſt participatio Sanctitatis Dei, & Dulia eſt virtus ſupernaturalis diſtincta à Religione, per quam poteſt venerari proximus propter Deum, tanquam propter rationem formalem. Non tamen poteſt amari Charitate amicitiæ ſupernaturalis propter eandem ſanctitatem, vel bonitatem per ... m, quæ eſt participatio bonitatis diuinæ, tan... propter rationem formalem, amore, & amicitia ſpecie diſtincta ab amore, quo amatur propter Deum. Itaque in linea ſupernaturali datur Religio, & Dulia, duæ virtutes ſpecie diſtinctæ, & non datur duplex Charitas ſupernaturalis, alia ad Deum, & alia ad proximum. Cuius diſcrimen Rationem in eo conſtituit S. Thom. Quod Excellentia Dei non communicatur creaturis, benè tamen Bonitas. Sed hoc tarde intelligit P. Vaſquez, vt ipſe fatetur) Tum Quia ſi vna non communicatur, ergo nec altera, vel è conuerſo: Tum Quia non apparet Ratio quare Religio non reſpiciat Excellentiam Dei vt rationem formalem colendi creaturas, & Charitas reſpiciat bonitatem diuinam vt rationem amandi illas. Quarum ponderationum vim, quia aliquos Modernos vrget, amplius explanabimus, & ſoluemus.

Soluuntur Argumenta.

Primum deſumitur ex D. Thom. Qui in præſenti art. 3. diſtinguere videtur inter Bonum, & Excellens, aſſerens Quod Bonum eſt obiectum amoris, Excellens verò honoris: & Quod Bonitas Dei communicatur, non verò Excellentia. Supra autem Quæſtio. 25. art. 1. ad 2. inquit, Quod obiectum amoris eſt bonum in communi, obiectum Honoris eſt bonum proprium. Ecce ſibi contradicere videtur. Item in 3. ſenten. Diſt 9. Quæſtio. 2. art. 2. in Corp. Diſtinguit Bonitatem ab Excellentia, & aſſerit Bonitatem eſſe obiectum amoris, Excellentiam Verò honoris. Et in 3. ad Anibald. Diſt. 9. Quæſtion. 2. art. 1. in Corp. dicit. Quod honor exhibetur ratione Bonitatis; igitur neo vere nec conſequenter procedit D. S. in hac parte. Quod amplius vrgetur. Quia ſi Excellentia, & Bonitas ſumuntur pro eodem, & Excellentia quædam bonitas eſt, & ponitur in creatura bonitas participata à bonitate exiſtente in Deo, & ratione talis bonitatis dicit loco cit. ad Anibald. Creaturam honorari Dulia propter ſe; Quare ergo bonitas participata non erit ratio vt ametur amore ſupernaturali diſtincto ab amore, quo amatur bonitas Dei per eſſentiam? Ergo ſicut probat S. Thom. diſtinctionem honoris, ſimiliter probatur diſtinctio amoris.

Reſp. ex ſupra notatis. Nullam eſſe contradictionem in D. Thom. Non enim diſtinguit Excellentiam à Bonitate entitatiuè, & ſubſtantialiter, ſed ſolùm formaliter, & ſecundùm rationem terminandi, ſeu quaſi modaliter, quia Excellentia denotat modum ſpecialem, quo bonitas eſt in tali, vel tali ſubiecto, & ideo dixit in Senten Quod honor eſt Excellentiæ abſolutè, id eſt, non ſecundum reſpectum vnius per ordinem ad aliud, quia ab Excellentia in alio exiſtente nullus dicitur Excellens, ſed ab Excellentia propria. Vnde licèt bonitas Dei communicetur tanquam ratio formalis terminandi amorem creaturæ, tamen Excellentia bonitatis non poteſt communicari tanquam ratio formalis terminandi honorem debitum creaturæ: Cuius Ratio euidens eſt. Quia implicat quod dicatur Excellentia Dei, & communicata creaturæ, quia Excellentia ſignificat modum exceſſus. & id quod communicatur non excedit, & ſecundùm quod excedit implicat in terminis communicari.

Similiter in hac 2. 2. Nulla eſt contradictio dum in præſenti art. diſtinguit obiectum Excellens eſſe obiectum honoris, & Bonum obiectum amoris; ſupra autem Quæſt. 25. dicit, Quod bonum particulare eſt obiectum honoris, eſt enim eadem intelligentia, Quia Excellens eſt idem quod bonum particulare, eo quod bonum particulare, hoc eſt, ſecundùm quod eſt appropriatũ, ſeu proprium huius ſubiecti dicitur Excellens tali, vel tali gradu excellentiæ, ſecundùm modum quo in tali ſubiecto

eſt,

eſt, & ideò dicitur Excellentia bonitatis Dei, & creaturæ diſtincta, ſecundùm quod habet diſtinctũ modum In quo ſenſu loquitur S. *Doctor. infr. Q.* 103. *art* 1. *ad* 2. dicens: *Honor non eſt ſufficiens virtutis præmium, ſed nihil poteſt eſſe in humanis rebus, & corporalibus maius honore in quantum ſcilicet ipſa corporales ſunt quæ determinata excellentiæ virtutis. Eſt autem debitum bono, & pulchro vt manifeſtetur, & pro tanto præmium virtutis dicitur honor.* Ecce ponit propoſitiones, quæ obijciuntur vt oppoſitæ, ſcilicet, Quod honor debetur virtuti, & bono, & excellenti virtuti. Vnde conſtat, Quod *D. Thom.* intelligit idem eſſe bonũ, & excellens quantum ad rem, & diſtingui quantum ad rationem formalem terminandi honorem, & amorem.

Secundò *vrgetur paritas.* Quia ſicut homo eſt
8 ſanctus per participationem, & non per eſſentiam ita eſt bonus non per eſſentiam, ſed per participationem: ergo ſicut propter ſanctitatem participatam honoratur Dulia ſupernaturali propter ſe, ita propter bonitatem participatam poterit amari charitate ſupernaturali propter ſe diſtincta à charitate Dei. Vel detur Ratio, quare magis ſanctitas participata eſt ratio ſufficiens honoris diſtincti ab honore Dei, & bonitas participata non ſit ratio amoris diſtincti ab amore Dei, nõ quia ſit Charitas Theologica, ſed quædam Charitas moralis ſupernaturalis: Eſſe enim ſanctum per eſſentiam, & per participationem, eſt ſufficiens principium diſtinguendi duo obiecta, & duas virtutes in linea honoris: Ergo eadem diſtinctio boni per eſſentiam, & per participationem erit ſufficiens principium diſtinguendi duo obiecta, & duas virtutes in linea amoris. Quare ergo hæc diſtinctio in linea amoris eſt materialis, & in linea honoris eſt formalis, & ſpecifica?

Confirm. Sicut datur Dulia naturalis propter
9 excellentiam naturalem creatam, ita datur Amicitia creata propter bonitatem naturalem creatam; Ergo ſicut datur Dulia ſupernaturalis propter excellentiam creatam ſupernaturalem, dabitur etiam amicitia ſupernaturalis propter bonitatem ſupernaturalem creatam. Ergo ſicut proximus honoratur honore Duliæ diſtincto ab honore Religionis, amari etiam poterit amore ſupernaturali diſtincto ab amore, quo amatur propter Deum.

Reſpond. *Omnia dicta recopilando.* Quod boni-
10 tas vt talis ſpecificat amorem in genere cauſæ finalis, & vt ratio finalizandi extrinſeca medijs, quibus cõmunicatur vt appeti poſſint propter finem? Excellentia verò ſpecificat honorem in genere cauſæ formalis. Creatura autem non iudicatur digna veneratione propter excellentiam in alio exiſtentem, ſeù per ordinem ad illam, loquendo de Veneratione, quæ debetur creaturæ rationali, ſecundùm quod propter ſe honoratur, & vt diſtinguitur ab irrationali, & inſenſibili, quæ honoratur propter excellentiam alterius. Amatur ergo proximus tanquam medium in ordine ad Deum vt ad finem, & ideò Deus eſt ra-
11 tio formalis propter quam amatur proximus. Excellentia verò ratione ſui conſiderata non eſt medium, quia in ratione excellentiæ non habet eſſe medium per ſe ordinatum ad excellentiam in alio exiſtentem, & non dicitur tale per denominationem extrinſecam, ſicut medium dicitur bonum a bonitate finis. Et ideò in honore reſpicitur intrinſecum excellentiæ, ſecundùm quod eſt forma afficiẽs ſubiectum in quo eſt, communicando illi dignitatem in gradu ipſius excellentiæ, & per conſequens debitum venerationis correſpondentis.

Secundò *Reſp.* Quòd Charitas ſupernaturalis debet eſſe amicitia, quæ fundetur in communicatione bonitatis ſupernaturalis, & quia talis bonitas non eſt niſi à Deo, ita talis communicatio non eſt niſi à Deo primò, & per ſe, & ideo hæc amicitia debet verſari inter recipientes, & Deum dantem bonitatem in qua communicant, tanquam inter extrema communicationis, & ita primò, & per ſe Deum reſpicit hæc amicitia, alios autem recipientes ſecundariò, & propter Deum. Facta autem tam communicatione Gratiæ, virtutum, & Beatitudinis, hæc omnia appropriantur homini quaſi ſua, quia fiunt principia ipſius, quibus, vt cauſa principalis operatur, quaſi cum Talentis a Deo tradios. Et ita 1. 2. *Quæſt.* 101. *art.* 2. & alibi ſæpe, ait *S. Thom.* Quod in infuſione gratiæ Deus eſt operãs, & homo cooperans; at verò poſtea in actione meritoria homo eſt operans, & Deus cooperans. Sic igitur Amicitia, quæ fundatur in communicatione gratiæ, & donorum debet eſſe ad Deum infundentem primò, & per ſe? Veneratio verò quæ datur Sanctis, quia Sancti ſunt, & benè vtuntur, & operantur gratia accepta terminatur ad ipſos tanquam ad principales Operatores.

Exemplum aliquale adhiberi poteſt in pluribus
filijs ab vno Patre genitis, in quibus eſt virtus Pie- 12
tatis principaliter ad Patrem, & etiam ad fratres propter conuenientiam in Patre tanquam in principio. Itaque non eſt alia Pietas, qua filius reſpicit Patrem, & fratres, ſed eadem reſpicit generantem, & congenitos ſecundùm quod dicunt ordinem ad illum. Amicitia enim etiam eſt conſanguineorum. Sicut ergo eadem Pietas eſt ad Patrem, & fratres, & eadem amicitia naturalis, fũdata in generatione naturali primò, & per ſe reſpicit generantem, & ſecundariò congenitos: Ita in regeneratione ſupernaturali, quæ per gratiam incipit, & conſumatur per gloriam, amicitia, quæ in communicatione gratiæ, & gloriæ fundatur, primò, & per ſe eſt ad Deũ Patrem generantem nos, & ſecundariò ad creaturas in gratia congenitas.

Tertio *Reſpon.* Quòd charitas eſt amicitia, ami- 13
citia autem (vt a concupiſcentia diſtinguitur) taliter eſt ad perſonam; quod eſt propter Perſonam tanquam propter rationem formalem, & bonitas in amico volita non eſt ratio formalis amicitiæ, ſed quid concupitum amico. At verò Honor taliter eſt ad perſonam, quòd ratio honorandi eſt bonitas, ſeu excellentia in perſona reperta, & ideo iuxta diuerſas Excellentias in eadem perſona diuerſificantur cultus ſpecie: Perſona autem creata quantumuis bonitatem ſupernaturalem habeat non eſt capax ſpecificandi amicitiam ſupernaturalem, ſed naturalem ſolùm, vnde ſi ad eam terminatur, neceſſe eſt quod propter aliam Perſonam ſupernaturalem terminetur, & hæc eſt Charitas Theologica. Honor verò cùm reſpiciat, vt rationem formalem Excellentiam, non perſonam, & illa ſit diſtincta in creatura, etiam Honor terminatus ad creaturam eſt diſtinctus ab Honore Deo debito. Per quod patet etiam ad Confirmationem.

ARTI

Articvlvs V.

Vtrum Religio ſit virtus Theologica, & Quomodo virtus Theologica habeat pro obiecto immediate Deum.

1 Circa titulum aduerte; illum terminum *Theologica*; dicitur enim virtus Theologica quaſi virtus de Deo, & dicitur de Deo vt notat *S. Thom.* 1. 2. *Quæſt.* 62. *art.* 2. ſecundùm triplicem reſpectum, ſcilicet, ſecundum reſpectum cauſæ formalis in quantum habet Deum pro obiecto, obiectum autem eſt forma ſpecificans. Et ſecundùm reſpectum cauſæ finalis, in quantum per virtutem Theologicam ordinamur ad Deum immediatè, vt ad finem ſupernaturalem. Et in genere cauſæ efficientis, inquantum eſt ex ſola infuſſione Dei. Dicitur etiam *Theologica*, quia per ſolam diuinam reuelationem agnoſcimus has virtutes. Et ly *Theologica* ſumitur à *D. Thom.* in præſenti quaſi genericè. Ita quod Quæſtio eſt, An Religio contineatur ſub genere virtutis Theologicæ, tanquam ſpecies aliqua illius præter tres Theologicas, quæ ſunt *Fides Spes, & Charitas*? Nam quod religio non ſit aliqua ex illis tribus notum relinquitur *Tum.* ſe ex ipſo obiecto Religionis hîc explicato, quod conſtat diſtingui ab obiecto illarum trium: *Tum* quia ſupponebat *S. Thom.* ſe hoc tractaſſe in citato loco *ex* 1. 2. vbi *art.* 2. & 3. oſtendit virtutes Theologicas diſtingui à Moralibus, & intellectualibus, & eſſe tres inter ſe diſtinctas.

2 *Vnica Concluſione* reſpondet *S. D.* Religio non eſt virtus Theologica, ſed moralis. *Probat.* Virtus Theologica eſt illa, quæ habet pro obiecto vltimum finem ſeu Deum: virtus autem moralis eſt circa ea quæ ſunt ad finem: ſed Religio non reſpicit Deum vt obiectum, ſed tantum vt finem ad quem eius obiectum ordinatur: Ergo non eſt virtus Theologica, ſed moralis. *Maior* ſupponitur à *D. Thom.* ex ipſis definitionibus harum virtutum, & breuiter declaratur. Quia diuerſæ virtutes morales verſantur circa diuerſa obiecta regulata regulis rationis: finis autem vltimus hominis eſt regula humanorum actuum, non autem regulatum: & ideo virtus moralis non verſatur circa finem, ſed circa regulatum à fine. Cum autem homo eleuatus ſit, & ordinatus ad finem ſupernaturalem, neceſſe eſt, quod habeat aliquem actum, & inclinationem immediatè circa ipſum finem; aliàs nunquam ordinaret aliqua ad talem finem. Sicut ſi intellectus non attingeret aliquo actu immediatè principia, nunquam mediantibus illis attingeret concluſiones. Attingere autem finem immediatè, eſt habere illum pro obiecto quia ad obiectum immediatè terminatur actus, & talis dicitur virtus Theologica, quæ immediatè verſatur circa Deum finem vltimum ſupernaturalem. *Minor verò probatur.* Religio habet ex ſui ratione reddere Deo debitum cultum; vnde habet duo, ſcilicet *cultum*, quem reddit, & id, cui reddit, ſcilicet *Deo* præſtare: ergo, ex parte eius quod reddit, clarum eſt, quod non habet Deum pro obiecto, & materia. Ex parte autem eius Cui reddit, non attingit Deum, vt obiectum, quia cultus non exhibetur Deo per hoc, quod ille actus attingat Deum, ſicut quando credimus Deo attingimus ipſum Deum, quia obiectum formale attingendi eſt veritas prima in ſe, quæ eſt ipſe Deus, ſed cultus exhibetur per hoc quod aliquid fit in reuerentiam Dei. Obiectum autem eius, quod fit in ordine ad Deum, non eſt ipſe Deus, ſed res facta propter Deum. Sicut ars; quæ facit veſtem in vſum hominis, non habet pro obiecto hominem, ſed veſtem, & pro fine hominem. Sic ergo Religio habet pro obiecto id, quo Deus colitur, & pro fine Deum.

Vt *penetretur* Vis, & efficacia huius rationis 3 expendenda nobis accuratè eſt veritas vtriuſque propoſitionis, quæ à *D. Thom.* aſſumitur in *Maiori*, & in *Minori.* Et maior quidem propoſitio, ſcilicet virtutem Theologicam habere Deum pro immediato obiecto, & materia, difficultatem habet. *Tum* Quia multi actus virtutum Theologicarum non habent Deum pro obiecto immediato, & *quod*, ſed *cui*. *Tum* Quia multi, qui habent Deum pro obiecto immediato nõ ſunt actus virtutis Theologicæ; Ergo illa propoſitio vndique inſtatur. *Anteced. probatur quoad primam partem.* Nam per fidem aliquando credimus vt obiectum quod, & materiam res creatas; vt quando credimus Diluuium fuiſſe, & Abraham habuiſſe filium, &c. Tunc enim res credita eſt aliquid temporale, & ſolùm ille, cui credimus eſt Deus, non quod credimus. In virtute etiam Spei actus quo ſperamus gratiam in hac vita, non habet pro re ſperata Deum, & conſequenter neque pro obiecto *quod*.

Si *dicatur* hæc omnia materialiter ſe habere 4
in his virtutibus, formaliter autem ſolùm Deum attingere: Hoc eſt, quod Argumentum intendit, ſcilicet non requiri ad virtutem Theologicam, quod eius materia, ſeu obiectum circa quod ſit Deus, ſed ſufficit, quod ſit aliquid creatum in ordine ad Deum. Et hoc ſimiliter inuenitur in Religione, quòd eius materia ſit aliquid creatum, & formale ſumatur in ordine ad Deum. *Adde* quod ſpes pro formali non ſperat immediate Deum in ſe, ſed aſſecutionem Dei, vt tenet ſe ex parte noſtra; ſperat enim aliquid futurum, & aliquid arduum nobis, & poſſibile. Deus autem in ſe ipſo neque eſt futurus, neque arduus, neque eſt poſſibilis nobis, ſed ſolùm eius aſſecutio. Vnde, & amor concupiſcentiæ, in quo fundatur ſpes, & delectatio boni habiti, in quo terminatur non habent pro obiecto rem aliquam in ſe, ſed vſum eius. Non enim qui concupiſcit vinum, vult illud in ſe, ſed vſum eius. Saluatur ergo actus virtutis Theologicæ per hoc, quod immediatè attingat aliquid creatum, & mediatè Deum. Sicut etiam patet in actu charitatis, quando amat proximum, aut vult aliquid creatum Deo, vt honorem, aut ſalutem animæ, &c.

Quoad ſecundam partem probatur Antecedens. 5
Nam Donum Timoris habet Deum pro obiecto immediato, & ſimiliter Theologia noſtra habet immediatè agere de Deo, & tamen neutra eſt virtus Theologica Ergo.

Non minori caret difficultate minor propoſitio 6
aſſumpta à *D. Tho.* ſcilicet Religionem non reſpicere Deum vt obiectum, ſed tantùm vt finem. *Contra hoc enim Primò obijcitur.* Quia ſicut Bonitas, & veritas diuina medio aliquo actu attingibilis eſt vt obiectum, ita Excellentia aliquo actu

actu attingibilis eſt vt obiectum: nullo autem alio quam Religionis attingi poteſt. Quia ſola Religio reſpicit diuinam Excellentiam, & hoc ſufficit, vt dicatur virtus Theologica. Sicut enim fides, quæ attingit Deum vt reuelantem, & ſpes vt auxiliantem ad aſſecutionem ſui dicuntur Theologicæ virtutes; Cur non etiam Religio quæ reſpicit Deum vt excellentem, Theologica Virtus erit?

6 Confirmatur. Quia Religio non habet ſolum pro actu velle honorare Deum, & offerre illi actum, quo honoratur, ſed ipſe actus honoratiuus eſt actus Religionis; actus autem honoratiuus Dei non habet aliquod obiectum immediatum, quod reſpiciat, niſi ipſam excellentiam Dei, quem honorat. Sicut ſcilicet velle genuflectere Regi habet pro obiecto *quod* genuflexionem, & pro obiecto. *Cui* Regem; tamen ipſe actus genuflexionis, vt honoratio eſt, non habet aliud obiectum, quod reſpiciat, niſi regem, quem honorat. Et ſimile eſt de actu interiori, quo reſpicimus immediatè excellentiam Dei. Et præſertim vrget hoc in actu Orationis, quo petimus à Deo ipſum Deum; tunc enim, & res petita, & id à quo petitur, eſt Deus, & tamen ille actus eſt Religionis.

7 *Secundò obiicitur.* Quia Deus intrat rationem obiecti ſpecificatiui Religionis, ergo etiam obiecti immediati; & non tantum finis. *Antecedens patet.* Nam *D. Thom. in 4. ſent. diſt.* 14. *Q.* 1. *art.* 1. *Quæſtiun.* 4. *ad* 2. expreſſe dicit quod Deus eſt finis proximus Religionis: actus autem morales ſumunt ſpeciem à fine proximo, vt dicit idem *S. D.* 1. 2. *Q.* 1. *ar.* 3. Et probatur hoc ipſum ratione à *Suar. li.* 1. *de Relig. c.* 3. Nam Religio eſſentialiter eſt virtus ad alterum, & non ad alterum in communi, ſed determinatè ad Deum, Sicut pietas ad parentes, & iuſtitia ad proximum: ergo ſicut iuſtitia reſpicit proximum vt obiectum, & vt aliquid intrinſecum ſpecificans, ſic & Religio Deum, nec ſolùm vt obiectum, & finem remotum, ſed vt proximum. Non enim ita remotè, & extrinſecè reſpicit Religio Deum, ſicut Temperantia, aut fortitudo, quæ habent Deum pro fine vltimo, & remoto. Religio autem ea ſua intrinſeca ratione, & quaſi eodem affectu, quo reſpicit cultum, reſpicit Deum: Ergo Deus eſt finis eius intrinſecus, & ſpecificans, non extrinſecus.

8 Pro *Luce huius* rationis *D. Thom.* Duo ſolùm notanda ſunt: *Primum* ex ipſo S.D. in 3. diſt. 24. Q. 1. ar. 1. Quæſtiun. 1. in Corp. *Quod in obiecto alicuius potentiæ tria contingit conſiderare, ſcilicet, id quod eſt formale in obiecto, & id quod eſt materiale, & id quod eſt accidentale, ſicut patet in obiecto viſus quia formale in ipſo eſt lumen, quod facit colorem viſibilem actu: materiale verò ipſe color, qui eſt potentia viſibilis. Accidentale verè, ſicut quantitas, & alia huiuſmodi, quæ colorem comitantur, & quia vnumquodque agit ſecundum quod eſt in actu, & per ſuam formam; obiectum autem eſt actiuum in virtutibus paſſiuis, ideo ratio obiecti, ad quam proportionatur potentia paſſiua, eſt id quod eſt formale in obiecto & ſecundum hoc diuerſificantur potentiæ, & habitus, qui ex ratione obiecti ſpeciem recipiunt.* Ex quibus colligitur. Quod ſi iſta tria concurrunt in obiecto potentiæ, vel habitus, benè poſſunt omnia tria concurrere in obiecto immediato, & proprio talis potentiæ, aut habitus, & conſequenter impoſſibile eſt, quod ordo, & ratio obiecti immediati, & mediati ſumātur ex concurſu, & ordine iſtorum trium, quæ ad rationem obiecti concurrunt. V. g. in potentia viſiua, color lucidus extenſus non facit duo obiecta, vnum immediatum, aliud mediatum, quaſi lux ſit obiectum immediatum viſus, color vero, aut quantitas mediatum. Sed omnia illa tria pertinent ad rationem vnius obiecti completi, & perfecti reſpectu viſus. Deinceps verò obiectum mediatū erit aliquid præter obiectum, quod ex illis tribus, tanquam ex materia, & forma, & conditione requiſita reſultat; puta obiectum mediatum viſus erit motus, aut figura, quæ ſunt ſenſibilia communia, aut ſubſtantia, quæ eſt viſibilis per accidens, & mediatum reſpectu viſus.

Et *huius* ratio redditur optimè à *Caietano* 2. 2. 9
Q. 17. *art.* 3. §. *Ad ſecundum*, Quia non poteſt eſſe diſtinctio obiectorum mediati, & immediati niſi vbi ad minus duo obiecta non ſunt. Cum autem diſtinctio quæcumque ſumatur ex forma, conſequens eſt, vt ibi tantùm diſtincta obiecta ſint, vbi ſunt diſtinctæ rationes obiectorum. Sicut ibi tantum ſunt duo agentia, vbi ſunt duæ rationes agendi. Nec volumus dicere per hoc, quod obiectum mediatum, & immediatum ita debeant diſtingui ſecundùm diuerſas rationes obiectorum, quaſi in obiecto mediato inueniatur alia ratio formalis, quam in obiecto immediato: Cum conſtet, quod obiectum mediatum attingitur à potentia mediatè ratione formali obiecti immediati, non verò per aliam rationem formalem diſtinctam. Sed quod dicimus eſt, quod vt obiectum aliquod dicatur mediatum, debet eſſe res aliqua ſupponens obiectum conſtitutum quoad illa tria, quæ concurrunt ad rationem obiecti, & tunc mediante obiecto iſto conſtituto, & ratione eius formali attingatur.

Secundò *aduertendum eſt*. Quod virtutes, quæ 10
ſunt ad alterum & verſantur circa operationes differunt ab his, quæ non ſunt ad alterum, & verſantur circa paſſiones in eo quod bonum, & malum in his quæ ſunt ad alterum, ſumitur per commenſurationem ad illum, cui debetur, non verò ex ordine ad ipſum agentem, qui eſt ſubiectum virtutis, vt dicit *S. Thom.* 1. 2. *Quæſt.* 60. *art.* 2. & 2. 2. *Quæſt.* 57. *art.* 1. Ex qua radice duo naſcuntur, primum, quod illud bonum quod reſpiciunt virtutes ad alterum, id eſt, debitum, non poteſt eſſe bonum finis vltimi, quia bonum finis vltimi eſt bonum regulans, & menſurans omnia, non autem regulatum, & menſuratum per ordinem ad alterum, aliàs non eſſet vltimus finis. Bonum autem quod recipit virtus ad alterum, habet rationem recti, & boni moralis per commenſurationem ad alterum, in ordine ad quem conſtituitur bonum, & rectum. Vnde implicat, quod illud, quod eſt bonum vt debitum, ſit primum bonum, & prima regula cæterorum, & vltimus finis.

Secundum *quod deducitur eſt* Quod perſona illa 11
in ordine ad quam eſt debitum propriè loquendo, non poteſt ſe habere vt obiectum ſaltèm immediatum virtutis, quæ eſt ad alterum, ſed vt aliquid à quo ratio obiecti depender, vt à termino; eo quod tale obiectum eo ipſo quod eſt debitum, eſt bonum quaſi relatiuum, & non omnino abſolutum. Et hac ratione poteſt dici perſona illa obiectum mediatum, ſi conſideretur vt res, quædam mediate bono debito attingibilis. *Ratio huius eſt.* Quia obiectum virtutis moralis debet eſſe bonum morale; perſona autem, cui redditur debitum, fundat quidem, aut terminat debitum, quod eſt bonum morale, non tamen eſt ipſum bonum morale virtutis. Vnde quantumcumque perſona cui reddimus debitum ſit mala moraliter in ſe, tamen reddere

dere ei debitum bonum eſt. Igitur perſona non ſe habet vt ratio, & obiectum bonitatis moralis, ſed qualitercumque ſe habeat, dummodo fundet, aut terminet debitum, virtus reſpiciens illud, erit bona moraliter.

12 Imò *Addo*. Quod per ſe loquendo, perſona, cui debetur aliquid, non ſe habet vt finis debiti ex ratione fundandi, & terminandi illud quia prout ſic non reſpicitur, vt bonum, ſed vt fundans debitum. Vnde Religio ſecundùm quod reſpicit illum directè vt finé, quia non reſpicit illud, vt bonum, ſed vt Excellentem, & in ipſa excellentia non reſpicit rationem bonitatis, quæ ſola eſt finis, ſed rationem fundandi, & faciendi ſibi debitum cultum. Non ergo formaliter reſpicit vt finalizantem; quia nec formaliter reſpicit vt bonum. Quare obiectum *Cui* alicuius debiti, neque eſt obiectum, neque finis per ſe loquendo talis debiti, & redditionis eius. Sed dicitur Deus eſſe finis Religionis, non quatenus eſt obiectum *Cui*, & fundat debitum præciſe, ſed quatenus ipſa excellentia Dei, quæ fundat debitum reſpectu Religionis, induit rationem boni, & finis, & finalizat ipſum actum Religionis, ſicut & aliarum virtutum; ſed tunc iam non exiſtit obiectum Religionis, quia hæc non reſpicit excellentiam Dei vt bonum, ſed exiſtit obiectum Charitatis, quæ reſpicit *Deum* vt bonum, & ad illum vt ad finem ordinat actum Religionis, licet proximiùs quàm actus aliarum virtutum. Ex quibus colligitur quod Deus non eſt obiectum mediatum virtutum Theologicarum cum non ſupponant aliam rationem obiecti prius conſtitutam, qua mediante attingatur ab his virtutibus, ſed primum quod attingunt eſt Deus obiectus, vt finis vltimus. Nec Religio habet Deum pro obiecto immediato, ſed debitum reddendum Deo, & ita reſpicitur Deus vt fundans, & terminans debitum, non vt ipſum bonum immediatum, & proprium Religionis, quod eſt bonum morale commenſuratum alteri cui debetur, non verò bonum diuinum. Et ſic manet vtraque propoſitio. *D. Thom.* firma. Quod melius explicabimus ex ſolutione argumentorum.

Soluuntur Argumenta.

AD *id quod* contra maiorem propoſitionem obiicitur, *negatur antecedens* pro vtraque parte. *Ad probationem primæ partis*. Reſpondetur ſolutionem ibi datam eſſe bonam, quæ ſumitur ex *D. Thom.* 2. 2. *quæſt.* 1. *art.* 1. *ad* 1. Et ad replicam Reſpondetur, Quod quando credimus rem creatam Deo reuelante, non ſe habet Deus vt obiectũ *cui* quaſi extrinſecè terminans, aut fundãs veritatem quam credimus, ſed vt conſtituens, & dans ipſam veritatem credenti, quia intellectus non mouetur propter veritatem dicentis rem creatam. In redditione autem debiti mouetur voluntas ad reddendum propter bonitatem, & æquitatem rei debitæ, non propter bonitatem perſonæ, cui reddit. *Et quando dicimus*. Quod res creata ſe habet materialiter in obiecto fidei, non intelligimus per ly *materialiter* materiam circa quam (hæc enim eſt obiectum integrum habitus, vel potentiæ) ſed ly *materialiter* diſtinguitur contra *formaliter ſe habere*, ita quod eſt materia ſuſcipiens formalem rationem, qua reſpiciat talem habitum, vel potentiam. Sicut in viſu homo, aut lapis non ſunt materia circa quam viſus, ſed habent ſe materialiter ad viſum, quia ſuſcipiunt rationem colorati, & vlterius rationem lucidi, & ſic fiunt viſibilia. Similiter in fide materia circa quam eſt Deus teſtificatus à Deo, res autem creata, vt ſuſcipit ordinationem ad Deum, quaſi materia talis ſuſceptionis trahitur ad materiam circa quam, & quatenus manifeſtatur teſtimonio diuino fit formaliter credibilis. Idem dicimus reſpectu ſpei, quidquid enim creatum eſt, ſolum poteſt eſſe res ſperata, quatenus ordinatur ad Deum, vt ad bonum ſperatum. Res ergo ſperata formaliter eſt Deus & aſſecutio, vel auxilium eſt conditio, vt ſit ſperatus, & ita pertinet ad obiectum immediatum ſpei, vt conditio. non verò aſſecutio, & Deus ſe habent vt obiectum mediatum, & immediatum.

Et *quando dicitur*; Quod ſpes reſpicit arduum, & futurum, quod non conuenit Deo in ſe, ſed aſſecutioni eius. *Reſpondetur.* Non eſſe neceſſarium, quod iſtæ conditiones *Futuri*, *ardui*, *&c.* teneant ſe ex parte obiecti ſperati, ſed ſufficit, quod teneant ſe ex parte ſubiecti ſperantis, vel aſſecutionis rei. Vide *D. Thom.* 1. 2. *quæſt.* 40. *art.* 6. Dicit quod in iuuenibus, & ebriis, & ſtultis abundat ſpes, quia iuuenes (qui quidem ſe habent vt ſubiectum ſperans) habent multum de futuro. & parum de præterito; ſpes autem eſt futuri, & ideo multum viuunt in ſpe. Et ſimiliter propter inexperientiam æſtimant ſibi aliquid de facili poſſibile. Sicut ebrij, & ſtulti propter defectum rationis, & ideo omnia tentant, & de omnibus habent ſpem. Non eſt ergo neceſſe, quod iſtæ conditiones teneant ſe ex parte rei ſperatæ, aliàs non poſſet quis ſperare vt obiectum proprium ſpei aliquid exiſtens in rerum natura. Sufficit ergo quod ſit futurum non ex parte rei ſperatæ in ſe, ſed comparatione ſubiecti, & aſſecutionis rei. 2

Ad *id quod* dicitur de concupiſcentia, in qua fundatur ſpes, quod habet pro obiecto bonum intrinſecum ei, cui concupiſcitur. *Reſpondetur.* Id eſſe falſum, vt latè oſtendit. *Caietan.* 2. 2. *quæſt.* 17. *artic.* 5. Licèt enim concupiſcens vinum, concupiſcat potum vini, non tamen concupiſcit potum, & vinum vt duo obiecta, ſed vt vnum; ita tamen quòd vinum ſit materia, & obiectum concupitum, potus verò, ſeu coniunctio ad vinum, ſecundùm quod eſt conſecutio concupiti, ſe habet vt conditio. Et in vniuerſum quodcumque obiectum concupiſcentiæ appetimus vt bonum noſtrum. Sed aliud eſt ratio qua eſt bonum noſtrum, & qua delectat; aliud eſt conditio ſine qua non eſt noſtrum. Ratio enim quare eſt bonum noſtrum, eſt bonitas intrinſeca rei, propter quam appetitur à nobis, conditio autem ſine qua non eſt bonum noſtrum, eſt actio, qua coniungitur, & conſequitur à nobis. Spes ergo non habet mediatè attingere Deum, quia mediante aſſecutione attingit, quia aſſecutio non eſt obiectum prius ſperatum quo mediante attingatur Deus, ſed conditio proprij, & immediati obiecti. Sicut neque attingit illum mediante auxilio paſſiuè accepto, vt tenet ſe ex parte noſtra. Sic enim eſt conditio Dei auxiliantis, vt attingitur à ſpe; ſed vt actiuè tenet ſe ex parte Dei, & eſt ipſe Deus auxilians. 3

Ad *id quod dicitur* de Charitate, quãdò amamus proximum. Conſtat ex dictis amari proximum vt obiectum mediatum, & ſecundarium Chari- 4

tatis, quia ſupponit aliud obiectum priùs amatum, ſcilicet Deum, quo mediante amatur proximus. Vnde nunquam per charitatem diligitur proximus, ſine hoc quod ametur Deus formaliter, vel virtualiter.

5 Ad *ſecundam partem antecedentis Reſpondetur*, Quod *S. Thom. 2. 2. Quæſt. 19. art. 9. ad 3.* dicit ideò Timorem non eſſe virtutem, quia principale eius obiectum, eſt malum, quod quis refugit, virtus autem per ſe ordinat ad bonum, non verò principaliter refugit malum, quod quidem ſi diceretur ſolùm de timore, quia eſt paſſio, nullam haberet difficultatem. Cæterùm de Timore, qui eſt Donum Spiritus Sancti, difficilius eſt quia ipſemet *D. Thom. 3. part. Quæſt. 7. art. 6. ad 1.* ait. *Quod habitus virtutum, & donorum propriè, & per ſe reſpiciunt bonum, malum autem ex conſequenti. Et ideò de ratione doni Timoris* (inquit) *non eſt illud malum, quod reſpicit timor, ſed eminentia illius boni ſcilicet diuini, cuius poteſtate aliquod malum infligi poteſt.* Et ideò dicendum eſt, Quod timor, qui eſt donum, duplici ratione non eſt virtus, etiam Theologica. *Primò* quidem ex generali ratione, qua dona differunt à virtutibus etiam Theologicis, quia dona non coniungunt hominem Deo, ſicut virtutes Theologicæ, ſed diſponunt illum, vt ſit facilè mobilis a Spiritu Sancto. Nec per illa mouetur homo ad bonum modo humano, ſed modo diuino, quod eſt vltra modum virtutis, quæ propriè eſt virtus, vt dictum eſt ſuprà. Et quia timor per modum Doni facit non reſpicere Deum non eſt virtus Theologica.

6 Secundò *ex ſpeciali ratione* Quia Donum Timoris non reſpicit Deum abſolutè, & purè, ſed quaſi relatiuè, & cum quadam comparatione, reſpicit enim diuinam eminentiam, quæ habet poteſtatem infligendi malum. Diuina autem eminentia non conſideratur niſi in ordine ad noſtram paruitatem, ſupra quàm in infinitum eminet Deus. Et ideò ſi Donum timoris reſpiceret eminentiam diuinam, & non propriam paruitatem comparando vnum alteri, non tenderet in Deum timendo, & reuerendo, & reſiliendo à diuina eminentia in propriam paruitatem. Non ergo habet Deum ſolùm pro obiecto, ſed Deum comparatum paruitati noſtræ, prout poſſumus ab eo ſeparari, quantum eſt ex vi poteſtatis diuinæ, & ſic fertur in Deum non motu abſoluto, & recto, ſed motu reuerentiæ, qui eſt reſiliendo in propriam paruitatem. Vnde dixit *S. Thom. in Quæſt. 1. de virt. art. 12. ad 11.* Quod Timor reſpicit pro obiecto aliquid aliud quàm Deum, vel pœnam, vel propriam paruitatem ex cuius conſideratione homo reuerenter ſe Deo ſubiicit, id eſt, non ſolùm Deum habet pro obiecto, ſed etiam propriam paruitatem, cui comparat Deum. Et ratione huius reſilientiæ, & motus reuerentialis, qui tendit ad Deum, dicitur aliquando à *D. Thom.* reſpicere principaliter fugam mali, quia principaliùs in hoc explicatur, & manifeſtatur modus timendi; non quia hic actus ſit principalis quoad ſubſtantiam Doni timoris.

7 *Ad id quod dicitur de Theologia*: *Reſpondetur*, Quod Theologia eſt de Deo mediatè, & virtualiter, ſcilicet ſecundùm quod veritas diuina Theologica deducitur ex principiis, quæ immediatè attingunt Deum, & etiam ſecundùm quod in Theologia cognoſcitur Deus per ſpecies creatas, & extra verbum, quia concluſiones Theologicæ etiam in Patria non cognoſcuntur in Deo, ſed ex Deo deducuntur. Species autem creatæ nunquam immediatè repræſentant Deum in ſe, ſed in ſuis effectibus.

Ad *ea quæ contra minorem propoſitionem obyciebantur*. Ad primum reſpondetur negando ita eſſe 8
attingibilem Excellentiam diuinam ab actu Religionis, vel a quocunque alio reddente debitum tali excellentiæ, ſicut veritas, & bonitas diuina attinguntur a virtutibus Theologicis. *Cuius ratio eſt.* Quia virtus reddens debitum alicui, ſolùm habet pro obiecto adæquato reddere debitum ei, cui debet: ad hoc enim tantùm ordinari poteſt. Reddere autem debitum alicui ex hoc habet rationem boni, vt *ſupr. art. 2.* dixit D. *Thom.* Quia per hoc, quod aliquis alicui debitum reddit, conſtituitur in proportione conuenienti reſpectu ipſius, quaſi conuenienter ordinatus ad ipſum. Proportio ergo conueniens, ſeu æquitas inter debitorem, & illum, cui debet, eſt bonum quod per ſe reſpicitur à virtute reddente debitum: ergo ipſa excellentia perſonæ, ratione cuius ei debetur aliquid, non eſt bonum quod reſpicitur a tali virtute, nec bonum quod redditur, & conſequenter neque obiectum eius, quia obiectum virtutis ſolùm eſt bonum, in quo inuenitur medium, & æquitas rationis in aliqua materia. Et ideò Excellentia perſonæ ſolùm ſe habet vt terminus, aut fundamentum eius boni, quod reſpicitur à tali virtute, quia cum virtus reddens debitum habeat pro obiecto non bonum abſolutè, ſed bonum debitum, quod eſt bonum quaſi relatiuè, ideò oportet, quod tale bonum habeat aliquem terminum, aut fundamentum, quod quidem non ſe habet vt obiectum talis virtutis, ſed vt aliquid à quo dependet obiectum. Virtus autem non reſpicit pro obiecto immediato omne id, à quo dependet obiectum ſuum, aliàs omnis virtus haberet Deum pro obiecto, quia omne bonum, & obiectum virtutis dependet à Deo.

Et ideo optimè intelligitur *D. Thom.* in præſen- 9
ti. Quod quia cultus refertur Deo per hoc, quod aliquid fit in reuerentiam Dei, ideò Deus non attingitur actu colendi tanquam obiectum, quia Deus non eſt id quod fit in reuerentiam Dei, ſed id à quo pendet hoc obiectum, ſcilicet *Cultus*, quia cùm ſit debitum in ordine ad aliquem, debitus eſſe debet. At verò bonitas, & veritas diuina in virtutibus Theologicis non reſpiciuntur, vt *cui* redditur aliquod debitum, ſed vt obiectum immediatum, quia attingitur ab illis Deus vt finis vltimus coniungendo nos illi. Finis autem vltimus eſt ipſe Deus in ſe, non debitum, ſeu proportio facienda inter Deum *Cui* debetur, & hominem *Qui* debet, ſicut facit Religio. Hoc ergo differt inter actum Religionis, & virtutis Theologicæ, quod actus Religionis attingit Deum reddendo ei debitum; & ita non attingit directè Deum, ſed debitum. Vnde honorare Deum non eſt reſpicere illum immediatè, ſed reddere ei cultum debitum. Actus autem virtutis Theologicæ attingit Deum non reddendo ei aliquid debitum, ſed immediatè attingendo vt finem, & ita reſpicit bonitatem eius in ſe, aut veritatem Dicentis formaliſſimè, non bonitatem redditionis debiti.

Ad *Secundum Reſpondetur Concedendo*. Quod 10
actus Religionis non eſt ſolum, velle honorare Deum, ſed actus ipſe honoratiuus, hic autem non habet pro obiecto Deum, ſed id quod debetur Deo, ſicut genuflexio habet ſubiicere hominem Deo adorando, & ita habet pro obiecto

non

non Deum, ſed ſubiectionem hominis ad Deum quam in exercitio exhibet. Sicut reddere pecuniam non habet homo pro obiecto eum, cui reddit, ſed ſolutionem debiti, quæ in pecuniis exhibetur. In actu autem Orationis, quo petimus à Deo ipſum Deum, ſi conſideremus iſtum actum, vt eſt præciſe à Religione, non habet pro obiecto Deum, quem petimus, ſed ſubiectionem mentis noſtræ ad Deum in petendo, ſiue id quod petimus ſit Deus, ſiue aliquid aliud; exhibet enim oratio in petendo, & inuocando, honorem Deo, iuxta illud Pſalm. 49. *Inuoca me in die tribulationis, & honorificabis me.* Sed deceptio in hoc contingit. Quia non diſtinguimus inter id quod Oratio exhibet Deo, & id quod deſiderat obtinere à Deo. Quod enim deſiderat obtinere, aliquando eſt ipſe Deus, aliquando aliquid temporale &c. Et hoc non eſt obiectum Orationis, ſed Deſiderij ex quo aliquis mouetur ad orandum. Quod autem Oratio exhibet Deo, eſt ſubiectio mentis ad Deum, profitendo ſe indigere illo, ſicut Authore ſuorum bonorum, & hoc eſt obiectum Orationis, ſcilicet, id quod exhibetur ab ea de quo vide *S. Thom. infra Q.* 83 *ar* 3.

51 Ad *Secundam, & vltimam rationem*, Negatur antecedens, ſi intelligatur de ſpecificatiuo directè, & immediatè. *Ad cuius primam probationem Reſpondetur.* Quod apud *D. Thom.* Finis non ſpecificat actum, niſi in quantum eſt obiectum eius, quod ſpecificat, vt conſtat ex *Loco citato ex* 1, 2. in iſto argumento, vbi *D. Thom.* probat actus humanos ſpecificari ex fine quia obiectum voluntatis eſt bonum, & finis. Et aduertit ibi Caietanus D. *Thom.* proceſſiſſe formaliter, quia finis inquantum finis etiam eſt obiectum voluntatis. Et ita idem eſt ſpecificari ex fine actum voluntarium, inquantum voluntarius eſt, atque ex obiecto.

52 Quod etiam videre eſt 1. 2. *Q.* 18 *art.* 6. Vbi oſtendit *D. Thom.* aliquem actum eſſe bonum, aut malum ſecundùm ſpeciem ex fine, quando finis ſe habet vt obiectum actus. In præſenti autem Deus non eſt finis Religionis, etiam proximus, tanquam obiectum, & vt aliquid attingibile ab actu Religionis, vt dicit *S. Thom.* ſed obiectum eius eſt cultus Dei. Et ita in Religione Deus non eſt *finis obiectus*, ſed *finis obiecti*, quia videlicet obiectum Religionis, id eſt, *cultus*, habet pro fine Deum, & hoc dupliciter. *Vno modo*, ex eo quod hoc Debitum, quod Reſpicit Religio, oportet quod fundetur in Deo, quia ratione eius excellentiæ ei debetur: & quod terminetur ad Deum; quia ei redditur. Et hoc modo propriè non ſe habet Deus vt finis, quia creditor propriè non eſt finis debitoris, aut debiti, ſed intrat ipſam conſtitutionem, ſicut terminus in conſtitutione relationis, debitum enim relatiuè dicitur ad eum cui debetur. *Alio modo* Deus eſt finis obiecti Religionis, vt *finis cuius gratia*, & vt exercens cauſalitatem finalem, quia honor præſertim ad Deum, exhiberi debet propter ipſum honoratum, non propter alterum, ſed hoc ipſum quod reddatur propter honoratum, non eſt ex ratione Religionis præciſè, ſed ex affectu, & amore ad Deum, vel perfecto, vel imperfecto, quia vt dicit *Philoſ. Ethicor.* 8. *Honorari proximum eſt ei quod eſt amari.* Et ita quia Deus amatur reddimus ei cultum debitum propter ipſum Deum amatum. Et hoc modo dicit *S. Thom.* Deum eſſe finem proximum Religionis, non proximum, id eſt, immediatum per modum obiecti, ſed extra rationem obiecti ſe habens, tanquam finis ſolum finalizans, non ſpecificans.

Ad *Probationem Suarij dicitur.* Quod virtus ad alterum non habet pro obiecto illum, cui reddit debitum, quaſi directè & immediatè attingibilem, ſed indirectè, & mediatè, vt dictum eſt, & propter hoc non ita remotè reſpicitur Deus à Religione, ſicut à fortitudine, vel Temperantia. *Tum* quia in ratione obiecti immediati Religionis intrat Deus indirectè, & in obliquo. *Tum* quia in ratione obiecti mediati propinquiùs attingitur à Religione, quam ab aliis virtutibus, quia propinquiùs accedit ad virtutes Theologicas, vt hic notat *Caiet.* Et ideo proximiùs ordinatur ad finem vltimum, qui eſt obiectum virtutum Theologicarum, quam aliæ virtutes, quæ non ita illis appropinquant. 53

Circa *ſolutionem* ad 1. *aduerte.* Quod illa propoſitio Auguſtini, *Deus colitur fide, ſpe, & charitate*, poteſt dupliciter exponi: *vno modo* in vi cauſæ effectiuæ, & finalis. *Alio modo* in vi cauſæ materialis. Primo modo facit hunc ſenſum Quod fides, ſpes, & charitas mouent Religionem effectiuè ad operandum propter finem iſtarum virtutum; imperant enim illi, quia ſunt ei ſuperiores, & habent pro obiecto aliquid ad quod poteſt ordinari religio, vt ad finem ſcilicet Deum in ſe, quæ ſunt duo requiſita vt vna virtus imperet alteri. Sic exponit *Caiet.* in præſenti. In vi autem cauſæ materialis, facit hunc ſenſum. Quod fides, ſpes, & charitas habent actus, qui ſint materia colendi Deum: & ſic materialitèr ſe habent ad Religionem. Quod an ſit poſſibile diſputabimus infra *art.* 8. cum *Caietano.* 54

In *Solutione* ad 2. Recole ex dictis, quod duobus modis ordinatur Religio ad Deum vt ad finem: *vno modo* vt ad finem cui in quantum indirectè, & in obliquo intrat in ratione obiecti Religionis. Et ſic religio ordinat actiuè ad Deum, ſicut iuſtitia ordinat ad ſolutionem debiti ad perſonam cui debetur. *Alio modo* Religio ordinat ad Deum non vt ad finem *Cui*, *ſed cuius gratia*, prout Deus ſe habet vt vltimò finalizans, & ad quem refertur actus, & obiectum Religionis. Et ſic religio non ordinat actiuè ad Deum, quia non pertinet ad Religionem ordinare, & attingere ex ſe finem vltimum, ſed paſſiuè ordinatur ad illum, vel à charitate; vel à naturali propenſione voluntatis ad finem vltimum. 55

Circa *Solution.* ad 3. tractare ex profeſſo quid ſit, & quomodo accipiatur *Medium* in virtutibus, pertinet ad 1. 2. vbi de hoc lōga inſtituitur Diſputatio. Nunc autem breuiter ex *Caietano* aduertimus 2. 2. *Q.* 47. *art.* 6. & 17 *art.* 5. *in calce Commentarij.* Quod habere per ſe medium in virtutibus debet ſumi ex parte obiecti virtutis, taliter quod ipſum obiectum ſecundùm ſe, & circumſtantias ad ſe pertinentes ſit in medio. Non autem debet ſumi *Medium* ex parte ſubiecti, ſed ex parte ipſius habitus. Ad cuius euidentiam conſiderandum eſt, quod vt dicitur loco citato *ex* 1. 2. Medium in virtutibus non eſt aliud quam reductio ad æqualitatem inter extrema inæqualia. 56

Vnumquodque autem reducitur ad æqualitatem per aliquid, quod faciat æqualitatem illam; & hoc vocatur regula, ſeu menſura, & res reducta ad æqualitatem dicitur menſurata, & regulata. Cum autem virtutes morales habeant pro obiecto bonum in aliqua determinata materia, bonum autem, & finis ſint idem, oportet, quod materia reddatur bona per commenſurationem ad finem. Vnde in virtute tria conſideramus, ſcilicet materiam, finem, & obiectum virtutis. Et finis quidem virtutis eſt ſecundùm rationem ſe habere, quia vt dicit *Dionyſius* perfectio hominis eſt viuere ſecundum rationem; & hoc vnaquæque virtus intendit, ſcilicet operari ſecundùm rationem. Materia autem eſt illud determinatum circa quod verſatur virtus, v. g. Temperantia circa delectationes Tactus: Obiectum autem eſt ipſa materia, prout moderata, & regulata ratione, v. g. delectationes tactus moderatæ. Si ergo iſta materia per ſe haberet regulationem rationis, non indigeret reduci ad æqualitatem, ſeu medium. Quia verò aliquando in materia, circa quam verſatur virtus, v. g. in delectatione tactus, habetur aliquid ſuperfluum, vel deficiens à ratione ſecundùm varias circunſtantias, aut modos ipſius materiæ oportet in illa imponi modum, ſeu medium, quo materia ipſa conformetur regulæ, quæ eſt Ratio; & accipiatur ſecundùm illas circunſtantias, quas ratio ipſa requirit. Et pro eodem ſumitur *Ratio*, & *Regula*, quod *Lex*, quia ratio promulgat nobis legem Dei, quæ naturalitèr eſt
16 inſita.

Ratio *autem* & reſpicit principia communia per Synderefim, & particularia, ſeu particulares circunſtantias per Prudentiam. Medium verò non debet poni in virtutem ſecundùm principia communia, ſed ſecundùm circunſtantias hic, & nunc; quia hic, & nunc debet egredi actio bona ab agente. Et ideo ad Prudentiam pertinet inuenire medium in virtutibus ex parte materiæ, non autem finis quem intendunt præſtituere; ſed hunc finem præbet ſynderefis, inquantùm ex illa inclinatur homo, vt in qualibet materia intendat bonum rationis vt ſic, & hanc intentionem in vna quaque materia ſupponit prudentia. Sed quod determinatè hic, & nunc accipiatur bonum rationis hoc debet dirigere, & præcipere Prudentia, & virtus eligere. Et ideo ad hanc electionem, vt mediante illa, virtus aſſequatur finem, quem intendit, Prudentia dirigit, non dando finem, qui eſt eſſe ſecundùm rationem: ſed iuuando, & dirigendo electionem ad aſſecu-
17 tionem eius.

Si *ergo aliqua virtus* non habeat naturam regulabilem à ratione, & lege, ſed pro materia immediata habeat ipſam regulam ex parte obiecti, & materiæ, non conſiſtet in medio. Et talis eſt in naturalibus *Synderefis*, & Naturalis inclinatio ad bonum, quæ ex illa ſequitur, & in ſupernaturalibus virtutes Theologicæ, licet verum ſit quod ex parte ſubiecti, quaſi materialiter, & per accidens poſſunt habere medium, ſicut ſpes eſt media inter præſumptionem, & deſperationem, non ex parte Dei, quem ſecundùm nullam circunſtantiam nimis ſperare poſſumus, ſed ex parte conditionis ſubiecti, quatenùs vel ſine propriis meritis ſperat per Præſumptionem, vel etiam de auxilio Dei, quod omnibus communiter patet, diffidit per Deſperationem. At verò religio habet pro materia *Cultum*, non Deum ipſum: in cultu autem poteſt eſſe exceſſus, aut defectus ſecundùm circunſtantias tenentes ſe ex parte ipſius materiæ, qua debet coli Deus, licèt non ſecundum reſpectum ad Deum. Et ita ſuperfluum, & diminutum ex circunſtantiis non ſumitur ſolùm ex parte conditionis ſubiecti; ſed ex parte ipſius materiæ circunſtantionatæ, & modificatæ. Sicut etiam in iuſtitia, ſi quis ita vellet reddere, quod ſuum eſt alteri, vt etiam furioſo redderet gladium, eſſet ſuperfluitas in iuſtitia, & peccaretur per exceſſum ſecundùm iniuſtitiam, iuxta illud, *Noli nimis eſſe iuſtus.* 18

Colligamus *ergo ex dictis* in toto iſto articulo, Quod obiectum integrum religionis eſt *Cultus*, ſeu obſequium debitum Deo, quod debitum fundatur, & debetur ratione excellentiæ diuinæ, quatenùs eſt primum principium creaturæ, & in tali obiecto inuenitur materiale, & formale, & conditio requiſita. Materiale eſt illud, quod ſubiicimus Deo, vt Deum colamus, v. g. quod ſubiiciamus corpus noſtrum, vel mentem noſtram, vel res exteriores. Et hac ratione habet actus materialiter diuerſos. Formale verò eſt ratio cultus, ſeu honoris debiti reddendi ſecundùm regulas rationis Et ex hac parte admittit religio æqualitatem, ſeu medium ſecundùm debitas circunſtantias in materia ſua. Conditio verò eſt illud à quo per ſe pendet tale debitum, vt conſtituatur in ratione debiti, tanquam à requiſito: pendet autem à fundamento ratione cuius debetur, & à termino, cui debetur; & hic eſt Deus ratione ſuæ excellentiæ: & ſi intrat in obliquo vt obiectum *Cui*. Et per hanc ſubiectionem, & cultum dicitur religio vnire nos Deo, ſicut inferiùs vnitur ſuperiori per ſub-
iectionem. 19

Hoc *autem modo* conſtituto debito, ſequitur vlterius, quod quando religio per actum ſuum ſoluit hoc debitum honorando Deum, mediante tali debito quod ſoluit, ordinat ipſum ad Deum, vt ad perſonam quandam Excellentiſſimam, quia debet reſpicere, & attendere ad eum, quem honorat, vt ad perſonam, & rem quandam tali honore dignam; & hoc cum affectu quandam, & amore. Et hac ratione poteſt habere Deum, & vt obiectum mediatum Religionis, & vt finem vltimo finalizantem Religionem: finalizantem quidem quatenùs Deus eſt amatus, quia ſic eſt finis ſuperior Religione, qui reſpicitur à Charitate: vt obiectum autem mediatum, quatenus perſonam ipſam attendit, vt propter eius Excellentiam reddat honorem, quo eſt digna. Et ſic mediante cultu, & ſolutione eius fertur quoque in perſonam ipſam, non ſolùm vt terminum cui, ſed vt rem, quæ eſt digna honore. Sicut etiam actus vt imperatus, ſolet dici mediatus reſpectu imperantis, non quoad obiectum, ſed quoad ordinationem in finem.

ARTICVLVS VI.

Vtrum Religio ſit præferenda alijs virtutibus Moralibus?

1 TItulos *per ſe clarus eſt.* Comparat enim *S. Thom.* Religionem in nobilitate cum Virtutibus Moralibus; nam intellectuales ſunt ſuperiores moralibus, & conſequenter Religione, quæ Moralis eſt, & ex hoc manet excluſa ab iſta comparatione *Prudentia*, quæ non eſt purè moralis, ſed ſimpliciter intellectualis, quia formaliter verſatur circa verum, materialiter autem dicitur *Moralis*, quia habet pro materia ſuæ directionis agibilia, ſeu moralia, non ſub ratione boni, ſed ſub ratione veri, quod terminatur ad bonum practicè dirigendo, & imperando. *Virtutes* etiam Theologicæ tam moralibus, quàm intellectualibus nobiliores ſunt, quia immediatè attingunt Deum vt obiectum. Vnde excluditur ab iſta comparatione etiam illud, quod imperfectè, & reductiuè pertinet ad Virtutem Theologicam, ſcilicet, *Pia affectio*, quæ ex parte voluntatis requiritur ad fidem, etiam quantùm ad ſpecificationem eius, hæc enim non eſt virtus, ſed aliquid imperfectum, & per modum diſpoſitionis in genere virtutis; *D. Thom.* autem ſolùm comparat Religionem aliis virtutibus, quæ verè ſunt virtutes, hæc autem in ſe non eſt virtus, & id quod reductiuè, & imperfectè eſt reducitur ad virtutem Theologicam, quæ ſuperat Religionem.

Expenditur Prima Ratio D.Thomæ.

1 VNa *Concluſio elicitur ex art.* Religio eſt nobilior cæteris Virtutibus Moralibus. Probat eam *D. Thom.* dupliciter. *Primò in Argumento ſed contra.* Ordo præceptorum in Lege proportionatur ordini virtutum, ſiquidem præcepta legis ſunt de actibus virtutum: ſed prima præcepta Decalogi ſunt de actibus Religionis, vt patet Exod. 20. *Vnum Deum coles*, &c. Ergo Religio eſt etiam prima, inter virtutes morales.

2 Hæc *tamen Ratio* videtur in duobus deficere. *Primò quidem.* Quia præcepta Decalogi ſolùm dantur de his, quæ pertinent ad Iuſtitiam, & per quæ homo ordinatur ad alterum, vt expreſsè tradit *D. Thom. infra Quæſt.* 122. *art.* 1. Ergo ex hac ratione ſolùm concluditur nobilitas Religionis inter omnes partes iuſtitiæ, & virtutes, quæ ſunt ad alterum, non verò ſupra alias virtutes, quæ ad alterum non ſunt. *Secundò.* Quia peccata, quæ prohibentur in his præceptis non ordinantur ſecundùm maiorem, vel minorem grauitatem; ergo neque virtutes, quæ præcipiuntur, ordinantur ſecundum maiorem, vel minorem perfectionem. *Antecedens patet.* Quia in ſecundò præcepto Decalogi non prohibetur Blaſphemia, quæ eſt grauior periurio: neque in ſexto præcepto prohibetur Beſtialitas, quæ eſt grauior Adulterio: neque in ſeptimo Rapina, quæ eſt grauior furto.

3 Sed *hæc facilè ſoluuntur*, *Aduertendo*, Quod in Decalogo non dantur directè præcepta de omnibus virtutibus, ſed ſolùm traduntur prima, & communiſſima præcepta, quæ immediatè deducuntur ex principiis naturalibus; & ita talia præcepta maxime ſpectant ad totam communitatem hominum. Quia verò vt inquit *D. Thom.* 1. 2. *Quæſt* 100. *art.* 11. *ad* 3. Virtutes ordinantes ad alium maxime ſpectant ad bonum commune, ideò de illis, vt magis communibus, dantur præcepta directè in Decalogo; poſſunt tamen ad ea reduci ea, quæ pertinent ad alias virtutes: præſertim quia actus aliarum virtutum ſub ratione Iuſtitiæ præcipi ſolent, prout ſcilicet reducuntur ad bonum commune, qua ſolùm ratione præcipi poſſunt à lege humana, vt citato loco dicit *D.Thom. art.* 1. Et quia iuſtitia eſt præcipua inter alias virtutes morales, quæ non ſunt ad alterum, quia exiſtit in ſubiecto nobiliori, ſcilicet in voluntate, aliæ autem in appetitu ſenſitiuo, & verſatur circa nobiliorem materiam, ſcilicet operationis ad alterum, quæ ſunt magis rationales, quàm paſſiones: ideò in præceptis iuſtitiæ, ſi præcipua ſunt præcepta de actibus Religionis, à fortiori ſunt præcipua quam ea, quæ dantur de cæteris virtutibus moralibus, quæ non ſunt ad alterum. Et ſic patet ſolutio ad primum.

Ad ſecundùm dicitur ex *Caiet. Loco citato* 1. 2. Quod præcepta Decalogi ſunt prima, & magis communia præcepta inter ea, quæ per legem aliquam iubentur, & ita debent tradi de his, quæ communiter accidunt: & inter illa, quæ accidunt communiùs quantò grauiora, tantò priùs prohibentur: & ideò ex genere ſuo peccata, quæ ſunt contra præcepta primæ tabulæ quæ ſunt erga Deum, grauiora ſunt, quàm ea quæ ſunt contra præcepta ſecundæ tabulæ, quæ ſunt erga proximum. Illa verò peccata, quæ in Argumento proponuntur ſunt grauiora, ſed non prima, & communiora: & ideo de illis non dantur directè præcepta in Decalogo, ſed ſub communibus continentur. 4

Expenditur Secunda Ratio D. Thomæ:

SEcunda *ratio*, qua probat *S. Thom.* Concluſionem, talis eſt. Ea quæ ſunt ad finem, tantò ſunt meliora, & perfectiora, quantò propinquiora fini; ſed virtutes morales (vt dictum eſt *in præcedenti articulo*) ſunt circa, ea quæ ordinantur ad finem; ergo illæ, quæ magis appropinquant huic fini, ſunt perfectiores. *Maior conſtat*, quia ea, quæ ſunt ad finem, ſumunt ſuam bonitatem, & perfectionem ex fine, ſiquidem fini primò, & per ſe conuenit bonum: ea verò, quæ ſunt ad finem, ex participatione finis; & non per ſe prima ſunt bona. *Rurſus*, ſed Religio magis de propinquo accedit ad finem, qui eſt Deus, quàm aliæ virtutes morales; ſiquidem operatur ea, quæ directè, & immediatè ordinantur ad honorem Dei: ergo Religio eſt perfectior inter alias virtutes morales. 1

Contra *hanc Rationem* quinque virtutes morales pugnant, quæ principaliores quàm Religio videntur & apud *D.Thom.* & ſecundùm veritatem. *Prima eſt.* Iuſtitia Legalis, quàm *D.Thom.* dicit præclariorem inter omnes virtutes morales, vt patet *ſupra Quæſt.* 58. *art.* 12. *Secunda* eſt Miſericordia, quàm *D. Thom. ſupra Q.* 30. *artic.* 4. dicit ſecundùm ſe eſſe maximam omnium virtutum; per comparationem autem ad habentem illam eſſe maximam inter omnes, quæ ſunt ad proximum. Et ſpecialiter in ſolutione 2

ad 1. *&* 2. eam præfert ſacrificiis,& operibus exterioribus Religionis. Et colligitur etiam ex illo Oſeæ 6. & Matth. 9. *Miſericordiam volo*, *&* *non ſacrificium.* Tertia eſt Humilitas, quam *D. Thom. infra Q.* 161. *art.* 5. dicit, quod poſt virtutes Theologicas, & poſt virtutes intellectuales, quæ reſpiciunt rationem, & poſt iuſtitiam, præſertim Legalem, potior cæteriseſt humilitas. *Quarta* eſt Pænitentia, quæ ſatisfacit Deo pro peccato, & ita immediatè ordinatur ad Deum vt ad obiectum *cui*, & ex hac parte non eſt inferior Religione. Ex alia verò parte ſuperat illam, quia pœnitentia eſt vltima diſpoſitio ad gratiam, & ad reconciliationem Dei, & habet placare Deum offenſum, qui eſt effectus nobilior quam colere, quia reſtituere honorem plus eſt, quam conſeruatum colere *Quinta* eſt Obedientia, de qua dicitur 1.Reg.15. *Melior eſt obedientia quam victima*, *&* *auſcultare magis quàm offerre adipem arietum.*

3 Et *confirmat* hoc *D. Thom. infra Q.* 105, *art*, in medio corporis vbi ait: *Quod per ſe loquendo laudabilior eſt obedientia virtus, qua propter Deum contemnit propriam voluntatē, quā alia virtutes, morales, qua propter Deum aliqua alia bona contemnunt, Vnde D. Gregor. dicit in vlt. Moral. quod obedientia victimis iure praponitur, quia per victimas aliena caro, per obedientiam verò voluntas propria mactatur.* Sic D. Thom. Qui etiam ibidem *art.* 2. *ad* 2. ponit quod Obedientia non eſt media inter duas malicias; & ſic minus videtur habere medium quam Religio, & conſequentèr magis accedere ad Virtutem Theologicam, & præſertim ad charitatem, quia per obedientiam habet homo idem velle, & nolle quod Deus, *quod maximè ſpectat ad amicitiam.*

Præfertur Religio Iuſtitia legali.

1 CIrca *primam* virtutem, ſcilicet *Iuſtitiam Legalem*, Caiet. hic cenſet perfectiorem eſſe Religione Eius verò ſententiam communiter reiiciunt Recentiores. vt *Suar. lib.* 3. *de Relig. cap.* 9, *&* *Magiſt.* Torre *c.* 6. *Diſput.* vnic *&* *Ledeſma. in ſumma Hiſpanica* Tract. 9. *cap.* 1. Vbi etiam pro ſe citat *Aragon.* Et *Caietanus* quidem fundat ſuam ſententiam in eo quod iuſtitia legalis, & Religio comparantur vt totum, & pars quia ad iuſtitiam legalem pertinet ordinare & ferre leges circa ea, quæ ſunt Religionis. *Suarez* autem non modicum laborat in intelligendo fundamentum *Caietani.*

Quod *tamen vt rectè participatur* Aduerte: quod
2 Iuſtitia Legalis cum ſit virtus quæ reſpicit bonum commune, & inuenitur in ſubditis, & in Principe, ſed in Principe quaſi in ordinante actiuè ipſum bonum commune, & ideo dicitur eſſe in illo architectonicè, in ſubditis verò, vt in paſſiuè ordinatis ad bonum commune & ita eſt in illis miniſterialitèr, vt loquitur *D. Thom. ſupra Quæſt.* 58. *art.* 6. Quia videlicet bonum commune, & pendet à Principe, vt gubernatore illius, & reſpicitur à ſubditis, vt à partibus ordinatis ad totum; & quia bonum commune ordinatur per leges, Ideo iuſtitia ordinans, & faciens id, quod debetur bono cōmuni, dicitur *Iuſtitia legalis*, quia vt inquit ibi D.Thom. art. 5. *Per eam homo concordat legi ordinanti actus omnium virtutum in bonum commune* Cum ergo obiectum huius iuſtitiæ ſit reddere debitum bono communi, ſi conſideretur præcisè vt in ſubditis, qui ſolùm reſpiciunt bonum commune, ſicut partes totum, apparet quod excellentior ſit Religio, quia hæc habet reddere debitum Deo, quod eſt excellentius quàm reddere debitum bono communi: præſertim in eo, qui reddit hoc debitum tanquam pars, & inferior reſpectu boni communis, cum excellētius bonum ſit Deus, cui ſubiicitur homo per Religionem, quam bonum commune, cui ſubiicitur ſubditus. Et ita reſpiciendo vtrumque bonum ex parte inferioris, qui ei ſubiicitur, ſine dubio eminet Religio.

Cæterum *Caiet* non conſiderauit Iuſtitiam le- 3
galem ſolum ſecundùm quod inuenitur in ſubditis, quia in illis eſt ſecundario, & miniſterialiter, vt diximus ex *D. Thom.* ſed conſiderauit illam ſecundum ſuam principalitatem, prout inuenitur in Principe. Et ſic aliter redditur debitum bono communi à Principe, quam à ſubditis, Intendit enim Princeps conſeruationem boni communis ferendo leges, quibus homines regulentur ad faciendum ea, quæ ad bonum commune pertinent. Vt autem conſeruetur bonum commune, oportet attendere omnia, quæ in bono communi requiruntur præſertim quoad duo. *Primum* Quod conſeruetur vnicuique ius ſuum reddendo vnicuique, quod ei debetur; præcipuum autem debitum tam ex parte hominis priuati, quàm ex parte totius communitatis eſt honor Deo debitus, & ita ad iuſtitiam legalem pertinet conſeruare bonum Religionis, præſertim publicum, & quod à tota communitate debetur Deo.

Secundum Quod debet attendi, eſt ordo bo- 4
ni communis ad ſuum finem, qui eſt Deum, ſi enim bonum commune non ita ordinetur, vt in eo attendatur ordo eius ad finem ſuum, id eſt, Deus, ita quòd omnia ordinentur ad bonum commune tali modo, quod non deordinentur à fine boni communis, qui eſt Deus, alias non poterit conſeruare bonum commune, ſi in ipſo præcisè ſiſtat ordinatio Principis, ſed deuiabitur facilè ad hoc, vt pro fine habeatur ratio ſtatus communis, quæ eſt pernicies Reipublicæ benè ordinatæ Oportet ergo quòd iuſtitia legalis, ſi conſideretur vt in Principe tanquā virtus conſeruatiua boni communis, non ſiſtat in bono communi, vt in fine, ſed potius ipſi bono communi reddat ordinationem ad ſuum finem, qui eſt Deus; quia hoc maxime debetur bono communi à Principe, tanquam præcipuum debitum, ſine quo non poteſt conſeruari. Legalis autem iuſtitia reſpicit omne debitum booo communi; & hoc multo magis viget in iuſtitia legali infuſa, qualis eſt in Principe gubernaote Eccleſiam; bonum enim commune Eccleſiæ ordinatum eſt à Chriſto Domino ſecundum excellentiorem rationem, ſcilicet vt fideles ſupernaturalitèr gubernentur in ordine ad acquiſitionem vitæ æternæ, ſicut dixit Petro Ioan. vlt. *Simon Ioannis amas me, paſce oues meas*, quaſi in charitate fundando paſturam Ouium. & regimen Eccleſiaſticum, ſeu potius decernens ſecundùm Charitatem eſſe ordinandum; neque enim charitas requiritur in Prælato, vt verè Prælatus ſit, ſicut dixit Vuicleff damnatus in *Concil. Conſtantienſi*, ſed tamen guber- 5
natio ſpiritualis ſecundum Charitatem ordinanda eſt, & ſic ſaltèm iſta iuſtitia legalis perfectior eſt Religione, cum de Religione ordinet modo altiori.

5 In *ſumma*. Iuſtitia legalis reddit debitum bono communi; Religio verò reddit debitum Deo; ſed tameo Religio reddit debitum ſolum vno modo, ſcilicet per ſubiectionem ad Deum; iuſtitia vero legalis duplici modo. Nam prout in ſubditis, reddit debitum ſubiectionis eo modo, quo pars debet ordinari ad totum, & obſeruare ea quæ ad bonum totius requiruntur. Vnde Aliqui exiſtimauerunt iuſtitiã legalem in ſubdito non diſtingui à virtute Obedientiæ, vt Leſſius probat *lib. 2. de iuſtit, & iur. cap. 1. Dubit. 3. num. 19.* ſed falsò, Quia obedientia ſolum reſpicit obſeruantiam præceptorum, vt procedent à ſuperiore, iuſtitia verò legalis reſpicit ipſam Communitatem, & comparat ſubditum non vt ad præcipientem, ſed vt partem ſuo toti. *Aliỹ autem* putauerent iuſtitiam legalem eſſe complectionem omnium virtutum in ſubdito, quatenus legi obtemperat, & in ſuperiori quatenùs legem facit obſeruari, vt ſentit *Euſthacius 5. Ethic cap. 1. & 2.* ibidem *Buridan. Q. 4.* & *Andr. à Vega lib. 5. in Conc. Trid. cap. 4* Quod tamen eſt expreſsè contra *D. Thom. ſup. Q. 58. art. 6. & 5. Eth. Lect. 2.* Quia iuſtitia legalis non eſt virtus generalis per eſſentiam, ſed per imperium; nulla enim datur virtus generalis per eſſentiam quæ verè virtus ſit, licèt dentur aliquæ conditiones virtutum generaliter tranſcendentes per omnes virtutes; de quo *D. Thom. q. 1. 2. Q. 61. ar. 3.* Quare iuſtitia legalis reſpicit peculiare debitum, ſcilicet id quod debet pars ſuo toti in eo quod pertinet ad bonum commune.

6 At *verè iuſtitia* legalis prout in Principe non ſolùm reddit debitum ſubiectionis, quatenus Princeps debet ordinari, & ſubdi bono communi, ſed etiam reddere booo communi conſeruationem omnis debiti requiſiti, & inuenti in bono communi. Vnum autem ex debitis, quod debetur bono communi, & requiritur ad ejus conſeruationem, eſt vt ſecundùm Deum prouideatur gubernationi eius non ſiſtendo tanquam in fine in ſtatu boni communis, ſed ordinationem eius ad vlteriorem finem ſcilicet ad Deum, conſeruando. In hoc autem iuſtitia legalis eminẽtiùs colit Deum, quàm Religio, quatenùs ei ſubdit non ſolùm perſonam particularem, ſicut facit Religio, ſed totam Communitatem, & bonum commune, non reddendo Deo debitum directè, ſed reddendo debitum bono communi, cui debitum eſt vt ſubiiciatur Deo ab eo, qui gubernat illud. Et hoc eſt eminenter, & virtualiter Deum colere ad eum modum, quo *Caiet.* dixit *inf. Q. 507. art. 1. circa fin.* Religionem eminenter facere ea quæ ſunt Pietatis, & obſeruantiæ. Sic Iuſtitia legalis in Principe eminenter eſt cultus Dei, quatenus reddit hoc debitum bono communi, quod ſubiiciatur Deo. & ſic intellecta ſententia *Caiet.* acutiſſima eſt, & probabiliſſima.

7 Sed, *inſtabis*. Nam iuſtitia legalis tam in Principe, quam in ſubditis, habet pro obiecto *Cui* bonum Reipublicæ; quod eſt bonum humanum, & non habet pro fine *Cui*, neque pro fine intrinſeco Deum; ergo ſemper eſt inferior Religione; quin potiùs Religio imperat illi, ſicut & omnibus aliis virtutibus; quia cultus Diuinus non debet ordinari in bonum Reipublicæ, ſed è conuerſo; & ita ſicut Religio imperat omnibus virtutibus, etiã Theologicis, quatenus poteſt ordinare earum actus in cultum Dei, ſic & iuſtitiæ legali imperare poteſt ordinando bonum Reipublicæ ad cultum Dei. Semper ergo Religio altiori modo imperat virtutibus, quam iuſtitia legalis; cum hæc imperet ordinando in bonum commune, illa verò ordinando ad cultum Dei *Et Confirmatur.* Quia *Epicheia* eſt virtus excellentior, quàm *Iuſtitia legalis* vt determinat *S. Tho. infr. Q. 120. art. 2.* Et tamen Epycheiam nullus ponit perfectiorem Religione: ergo neque iuſtitiam legalem. 8

Reſpondetur, Quod iuſtitia legalis prout in Principe habet duo. Vnum ex parte perſonæ Principis; & hanc ſubiicit bono communi, ſicut partem toti: quia Princeps eſt pars Communitatis, principaliſſima tamen: ratione cuius fundatur *in D. Thom. 1. 2. Q. 96. art. 5. ad 3.* Quod Princeps quantùm ad vim directiuam legis ſubditur legi propria voluntate, quod difficile eſt ſatis explicare, ſed; ex hac doctrina ſumitur eius ratio. Quia (vt ibi dicit *S. Thom.*) Princeps voluntarius, non coactus debet legem implere, id eſt, ex voluntaria electione, quæ pertinet ad iuſtitiam legalem, quatenus ſubditur ipſi bono communi, & legibus eius vt perſona quædam eſt, & pars communitatis, non verò ex impulſu, & motione legis præcipientis. Qua ratione hi, qui ſunt inferiores obligantur bono communi. Aliud habet iuſtitia legalis ex parte boni communis, quatenùs illi debet Princeps bonam gubernationem, & ſic oportet quod reſpiciat altiorem finem, quã ipſum bonum commune, ſcilicet Deum quod niſi reſpiciat gubernatio boni communis, declinabit in rationem ſtatus. Itaque Princeps, & debet debitum ſubiectionis booo communi, & debet debitum gubernationis, ſeu directionis. Et iuxta primùm debet perſona Principis ſubdi bono communi, ſicut facit iuſtitia legalis in ſubdito, & ſic habet inferiorem finem, quam Religio, ſcilicet bonum commune Iuxta ſecundùm verò non habet inferiorem finem; quia debet gubernari bonum commune ſecundùm altiorem finem, ſcilicèt Deum, ſubiiciendo ei bonum commune. Et ratione primi Religio imperat iuſtitiæ legali, ratione ſecundi; non, ſed potiùs iuſtitia legalis ordinat de his quæ pertinent ad cultum diuinum externum; & ex ratione proprij debiti, quod reddit bono communi ſubiiciendo illud ſuo fini, non reſpicit inferiorem finem quàm Religio, nec inferiori modo imperat aliis virtutibus. 9

Ad *Confirmationem* Reſpondetur *ex D. Thom. in loco citato in Argum. ſolut. ad 1.* Quod *Epycheia quodammodo continetur ſub iuſtitia legali, & quodammodo excedit eam. Si enim iuſtitia legalis dicatur, qua obtemperat legi ſiue quantùm ad verba legis, ſiue quantùm ad intentionem legiſlatoris, ſic Epycheia eſt pars quædam iuſtitiæ legalis potiſſima pro ea parte, qua magis reſpicit intentionem legiſlatoris, quàm verba legis. Si verò iuſtitia legalis ſtrictius dicatur ſolum, qua obtemperat legi ſecundùm verba legis, ſic Epycheia non eſt pars iuſtitiæ legalis, ſed eſt pars iuſtitiæ communiter dictæ, diuiſa contra iuſtitiam legalem, ſicut excedens ipſam.* Sic S. Th. Vbi ſatis patet loqui de iuſtitia legali prout in ſubdito; ſic enim obtemperat legi, & attendit ad verba legis, & reſpectu talis iuſtitiæ legalis Epycheia vel eſt principalior pars, vel principalior virtus, iuxta diſtinctionem *D. Thom.*

Itaque *Epicheia*, ſeu æquitas adhoc ponitur, 10
vt ſubditus prætermittat legem poſitam à Superiori in caſu, in quo illa lex deficit à ratione propter vniuerſalitatem ſuam, ſecundùm quàm poſita

eſt, quia ſi lex ponitur in vniuerſali, & occurrit aliquando caſus ſpecialis, in quo obſeruare legem eſſet malum, debemus tunc operari ex Epycheia, & non ex lege. Sicut quando quis eſt furioſus, debemus prætermittere legem reddendi ei gladium depoſitum. Seruit ergo Ephycheia pro ſubditis, non pro Principe propriè loquendo, in quo iuſtitia legalis eſt ſupra verba legis, & facit rectam intentionem in gubernando bonum commune.

Præfertur Miſericordia

1 Circa *ſecundam virtutem*, ſcilicet Miſericordiam recolendum eſt id, quod dixit *S. Thom. ſuprà art.* 1. *ad* 1. Eſſe aliquos actus, qui ſunt eliciti à Miſericordia, & imperati à Religione, vt viſitare pupillos, & ſubuenire pauperibus. Quare virtus miſericordiæ apud *D Thom.* inferior eſt Religione, imò, & inferior Iuſtitia, quia vt docet *ſupr. Q.* 3 . *art.* 3. *ad* 4. Miſericordia ſecundùm quod eſt ad alterum, eſt virtus moralis circa paſſiones exiſtens: moderatur enim duas triſtitias, ſcilicet triſtitiam de bono alterius quæ eſt *Inuidia*, & triſtitiam de malo alterius quæ eſt omnia paſſio miſericordiæ oppoſita *Neme*, quæ triſtatur de bono indignè agentium, iuxta illud Pſ. 72. *Zelaui ſuper iniquos pacem peccatorum videns*, de quo *D. Thom. ſupr. Q.* 36. *art.* 3. *ad* 3. Quare triſtitia de malo, & miſeria aliena, quatenùs moderationem habet ex electione rationis, accipit rationem virtutis, & dicitur virtus Miſericordiæ, vt ait *S. Thom. Q* 10. *de Malo art.* 2. *ad* 8. Quando ergo dicit *D. Thom. loco citato* in Argumento, quod *Miſericordia ſecundùm ſe eſt maxima*, (& nota quod non dicit *Maxima virtutum*, ſed ſolùm, *Miſericordia eſt maxima*) ly *ſecundum, ſe*, non reduplicat ſpeciem, & rationem miſericordiæ, vt eſt virtus moralis, & moderatur paſſiones, ſed vt præciſè habet hunc effectum, qui eſt ſubuenire miſeriis, & defectibus alienis.

2 Et *hoc patet* ex doctrina eiuſdem *S. Thom.* 1. *p. Q.* 21. *art.* 3. vbi inquit, Quòd Miſericordia habet duo, & affici ad miſeriam alterius per triſtitiam, & compaſſionem, & ſic *Miſericors* dicitur quaſi *habens miſerum cor*, per affectum ſcilicet ad miſeriam alterius. Secundò habet operari ad depellendam miſeriam alterius ſuccurrendo illi. Et quantùm ad primum, non eſt in Deo Miſericordia, niſi metaphoricè, ſicut & Ira: quantùm ad Secundum verò, propriè eſt in Deo Miſericordia, ſecundùm quod ordinat communicationem boni ad expellendum defectum creaturæ: communicare autem bonitatem, ſeu perfectionem ad expellendos defectus, non conuenit cuicumque perfectioni, ſed abundanti, & excellenti perfectioni, quæ poteſt deriuari ad alios. Et ideò Miſericordia, quæ facit iſtam communicationem, dicitur *Maxima*, ideſt, maxima perfectio, ſeu præſupponens perfectionem ita magnam, quod poſſit ad alios deriuari. Et ſic dicitur *proprium Dei miſereri*; quia ipſi ſoli conuenit communicare perfectionem ad tollendos omnes defectus creaturæ.

3 Ex *qua etiam ratione ſumitur*, Quod Miſericordia non eſt virtus ad alterum, quamuis ſit in magnam vtilitatem alterius; quia licèt effectus, qui procedit ex Miſericordia, ſit circa alterum, ſcilicet ſubuenire proximo, tamen obiectum miſericordiæ non eſt debitum alteri reddendum: & ita ex parte obiecti non eſt ad alterum, ſed ſolùm facit inclinationem ad ſubueniendum miſeriæ alienæ, moderando paſſiones, quæ ſunt circa alterum ſcilicet triſtitiam de malo, vel bono alterius; non verò reſpicit debitum ad alterum ex parte obiecti, licèt actus eius poſſit eſſe debitus ratione præcepti Et quando dicit *D. Thom.* Quod *in ordine ad proximum Miſericordia eſt potiſſima, ſeu potioris actus*, non loquitur de Miſericordia ſecundùm ſpeciem virtutis, vt verſatur circa paſſiones, ſed quoad effectum ſuum, qui in ordine ad proximum eſt potior, ideſt vtilior, quia in ordine ad indigentem potior eſt ſubleuatio eius indigentiæ. Sicut etiam *Philoſ.* dicit, quod *Philoſophari eſt melius, quàm ditari*, ſed non huic ideſt, pauperi. & ideò ſignanter dixit *D. Thom.* quod miſericordia in ordine ad proximum eſt potiſſima, ſeu potioris actus, ideſt, vtilioris effectus.

Quando autem *D. Thom. ibidem* præfert Miſericordiam ſacrificiis, & operibus exterioribus Religionis, ipſe ſe explicat dicens: *Deus non indiget ſacrificiis noſtris, ſed vult ſibi ea offerri propter noſtram deuotionem, & proximorum vtilitatem. Et ideo miſericordia, qua ſubuenitur defectibus aliorum eſt ſacrificium magis ei acceptum vt potè proximius vtilitatem proximorum inducens.* 4
Ex quibus patet, quod miſericordia præfertur ſacrificio exteriori non abſolutè, & quantùm ad finem primarium Religionis, qui eſt reddere Deo honorem, ſed quantùm ad ſecundarium, quatenus deſeruit vtilitati noſtræ, quia ex ſacrificio nihil vtilitatis accreſcit Deo, ſed nobis. Et ideò, quando ex miſericordia plus vtilitatis accipitur, quia per illam ſubuenitur pauperi, ex hac parte præfertur ſacrificio, non tamen ſimpliciter; quia excellentia, & perfectio ſimpliciter ſumitur ex primario fine in Religione, qui eſt ſubiicit Deo per cultum.

Vel *Dicito*, Quod Miſericordia præfertur ſacrificio exteriori, non miſericordia quomodocumque, ſed quæ ad modum ſacrificij ſe habet, ſcilicet, quæ eſt imperata à Religione. talis enim includendo imperium Religionis, etiam nobilitatem à Religione participat, & addit id quod miſericordiæ proprium eſt: ſicque excedit nudum ſacrificium exterius, ratione cuius acutè dixit Auguſtin. 10. de Ciuitat. Dei capit. 5. Quod *Vbi ſcriptum eſt* Miſericordiam volo, & non ſacrificium, *nihil aliud quàm ſacrificium ſacrificio prælatum eſt*. Et ex hoc accipitur intelligentia illius loci Oſeæ 6. *Miſericordiam volo; &c.* Non enim fit ibi comparatio inter Miſericordiam, & Sacrificium ex vna parte, ſcilicet obiecti ſpecificæ rationis vtriuſque; ſic enim ſacrificium præfertur Miſericordiæ, ſed ſermo eſt de ſacrificio, vt ſe tenet ex parte ſubiecti, prout ſcilicet exercebatur ab illis hominibus modo indebito, & animo impio, putantes illis ſacrificiis ſe ſe expiari. Quo pacto frequenter in Scriptura reprehenduntur ſacrificia, vt *Iſaiæ* 1. *Quo mihi multitudinem victimarum veſtrarum, dicit Dominus: plenus ſum.* Et infra: *Diſcite benefacere, quærite iudicium, ſubuenite oppreſſo, iudicate pupillo, defendite viduam.* Et *Mich.* 6. *Numquid placari poteſt Dominus in millibus arietum? Indicabo tibi, o homo, quid ſit bonum, & quid Dominus requirat à te: vtique facere iudicium & diligere miſericordiam.* 5

Vel

6 Vel *poteſt* locus *Oſeæ* intelligi non de miſericordia, quam homo tribuit aliis, ſed quam homo recipit à Deo. Et hanc miſericordiam, quæ eſt gratia Dei miſericorditer accepta à Deo, magis vult Deus, quam ſacrificium. Et non diſſonat a Textu litteræ hæc expoſitio, quia paulò ante dicit: *Miſericordia veſtra, vt nubes matutina, & quaſi ros manè pertranſiens*, &c. *quia miſericordiam volui, & non ſacrificium, & ſcientiam Dei pluſquam holocauſta.* Vbi Miſericordia in primo loco accipitur pro *Gratia*, quæ tunc ad modum roris dicitur pertranſire, quando tam infirmo animo recipitur, quod in feruore tentationis perditur. Et eſt ſenſus, quod vult Deus; vt magis curent homines miſericordiam gratiæ conſeruare; & retinere, quam in holocauſtis, & ſacrificiis multa impendere, iuxta illud Pſalm.
5 *Quoniam ſi voluiſſes ſacrificium dediſſem vtique holocauſtis non delectaberis, ſacrificium Deo ſpiritus contribulatus.*

Præfertur Humilitati.

1 Circa *Tertiam virtutem*, ſcilicet, *Humilitatem*, ſine dubio tenendum eſt eſſe inferiorem Religione. Vnde & ponitur a *D.Thom.infrà q.*161. *art.* 3.*ad* 1. Differentia inter Humilitatem, & Religionem: quod per Humilitatem ſubiicimus nos non ſolùm Deo, ſed etiam hominibus propter Deum. Latriam autem ſeu Religionem ſoli Deo Debemus. Perfectiori ergo modo ſubiicitur homo per latriam quàm per humilitatem. *Et ad huius euidentiam conſiderandū eſt.* Quod duplex eſt ſubiectio hominis ad Deum. Vna directa, & per ſe: alia indirecta, & vt remouens prohibens. Directè ſubiicitur aliquis Deo, vel per motum aliqualiter refugitiuum; vel per motum ſimpliciter proſecutiuum. Primo modo id facit Timor reuerentialis, quo conſiderat quis diuinam eminentiam vt potentem inferre malum, & ſic Donum Timoris ſubiicit hominem Deo ſecundùm quandam reuerentiam, & includendo aliquid motus refugitiui, vt in ſuperioribus explicatum eſt. Per motum verò proſecutionis ſubiicimus nos Deo, quando exhibemus illi debitam ſeruitutem, & proteſtamur eius excellentiam per hoc quod nos, & noſtra ei ſubiicimus, vt ſupremo Domino, & hoc pertinet ad Latriam, quæ per modum cultus reſpicit Deum. *Indirectè autem*, & per modum remouentis prohibens ſubiicit nos Deo id, quod refrænat, & reprimit appetitum tendentem contra Deum, & impedientem ſubiectionem ad Deum, qui eſt motus præſumptionis, ſeu nimia ſpes, quæ eſt præſumptio, & ſuperbia quæ pertinet ad vim iraſcibilem, quæ reſpicit bonum arduum, & excellens, de quo *S.Thom.infr. Quæſt.*162.*art.*3.

2 Hanc ergo paſſionem, ſeu nimietatem ſpei, & præſumptionis tendentis ad excellentiam refrænat Humilitas & ideo indirectè, & vt remouens prohibens ſubiicit nos Deo, vt ait *D.Thom. Q.*161. *citat. art.*5. *ad* 2. Et ita eſt virtus circa paſſiones exiſtens, & pars potentialis Temperantiæ; quia eius præcipuus actus eſt refrænare, & moderare illam paſſionem, vt ibidem aſſerit *S. D. art.* 4. Quare inferior eſt virtutibus directè tendentibus ad Deum, & reddentibus ei debitam ſubiectionem. Eminet tamen inter alias virtutes, quæ circa paſſiones ſunt ex duobus: ſcilicet ex vniuerſalitate ſua, & ex motiuo à quo originatur. Ex vniuerſalitate quidem, quia non ſolùm reprimit paſſionem præſumptionis in appetitu ſenſitiuo; ſed etiam & principaliter motum appetitus rationalis inordinate tendentem ad excellentiam ſpiritualem. Vnde & ſuperbia, quæ contrariatur Humilitati, in appetitu rationali eſt, & propriè reperitur in Dæmonibus, vt docet D.Thom. *Quæſt.* 162. *cit. art.* 3. *in fine corpor.* Et ita humilitas, quæ tali ſuperbiæ opponitur, in voluntate eſt ſubiectiuè, & participatiuè deriuatur ad appetitum ſenſitiuum: & ratione huius vniuerſalitatis ponitur vt diſpoſitio remouens prohibens ad omnes virtutes, quæ proueniunt ex influxu Dei, vt loquitur *S.Thom. citat. Quæſt.* 161.*art.* 5.*ad* 2.*&* 4. Quatenùs ſcilicet euacuat omnem inflationem ſuperbiæ, & reddit hominem patentem, & ſubiectum, vt in eum influat gratia Dei, iuxta illud Iacob 4. *Deus ſuperbis reſiſtit; humilibus autem dat gratiam.* Qua ratione etiam Beatiſſima Virgo *Luc.*1. *Reſpexit* (inquit) *humilitatem ancillæ ſuæ.* Quia videlicet, vt notauit *Caiet. loco proximè citato*, ad tantam plenitudinem gratiæ infundendam, quanta fuit in B. Virgine nihil aliud reſpexit Deus, quàm profunditatem humilitatis eius, qua reddita eſt capaciſſima ad ſuſcipiendam quaſi in concauitate maxima immenſam gratiæ magnitudinem, iuxta illud Eccleſ. 24. *Ego quaſi trames aquæ immenſæ de fluuio, ego quaſi fluuius Dioryx, & ſicut aquæductus exiui de paradiſo.*

Ex *motiuo autem* ex quo originatur Humilitas, 3 ſupereminet aliis virtutibus, quæ ſunt circa paſſiones, quia vt dicit *S.Thom. infr. Quæſt.*161.*art.*1. *ad* 5. *& art.*2. *ad* 3. Ratio ſubiiciendi ſe aliis per humilitatem ſumitur præcipuè ex reuerentia diuina, ex qua contingit, vt homo non plus ſibi attribuat, quàm ſibi competit. Et ratione huius motiui, à quo originatur humilitas præfertur Virginitati, & propinquiſſima dicitur virtutibus Theologalibus à *D.Thom in* 4.*diſt.*33.*Quæſt.*3.*art.*3.*ad* 6. Et hoc ideo eſt, Quia per humilitatem intendit homo ſubiicere ſe aliis, præſertim Deo, quod maximè contingit ex reuerentia ad eum, cui ſe ſubiicit. Et ex hoc accipienda eſt differentia inter Humilitatem, & Fortitudinem; quod motiuum ad reprimendum appetitum excellentiæ (quod facit Humilitas) cum ſit reuerentia Dei, diſtinctum eſt à motiuo, quo quis firmatur ad proſequendos honores, quibus eſt dignus (quod facit Magnanimitas) & ita ſunt diſtinctæ virtutes; cùm tamen ad eandem virtutem fortitudinis pertineat reprimere audaciam, & firmare animum contra Timorem, quod vtrumque fit ex eodem motiuo. De quo vide *S.Thom.cit.Q.*161.*art.*3.*& Caiet.*ibidem.

Comparatur Religio Pœnitentiæ.

Circa *Quartam* Virtutem, ſcilicet Pœnitentiam, 1 plura Theologi dicunt 3.*p. Quæſt.*85. *art.*2. vbi videri poteſt *M. Nugno, & Suar.* Nos verò breuiter duo dicimus. *Primum* non eſſe admittendam *Caiet.* ſententiam *loco cit.* 3.*p.* Qui vt probabile exiſtimauit quod virtus pœnitentiæ non diſtinguitur à Religione, quia actus eius (inquit) ſubſtantialiter eſt ſubmiſſio voluntaria ad Diuinam Maieſtatem, & ſolùm addit ſuper alios actus Religionis, quod ſit pro offenſa Dei. Hoc autem non variat ſpeciem actus Religionis, quia etiam actus Gratitudinis, & Fidelitatis ſunt actus Religionis ſubſtantialiter, & tamen debitum Gratitudinis erga Deum naſcitur ex beneficio accepto,

&

& Fidelitatis ex promiſſione: ergo quod ſubmiſſio confeſſionis, & ſatisfactionis naſcatur ex debito offenſæ factæ Deo non variat ſpeciem Religionis. Et ideò *Suar.* cenſet probabilem ſententiam *Caiet. lib. 3. de Relig. cap. 7. num. 9.* Sicut eſt probabile Fidelitatem, & Gratitudinem erga Deum non eſſe virtutes diſtinctas à Religione. Cæterùm *S. Thom.* expreſsè tenet oppoſitum. Nam *loco cit. 3. p.* ponit Pœnitentiam eſſe ſpecialem virtutem. Et expreſsiùs illam diſtinguit à Religione *in 4. diſt. 14. Q. 1. artic. 1. Quæſtiuncul. 6.* ex diuerſa ratione debiti, quæ inuenitur in Religione, & Pœnitentia, quia in Religione homo eſt debitor Deo per hoc, quod ab illo recipit vt à primò principio: in Pœnitentiâ verò per hoc quod à Deo ſubtraxit, & in eum peccauit. Et idem habet *diſt. 15. Q. 4. art. 7. ad 2.*

2 Nec *ſatisfacit Caiet*, dicendo, Quòd *S. Thom.* loquitur de ſpeciali virtute *largo modo*; ſicut (inquit) in ipſa doctrina *D. Thom.* poſita eſt Virginitas ſpecialis virtus, quæ tamen non eſt niſi Religio determinata ad tam excellentem materiam. Hoc (inquam) præter quàm quod non ſatisfacit *loco citat. in 4. ſentent.* in exemplo allato, contradicit ſibi *Caiet.* Qui *2, 2. Q. 155. art. 3.* dixit, Virginitatem eſſe ſpeciem Temperantiæ, licet non per differentiam temperantiæ, ſed Religionis ab aliis diſtinguatur. Sicut Adulterium eſt ſpecies luxuriæ, & tamen per differentiam iniuſtitiæ ab aliis ſpeciebus luxuriæ differt. Conſtat autem adulterium ſubſtantialiter eſſe actum luxuriæ; ergo, & virginitas ſubſtantialiter eſt ſpecies temperantiæ, non Religionis, alias eſſet nobilior humilitate, ſi ſubſtantialiter eſſet actus Religionis, quod eſt contra *D. Thom.* ſupra.

3 *Differentia autem* inter Fidelitatem, & Gratitudinem ex vna parte, & Pœnitentiam ex alia, manifeſta eſt ex dictis *ſupr. art. 5.* Quia in virtutibus, quæ reddunt debitum alicui, fundatum in ſpeciali ratione talis perſonæ, non diſtinguuntur virtutes reddentes debitum, niſi diſtinguatur ratio fundans illud ex parte ipſius Perſonæ, vt patet in Pietate, quæ reddit debitum parentibus. Ex eo enim quod Gratitudinem habeamus ad parentes, vel illis largiamur eleemoſynam, ſi ſunt in neceſſitate, non diſtinguuntur diuerſæ virtutes pietatis; quia gratitudo, & eleemoſyna non eſt ex ſe debitum fundatum in dignitate perſonæ patris, quatenus pater eſt, ſed eſt commune de ſe parentibus, & non parentibus. Vnde talis diuerſitas debiti non variat ſpeciem pietatis; ſed eleuatur illud debitum commune fundatum in actione, & non in perſona, ad ſuperius debitum, quod eſt pietatis. Sic ſimiliter debitum Religionis eſt debitum fundatum in excellentia perſonæ, cui redditur, ſcilicet Dei. Vnde illa debita, quæ redduntus Deo non vt fundata in excellentia perſonæ, ſed fundata in aliqua actione, vt gratitudo, & fidelitas, quæ fundatur in acceptione beneficij, & promiſſione. quando redduntur Deo non conſtituunt particularem virtutem, nec particulare debitum erga Deum, ſed trahuntur ad debitum altius, quod eſt cultus diuinus, ſicut gratitudo erga parentes non eſt virtus particularis erga parentes, ſed trahitur ad debitum pietatis. At verò pœnitentia ex propria ratione ſua habet debitum erga Deum fundatum in ipſa excellentia Dei alia ratione, quàm Religio. Et ideò diſtingui debet ab illa, non enim reddit Deo id, quod ei debetur, in quantum eſt primùm principium creaturæ, quod facit Religio; ſed quod debetur ei, in quantum eſt læſus, & offenſus a creatura peccante per ſubtractionem debiti honoris: hoc autem non reddere Deo honorem, qui ei debetur ratione excellentiæ diuinæ, ſed ſublatum reſarcire. Et ſi reſpicit excellentiam Dei offenſam, quæ fundat debitum pœnitentiæ, non excellentiam Dei producentem, & vt eſt primum principium, quæ fundat debitum Latriæ, & Religionis.

Secundùm *quod dicimus eſt*, Quòd ſuppoſita diſtinctione pœnitentiæ a Religione, neque approbanda eſt ſententia *Suar lib. 3. de Relig. cap. 9. num. 17.* neque *M. Nugn, 2 tom. in 3. p. Q. 85. art. 6. dub. 2.* Qui per extrema procedentes, *Primus* ſine vlla reſtrictione poſuit pœnitentiam eſſe excellentiorem Religione, quia attingit debitum magis rigoroſum, & magis accedens ad perfectionem iuſtitiæ quia ius diuinum læſum magis debet reſarciri, quàm cultus. *Secundus* verò ſine vlla diſtinctione dixit Religionem eſſe excellentiorem pœnitentia. Cæterùm Nos media via procedimus. Nam pœnitentia poteſt comparari cum Religione acquiſita, vel cum infuſa. Si compararetur cum acquiſita, pœnitentia eſt ſuperior Religione, quia pœnitentia intrinſecè, & ex ſe eſt virtus infuſa, vt tradunt communiter Theologi *3. p. Q. 85. art. 6.* Et videtur deduci euidenter ex principiis definitis in *Concil Trid.* Nam *ſeſſ. 14. cap. 4. can. 5.* definitum eſt quod *Qui dixerit contritionem non eſſe vtilem dolorem, nec præparare ad gratiam, anathema ſit.* Diſpoſitio autem ad gratiam debet eſſe ſupernaturalis; cum inter diſpoſitionem, & formam ad quam diſponitur, debeat eſſe poſitiua propoſitio. Et ideò dicitur in *eod. Concil. ſeſſ. 6. can. 3.* quod *Si quis dixerit ſine præueniente Spiritus Sancti adiutorio poſſe hominem pœnitere, vt oportet, vt ei iuſtificationis gratia infundatur, Anathema ſit.* Eſt ergo pœnitentia virtus ſupernaturalis infuſa, & conſequenter ſimpliciter excellentior Religione acquiſita. Et in hoc caſtigamus ſententiam *M. Nugn.* neque eius ratio aliud conuincit; quia Religio (inquit) excellentiori modo reddit debitum Deo, ſcilicet, per ſe, pœnitentia autem per accidens, id eſt ſuppoſito peccato. Nam ex alia parte ſimpliciter excedit, quia pœnitentia reddit Deo debitum ſupernaturaliter, Religio autem acquiſita, naturaliter.

Si verò compararemus Pœnitentiam cum Religione infuſa, ſic Religio eſt ſuperior pœnitentia. Et in hoc tenemus contra *Suar.* Videtur tamen ſententia *D. Thom. loco cit. 3. p. art. 6. in fine corporis*, vbi inquit, Quòd *pœnitentia quantum ad aliquid eſt prima inter cæteras virtutes ordine temporis; quantum ad eius actum, qui primus occurrit in iuſtificatione impij: ſed ordine naturæ videntur eſſe aliæ virtutes priores; ſicut quod eſt per ſe, eſt prius eo, quod eſt per accidens. Nam aliæ virtutes per ſe videntur eſſe neceſſariæ ad bonum hominis: pœnitentia autem per accidens ſuppoſito peccato.* Vbi S. D. non ſolùm comparat pœnitentiam aliis virtutibus, quantùm ad vſum, vt explicat *Suarez*, ſiquidem quantùm ad actum, ſeu vſum dicit pœnitentiam eſſe priorem; ſed etiam quantum ad naturam, & non vſum, in quo dicit eſſe poſteriorem. Et cum ordo naturæ ſit ordo perfectionis, pœnitentia in perfectione poſterior eſt aliis virtutibus. 5

Et *hinc ſumitur Ratio huius.* Quia Religio, & pœnitentia, licet conueniant in obiecto cui ſeu 6

termino

termino *ad quem*, tamen ex parte materiæ, & obiecti *quod*, pœnitentia non ſe habet directè, & immediate ad honorem diuinum, ſicut Religio, ſed quaſi in.. ..e, & indirectè, quatenùs deſtruit offenſam Dei, & peccatum q.. .. ..oſitiuè. Peccatum autem opponitur pluribus, & ideò à pluribus cauſis deſtruitur ad quas dicitur .. pœnitentia. Nam peccatum eſt actus voluntarius circa aliquam materiam quo bono conſtituit in creatura finem vltimum, quod eſt proprium Dei. Et pro ea parte, qua eſt peccatum in aliqua determinata materia, V. g intemperantiæ, deſtruitur per oppoſitam virtutem in illa materia, ſcilicet, Temperantiam. Et pro illa parte, qua in .. finis vltimus conſtituitur, per Charitatem deſtruitur, quæ ponit finem vltimum in Deo. Et ideò di.. p.. centia præciſe de peccato præterito eſt immediat.. actus charitatis, vt docet *S. Thom. Q.* 85. *art.* .. *ad* 1. 3. *p.*

Denique *pro ea parte*, qua offendit Deum tol.. ..ndo ab eo, id quod eſt proprium Dei, ſic eſt ex.. ..b.. le per actus ipſius peccantis, qui debet hoc ..facire, & pertinet ad pœnitentiam; ſicut etiam idem peccatum quatenùs inducit maculam in anima . tollitur per gratiam. Hoc autem quod eſt tollere peccatum ea præciſè ratione, qua expiabile eſt ab ipſo, qui commiſit, dicit quemdam modum iuſtitiæ ad Deum valde imperfectum. Non enim pertinet ad pœnitentiam tollere abſolutè, & quantùm ad omnia peccatum, ſed diſpoſitiuè, & imperfectè, eo ſcilicet modo, quo expiari poteſt ab ipſo, qui commiſit peccatum; hoc enim eſt eſſentiale pœnitentiæ quod ſit reſtauratio offenſæ per modum expiationis ab ipſo qui peccauit; qui autē peccauit, non poteſt perfectè reddere Deo iuſtum rigoroſum, ſed imperfectiſſimè diſpoſitiuè. Vnde vt perfectè fieret hoc iuſtum, & tolleretur ex iuſtitia peccatum, neceſſarium fuit; vt ille veniret, de quo ſimpliciter, & perfectè dicitur, *Ecce qui tollit peccata mundi.*

8 Pœnitentia ergo non ſimpliciter tollit peccatum, ſed diſponit ad tollendum Et ideò neceſſaria eſt Charitas, quæ ponendo finem vltimum oppoſitum, tollat illud tanquam inducens formam oppoſitam, & à Paſſione Chriſti tollitur per iuſtitiam perfectam. Et ideò aliter concurrit Paſſio Chriſti ad tollenda peccata, aliter Charitas, & gratia, & aliter pœnitentia: Religio autem non vt diſpoſitio, ſed vt per ſe, & directè reddit Deo honorem debitum à creatura, vt dicit *D. Thom. in art.* & ideò inuenitur in ſtatu innocentiæ, & in Angelis & in Chriſto, in quibus tamen non ponitur Pœnitentia. Ex his patet ad rationem *Suarez* modò adductam.

9 Ad *id verò*, quod ab initio proponebatur pro hac virtute contra Religionem, etiam ex dictis Reſpondetur, Quod pœnitentia non eſt vltima diſpoſitio ad gratiam per ſe ſola, ſed vt coniun.. .., & formata à charitate; ſicut non quicumque calor eſt vltima diſpoſitio ad ignem, ſed calor vt octo, qui eſt coniunctus igni, & eſſe coniunctum eſt eſſe formatum. Et ideò pœnitenti.. .., & ſecundùm ſe indiget miſericordia Dei, vt hominem iuſtificet, quia per ſe ſola non induc.. debitum ad gratiam, alias gratia non eſſet gra.., & conſequenter ſi non inducit debitum, expectat miſericordiam, & illa adueniente formatur per charitatem, & fit diſpoſitio vltima expellens peccatum. Et ita dicitur in Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 4. *Ita demum præparat contritionis motus ad remiſſionem peccatorum ſi cum fiducia diuina miſericordia coniunctus ſit.* Non eſt ergo pœnitentia vltima diſpoſitio ad gratiam niſi e.. miſericordia Dei, vt formata charitate. De quo etiam videatur *D. Thom. Q.* 28. *de verit. art.* 1. *ad* 8.

Quod *denique* dico, vt tertias ſenſum *Suar.* Qui 4. *tom.* 3. *p. Diſp.* 8. *ſect.* 2. *num.* 3. dicit Quòd contritio vt formata ſupponit gratiam infuſam, & peccatum remiſſum, & ita non poteſt eſſe diſpoſitio ad remiſſionem peccati. Qui tamen non aduertit, quod ſicut diſpoſitio vltimá non dicitur formata, & vltima, quia ſupponit formam in eſſe perfecto informantem. ſed quia vltimatè coniungitur illi; ſic neque contritio formata ſupponit peccatum remiſſum in eſſe perfecto, ſed vltimatè coniungitur illi ex miſericordiâ Dei. Ex dictis autem conſtat quod reſtauratio honoris diuini læſi, cum non fiat à pœnitentia perfectè, & ſimpliciter, vt præſcindit à charitate, ſed ſolùm inchoatiuè, & diſpoſitiuè, non eſt tantæ perfectionis ſicut Religio, quæ reddit honorem debitum à creatura perfecti. Quòd autem reſtaurat honorem Dei læſum ſimpliciter, vt charitas, & ſatisfactio Chriſti excellentior eſt Religione. 10

Religio præfertur Obedientiâ,

Circa *Quintam*, & vltimam Virtutem, ſcilicet Obedientiam, illa expreſſè ponitur a *D. Thom.* inferior Religione, *infra Q.* 104. *art.* 3. *ad* 1. Vbi inquit, Quòd Obedientia procedit ex reuerentia Dei ſub Religione. Et hoc ideò, quia Obedientia ſolùm reſpicit Deum vt præcipientem; habet enim ſeruare præcepta Dei, vel ſuperioris, quia præcepta ſunt, & ſub ratione præcepti. Vnde ſicut per Religionem debet homo Deo cultum ratione primi principij, ita debet Obedientiam ratione primi præcipientis, & primæ voluntatis, cui debet conformari per Obedientiam. 1

2 Ad *illum* ergo locum 1. *Reg.* 15. Reſpondetur cum *D. Thom. loco citato*, Quòd ibi non præponitur Obedientia Religioni, & actibus eius abſolutè, ſed ſolùm exteriori actui, qui eſt occiſio victimæ, quando ex vera deuotione, & obedientia non ſit, imò obedientia, quæ præponitur victimis (vt inquit *D. Th.*) eſt Obedientia, quæ procedit ex reuerentia Dei, & Religione, non obedientia nuda, & præciſa. Et ſic patet ad locum *D. Th.* Dicit enim Obedientiam eſſe laudabiliorem alijs virtutibus, quæ propter Deum alia bona contemnunt, cum obedientia contemnat propriam voluntatem. Patet autem, quod Religio etiam habeat ſubiicere voluntatem Deo excellentiori modo, quàm Obedientia, quia ſubiicit illam excellentiæ Dei, non præcepto. Vnde non illi, ſed alijs virtutibus, quæ voluntatem Deo ſubiiciunt præfertur Obedientia. Similiter etiam interpretanda eſt authoritas *Gregor.* ſicut & illa 1. *Reg.* 15. Vel dic *ex D. Thom.* Quòd ad litteram obedientia præfertur victimæ, non quomodocumque ſed quæ fiebat contra mandatum Dei, vt fecit *Saul* contra mandatum Dei ſeruans pecora *Amalec* ad victimas.

3 Denique ad vltimum locum *D. Thom* Reſpondetur, Quòd ibidem expreſſè ponit Obedientiam habere medium, non quidem ſecundùm circunſtantias quanti, ſicut de Religione dixit *art. præcedenti*, ſed ſecundùm alias circunſtantias, vt ſi obediat quando non debet, vel qui non debet

bet : qua ratiune etiam in pœnitentia datur medium ; vt ſi quis ſatisfacere velit Deo , quando non debet , vel quomodo nun debet. Vnde in ſcriptura aliqnorum pœnitentia non probatur, vt Hebræor12., *Eſau non inuenit locum pœnitentia, quamquam cum la hymîs inquiſiſſet eam.* Et 2. Machab. 9. *Orabat autem hic ſceleſtus Dominum , à quo non eſſet miſericordiam conſecuturus.* Quòd veiò dicit *S. Thom.* Obedientiam oon habere medium inter duas malitias , hoc in virtote iuſtitiæ etiam inuenitur;quia omne peccatum contra iuſtitiam ſiue per exceſſum,ſiue per defectum eſt iniuſtitia : & omne peccatum contra obedientiam eſt inobedientia; non ſicut in aliis virtutibus, vt fortitudo quæ inter timiditatem eſt,& temeritatem,& ſpes inter deſpetationem & præſumptionem,quæ ſunt duæ malitiæ ſpecie diuerſæ in quantum extrema.

Articvlvs VII.

Vtrum Religio habeat aliquem Actum exteriorem,ſeu Aliquas exteriores Cæremonias.

1 In Titulo , ly *Exteriorem actum*, intellige actum corporaliter exercitum. Solet enim aliquado ſumi apud *D. Thom.* actus exterior non pro actu corporali tantùm , ſed pro quocumque actu imperato , & actus interior pro imperante,quia imperatus ſemper eſt extra imperantem , & ab illo exiens , & ita comparatur ad illum vt exterior. Quod egregiè notauit *Caiet.* 1. 2. *Quæſtio* 18. *art.* 6. Vbi actus volontatis interior dicitur ſe habere vt formale reſpectu exterioris , quia accipitur interior pro actu imperante , qui verſatur circa finem ; & exterior pro imperato , qui eſt circa ea , quæ ſunt ad finem. Et licèt *Suarez* exiſtimet omoem actum corporeum eſſe imperatom ab interiori , quidqoid tamen ſit de hoc , hic actus exterior noo ſumitur pro actu imperato à Religione qoomodocumque , ſed pro acto corporeo , & ſenſibili: de hoc enim eſt ſpecialis difficoltas, An tali actu poſſit Deus coli; cum ſit omnino incorporeus ?

2 Vnica *Concluſione* reſpondet S. *Thom.* Religioni conueniunt actos interiores , ſeu ſpirituales; & exteriores ſeu corporei ; illi quaſi principales, & per ſe , iſti quaſi ſecundarij , & ordinati ad Interiores. Probat hanc concluſionem primò in argumento *ſed contra* ex illo Pſalm. 83. *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Ex quo videtur , quod Deus ſit colendus , non ſolum actibus interioribus , qui pertinent ad cor , ſed etiam exterioribus , qui pertinent ad carnem. *Nec te moneat.* Quod exultatio in Deum videtur pertinere ad gaudium , qui eſt effectus charitatis , vt determinat S. *Thom. ſupra Quæſtio* 28. *art.* 1. non autem ad cultum : & ita non bene probatur ex gaudio exteriori , & interiori in Deum cultus interior , & exterior. Hoc inqoam mouere non debet. Quia ſæpe in ſacra Scriptura exultatio ſignificat laodationem Dei, quæ eſt pars cultus diuini , vt Iſai. 12. *Exulta, & lauda habitatio Sion.* Pſalm. 32. *Exultate iuſti in domino , rectos decet collaudatio* , & in Pſam. 80. *Exultate Deo adiutori noſtro. Iubilate Deo Iacob , ſumite Pſalmum , &c.* Et *Luc.* 1. *Exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo.* Vbi ſemper exultatio coniungitur cum laude Dei. Et ſic etiam hic exultatio cordis , & carnis ad Dei cultum pertinere intelligenda eſt , licèt ex charitate , vt ait S. *Thom* aut ex ſpe oriatur , vt interpretatur *Auguſt. Pſalm.* 83. iuxta illud Romam. 12. *Spe gaudentes.* Vel ſi *Exultatio* in rigore ſumatur pro *Gaudio* , quod oritur ex charitate, aot ſpe ; intelligitur argomentum *D. Thom.* procedere à ſimili , Quod ſicut gaudium pertinet ad cor , & carnem , ita , & cultus , qui ex tali gaudio frequenter oritur. Aut denique *exultatio* ſumitur pro deuotione,& alacritate animi in Deum; qua non ſolòm anima , ſeo etiam oſſa corporis perfundi videntur , iuxta illud Pſalm. 34. *Anima autem mea exultauit in Domino : omnia oſſa mea dicent* , *Domine quis ſimilis tibi* ? Deuotio autem , ſeu alacritas iſta eſt actus Religionis , & habet pro effectu lætitiam , ſeu exultationem vt *Quæſtione ſequenti art.* 4. *dicitur*, Optimè ergo ex tali exultatione probat S. *Thom.* concluſionem ſuam.

Secunda *Ratio* , qua oſtendit *D. Thom.* con- 3
cluſionem ſuam in corpore articuli conſtat duplici ſyllogiſmo in hunc modum. Reuerentia , & honos , qui exhibetur Deo per Religionem , non exhibetor propter Deum , id eſt propter vtilitatem Dei , ſed propter vtilitatem,& perfectionem noſtram : ſed perfectio , qdam ex cultu , & honore Dei conſequimur eſt ſubiici Deo : ergo modo, quo mens noſtra nata eſt ſubiici Deo , perficietur per Religionem. *Maior eſt certa.* Qoia licèt Religio ſit propter Deum tanquam propter finem , non tamen propter vtilitatem aliquam, quæ Deo proueniat ex actu Religionis , cùm in ſe ſit plenus gloria : ergo vtilitas , & perfectio quæ ex tali actu acqoiritur , cedit in noſtram vtilitatem , non Dei. *Min. vero probatur.* Nam omnis res habens ſuperiorem perficitur per hoc,quod ſubiicitur ſuo ſuperiori ; ſicut corpos per hoc, quod ſubiicitur animæ , & aër per hoc , quod ſubiicitur Soli illuminanti. Et hoc autem ſyllogiſmo procedit *D. Thom.* ad alium : Sed mens noſtra non poteſt ſubiici, & coniungi Deo in hac vita niſi per manuductionem ſenſibilium,quia *Inuiſibilia Dei per ea,quæ facta ſunt intellecta , conſpiciuntur* ad Rom, 1. Ergo in cultu Dei neceſſe eſt vti aliquibus corporalibus qoaſi ſignis , quibus mens hominis excitetur ad coniunctionem Dei habendam per ſpirituales actus. Ex quo alia conſequentia infertur: Ergo Religio habet interiores actus quaſi principales,& exteriores quaſi ſecundarios,& ordinatos ad interiores.

In *hac Ratione* circa primum ſyllogiſmum 4
nihil difficultatis occurrit. Circa ſecundùm verò in prima conſequentia occurrunt Hæretici: in ſecunda verò dubitatio metaphyſica eſt , Quomodo probetur exteriores actus eſſe verè actus Religionis diſtinctos ab eius materia: Quantùm ad primum,& ſi non inueniam Hæreticos,qui in vniuerſum abſtulerint omne genus exterioris cultus; hoc enim ipſa naturalis ratio dictare videtur , & ſacra Scriptura plena eſt cæremoniis , & actibus exterioris cultus , quibus in lege veteri colebatur Deus : aliquos tamen ex actibus viſibilibus colendi Deum Hæretici negauerunt. Nam ſacrificium viſibile , quod in rigore & proprietate ſit ſacrificium in noua lege negauerunt Hæretici noſtri temporis,contra quos diffinitur

… in *Conc. Trid. ſeſſ. 22. can. 1. & infra tractabitur … ſt. 85*

5 Aut *etiam* Hæretici abſtulerunt Templa, & omnia quæ in illis exteriùs celebrantur, vt *Manichæi* qui vt dicit *Auguſt. lib. contra Adamantium* probabant Deum veteris Teſtamenti non eſſe Deum verum, qui iuſſit ſibi ædificari templum. Quos ſecuti ſunt *Vuadenſes*, vt refert *Caſtr. lib. 4. de hæreſ. verb. Templum.* Et noſtro tempore *Anabatiſtæ.* Admittunt autem illa tantùm ad concionandum, & ſacra miniſtranda *Lutherani, & Caluiniſtæ*, contra quos diſputat *Bellarmin. tom. 1. controuerſ. 7. general. lib. 3. cap. 1. & 2.* Fundamentum ſumunt ex illo Act. 17. *Deus non in manufactis templis habitat, aut manibus humanis colitur.* Et Ioan. 4. *Venit hora, & nunc eſt, quando neque in monte hoc, neque in Hieroſolymis adorabitis Patrem. Spiritus eſt Deus; & eos, qui adorant eum, in ſpiritu, & veritate oportet adorare.* Et 1. ad Timoth. 2. *Volo viros orare in omni loco leuantes puras manus, &c.*

6 Veruntamen hic Hæreticorum error apertiſſimè conuincitur. In Scriptura enim fit mentio de Eccleſiis in quibus Chriſtiani conueniebant ad exteriorem cultum Dei exercendum, vt in 1. ad Corinth. 11. *Conuenientibus vobis in Eccleſia, &c.* Et infra *Numquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum? Aut Eccleſiam Dei contemnitis.* Et cap. 14. *Mulieres in Eccleſia taceant, non enim permittitur eis loqui. Turpe eſt enim mulieri loqui in Eccleſia.* Vnde diffinitur in *Concil. Grandrenſ.* Sub Siluestro Papa cap. 5. *Si quis docet Domum Dei contemptibilem eſſe, & Conuentus qui in ea celebrantur, anathema ſit.* Et cap. 20. *Si quis ſuperbia vſus affectu Conuentus abominatur, qui ad Confeſſiones Martyrum celebrantur, & miniſteria, quæ in eis fiunt ſimul cum eorum memoriis execratur, anathema ſit.* Denique probatur ex perpetuo vſu Eccleſiæ Catholicæ quem ita demonſtrant ipſæ antiquiſſimæ Eccleſiæ, quæ nunc extant, vt proinde ab hac Hæreticorum diſputatione nociua, & otioſa ſuperſedendum ſit, ſicut & ab aliis controuerſiis, quibus fidem impugnant, iuxta illud D. Ambroſii dictum in ſermone de Sanctis Nazario, & Excelio: *Magni periculi res eſt, ſi poſt Prophetarum oracula, poſt Apoſtolorum teſtimonia, poſt Martyrum vulnera, veterem fidem quaſi nouellam diſcutere præſumas, & poſt tam manifeſtos duces in errore permaneas, & poſt morientium ſudores otioſa diſputatione contendas.*

7 Ad *Loca ſacræ* Scripturæ facilis eſt reſponſio: Nam D. Paul. *Act. 17.* ſenſum ſuum explicauit, dicens. *Non in manufactis templis habitas, aut manibus humanis colitur, indigens aliquo.* Senſus ergo eſt, quòd non colitur Deus ex indigentia cultu exteriori; quia nihil gloriæ ſibi inde accreſcit quantum ad perfectionem, ſed ſolùm additur quædam extrinſeca denominatio, eo quòd nos colamus illum, quòd eſt in noſtram vtilitatem, vt dicit *S. Thom. in art.* Ad illud Ioan. 4. *Spiritus eſt Deus* &c. Sufficienter reſpondet hic S. *Thom ſolut. ad* 1. Et præterea dicitur, Quod in illis verbis ſignificauit Chriſtus ſecundùm modum allegoriæ tollendam eſſe adorationem non quantùm ad illum locum, ſed quantùm ad ritum Iudæorum, & Samaritanorum, quo in illis locis colebant Deum, & ſecundùm ſenſum moralem docuit, quòd veri Chriſtiani, & cultores Dei ea, quæ ad cultum Dei ſpectant magis ſecundùm ſpiritum,

Ioan. à S. Thom. in 2. 2. D. Thom.

& gratiam, quàm ſecundùm leges, & ceremonias implere debent: non tamen negat, quod ſecundùm ſpiritum talem gratiæ exteriora opera cultus Diuini facturi ſunt.

Ad *illud Apoſt. 1. ad Timoth. 2.* Reſpondetur, 8
vel loqui Apoſtolum de Oratione mentali, quæ omni loco fieri poteſt, vt interpretabatur ibi *D. Thom. lect. 2.* Vel ſi accipiatur de oratione externa, ly *Omne* non diſtribuit abſolutè, ſed ſecundùm accommodationem pro omni loco apto, & deſtinato ad orandum, quòd maximè fit in Eccleſiis, quæ ſunt domus orationis. Denique vt meliùs intelligantur Antiqui Patres, qui de hac re loquuntur obſerua. Quod aliquando ſumunt Templa in ſignificatione ſtricta, prout ſunt loca ordinata ad ſacrificium, & ſic, ſicut ſoli Deo, & non ſanctis debetur ſacrificium, ſimiliter & Templum. Quo ſenſu loquitur *D. Aug. lib. 8. de Ciuit. Dei, cap. vlt.* & alibi ſæpè, negans templa Martyribus. Aliquando verò ſumunt Templa prout in vſu erant apud Gentiles, & diſtinguuntur contra Eccleſias Chriſtianorum, vel ſynagogas Iudæorum: & ſic aliquando negant templa Chriſtianis. Quo ſenſu dixit *Hieronymus in epiſt. ad Rapar.* Iulianum Auguſtum Chriſti Eccleſias aut euertiſſe, aut in Templa conuertiſſe. Et Optat. lib. 6. *Quis noſtrum* (inquit) *templum intrauit?* Qua ratione etiam olim Chriſtiani a Gentilibus reputabantur vt Atheiſtæ, quia templum non habebant, vt obiicitur illis à *Cecilio* apud *Minutium Felicem.* Sed vt ab iſta Hæreticorum fæce ad noſtra Theologia reuertamur, *quantùm* ad ſecundam conſequentiam *D. Thom.* quam infert, debere dari exteriores actus Religionis vt ſecundarios, occurrit dubium.

Vtrùm actus exteriores ſint propriè, & eliciti à Virtutis Religionis?

Senſus eſt an iſti actus exteriores de quibus 1
hic agitur ſint ſolum ſigna actus interioris vt videtur inſinuare *D. Thom.* vel ſint actus proprij, & eliciti à Religione? actus enim elicitus ab aliqua virtute debet diſtingui à materia, & & obiecto talis virtutis. Actus autem exterior eſt materia, & obiectum virtutis, & actus interioris, vt docet S. *Thom. 1. 2. quæſt. 20. art. 1. ad 1.* Ergo actus exteriores non ſunt propriè actus Religionis, ſed ſolum materia, vel ſigna interioris actus. Propter quod *Suar. lib. 2. de Relig. cap. 2. & 3.* cenſet omnem actum externum Religionis eſſe imperatum ab illa, non elicitum propriè loquendo: licèt quando iſti actus externi non fiunt ab alia virtute diſtincta à Religione, appellentur proximè imperati ab illa. Imò addit *cap. 2. num. 2.* Omnem actum, qui eſt cultus Dei, non eſſe elicitum a Religione, ſed actum elicitum eſſe ſolùm affectum colendi Deum, ipſum verò cultum eſſe materiam talis affectus. Dicitúrque *Materia*, quatenus ſubiicitur virtuti dicitur verò *Actus*, quatenus ab illa efficitur ſaltem remotè, & imperate.

Itaque apud *Suar.* Solum Inuenitur tanquam 2
actus proprius, & elicitus à Religione affectus colendi Deum, qui affectus, (vt dicit loco citato *cap. 1. num. 10.*) includit omnes actus voluntatis, qui ſunt circa cultum Dei; ſcilicet amorem, deſiderium, propoſitum, intentionem, electionem, imperium, &c. Quæ omnia (inquit)

ad Religionem pertinent. Nec tamen negat actus externos fieri à Religione: ſed dicit effici mediantibus actibus elicitis. Ita quod actus eliciti a Religione ſint illi affectus interiores colendi Deum;& iſti efficiunt, & influunt in actus externos, vt in effectus,dicunturque materia virtutis,ſicut effectus eſt materia circam quam cauſæ efficientis. Ita *lib.* 1. *c.* 7. *n.* 2

3 Cæterùm Nos *ſupra articul.* 4. Satis oſtendimus ex *D.Thom.* quemcumque actum externum, ſi non habeat aliam ſpeciem moralem, quam Religionem, eliciriuè procedere a virtute Religionis Et ideò ſententia iſta *Suar.* admittenda non eſt. *D. Thom.* autem *in hoc articulo* intelligendus eſt de actu exteriori proprio, & elicito à Religione. De hoc enim erat difficultas ſpecialis, An ſcilicet haberet Religio actum corporalem; non verò an imperaret actum corporalem. Præſertim cum plurimi actus corporales inueniantur, qui non habent aliam ſpeciem, quàm rationem cultus; ſicut ſacrificare, & adorare ponuntur ſupra art. 1, elici à Religione,& ſimiliter *in* 3. *diſt.* 9. *Q.* 1. *art.* 1. *Quæſtiunc.* 2. Et ita fatetur *D. Thom.* dari aliquos actus corporales elicitos à Religione; ergo quod ſint exteriores, & corporales, & ſecundarij,non tollit. quod ſint eliciti.

4 Vt *autem* intelligamus, Quomodo actus exterior dicatur materia, ſeu obiectum virtutis, vel actus interioris; & ſimul ſit actus elicitus à virtute. Nota egregiam doctrinam *S. Thom. in* 3. *diſt.* 9. *quæſtio.* 1. *articul.* 1. *Quæſtiun.* 1. *in principio corporis*, vbi loquens de Religione inquit: *Seruitium, vel obſequium, quod Deo debetur, ſpeciali nomine nominatur, & dicitur* Latria. *Hoc autem nomen tripliciter ſumitur: Quandóque enim pro eo, quod Deo in obſequium exhibetur; ſicut ſacrificium genuflexiones, &c. Quandóque autem pro ipſa exhibitione, Quandóque verò pro habitu, quo exhibetur obſequium. Primo modo, Latria non eſt virtutis, ſed materia virtutis Secundo modo eſt actus virtutis. Tertio modo eſt virtus.* Hæc D. Thom. Ex quibus verbis colligimus, Quod eſſe actum Religionis, & eſſe materiam, *circa quam* Religionis diſtinguuntur, ſicut exhibitio actiua, & paſſiua obſequij,ſeu cultus,& ſeruitutis. Ita quod res exhibita in obſequium ſiue ſit operatio,ſiue res aliqua, eſt materia virtutis; & dicitur *Obſequium* obiectiuè. Exhibitio autem actiua, qua exhibemus talem materiam, eſt actus. Sicut autem quando materia exhibita in obſequium Dei eſt aliquod ſpirituale, nempe quando actum mentis, vel potius ipſam mentem exhibemus Deo per orationem, & deuotionem, actus exhibens debet etiam eſſe ſpiritualis,ita quando res exhibita in obſequium Dei eſt aliquid corporale, oportet quod actus exhibens non ſit tantùm corporalis, ſed etiam ſpiritualis. Et ita in ipſis ſenſibilibus, & corporalibus inuenitur exhibitio actiua, ſeu actus exhibens, & inuenitur exhibitio paſſiua, ſeu res exhibita. Et hac ratione inuenitur ibi diſtinctio inter materiam, & actus *Materia* in quantum eſt aliquid exhibitum, Actus autem, in quantum eſt exhibitio habens pro obiecto ipſam materiam exhibitam, quæ cedit in cultum Dei.

Ex *his colligimus Primò*, Quid intendat
5 *D. Thom. in hoc articulo* Quando diſtinguit inter actus interiores tanquam primarios, & per ſe, & exteriores tanquam ſecundarios. Non enim vult dicere, Quod actus interiores ſint affectus exhibendi Deo cultum, & exteriores ſint materia exhibita Deo per tales effectus. Intelligi enim non poteſt, quod detur aliquid corporale exhibitum paſſiuè, niſi detur exhibitio corporalis actiua, & conſequenter actus corporalis, qui non ſit materia. Sed ſenſus *D. Thom.* eſt, Quod aliqui ſunt actus interiores, qui ſunt ſpirituales, & quantum ad exhibitionem actiuam, & quantum ad paſſiuam, id eſt, in quibus, & res exhibita in obſequium Dei, & actus exhibens ſunt aliquid ſpirituale; ſicut oratio, & deuotio. Et iſti actus dicuntur principales in Religione quia Deum, qui ſpiritualis eſt, colunt in ſpiritu qui eſt res principaliùs ſubiecta Deo. Alij vero ſunt actus exteriores, quantùm ad rem exhibitam, & quantùm ad exhibitionem, qua exhibent in obſequium Dei aliquid corporale, vt ſacrificium, genuflexio, &c. Et iſti ſunt minùs principales, quia per illos proteſtamur ſupremum Dominum Dei actu quodam ſenſibili, quo manuducimur ad ſubijciendum nos ſpiritualiter Deo, quia non ſolùm ſpiritu, ſed & corpore debemus ſubiecti ei eſſe.

Qui *modus* explicandi expreſſiùs ponitur à 6
D. *Thom.* in 3. *diſt.* 9. *Q.* 1. *art.* 3. *Quæſtiunc.* 1. Ipſe ergo actus externus exhibens tale obſequium Deo, in quantum exhibens,eſt actus elicitus à Religione, & habet ſpeciem moralem virtutis effectiuè productam à Religione;res autem, quæ exhibetur in cultum Dei per talem actum, V. g. res. quæ eſt ſacrificata, eſt materia *circa quam* talis actus; & quia importat ſubiectionem corporalem dicitur eſſe ſignum ſpiritualis ſubiectionis, & ſic diſtinguitur actus elicitus exterior à materia,& obiecto, circa quod verſatur. Et quando *D. Thom.* dicit *in Q.* 20. *citat.* 1. 2. Quod actus exterior eſt obiectum voluntatis, & actus interioris, non loquitur de actu exteriori, vt actio, & exhibitio actiua eſt in executione, & elicientia, quin potius in hoc ſenſu expreſſè dicit actum exteriorem eſſe effectum voluntatis, & ſequi voluntatem: ſed loquitur de actu exteriori, vt includit materiam, ſeu obiectum ſuum, quod mediantè actu exteriori attingitur à voluntate, & actu interiori. V. g. furari, & occidere non ſunt obiectum voluntatis ſolùm in quantum actus ſunt quoad exercitium, & elicientiam,ſic enim ſunt effectus voluntatis; ſed vt per illos attingitur materia, & obiectum furti, vel occiſionis: & hunc ſenſum expreſſit ipſe *Doctor S. in loco cit. in* 3. *ſent. art.* 1. *Quæſtiunc.* 1. *ad* 2. dicens, *Quod licèt virtus habeat, quod ſit virtus ex actu interiori, tamen quod ſit determinata virtus habet ex actu exteriori: quia noſtra electio determinatur per actum exteriorem, qui elicitur, ſecundùm quem attingit virtus propriam materiam, vel obiectum ex quo ſpecificatur actus, vel habitus.*

Si *ergo* per exteriorem actum, vt dicit D. 7
Thom. attingitur materia, & obiectum ſpecificans; ipſe actus exterior non eſt materia, & obiectum interioris, in quantum actio eſt in exercitio, ſed vt includit obiectum, & materiam ſuam conformem, vel difformem rationi, à quo ſpecificatur actus. Et ideo bonitas, vel malitia ex obiecto priùs inuenitur in actu exteriori, quàm in voluntate quantùm ad apprehenſionem rationis, quæ talem actum faciendum

proponit

proponit voluntati in eliciendo actum, & exequendo. Actus exterior, V. g. furti accipit ſuam ſpeciem a voluntate effectiuè, obiectiuè verò à ſuo obiecto, vel materia, vt diſformi, vel conformi rationi. Similiter ergo actus exterior Religionis effectiuè, & elicitiuè habet ſpeciem ſuam à Religione interiori; obiectiuè verò à materia debita, & oblata in cultum Dei. Ex quo fit, quod multi ex illis affectibus internis numerati à *Suar.* vt propoſitum, deſiderium, & amor colendi Deum, non ſint perfecti actus Religionis, ſed inchoatiuè; quia non ſunt formalis redditio, & exhibitio cultus ſiue in materia corporali, ſiue ſpirituali, ſed origo, & inchoatiuo reddendi.

3 Colligitur *ſecundò* contra *Suarez*, Quomodo cultus poſſit eſſe actus elicitus a Religione, Cultos enim eſt idem quod obſequium, & vt diximus ex *D. Thom.* licet obſequium vt exhibitum ſit materia Religionis; tamen exhibitio eſt eius actus: & ita cultus ſumptus pro exhibitione actiua eſt actus elicitus Religionis. Dicere autem quod eſt imperatus quia ſit mediante actu interiori, improprium eſt. Licèt enim actus exterior quantum ad emanationem, & efficientiam dicatur mediatus, & ſecundarius; quantum ad ſpeciem tamen moralem dicitur immediatè elici à virtute, vt ipſe *S. D. dixit ſupr. artic.* 1. *ad* 1. Quia ſcilicet non habet aliam ſpeciem quam illius virtutis. *Vt ergo actus ſit imperatus* non ſufficit eſſe mediatus quomodocumque, ſed quantùm ad ſpeciem; quando videlicet ab imperante ſolùm habet ordinationem ad aliquem finem, ſpeciem verò ab alio principio. Et ex hoc explicabis *D. Thom.* quando in 2. *diſt.* 25. *Quæſt.* 1. *art.* 1. ait. Quòd motus corporis eſt ab appetitu, vt imperat motum, & à virtute affixa corpori vt ab exequenti. Nun enim negat, quin aliquando actus corporalis poſſit eſſe elicitus à voluntate quantùm ad ſpeciem moralem, quàm illi præbet effectiuè; licèt non quantùm ad rationem eo poteſtatis, & naturalitatis, quàm habet; quantum adhoc enim non elicitur immediatè à voluntate. Quomodo verò dinidantur actus interiores, & exteriores Religionis? Dicemus in initio ſequentis Quæſtionis, & ſimiliter quomodo in aliqua virtute diſtinguantur actus, & effectus, qui non ſunt actus, dicemus *in art.* 4. *ſeq. Quæſt.*

ARTICVLVS VIII.

Vtrum Religio ſit idem ſanctitati?

1 PRoponit *S. Thom.* hunc art. occaſione doctrinæ traditæ *ſup. Quæſt.* 80. *art.* 1. ibi enim *in* 4. *arg.* numerando partes principales iuſtitiæ, quas ponit *Andronicus*, ponit inter illas Euſebiam, & Sanctitatem, Cui argumento ſatisfaciens *D. Thom.* & admittens enumerationem poſitam ab illo authore, inquit, Quod *Euſebia dicitur quaſi bonus cultus, vnde eſt idem quod Religio. Et ad idem reducitur ſanctitas, vt poſtea dicetur* in *h*... *Sanct. Doct.* Quòd ergo ibi promiſit agere de tanto ... hic ad implet, quia non loquitur de ſanctitate ſupernaturali, quæ fit per infuſionem gratiæ, ſed de ſanctitate, quæ eſt virtus obſeruandi ea, quæ ſunt iuſta apud Deum, de hac enim loquebatur *Andronicus*, qui ſupernaturalem non agnouit. Et in ipſis ſupernaturalibus

aliud eſt ſanctitas gratiæ, aliud ſanctitas cultus ſupernaturalis pertinens ad Religionem infuſam ſicut ſanctitas cultus naturalis pertinet ad acquiſitam. De ſanctitate ergo quoad obſeruantiam diuini cultus, & de qua loquebatur *Andronicus* præſens articulus procedit.

2 Ex *art.* elicio Quatuor concluſiones. *Prima* Sanctitas ex Ethymologia nominis duo importat, ſcilicet Munditiam, & firmitatem. *Secunda Concluſio.* Sanctitas in homine dicitur per quam mens hominis ſe ipſam, & ſuos actus applicat Deo. *Tertia Concluſio.* Sanctitas non differt à Religione ſecundùm eſſentiam; ſed ſolùm ratione. *Quarta in ſolut. ad* 1. Sanctitas ſecundùm eſſentiam eſt virtus ſpecialis, & ſecundùm imperium, generalis ad omnes actus virtutum. Principalem Concluſionem, quæ eſt Tertia, probat S. *Thom.* Primò in *arg. ſed contra*, ex illo Loc. 1. *Seruiamus illi in Sanctitate, & iuſtitia.* Sed ſeruire Deo pertinet ad Religionem, vt dictum eſt *ſupr. ad* 1 *ad* 3, Ergo Religio eſt idem Sanctitati. Sed in probatione ſtatim ſe offert palmarius defectus. Nam pari modo poſſet inferre S. *Thom.* In conſequenti: *Ergo Religio eſt idem iuſtitiæ*, Nam in illa authoritate vitumque dicitur: *Seruiamus illi in Sanctitate, & iuſtitia.* Ergo ſi ex hoc licet inferre quod Religio eſt idem Sanctitati, licebit etiam inferre, quod eſt idem iuſtitiæ. *Deinde.* Quia ſeruire Deo in Sanctitate, & iuſtitia poteſt intelligi, quod ſeruiamus illi in Sanctitate tanquam materia cultus, vel tanquam diſpoſitione, qua diſponitur animus ad benè ſeruiendum Deo. Vnde ergo conſtat, quòd ſeruire in Sanctitate ſit idem quod ſeruire in Religione, qui eſt habitus efficiens ſeruitutem Dei: præſertim cum iuſtitia qua ſeruimus Deo, non ſit ipſa virtus Religionis ſeruiens, ſed materia, vel diſpoſitio recta ad ſeruiendum.

Nihilominus probatio S. *Thom.* vt efficax defendenda eſt, aduertendo ſolùm formalitatem, & proprietatem loquendi ſcripturæ. Non enim accipi debet ly *iuſtitia*, pro iuſtitia, quæ eſt virtus ſpecialis diſtincta à Religione, & Sanctitate, ſed de iuſtitia ad Deum; dicit enim, *In Sanctitate, & iuſtitia coram ipſo.* Iuſtitia autem coram Deo debet ſumi pro iuſto erga Deum, & hoc iuſtum ad Religionem, & Sanctitatem pertinet, quia vt dicit *Andronicus* citatus *in* 1. *argum. huius art. Sanctitas eſt faciens ſeruantes ea, quæ ad Deum ſunt iuſta*, & idem dicit *D. Thom. lect.* 1. *ad Roman.* 12. Quod Sanctitas ſeruat ea, quæ ad Deum ſunt iuſta. Vel ſi in alia explicatione iuſtitia ſumatur pro iuſtitia, quæ eſt circa homines, vt videtur velle *D. Thom. in Catena ſup. capit.* 1. *Lucæ*; non ſumitur pro iuſtitia præcisè, ſed vt ſit coram Deo, quod eſt iuſtitia imperata, & perfecta à Sanctitate, & Religione; quia ſolùm vt imperatur à Sanctitate fit ad hoc, vt placeat Deo, non hominibus quod eſt ſeruire in iuſtitia coram Deo. Et quocumque modo ex his duobus accipiatur probatio S. *Thom.* optime currit. Nam ſi iuſtitia accipiatur ibi pro iuſtitia erga Deum, ſeu obſeruatione iuſti ad Deum, eſt idem quod ſanctitas. Et ſic in conſequentia poteſt optimè inferri, quod Religio eſt idem per eſſentiam cum iuſtitia iſta, ſicut & cum Sanctitate; quia talis iuſtitia, & Sanctitas idem ſunt, & ſolùm differunt ſicut definitio, & defi-

nitum. Quaſi ſit ſenſus *in Sanctitate, quæ eſt iuſtitia coram ipſo.* Si vero ſumatur ibi ly *iuſtitia*, pro iuſtitia erga homines, quæ tamen imperatur à Sanctitate, ſic ſeruire Deo in iuſtitia Religionis eſt idem cum iuſtitia quantum ad imperium, & perfectionem, non tamen per eſſentiam, ſed cum Sanctitate Religio eſt idem per eſſentiam, quia Religio, & Sanctitas eſt illa, quæ perficit, & imperat tali iuſtitiæ, & ſic eſt idem cum Religione per eſſentiam, & cum iuſtitia per imperium.

4 Ad *ſecundum* dicitur, Quod *ſeruire Deo in Sanctitate*, ly *in ſanctitate* non poteſt ibi ſumi niſi in vi cauſæ efficientis ipſum ſeruitium, & obſequium Dei. Quia vt conſtabit ex dicendis Sanctitas eſt per quam homo applicat mentem ſuam Deo firmiter, & mundè, Quæ applicatio non niſi efficienter ſe habet ad obſequium Dei. Ex ſignificatione ergo Sanctitatis explicanda in *Corpor. articuli* hoc præſuppoſuit *D. Thom.* & hoc ipſum facit iuſtitia ſi accipiatur pro iuſtitia erga Deum: non autem id facit iuſtitia erga homines. Et ideò aliter ſe habet Sanctitas ad ſeruitiũ Dei & aliter iuſtitia, quæ eſt erga homines

Quomodo Sanctitas importet Munditiam, & Firmitatem,

1 CIrca *primam* Concluſionem nil quoad etymologiam ſanctitatis hic ſcribendum occurrit, qui voluerit conſultat *M. Torre ſupra hunc articul.* eruditè diſſerentem de illo puncto. Illud ſolùm reſtat explicare. Quid ſint illa duo, quæ importat Sanctitas? dicit enim concluſio *D. Thom.* quod importat duo, ſcilicet *Munditiam*, & Firmitatem. Explicare ergo oportet, quid ſint, & in quo conſiſtant iſta duo, an videlicet ſint actus, vel habitus, vel modi ex quibus Sanctitas coaleſcit? Et quidem *M Torre citat. numero.* 13. Videtur velle, quod munditia ſit aliquid prærequiſitum, & antecedens ad Sanctitatem, vt quædam diſpoſitio. Cum enim Sanctitas applicet mentem Deo, non debet applicare illam niſi mundam, & puram. Et ita puritas præſupponitur ad Sanctitatem, & eſt effectus quidam relictus ex omnibus virtutibus. Quia cum virtutes habeant depurare, & ordinare affectus noſtros, & paſſiones: tunc dicitur eſſe munda, quando non eſt affecta rebus inordinatis: inquinatio enim mentis affectus eius eſt ad inferiora, & immundiora, ex quorum amore inordinato coinquinari dicitur, iuxta illud Oſee 9. *Facti ſunt abominabiles ſicut ea, quæ dilexerunt.* Talem ergo munditiam, & puritatem ſupponit Sanctitas & tunc applicat, & refert ad Deum mentem mundam; quæ munditia dicitur effectus, ſeu diſpoſitio quædam relicta ex virtutibus. Quia ex eo quod depurantur affectiones ab inordinatis rebus, relinquitur mens ſic diſpoſita, ſed ſeu habens hunc effectum, & diſpoſitionem, quod eſt eſſe puram.

2 Cæterum hoc amplius oportet explicare. Eſt enim notanda ſolutio *ad 3. huius articuli* vbi ait *S. Thom.* Quod temperantia munditiam quidem operatur, non tamen ita quod habeat rationem Sanctitatis, niſi referatur in Deum ſicut etiam dicit *Auguſt.* Quod virginitas, non quia virginitas, ſed quia Deo dicata eſt, honoratur. Ex quo colligimus, quod munditia, vt ad Sanctitatem pertinet, pendet ex duobus, ſcilicet à virtute operante munditiam, quæ eſt temperantia, & cæteræ virtutes, licèt per antonomaſiam attribuatur temperantiæ, & pendet ab eo à quo talis munditia refertur in Deum. Et ſic munditia quantum ad iſta duo, ſcilicet, vt munditia relata in Deum, pertinet ad Sanctitatem & pro illa parte, qua eſt munditia præciſe, non habet aliud, quam repellere immunda, & impura. Et ita repellere affectiones immundas pertinet ad omnes virtutes, & ſpeciali modo ad Temperantiam, vt probatum eſt, & prout ſic puritas non eſt habitus operatiuus, aut actus, ſed diſpoſitio quædam tanquam effectus relictus ex ordinatione virtutum, quia munditia iſta pertinet ad pulchritudinem ſpiritualem animæ, quæ importat debitam proportionem affectionum ſecundum rationis claritatem: & talis pulchritudo eſt effectus honeſtans generaliter acceptæ, quæ eſt conditio omnium virtutum, vt docent *S. Thom. infr. Quæſtio.* 145. *articul.* 1. & 2. Præſertim *ad* 2. Pulchritudo autem non eſt diſpoſitio operatiua, ſicut patet in pulchritudine corporali, vt dicit *S. Thom.* 1. 2. *Quæſtio*, 5c. *art.* 1. Pro illa verò parte, qua munditia refertur, & applicatur ad Deum, ſic non eſt effectus omnium virtutum, neque antecedit Sanctitatem, ſed eſt effectus Sanctitatis. Itaque puritas, ſeu munditia prout dicit receſſum ab impuritate, & depurationem ab affectibus inordinatis, pertinet ad alias virtutes ordinantes iſtos affectus prout verò dicit acceſſum ad terminum totius puritatis, qui eſt Deus, per ſubiectionem, & obſequium eius, ſic pertinet ad Sanctitatem, & ex hoc magis purificatur mens hominis, ſicut nobilitatur quis ex eo, quod ſeruiat Regi Et ita iſta puritas eſt effectus Sanctitatis, ſicut diſpoſitio quædam relicta ex coniunctione ſeruientis cum ſuo ſuperiori. Non ergo munditia, quam importat Sanctitas eſt omnino præſuppoſita ab ipſa, ſed etiam principaliter effecta ab ipſa.

Circa *Firmitatem*, quam Sanctitas importat, aducrtit *M. Torre*, Quod illa neque eſt conditio generalis omnium virtutum (ſiquidem omnis virtus firmitatem habet in eo, quod non cedit ſuo contrario, de quo *D. Thom.* 1. 2. *Quæſtio.* 61. *articul.* 3.) neque eſt particularis illa conditio virtutis fortitudinis, qua firmatur animus contra timores; aut eſt virtus ſpecialis ſecundaria, & potentialis fortitudinis, quæ dicitur Firmitas, ſeu Perſeuerantia, de qua *D. Thom. infr, Q.* 132. *art.* 2. Sed firmitas Sanctitatis, inquit *M. Torre*, eſt firmitas operis, quo quis ſe dedicat Deo: & ita eſt actus quidam Sanctitatis. Poteſt ergo dici firmitas depurationis reſultans ex applicatione actiua, & poſitiua mentis ad obſequium Dei. *Cæterum* hoc vltimum explicatione indiget. In his enim, quæ applicantur Deo per Sanctitatem, duplex firmitas conſideratur. Vna ex parte ſubiecti, ſcilicet quod ſubiectum maneat firmiter applicatum; & ligatum Deo: alia ex parte obiecti, ſcilicet, quod applicetur ei, quod eſt omnino immobile, & firmum, licèt ex parte ſubiecti poſſit deficere. Applicatio ergo mentis, vel alterius rei ad obſequium diuinum eſt actus Sanctitatis, ſed non ſemper importat firmitatem ex parte ſubiecti, niſi quando per modum conſecrationis, vel promiſſionis res aliqua depuratur & applicatur Deo, tunc non taliter firmatur ſubiectum 3

firmi

firmitate morali obligationis, qood non poteſt retrocedere, nec deſiſtere ab illa applicatione ſine peccato; ſicut quando quis per votum ſe obligat, ſiue tantùm promittendo, ſiuè etiam tradendo. Et ſimiliter quando aliqua veſtis, aut vas conſecratur cultui diuino, tunc enim oon licet in profanos vſus conuertere, quia per conſecrationem ligatur Deo. At verò vt Sanctitatis actus ſit firmus, non requiritur iſta obligatio ex parte ſubiectr, ſed ſufficit firmitas ex parte obiecti, ſcilicet Dei, ad quem tendit applicatio ſanctitatis. Et ita D Thom. in præſenti art. 8. in medio Corporis dixit, Quod *Firmitas exiguur ad hoc, quod mens applicetur Deo. Applicatur enim* (inquit) *ſicut vltimo fini, & primò principio. Huiuſmodi autem oportet maximè immobilia eſſe.* Vbi S. Thom. probat firmitatem applicationis ex firmitate, & immobilitate primi principij, & vltimi finis. Hæc autem immobilitas tenet ſe ex parte obiecti cui mens applicatur: ergo firmitas Sanctitatis ex parte obiecti ſumitur. Et quia actus Sanctitatis tendit ad tale obiectum, de ſe petit illam firmitatem; licèt ex parte ſubiecti non ſemper eàm habeat. Sicut de charitate cuius exemplum affert hìc *S. Thom.* conſtat, quod qnaotùm eſt ex ſe firma eſt, eo quòd vnit nos Deo, licèt ex parte liberi arbitrij poſſit deficere, vt optimè explicat ipſe *S. D. ad Rom.* 8. *lect.* 7. *in fine.*

5 E *hinc colliges* quare firmitas Sanctitatis quando non eſt firmata voto, vel conſecratione, non inducit eius fractio peccatum mortale, ſed ad ſummom veniale; in quo tamen valdè torquetur *M. Torre.* Sed eius ratio facilè ex dictis conſtat; Quia ſcilicet tunc non importat obligationem ex parte ſubiecti, ſed ſaluatur firmitas Sanctitatis per hoc, quòd habeat firmitatem ex parte obiecti, cui ſe applicat, & ex ordine ad illud, vt ex *D. Thom.* oſtendimus; non tamen neceſſariò requirit litigationem, & firmitatem ex parte ſubiecti ad permanendum in tali applicatione, vt patet in his, qui ex deuotione, aut bono propoſito aliquod opus Sanctum faciunt: Deſiſtere enim ab illo, ſi aliàs non eſt præceptum, aut in vnto, non eſt mortale. Et ſic patet, quid ſit *Firmitas*, quam Sanctitas exigit. Eſt enim ſubſtantialiter ipſa applicatin ad obſequium Dei, vt ſtatim explicabitur; & eo ipſo quo eſt ad Deum, habet firmitatem ex parte obiecti. Et ſic iſta applicatio eſt Sancta, id eſt, firma ratione obiecti; aliquando verò, ſed non ſemper, importat firmitatem ex parte ſubiecti, quòd non eſt aliud, quàm obligatio orta ex conſecratione, vel deputatione, aut voto, vt res ſit firmiter ligata Deo.

In quo conſiſtat Sanctitas.

1 Circa *ſecundam*, & tertiam Concluſionem, tria aduertenda ſunt ad eius exactam intelligentiam. *Primò.* Cur Sanctitas conſiſtat in applicatione ad Deum? Quod, vt radicitùs intelligatur, aduerte. Quod Sanctitas reperitur in Deo. & in hominibus, & vtrobique importat illas duas conditiones à *D. Thom.* explicatas, ſcilicet monditiam, & firmitatem. Sed in hominibus per modum applicationis; in Deo autem noo. Et quòd Saoctitas in Deo importet ſolùm illas duas rationes apertè colligitur ex Scriptura, vbi explicatur ratio cur Deus dicatur ſummè Sanctus 1. Regul. 2. *Non eſt Sanctus, vt eſt Dominus, neque enim eſt alius extra te; & non eſt fortis ſicut Deus noſter.* Vbi in illis verbis: *Neque enim eſt alius extra te.* Redditur propriè, & per ſe ratio, cur Deus, ſit Sanctus, ſcilicet, *quia non eſt alius extra illum, neque fortis ſicut ille*: quia in Deo ipſum eſſe dicit puriſſimam actualitatem, quia eſſe eſt actualitas omnis formæ, vt oſtendit *S. Thom. 1. part. Quæſt. 4. art. 1. ad 3.* Et in Deo iſta actualitas eſt ſumma, quia ratione illius eſt expers omnis potentialitatis, & imperfectionis. Et ideò pro ratione Sanctitatis in Deo quantum ad puritatem, & munditiam dicitur, quòd *non eſt alius extra te*, id eſt, non eſt aliquid, quòd ſit ſimpliciter, & habeat eſſe plenum, & purum ab omni potentialitate ſicut Deus. Similiter quia eſt fortis ſuper omnia, propter omnipotentiam, & immutabilitatem ſuam, habet ſummam firmitatem. Si ergo pro ratione, cauſàque Sanctitatis in Deo ſolùm aſſignatur eſſe puriſſimum, ſecundùm quod non eſt aliud extra Deum; & firmitas ſumma, quia eſt fortis ſuper omnia, Sanctitas in Deo non importat niſi illas duas conditiones.

Vt *autem* Sanctitas deriuetur ad homines quantùm ad iſtas conditiones, oportet quòd homo id habeat per ſui applicationem ad Deum, quia in nulla creatura eſt ſumma puritas, ſed admixta imperfectioni. Vnde ex conuerſione ad creaturas tantùm potiùs homo ſit peccator, & abominabilis. Et ita vt mens reddatur pura, & ſancta, oportet, quòd applicetur ad purum, quòd non eſt creatura, ſed Deus, per cuius ſpiritum homo mundatur, iuxta illud Iſa. 4. *Si abluerit Dominus ſordes filiarum Sion, & ſanguinem Ieruſalem lauerit de medio eius, in ſpiritu iudicij, & ſpiritu ardoris.* Similiter etiam in nulla creatura redditur homo ſtabilis, & firmus, quia omnis creatura inſtabilis eſt, ſed ſolùm in Deo firmatur, iuxta illud Pſalm. 17. *Dominus firmamentum meum.* Vnde pulchrè dicit *Auguſt. 4. Confeſſ. cap. 11. Ibi eſt locus quietis imperturbabilis, vbi non deſeritur amor, ſi ipſe non deſeras; ibi fige manſionem tuam, ibi commenda quidquid inde habes anima mea ſaltèm fatigata fallacijs.* Et infrà. *Fluxa tua non te deponent, quo deſcendunt, ſed ſtabunt tecum, ac permanebunt ad ſemper ſtantem, & permanentem* Deum Optimè ergo demonſtratur ex ipſis conditionibus ſanctitatis, quòd Sanctitas in hominibus debet conſiſtere in applicatione ad ipſum Deum, quia in ſe ipſis, & in conuerſione ad creaturas neque puritas inuenitur, neque firmitas. Et ſic Sanctitas dicit iſtam applicationem; habitualis quidem Sanctitas habitualem, actualis verò actualem. In rebus verò inanimatis vt in vaſis, & templis inuenitur applicatio paſſiuè, & per denominationem extrinſecam.

Secundò *notandum eſt.* Cur ſola applicatio ad Deum per modum obſequij, & ſeruitutis (quòd pertinet ad Religionem) dicat rationem Sanctitatis, & non poſſit illud attribui alijs applicationibus ad Deum, qualis eſt virtutum Theologicarum, & Pœnitentiæ, Obedientiæ, &c. Et Quod vt ex ſuis principijs intelligatur, oportet conſiderare quòd applicatio ad Deum, vt 3

ſit Sancta, & reddat hominem Sanctum, non ſufficit, quod ſit quælibet applicatio, ſed quæ reddat hominem mundum, & firmum in Deo, quæ ſunt conditiones Sanctitatis. *Ex quo infertur*, Quod vt ſimpliciter, & abſolutè ſit Sanctus, oportet, quod ſimpliciter, & abſolutè ſit mundus, & firmus per depurationem ab his, quibus homo inquinatur, & infirmatur. Ad hoc autem neceſſe eſt, quod in nullo deficiat, & in nullo inquinetur, quia malum ex quocunque defectu eſt. Et ideò vt aliquid ſit immundum, ſufficit ſi in aliquo purum non ſit. Ergo Sanctitas ex intrinſeca ratione importat generalitatem quandam ad omnia opera humana, vt in omnibus illis homo depuratus ſit ab eo, à quo inquinari poteſt moraliter in affectu, vt ſuprà explicauimus. Et ſic applicatio ad Deum, vt dicatur applicatio Sanctitatis, debet eſſe non ſecundùm aliquam particularem rationem, ſed ſecundùm rationem, quæ ſe extendat ad omnia opera humana, vt illa non inquinentur, nec infirmentur in ordine ad Deum.

4 Applicatio autem iſta ad Deum ſic vniuerſalis, & generalis, dupliciter conſiderari poteſt. Vno modo ita quod habeat modum applicationis proprium; applicatio enim dicit quaſi motum, & tendentiam vnius ad aliud. Alio modo quantum ad effectum, & finem applicationis, ſcilicet vnionem, & coniunctionem eius, quod applicatur ad id, cui applicatur: ad hoc enim applicatio fit, vt res, quæ applicantur maneant coniunctæ, & vnitæ. Applicatio enim quantum ad vnionem pertinet ad virtutes Theologicas, & præcipuè ad charitatem, quæ reſpicit pro obiecto ipſum Deum propter ſe ipſum tantùm; & ideò vnitur ei. Et ita iſtæ virtutes conſiſtunt potiùs in applicatum eſſe ad Deum, quàm in applicari. Propter quod eminentiori modo habet charitas reddere hominem ſanctum, quàm Religio, mundando illum à peccatis; quia charitas operit multitudinem peccatorum. Et in *Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap.* 7. habes, Quod homo fit iuſtus dum merito paſſionis Chriſti charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui iuſtificantur. Et de hac Sanctitate hic non loquimur. Applicatio verò, quæ habet modum ipſum applicationis, importando quaſi tendentiam, & motum mentis, & aliorum operum ad Deum, non modum vnionis, & applicati eſſe; debet neceſſario reſpicere tendentiam ipſam, quaſi ordinando id, quod inferiùs eſt, per modum inferioris ad ſuum ſuperius; ſic enim conſideratur tendentia creaturæ ad Deum, quæ ſi non eſt per modum vnionis, debet eſſe per modum ſubiectionis, & obſequij. Et talis applicatio ſolùm inuenitur in virtute, qua ſeruimus Deo, quæ eſt Latria, ſeu Religio.

5 Obedientia autem, & Pœnitentia non reſpiciunt Deum ſecundùm generalem rationem ſeruiendi, & obſequendi ei in omni opere virtuoſo, quòd procedit à mente quia obedientia, vt eſt virtus ſpecialis ſolùm reſpicit obſeruantiam præceptorum, in quantùm ſunt præcepta à ſuperiore. Si verò accipiatur pro executione præceptorum, ſic non eſt virtus determinata, ſed pertinet ad illas virtutes, quarum actus præcipiuntur, vt ieiunium, præceptum ad abſtinentiam, &c. Et quia non omnes actus virtutis ſunt in præcepto; ideò obedientia, quæ eſt virtus, non ſe extendit ad omnia opera virtutum; ſicut facit ſanctitas, vt determinat *S. Thom. infr. Quæſt.* 104. *art.* 2. Similiter Pœnitentia ſolùm eſt pro his, qui peccauerunt ad ſatisfaciendum Deo pro peccato; non autem pertinet ad illam referre omnia opera virtutis ad Deum, etiam in his, qui non peccauerunt, in quibus tamen debet eſſe ſanctitas, cum pertineat ad omnes iuſtos. Et ideò vniuerſalior virtus eſt, quàm pœnitentia. Solùm ergo applicatio per modum ſeruitutis pertinet ad ſanctitatem, cùm per omnia opera bona debeamus Deo ſeruire.

Tertiò, *& vltimò notandum eſt*, Quomodo diſtingui debeat in Religione ſeruire Deo per ſanctitatem, & cultum, & quomodo iſta dicantur ratione diſtingui? Cuius intelligentia pendet ex eo, quod dicit *S. Thom. in hoc art.* 8. *in fine Corporis*, Quod *Religio dicitur ſecundùm quod homo exhibet famulatum in his, quæ pertinent ad cultum diuinum. Sanctitas verò ſecundùm quod homo non ſolùm hæc, ſed aliarum virtutum opera refert in Deum.* Quibus verbis *S. D.* diſtinguit ſanctitatem, & Religionem per exhibere famulatum, & ſeruitium Deo, & per referre opera ipſa in Deum. Quod non debet intelligi per modum vnionis, & dilectionis vt charitas, ſed per modum ſeruitutis. Quod clariùs diſtinguens *in* 3. *diſt.* 9. *Q.* 1. *art.* 1. *Quæſtiunc.* 2. *ad* 2. inquit: Quod *aliud eſt ſeruire Deo, & aliud exhibere aliquid in ſeruitutis recognitionem: primùm enim omni virtuti commune eſt. Secundum autem proprium eſt Latriæ. Vnde Latria includit ſeruitium in ratione ſui obiecti; aliis autem virtutibus accidit, & non pertinet ad proprias rationes ipſarum.* Sic D. Thom. Qui eodem modo *diſt.* 33. *Quæſt.* 3. *art.* 4. *Quæſtiunc.* 6. diuidit Religionem in Euſebiam, quæ ordinat ad Deum in cultu, qui exhibetur in proteſtatione ſeruitutis, ſicut ſacrificium, & huiuſmodi, & in Sanctitatem, quæ ordinat ad Deum in aliis operibus vitæ. Igitur Religio communiter dicta habet recognoſcere excellentiam diuinam per aliquid, quod tanquam materiam exhibet ad proteſtandam debitam ſeruitutem: & ita habet pro obiecto, ſeu materiam ipſam ſeruitutem proteſtatam; ſiue id quod exhibet in recognitionem huiuſmodi, ſiue aliquid corporale, ſiue aliquid ſpirituale, vt actum mentis. Qua ratione Oratio, & Deuotio ſunt actus Religionis vt diſtinguitur à ſanctitate. At verò Sanctitas habet eandem ſubſtantiam, & ſpeciem actus, ſcilicet ſeruire Deo, & ordinare mentem ad ipſum, non quidem exhibendo aliquid in proteſtationem ſeruitutis, ſed ordinando alia opera virtuoſa, vt illa fiant quaſi opera ſerui ad Dominum, & illis omnibus intendat Deo ſeruire, & intendere, & viuere. Et hoc dicitur à *D. Thom.* commune omnibus virtutibus accidentaliter; quia ſcilicet conuenit illis ex imperio ſanctitatis: per ſe autem, & elicitiuè conuenit Sanctitati applicare Deo mentem vt ſeruientem ei, ita vt ſit idem eſſe ſanctum, & eſſe ſeruum Dei ſecundùm mentem; & mediante mente, vt notauit hic *Caietan.* reſpicit opera aliarum virtutum. 6

Iſti *autem* actus, ſcilicet, ſeruiendi Deo referendo omnia ad ipſum per modum ſeruitutis, & exhibere Deo proteſtationem ſeruitutis, non ſunt diuerſæ ſpecies; quia vtraque importat ſubſtantialiter cultum, & obſequium Dei, ſed differunt ratione, vel ſecundùm aliquem modum; ſicut in humanis ille, qui ſeruit alteri non ſemper exhibet aliquid in proteſtationem, & recognitionem ſeruitutis. Sed aliud eſt 7

exercere

exercere officium ſerui exequendo ea, quæ domini ſunt, & applicando ſe, & opera ſua illi, vt ſeruus ad Dominum; aliud verò eſt exhibere, ſeu offerre aliquid in recognitionem dominij, licèt vtrumque ſeruitutis ſit, & ad cultum ſubſtantialiter pertineat. Et ideo poteſt aliquis eſſe Religioſus, & non ſanctus, vt aduertit hic *Caiet.* licet ſit idem habitus Sanctitatis, & Religionis; quia diuerſa applicatio eiuſdem habitus eſt ad ſeruiendum Deo interiùs, vel ad proteſtandum aliqua exhibitione ſeruitutem Dei. Sicut eodem habitu poteſt quis ſcire vnam concluſionem, & aliam ignorare in eadem ſcientia. Sic ad hoc quod aliquis denominetur ſanctus per illum habitum, non ſufficit habere habitum Religionis quomodocumque, ſed requiritur, quod habeat illum ſecundum quod applicat mentem interiùs ad ſeruiendum Deo, & ſic denominatur non ſolùm Religioſus, ſed etiam ſeruus Dei, ſeu Sanctus.

8 Verum eſt tamen, quod aliquando dicuntur aliqui ſancti ratione ſtatus, quo per profeſſionem alicuius legis, aut modi viuendi ab alijs ſeparantur, & quaſi puriores ſtatus aſſumunt. Qua ratione Iudæi olim dicebantur ſancti; & Gentiles tanquam peccatores reputabantur. Vnde dicitur Tob. 8. *Filij quippe ſanctorum ſumus, & non poſſumus ita coniungi ſicut gentes.* Et Apoſt. ad Galat. 2. *Nos naturâ Iudæi, & non ex gentibus peccatores.* Sic ergo philoſophandum eſt hic circa diſtinctionem ſanctitatis, & Religionis. Et conformiùs ad ſenſum *D. Thom.* quam ſit explicatio *M. Torr. hic num.* 8. *ad* 9. Vbi dicit, Quod ſanctitas differt à Religione, quia Religio offert Deo mentem abſolutè, Sanctitas verò dicat, & conſecrat mentem obſequio Dei. Quod tamen ſi intelligat de conſecratione, & dicatione ſpeciali, quæ inducit obligationem in mente ad Deum, falſum eſt, cùm hæc obligatio non reſultet ex ſanctitate quomodocumque, ſed ex voto, aut præcepto, & tamen extra votum, & præceptum poteſt quis habere propoſitum ſanctum, cuius tamen violatio non eſt peccatum. Si vero intelligat de conſecratione, aut dicatione quomodocumque non inducente obligationem, hæc non diſtinguitur ab oblatione mentis abſolutè, quam facit Religio: neque explicari poteſt in quo conſiſtat hæc dedicatio, & conſecratio non inducens obligationem niſi recurramus ad explicationem datam ex *D. Th.*

Quibus Virtutibus Imperet Religio?

1 Circa *Quartam concluſionem* eſt grauis difficultas, etiam inter Thomiſtas, Quomodo ſanctitas, quæ eſſentialiter eſt Religio poſſit imperare omnibus virtutibus, etiam ſi ſint ſuperiores, & perfectiores, quales ſunt virtutes Theologicæ? Et tota Difficultas ad vnum punctum reducitur, ſcilicet. Quod Religio eſt inferior illis virtutibus, quod autem inferius eſt non poteſt imperare ſuperiori. *Et præſertim hoc vrget*, Quia imperium in virtutibus fit per hoc, quod ordinant aliquid in ſuum finem; imperium enim eſſentialiter eſt ordinatio practica, vt conſtat ex *D. Thom.* 1. 2. *Quæſtio.* 17. *art.* 1. Omnis autem ordinatio, vel eſt circa finem, vel circa medium; finis autem nunquam ordinatur ad media, ſed media ad finem. ergo finis non ordinatur paſſiuè à medijs, neque ad media; & conſequenter neque imperatur à medijs, quia imperare eſt ordinare. Ergo neque virtus, quæ eſt circa finem ordinatur, & imperatur à virtute, quæ eſt circa medium; cum eadem ſit proportio virtutis ad virtutem, quæ eſt obiecti ad obiectum. Et ideo apud *D. Thom.* perpetuò reperitur, quod id quod eſt circa finem, ſiue ſit ars, ſiue virtus mouet imperio ſuo id quod verſatur circa ea, quæ ſunt ad finem, vt conſtat *ex* 1. 2. *Quæſtio.* 9. *art.* 1. *& Quæſtio.* 65. *art.* 3. *ad* 1. & alibi ſæpè. Quomodo ergo Religio, aut quælibet virtus inferior poterit imperare alteri ſuperiori, ſuppoſito quod ſuperior non ordinatur ad finem Religionis, cum Religio non ſit circa finem, ſed circa media reſpectu virtutis ſuperioris;

Nec *ſufficit dicere* (vt communiter dicunt Authores) Quod virtus inferior mouet ſuperiorem non ordinando illam in finem ſuum, ſed potiùs mouendo, vt auxilietur, & adiuuet inferiorem. Quam ſolutionem vltimatè admittit *M. Torre ſupra art.* 7. *Diſp.* 1. *numero* 8. Hoc 2
(inquam) ſtare non poteſt. *Tum* Quia *S. Thom. infr. Quæſtio.* 83. *articulo* 1. in hoc diſtinguit Imperium ab Oratione, quia Imperium ordinat, quaſi neceſſitatem imponens inferiori? Oratio verò ordinat mouendo ſuperiorem ad aliquid faciendum. Ergo ſi virtus inferior ſolùm ordinat de ſuperiori, excitando ipſum, & mouendo, vt ſibi auxilietur, & adiuuet, hoc non magis poteſt dici Imperium, quàm ipſa Oratio, ſeu deprecatio, quæ nullo modo imperium dicitur reſpectu ſuperioris. *Tum etiam.* Quia quando virtus inferior imperat hoc modo ſuperiori: vel ille actus procedit ex motiuo, & ordinatione virtutis inferioris, ita quod virtus inferior verè habeat influere in actum ſuperioris ſecundùm aliquam ordinationem finis, vel non? Si non habet, nullo modo imperat illi, & quod moueat illam ad adiuuandum, & auxiliandum ſibi, hoc poteſt conuenire omni virtuti inferiori, & ſic nihil peculiare diceret S. *Thom.* hic de Sanctitate, & Iuſtitia Legali, quod imperant omnibus virtutibus, cum quælibet virtus hoc modo poſſit dici quod imperat alijs, id eſt, mouet, & excitat illas vt adiuuent ſe. Si verò ex motiuo inferioris, & influentia eius procedit ille actus: ergo verè ordinatur actus ſuperioris virtutis ad finem inferioris, ſiquidem agit ex motiuo eius, & influentia eius; & hoc eſt relinquere difficultatem intactam, quia de hoc quærimus, quomodo ſit?

Vera *Reſolutio* huius Difficultatis eſt, Quod 3
ſermo formalis omnia ſoluit. Concedendum, quippe eſt, nunquam poſſe aliquam habitudinem, ſeu habitum inferiorem imperare ſuperiori formaliter, benè tamen ſuperiori materialiter. id eſt, rei, quæ aliàs ſuperior eſt, ſecundùm tamen rationem, qua imperatur eſt illi inferior. Sumitur Reſolutio hæc ex *Caiet. ſupra quæſt.* 32. *art.* 1. & expreſsè ex *D. Thom.* in 3. *diſt.* 9. *quæſt.* 8. *artic.* 1. *Quæſtiunc.* 3. *ad* 1. & ex parte ſequitur *M. Bañez* 2. 2. *quæſt.* 32. *artic.* 1. *dub.* 2. Nec te moueat quod dicit *M. Torre* hic, quod Caiet. *infrà quæſt.* 124. *artic.* 3. abſolutè, & ſine limitatione concedit, imperari actus virtutum Theologicarum à virtute inferiori: nunquam enim tale dicit *Caietan.* neque *artic.* 3. vbi id non tractat, neque *artic.* 2. *illius Quæſtionis* vbi

aliquid de hoc attigit ; ſed prorſus oppoſitum eius, quod dicit *Torre*, Quia inquit martirium elici à fortitudine, imperari verò à charitate; neque *D. Th. ſupr. Q. 32. citat.* inſinuat ſententiam *M. Torre*, ſolùm enim inquit actum miſericordiæ, & eleemoſynæ poſſe a Pœnitentia imperari, quatenus redditur ſatisfactorius, & a Latria quatenus ordinatur ad placandum Deum. Conſtat autem quod tam Pœnitentia, quàm Latria ſunt ſuperiores Miſericordia.

4 Noſtra *ergo reſolutio* apertè conſtabit ex ipſa eſſentiali ratione imperij, quæ (vt explicat *S. Thom.* 1. 2. *Quæſt.* 17. *artic.* 1.) eſt ordinare alicui, quid ſit faciendum cum motione efficaci, & ordinatio iſta ſic efficax, taliter intelligitur, quod imperatus, ſeu ordinatus ſubdatur, & obediat imperanti, alias imperium non erit efficax, ſi non reddit ſibi obediens imperatum. Et propterea dixit *Sanct. Thom. infr. Q. 83. art.* 1. Quòd Imperium eſt motio ſuperioris neceſſitatem imponens, in quo ab Oratione diſtinguitur. Cum ergo imperans in quantum tale ſit ſemper ſuperius ad imperatum, cum imperatum ſubdatur illi, oportet, quod imperans reſpiciat vlteriorem, & altiorem finem, ad quem ordinat imperatum, aliàs non erit illi ſuperiùs, Contingit autem aliquando actum alicuius virtutis, ſecundùm omnem formalitatem ſuam, & ſecundùm vltimum modum virtutis, quem habet, ordinari poſſe ad vlteriorem, & ad altiorem finem; & tunc erit inferior formaliter reſpectu virtutis, quæ illum finem reſpicit; vtpotè cum poſſit ordinari ad illum ſecundum vltimam formalitatem, quam habet: & ſic omnes virtutes ſunt formaliter inferiores charitate, & virtutes morales prudentia.

5 Aliquando verò contingit aliquam virtutem non poſſe ordinari ad vlteriorem, & altiorem finem ſecundùm omnem ſuam formalitatem, & ſecundùm vltimum, quod habet, benè tamen ſecundùm aliquam circunſtantiam, vel formalitatem, quæ ſibi addi poteſt à virtute inferiori; & tunc non imperatur ſimpliciter, & formaliter à virtute inferiori, poteſt tamen ille materialis actus virtutis ſuperioris, ſecundùm illam circunſtantiam, vel formalitatem, quæ ſibi additur imperari, & ordinari ab ea virtute, à qua talem circunſtantiam, vel formalitatem participat; quia ſub hac conſideratione eſt illi inferior, v. g. actus fidei, vel aliarum virtutum Theologicarum, ſecundùm ſe formaliſſimè conſideratus non poteſt imperari à Religione, quia ſecundùm ſuam vltimam formalitatem attingit ſupremo modo finem vltimum, nec habet vlteriorem finem, ad quem ordinetur. Cæterum poteſt addi illi aliqua circunſtantia, ſcilicet, quod fiat ex voto. Quia vt optime notauit *in hoc art. Caiet.* cum iſti actus ſint liberi, & liberè fiant, poſſum ego tali libertati addere obligationem, & pro hac parte, pro qua ille actus liber eſt, quaſi materialiter conſideratur & habere poteſt circunſtantiam aliquam, in qua dirigatur à Religione; ita quod ſi omittat illum actum exercere, peccet contra Religionem. Sic ergo non repugnat actum aliquem virtutis ſuperioris admittere aliquam circunſtantiam, vel formalitatem ratione cuius pertineat ad virtutem inferiorem; ſicut non eſt inconueniens vnum actum ſecundùm diuerſas formalitates pertinere ad diuerſas virtutes, vt dicit *Caiet. infr. Q. 124. art. 2.* Et cum non pertineat electiuè niſi ad virtutem, quæ dat illi ſpeciem eſſentialem, ad reliquas, etiam ſi inferiores ſint, pertinet imperatiuè ſecundùm quid. Et ſic ſaluatur quomodo actus virtutis ſuperioris poſſit moueri, & ordinari a virtute inferiori, ſcilicet ſecundùm quid, & in aliqua formalitate, in qua eſt illi inferior, non abſolute, & ſimpliciter.

Dices, Hoc ipſum poteſt conuenire cuicumque virtuti, etiam infimæ, vt videlicet circunſtantiam aliquam communicet actui ſuperioris virtutis; & conſequenter ex vi huius formalitatis ei communicatæ imperet illi. Sicut poteſt quis orare ad ſeruandam caſtitatem, & tunc caſtitas imperabit Religioni: ergo nihil peculiare dicit *S. Thom.* de Sanctitate, & iuſtitia legali, quod imperet omnibus virtutibus, cum hoc etiam aliis inferioribus conuenire poſſit. *Et confirmatur.* Nam communiter dicunt *Thomiſtæ* Incarnationẽ Chriſti, & eius mortem ordinatam fuiſſe ad redemptionem humani generis vt ad finem, quæ tamen eſt quid inferius Incarnatione: ergo non repugnabit inferiorem virtutem ordinare ſuperiorem ad ſe vt ad finem. 6

Reſpondetur (& eſt notanda ſolutio) Quòd virtutes inferiores ſunt in duplici differentia Quædã, quæ habent materiam nimis reſtrictam a qua ſpecificantur, v. g. caſtitas, quæ habet pro materia ſolùm delectationes tactus in vi generatiua, & fortitudo pericula mortis, &c. Aliæ ſunt virtutes, quæ non habent materiam determinatam, ſed in quocunque actu morali poteſt inueniri ratio ſua ſpecifica; ſicut Religio habet pro materia omne, quod in obſequium Dei fieri poteſt, & Prudentia omne, quod moraliter fit. Virtutes ergo primi generis poſſunt mouere alias virtutes, etiam ſuperiores, implorando earum auxilium, non tamen reſpiciendo illas pro materia, cui etiam materialiter poſſunt imprimere aliquam circunſtantiam, ratione cuius eis imperent. At verò virtutes ſecundi generis propter amplitudinem ſuæ materiæ poſſunt in actu ſuperioris virtutis inuenire aliquid, cui imprimant aliquam circunſtantiam ratione cuius imperent illi ſaltèm ſecundùm quid, & ratione materiæ. Et primo modo caſtitas mouet Religionem, non ſecundo. Prætерquam quod Religio etiam in hoc eminet ſupra alias virtutes morales, quod poteſt illis imperare, non ſolũ ſecundùm quid, ſed etiam ſimpliciter, quod non habẽt aliæ virtutes inferiores, licet reſpectu Theologicarum ſolum habeat imperare, & ordinare ſecundùm quid. 7

Ad *Confirmationem* reſpondetur. Quòd Incarnatio Verbi non ordinatur ad redemptionem hominum, vt ad finem, ſecundum quod redemptio ſe tenet paſſiuè ex parte hominum, id eſt, non ordinatur ad homines redemptos; bene tamen ad Redemptionem, ſecundùm quod actiuè ſe tenet ex parte miſericordiæ Dei, ad cuius oſtenſionem & vt commendaret charitatem ſuam, Deus pro peccatoribus mortuus eſt. Et ſic Redemptio eſt aliquid altius Incarnatione. *Vel ſecundò Reſpondetur.* Quòd non Incarnatio, aut mors Chriſti ſecundùm ſe, ſed executio, & exercitium eius fuit propter redemptionem hominum, etiam paſſiuè acceptam, tanquam propter finem, & motiuum: ſic enim eſt aliquid nobilius ſola, & nuda executione Incarnationis, ratione cuius dicitur, quod *Propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis.* In quo etiam fundatur vis conſequentiæ *S. Th.* Quòd Incarnatio Chriſti non mãdaretur executioni, ſi Adam non peccaſſet: 8

quia

quia Decretum, quod modò factum eſt de executione Incarnationis, habuit pro motiuo, & fine redemptionem hominum: Ergo illo ceſſante non mandaretur executioni ex vi huius decreti, ſed ſi veniret, oporteret, id fieri ex alio decreto poſſibili, quod eſt dicere, quod poſſet venire, ſi Adam non peccaſſet, quod nemo negat.

9 Ex *dictis patet* ſolutio difficultatis à principio. Conſtat enim quod nulla virtus imperat ſuperiori, ſub ea formalitate, qua ſuperior eſt, ſed ſecundùm aliquam formalitatem, qua eſt inferior, licèt alias abſolute, & ſecundùm aliam conſiderationem ſuperior ſit; & ſic nunquam finis ordinatur ad media, ſed è conuerſo. Oportet ergo attendere ad formalitatem, qua aliquid imperat, & imperatur: quia ſub ea formalitate, qua imperat, ſemper habet rationem finis, vel obiecti ſuperioris, & imperat rationem ordinatam ad eius finem, licèt ſub alia conſideratione eadem res ſit ſuperior.

Doctrinam *Caiet. in hoc artic.* nota, vt videas 10
quomodo Religio, etiam vt ſanctitas eſt, dicitur inferior iuſtitia legali, licet habeant ſe ſicut excedens, & exceſſum, quia vtraque attingit Deum, ſed iuſtitia legalis ſecundùm quod debetur bono communi ordinari ad Deum: Sanctitas verò ſecundùm quod debetur Deo quod ad ipſum ordinetur mens interior cuiuſcunque hominis. Ordinare autem ad Deum bonum commune pertinet ſolùm ad Principem: ad ſubditum verò ſupponere illud ordinatum, & ſubijci illi, & ideo in Principe eſt nobilior Iuſtitia legalis, quàm Religio.

QVÆSTIO LXXXII.

DE DEVOTIONE.

IN *Initio* huius Quæſtionis partitur *D. Thom.* actus Religionis in interiores, & exteriores: & ſæpe admonnimus non diuidi actum interiorem, & exteriorem Religionis ſecundùm rationem actus, quia in eſſe moris actus interior, & exterior nun ponunt in numero, nec habent diuerſam ſpeciem. Diuiditur ergo actus Religionis in interiorem, & exteriorem ratione materiæ, quæ per tales actus exhibetur in cultum Dei. Aliquando enim exhibetur aliquid exterius, & corporale, aliquando aliquid interius, & ſpirituale; & ratione huius diſtinguitur actus interior, & exterior Religionis. Et maioris claritatis gratia, nota quatuor diuiſiones actuum Religionis, quas optime colligit *M. Torre praeced. quæſt. art.* 7. Prima, quod Religio habet aliquos actus elicitos, & alios imperatos, de quibus abundè egimus *ſupra art.* 4. Secunda quod actus eliciti aliqui ſunt adæquati toti virtuti Religionis, alij inadæquati. Adæquatus actus eſt iſte: *Volo reddere omnem cultum debitum.* Inadæquatus, vt *volo reddere Deo ſacrificium, vel orationem*, &c, quæ eſt determinata quædam materia cultus. *Tertia diuiſio.* Alij actus virtutis ſunt interni; alij externi; quod (vt diximus) non debet intelligi ex parte ipſius actionis moralis, quaſi alius actus ſit electio interna Religionis, & alius exercitium exterius. Sed debet intelligi de ipſo cultu, ſeu materia cultus: quod alius cultus eſt externus, alius internus, in quo offeruntur vires interiores, quæ quia ſunt intellectus, & voluntas, duplex ſolùm eſt principalis actus interior; alius, quo voluntas offertur, ſcilicet *Deuotio*; alius, quo offertur intellectus, id eſt *Oratio.* Et quia Religio eſt in voluntate ſubiectiuè, propinquior actus eius eſt *Deuotio*, & ideo prius agit de illo *D. Thom.* Quarta diuiſio coincidit ferè cum præcedenti, & ſumitur ex eo ad quod ordinatur Religio ſcilicet ad proteſtandam excellentiam Dei per ſubiectionem bonorum noſtrorum ad illum. Bona autem quæ offerimus Deo alia ſunt interna, & ſpiritualia, quorum quædam ſunt propria, & intrinſeca, & hæc offeruntur per *Orationem* & *Deuotionem.* Et ad hæc reducitur etiam *Votum*, per quod obligamus mentem noſtram Deo in ordine ad aliquid faciendum. Quædam verò ſunt extrinſeca: vt quando per Iuramentum aſſumimus. Nomen Diuinum in confirmationem veritatis: nomen autem diuinum aliquid ſpirituale eſt: aut quando aſſumimus aliquid, quod continet ſpiritualia bona, vt ſacramenta, quæ continent gratiam ad proteſtandum Deum Authorem gratiæ. Alia verò bona quæ offerimus Deo ſunt bona externa, & hæc vel pertinent ad proprium corpus; *vt Genuflexio,*

Proſtratio, &c. Vel ſunt bona, quæ ſunt in noſtro dominio, & poſſeſſione. Et iſta vel offeruntur Deo immediatè, & ſic eſt *Sacrificium*, ſaut *Oblatio* alicuius pertinentis ad ſacrificium: vel offeruntur Deo mediatè, id eſt, eius Miniſtris, vt *Decima*, *Oblationes*, & *Primitiæ*. Et de his omnibus ſigillatim tractat *D. Thom.* ſequentibus Quæſtionibus. In hac ergo incipit a *Deuotione*, quæ eſt magis intimus, & propinquus actus Religionis.

Quatuor ergo Articulos apponit *S. D.* In Primo Reſoluit *Deuotionem eſſe ſpecialem actum*, dicitur enim, & deriuatur à Verbo *Voueo*, quod ſignificat aliquid ſpontè Deo promittere, & in huiuſmodi promiſſionibus Voluntas eſt, quæ principaliter attenditur, & penſatur, Vnde *Deuoti* dicuntur illi, qui ſic Deo affecti ſunt, Quod promptos ſe ipſos ad Deum habeant, & ad ea quæ Dei ſunt, *Deuotio* ergo ſignificat illum voluntatis actum, quo homo promptum ſe exhibet diuino cultui, & iis quæ pertinent ad Dei famulatum, & ſic Exod. 35. dicitur, *Quod multitudo filiorum Iſrael obtulit mente promptiſſima, atque deuota primitias Domino*:

In *ſecundò Art.* Reſoluit *Deuotionem eſſe Religionis actum*, eo quod ad eandem virtutem pertinet velle facere aliquid, & promptam voluntatem habere ad illud faciendum, ſed operari ea, quæ pertinent ad diuinum cultum pertinet propriè ad Religionem, ergo etiam habere promptam voluntatem ad huiuſmodi.

In *tertiò* Reſoluit *Contemplationem, ſeu Meditationem eſſe Deuotionis cauſam*, ſi enim loquamur de cauſa Deuotionis extrinſeca, & principali, Deus eſt, de quo dicit Ambroſ. Quod *Quos dignatur vocat & quem vult Religioſum facit. & ſi voluiſſet Samaritanos ex indeuotis Deuotos feciſſet*. Si verò de cauſa intrinſeca *Deuotionis* ſermo ſit, duplicem eſſe dicit; Alteram ex parte meditationis Dei, & beneficiorum ſuorum, quæ conſideratio excitat dilectionem:, quæ eſt proxima Deuotionis cauſa; Alteram ex parte meditationis propriorum defectuum (quos in præſenti numerat *Caietanus*) & hæc conſideratio excludit Præſumptionem per quam aliquis impeditur ne ſe ſubiiciat Deo, dum ſuæ virtuti innititur non attendens tot defectus quibus quælibet creatura manet implicata. Cui conſiderationi (ait *Caietan.*) qui ſaltèm ſemel in die non ſe tradit, nec Religioſus, nec Deuotus vocari poteſt.

In *quartò Art.* Reſoluit *Lætitiam eſſe Deuotionis effectum*, Licèt per accidens ex Deuotione triſtitia cauſari ſoleat, & ex conſequenti. Cùm enim *Deuotio* ex conſideratione diuinæ bonitatis cauſetur ex iſta conſideratione neceſſe eſt Delectationem cauſari ſecundùm illud Pſalm. 76. *Memor fui Dei, & delectatus ſum*. Et cum Deuotio etiam ex conſideratione propriorum defectuum cauſetur, & ex recogitatione horum triſtetur homo, quaſi conſequenter, & per accidens *Deuotio* triſtitiam infert, ſed mixtam gaudio. Vnde (*vt Caiet.* aduertit) non ſunt deuotæ perſonæ, quæ communiter triſtes, & ſylueſtres neſciunt conuerſari cum aliis, Nam Deuotæ perſonæ ſunt hilares, & lætæ in animo ſuo, non ſolùm ex principali cauſa, ſed etiam ex ſecundaria, ſcilicet conſideratione propriorum defectuum. Nam licèt ex hoc triſtitiam habeant, illam tamen comitatur gaudium, ſecundum illud Auguſt. *Doleat, & de dolore gaudeat*.

DISPVTATIO XXVI.

De Actu interiori Religionis, Qui eſt Deuotio.

ARTICVLVS I.

Vtrum Deuotio ſit ſpecialis actus.

1 IN *titulo* ly *ſpecialis Actus* non accipitur pro ſpecialitate in ratione virtutis, ſeu habitus, ſed in ratione potentiæ, & modi ipſius potentiæ. Poteſt enim inquiri de aliquo actu, an ſit *ſpecialis* ſecundùm ſpeciem, quam habet ab habitu a quo procedit, an ſcilicet pertineat ad hanc, vel ad illam virtutem. & de hac ſpecialitate inquirit *D. Thom. ar. ſequenti*. Poteſt & inquiri, an aliquis actus ſit *ſpecialis* ſecundùm ſpecialem modum procedendi à potentia; potentia autem ad quàm pertinet Deuotio, eſt voluntas, & voluntati conueniunt multi actus, non ſolùm ratione diuerſorum habituum, ſed etiam ratione diuerſi modi tendendi, & ordinandi ſe erga finem, de quibus agit *S. Thom.* 1. 2. *Q.* 8. *& ſequentibus*. Cùm enim voluntas reſpiciat bonum pro obiecto & bonum ſit idem quod finis, oportet quod voluntas, & tendat primò, & per ſe ad finem, & deinde ad ea; quæ ſunt ad finem. Et circa finem habet voluntas tres actus, ſcilicet *velle ſimplex, frui*, *& intendere*. Circa media verò habet quatuor; *Eligere*, *conſentire*, *vti*, *& imperare*. Electionem verò præcedit conſilium, & alij actus, qui pertinent ad rationem, non ad voluntatem. Iſti ergo actus dicuntur *ſpeciales* reſpectu ipſius potentiæ, ratione diuerſi modi tendendi ad finem, & ad ea, quæ ſunt ad finem; non autem dicuntur *ſpeciales* ex parte habituum, ſeu virtutum, quaſi ad alteram virtutem pertineat

eſt

eligere, ad alteram conſentire, vel intendere. &c. Rurſus in voluntate, aut qualibet potentia poſſumus inquirere *ſpecialitatem* actus, vel quantùm ad ſubſtantiam, vel quantùm ad modum; & cum Deuotio importet fortitudinem, quandam, de qua dubitari poteſt. An ſit actus, vel modus actus,& An ſit generalis, vel ſpecialis, ideò S. *Thom.* inquirit *in hoc art.* An Deuotio ſit ſpecialis actus; & quantum ad ly *Actus*, vtrùm diſtinguatur à modo, & importet ſubſtantialiter actum: Et quantù ad ly *ſpecialis*, An pertineat, vel reducatur ad aliquem ex nominatis actibus voluntatis, vel ſit aliquid generale in illis?

2 Duas *concluſiones* elicio *ex ar*. Prima. Deuotio nihil aliud videtur, quàm voluntas quædam promptè tradendi ſe ad ea, quæ pertinent ad Dei famulatum. *Secunda*. Deuotio eſt ſpecialis actus voluntatis. Primam concluſionem probat S. *Thom.* ex ipſa ſignificatione, & ethymologia nominis. Quia deuotio cùm dicatur à deuouendo, ille dicetur Deuotus, qui alicui ſe deuouet, & quaſi applicat, & adducit ſubdendo ſe illi: & per conſequens deuotio ſecundùm quod dicitur à deuouendo, importat voluntatẽ promptè tradendi ſe alteri. Bene verum eſt, quod ex vſu Multorum Deuotio ſumitur pro pio quodam affectu erga res diuinas; præſertim ſi ſit cum quadam animæ ſuauitate, & teneritudine. Qua ratione Author *libri de ſpiritu, & anima* (qui communiter attribuitur *D. Auguſt.*) *cap.* 5. inquit, Quòd *Deuotio eſt pius, & humilis affectus in Deum*. Et D. Bernard. ſerm. 3. de circuncıſ. dicit: *Roga tibi dari deuotionis lumen, diem ſereniſſimam, & ſabbathum mentis; vt quod prius cùm amaritudine, & coactione tui faciebas, de cætero iam cum ſumma dulcedine peragas, & delectatione.* Cæterum *D. Thom.* hanc ſuauitatem, & pietatem, nomine *Lætitiæ interioris* poſuit in effectu deuotionis *art.* 4. *ſeq.* Et quia res ſæpe ex effectibus nominamus; ideò *Deuoti* erga Deum dicuntur aliqui ratione effectus deuotionis. Subſtantialis autem deuotio eſt illa applicatio, & affectus vnde oritur talis lætitia, & animæ ſuauitas, & ratione huius dicit D. Gregor. *lib.* 4. *in* 1. *Reg. cap.* 4. exponens illa verba cap. 9. *Quia populus non comedit, donec ille hoſtiæ benedicat. Charitas* (inquit) *operit multitudinem peccatorum, quia nimirum carnalia noſtra deſtruimus, cum ardenti deuotione ad cœleſtia ſubleuamur.* Deuotio ergo ſubſtantialiter dicit applicationem, ſeu eleuationem voluntatis ad ſeruiendum Deo, quæ antecedit dictos effectus, pro quibus communiter ſolet accipi.

3 *Secundam* Concluſionem probat S. *Thom*, Primò *in arg. ſed contra*, Quia actibus meremur (vt dictum eſt, præcipuè 1.2.*Q.*71.*art.*5.*ad* 1.) ergo vbi eſt ſpeciale meritum, erit ſpecialis actus: ſed deuotio habet ſpecialem rationem merendi; ergo ſpecialem actum dicit. *Totus diſcurſus eſt legitimus*, ſed tamen illam Minorem, ſcilicet, *Deuotio habet ſpecialem rationem merendi*, non probat *S. Thom.* ſed ſupponit illam ex communi omnium acceptione; quia diuerſi meriti indicatur homo deditus deuotioni, vel deditus ieiuniis, ſeu eleemoſynis, &c. *Et probatur etiam*. Quia per deuotionem meremur apud Deum, cum ſit aliquid bonum, & virtuoſum, non autem meremur ſecundùm generalem rationem meriti, quia hoc pertinet ad Charitatem, quæ eſt radix communis merendi: ergo ſecundùm aliquam rationem ſpecialem: ergo oportet in deuotione eſſe aliquem actum vnde ſumatur ſpecialis ratio meriti. Si enim ſolùm eſſet modus tranſcendens per omnes actus, non adderet illis ſpecialem rationem meriti, ſed ſpecialem modificationem meriti. Ergo debet importare ſpecialem actum, in quo ſubſtantialiter conſiſtat deuotio, licèt ex hoc deriuetur modus ad alios actus.

In *Corpore Art.* probat *S. Thom*. Eandem Concluſionem. Si enim deuotio eſt voluntas promptè tradendi ſe, ſeu faciendi aliquid in cultum Dei; ergo includit duo, ſcilicet, & voluntatem & rationem promptè faciendi aliquid: ergo pro ea parte, qua eſt voluntas, neceſſario eſt actus & non modus, quia eſt idem quod velle, & eſt velle ſpeciale, quia habet ſpeciale motiuum, & obiectum, ſcilicet in ordine ad obſequium Dei: ergo eſt ſpecialis actus. *Tota Difficultas* circa hanc Rationem reducitur ad duo *Primùm*; An deuotio formaliter conſiſtat in actu, vel in promptitudine, quam addit ſuper actum? Nam ſi conſiſtat ſolùm in actu, non eſt aliud, quã velle obſequium Dei, ſeu tradere ſe obſequio Dei: & hoc eſt actus communis Religionis; & ſic deuotio ſubſtantialiter accepta pro ipſo velle, non eſt ſpecialis actus Religionis. *Secundùm*, Quid ſit illa promptitudo, An ſcilicet ſit agere faciliter, & delectabiliter, quod non eſt aliud, quàm operari ex habitu; non verò importat actum ſpecialem: An verò ſit aliquid additum ipſi actui? Et hoc non apparet quid ſit, ratione cuius ſit ponendus ſpecialis actus. 4

Pro *Huius* intelligentia, quia totum hoc ferè pendet ex cognitione huius promptitudinis, vt videlicet quid ſit, & in quo conſiſtat, aduertendum eſt, Quòd promptitudo poteſt accipi vel ex parte ſubiecti in ordine ad agendum, vel ex parte ſubiecti in ordine ad aliquod obiectum: cui afficitur, & ordinat ſe. *Primo modo* importat diſpoſitionem ſubiecti, ſeu potentiæ agentis, quà redditur facilis, & expedita ad agendum ſublatis impedimentis, & hoc fit communiter per habitum, vel per aliquam naturalem vim qualis eſt ſolertia, vt tractat *D. Thom. in* 3. *diſt.* 33. *Q.* 3. *art.* 1. *Quæſtiunc.* 4. *& ſupr. Q.* 49. *art.* 4. Et ſic promptitudo eſt bona diſpoſitio, Seu firmitas potentiæ, quæ opponitur infirmitati, & debilitati ad agendum, iuxta quod accipitur illud Matth. 26. *Spiritus promptus eſt, caro autem infirma.* Et de hac promptitudine non eſt ſermo hic. Promptitudo autem ſubiecti in ordine ad aliquod obiectũ, difficilis valde eſt ad explicandum, & mirot quantum Recentiorum ingenia torſerit. Quidam enim cenſent eſſe volitionem, ſeu actum voluntatis, habentem pro obiecto promptum famulatum Dei, ſeu velle exequi, & exercere ipſum obſequium Dei promptè, & facilè. Sic enim videtur dicere *D. Thom.* hîc, Quòd deuotio eſt voluntas promptè faciendi, quod ad Dei ſeruitium pertinet. Vbi actos voluntatis reſpiciens in acto ſignato ipſam promptitudinem agendi dicitur *Deuotio*. Alij cenſent promptitudinem hanc nihil aliud eſſe, quàm affectum ipſum, & amorem, quo quis in exercitio afficitur ad cultum, & obſequium diuinum, etiam ſi non cogitet, neque habeat pro obiecto promptitudinem colendi; hoc enim pertinet ad actum reflexum non quo quis eſt deuotus, ſed quo vult eſſe deuotus, & promptus, quæ reflexio ad deuotionem non requiritur, & ſic refutatur primus modus dicendi, Hic autem affectus non dicitur Deuotio, quatenus 5

eſt

eſt ad aliquem particularem actum cultus, v. g. orandi, vel ſacrificandi, ſed vt eſt affectus ad omnem cultum Dei.

6 Et vt tandem explicetur, nihil eſt aliud, quàm affectus deliberatus circa obſequium diuinum; quia quandiu quis in neutram partem deliberat, nondum habet promptam voluntatem ad aliquid præſtandum: poſtquam verò decreuit, & deliberauit redditur voluntas prompta ad faciendum aliquid. Et ita deuotio conſiſtit in promptitudine, quæ fit actus deliberatis, & vocatur *Promptitudo deliberationis*: promptitudo verò ad agendum eſt promptitudo habitus, vel diſpoſitionis poteſtatiuæ, vt facilè & expeditè agat. Sic *Suar. 2. tom. de Relig. lib. 2. cap. 6.* Alij denique exiſtimant Deuotionem dicere promptitudinem, non quia tantum importat propoſitum tradendi ſe obſequio Dei, id virtus hoc addere ex parte obiecti volentis promptitudinem quandam: qua ratione eſt ipſe talis actus Religionis. Hanc verò promptitudinem obiectiuam, & tenentem ſe ex parte obiecti volenti, explicant per hoc, quod eſt velle, non quodcumque obſequium diuinum quomodocumque, ſed in gradu perfecto, & heroico. Ita quod deuotio ſit actus heroicus; & excedens Religionem ratione eximij affectus, & quaſi auiditatis, & inclinationis ad res diuinas. Et ſicut actus heroicus, V. g. fortitudinis habet pro obiecto, non ſolùm velle mori pro Chriſto, ſed velle mori modo perfecto, & excellenti, ſicut perfectiſſimi Martyres fecerunt, ita deuotio importat voluntatem cultus, & obſequij diuini modo quodam perfecto, & heroico. Sic *M. Torr. I. diſp. vlt. n. 10.*

7 Sed *hæc omnia* minus attingunt mentem S. D. Actum enim eſſe deliberatum, non eſt differentia conſtituens ſpecialem actum Religionis. Omnes enim actus ſunt, voluntarij, & morales ſunt; ergo, & deliberati: ergo actum eſſe deliberatum, non eſt promptitudo ſpecialis conſtituens deuotionem tanquam ſpecialem, & principalem actum Religionis. Deuotio autem ponitur à *D. Thom.* tanquam principalis actus; poſt quem ſequitur Oratio, &c. vt patet *infr. quæſt. 83. art. 1. ad 1.* Itaque Deuotio à *deuouendo* dicitur, non à *deliberando*, & deliberatio eſt conditio communis omnium moralium, qui ſi perfectè voluntarij ſunt, deliberati. Ergo non poteſt importare promptitudinem, quæ conſtituat ſpecialem actum in virtute Religionis condiſtinctum contra alios actus eiuſdem virtutis, qui etiam morales, & deliberati ſunt. *Præſertim.* Quia in actu ſpeciali oportet aſſignare materiam ſpecialem, & obiectum, aliàs ſolum entitatiuè eſſet ſpecialis, & non ſpecificatiuè.

8 Similiter Deuotio non eſt actus heroicus, cum conſtet inueniri deuotionem, etiam in his, qui ſunt imperfectæ virtutis, & Religionis: inuenitur enim non ſolùm in perfectis, & proficientibus, ſed etiam in incipientibus, vt experientia teſtatur. Quare deuotio non poteſt eſſe actus heroicus, actus enim heroicus eſt perfectiſſimus in aliqua virtute, & ad quem pauci attingunt propter excellentiam operis. Deuotio autem, etſi ſit principalis actus, & primus inter actus Religionis, eſt tamen communis omnibus, & ideò non eſt heroicus; ſicut principalis actus prudentiæ eſt præcipere, vt determinat *S. Thom. ſupr. q. 47. art. 8.* non tamen eſt actus heroicus.

Quare *promptitudo*, quàm importat Deuotio in ordine ad obiectum, cui aliquis ſe deuouet, non eſt deliberatio ſeruiendi, neque actus heroicus, ſed actus, qui conſiſtit in tradendo ſe ad ſeruiendum, id eſt, Oblatio voluntatis ſe propriæ & præparatæ ad deſeruiendum alteri. In quo ille actus habet pro obiecto cultum Dei, ſed ſicut ad illum cultum offerimus Deo diuinas laudes, vt per orationem offerimus, & adoramus Deo, per adorationem & res, per ſacrificia bona externa; ſic per deuotionem offerimus voluntatem, quæ quaſi eſt primum, quod offertur in obſequium alicuius, & ideò primus actus eſt D. Thom. primus actus Religionis. Et ſic actus, qui habet pro obiecto oblata in ordine ad cultum, & obſequium Dei voluntatem præparatam, dicitur *Deuotio*, quæ ſimplicitatio quædam voluntatis ad obſequium. In quo differt ab amore, vt dicit *D. Th. ſequent. art. ad 1.* Quia Amor vnit, & applicat voluntatem alteri per modum vnionis, & affectus; Deuotio autem per modum oblationis ad obſequium, & ſe redigendo voluntatem in ſeruitutem alterius. 9

Per quod etiam differt ab actu volendi cultum Dei, vel deliberandi ſeruire Deo, quia eſt enim amare cultum, & tradere ſe cultui per modum vnionis, aliud offerre & terminari materiam ad cultum, ſed offert voluntatem, quæ ſe in ſeruitium offert inter actum. Et quia voluntas non poteſt ad ſeruiendum tradi, niſi ſit expedita, id eſt, ſint ablata impedimenta, quæ retardant poteſt ab eo, cui ſe tradit ad ſeruiendum: ideò actus offerens voluntatem debet eſſe modificatus, & perfectus quadam promptitudine, ſeu facilitate, & præparatione ad ſeruiendum quæ promptitudo, vt relucet ex parte obiecti, ſumitur ex obiecto, quia offertur voluntas Expedita ad ſeruiendum, & relucet ex parte actus, quia eſt oblatio cum expeditione, & promptitudine. 10

Nec *eſt nouum* quod aliquis actus voluntatis, aut intellectus importet ſubſtantiam actus, & modum actus, quia habet pro obiecto rem aliquam cum modo. Sicut eſſe benè conſiliatiuum, & benè præceptiuum important ſubſtantialiter actum, qui non ſolùm eſt præcipere, & conſiliari, ſed cum illo modo ſcilicet benè conſiliari, &c. Qui modus non refunditur in actum ex parte ſubiecti. Sicut operari delectabiliter, & faciliter prouenit ex eo, quod ſubiectum operetur mediante habitu, ſed refunditur in actum ex parte obiecti, quia videlicet habet pro obiecto aliquid modificatum, ſcilicet rectum conſilium, & rectum præceptum. Sic etiam Deuotio eſt oblatio prompta, quia habet pro materia ſeu obiecto oblato ad cultum Dei, non quidem ipſum actum ſeruiendi, ſed voluntatem expeditam, & paratam ad ſeruiendum: & tantum hoc ſcilicet actus, & modus oblationis, & promptitudo procedit à Religione, non autem modus à Religione, & ſubſtantia actus à potentia. 11

Quam Doctrinam ſi Suarez aduerteret non impugnaret *Cater. hic.* putans eum dicere, quod promptitudo ſit modus ſuperadditus actui, tanquam qualitas actus quæ ipſi proueniat ex habitu. Confundit enim *Suarez* promptitudinem tenentem ſe ex parte ſubiecti, & inde refuſam quaſi extrinſecè, & accidentaliter in actum cum promptitudine pertinente ex parte obiecti, quia reſpicitur pro obiecto, ſeu materia voluntas modificata, 12

ſic ... eſt expedita, ſeu non habens impedimenta ad ſeruiendum: Cùm tamen *Caiet.* non intellexerit per *Modum*, ſeu qualitatem actus aliquid prouenìens ab habitu in ipſum actum, & ei adhæſum, ſed intellexit habitudinem actus ad obiectum modificatum. *Et circumloquimur illum actum aduerbio quodam* (inquit Caiet.) *quia proprijs nominibus caremus.* Sicut rectè conſiliari, non eſt conſilium cum modo ſuperueniente ipſi ab habitu, ſed actus cùm habitudine ad obiectum modificatum. Et hæc eſt promptitudo intrinſeca, & in ordine ad obiectum ſumpta, ad quàm non magis requiritur actus reflexus cadens ſuper voluntatem, quàm ad actum orationis, quæ offert, & eleuat mentem Deo.

3 Ex *quibus patet*, Quid ſit Promptitudo, de qua *S. Thom.* loquitur hìc, quàm perpetuò explicat per habitudinem ad materiam oblatam Deo per deuotionem, ſcilicet voluntas promptè faciendi. Et talis oblatio ſubſtantialiter eſt actus; & ſupponit pro actu, & non pro modo. Sicut oratio offerens mentem, vel quicumque alius actus offerens aliam materiam: importat tamen modum promptitudinis, non qui accidentaliter ſibi aduenìat, ſed qui in ipſa habitudine ad obiectum includitur quia fertur ad materiam promptam, & ſecundùm promptitudinem reſpicit illam, vt explicatum eſt.

14 *Solùm inſtabis.* Nam ſi deuotio eſt actus offerens determinatam materiam, ſicut alij actus: ergo eſt eligere, non verò intendere, aut velle; non enim reſpicit finem, ſed determinatam materiam, quæ ordinatur ad finem, quòd tamen negat *Caiet.* hìc. *Reſpondetur*, quòd *Caiet.* non dicit deuotionem eſſe actum, qui eſt *velle* abſolutè, ſecundùm quòd reſpicit finem in ſe, ſed prout reſpicit finem in medijs; ad vtrumque enim ſe extendit velle, vt ait *S.Thom.* 1.2. *quæſt.* 8. *art.* 3. Tale autem velle non repugnat, quòd ſit coniunctum cùm electione: electio enim mediorum eſt, & ſtat velle eligere media, & per actum, qui eſt velle, tendere ad finem, vt in talibus medijs relucet. Sic ergo deuotio, quatenus voluntatem tanquam materiam offert, & deſtinat obſequio Dei, eſt actus electiuus propriè pertinens ad moralem virtutem, quæ intrinſecè eſt habitus electiuus, & ſic proprius eius actus electio eſſe debet; quatenus verò mediante voluntate oblata reſpicit obſequium Dei, & Deum, cui offertur voluntas, ſic vult Deum, qui eſt finis, non abſolutè in ſe, quod pertinet ad diſtinctum actum; ſed vt in medio electo, & voluntate oblata magis relucet quàm in oblatione alterius materiæ. Sicut etiam promptitudo, vel expeditio ad ſeruiendum magis inuenitur in voluntate, quæ mouet cæteras potentias, quàm in intellectu, vel alijs rebus, quæ Deo offeruntur. Et ſimiliter magis ex iſto actu ſequuntur alij, & imprimitur illis modus deuotè ſeruiendi, vt inquit *D.Thom. ſolut. ad* 1. *&* 2. quàm per alios actus Religionis.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Deuotio ſit actus Religionis?

Titulus *clarus eſt* ex terminis. Ex *Art.* habes duas Concluſiones Prima directè reſponſiua. *Deuotio eſt actus Religionis.* Secunda ſolut. ad 3. *Deuotio quæ habetur ad Sanctos non terminatur ad ipſos, ſed tranſit ad Deum.* Primam Concluſionem probat *D. Thom.* primò *in Argum. Sed contra.* Deuotio dicitur a deuouendo; ſed votum eſt actus Religionis: ergo deuotio. Quæ conſequentia diſparata videtur, & procedere in quatuor terminis: deuouere enim longè differt à voto, cùm votum ſit actus intellectus, vt traditur à *S.Thom. infr. quæſt.* 88. *art.* 1. Deuotio autem eſt actus voluntatis, vt vidimus *in art. præced.* Quomodo ergo colligitur, quòd ſi votum eſt actus Religionis, etiam deuouere, ſeu deuotio, quæ dicitur a deuouendo, erit actus Religionis? 1

Reſpondetur conſequentiam *S. Thom.* efficacem eſſe, & procedere à fortiori. Pertinet enim ad votum firmare voluntatem in bono, quòd expedit facere, vt ait *D. Thom. infrà quæſt.* 88. *art.* 4. Vnde ſupponit voluntatem applicatam ad bonum, ſeu ad aliquod obſequium Dei, quòd pertinet ad deuotionem, quæ eſt oblatio voluntatis ad quodcumque obſequium Dei: addit autem firmitatem, quæ fit per promiſſionem, quæ eſt actus intellectus, quia importat ordinationem eius, quòd aliquis debet facere erga alterum, vt ibidem dicitur *art.* 1. Inducit autem pro effectu firmitatem, & obligationem voluntatis ad exequendum talem promiſſionem. Si ergo votum per promiſſionem, quàm eſſentialiter importat, firmat deuotionem, ſeu voluntatem applicatam ad aliqoid, manifeſtum eſt, quòd votum ratione ſui effectus eſt quoddam deuouere firmatum, ſeu applicatio voluntatis firmata per intellectum. Et ideò benè arguit *S.Thom.* Quod ſi ipſum deuouere firmatum (quòd eſt Votum) eſt actus Religionis, etiam ipſa deuotio, ſeu deuouere firmatum, actus Religiunis erit: quia firmitas, quàm ſupra ipſum deuouere addit Votum, eſt aliquid prouenìens ab intellectu, neque ex eo quòd habet ab intellectu eſt actus Religionis, ſed ex eo quòd participat à voluntate, cùm Religio in voluntate ſit. Vnde à fortiuri deuotio, quæ eſt actus voluntatis, & ordinatur ad cultum Dei, ſicut Votum, erit actus Religionis. 2

In *Corpore art.* probat *S. Thom.* Eandem concluſionem tali ratione. Ad eandem virtutem pertinet velle facere aliquid, & promptam voluntatem habere ad illud faciendum, ſed ad virtutem Religionis pertinet operari ea, quæ ſpectant ad cultum, & famulatum Dei; ergo ad eandem pertinet habere promptam voluntatem ad huiuſmodi exequenda, quòd eſt eſſe deuotum. *Conſequentia patet.* Et *Minor conſtat* ex diffinitione Religionis. *Maior* probatur à *D. Thom.* Quia vterque actus, ſcilicet, velle facere aliquid, & promptam voluntatem habere ad illud, reſpicit idem obiectum: vnde, & *Philoſ.* dicit 5. Ethic. cap. 1. Quod *iuſtitia eſt, quia homines volunt, & operantur iuſta*: ergo vterque actus pertinet ad eandem virtutem, ſicut ad idem obiectum. 3

In *hac Ratione* dubium eſt, & de *Maiori*, & de *Conſequenti*. De Maiori quidem Quia vel ſumit *D. Thom.* ibi promptam voluntatem pro actu offerente voluntatem ad id, quod vult? vel pro modo, que ſubiectam habet voluntatem ad aliquid, ſcilicet expeditè, & promptè. *Si primo modo*, malè probat, quod vterque ille actus pertinet ad eamdem virtutem, quia habet idem obiectum cum conſtet quod actus offerendi voluntatem habet pro materia, & obiecto voluntatem ipſam, quam offert; actus autem volendi, ſeu operandi aliquid, habet pro obiecto aliquid operabile. *Si ſecundo modo*, non loquitur ad rem, quia deuotio non eſt modus volitionis, ſed actus, nec dicit promptitudinem ſolùm ex parte ſubiecti, ſed ex parte obiecti, vt diximus *art. præcedenti*.

5 Circa *Conſequent.* verò, Difficultas accipi poteſt ex *Suar. 2. tom. de Relig. lib. 2. cap. 7.* Quia ex præmiſſis aſſumptis à *D. Thom.* ſolùm poteſt inferri, quod voluntas prompta ſeruiendi Deo pertinet ad eandem virtutem, ad quam pertinet velle ſeruire Deo; non tamen quod omnis deuotio, & omnis prompta voluntas ſit actus Religionis. Siquidem in materia obedientiæ, & charitatis; imò, & in omnibus virtutibus & in actu, quo aliquis vult ſtudioſè agere in omni virtute, inuenitur talis volontas prompta quæ poteſt dici Deuotio illius virtutis in qua aliquis vult promptè materiam talis virtutis: generaliter enim *D. Thom.* dicit pertinere ad eandem virtutem velle facere aliquid, & promptam voluntatem habere ad illud faciendum: ergo malè colligitur deuotionem eſſe proprium actum Religionis.

6 Cæterùm *hæc* faciliora ſunt. Nam maior illa propoſitio D. *Thom.* vtroque modo verificatur. Cum enim dupliciter (vt diximus *articulo præcedenti*) poſſit haberi promptitudo, ſcilicet, vel ex parte ſubiecti ſecundum modum refuſum à ſubiecto in actū; quia procedit actus à ſubiecto faciliter, & promptè diſpoſito: vel ex parte obiecti, quia offert ad faciendum aliquid voluntatem promptam, & expeditam: vtroque modo verificamus propoſitionem D. *Thom.* Primo modo reſpectu omnium virtutum, & habituum; quia in omni actu procedente à virtute, ſeu habitu poteſt inueniri iſte modus, quòd promptè, & faciliter fiat. Et ſic manifeſtum eſt, quòd pertinet ad eandem virtutem vel habitum ad quem pertinet velle operari id quod eſt talis virtutis; quia ille modus non variat ſpeciem virtutis; cuius eſt modus.

7 Secundò *vero modo*, Promptitudo eſt oblatio voluntatis expeditæ, & promptæ ad ſeruiendum, & ſic non pertinet ad omnes virtutes, ſed ad illam ad quam pertinet ſeruire, & offerre aliquid in obſequium alterius. Et ſic ad eandem virtutem pertinet, ad quam pertinet velle ſeruire Deo, quæ eſt Religio. Et licèt materia, quam talis promptitudo offert ſit diſtincta ab aliis materiis, quæ offeruntur per alios actus Religionis; tamen obiectum formale eſt idem, quia vt ſæpe diximus, obiectum formale Religionis, quod eſt cultus diuinus, non variatur ex diuerſitate materiæ, qua colitur Deus. Et ita licèt deuotio habeat pro materia oblata voluntatem promptam: tamen quia offert illam in obſequium, & cultum Dei, habet obiectum formale idem cum aliis actibus Religionis. Stat ergo ſolida propoſitio *S. Thom.* Quod velle facere aliquid, & habere promptam voluntatem ad illud, pertinet ad eandem virtutem, quia habet idem obiectum formale. Siue enim promptitudo accipiatur pro modo, ſiue pro actu offerente voluntatem, ſemper pertinet ad eandem virtutem, cuius eſt modus, vel cuius eſt actus, applicando ſingula ſingulis.

Ad *id quod obiicitur* contra conſequent. *D. Thom.* patet ex dictis, Quod deuotio ſumpta pro actu, [illegible] inuenitur in Religione (& loquitur de Deuotione ſeruiendi Deo; ad ſeruiendum enim hominibus agnoſcit *D. Thom. ad 3.* deuotionem alterius generis) ſumpta verò pro promptitudine, quæ eſt modus, ſic inueniri poteſt in omni habitu producente faciliter, & expeditè actus. *Et ratio eſt.* Quia deuotio non di[illegible] actum promptum quomodocumque, ſed oblationem, & exhibitionem promptæ voluntatis. Oblatio autem eſt actus ſeruitutis, & obſequij reſpectu eius, cui offertur. Deuotio ergo pro actu, ſolùm pertinet ad virtutem ſeruientem, ſeu offerentem, quæ reſpectu Dei eſt Religio. Ad Charitatem autem ſolùm poteſt pertinere imperatiuè, ſicut, & actus aliarum virtutum. Ad Obedientiam verò prout eſt ſp[illegible]is virtus non pertinet ad offerre voluntatem expeditam ad obſequium, ſed tantùm habere obſeruantiam ad præcepta ſuperioris, quæ eſt honorare, & reuereri præcepta; & ita non reſpicit cultum, & reuerentiam Dei, & obſequium eius. Quod autem dicantur aliqui deuotè obedire, aut deuotè facere opera virtutum, vel accipitur deuotio pro modo promptitudinis communi omni habitui, & virtuti, vel pro effectu deuotionis, quatenùs eſt actus Religionis imperans, & imprimens cæteris virtutibus, vt dicit *D. Thom. ad 1. & 2.* 8

Circa *ſolutionem ad 1.* D. *Thom.* nota ex *M. Torre* hic, Tres modos vnionis ad Deum, ſcilicet, per Charitatem, per Sanctitatem, & per Deuotionem. Per Charitatem vnitur homo Deo quantùm ad amorem, transformando ſe in rem amatam, & introducendo in actu amatum ad ſe ſecundum affectum. Per Sanctitatem vnitur Deo, vt ſeruus Domino, referendo, & applicando ſe ad illum, eo modo, quo ſeruus debet ad dominum. Per Deuotionem vnitur Deo exhibendo, & offerendo ei promptam voluntatem. Et, vt ſuprà vidimus, per referre ſe ad Deum, & per exhibere aliquid in recognitionem ſeruitutis diſtinguitur à *D. Thom.* ratio Religionis, & Sanctitatis, quæ ſunt idem re, & differunt ratione. 9

Circa *ſecundam* Concluſionem *D. Thom.* ſolum oportet aduertere, Quod deuotio extenditur ad Sanctos eo modo quo Religio; conſtat enim quod cultus debitus Sanctis in ſe ipſis exhibetur non per Latriam, & Religionem, ſed per Duliam; & quia Sancti ſunt Deo coniuncti, & propinquiſſimi, poſſumus ſecundùm eam rationem, qua in eis relucet diuina maieſtas, colere, non quidem ipſos in ſe, ſed per ipſos, & in ipſis Deum, eo modo, quo offerimus ſacrificium Deo in honorem martyrum, non autem ipſis martyribus. Et licet poſſet etiam dici, quod ad Sanctos habemus deuotionem, ſumendo ipſam pro aliquo effectu deuotionis, ſcilicet pro ſuauitate ſpiritus, vel pro affectu ad ipſos: & ſimiliter quod Religioſè coli- 10

mus

[illegible] quia poteſt imperari à Religione eo- [illegible] colimus enim ipſos dulia, quæ ta- [illegible] imperatur a Religione, quatenus ex cultu [illegible] mur ad colendos Sanctos. Attamen [illegible] in iſta ſolutione attingit id in quo ma- [illegible] punctus controuerſiæ inter Catholicos, [illegible] cos circa cultum Sanctorum. Non enim [illegible] præſertim noſtri temporis, negant [illegible] Sanctos, vt viros præditos dignitate, [illegible] a eximia, ſed digniot hunc honorem [illegible] um, & Ciuilem, qua's habetur erga [illegible] entes coli verò Sanctos diuinis hono- [illegible] quòd eis Templa erigantur, Religio- [illegible] tu honorentur in altaribus ſacrificiis, &c. [illegible] olicis obiciunt. Qua ratione etiam ne- [illegible] tum Imaginum cultus, quia non poſ- [illegible] gere quomodo Imagines, aut Sanctos [illegible] Deum cultu diuino, & Religioſo vene- [illegible]

1 Quod *tamen D. Thom.* hic vnico verbo deſtru- x[illegible] guens inter deuotionem, quàm habe- mu[illegible] Sanctos, & quàm habemus ad alios ho- m[illegible] ad hos enim ſicut famulatus eſt longè in- f[illegible], quia tantùm eſt ciuilis, & politicus, ſic & deuotio ad Sanctos verò quia non habemus comm[illegible]tionem politicam cùm ipſis, ſed ſunt in ſtatu ſuperiori, ita, & cultus ſuperior ad politicum, & ciuilem eſſe debet; & quia dignitas ad quam Sancti eleuati ſunt, eſt vt ſint vniti Deo, & in illis tanquam in ſupremis miniſtris ſpecialiter eluceat magnitudo diuina; vtpotè quorum vita, vt ait *Apoſt. ad Coloſſenſ.* 3. abſcondita eſt cùm Chriſto in Deo, adeò non ſolùm conſideramus in illis particularem, & propriam dignitatem, ſed etiam diuinam, & ſic ad ipſos extenditur Religioſa deuotio, & actus Religioſus, non quia ipſis in ſe Religionem exhibeamus, ſed Deo in honorem Sanctorum quatenus ſpecialiori modo eſt in illis, quàm in aliis rebus. Itaque ipſis propter ſuam particularem reuerentiam Dulia debetur, propter coniunctionem autem ſpecialem ad Deum etiam Religione attinguntur, non in quantùm Sancti conſiderantur in ſe, ſed vt aliquid Dei, quòd in aliis rebus non ita ſpecialiter inuenitur, ſicut in Sanctis.

ARTICVLVS III.

De Cauſa, & effectu Deuotionis.

1 ASſeruit S. *Thom.* Contemplationem eſſe Deuotionis cauſam, & Lætitiam eſſe Deuotionis effectum, quòd quidem etſi magis prædicari oporteat quàm ſpeculari, illud tamen hic enodandum eſt ad intelligentiam ſcholaſticam, videlicet, Quo genere cauſæ intelligat S. *Thom.* contemplationem eſſe cauſam deuotionis, & quo etiam genere cauſæ deuotio ſit cauſa lætitiæ; ac denique, quæ ſit differentia inter effectum, & actum alicuius virtutis? Et quidem *D. Thom.* poſuit *in art.* 3. Contemplationem eſſe cauſam deuotionis eo modo, quo cognitio eſt cauſa voluntatis, ſcilicet, quia obiectum cognitum, & apprehenſum cauſat appetitum. Loquendo verò de cauſa extrinſeca, inquit Deum eſſe cauſam extrinſecam deuotionis quaſi peculiarem, & propriam. Quàm

Ioan. a S. Thom. in 2. 2. D. Thom.

doctrinam, vt explicet *Suar.* 2. *tom. de Religione, lib.* 2. *cap.* [illegible] diſtinguit duplicem deuotionem, ſeu delectationem. vnam indeliberatam, & antecedentem, quæ eſt effectus aliquis, quem Spiritus Sanctus [illegible]t in nobis ſine nobis, & datur per modum auxilii [illegible] & initium habet in aliqua Sancta cogitatione, quæ dicitur cauſari in nobis ſine nobis, non quia fit ſine nobis cogitantibus, ſed quia fit ſine nobis volentibus, quia voluntas noſtra non eſt principium talis cogitationis, ſed potiùs ipſa cogitatio præuenit omnem actum voluntatis, eſt tantùm phyſicè actus elicitus ab intellectu, quo vitaliter cogitat, & cognoſcit, ideoque non fit ſine nobis cogitantibus. Ad iſtam verò cogitationem, ſic præuenientem omnem motum voluntatis, ſequitur indeliberatus aliquis affectus deuotionis, & ſuauitatis ad res diuinas operante Spiritu Sancto, & tangente cor operatione ſua.

Alia *eſt deliberata Deuotio*, quæ eſt deuotio ſubſtantialis, cùm ſit actus moralis, & voluntarius Religionis, & naſcitur ex illa indeliberata vo[illegible]ne cooperante gratia Dei; illa enim excitans gratia cauſans indeliberatum motum voluntatis, ſi efficax eſt, pertrahit hominem ad deliberatam deuotionem. Licèt autem (inquit *Suarez*) non ſit ſimpliciter neceſſarium, quòd ille indeliberatus motus, qui antecedit, ſit delectatio, aut ſuauitas, quia poteſt etiam per motum timoris, aut ſpei excitare Deus voluntatem, eſt tamen neceſſarium, quòd præcedat aliqua Sancta cogitatio, & inſpiratio in voluntate, quia hæc eſt initium omnis boni actus ſupernaturalis, ratione cuius initij, & adiutorij dicitur Deus peculiari modo cauſa totius deuotionis perfectæ. Imò, & à pleriſque tota efficacia præueniens, & prædeterminans noſtram voluntatem ponitur in illa efficacia motus indeliberati, trahente nos ad deliberatum. 2

Cæterùm de his non vacat hic diſputare, ſed in Materia de Auxiliis, & Gratia Dei diſputantur iſta latè à *DD.* Quantùm autem attinet ad ſenſum *S. Thom.* Ipſe poſuit Deum eſſe cauſam extrinſecam propriam, & peculiarem deuotionis, eo modo quo dicitur Deus propria, & peculiaris cauſa rerum ſupernaturalium, ſi hìc loquamur de deuotione ſupernaturali. Si autem extendamus ſenſum iſtum, etiam ad actum deuotionis naturalis, qualis elici poteſt à Religione acquiſita, dicitur Deus propria, & peculiaris cauſa illius; eo quòd eſt proprium, & peculiare monens extrinſecum voluntatis creatæ, eo quòd ſolus Deus eſt cauſa generans, & efficiens voluntatis, vt latè proſequitur à *D. Thom.* 1. *part. quæſt.* 106. 3

Illud *ſolùm* breuiter aduerto ad Intelligendum modum, quo efficaciter Deus mouet voluntatem per auxilium ſuum, ſiue in naturalibus, ſiue in ſupernaturalibus. Quod licèt quando procedit mens noſtra de imperfecto ad perfectum, actus indeliberatus præcedat deliberatum, & deuotio indeliberata præcedit deliberatam; tamen Deus non ſolùm eſt cauſa efficax præueniens phyſicè noſtram voluntatem ratione efficaciæ excitantis gratiæ, quàm in nobis ſine nobis cauſat, ſed ratione peculiaris auxilij quod poſt excitantem gratiam, & cauſatum motum indeliberatum præuenit Deus voluntatem adiuuando illam 4

concurſu efficaci ad deliberatè volendum. Itaque excitatio illa, & motus indeliberatus, vt ſit delectatio victrix, & conuertat voluntatem, ac pertrahat ad motum liberum, & deliberatum non ſufficit efficacia excitans, & cauſans ſine nobis id, quod in nobis deliberatum eſt: ſed requiritur auxilium phyſicum dans efficaciam ad id quod deliberatum eſt, quòd *D. Auguſt.* vocat efficaciſſimas vires voluntatis, dicens in lib. de Grat. & liber. arbitr. cap. 6. *Certum eſt nos facere, cum facimus, ſed ille facit, vt faciamus, præbendo efficaciſſimas vires voluntati, &c.*

5 Et *ratio huius eſt*. Quia ex motu indeliberato non poteſt tranſiri ad deliberatum, niſi adſit noua aduertentia, & noua motio voluntatis; ſiquidem deliberatum, & indeliberatum differunt penes maiorem, & pleniorem aduertentiam, cum perfectiori iudicio, ad quod ſequitur actio libera voluntatis. Et plerumque fit, quod id quod voluntas motu indeliberato vult, deliberatio nolit. Igitur delectatio, quæ proponitur, aut appetitur per motum indeliberatum, non habet vires efficaces ad vincendum, & trahendum voluntatem, niſi habeat efficaciam circa maiorem aduertentiam, & diſtinctum iudicium, & motum liberum voluntatis: illa autem efficacia cum ordinetur ad diſtinctum actum voluntatis ſiquidem actus deliberatus differre debet ab indeliberato, quia requirit diſtinctam immutationem potentiæ, & diſtinctum modum agendi, oportet, quòd etiam habeat diſtinctam efficaciam, & diſtinctam reductionem, in cauſam primam, quia eſt diſtinctus effectus. Et ideò tunc ſolùm delectatio vincit voluntatem, quando eam reluctantem, & reſiſtentem conſentientem facit. In hoc quippe præcipuè ponitur efficacia gratiæ *à D. Auguſt.* & in hoc præcipuè diſſidebat à Catholicis *Pelagius*, vt patet *ex libro 2. contra duas epiſtolas Pelagianas capite 5. & 8.* & *ex libr. de grat. Chriſt. contra Pelag. & Celeſt. ferè per tot.* Igitur efficacia gratiæ non in motu indeliberato, ſed in faciendo conſentientem voluntatem, quod ad motum deliberatum pertinet, ponenda eſt.

6 Et *quod iſta* Delectatio victrix præter excitationem factam motu indeliberato requirat efficaciam, vt faciat liberè diligere, conſtat ex Auguſt. lib. de ſpir. & liter. capite 3. tom. 3. *Nos* (inquit) *dicimus humanam voluntatem ſic diuinitus adiuuari ad faciendam iuſtitiam, vt præter quòd creatus eſt homo cum libero arbitrio voluntatis, præter doctrinam, qua ei præcipitur quemadmodum viuere debeat, accipiat Spiritum Sanctum, quo fiat in animo eius delectatio, dilectióque illius ſummi, & incommutabilis boni.* Et infra. *Cùm id quod agendum, & quo nitendum eſt cœperit non latere, niſi etiam ametur, & delectet non agitur non ſuſcipitur, non benè viuitur. Vt autem diligatur, charitas Dei diffunditur in cordibus noſtris.* Ecce quomodo *D. Auguſt.* præter excitantem gratiam, quæ eſt illa, per quàm incipit non latere id quòd agendum eſt, quando ſcilicet proponitur à Deo voluntati quid agat, ponit diffuſionem Spiritus Sancti, vt diligat, & delectetur, quòd pertinet ad motum deliberatum, per illum enim diligit. Igitur agnoſcimus non victricem delectationem, qua congruè, & efficaciter vocetur homo. Sed negamus victricem eſſe ſolum ratione indeliberati motus, & concurſus Dei ad illum, ſed vt includit alterum concurſum phyſicè efficacem, quo ex nolentibus faciat liberè, & deliberatè volentes.

Circa *motiuum*, quo cauſa intrinſeca ex parte noſtra, id eſt cognitio, & contemplatio diuinorum, quæ proponitur, vt bonum habere deuotionem, concurrat ad illam, ſolùm obſeruanda eſt generalis doctrina de modo, quo cognitio concurrit ad actus voluntatis. Et mihi maximè arridet ſententia *Caiet.* quam acutè explicat *1. p. quæſt. 80. artic. 2.* & *1. 2. quæſtio. 22 artic. 2.* Videlicet: Quòd bonum apprehenſum concurrit in triplici genere cauſæ reſpectu appetitus, ſcilicet, obiectiuæ, finalis, & effectiuæ. *Ad cuius euidentiam conſiderandum eſt*, Quòd appetitus, cùm ſit inclinatio quædam, & habet reſpicere rem, in quam inclinatur, quæ eſt obiectum, quod appetit; & habet reſpicere rationem propter quam appetit, & formam, ex qua ſequitur talis inclinatio. Ratio autem propter quam aliquod bonum appetitur, eſt finis. Et hæc eſt formaliſſima ratio boni propter quam aliquid redditur appetibile, & eſt cauſalitas finalis, ſcilicet *cuius gratia*, quæ dicitur motio metaphorica, quia mouetur aliquid ab illo, non vt à principio incipiendi motum, ſed vt à principio terminandi motum, quod metaphoricè eſt principium, & in re finis; & dependentia à tali principio eſt realis cauſalitas, & realis dependentia: ſed metaphoricè eſt motio, quia finis realiter eſt cauſa, metaphoricè principium, quia ab illo non incipit motus realiter, ſed intentionaliter. Efficiens autem eſt id à quo incipit motus: & quia motus ſemper terminatur ad eſſe reale, ideò dicitur aliquid finalizare ratione ipſius eſſe realis, non prout realiter exiſtit, ſed prout realiter poteſt terminare motum, & apprehendi ab illo. 7

Forma *autem* ad quam ſequitur inclinatio dicitur, effectiuè ſe habere ad talem inclinationem, & cauſare illam effectiuè; quia omnia inclinatio ſequitur ad aliquam naturam, ſeu formam vt effectus, & proprietas eius. Eſt autem differentia inter inclinationem, ſeu appetitum naturalem, & elicitum, vt ait *D. Thom. 1. part. quæſtio. 19. artic. 1. quæſtio. 80. artic. 1.* Quòd appetitus naturalis ſequitur ad formam naturalem in quantùm naturalis eſt, ſcilicet in quantum caret cognitione: forma autem, in carentibus cognitione eſt determinata tantùm ad vnum. Vnde, & inclinatio quæ talem formam ſequitur eſt determinata ad id quod ſibi naturale eſt. Appetitus autem elicitus conſequitur ad formam cognoſcitiuam, inquantum cognoſcitiua eſt. Forma autem cognoſcitiua in hoc eleuatur ſupra non cognoſcitiuam, quod non ſolum habet ſuum eſſe proprium, ſed etiam fit alia extra ſe per cognitionem, & receptionem ſpecierum, quibus intentionaliter fit alia, vt oſtendit *D. Thom. 1. part. qu. 14. art. 1.* Igitur inclinatio, quæ ſequitur ad talem formam oportet quod non ſolùm ſequatur entitatiuè ad entitatem formæ, ſed etiam ad apprehenſionem formarum, quas intentionaliter recipit. Et ideò talis appetitus non ſolùm appetit aliquid determinatum, & quod pertineat ad 8

proprium

proprium eſſe naturale,ſed etiã ea,quæ ſunt extra ſe. Et ideò vt aliquid extra ſe determinatè appetat, debet conſequi, & naſci, non ex determinatione entitatiua formæ, ſeu naturæ, cuius eſt appetitus, ſed ex determinatione tet apprehenſæ, quæ non ſolum ſequitur ex natura, in quantum eſt natura, & aliquid in ſe, ſed in quantum eſt apprehendens, & intentionaliter aliud extra ſe.

9 In *quantum ergo* forma apprehenſa cauſat inclinationem ad ſe ipſam vt eſt in re,dicimus obiectum cognitum effectiuè cauſare appetitum, ſeu actum voluntatis, non vt cauſa effectiua ſimpliciter, ſed vt ratio agendi, & forma ad quam ſequitur appetitus elicitus; ſicut ad formam naturalem, vt naturalis eſt ſequitur appetitus naturalis.Ita tamen quòd ad formam apprehẽſam potentialiter; id eſt, ad potentiam apprehendendi ſequitur appetitus elicitus potentialis, ſeu potentia appetendi: Ad formam autem actualiter apprehenſam ſequitur actus appetendi. Et ex hoc etiam paret differentia inter ſpeciem impreſſam ad cau andam intellectionem, & obiectum apprehenſum ad cauſandum appetitum; quod ſpecies impreſſa in quantum ſpecies, ſolùm habet ſuccedere loco obiecti, & eius vices gerere; in quantum obiectum eſt: obiectum autem, vt obiectum eſt: obiectum vt obiectum, non dicit cauſam effectiuam. Et ideo neque ſpecies, ſeduplicatiuè, in quantum ſpecies importat efficientiam in intellectione; ſicut neque ſignum, vt ſignum, reſpectu ſignati. At verò obiectum apprehenſum non ſolùm habet rationem obiecti, ſed etiam principij reſpectu appetitus eliciti; quia prout elicitus non ſequitur ad formam naturalem,vt naturalis eſt, ſed ad apprehenſam, & intentionalem, videatur *Caiet.* in

10 locis citatis.

Circa *id quod* dicitur *art.* 4. de effectu deuotionis, illud oportet explicare. Quomodo diſtinguatur effectus, & actus, ſoler enim ex vno actu. vel paſſione oriri alia, vt ex amore gaudium, & ex deſiderium, & ex vno peccato aliud, vt ex vitiis Capitalibus oriuntur alia vitia, & ſimiliter hic ẽt Deuotione dicit *S. Thom.* ori lætitiam, & etiam triſtitiam; & *ſupr.Q.* 28.& *Q.* 29. poſuit,ex charitate oriri gaudium,& pacem tanquã effectus eius. Quærimus ergo, Quid in iſtis ſit eſſe effectum alterius,& quo genere cauſæ efficiatur ab illis, V. g.

11 gaudium ab amore,aut deuotione, ſiquidem non eſt actus eius?

Reſpondetur. Quòd omnis effectus,qui in potentiis animæ cauſatur, vel eſt habitus, vel actus, & ad habitum reducimus id, quod habet rationem, & modum diſpoſitionis habitualis,quæ non peruenit ad perfectionem habitus. Cauſatio ergo habitus non pertinet ad præſens, quia conſtat, fieri effectiuè à potentia per iterationem actuum; de quo *D. Thom.* 1.2.*Q.*51. & *ſequentibus* Actus autem cauſari poteſt, vel directè, & immediatè ſeu elicitiuè, & ſic procedit ab habitu, & potentia, à qua haber ſpeciem. Quia actus cauſatur ab habitu ſibi ſimili, vt à ſuperbia cauſatur actus ſuperbiæ, & ab humilitate actus humilitatis, & ſic de ſingulis. Poteſt etiam oriri aliquis actus, ſiue in eadem, ſiue in diſtincta potentia ab aliquo habitu,aut actu, non quia immediatè cauſatus ab illo,ſed quia cauſatur ab illo cognitio, & apprehenſio alicuius obiecti ad habendum alterum actum. Et tunc iſte dicitur effectus, primi, & non actus eius, V. g. habet aliquis actum amoris, ex hoc ſequitur actus delectationis, aut deſiderij, non quomodocumque tanquam actus elicitus ab amore, ſed quia ex eo,quod aliquis amat,tanquam ex diſpoſitione,qua afficitur ad illud obiectũ,ſequitur,quod apprehendat illud vt conueniens, & coniunctum, & ſic cauſat delectationem, vel vt abſens, & ſic cauſat deſiderium. 12

Similiter *Vitiis capitalibus* ſi aliquis, V. g. amat Gulam ex hoc oritur quod apprehendat vt bonum ſcurrilitatem, immunditiam, &c. Et reſpectu illorum gula eſt vitium capitale, quatenùs ex amore ad gulam diſponitur homo, vt apprehendat illa tanquam bona, & non refugiat incutiete in illa propter gulam, tanquam propter rem magis amatam, & vt finem, ſicut optimè explicat *Caiet. infr. Quæſt.* 148. *art.* 5. Et eodem modo hic explicauit *S. Thom.* Lætitiam, aut triſtitiam eſſe effectum deuotionis, quatenùs ex cognitione Dei, aut propriorum defectuum, ex qua cauſatur deuotio, reſultat etiam gaudium, aut triſtitia, ſecundùm quod proponitur aliquid vt bonum conueniens,aut vt malum diſconueniens & hoc non ſolùm in voluntate, ſed etiam mediante cognitione phantaſiæ in appetitu ſenſitiuo ſimiles paſſiones cauſari poſſunt. Imò, & immutationes corporis, quæ ex huiuſmodi paſſionibus cauſari ſolent mediante apprehenſione animæ, qua commouetur appetitus, fieri docet *S. Thom.* 1. *part. Q.* 117. *art.* 3. *ad* 3. Itaque ex affectu ſeu actu ad vnum obiectum,manet homo diſpoſitus,& proportionatus ad concipiendam conuenientiam, vel diſconuenientiam circa alium actum,aut obiectum. Et tunc ſi mediante tali apprehẽſione actus ille procedat dicitur effectus, non actus primi illius actus. Qua ratione explicauit egregiè *Caiet.* ſimilitudinem eſſe cauſam amoris, 1. 2. *Q.* 27. *art.* 3. 13

Et *ſimiliter* intelligimus, Quomodo vittus aliqua exiſtens in voluntate poſſit imperare aliis,cum tamen imperium ſit actus intellectus, vt docet *D. Thom.* 1.2.*Quæſt.*17.*art.*1. Quia videlicet mediante apprehenſione efficaciter ordinatiua eius, quod faciendum eſt,imperat,& habet pro effectu aliquid imperatum. Quæ tamen apprehenſio ordinatiua, quia oritur ex diſpoſitione, qua aliquis eſt diſpoſitus per aliquam virtutem voluntatis,& ex illa habet efficaciam ad intimandum, dicitur imperium eſſe actus eius. *Ea quæ* pertinent ad modum habendi meditationem, & quomodo ex illa cauſetur dulcedo, & lætitia in anima,aut aliquando à Deo infundatur, videantur in *Ag.Torr.* hic,& *Suar.ſupr. loco citat. cap.* 8. & 9. Quæ verò pertinent ad Contemplationem ipſam prout coincidit cum oratione mentali; & quæ ſit in illa via Purgatiua, Illuminatiua, & Vnitiua, cum non pertineant ad eſſentiam deuotionis, ſed orationis, commodiùs *ſequenti Quæſtio.* attingemus.

QVÆSTIO LXXXIII.

DE ORATIONE.

EXPEDITO Actu Religionis, quo ipſa voluntas offertur Deo, qui eſt principalis actus eius, vtpotè maiorem includens cauſalitatem in reliquos, quia voluntas cætera omnia mouet, & qui propinquior eſt Religioni exiſtenti in voluntate, tranſit *S. Thom.* ad actum Religionis, quo offertur, & ſubiicitur intellectus Deo, & quo aſcendit ad ipſum quaſi oblatus, & ſubiectus ei, quod fit per *Orationem.* De qua in præſenti *Quæſt.* decem, & ſeptem articulos concludit. In 1. Reſoluit *Orationem eſſe actum appetitiuæ virtutis, ſeu cognoſcitiuæ*, quia de Oratione loquimur in præſenti prout ſignificat quandam deprecationem, & petitioñe ſecundùm quod dicit *Auguſt.* Quod Oratio petitio quædam eſt, petere autem, ſiue deprecari ordinationem quandam importat, prout ſcilicet homo diſponit aliquid per aliud eſſe faciendum; ergo pertinet ad Rationem cuius eſt Ordinare, propter quod Philoſoph. dixit, *Quod ad optima deprecatur Ratio*, & Caſſiodor. *Quod Oratio dicitur quaſi oris Ratio.*

In 2. Artic. Reſoluit *Conuenientiſſimum eſſe Orare.* Et Refutatis erroribus Quorundam dicentium huiuſmodi exercitium vanum eſſe; eo quod res humanæ diuina prouidentia non reguntur: & Aliorum vtilitatem Orationis excludentium, Quia omnia in rebus humanis ex neceſſitate contingere dicebant. Concluſionem ſuam probat ex eo, quod Deus non ſolum diſpoſuit. Qui effectus in nobis fiant, ſed etiam ex quibus cauſis & quo ordine proueniant. Inter alias autem cauſas aſſignatur Oratio. Non enim propter hoc oramus vt diuinam diſpoſitionem immutemus, ſed vt impetremus, quod Deus diſpoſuit per orationes Sanctorum impleri, & iuxta Gregorium. (Vt homines poſtulando mereantur accipere, quod eis Deus omnipotens ante ſæcula diſpoſuit donare.) Oportet ergo Orare, & non deficere, ne fructibus Orationis careamus. In quo *Caiet.* noſtram miratur ſtultitiam, qui in cæteris effectibus cauſas medias adhibemus, ne vana reddatur expectatio noſtra; in fructibus autem Orationis ſomniamus tanquam ſi Oratio non cauſa, vel cauſa valde remota eſſet. Quòd fit vt ſomniantes in cauſis nihil percipiamus in fructibus.

In Art. 3. Reſoluit *Orationem eſſe actum Religionis.* Quia per Orationem homo exhibet reuerentiam Deo (quod eſt proprium Religionis) in quantum ei ſe ſubiicit, & profitetur orando ſe eo indigerè; ergo ad Religionem pertinet Orare, per quod maximè Deus honoratur, cum ipſi ſubiiciamur petendo vt omnium Creatori, Prouiſori, ac Redemptori.

In Art. 4. Reſoluit *Solum Deum debere orari.* Quia omnes Orationes noſtræ ordinari debent ad gratiam, & gloriam conſequendam, quam ſolus Deus dat, & ſic ad Deum quaſi ad principium per quem. Deſideria noſtra ſunt implenda dirigi debet Oratio. Licèt etiam Sanctos Oremus, non vt per quos orationes noſtras Deus cognoſcat; ſed vt eorum precibus, & meritis Orationes noſtræ ſortiantur effectum.

In Art. 5. Reſoluit *Aliquid determinatum debere in Oratione à Deo peti*, videlicet ea quæ malum euentum habere non poſſunt, & quæ in Beatitudinem ſecurè nos perducant, vt patet ex eis quæ in Oratione Dominica Diſcipulos ſuos docuit expoſcere *Matth.* 6. & *Luc.* 11.

In Art. 6. Reſoluit *Temporalia poſſe à Deo peti in Oratione*, non quidem principaliter, & vt in eis finem conſtituamus, ſed vt adminicula quædam quibus ad Beatitudinem adiuuemur, in quantum ſcilicet per ea vita corporalis ſuſtentatur, & nobis deſeruiunt ad actus virtutum.

In Art. 7. Reſoluit *Pro aliis debere nos orare*, Quia non ſolùm debemus nobis bona deſiderare, ſed aliis (hoc enim pertinet ad delectationem quam proximis impendere debemus) illud autem debemus orando petere quod debemus deſiderare, ergo ſicut pro nobis orare debemus, ſic pro aliis.

In Art. 8. Reſoluit *Debere nos pro Inimicis orare*, Quia debemus inimicos diligere; à [no]ſtris ergo communibus Orationibus, quas pro aliis facimus, inimicos non excludet [n]e[c]eſſitatis eſt, pro eis tamen ſpecialiter orare, perfectionis.

In Artic. 9. Reſuluit *Conuenienter eſſe aſſignatas ſeptem Petitiones Orationis Dominicæ*, quod præter Authoritatem Chriſti inſtituentis, conſtat ex eo, quod in tali Oratione Omnia quæ petere, & eo ordine quo petere debemus, aſſignantur, vt videre eſt in littera, breuitatis cauſa hîc omiſſa.

In Art. 10. Reſoluit *Orare proprium eſſe creaturæ rationalis*, Quia vt dictum eſt, Oratio eſt Actus rationis per quam aliquis ſuperiorem deprecatur, ergo ei eſt proprium orare, cui conuenit rationem habere, & ſuperiorem quem deprecari poſſit. Diuinis autem Perſonis nihil eſt ſuperius; Bruta rationem non habent; ergo proprium eſt creaturæ rationalis orare.

In Art. 11. Reſoluit *Sanctos qui ſunt in Patria pro nobis orare*, Quia Oratio pro aliis ex charitate prouenit, ergo quantò ſancti perfectioris ſunt charitatis, tantò magis pro Viatoribus orant: habet enim hoc diuinus ordo vt ex ſuperiorum excellentia in inferiora refundatur, ſicut ex claritate Solis in aerem.

In Art. 12. Reſoluit *Orationem communem debere eſſe vocalem, non ſingularem*, Quia communis eſt quæ per Miniſtros Eccleſiæ in perſona totius populi fidelis Deo offertur, ergo oportet quod innoteſcat populo pro quo profertur. Singularis autem vocem non petit, licèt voce poſſit vti vel ad augendam, & excitandam deuotionem, vel vt etiam vox domino ſeruiat, vel quia ex redundantia ab anima in corpus, & ex vehementi affectione reſultat, ſecundùm illud Pſalm. 15. *Lætatum eſt cor meum, & exaltauit lingua mea.*

In Art. 13. Reſoluit *Attentionem eſſe in Oratione neceſſariam, neceſſitate ſecundùm quid ſeu ad melius eſſe.* Ad merendum autem in Oratione ſaltèm in prima intentione, qua aliquis ad Orandum accedit, eſt ſimpliciter neceſſaria, & ſimiliter ad impetrandum id pro quo orat. Si autem prima intentio deſit, Oratio nec meritoria eſt, nec impetratiua.

In Art. 14. Reſolnit *Orationem diuturnam eſſe debere ſecundùm cauſam ſuam*, nempe deſiderium charitatis à quo procedit, omnia enim in gloriam Dei facere debemus; non verù in ſe ipſa, quia oportet aliis operibus occupari. In Artic. 15. Reſoluit *Orationem eſſe meritoriam*, ſicut & quemlibet alium actum virtutis in quantum procedit ex radice charitatis. In Artic. 16. Reſoluit Peccatores orando aliquid impetrare à Deo, ſi enim peccatores non exaudiret, fruſtra diceret Publicanus. *Domine propitius eſto mihi peccatori.*

In Art. 15. Reſolnit conuenienter aſſignati partes Orationis, Obſecrationes, Orationes, Poſtulationes, & gratiarum actiones, quia Orans debet accedere ad Deum, quem orat (Ecce *Orationem*, quæ eſt aſcenſus mentis in Deum) debet etiam petere, ſiue determinatè (ecce *Poſtulationem*) ſiue indeterminatè quod nominant *Supplicationem*. Item requiritur Ratio impetrandi, & hoc ſi ex parte Dei, eſt eius ſanctitas, ſecundùm illud Daniel 9. *Propter temetipſum inclina Deus meus aurem tuam* (ecce *Obſecrationem*) ſi verò ex parte Petentis, eſt Gratiarum actio, quia de acceptis beneficiis gratias agentes meremur accipere potiora.

DISPVTATIO XXVII.

De Pertinentibus, & Requiſitis ad Orationem.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Oratio ſit actus appetitiua Virtutis.

1 IN titulo ly *Oratio* ſumitur prout comprehendit omnes partes Orationis, ſcilicet, Obſecrationem, Poſtulationem. Orationem, & gratiarum Actionem quas S. *Thom.* numerat in hac ipſa *Quæſt. art.* 17. Et de omnibus currit Difficultas vt de partibus ſub nomine *Orationis* comprehenſis, An pertineant ad actum appetitiuæ virtutis? *Concluſio eſt affirmatiua*, quàm probat *S.D.* primò in *Argum. ſed cont.* authoritate Iſidori, Quia *Orare* (inquit Iſidorus) *eſt idem Quod dicere*: dictio autem pertinet ad intellectum, & eſt actus eius: ergo & Oratio. Poſſet tamen quis eludere vim argumenti explicando *Iſidorum* de Oratione vocali, non mentali. Sed eſt Ridicula Euaſio, Nam hoc modo nihil peculiare diceret *Iſidorus* de Oratione; Nam etiam imperare vocaliter, Eligere vocaliter, concionari, Syllogizari, & Reliqua omnia vocalia ſunt dicere. Si ergo ſenſus *Iſidori* eſſet, Quod orare vocaliter eſt dicere, nihil explicaret, de ratione ipſa orandi, ſed de eo, quod habet in quantum vocalis eſt. Dicere autem quod oratio, in quantum vocalis eſt, eſt quoddam dicere, eſt explicatio ridicula.

Igitur loquitur *Iſidor.* de Oratione, quantùm ad propriam rationem orationis, vt comprehendit interiorem, & exteriorem. Vnde ratio *D. Thom.* fundata in tali authoritate efficax eſt. Quomodo autem Oratio ſit dictio, & An ſupponat pro dictione, ſeu conceptu vocis, vel pro conceptu rei, vt dicatur eſſe in intellectu: ſtatim contra *Suar.* diſputabimus.

2 In *corpore art.* probat *S. Thom.* eandem concluſionem præſupponendo tria, ex quibus pendet eius ratio. *Primum eſt* id quod dicit *Caſſidor.* explicando ethymologiam orationis, quod Oratio eſt *quaſi oris ratio.* Secundum eſt quaſi ſubſumptum, quod ratio eſt duplex, alia ſpeculatiua, alia practica; quarum præcipua differentia eſt, quod ratio ſpeculatiua eſt pure apprehenſiua rerum, ratio autem practica non ſolum eſt apprehenſiua, ſed etiam cauſatiua. *Tertium eſt* vlterius ſubſumendo, quod dupliciter aliquid eſt cauſa alterius; vno modò perfectè alio modò imperfectè: perfectè quando effectus totaliter, & perfectè ſubditur poteſtati cauſæ, & ita poteſt imponere neceſſitatem; aut coactionem, vel moralem, vel phyſicam, vt fiat talis effectus: imperfectè autem quando effectus non ſubditur totaliter, & perfectè poteſtati cauſæ, & ideò ſolùm imperfectè, & quaſi diſpoſitiuè poteſt illum cauſare, quaſi indigens altera cauſa, vt talis effectus exeat. Et ſic cùm ratio practica ſit cauſa, poteſt ſimiliter eſſe cauſa, vel perfectè, vel imperfectè. Perfectè quidem, quando totaliter poteſt ſibi ſubdere effectum, & quaſi neceſſitatem, & coactionem moralem ei imponere, & ſic ſe habet quando imperat non ſolùm aliis potentiis, ſed etiam aliis hominibus ſibi ſubditis. Imperfectè verò, quando effectus non ſubditur ei totaliter ſed diſponit ad illum inducendo, perſuadendo, aut petendo, &c.

3 Ex *his ergo* oſtendit *D. Thom.* ſuam concluſionem. Vtrumque illorum (ſcilicet imperare, & petere) importat ordinationem: ergo pertinet ad rationem, ſeu modum cauſandi per rationem. *Conſequent. patet.* Quia proprius modus cauſandi per rationem eſt cauſare ordinando: ergo quod importat ordinationem, importat aliquid rationis *Antecedens verò probatur.* Quia tam per imperium, quàm per orationem diſponit homo, quid ſit faciendum per alium ergo importat ordinationem. Et hinc elicit *D. Thom.* definitionem Orationis traditam à *D. Auguſt.* & *Damaſc.* Quòd ſcilicet, *Oratio eſt petitio quædam*, & quod oratio ad Deum *eſt petitio decentium à Deo*; petitionem autem ſeu deprecationem *Philoſ.* in ratione poſuit, dicens: *Quod ad optima deprecatur ratio.*

4 Ex *Authoribus*, qui doctrinam *D. Thom.* non profitentur, Quidam diſconueniūt in Concluſione negantes Orationem eſſe actum intellectus, ſed voluntatis, vt *Ioann. de Medin. Codice de pœnit. tract. de Orat. cap.* 2. Quidam verò non admittunt rationem *D. Thom.* poſitam in corpore exiſtimantes imperium eſſe actum voluntatis, & ordinationem illam, quàm ponit *S. Thom.* pertinere ad voluntatem, inter quos enumeratur *S. Bonauent. Ocham Almainus*, & alij Quidam denique partim admittunt, partim reiiciunt illam *S. Thom.* Concluſionem: exiſtimant enim actū petitionis, in quo præcipuè conſiſtit eſſentia Orationis, poſſe fieri locutione quadam interiori, eo modo, quo homo interius loquitur, & tunc conſiſtere in actu intellectus, non quo concipimus res, ſed quo cōcipimus voces, quaſi per conceptus non vltimatos; quia hoc modo ſolum exiſtimant. Nos loqui ad Deū in hac vita, quaſi imaginando voces, quibus interiùs loquamur Deo. Si autem remoueantur conceptus non vltimati vocum; & ſolum concipiamus res dirigendo conceptum ad Deum; tunc dicunt Orationem non eſſe actum intellectus, ſed voluntatis, quia ſe habet tunc ad modum locutionis Angelorum, quæ eſt actus voluntatis, quia conſiſtit in directione vnius conceptus ad alterum Angelum, quòd ſit per voluntatem. Ita *Pat. Suar. 2. tom. de Religio. lib.* 1, *c.* 3. & 4. Et mihi videtur *Suar.* procedere ex eodem fundamento, quo illi, qui negant ordinationem, & imperium eſſe actum intellectus; dicit enim ipſe conceptum per locutionem interiorem ordinari ad Deum, hanc autem ordinationem fieri per actum voluntatis. Vnde & *in tom. de legib. lib.* 1. *c.* 5. Licèt probabilem iudicet ſententiam, quæ dicit Legem actum eſſe rationis, magis autem ſe inclinat ad oppoſitam, quod ſcilicet conſiſtat in actu voluntatis.

Tota *difficultas in hoc articulo* reducitur ad 5
duas propoſitiones *D. Thom.* Prima eſt, quam ſæpiſſime repetit in aliis locis, ſcilicet, Quod *Ordinatio eſt actus rationis.* In hac enim propoſitione fundat *D. Thom.* quod imperium eſt actus rationis; & ſimiliter Lex, & Oratio, & Votum Et loquendo etiam de actibus Dei, in hoc fundat, quod Prædeſtinatio ſit actus intellectus, & non voluntatis. Vnde hæc propoſitio eſt fundamentalis in *S. Thom.* & eius reſolutio valde neceſſaria, & difficilis ſatis ad intelligendum. Quia cum ordinatio pendeat à ratione proponente, & à voluntate mouente, difficile eſt iudicare quid importet in recto, & formaliter, & præſuppoſitiue, & quare potius dici debeat, quod ſubſtantialiter, & in recto ſupponat pro iudicio intellectus, ſeu cognitionem præſupponendo motionem, quàm pro motione præſupponendo iudicium. Sicut in aliis actibus, qui pendent etiam ab vtraque potentia, vt in electione, & intentione videmus, quòd in recto important actum voluntatis, & præſuppoſitiuè ordinem rationis. Eſt ergo difficultas ad aſſignandam huiuſmodi differentiam. *Secunda etiam propoſitio*, in qua difficultas eſt, eſt de ipſa Oratione; quia adhuc dato, quòd ordinatio, ſit actus rationis formaliter, & in recto, reſtat videre an oratio eſſentialiter conſiſtat in ordinatione, vel in aliquo actu antecedente, vel ſubſequente. In his duobus tota *huius art.* reſolutio pendet.

Circa *primam* propoſitionem ſupponimus tan- 6
quam certum ordinationem efficacem, & quemcumque actum, qui in ordinatione conſiſtit, pendere à duplici potentia. ſcilicet ab intellectu, & voluntate, quia aliquid de vtraque participat. Et admittimus etiam tanquam probabilius, quod procedit elicitiuè ab vtraque potentia, ſecundùm quod vna potentia agit in aliam: hoc enim ex dictis *ſupra Quæſtio.* 81. *articul.* 4. conſtare poteſt, vbi determinauimus poſſe actum vnius potentiæ elici etiam ab alio, v. g. actus intellectus à voluntate, vel e contra; quia iſtæ potentiæ ita adinuicem mouent ſe, quod vna poteſt agere ex virtute participata ab altera, vt docet *S. Thom. Quæſt.* 22. *de Verit. art.* 13. Et quando virtus illa participata ex motione alterius potentiæ ita concurrit ad actum, quod tribuit illi aliquid

formaliter

formaliter pertinens ad ſuam ſpecificationem, & eſſentiam, dicitur actus elicitiue procedere à tali virtute participata, & conſequenter à potentia participante, & ſimul etiam à potentia mota. Et hoc modo cum Imperium in ſua intrinſeca ſpecie dicat aliquid voluntatis, & aliquid intellectus, quia eſſentialiter dicit ordinationem cum motione; & idem habent alij actus ſupra numerati; ideò ſtat benè; quod iſti actus elicitiuè procedant ab vtraque potentia ſecundùm diuerſas rationes, vt loco citato explicauimus. Suppoſito ergo quod vtraque potentia concurrit ad iſtos actus; & elicitiue concurrit, quia id, quod habet actus ab vtraque potentia pertinet ad eius ſpeciem, & eſſentiam; cùm iſtæ duæ potentiæ non poſſint ex æquo concurrere ad actum; ſed vna in virtute alterius, & vt mota ab altera, à qua participat virtutem.

7 Difficultas reſtat in aſſignare in iſtis actibus, quæ potentia ſe habeat vt mouens, & quæ ſe habeat vt mota, vt inde intelligamus, quid in actu ſe habeat tanquam materiale, & tanquam formale: ſemper enim potentia mota præbet actui id quod magis materiale eſt; potentia autem mouens id quod magis formale: vnumquodque enim mouetur in quantum eſt in potentia, & mouet in quantum eſt in actu. Et ideò actus procedens à potentia mota, & mouente correſpondet potentiæ motæ, quantùm ad id quod materialius, & potentialius eſt; potentiæ autem mouenti quoad id, quod eſt formalius. Actus autem ſimpliciter pertinet ad illam potentiam, à qua accipit entitatem materialem, & ſubſtantialem. Hac enim ratione probat *S. Thom.* Electionem eſſe ſimpliciter actum voluntatis, & non intellectus; 1. 2. *Q.* 13. *art.* 1.

8 Ad *Huius euidentiam conſiderandum eſt*, Quòd ordinatio eſt duplex, altera actiua, altera paſſiua. paſſiua quidem eſt ordo ipſe, prout inuenitur in rebus ordinatis, ſiue inter ſe, ſiue ad vnum tertium. Actiua autem ordinatio eſt actio procedens ad alterum ordinandum, & ponendum ordinem in rebus. Poteſt autem poni ordo in rebus dupliciter. Vno modo quaſi materialiter faciendo res, quæ ſuſcipiunt ordinem, quod eſt ordinare ex parte materiæ: alio modo formaliſſimè ex parte ipſius ordinis; ita quod ordo ipſe ſit primò, & per ſe intentus à tali agente. Non autem dicitur ordinare id quod facit ordinem primo modo, ſed ſecundò. Quòd enim habet ordinem à caſu, & quaſi materialiter non dicitur fieri ab agente ordinante, quia non fit ſub ratione, & intentione ordinis, ſed ex alia intentione proceſſit res ipſas habere ordinem. Sicut ſi ab aliquo agente naturali caſu fieret aliquod artefactum, V. g. domus, vel ſtatua. Igitur certum eſſe debet, quod *Ordinare* formaliſſimè loquendo, importat actionem ordinis, habendo pro ratione formali, & intenta ipſum ordinem: ad illam ergo potentiam primò, & per ſe pertinet ordinare ad quam primò, & per ſe pertinet habere pro formali obiecto ordinem. Ordo autem, vt dicit S. *Thom. ſupra Q.* 26. *art.* 1. includit modum aliquem prioris, & poſterioris ſecundùm relationem ad aliquod principium; relatio autem non poteſt primò, & per ſe intendi, niſi ab agente intellectuali, quia agens intendens relationem formaliter, oportet quod formaliter ſit comparatiuum, quia relatio naſcitur in aliquo ex eo quod comparatur ad aliud extra ſe. *Vnde faciens* relationem formaliter eſt agens comparatiuum vnius ad alterum, quod nulli agenti naturali conuenire poteſt: omne enim agens intendit producere rem in eſſe, ponendo illam extra cauſas; & ideò ſemper intendit eſſe *in*, non verò eſſe *ad*. Qua ratione (vt dicitur in 5. *Phyſic.*) Relatio vt relatio, non eſt terminus primarius alicuius agentis; nullum ergo agens naturale eſt primò, & per ſe formaliter comparatiuum, & ordinatiuum, quod eſt directè intendere relationem, & ordinem.

Similiter neque appetitus, & voluntas eſt primò, & per ſe agens comparatiuum, quia modus agendi per ſe appetitus eſt per ordinem ad res in ſe. Cum enim voluntas non trahat res ad ſe, ſed potius trahatur ad res, non pertinet ad illam comparare vnam rem ad alteram, ſed inclinari ad res ipſas ſecundùm bonitatem, qua ſunt appetibiles. Et ita ſi modus ejus agendi eſt trahi à bonitate rei, non relinquitur ei locus, vt de vna re faciat ordinationem ad alteram. Intellectus autem qui trahit res ad ſe, & ex vna procedit ad alteram, poteſt comparare, & attingere formaliter habitudinem vnius ad alterum: habet ergo intellectus in ſe primam radicem, & primam rationem ordinandi res, ſicut, & comparandi, & inſtituendi habitudinem vnius ad alteram. Appetitus autem non habet in ſe radicem comparandi, ſed ſolùm tendendi ad res, prout in ſe ſunt per modum ponderis, & inclinationis ad bonitatem, quam habent. Vnde niſi ſupponantur comparatæ inter ſe, & habitudinem habentes, appetitus non facit ipſam comparationem, & habitudinem; quia appetitus non facit ſibi obiectum, cum non habeat illud intra ſe, neque formet illud ſicut intellectus, ſed ab exteriore bonitate, & appetibilitate trahatur. Qua ratione appetitus in ordine ad ſuum obiectum eſt potentia magis paſſiua, quam intellectus, vt determinat *D. Thom.* 1. 2. *Q.* 21. *art.* 2. 9

10 Reſtat *ergo*, quod ſi appetitus fertur in res ordinatas, hanc ordinationem ipſe appetitus non faciat, ſed ſupponat, potentia autem primò, & per ſe ordinans, & faciens habitudinem ordinis eſt potentia intellectiua, quia hæc habet in ſe radicem ordinandi, & comparandi, eo quod non fertur ad res, nec trahitur ab illis, ſed trahit eas ad ſe, & intra ſe format, & concipit, & comparat. Et inde eſt, quod etiam ipſa virtus Charitatis, quæ eſt ſuprema in voluntate, & attingens vltimum finem, non eſt primò, & per ſe ordinans, ſed ordinata, iuxta illud Cant. 2. *Ordinauit in me charitatem.* Ex quo colligit *S. Thom. ſupra Q.* 26. *art.* 1. Quod charitas habet ordinem in obiectis diligendis, non quaſi ordinans, ſed quaſi ordinata, quia *Ordinare* (inquit) *rationis eſt*; Charitas autem ordinata habet ordinare reliquas virtutes: e contrario verò intellectui attribuitur ordinare primò, & per ſe, iuxta illud commune dictum *Philoſ. ſapientis eſt ordinare.*

11 Dices. Hæc habitudo, quam format intellectus intra ſe, ſolùm eſt relatio rationis, quia eſt relatio facta ab intellectu: ergo ex hoc non poterit ratio practica cauſare ordinationem realem, ſed ſolùm rationis, hoc autem eſt falſum. Nam artificialia, quæ procedunt à ratione practica per artem, important ordinationem realem

lem in rebus ipſis exiſtentem; ſicut artefactum domus eſt aliquid realiter ordinatum ſecundùm partes ſuas. Et ſimiliter moralitas actuum, quæ procedit à ratione practica ſecundùm regulas rationis, & prudentiæ, dicit reſpectum realem ad regulas rationis.

12 Reſpondetur. Quòd Relatio dupliciter poteſt formari intra intellectum vno modo in quantum eſt præcisè cognita, alio modo vt intenta, & vt finis. Intellectus enim practicus, & ſpeculatiuus differunt fine, quia ſpeculatiuus eſt propter cognoſci; practicus autem propter opus. Et ideò poteſt aliqua relatio formari ab intellectu, vel propter cognoſci tantùm ipſius relationis, & ſic ſolùm acquirit relatio eſſe cognitum, & eſt relatio rationis: vel poteſt formare relationem intellectus propter operari ipſius relationis, intendendo illam exhibere in re, & ſic non eſt relatio rationis, ſed operabilis à ratione. Itaque relatio, ſeu habitudo vt intenta, non eſt relatio ſolùm cognita, & conſiſtens tantùm in cognoſci, ſed deriuabilis à cognitione ad rem: & ideò poteſt inueniri realiter. Relatio autem quæ ſolùm cognoſcitur, vel ex cognitione reſultat, & non intenditur vt ponenda in re, eſt relatio rationis: ratio autem practica non ſolùm format relationem, & ordinem, præciſe cognoſcendo illum, ſed tanquam opus faciendum, & ponendum in re. Et ideò bene ſtat quod in artificialibus, & moralibus ordo deſcendens à ratione practica ſit realis; ſed quia formaliter non poteſt intendere iſtum ordinem, niſi comparando vnum extremum ad alterum, ideò oportet quod ordinare pertineat ad potentiam comparatiuam, & cognoſcitiuam. Et quòd intellectus practicus formet hoc modo ordinem, & relationem, patet ex eo, quia opus faciendum v.gr. domus fabricanda formatur intra intellectum artificis, non tamen domus eſt aliquid rationis, ſed aliquid factibile in re; ſic etiam ordo ponendus inter ipſas partes domus, vt inter lapides, & ligna eſt ordo intentus ab artifice, & formatus ab intellectu practico; & ideò non eſt relatio rationis.

13 Stabilito *ergo hoc principio*, Quod ordinare, formaliter loquendo, eſt actus rationis, reſtat applicare illud ad actus particulares, & videre, An ſubſtantialiter ſit formalis ordinatio? Ad hoc ergo cognoſcendum in iſtis actibus, qui pendent à duplici potentia, mota, & mouente, elicienda eſt regula quædam ex *Diu. Thom.* 1. 2. *quæſt.* 13. *articul.* 1. Quod ſemper id, in quo perficitur huiuſmodi actus, eſt quod materialiter, & ſubſtantialiter à ſe habet in illo: & ideò ad illam potentiam pertinebit, vt ad motam, & directè, à qua habet id in quo perficitur talis actus; & ad illam potentiam pertinebit præſuppoſitiuè, & vt ad mouentem à qua habet quaſi inchoationem, & ordinem incipiendi ſecundùm quem ordinem fit talis actus. Hac regula vtitur *S. Thom* ad oſtendendum, quòd electio eſt actus voluntatis, & non rationis, *loco proximè citato. Quia* (inquit) *perficitur electio in motu quodam animæ ad bonum, quòd eligitur: & ideò electio actus eſt appetitiuæ potentiæ.* Quid ſit autem id, in quo perficitur electio, explicauit idem *Sanct. Doct. quæſtio.* 22 *de veri. articul.* 15. vbi inquit. *Quod vltima acceptio, qua aliquid accipitur ad proſequendum, eſt electio, quod quidem non eſt rationis, ſed voluntatis, quia quantumcumque ratio vnum alteri præferat, nondum vnum eſt alteri præacceptum ad operandum, quouſque voluntas inclinetur magis in vnum, quàm in aliud.* Hæc D. Thom. Et eamdem doctrinam inſinuauit *in* 2. *diſt.* 24. *q.* 1 *art.* 3.

Itaque *conſiderandum eſt*, Quod actus, qui procedit ab aliqua potentia non abſolutè ſed prout mouetur ab altera, & ſic dependet à potentia mota, & mouente, talis actus procedit, vt motus quidam, cuius initium eſt in potentia mouente, & exercitium eſt per potentiam motam, in qua perficitur motus, quia in ea attingit rem, & obiectum, quod intendit. Videmus enim in motu corporali, quod quando concurrit ad aliquem motum potentia mouens, & potentia mota, vt manus, & baculus, motus non attingit lapidem, prout incipit à manu, ſed prout exercetur in baculo: & ideò ibi perficitur vbi vltimatè attingit lapidem. Et ſimiliter quando Mare fluit, & refluit ex motu lunæ, quia talis motus non perficitur in cœlo, ſed in mari, ideò pertinet vltimatè ad mare, & in illo ſubiectatur, & illud denominat, non verò Lunam. 14

Sic ergo in iſtis actibus, qui non pertinent ad aliquam potentiam abſolutè, ſed prout mouetur ab altera, attendendum eſt id, in quo perficitur motus, & quòd vltimatè intenditur, & ad illam pertinebit ſubſtantialiter, & materialiter, & illam denominabit, & in illa erit ſubiectio. V. g. Imperium dicimus, quòd pertinet ſubſtantialiter ad intellectum, & ſubiectatur in illo; præſuppoſitiuè autem ad voluntatem, vt patet ex illa doctrina *D. Thom. quæſt.* 22. *de Veri. ſupra citat*: Quia quantumcumque mouet voluntas, non tamen habet in voluntate vltimum in quo imperium perficiatur, & quòd intendit; quia cum imperium ſit motio voluntatis ad alterum, vt moueat alterius voluntatem, vel potentiam ad exequendum, oportet quòd non moueat illum motione cæca, ſed manifeſtatiua eius, quòd debet facere. Vnde per manifeſtationem, quaſi per baculum debet mouere: ſi enim prius manifeſtaret, & deinde moueret, vel manifeſtaret ipſi voluntati mouenti, vt moueret; vel manifeſtaret alteri, cui vult imperare. Si ipſi voluntati mouenti, reſtat tunc hanc motionem, & manifeſtationem differre ad alterum, cui vult imperare: & hoc non poteſt facere voluntas per ſe ipſam, ſed indiget media manifeſtatione intellectus, qua deferat ad alterum. Similiter ſi manifeſtatio illa inciperet fieri erga alterum, deinde autem moueret voluntas, remanet eadem difficultas, quomodo poſſit iſta motio voluntatis deferri ad alterum, vt moueatur ab illa, niſi manifeſtando illam alteri; quæ manifeſtatio eſt actus intellectus. Quia ergo imperium eſt motio voluntatis delata ad alterum, quòd voluntariè debet mouere, vt deferatur ad tale voluntarium mobile, indiget manifeſtatione, & directione, & ideò perfici debet actu iſto intellectus. Electio autem, & intentio quia non debet deferri ad alterum, ſed in ipſa voluntate perfici tendendo in obiectum collatum, & ordinatum, ideò inchoatur ab ordinatione, qua proponitur ſibi obiectum collatum, & perficitur motu voluntatis tendente ad tale obiectum. 15

Neque *obſtat*, Quod voluntas etiam imperat ſibi ipſi, aut etiam intellectui, & reliquis potentiis, reſpectu quarum non videtur indigere delatione ſuæ motionis ad alterum per manifeſtationem. *Reſpondetur enim.* Quod voluntas non imperat ſibi ipſi ſecundùm idem, ſed ipſa, vt 16

vult

-ult finem, mouet ſe ipſam per imperium ad volendum media: non poteſt autem velle media, niſi proponendo illa ſibi, & ita habet locum, vt mediante ordinatione, & propoſitione intellectus moueat in ſe ipſam, ſicut expreſsè dicit *S. Th.* 1. 2. *quæſt.* 1. *art.* 5. Non enim motio imperij deferri debet ſolùm ad alterum ſuppoſitum, quod extra nos eſt, ſed etiam ab ipſam voluntatem, vt ex volitione vnius moueatur per imperium, ad volitionem alterius. Reliquas autem potentias ſolum mouet voluntas per imperium, quantùm ad exercitium actus; exercitium autem non ſubditur imperio, niſi quatenus voluntarium eſt. In his enim, quæ voluntariè fiunt, vſus, ſeu exercitium diſtinguitur ab actu, & ideò imperari poteſt à voluntate, quantùm ad exercitium, & non quantum ad ſpeciem actus, vt notauit optimè *Caiet.* 1. 2 *quæſt.* 9. *art.* 1. Actus autem non poteſt recipere rationem voluntarij niſi vt ordinatus ad finem voluntatis. Quare neque imperare, & mouere poteſt eos voluntas, niſi per ordinationem ad finem deferatur ad eos ratio voluntarij, & imperij. Et ſic omnes actus imperati indigent actu intellectus deferente, & manifeſtante ordinationem, vt ſecundùm voluntatem fiant, & ſi ſunt actus ſenſibiles, vt imperentur, indigent manifeſtatione ſenſibili, qua moueatur appetitus, & membra ei ſubiecta. Et ſic omnes virtutes exiſtentes in voluntate, ſi imperant aliis, ſemper media ordinatione imperant.

17 Dices: hæc omnia vera eſſe de manifeſtatione imperij, non autem de eſſentiali, & intrinſeca eius ratione: non enim per delationem, & manifeſtationem imperij eius eſſentia conſtituitur; ſiquidem manifeſtatio ſupponit id quod manifeſtatur: ergo eſſentia imperij non poteſt perfici, & conſiſtere in actu intellectus ordinante, & deferente ad alterum ipſum imperium, & dico *D. Thom. quod lib.* 9. *articul.* 12. expreſsè dicit imperium eſſe actum voluntatis, & rationis. *Reſpondetur*, Quod eſſentia imperij intrinſece includit intimationem rei faciendæ ei, cui imperat, vt dicit *Sanct. Thom.* 1. 2. *quæſt.* 17. *artic.* 1. Et ideò quandiu motio voluntatis non habet modum, & medium intimandi alteri; & ordinandi id, quod debet facere (ſiue alteri ſuppoſito, ſiue alteri potentiæ) nunquam mouet per modum imperij, loquendo de imperio propriè, & adæquatè: aliquando enim quæcumque motio, & applicatio potentiarum dicitur imperium, ex eo ſolùm quia habet motionem, cum tamen non ſit imperium, ſed vſus, qui eſt alius actus ab imperio. De quo *D. Thom.* 1. 2. *quæſt.* 16. *per totam.* Et ideò ante intimationem, & ordinationem eius quod voluntas fieri vult non datur imperium, neque manifeſtatio eſt delatio imperij, ſed delatio motionis voluntatis, per quam conſtituitur imperium. Quia non quæcumque motio, ſed intimatiua, & ordinatiua eius, quod debet fieri, imperium eſt. *D. Thom.* autem ſeipſum explicat dicens. Quod cum ad imperium concurrat voluntas, & intellectus. *Si iſtorum duorum ordo conſideretur, primum eſt inclinatio voluntatis, & poſtea in principio executionis ordinatur, per quos debet fieri, quod electum eſt. Et ſic imperium non erit immediatè actus rationis, ſed voluntatis, quaſi primò mouentis.* Sic *Sanct. Thom.* Vbi ſenſus clarus eſt, quòd imperium originaliter, & præſuppoſitiuè eſt à voluntate, vt à primò mouente; formaliter autem ab intellectu, vt à perficiente, ita quòd incipit à voluntate, & perficitur intimatione intellectus.

Ex *dictis* colligitur Primò, Euidentia vtriuſ- 18
que propoſitionis *D. Thom.* in principio poſitæ, ſcilicet *Ordinationem eſſe actum intellectus, & Orationem perfici, & conſiſtere vltimatè per ordinationem ad ſuperiorem*, quæ eſt petitio. Quod enim ordinatio ſit actus intellectus, loquendo formaliter, & primario de ordinatione, ſatis oſtenſum eſt. Quod etiam oratio perficiatur ordinatione, quæ ſit petitio patet ex diſcurſu facto, qui explicat rationem *Diu. Thom. hic.* Sicut enim ſe habet imperium reſpectu inferioris, ſic oratio reſpectu ſuperioris, & æqualis; ad vtrumque enim deferri debet deſiderium, & intentio voluntatis intimando, & ordinando id, quod volumus fieri. Voluntas autem, quantumcumque deſideret, non poteſt alteri deferre, & intimare hoc deſiderium, niſi quando petit, & ordinat ad alterum id, quod deſiderat. Et licèt Deus non indigeat manifeſtatione deſiderij noſtri ex parte ſua, & vt cognoſcat illud; tamen ex parte noſtra, vt modo noſtro petamus aliquid a Deo, neceſsè eſt quod non ſolùm voluntas deſideret, ſed etiam deſiderium iſtud eleuet ad Deum, non vt ipſe cognoſcat, ſed vt circa nos faciat id, quod volumus, quaſi deſiderium ipſum exponendo ante Deum per modum ſubiectionis, & recognitionis noſtræ indigentiæ, iuxta illud Pſalmi 37. *Afflictus ſum, & humiliatus ſum nimis; rugiebam à gemitu cordis mei. Domine ante te omne deſiderium meum.*

Et *quòd non perficiatur* Oratio in deſiderio, & 19
in omni actu voluntatis, patet ex eo, Quod benè ſtat aliquem deſiderare, vel intendere aliquid, non autem orare, aut petere auxilium, quia non vult ordinare, & ſubiicere ſe alteri, vt ei ſuccurrat: igitur quandiu non ordinat deſiderium, vel amorem ad hoc, quod ab altero ei ſubueniatur, non dicitur orare, quantumcumque velit, & deſideret. Et ſic Oratio non completur per volitionem, & efficaciam volendi aliquem finem, aut media, ſed per petitionem, Quia oratio non eſt volitio medij ad aliquem finem, ſed medium ipſum, quo ab altero obtinere volumus finem.

Dices. Hac ratione omnes actus religionis erunt 20
actus intellectus, & complebuntur per Ordinationem; quia omnes actus religionis debent eſſe per ſubiectionem ad alterum: ergo quandiù non ordinatur ad alterum, id eſt ad Deum, quantumuis habeat quis voluntatem ſe ſubiiciendi, non erit actus religionis. Ordinatio autem iſta per modum ſubiectionis debet eſſe actus intellectus, quia ſolùm ad intellectum pertinet ordinare atque adeò omnes actus religionis erunt actus intellectus. *Et Confirmatur* ex oppoſito. Quia ex doctrina data ſequitur, quòd Prædeſtinatio non ſit actus intellectus, ſed voluntatis, contra *D. Thom.* 1. *part. quæſt.* 23 *artic.* 2. *& de verit. quæſt.* 6. *artic.* 1. Sequela probatur, Quia prædeſtinati ita mouentur à Deo ad beatitudinem, quòd illis non intimatur, neque ad eos defertur ordinatio prædeſtinationis: ergo non completur ordinatione intimatiua ad alterum, quæ ſola eſt actus intellectus practici. *Et ſimiliter* lex licèt requirat manifeſtationem, & promulgationem ſui ad alterum, non tamen eius eſſentia in promulgatione conſiſtit: ergo neque perficitur eſſentialiter per delationem, & ordinationem manifeſta

manifeſtatiuam motionis ad alterum. Et idem Argumentum fieri poteſt de imperio.

21 Reſpondetur *ad argumentum*, Quod non omnis ſubiectio ad alterum eſt ordinatio intellectus, neque perficitur eſſentialiter per talem ordinationem intellectus. Si enim aliquis ſe ſolùm ſubiicit, & recognoſcit excellentiam alterius per modum ſeruitutis, & inferioritatis ad illum, per hoc præcisè non ordinat, nec diſponit quid alter debeat facere erga ſe, ſed solùm mouetur, & tendit per modum inferioris ad alterius excellentiam, honorando, & colendo ipſum: ſi autem ſubiiciat ſe alteri ordinando, & intimando illi, vt ſubueniat ſibi, & faciat aliquid erga ſe; talis ſubiectio debet compleri per actum intellectus. Et hæc eſt Oratio, per quam ſubiicimus nos alteri, non præcisè cognoſcendo eius excellentiam, ſed exhibendo, & diſponendo quid ab eo velimus obtinere, tanquam inferiores à ſuperiore.

22 Ad *Confirmationem Reſpond.* Quod neque prædeſtinatio, neque lex, neque imperium conſtituitur, aut perficitur per delationem & manifeſtationem ipſius prædeſtinationis, legis aut imperij; falſum enim eſſet dicere, quòd manifeſtatio imperij, aut legis conſtituit ipſam legem, aut imperium, ſed ſupponit. Sed quod diximus eſt. Quod tales actus non poſſunt conſiſtere, & vltimatè perfici per motionem, & actum voluntatis; eo quod voluntas per ſe ſolam non poteſt mouere alterum dirigendo, & ordinando illum ad aliquod obiectum, ſed indiget actu intellectus, medio quo ordinet, & dirigat. Ipſa autem actualis delatio, & manifeſtatio huius directionis non conſtituit, ſed ſupponit motum dirigentem.

23 Itaque *voluntas* per modum inclinationis, & ex parte ſubiecti habet mouere cæteras potentias, quantùm ad exercitium, & vſum voluntarium actionum. Cæterùm ſi oporteat etiam mouere ex parte obiecti, eo quod voluntas intendit, quòd aliquod obiectum intelligatur, vel appetatur ab altero intellectu, vel appetitu; neceſſe eſt, quòd id faciat mediante actu intellectus. Tum quia mouet ordinando, & gubernando finem, & media. Tum quia mouet intellectum, vel appetitum extra ſe, quos neceſſario debet mouere proponendo obiectum: & hoc ſola voluntas facere non poteſt, quia ſola non poteſt intimare alteri obiecto. Et ideò *S. Thom.* 1. 2. *qu.* 17. *artic.* 7. oſtendit, Quod ideò aliqua ſubſunt imperio noſtro, quia mouentur mediante apprehenſione animæ; quæ autem mouentur mediante diſpoſitione corporali non pendent ex noſtro imperio; lex ergo non perficitur intrinsecè ſecundùm quòd eſt in mente Principis per promulgationem neque imperium per manifeſtationem, ſed per actum ordinatiuum, & intimatiuum, qui eſt actus intellectus præſupponens motionem, & efficaciam voluntatis. Et in vniuerſum omnis actus, qui non ſolùm ordinatur ad volendum in ſe aliquod obiectum, ſed vt idem obiectum ſit volitum ab alio appetitu, neceſſe eſt, quòd à voluntate incipiat, ſed perficiatur per rationem, & intellectum: quia voluntas per ſe ſola non poteſt ordinare, & dirigere, & intimare alteri appetitui obiectum. Et ſimiliter prædeſtinatio, licèt pro ea parte, qua dicit actum voluntatis diuinæ, ſufficienter poſſit mouere phyſicè voluntatem creatam ad beatitudinem; tamen pro ea parte, qua tranſmittit prædeſtinatum ad iſtum finem ordinando, & dirigendo illum per determinata media, actu intellectus perficitur. Includit etiam actum intimatiuum, & manifeſtatiuum, non quidem ipſius decreti prædeſtinationis, & aſſecutionis beatitudinis, ſed eius, quod debet facere prædeſtinatus tali modo, quo requiritur ad prædeſtinationem. Vnde ex omni parte debet perfici actu intellectus.

Secundò *colligitur* ex dictis non ſubſiſtere Fundamentum *Suarez libro* 1. *de Orat. capite* 3. *&* 4. Exiſtimantis orationem interiorem, & mentalem, ſi non fiat mediis conceptibus vocum, ſed per conceptus vltimatos, non pertinere ad actum intellectus, ſed voluntatis, quòd probat ex *D. Thom.* Et ratione. Ex *D. Thom.* Quia tractans *S. D.* de locutione Angelorum 1. *part. quæſt.* 107. *artic.* 1. 2. *&* 3. dicit vnum Angelum loqui alteri ordinando per ſuam voluntatem conceptum ad alterum; ergo ſimiliter ſi homo oratione interiori loquatur Deo ad modum locutionis Angelicæ, ſufficit ordinatio, qua voluntas ordinet conceptum ad Deum. Si autem loqui velit per conceptus vocum, id pertinebit ad ipſum intellectum, concipiendo ſe loqui ad Deum in aliquo idiomate verborum, vt ſæpè experimur. 24

Ratio *autem* eiuſdem *Suarez* ad hoc reducitur, Quod in omni locutione ſolùm duo reperiuntur: vnum quòd in ipſo loquente fit; ſicut id quod formamus ad loquendum alteri: aliud, quòd à loquente egreditur, id eſt, ſignum manifeſtatiuum eius, quòd formamus. Hoc ſecundùm non reperitur in Oratione mentali, aut locutione ſpirituali inter Angelos, vel ad Deum. Primum verò eſt actus immanens, qui, vt ſit locutio ad alterum, debet ad alterum ordinare ordinatione pertinente ad voluntatem, & non ad cognitionem; quia quæcumque cognitio, quandiu homo ſiſtit in illa, ſolùm eſt locutio ad ſe, & non ad alterum; quia vt notauit *D. Thom. loco citato* 1. *articul.* 1. Quando mens conſiderat actu id quod habet in habitu loquitur ſibi ipſi: ergo non poteſt per cognitionem ordinare deſiderium ſuum ad alterum, & conſequenter nunquam poterit conſummari locutio ad alterum per cognitionem; quia eo ipſo quod eſt cognitio, ſolùm eſt locutio ad ſe, ſed conſummabitur per voluntatem, qua aliquis vult conceptum ſuum ad alterum ordinare, vel ſubucere: poſita autem hac voluntate, quæcumque cognitio poſtea ſequatur, non poteſt eſſe ſine cognitione reflexa, qua cognoſcit ſe velle, quæ cognitio neque ordinat ad alterum, neque conſtituit, ſed ſupponit locutionem. Et hæc præcipuè habent locum in locutione creaturæ ad Deum: nam licèt in locutione ſpirituali vnius Angeli ad alterum poſſit dici, quòd loquens debet aliquid imprimere & generare de nouo in audiente mediante intellectu, quatenus reddit ei de nouo intelligibile quod erat occultum, & ignotum: tamen in locutione ad Deum hoc dici non poteſt, cum non indigeat, quòd fiat ei intelligibile, manifeſtum aliquod obiectum, & conſequenter neque per actum intellectus ordinari debet ad illum. 25

16 Hæc tamen omnia ea dictis explicantur. Et ad locum quidem S. Thom. Reſpondetur, Quod expreſse D. S. ponit locutionem Angelorum conſiſtere in intellectuali operatione, ſic enim dicit *quæſt. illa* 107. *artic.*4. oſtendens, quòd diſtantia localis non impedit locutionem in Angelis. *Reſpond.* (inquit) *dicendum, Quod locutio Angeli in intellectuali operatione conſiſtit, vt dictis patet* (id eſt in *artic.*1. *illius quæſt.*) *intellectualis autem operatio abſtrahit à loco, & tempore.* Ergo, & locutio Angeli non impeditur per diſtantiam loci. Si ergo *D. Thom.* dicit, quod ſecundùm dicta ſua, locutio Angeli conſiſtit in intellectuali operatione, quomodo intelligi poteſt *D. Thom.* ſicut dicit *Suarez*, quòd conſiſtit in actu voluntatis? Et melius *in* 2. *diſt.*11.*quæſt* 1. *artic.* 3. *in fine corpor.* inquit, Quòd in Angelo, *Quando ſpeciem conceptam ordinat, vt manifeſtandam alteri, dicitur verbum cordis; quando verò ordinat eam alicui eorum, quæ vnus Angelus naturaliter videre poteſt, illud naturaliter cognoſcibile fit ſig num expreſſiuum interioris conceptus, & illa expreſſio vocatur locutio, non quidem vocalis ſed intellectualibus ſignis expreſſa, & virtus exprimendi dicitur lingua eorum.* Hæc D. Thom. Quando ergo dicit aliquando quod per voluntatem ordinantem conceptum ad alterum fit locutio Angeli, intelligendum eſt originaliter, & præſuppoſitiue ſicut imperium dicitur fieri à voluntate, vt à primo mouente. Ipſa autem ordinatio conceptus ad alterum, & coordinatio per expreſſionem ad aliquid naturaliter cognoſcibile, in quo formaliter perficitur locutio, euidens eſſe actum intellectus.

17 Ad *Rationem Suar. Reſpondetur ex dictis*, Quod Oratio, & locutio interior virtualiter, & originaliter eſt in voluntate, ſed formaliter, & directè in expreſſione intellectus ordinantis, & coordinantis vnum alteri, & negamus illam propoſitionem in qua præcipuè fundatur *Suarez*, Quòd omnis cognitio ſit ſolùm locutio ad ſe ipſum licèt enim cognitio, vt purè exit ab intellectu, ſit locutio ad ſe ipſum, tamen prout exit ſuppoſita ordinatione voluntatis, poteſt eſſe non ſolùm locutio ſibi ipſi, ſed etiam in ordine ad alterum cui ordinatur. Itaque ſicut actus ipſe cognoſcendi, & loquendi internus, ſi voluntariè exerceatur pendet à voluntate ſolùm quantùm ad exercitium, ita ſolùm quantum ad hoc habet occultationem à voluntate, eo quod in eo, quod eſt voluntarium eſt ordinis moralis, & conſequenter non eſt obiectum proportionatum ſpeciebus Angelicis, quæ ſolùm repræſentent ea, quæ ſunt ordinis naturalis. Vt ergo tollatur hoc impedimentum, & ipſe conceptus proportionetur ſpeciei alterius Angeli, cui fit locutio, neceſſe eſt, quòd ipſe conceptus exeat à dicente, & ab intelligente, vt non impeditus impedimento iſto morali; & conſequenter non ſolùm, vt ordinatus ad ſe ipſum, ſed etiam ad alium. Neque enim Angelus audiens, ſi percipiens locutionem alterius reſpicere poteſt immediatè ad voluntatem alterius Angeli, quia quicumque voluntatis actus, quamuiſcumque ſit ad alterum, eo ipſo, quo exit liberè à voluntate in ſe ipſo moralis eſt, & conſequenter improportionatus ſpeciei Angelicæ. Igitur impoſſibile eſt quod incipiat proportionati cogitatio cordis Angeli loquentis reſpiciendo ad actum voluntatis in ſe ipſo; & ita debet reſpicere ad ipſum actum intellectus, ſecundùm quod præſuppoſita voluntate loquendi alteri non ſolùm exit ab intellectu, vt cognitio in ordine ad ſe, ſed vt manifeſtatiua in ordine ad alterum.

Et *ideo D. Thom. quæſtio.*9. *de Verit. artic.*4. 28 *ad* 13. dicit, Quod locutio eſt motus cognoſcitiuæ potentiæ, non quod ſit ipſa cognitio, ſed quia eſt manifeſtatio cognitionis, & ideò oportet quod ſit ad aliud. Ex quo manet liquida noſtra ſolutio, & explicatio illius dicti 1. *part. quæſtio.*107. Quod conſideratio in actu eſt locutio ſibi ipſi, loquitur enim de conſideratione vt procedit purè ab intellectu, non vt procedit ſuppoſita ordinatione intellectus ad aliud. Similiter negamus quod poſita hac voluntate, qua aliquis vult conceptum ſuum ordinare ad alterum, ſolùm ſequatur cognitio reflexa, qua cognoſcimus nos velle, ſed ſequitur cognitio directa, qua cognoſcimus exprimendo, & ordinando cognitionem ad alterum, cui manifeſtare intendimus. Sicut enim poſita voluntate, quà volumus pro nobis cognoſcere, ſequitur locutio non ad alterum ordinata, ſed ad nos; ſic poſita voluntate, qua volumus cognoſcere, & dicere in ordine ad aliud, ſequitur cognitio relata ad aliud. Et hunc ſenſum habes *in D.Thom.* 1. *part. quæſtio.*107. *artic.*1. Vbi ait, quod intelligibile eſt in intellectu, & habitualiter, & actualiter, & relatum ad alterum, & de primò gradu ad ſecundùm, & de ſecundo ad tertium transfertur per voluntatem. Igitur cognitionem eſſe ordinatam ad alterum, in intellectu conſiſtit formaliter; quia eſt tanquam intelligibile in intellectu, licèt à voluntate originetur hæc ordinatio. Itaque non ſufficit voluntatem velle manifeſtare, vt ex hoc præcisè dicatur conceptus manifeſtatus, quia iſta volitio ſolùm eſt applicatio intellectus, vt manifeſtet dirigendo conceptum ſuum ad alterum; & ita niſi procedat conceptus ordinatus ad alterum, nunquam perficitur manifeſtatio, & locutio. Et hoc eſt quod Nos dicimus, quod non ſufficit actum exire à voluntate, vt ea hoc conceptus dicatur manifeſtus alteri, ſed præſuppoſito actu voluntatis debet procedere ab intellectu conceptus ordinatus ad alterũ, & tunc eſt manifeſtatio.

Ad *id quod vltimò dicit*, Quod non indiget 29 Deus tali ordinatione, vt obiectum fiat ei intelligibile. *Reſpond.* Neque Orationem, neque locutionem noſtram fieri ad Deum ex indigentia Dei, & vi aliquid ſibi manifeſtetur, ſed ea alia parte habet oratio pertinere ad actum intellectus, quia ſcilicet non importat ſolam locutionem, ſed ordinationem, & diſpoſitionem eius, quod per ſuperiorem fieri volumus; ſicut imperium non importat ſolam locutionem, ſed diſpoſitionem eius quod per inferiorem debet fieri, & exhibitio huius diſpoſitionis non fit formaliter per voluntatem, ſed per intellectum, licèt præſuppoſitiuè ſit à voluntate. Et ideò à *D. Damaſcen.* dicitur oratio *Aſcenſio mentis in Deum*, & *D. Dionyſ.* quod *quando oramus reuelata mente adſumus Deo*, vt adducit *D.Thom. in hoc art.* His ergo Patribus perſuadeat *Suarez* orationem eſſe actum voluntatis.

Vltimò *ſequitur ex dictis* ſolutio Fundamenti, 30 quod affert *Suar. lib.*1. *de prædeſtinatione cap.*17

& *lib.* 1. *de legib. cap.* 5. ad oſtendendum, quòd Ordinare non ſit actus intellectus: *& ſumma rationis eſt.* Quia ordinare, licèt pro ea parte, qua dicit cognitionem ordinis, & proportionis mediorum cum fine, ſpectet ad intellectum; tamen pro ea parte, qua dicit ordinare efficaciter, vt media fiant propter finem pertinet ad voluntatem, quia hoc fit per electionem ex vi intentionis. Et ideò dixit *Scot. in* 1. *diſt.* 6. *quæſt.* 1. Quòd ordo practicus pertinet ad voluntatem. Difficile enim explicatur, & iudicatur, quis actus ſit coordinatio iſta prædeſtinationis, cùm non ſit imperium, nec manifeſtatio, aut cognitio: diſtinguitur enim prædeſtinatio à præſcientia, & ideò debet addere ſuprà præſcientiam aliquid extra rationem ſcientiæ, & intellectus, quòd ſcilicet pertineat ad voluntatem. Et denique quia actus, ad quem ſequitur obligatio, qualis eſt actus legis, debet eſſe actus voluntatis imponentis, & mouentis alterum, & quaſi ligantis; quod certè propoſitio intellectus non facit, ſed voluntas, qua per manifeſtationem intellectus applicatur alteri

31 Cæterùm *fundamentum hoc* ex dictis euertitur, & adeò aberrat à *D. Thom.* quod ipſe *in* 1. 2. *quæſt* 17. *art.* 1. ex eodem fundamento *Suar.* ſcilicet, quòd actus imperij importat ordinationem efficacem, inferat oppoſitam conſequentiam, quòd talis actus debeat eſſe actus intellectus ſubſtantialiter, & formaliter, & præſuppoſitiuè actus ſolùm voluntatis, illa enim efficacia non poteſt eſſe vltimum, quo perficiatur talis actus ordinatiuus, quòd habetur & ex ſubſtantia actus ordinandi, & ex modo. Ex ſubſtantia quidem, Quia nulla voluntas creata poteſt mouere alterum appetitum, & voluntatem extra ſe, niſi mediante apprehenſione obiecti, quòd proponat tali appetitui, Et ita licèt ipſa ſit primum mouens, & origo talis motionis, non tamen poteſt eſſe medium, quo attingatur alter appetitus niſi mediante obiecto. Et in hoc ſolùm excipitur voluntas diuina, quæ quia eſt cauſa voluntatis creatæ, poteſt per ſe ipſam phyſicè mouere alias voluntates. Cæterùm ex parte modi mouendi adhuc voluntas diuina requirit actum intellectus, quo compleatur eius motio; quando ſcilicet ordinatè, & quaſi artificiosè mouet per directionem, & gubernationem alterius voluntatem in finem. Omnes ergo illæ rationes ſufficienter ſoluuntur per hoc, quod efficaciter ordinare pertinet ſolùm præſuppoſitiuè ad voluntatem, à qua originatur omnis efficacia motionis: formaliter autem ad intellectum, ad quem pertinet formalis comparatio vnius ad alterum, & motio ex parte obiecti, quo mediante debet moueri alter appetitus.

32 Ad *id quod quæritur*, Quid ſit ille actus intellectus, in quo prædeſtinatio conſiſtat? *Reſpondetur.* Non eſſe præciſam præſcientiam rerum, & quaſi ſpeculatiuam, ſed iudicium practicum, & præſcientiam practicam, qua modo ordinatiuo, & quaſi artificioſo tranſmittatur creatura rationalis ad beatitudinem. Iudicium autem practicum vt ſit efficax præſupponit voluntatem à qua habeat efficaciam motionis. Sicut etiam ars, & idea pertinent ad intellectum, non qui tantùm cognoſcat, aut imperet, ſed qui ordinet, vt cauſa efficax artificiatum, ad quod præſupponit actum voluntatis; & tamen ars conſiſtit in actu intellectus.

Denique *ad id*, quod dicitur de obligatione 33 legis. *Reſpondetur* eam non ſequi ad actum voluntatis præcisè, ſed ad actum intellectus, & ita *D. Thom. infra quæſt.* 88. *art.* 1. dicit ex voto, qui eſt actus intellectus, ſequi obligationem. *Cuius ratio eſt*, Quia licet voluntas moueat applicando, non tamen regulando; obligatio autem moralis ad faciendum aliquid ſequitur ad regulationem; ad hoc enim obligatur voluntas, vt ſequatur regulam rationis, vel id quod ſibi vt regula proponitur ad benè agendum. Non ergo obligatur voluntas ab altera voluntate, niſi quatenus regulatiua eius eſt, quia voluntas intra regulam tenetur habere actus ſuos, & ad hoc obligat lex, vt conformetur illi. Cùm autem voluntas legiſlatoris non poſſit obligare phyſicè voluntatem ſubditi, quia voluntas non poteſt phyſicè cogi, aut ligari, ſolùm moraliter illam obligat: moralitas autem conſiſtit in conformitate voluntatis ad regulam rationis. Et ideò apponendo efficaciter illi determinatam regulam ad agendum dicitur lex moraliter ligare tali regula: regulare autem voluntatem eſt proprium intellectus. Obligatio ergo regulationis ſequitur formaliter ad actum intellectus præſuppoſito actu voluntatis efficaciter apponentis illam regulam. Hæc pro natura Voti obſerua.

ARTICVLVS II.

Vtrùm conueniens ſit Orare?

IN *titulo* ly *Conueniens* non ponitur pro eo, 1 quod eſt rectum rectitudine morali, nec pro eo, quod eſt neceſſarium ratione præcepti, ſed pro eo, quod eſt vtile, & expediens ad obtinendum finem: licet enim ſoleat accipi ly *conueniens* pro bono morali, tamen in *hoc art.* ſolùm diſcutit *D. Thom.* an oratio ſit conueniens quaſi medium vtile ad obtinendum finem intentum, vt patet ex ipſo contextu: ſequenti verò *art.* vbi inquirit. An ſit actus Religionis, conſequenter etiam inquirit, An ſit conueniens bonitate morali, quæ eſt conuenientia ad rationem: ibique *Argumento ſecundo* tractat *D. Thom.* de neceſſitate Orationis proueniente ex præcepto, non verò hic, vt facit *M. Torre.* Similiter ly *Orare* ſumitur pro quacumque oratione erga Deum, ſiue mentali, ſiue vocali. *Vnica Concluſione* ſatisfacit *D. Thom.* Oratio ad Deum eſt conueniens, & vtile medium ad aliquid obtinendum. Probat *D. Thom. in arg. ſed contra* ex illo Luc. 18. *Oportet ſemper orare, & nunquam deficere*, vbi ly *oportet* eſt idem, quod conueniens, & ad litteram loquitur Chriſtus Dominus de efficacia orationis ad aliquid impetrandum, vt patet ex concluſione totius parabolæ in illis verbis: *Audite quid iudex iniquitatis dicit. Deus autem non faciet vindictas electorum ſuorum clamantium ad ſe die ac nocte?* Igitur oratio eſt maximè conueniens, & medium efficax ad impetrandum aliquid à Deo.

In *Corpore Art.* vt probat *S. Thom.* conuenientiam, & vtilitatem orationis præſupponit

prius

prius errores, qui circa orationis vtilitatem fuerunt apud antiquos, dum alij nimium attribuebant orationi, alij nimium detrahebant. *Quidam* enim negabant res humanas ſubijci diuinæ prouidentiæ, ſicut, & modo faciunt Athei læ, ex quo conſequebatur, nihil quod ad hominem pertineat, poſſe impetrari à Deo. *Alij verò* putauerunt res humanas ex neceſſitate contingere, ac proinde nihil ad illas deſeruire orationem. Ad quam etiam claſſem reducitur *Lutherus*, & alij Hæretici noſtri temporis, qui æſtimant ſuperfluam eſſe orationem in his quæ ad iuſtificationem noſtram pertinent, eo quod exiſtiment fieri ſola fide, qua credimus dimiſſa eſſe nobis peccata, & *Caluinus* qui exiſtimat neceſſitari voluntatem noſtram ab auxilio diuino. *Alij denique* per aliud extremum nimis attribuentes orationi, exiſtimabant ipſam ita eſſe efficacem, vt poſſet mutare decreta diuina. Hæc autem omnia aut tollunt diuinam prouidentiam (contrà quod diſputatum eſt 1. *part. Quæſtio* 22.) aut tollunt modum diuinæ prouidentiæ, quæ ita gubernat omnia, vt nullius inferioris agentis modum tollat, ſed potius præbeat, contra quod agit *S. Thom.* 1. *part. Quæſtio.* 19. *articul.* 8. & *Quæſtio.* 105. aut denique tollunt immutabilem Dei, contra quod agit *D. S.* 1. *part. Quæſtio.* 9. Quare oratio talem vtilitatem, & conuenientiam debet habere, vt neque ex illa in rebus humanis vlla neceſſitas ponatur, neque in Deo mutabilitas.

2 Hæc *autem omnia* manifeſtè deducemus ex illo vnico, & vetuſtiſſimo principio, Quod ad diuinam prouidentiam pertinet, non ſolum diſponere, quod effectus fiat, ſed ex quibus cauſis, & quo ordine, & modo fiat. Quod conſtat ex eo, quod prouidentia diuina eſt prouidentia cauſæ primæ, & vniuerſaliſſimæ, cui neceſſariò ſubijcitur omne id quod participat entitatem. Ex hoc principio infert *D. Thom.* Quod cum actus humani ſint cauſæ aliquorum effectuum, oportet, quod tales effectus ordinentur à Deo vt implendi, & efficiendi per tales cauſas: Oratio autem eſt quidam actus humanus, qui adhibetur ad aliquid obtinendum tanquam effectum ſuum: Oportet ergo quod aliqui effectus ordinentur à Deo vt implendi per orationem: Igitur oratio eſt medium conueniens, non ad mouendum & immutandum voluntati diuinæ, ſed vt medium, quo diſponit voluntas diuina aliquos effectus efficere, & implere.

3 In *hac ratione D. Thom.* vt exactè intelligatur illa aduerte. *Primum eſt.* Quod cum ratio ſit petitio quædam, quæ adhibetur tanquam cauſa ſeu medium ad aliquid obtinendum, poteſt habere rationem cauſæ, & influxus in ordine ad duo videlicet, & reſpectu perſonæ à qua petimus, & reſpectu obiecti, ſeu rei, quam intendimus obtinere. Et quidem reſpectu perſonæ, a qua petimus, habet oratio rationem cauſæ moralis, quatenus impellit, & excitat ſuperiorem, vt inclinetur ad exhibendum, quod petimus: reſpectu verò obiecti, vel rei, quam intendimus obtinere, habet oratio rationem cauſæ dupliciter. *Vno modo* mediatè, & remotè, ſcilicet mediante excitatione, & motione ſuperioris ad præbendum rem illam, vt dictum eſt. *Alio modo* vt conditio, quam requirit ſuperior in inferiore ad exhibendum id, quod petit, quia, etſi velit rem illam dare, non tamen niſi ab illo petatur, & inferior ſe illi ſubijciat, & quaſi hoc medio mereatur ſibi rem aliquam præberi. Sicut contingit velle Regem Familiari ſuo aliquod beneficium exhibere, tamen vt ordine debito ſibi conferatur, monet illum, vt petat à ſe tale beneficium: & ſicut ille, qui vult dare præmium, non tamen niſi mediante merito illud dare vult. Ita contingit quod aliquando ſuperior velit rem aliquam dare, non tamen niſi inferior à ſe petat, & ſe illi ſubijciat. Et conſequenter illa petitio, & ſubiectio eſt cauſa, & medium aſſequendi rem, ſicut meritum eſt cauſa aſſequendi præmium.

Igitur *D. Thom.* vt explicaret conuenientiam, & vtilitatem orationis, non conſiderauit illam primo modo, ſecundùm quod ſe habet vt cauſa moralis reſpectu perſonæ a qua petimus ſed ſecundo modo, vt eſt cauſa eorum, quæ obtinere volumus. Non enim poteſt oratio ſe habere reſpectu Dei vt cauſa mouens, & excitans ipſum, quia Deus nihil extra ſe reſpicit vt cauſam etiam moralem, ſed omnia vt effectus. Cæterùm ex parte obiecti conſiderat Deus vnum eſſe cauſam alterius, & diſponit, quo ordine vnum fiat propter aliud, & ex alio iuxta illud Iudith. 9. *Tu feciſti priora, & illa poſt illa cogitaſti, & hoc factum eſt, quod ipſe voluiſti.* Et ſic oratio eſt conueniens, & vtilis non tanquam cauſa mouens, & impellens Deum ad dandum, ſed tanquam cauſa ſub ipſo ordinata ad obtinendum per illam aliquid, tanquam per conditionem, & medium diſpoſitum a Deo, vt non aliter daretur nobis, quod volumus, niſi explicando ei noſtrum deſiderium petendo, & ſubijciendo nos ipſi. *Et quia Multi* conſiderauerunt Orationem tanquam cauſam mouentem Deum, ideo errauerunt putantes, aut Deum mutare Decreta, aut orationem eſſe ſuperfluam tanquam non potentem aliquid obtinere; quia omnia ex immutabili ordinatione prouenirent. D. *Thomas* autem ſaluat conuenientiam orationis cum immutabilitate Dei, conſiderando, quod oratio non ad hoc ſtatur, vt moueat Deum, ſed vt cauſa, ſeu medium diſpoſitum à Deo, & ſubordinatum ei ad præbendum mediante illa aliquem effectum; ſicut diſponit ſua ſe alias cauſas ſecundas naturales, aut morales, vt per illas, & non aliter, faciat aliquos effectus, vt quod mediante igne producatur calor, & mediante ordine Iudicis puniatur malefactor.

Secundò *aduerte*, Quod ex hac admirabili, & ſolida S. D. doctrina eleuare debemus mentem noſtram, vt conſideremus conuenientiam, & efficaciam omnium auxiliorum Dei, & cuiuſcumque medij, aut concurſus ad actus noſtros ſemper prouenire ex ſubordinatione ad Deum, non ex noſtra cooperatione, aut efficientia; quia quæcumque conuenientia, aut efficacia in medijs, & cauſis ſecundis, quæ adhibentur ad operandum, debet ex prouidentia diuina originari, & deſcendere. Quod totum radicaliter fundatur, & reducitur ad principium, quod hic ponit D. *Thom.* Quod ex prouidentia diuina non ſolùm diſponitur, qui effectus fiant, ſed etiam ex quibus cauſis, & quo ordine proueniant. Ex hoc quippe principio infertur, quod quando Deus non diſponit cauſas inferiores, vt agant, & ordinem, quo debeat 5

ogere, nunquam effectus intelligentur prouenire; ſiquidem effectus, vt fiant, prærequirunt cauſas à quibus proueniant, & præſuppouunt ordinem, a quo proueniant. Vnde ſi ad ſolam prouidentiam diuinam pertinet diſponere ex quibus cauſis, & quo ordine proueniant effectus, antecedenter ad diuinam prouidentiam nullus poteſt effectus relucere, nec aliquid, in quo fundetur efficacia aliqua effectus faciendi: quia omnis talis efficacia eſt aliquid, ex quo prouenit effectus; & conſequenter vel cauſa effectus, vel ordo, quo fit effectus: & totum hoc ex diſpoſitione diuinæ prouidentiæ prouenit.

6 Et *ſicut nihil* poteſt tranſire de poſſibilitate ad eſſe, niſi per voluntatem Dei cauſantem illum tranſitum, ſic nihil eſt medium inter poſſibile, & inter futurum, ſeu eſſe abſolutè, quod independenter à voluntate ſua Deus videat, aut prouideat, ſed quidquid pertinet ad cauſam, aut ordinem, quo effectus debet prouenire primario originatur ex voluntate, & prouidentia Dei. Et ita deſtruitur omnis poſitio, quæ ad conciliandam noſtram libertatem cum efficacia, & immutabilitate Decretorum Dei recurrit ad aliquid extra Deum, quod noſtra voluntas intelligatur cooperari, aut addere ad diuinum influxum antecedenter ad voluntatem Dei abſolutè operantem, ſed potiùs in ipſa operatione, & abſoluto influxu Dei concilianda eſt noſtra libertas. Quia non ſolùm ex ipſo deſcendit effectus liber, ſed etiam modos libertatis, ſeu ordo, quo fit, & procedit à cauſa libera. Et vide quomodo hoc ipſum docuerit S. Auguſtinus. liber de prædeſtin. ſanctorum capite 17. *Hæc eſt*, (inquit) *immobilis veritas prædeſtinationis, & gratiæ, nam quid eſt, quod ait Apoſtolus ſicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, quod profectò ſi propterea dictum eſt, quia præſciuit Deus credituros, non quia facturus fuerat ipſe credentes, contra iſtam præſcientiam loquitur Filius dicens: Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos.* Et ſubdit. *Electi ſunt itaque ante mundi conſtitutionem ea prædeſtinatione, in qua Deus ſua futura facta præſciuit.* Hæc nota, & diſce conciliare libertatem noſtram in eo, quod Deus facit, & videt ſe facere, non in eo, quod præſcit nos facturos, aut cooperaturos antecedenter ad Decretum Dei.

7 Tertiò *aduertendum eſt*, Quòd *D. Thom.* hîc ſolùm oſtendit directè Orationem eſſe vtilem, & conuenientem, & ideò ſolùm refert illos errores, qui abſolutè eneruabant vtilitatem, aut conuenientiam orationis. Vtilitas enim tollitur per hoc, quod exiſtimatur oratio tanquam aliquid ſuperfluum, vt exiſtimant illi, qui ſubtrahunt res humanas à prouidentia diuina aut ex neceſſitate prouenire dicunt. Tollitur verò conuenientia orationis ab his, qui exiſtimant illam eſſe aliquid diſconueniens, quia dicunt aduerſari immutabilitati Dei. De erroribus verò Hæreticorum non circa ipſam vtilitatem orationis, ſed circa modum vtilitatis, non curauit *S. Thom.* Fuerunt autem duo quidam enim nimis attribuentes orationi putabant ipſam ſolam ſufficere ad ſalutem, vt de *Meſſalianis* refertur *à Caſtro, hæreſ.* 1. Qui error valdè abſurdus eſt, cùm tollat neceſſitatem ſacramentorum, & virtutum Theologicarum, quod impugnatione non indiget. Alij verò vtilem exiſtimabant orationem; errabant tamen circa ea, quæ per orationem obtinentur, quia nolebant concedere, quod prouenirent ex gratia, & beneficio Dei, ſicut Pelagiani, qui ex vna parte exiſtimabant gratiam Dei eſſe vtilem ſolùm ad facilius implenda mandata, non ad ſimpliciter, vt conſtat ex *Auguſt. lib de hæreſib. hæreſ.* 88. & conſequenter neque orationem eſſe ſimpliciter neceſſariam ad implenda mandata aſſerebant.

Ex *alia verò parte* nullo modo concedebant eſſe vtilem, aut neceſſariam gratiam diuinam ad hoc, vt ex nolentibus, & inuitis faceret volentes in hoc enim puncto nunquam *Pelagius*, & eius Diſcipuli voluerunt cedere Catholicis, licèt admitterent gratiam Dei adiuuare noſtrum bonum propoſitum, & ad hoc adiuuandum eſſe neceſſariam, vt conſtat ex *eodem, Auguſt. lib. 2. contra duas Epiſtol. Pelagian. capite 5. & capite* 8. *&* 9. Et ideo negabant etiam deſeruire orationem noſtram, vt Deus ex nolentibus faceret volentes. Vnde validè eos arguit *Auguſtinus Epiſtol.* 107. *ad Vitalem, & lib. de prædeſtin. ſanctorum capite* 8. Si *non* (inquit) *facit volentes ex nolentibus Deus, quid orat Eccleſia ſecundum præceptum Domini pro perſecutoribus ſuis?* Fatendum eſt ergo Orationem eſſe vtilem; & neceſſariam ad omne bonum, quod a Deo nobis prouenire poteſt, dummodo ſit bonum, honeſtum, & decens. Quomodo verò ſit neceſſaria neceſſitate medij, aut præcepti *ſequent. artic.* diſſeremus. 8

In *Calce* huius *artic.* libet notare, quod *Pater Suarez tom. 2. de religione lib. 1. capite 6. numer.* 11. exiſtimat quod Deus in præcipuis effectibus gratiæ, qui mediantibus orationibus executioni mandantur, habet efficacem prædeterminationem, & decretum præordinatiuum illorum ante præuiſas orationes, eſſe verò neceſſarias ad executionem prædefinitionis, & decreti efficacis ex alia poſteriori diſpoſitione, & decreto Dei. Cur autem Deus poſtulet tales orationes, ſi ante præuiſionem illarum habet voluntatem efficacem faciendi tales effectus? Reſpondet id eſſe ex generali ratione, quia vult admittere noſtram cooperationem, vbi locum habere poteſt; & vt nobis detur occaſio accedendi, & colloquendi cum illo, quæ eſt maxima vtilitas orationis. 9

Hanc *doctrinam* non vacat hic fuſiùs diſcutere, tractari enim ſolet 1. *part. quæſtion.* 23. *&* 3. *part. quæſt.* 1. *art.* 3. ſolùm aduerte, Quòd in Decretis diuinis poteſt efficacia attendi; vel ordine intentionis, & ſecundùm voluntatem finis; vel ordine executionis, & ſecundum voluntatem, & diſpoſitionem mediorum, diſcernendo executionem effectus. Efficacia voluntatis circa finem antecedit efficaciam voluntatis circa media, quia efficacia executionis pendet ab efficacia intentionis. Cæterùm decretum efficax de executione, & futuritione rei implicat, quod ſit efficax ea efficacia, quæ conuenit Deo, quandiù non includit omnes circunſtantias, & modum quibus faciendum eſt, quia efficacia prædefinitionis diuinæ eſt efficacia cauſæ vniuerſaliſſimæ attingentis omnes modos, & ordines, quibus effectus ponendus eſt in re, & ita implicat, quod habeat hanc efficaciam vniuerſaliſſimam, ſi executio eius pendet ab aliqua poſteriore executione, antecedenter enim ad [illegible] poſteriorem diſpoſitionem intelligeretur decretum Dei efficax quaſi ſuſpenſum, 10

penſum, quod repugnat efficaciæ diuinæ, iuxta illud Rom. 9. *Voluntati eius quis reſiſtit?* & Iſa. 14. *Dominus exercituum decreuit, & quis poterit infirmare? Et manus eius extenta, & quis auertet illam?* Vniuerſaliſſimum enim decretum, quod eſt decretum diuinum, nullum extra ſe relinquit ad effectum requiſitum, qui poſſit illud auertere. Igitur decretum efficax in Deo nunquam habet integrum, & ſufficiens motiuum efficaciæ, quouſque reſpiciat, & attingat omnes modos, & circunſtantias, vt ponatur in re. Ea eo enim quod diuina eſt, eſt independens à quocumque ſuperiori, & vniuerſaliſſima reſpectu cuiuſcumque inferioris: ergo quouſque intelligatur attingere omnes modos, quibus res ponetur in re, non intelligetur efficacia illa, vt diuina, ſed cenſebitur voluntas antecedens, & inefficaa quæ reſpicit rem non abſolutè, & ſecundùm omnes modos, ſed quantum ad aliquid tantùm.

51 Et *illud argumentum*, quod multos imperitos torquet, quod ſi Deus decernit aliquid mihi dare, vel me ſaluare infallibiliter dabitur, etiam ſi non petam ego, vel aliud aliquid agam, ex doctrina data ſoluitur clarius, quam ea doctrina *Suar.* Quia Decretum Dei de dando, vel faciendo aliquid non eſt efficax, & infallibile, niſi quando includit omnes modos, & ordines requiſitos, vt res fiat, & conſequenter ſine illis nunquam ponetur in re; & quia Deus ſæpe determinat, vt per orationes aliquid nobis detur, & quod aliquid determinetur, vel præſtinetur faciendo talia opera, ideo ſine talibus mediis non obtinebitur ille effectus, quia antecedenter ad decretum de illis mediis non eſt in Deo efficax, decretum de faciendo effectum. In ſententia verò *Suar.* vrget, quia antecedenter ad præuiſionem orationis iam erat efficaa decretum Dei faciendi id, quod petimus.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Oratio ſit actus Religionis.

1 Titulus *clarus eſt*, & ly *actus* ibi ſupponit pro actu proprio, & elicito, vt patet in calce *corpor. art.* Neque enim *D. Thom.* agit hic de actibus imperatis à religione, ſed de propriis. Ea Artic. has quatuor Concluſiones habet. *Prima*, quæ directè reſpondet quæſito, ſcilicet quod *Oratio eſt propriè actus religionis*; intellige in ly *propriè* elicitiuè, & quantum ad ſpeciem actus. Secunda Concluſio ſolut. ad 1. *Actus deuotionis eſt præcipuus inter actus religionis, & poſt illum oratio.* Tertia Concluſio ſolut ad. 2. *Oratio eſt in præcepto.* Quarta Concluſio, ſolutione *ad 3. Materia, quæ offertur in cultum Dei per orationem, eſt mens noſtra quæ perſeatatur Deo.*

2 Primam *Concluſionem*, quæ principalis eſt probat *S. D.* primò *in Argum. ſed contra.* Quia dicitur in Pſalm. 140. *Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo.* Et Gloſſ. dicit, *Quod incenſum offerebatur in odorem ſuauem Domino in figuram orationis*: hæc autem pertinet ad religionem, ergo oratio eſt actus religionis. Huic tamen conſequentiæ *D. Thomæ* obſtat, Quod oratio non eſt formaliter, & eſſentialiter oblatio, ſed petitio, & eleuatio mentis in Deum, ergo quando oratio comparatur incenſo, & oblationi, non fit comparatio in eo, quod formale eſt in oratione; & conſequenter neque ex hoc infertur, quod eſſentialiter ſit actus religionis, ſicut neque eſſentialiter eſt oblatio.

Reſpondetur, Quod Oratio eſſentialiter eſt 3 oblatio, vt dicitur *ſolut. ad 3.* quia per illam offertur mens cum reuerentia ad Deum, & ipſa petitio, ſeu eleuatio mentis non repugnant quod etiam ſit oblatio interior, & ſpiritualis, quia eſt ſubiectio petentis, & indicantis neceſſitatem ſuam? ſic enim exhibet, & præſentat mentem indigentem Deo: præſentare autem eſt offerre. Tu verò perſpice altitudinem ſenſus ſacræ Scripturæ, dum Orationem comparat *Inſenſo*, & dicitur dirigi non ad odoratum ſed ad conſpectum Dei, quia videlicet, licèt incenſum, vt poſſit fumum emittere, debeat præſupponere ignem, cui ſuperponatur, tamen non ipſius ignis, ſed incenſi eſt fumus ille. Sic oratio licèt præſupponat actum voluntatis, & deſiderij quaſi calorem, non tamen eſt actus voluntatis, ſed intellectus, qui per fumum quaſi per cognitionem neceſſitatis, & propriorum defectum dirigitur ad Deum, & propterea non dicitur dirigi ad odoratum, ſed ad conſpectum Dei, quia non defert ſuauitatem, quæ delectet, ſed potiùs miſeriam petentis, cui ſuccurrat. Econtra verò quando odor non à fumo incenſi eleuatur, ſed ex charitate, & humilitate, non ad conſpectum, ſed ad accubitum Dei, quaſi ad delectationem, & quietem dicitur aſcendere, Cantic. 1. *Dum eſſet Rex in accubitu ſuo nardus mea dedit odorem ſuum*, quia humilitas cum calore charitatis, quod totum *Nardus* deſignat teſte *Bernardo*, quæ eſt humilis, & calida herba, non ad conſpectum Dei dirigitur, ſed ad accubitum, quia charitas vnione Dei fruitur. Et ita diſtingue cum *D. Bernard. ſerm. 42. in Cantic.* Quod *eſt humilitas quam nobis veritas parit, & non habet calorem* (ſcilicet quando cognoſcimus defectus noſtros, vel inuiti) *& eſt humilitas, quam charitas format, & inflammat, atque hæc quidem in affectu, illa in cognitione conſiſtit*, vt dicit Bernardus.

Subiectio *ergo*, & humilitas, quæ prouenit ex 4 cognitione defectuum appropriatur Orationi; quæ dicitur dirigere miſeriam propriam ad conſpectum Dei, conſpicere enim in Deo idem eſt, quod ſuccurrere malo, iuxta illud Prouerb. *Rex qui ſedet in ſolio diſſipat omne malum intuitu ſuo*, & ideo oculi Dei comparantur Piſcinæ *Cant. 6.* Quaſi ipſis oculis Deus lauet. Et vide quomodo Oratio quando comparatur incenſo, non dicitur, quod aſcendat, ſed dirigatur; quaſi oratio non per ſe habeat aſcendere aſcenſu voluntatis ad Deum, ſed directione opus habeat charitatis, quia oratio, vt præcisè naſcitur ea veritate intellectus cognoſcentis defectus, & indigentias proprias, non per ſe aſcendit, ſed dirigitur à charitate. Denique habetur *Apocal. 8. Quia data ſunt Angelo incenſa multa, vt imponeret aureo thuribulo, & ſic daret de orationibus ſanctorum*, quia incenſum orationis per ſe non aſcendit, ſed mediante igne thuribili, quod eſt in manu Angeli. Vnde Cant. 3. dicitur *Quæ eſt iſta quæ aſcendit ſicut virgula fumi?* Aſcendit (inquit) non dirigitur.

In *corporali articul.* probat *S. Thom.* concluſio- 5 nem duplici enthymemate. Ad religionem propriè

(Intellige elicitiuè) pertinet reuerentiam, & honorem Deo exhibere : ergo omnia illa, per quæ exhibetur reuerentia Deo pertinent ad religionem. *Rurſus :* Per orationem homo exhibet, reuerentiam Deo in quantum ſe illi ſubiicit, & profitetur orando ſe indigere illo, vt authore omnium bonorum : ergo oratio eſt propriè actus religionis. *Conſequentia iſta*, vt intelligantur procedere formaliter, intelligendæ ſunt omnes propoſitiones ſub eadem formalitate, ſcilicet quod omnia per quæ propriè, & eſſentialiter exhibetur Deo reuerentia propriè pertinent ad religionem; & ſimiliter quod per orationem propriè, & eſſentialiter homo exhibet Deo reuerentiam, quaſi in hoc conſiſtat ſpecies orationis; & ſic infertur euidenter, quod oratio ea ſua ſpecie eſt actus religionis. Hæc de Conſequentiarum bonitate.

6 Circa *veritatem* verò propoſitionum, duæ ſunt, quæ indigent explicatione. *Prima.* Ad religionem propriè pertinet exhibere Deo reuerentiam, per quemcumque actum id fiat. *Secunda* Per orationem propriè, & eſſentialiter exhibetur reuerentia Deo. Circa primam propoſitionem multa diximus *ſupr. Q.* 81. *art.* 4. quæ hîc repetenda non ſunt : vt tamen illa melius intelligantur ſequens proponitur dubium.

Quomodo Oratio, quæ eſt actus intellectus ſit elicitiuè phyſicè ab habitu Religionis exiſtente in voluntate?

1 IN *præſenti art. M. Torr. Diſput. vnic. num.* 8. exiſtimat, Orationem non elici phyſice a religione, ſed moraliter, quod deducit ea quadam regula generali, quod quando actus, & habitus habent eandem materiam, & obiectum, & tamen ſunt in diuerſis potentiis, actus ille dicetur eliciriuè eſſe à tali habitu, non phyſicè, ſed moraliter. Et conſiſtit hæc moralis elicientia in hoc quod oratio verſatur circa materiam propriam religionis exhibendo Deo ſubiectionem, & cultum; & tota laudabilitas, & regulatio orationis ex regula religionis ſumitur, quod ſufficit vt dicatur elici moraliter à virtute religionis, quia ſcilicet oratio pendet in ſua regulatione morali à religione, & hac ratione explicat rationē, & ſenſum *Caiet.* qui *ſupr. Q.* 81. *art.* 4. dicit; poſſe actum vnius potentiæ elicitiuè procedere ad habitu alterius potentiæ, non tamen ab altera potentia; Quia (inquit) potentia non cauſat niſi tanquam agens phyſicum: & naturale, habitus autem, maximè qui eſt virtus, poteſt ingredi genus agentis moralis, & ſic morali cauſalitate benè poteſt cauſare actum pertinentem ad alteram potentiam.

2 At verò *P. Suar.* 2. *Tom. de Relig. lib.* 1. *cap.* 7. *numer.* 7. diſtinguit in oratione duo, ſcilicet affectum orandi, qui ad voluntatem pertinet, & petitionem, quæ quando fit locutione vocali, aut mentali, pertinet ad intellectum : & quantum ad affectum (inquit) immediatè, & propriè elici orationem à religione; petitionem verò eſſe actum imperatum licèt in eſſe virtutis, & in eſſe morali poſſit dici, quod eliciatur à religione, vt loquamur cum Multis. In hoc ergo conueniunt *P. Suar. & M. Tor.* quod oratio, vt pertinet ad intellectum, non elicitur phyſicè à religione, ſed moraliter, & ideò illa prima propoſitio *S. Thom.* quod ad religionem pertinet propriè exhibere Deo reuerentiam per quemcumque actum fiat, intelligenda eſt, quod pertinet ad religionem vel phyſicè, vel moraliter.

Cæterùm *Nos loco ſupra citato* Controuerſiam hanc tractauimus, & oſtendimus ea *D. Tho.* poſſe vnum habitum exiſtentem in vna potentia extendi ad hoc vt phyſice operetur in alia. vnamque potentiam poſſe phyſicè aliam mouere, & communicare ei virtutem ſuam ad agendum ſecundùm modum potentiæ mouentis. Modò autem contra iſtos duos Authores breuiter oſtendam implicare, quod oratio ſolùm moraliter eliciatur a Religione; ſed vel debere elici phyſicè, vel nullo modo. *Etenim* hoc quod eſt, Orationem eſſe actum virtutis, & poni in ſpecie, & eſſentia actus virtuoſi, eſt aliquid reale phyſicum in tali actu. Ergo phyſice, & realiter debet procedere a principio dante ſibi iſtam ſpeciem. *Conſequentia manifeſta eſt*; Quia implicat ſpeciem phyſicam, & realem non procedere à principio reali, & phyſico habente virtutem ad efficiendam illam phyſicam ſpeciem. Ergo cum oratio procedat realiter ab intellectu, & phyſicè, neceſſe eſt quod vt intellectus producat talem actum, habeat virtutem phyſicam, & realem ad producendam omnem realitatem inuentam in oratione : & conſequenter ſi ſpecies, & ratio virtutis eſt aliqua perfectio realis, & phyſica in oratione oportet ponere in intellectu virtutem phyſicam productiuam talis ſpeciei. Et ita ſi ſpecies illa eſt Religionis, neceſſe eſt, quod à Religione participet aliquid phyſicum intellectus ad producendam talem ſpeciem. *Antecedens verò probatur.* Nam actus Orationis eſt actus intellectus practici bonus : ergo oportet quod ponatur in aliqua ſpecie phyſica determinata actus practici. Non pertinet autem ad aliquem habitum intellectualem, quia habitus intellectuales practici ſolùm ſunt ars, & prudentia, vt conſtat *ex* 1. 2. *quæſt.* 57. Oratio autem non eſt actus artis, neque prudentiæ : ergo ſpecies eius phyſica, & realis non eſt alicuius virtutis intellectualis practicæ : ergo oportet ad aliquam ſpeciem phyſicam bonæ qualitatis, & diſpoſitionis illam reducere. Oratio autem phyſice, & eſſentialiter eſt qualitas, quæ eſt bona diſpoſitio : igitur principium illud à quo habet rationem qualitatis benè diſpoſitiuæ, phyſicè debet influere, & non moraliter in talem actum : hoc autem principium non eſt virtus Intellectualis practica, vt vidimus : ergo debet eſſe virtus moralis : neque aſſignabitur alia, quàm Religio.

Vnde *valde* diminuta eſt illa ratio, Quòd quia habitus virtutis ingreditur ordinem agentis moralis, morali cauſalitate poteſt cauſare actum ſuum. Aliud eſt enim cauſare moralitatem in actu, aliud cauſare moraliter actum; cauſare enim moralitatem eſt cauſare aliquam perfectionem realem in actu : patet enim manifeſtè, quod actus phyſice elicitus ab aliqua virtute in illa potentia, in qua eſt talis virtus, non habet aliam perfectionem phyſicam, quàm bonitatem moralem, quia hæc eſt ratio conſtitutiua virtutis, vt ſuppono ex 1. 2. *Quæſt.* 55. *art.* 1. Cauſare verò moraliter eſt cauſare ſine influxu phyſico, vel mediante propoſitione obiecti, vel per aliquam ſympathiam, & coniunctionem extrinſecam potentiarum; hoc autem non ſufficit 4

ad

ad efficiendam perfectionem realem. Et ita ſi Religio manet in voluntate, & intellectus non immutatur, & habet in ſe aliquid phyſicum deriuatum a Religione, impoſſibile eſt, quod per influxum moralem reluceat in actu orationis aliqua moralitas & perfectio realis virtutis.

5 Sed *Obſtat huic rationi facta* doctrina quædam *D. Thom. 1.2. Quæſtio. 20, articul. 3 præſertim Solut. ad 3.* Vbi inquit bonitatem, aut malitiam ſolum formaliter inueniri in actu interiori, & in actu exteriori denominatiuè, ſicut ſanitas inuenitur formaliter in animali, & denominatiuè in herba, vel vrina, & propter hoc non eſt alia ſanitas, quæ eſt in animali, & alia, quæ eſt in herba, ſed eadem numero; quæ eſt in animali, denominat herbam extrinſecè, & per extrinſecam denominationem deriuatur ad ipſam; ſicut eſt commune omnibus analogis per attributionem. Ergo actus exterior non habet intrinſecè, & phyſicè bonitatem moralem, ſed ſolùm per denominationem extrinſecam, & ita non indiget aliquo phyſico influxu ad producendam huiuſmodi bonitatem moralem in actu exteriori, neque enim denominatio extrinſeca producitur aliquo phyſico influxu. Ruit ergo totum fundamentum poſitum, quia actus orationis eſt actus exterior reſpectu voluntatis, & Religionis, cum ſit actus alterius potentiæ, & conſequenter exterior, ſeu exiſtens extra voluntatem: ergo non debet phyſicè, & realiter participare ſpeciem, & bonitatem Religionis, ſed per extrinſecam denominationem participabit illam ſicut cæteri actus exteriores. Et ita *Caiet. loco cit. 1.2. & M. Medina* cenſent actum exteriorem ſolùm extrinſeca denominatione habere rationem bonitatis moralis, & libertatis; & hoc eſt quod dicit *Suar.* quod ad Religionem ſolùm pertinet phyſicè elicere actum, qui ſit affectus, & volitio orandi, aut colendi Deum, quia ſolùm iſte eſt actus interior; ipſe verò actus orationis, qui eſt Petitio, vel quælibet cultus exterior ſolùm moraliter, & imperatiuè pendent à Religione, quia ſolum per denominationem extrinſecam participant bonitatem moralem illius.

6 Reſpondetur *Quod bonitas*, & malitia, de qua loquitur *D. Thom.* loco allegato, eſt bonitas proueniens ex fine, & intentione faciendi aliquod opus; non autem bonitas, vel malitia ex obiecto, & ſpecie intrinſeca, vt manifeſtè patet ex verbis eiuſdem *S. Thom. ibidem articul. 4. ad 2.* Quod quando dicitur, quod eſt vna, & eadem bonitas actus interioris; & exterioris, ſermo eſt *de bonitate actus exterioris, quam habet à bonitate finis; ſed bonitas actus exterioris, quam habet ex materia, & circumſtantiis eſt alia à bonitate voluntatis, quæ eſt ex fine.* Sic S. Thom. Loquendo autem de hac bonitate, quæ ſumitur non ex fine, ſed ex obiecto, ſeu materia actus, dicit *S. Th. ibid. art. 1.* Quod non deriuatur à voluntate, ſed magis à ratione, hoc eſt, ex conformitate ad regulas rationis, effectiuè tamen, & in executione procedit, & cauſatur a volũtate. Quam doctrinã ſic intelligere debemus, quod, aliqui actus externi ſunt, qui ex obiecto ſuo, & ſpecie intrinſeca ſunt boni, aut mali, v. g. Blaſphemia, aut Adulterium ex ſuo obiecto ſunt actus mali quacumque intentione, & voluntate fiant, ſeu ex quocunque fine fiant; idem enim eſt facere ex intentione, ſeu voluntate, vel facere ex fine, cùm intentio ſit de fine.

7 Similiter aliqui actus ex obiecto boni ſũt, vt dare eleemoſynam, reddere debitum, temperate bibere, &c. licet poſſint fieri mali ex praua intentione, aut alia mala circumſtantia, quia malum ex quocumque defectu contingit. Et iſti actus, qui ſunt boni aut mali ex obiecto, realiter, & phyſicè habent bonitatem, aut malitiam, non minus quam actus interiores, quia ordo ad obiectum realiter conuenit illis actibus. Ideò enim in actibus interioribus inuenitur realiter moralis bonitas, aut malitia, quia obiectum actuum interiorum eſt finis bonus, vel malus, & ordo ad obiectum eſt realis, & intrinſecus cuicunque actui. Similiter ergo quando actus exterior habet pro obiecto aliquod bonum, aut malum, debet illi realiter conuenire bonitas, aut malitia, ſicut & ordo ad obiectum,

8 Cæterùm poteſt etiam conſiderari in actibus bonitas, aut malitia, quam habent ex intentione, ſeu, ex fine, propter quem fiunt à voluntate, & hæc bonitas, aut malitia eſt extra ſpeciem actuum exteriorum, quia non conuenit illis ex ordine ad obiectum, ex quo tantùm ſumitur ſpecificatio in actibus; & hæc dicitur extrinſeca bonitas, aut malitia in actibus, & tantùm denominatiuè illis conueniens. *Cuius ſignum eſt*, Quia exterior actus intrinſecè, & ſecundùm ſpeciem inuariatus poteſt fieri de bono malus ex illa intentione, & voluntate: ſicut qui facit eleemoſynam propter vanam gloriam facit actum malum; & eadem eleemoſyna, ſi ſolùm mutetur intentio, & fiat ex bono fine, redditur bona. Cæterùm habitudo, quam habet actus exterior ad ſuum obiectum, quæ eſt habitudo dans ſpeciem actui, ſi ſit ad obiectum conforme rationi, reddit illum ex ſpecie bonum, & conſequenter intrinſecè: Si verò ſit ad obiectum difforme rationi, habet ex ſua ſpecie malitiam. Si autem ſit ad obiectum indifferens ex ſpecie ſua, id eſt, ex habitudine ad obiectum, neque bonitatem habet, neque malitiam, Sed quia voluntas eſt principium effectiuè mouens ad productionem, & exercitium actuum, ideò quando procedunt à voluntate, tanquam ab effectiuo principio, habent ſpeciem ſuam & habitudinem ad obiectum, & vlteriùs ordinationem ad finem voluntatis à qua procedunt. Et ita ſtat benè, quod actus, qui ex habitudine ad obiectum eſt indifferens, quæ eſt indifferentia quantum ad ſpeciem, tamen vt procedit effectiuè à voluntate tali. & ſubordinatur fini eius, quod eſt quantum ad exercitium, nunquam poteſt eſſe indifferens.

9 *Ex hoc autem* quod *D. Thom. 1. 2. Quæſtio 20. articul. 1. ad 1.* loquens de actu bono ex obiecto dicit, Quod *in executione operis eſt effectus voluntatis, & ſequitur ad voluntatem*, ſatis colligitur; quod communicat illi diſtinctam moralitatem, quia ſe habent vt cauſa, & effectus. Et *2. 2. Quæſtio. 3. articul. 1. ad 3. ait D. Thom.* Quod *fides producit tanquam proprium actum confeſſionem exteriorem, nulla alia virtute mediante.* Si producit, non ergo comparatur ad illam vt analogum minùs principale ad magis principale, vt hoc quod ſolùm denominatiuè habeat ab illo moralitatem, quantùm ad moralitatem enim producitur à Fide, non quantùm ad entitatem materialem confeſſionis. Videantur ea, quæ ſupra adduximus ex *D. Thom. Quæſtio. 81. articul. 4.* *Cùm ergo* Oratio habeat pro obiectu aliquid conforme rationi, & pertinens ad

genus virtutis, vt ſtatim oſtendetur, oportet quod hoc conueniat orationi intrinſecè, quia ſemper ordo ad obiectum intrinſecus eſt actui, nec prouenit ei ex denominatione extrinſeca. Et ita ſicut actus ipſe intrinſece habet hanc ſpeciem ex obiecto, ita debet illi correſpondere habitus, à quo effectiuè procedat ſecundùm hanc ſpeciem. Non eſt autem deſignare aliud principium, à quo oratio habeat hanc ſpeciem, quæ ſumitur ex cultu diuino, niſi Religionem, & conſequenter ab illa debet effectiue procedere, ſicut confeſſio Fidei à Fide.

10 Ad *id quod* opponebatur ex *M. Medina, & Caiet.* Quod in actibus exterioribus ſolùm inuenitur per extrinſecam denominationem libertas, & moralitas; negatur id vniuerſaliter verum eſſe: quia multæ potentiæ ſunt extra voluntatem, quæ formaliter, & intrinſece libertatem participant, in quantũ mouentur à voluntate; & moralitatem, in quantum mouentur à ratione. Eſt enim conſtans doctrina *D. Thom* dari paſſiones, quæ ex ſpecie ſua, & ordine intrinſeco ad obiectum ſunt bonæ, vel malæ moraliter, vt patet in 1.2. *quæſt.* 24. *artic.* 4. *& quæſt.* 74. *artic.* 2. *ad* 3. vbi *Caiet.* aduertit contra *Scot.* Peccatum non ſolùm eſſe formaliter in voluntate, licet ſolùm in ipſa primò ſit, quia ab ipſa primò originatur omnis ratio voluntarij; poteſt tamen in alijs potentiis à voluntate motis eſſe ratio peccati etiam formaliter. *Et eſt regula generalis.* Quod omnes potentiæ, quæ ſunt principia actuum, & non mouentur deſpoticè, & organicè à voluntate, participant aliquam libertatem, & actus ab eis procedentes poſſunt eſſe formaliter morales, & liberi. Illæ autem potentiæ, quæ non ſunt principia actuum, ſed organa, & inſtrumenta, ſicut membra exteriora, non participant formaliter libertatem, vt eſt expreſſa doctrina *D. Thom. loco cit. ex* 1.2. *quæſt.* 74. *artic.* 2. *ad* 3. Quod maximè debet aduerti, vt diſtinguamus in quibus potentiis formaliter inueniatur libertas, & peccatum, & in quibus non. Multæ enim potentiæ ex coniunctione ad ſuperiorem, intrinſecè, & realiter perficiuntur. Sicut phantaſia in homine ex coniunctione ad intellectum participat nobiliorem modum agendi, & quemdam diſcurſum circa ſingularia: & appetitus ſenſitiuus ex coniunctione ad voluntatem, & motione ipſius, quemdam modum libertatis; quia non tantùm habet obedire, & agi ad nutum voluntatis, vt membra exteriora, ſed etiam habet agere cum aliqua reſiſtentia ad voluntatem. Et ſic ſuppoſita iſta coniunctione, & motione voluntatis, non repugnat multis potentiis elicere actus, qui formaliter, & non ſolum denominatiuè ſint liberi, & ex ordine ad ſuum obiectum poſſint intrinſecè participare moralitatem boni, aut mali. Et multò minus id repugnat intellectui, qui eſt propinquiſſimus voluntati. Et ſicut ex motione voluntatis phyſicè perficitur intellectus, ita quòd multi actus eliciuntur phyſicè ab ipſo ex ſubordinatione ad voluntatem, ſicut Credere, & Imperare, &c. Sic etiam ex eadem motione per virtutem Religionis poteſt elicere actum orandi Sed de his latiùs agitur locis citatis *ex* 1. 2. Hæc circa primam propoſitionem *S. Thom.*

Quomodo Petitioni eſſentialiter conueniat exhibere cultum Deo?

Circa *Secundam* propoſitionem, ſcilicet, Quod per orationem propriè, & eſſentialiter exhibetur Deo cultus, & reuerentia, reſtat probare quomodo hoc eſſentialiter conueniat orationi. Et tota difficultas reducitur ad ipſam petitionem, quæ eſt actus intellectus, & diſtinguitur ab affectu, & deſiderio orandi: petitio autem non videtur habere pro materia, neque pro motiuo formali cultum diuinum. Materia enim petitionis eſt res, quàm petimus, & eius impetratio eſt finis intentus à petente: Ergo pro hac parte non reſpicit cultum, quia cultus exhibetur, & offertur Deo; petitio autem intendit accipere aliquid à Deo: offerre autem, & accipere opponuntur. *Ex parte* etiam motiui, & obiecti formalis patet, quòd homo in petendo non ſemper mouetur ex veneratione, & reuerentia diuina, ſed ſine hoc quod cogitet de reuerentia Dei, & intendat eius cultum poteſt petere id, quod deſiderat: ergo non habet eſſentialiter petitio fieri ex motiuo reuerentiæ diuinæ, Imò cum petitio ſit expreſſio deſiderij, & procuratio alicuius rei, quam volumus obtinere, ad eandem virtutem pertinet ad quam pertinet deſiderare, & intendere, ſeu procurare aliquid. Et ſic quando petimus temperantiam pertinebit ad virtutem temperantiæ hoc deſiderium exprimere, & procurare. Et ſimile eſt de alijs virtutibus, quando eas petimus. 1

Et *confirmatur primò.* Quia petitio, vt tenet ſe ex parte intellectus, ſolùm importat actum intellectus practici ordinatiuum ad alterum; hoc autem ex ſpecie ſua intrinſeca non dicit cultum, & ſubiectionem ad Deum, ſed ſolùm exhibitionem, & propoſitionem eius, quod debet facere: ergo ex intrinſeca ratione ordinationis non habet petitio eſſe cultus, ſed potiùs pertinere ad prudentiam, quæ eſt virtus ordinatiua. *Et denique confirmatur.* Quia formalis actus colendi reſpicit pro obiecto id quod obiectiuè, & naturaliter eſt cultus; petitio autem non reſpicit aliquod obiectum quod ſit cultus. Nam ſine hoc quod aliquis offerat Deo æſtimationem de ipſo (quod à multis aſſignatur vt materia cultus oblata per orationem) poteſt ipſum orare, & ſine hoc quòd oret, poteſt ipſum æſtimare. Et ſimile eſt de quocumque alio, quod dicitur offerri per orationem: ergo ex proprijs, & intrinſecis oratio non habet cultum pro obiecto. 2

Propter *hoc P. Suar. ſupr. citat.* Cenſet affectum petendi, ſeu orandi eſſe intrinſecè, & ex ſpecie ſua actum religionis, & formalem cultum Dei, obiectum autem huius cultus formalis eſſe petitionem ipſam, quæ eſt actus intellectus, & imperatur ab illo affectu; iſte autem affectus, vt ſit actus religionis debet procedere ex reuerentia Dei, & motiuo colendi ipſam, aliàs non erit formaliter cultus, ſed ſi aliquis petat non ex hoc motiuo, non erit formaliter actus colendi, ſed materialiter, id eſt, materia referibilis in talem cultum. At verò *P. Leſſius libro* 2. *de iuſt. cap.* 37. *dubit.* 2. *num.* 8. Cenſet Orationem formaliter & explicitè eſſe actum ſpei, ſed implicitè, & interpretatiuè eſſe actum religionis: & ita ad orationem (inquit) neceſſe eſt, quòd concurrat internus actus ſpei, ſed non religionis ſaltẽ explicitè; per orationẽ enim expectamus aliquid ab eo, à quo petimus. 3

Pro

4 Pro *intelligentia* tamen doctrinæ *S. Thom.* & veritatis, aduerte, quòd petitio habet duplicem ordinem. *Primus eſt* ad rem petitam, quam obtinere volumus. *Secundus* ad perſonam à qua petimus. Si attendamus ordinem petitionis ad rem, ſic conſtat, quòd Oratio non importat cultum, quia non offert aliquid, ſed potiùs accipere intendit, nec pertinet ad determinatam virtutem, imò neque ad virtutem; quia, vt ait Sanct. Thom. in 4. diſt. 15. quæſt. 4. artic. 1. Quæſtiunc. 2. *Oratio ex genere actus quòd genus eſt petitio, non importat aliquam rationem virtutis; ſed abſolutè actum potentiæ demonſtrat*, id eſt actum intellectus exprimentis deſiderium. Si verò attendatur ordo petitionis ad perſonam, à qua petimus, ſic ſi illa perſona ſit Deus, additur petitionis differentia quædam, qua pertinet ad rationem virtutis & ſic concludit ibi S. D. *Relinquitur ergo quod ex hoc oratio ſpeciem trahit, & ad rationem virtutis trahitur, quòd eſt à Deo petitio*: & hoc modo eſſentialiter eſt cultus. Quod etiam expreſſit *D. Thom in hoc art.* in illis verbis: *Per orationem homo reuerentiam Deò exhibet, inquantum ei ſe ſubiicit.* Vbi S. D. ad colligendam ſpeciem orationis ſolùm conſiderauit reſpectum perſonæ petentis ad perſonam, à qua petimus.

5 Et *Ratio huius eſt*, Quia Oratio priùs, & directiùs tendit ad ſuperiorem, quàm ad rem deſideratam: oratio enim mediante ſuperiore obtinet rem, quam ab ipſo ſibi dari petit: prius ergo tangit ſuperiorem, quam rem obtinendam: reſpectu autem ſuperioris oratio eſſentialiter eſt ordinatio quædam, qua petens ordinat, & diſponit ſuperiori quid debeat facere (vt dixit *Sanct. Thom. artic 1.*) Ex eo autem, quòd iſta ordinatio eſt inferioris ad ſuperiorem, neceſſario importat ſubiectionem; quia inferior, vt inferior ſe habet ad ſuperiorem vt ſubiectus. Si ergo oratio eſſentialiter includit ordinationem inferioris ad ſuperiorem, eſſentialiter quoque includit rationem ſubiectionis, & cultus, quia ſubiectio ad ſuperiorem quædam reuerentia, & cultus eſt. Igitur talis ordo petentis ad ſuperiorem, à quo petimus, eſſentialiter conſtituit petitionem, & ponit illam in ratione cultus, cuius materia non eſt res petita, ſed res ſubiecta, ſcilicet ipſe petens, aut intellectus petentis, qui ſubiicitur ſuperiori.

6 Quòd *declaratur ampliùs.* Quia imperium, & oratio ſe habent ex oppoſito, & conſequenter habent eundem modum conſtitutionis: imperium autem non habet pro obiecto ſpecificatiuo rem imperatam, ſed pro fine; eſſentialiter autem eſt ordinatio, qua efficaciter mouetur inferior ad finem, quem intendit Imperans: igitur id quòd eſſentialiter ſpecificat imperium eſt ordo ad inferiorem per modum mouentis, cum efficaci intimatione, & exhibitione eius, quòd ſuperiori fieri iubet. Similiter ergo oratio, quæ eſt ordinatio inferioris ad ſuperiorem oppoſita imperio, non debet habere pro obiecto eſſentiali rem petitam, ſed pro fine; eſt enim res petita obiectum deſiderij. & quia illam deſideramus obtinere, adhibemus orationem tanquam medium obtinendi. obiectum ergo orationis non eſt res petita, ſed exhibitio deſiderij ipſius petentis ad ſuperiorem per modum ſubiectionis, quia qui ſic ordinat, ſubiicit ſe alteri, & oſtendit ſe indigentem, & alterum vt potentem ſubleuare: hic ergo reſpectus, ſeu ordo eſt, qui eſſentialiter conſtituit petitionem.

Habent *ſe ergo* Imperium, & Oratio ſicut motus aſcenſus, & deſcenſus, quorum ſpecificatiuum primò, & per ſe eſt ſurſum, & deorſum, non autem id quod conſequitur ex eſſe ſurſum, & deorſum. Sic primò, & per ſe Imperium reſpicit inferius quod mouet, & Oratio ſuperius; res verò quam deſiderat obtinere non eſt ſpecificatiuum motus orationis, ſed eſt obiectum deſiderij quod petitio per motum ad ſuperiorem intendit obtinere. Vnde diuiſio ſpecifica, & eſſentialis prudentiæ, quæ eſt virtus intrinſecè imperatiua, cuius præcipuus actus eſt præcipere ſumitur per ordinem ad diuerſos ſubditos, & inferiores, quibus imperatur. Alia eſt enim prudentia Regnatiua, alia Militaris, OEconomica, &c. vt conſtat ex *D. Thom. ſup. quæſt. 50. per tot.* Quæ diſtinctio per ordinem ad diuerſos ſubditos accipitur. Igitur oratio eſt actus virtutis ex intrinſeco ordine petentis ad ſuperiorem, à quo petimus, in quantùm eſt ſubiectio ad ipſum, & proteſtatio quædam excellentiæ ſibi debitæ; quia tamen petimus in ordine ad aliquem finem, quem deſideramus obtinere per orationem tanquam per medium, ideò oportet, quòd oratio, vt ſit actus virtutis, non petat indecentia, ſed ſit petitio decentium à Deo. 7

Nec *obſtat*, Quòd *S. Thom.* dicit loco citato *in 4. ſent.* Quod petere decentia non eſt de eſſentia orationis, quia etiam ſi à Deo indecentia petamus, oramus quidem, licèt carnaliter: & ſic magis pertinet ad benè eſſe orationis, quàm ad rationem ſpeciei. *Reſpondetur* enim, Quòd petere decentia non pertinet ad ſpeciem orationis tanquam obiectum, ſed petitio a Deo conſtituit intrinſecè obiectum orationis, vt ibi dicit *D. Tho.* propter quod etiam Nos dicimus, quod res petita non eſt obiectum orationis; eſt tamen circunſtantia finis requiſita ad benè eſſe orationis, & tanquã accidens illius: ita tamen quod ſi tollatur iſta circunſtantia, & ponatur cõtraria, ſcilicet petere indecentia reddatur actus malus, & deſtruatur virtutis ratio; benè enim contigit actum bonum ex genere, ſeu ex obiecto reddi malum ex circunſtantia praua: ſicut etiam homo, ſi tollatur ab eo aliquod accidens. v.g. calor naturalis, deſtruetur.

Ex *dictis patet*, Quomodo ratio ſecundũ quòd eſt petitio a Deo ſit eſſentialiter actus virtutis dantis Deo ſubiectionem, & cultum, non autem actus alicuius Doni, vt oſtendit *S. Th. loco citato in 4. ſent.* tum quia Dona Spiritus Sancti ſolùm ſunt in habentibus gratiam, oratio autem poteſt conuenire etiam peccatoribus. *Tum quia* ad nullum Donum pertinet reſpicere Deum per ſubiectionem cultus, qualis eſt petentis à perſona à qua petimus, licèt poſſit conuenire aliquibus donis facere id, quod viam præparent ad orationem, ſicut dono ſapientiæ contemplari diuina per altiſſimas cauſas, id eſt per vnionem ad ipſum Deum, & dono intellectus aſcendere ad cognoſcenda diuina per modũ ſimplicis intellectus; & dono ſcientiæ aſcendere ad Deum ex cognitione cauſarum inferiorum, & recognitione propriæ miſeriæ, non tamen aſcendere per modum ſubiicientis ſe ad ſuperiorem, timor autem prius dicit reſilientiam à magnitudine Maieſtatis diuinæ, quàm aſcenſum ad ipſum. 8

Secundò *patet* ſolutio Difficultatis poſitæ à principio. Negamus enim materiam orationis eſſe rem petitam, confunditur enim materia deſiderata, & concupita cum materia ſubiectata Deo per orationem. Quando enim deſideramus rem, quam petimus, illa eſt materia, & obiectum 9

deſiderij

deſiderij; ad obtinendum verò illam per orationẽ ſubiicimus nos, & intellectum noſtrum ſuperiori; & hæc eſt materia ſubiecta, & oblata in cultum Deo per orationem, vt D. *Thom.* dicit hic *ſolut. ad* 3. Similiter negamus, quod formale motiuum orationis non ſit reuerentia ad ſuperiorem, licet aliquis non cogitet in actu ſignato, & quaſi per reflexionem ſe velle colere Deum; hoc enim ipſo quod accedit ad petendum aliquid intendens illud obtinere per orationem, conſequenter intendit illud obtinere per ſubiectionem ſui ad ſuperiorem, & conſequenter per reuerentiam, & cultum ſuperioris. Idem eſt ergo moueri ex reuerentia quod moueri ex ſubiectione ſui ad ſuperiorem, quia ſubiectio ad alteram reuerentia quædam eſt. Et ſicut eſt impoſſibile habere motum ſurſum, quin intendatur locus ſuperior ex loco inferiori, ſic impoſſibile eſt habere motum orationis, quin procedat ex ſubiectione inferioris ad ſuperiorem, quæ ſubiectio eſt motiuum reuerentiæ.

11 Quòd *verò* dicitur pertinere ad eandem virtutem velle aliquid, & exprimere deſiderium eius, ac procurare illud, expreſsè hic negatur a *Sanct. Thom. ſolut. ad* 2. dum dicit, Quòd deſiderare cadit ſub præcepto charitatis; petere autem ſub præcepto religionis, & ratio eſt clara, quia petere non importat præcisè exprimere deſiderium, ſed exprimere cum ordinatione inferioris ad ſuperiorem, in quo imbibitur peculiaris ratio virtutis, quæ non eſt in deſiderio.

Ad *ſecundum*, negatur, Quòd petitio non ha-
12 beat pro materia aliquid quod offerat Deo, expreſsè enim ponit S. *Thom. ſolut. ad* 3. Quòd oratio offert Deo mentem, quàm ei præſentat; ſicut per alios actus religionis offeruntur Deo membra, vel res exteriores: per hoc enim quod petitio eſt ordinatio inferioris ad ſuperiorem, qua ſe ſubiicit illi, conſequenter ſe ipſum tanquam materiam ſubiectum offert in cultum Dei, ſolùm enim per ſubiectionem ordinatur inferior ad ſuperiorem, & hæc ſubiectio eſt materia oblata Deo per petitionem, non autem æſtimatio aliqua de potentia, & maieſtate Dei. *Vnde conſtat* in vanum laborare *Suar.* quando ponit, Quod petitio ipſa, quæ eſt actus intellectus, ſit res oblata Deo per affectum orandi, & ipſam affectum eſſe formaliter actum religionis, quando procedit ex motiuo colendi Deum, aliàs ſolùm materialiter. Hæc enim omnia procedunt ex inconſideratione profundæ huius doctrinæ D. *Thom.* Qui poſuit petitionem, ſeu orationem, prout eſt actus intellectus, conſiderandam eſſe vt ordinationem inferioris ad ſuperiorem, in qua inferior ei ſubiicitur petendo; atque adeò intrinſecè, & formaliter ex ſua eſſentiali ratione importare cultum, & reuerentiam ad Deum, & habere pro materia oblata ipſam mentem, quam ſuperiori ſubiicit. Si enim petitio ipſa ſit vera petitio, & debito modo fiat, ſemper includit hoc motiuum, & hanc rationem formalem ſubiiciendi ſe Deo, quod eſt colere, & venerari ipſum. Nec oportet recurrere ad affectum orandi, quando procedit ex motiuo colendi Deum, cum ex intrinſeca ratione ſua hoc habeat petitio. Similiter oratio non eſt eſſentialiter expectatio rei petitæ, vt putauit *P. Leſſius*, confundens *Orationem* cum *Expectatione*, non enim per orationem expectamus, ſed priùs ſperamus à Deo auxilium, vt oremus, & ſic virtus ſpei præcedit orationem; & iterum oramus ad obtinendum aliquid à Deo, & media oratione expectamus effectum orationis; ipſa ergo oratio eſt ſubiectio petentis, non *Expectatio*, quia poſt petitionem expectamus conſecutionem rei petitæ, & ſic ſe habet oratio, vt medium obtinendi id quod ſperamus.

In *ſecunda* Concluſione *D. Thom.* ſolùm advertе. Quod licèt intellectus ſit nobilior voluntate, tamen Deuotio, quæ eſt actus voluntatis, eſt principalior actus religionis ſimpliciter loquendo, quam oratio, quæ eſt actus intellectus, quia in ratione cultus eſt melior, & perfectiùs attingit Deum in ſeruiendo, & obſequendo voluntas, quam intellectus; cum enim voluntas ſit potentia, quæ reliquas mouet ob libertatem ſuam, ideò ſubiectio huius potentiæ ad Deum eſt maior & vniuerſalior ſubiectio, quia ratione eius Deo reliquæ potentiæ ſubiiciuntur, etiam intellectus; mouet enim voluntas intellectum, vt Deo ſubiiciatur, & ita ex hoc quod voluntas eſt principiũ ſubiiciendi intellectum Deo, principalior actus in ratione ſubiiciendi, & colendi eſt ille, quo offertur, & ſubiicitur Deo voluntas; quia ille actus, quo offertur intellectus pendet a voluntate, licet ex parte rei oblatæ quaſi materialiter, & entitatiue conſideratæ perfectior ſit actus orationis, quo offertur intellectus, non tamen ſecundùm proportionem, & ordinem ad obſequendum Deu. 13

Quid de Præcepto Orationis;

Circa *tertiam Concluſionem* oportet explicare obligationem orationis, quantùm attinet ad præceptum Iuris diuini, aut naturalis, nam de Eccleſiaſtico præcepto poſtea agemus in tractatu de *Horis Canonicis*. Cum autem ſit duplex obligatio ad aliquid faciendum, alia ſecundùm neceſſitatem medij, alia ſecundùm neceſſitatem præcepti, vtraque declaranda à nobis eſt in oratione. *Supponendum eſt* autem, Quod neceſſitas medij differt à neceſſitate præcepti in hoc quod neceſſitas medij ſumitur purè ex ordine ad finem, quem intendimus conſequi, & quia Beatitudo eſt finis vltimus, & finis ſimpliciter, ad quem omnes tendimus, neceſſitas medij dicitur, quando aliquid eſt medium neceſſarium, ſine quo obtineri non poteſt talis finis, quod eſt eſſe medium neceſſarium ad ſalutem. Neceſſitas autem præcepti non ſumitur ex fine, ſed ex ordine ad præcipientem, qui per præceptum, & imperium cogit inferiores ſibi obedire in aliqua materia, non tamen ab ipſo pendet conſecutio finis; quia ſi tollatur, vel excuſetur quis à præcepto, adhuc poteſt conſequi finis; ſublato autem medio neceſſario, non poteſt finis conſequi. 1

Secundò *ſupponendum eſt*. Quod neceſſitas medij non eſt vna, ſed multiplex, & habet latitudinem, aliquando enim medium eſt neceſſarium ad finem ex ipſa natura finis, quæ intrinſecè poſtulat tale medium ad ſui conſecutionem, ſicut Gratia eſt neceſſaria ad gloriam, & ſicut reſpirare ad vitam. Aliquando verò medium eſt neceſſarium ad finem non ex ipſa natura finis, ſed ex determinatione dirigentis ad finem, ſicut Baptiſmus eſt neceſſarius ad ſalutem neceſſitate medij, non ex natura rei, ſed ex inſtitutione Chriſti. Et hoc poteſt eſſe medium neceſſarium, vel ſimpliciter, 2

vel,

vel ad melius eſſe, quod idem eſt atque vtile. Poteſt etiam dici medium neceſſarium, vel quoad omnes, ſicut Baptiſmus eſt neceſſarius pro paruulis, & adultis, vel pro aliquo ſtatu ſolùm hominum, ſicut Meritum, & Obſeruatio mandatorum eſt medium neceſſarium ad obtinendam ſalutem pro adultis, non pro paruulis.

3 Vt ergo breuius, & clarius neceſſitatem orationis, tam neceſſitate medij, quam præcepti explicemus, id ſine argumentis per quot Quæſtiones breuiter expediemus. Quæritur ergo primo.

An Oratio ſit neceſſaria neceſſitate medij pro Adultis.

1 De *paruulis* nullum eſt dubium, vnde Reſpondetur ad quæſitum affirmatiue. Eſtque communis Reſolutio omnium Theologorum, & ſumitur ex *D. Thom. in 4. diſtinct. 15. quæſt. 4. articul. 1. quæſt. 3.* vbi inquit, Quod *ad orationem indeterminate quilibet tenetur ex hoc ipſo, quod tenetur ad bona ſpiritualia ſic procuranda, quæ non niſi diuinitus dantur.* Et ſolut. ad 1. *Hoc ipſo* (inquit) *quod aliquid eſt voluntarium, excluditur neceſſitas abſoluta, etiam coactionis, non tamen neceſſitas ex ſuppoſitione finis, quia amor qui maximè voluntarius eſt neceſſarius eſt, ſi quis velit ad ſalutis finem peruenire, & hoc modo etiam oratio neceſſaria eſt, & ſub præcepto cadens reſpectu eorum, quorum voluntas ſub neceſſitate prædicta cadit.* Sic Sanct. Thom. Conſtat autem quod amor neceſſarius ſit neceſſitate medij ad obtinendum finem. Si ergo hoc modo neceſſaria eſt oratio, habet neceſſitatem medij. *Rationem* autem huius difficile eſt reddere, quia neque ex natura rei præcisè oratio eſt medium neceſſarium, cùm ſint alia multa media, per quæ procuretur noſtra ſalus; imò multa nobis dentur à Deo, etiam ſi non petamus; ex ordinatione etiam Dei, & Chriſti inſtitutione non oritur iſta neceſſitas, quia licèt nobis conſtet orationem eſſe valdè vtilem, non tamen conſtat inſtituiſſe illam Chriſtum, vt medium neceſſarium, ſicut Baptiſmum.

2 Dicendum *tamen eſt* hanc neceſſitatem medij in oratione ſumi ex vtroque capite. Et quidem ex natura rei ſumitur hæc neceſſitas attendendo ad noſtram neceſſitatem, & excellentiam bonorum ſpiritualium, quæ à ſolo Deo dantur; eſt enim vniuerſaliter loquendo neceſſarium ex natura rei, quod in his, quibus indigemus, recurramus ad eos qui poſſunt dare. Cùm autem ſolus Deus poſſit dare ſalutem æternam, & bona ſpiritualia neceſſe eſt quod quandiù indigemus illis, recurramus ad Deum; & iſte recurſus ſemper eſt inferioris ad ſuperiorem, qui non eſt aliud quam oratio, quia oratio eſt ipſa ordinatio Aſcenſus, ſeu recurſus mentis ad Deum pro his, quibus indigemus *Similiter* ex ordinatione diuina ſumitur iſta neceſſitas quia Deus ſua prouidentia ordinauit orationes, tanquam cauſas ſecundas & media ab obtinenda aliqua bona præſertim ſpiritualia (vt diximus ex *D. Thom. in praced. articul.*) Et hoc ſatis reuelatum eſt in ſacra Scriptura, vbi hæc neceſſitas orationis commendatur, vt Lucæ 18. *Oportet ſemper orare, & non deficere*, vbi ly *Oportet* neceſſitatem inducit, vt ait *Chryſt. homil. 1. de Moyſe Tom. 1.* & Matth. 26. *Orate ne intretis in tentationem*, & clariùs Iacobi 5. *Orate pro inuicem, vt ſaluemini.* Et communiter Patres hanc neceſſitatem orationis ad præparationem mediorum ad ſalutem reducunt. Vnde Auguſt. lib. de Don. Perſeuer, cap. 16. *Cum conſtet* (inquit) *Deum alia danda, etiam non orantibus, ſicut initium fidei, alia non niſi orantibus præparaſſe ſicut vſque in finem perſeuerantiam: profectò qui ex ipſo hanc ſe habere putat, non orat, vt habeat.* Et lib. de Eccleſ. Dogmat. cap. 56. *Nullum credimus ad ſalutem niſi Deo inuitante venire, nullum inuitatum ſalutem ſuam, niſi Deo auxiliante operari; nullum niſi orantem auxilium promereri.* Et loquitur *Auguſt.* non de primo auxilio excitante, quia per hoc inuitatur homo, & non datur per orationem, ſed Dei auxilio ad poſtea operandum. Sic ergo oratio neceſſaria eſt non ad omnia beneficia Dei; quia aliqua ſunt, quæ præcedunt orationem, vt initium fidei, & auxilium inuitans; alia etiam vltra quam petimus à Deo tribuuntur, ſed neceſſaria eſt ad adæquatam, & vltimam conſecutionem ſalutis, quia (vt dicit *Auguſt.*) Perſeuerantia non niſi orantibus à Deo præparatur.

Sed inquires, An quando dicitur oratio neceſſaria neceſſitate medij, intelligatur de oratione formaliter accepta, vt eſt actus intellectus procedens à religione; An ſufficiat oratio virtualiter, vel cauſaliter. v.g. Deſiderium obtinendi aliquid à Deo, vel amor Dei in quibus tanquam in cauſa, & virtute continetur oratio; *M. Torr. in iſta Quæſtio. 83. articul. 2. Diſputatio. 3.* dicit, Deſiderium eſſe medium ad ſalutem, non tamen ſemper eſſe neceſſariam ipſam petitionem, abſolute loquendo; neque ſemper eſſe Decretum à Deo dandi ſalutem media petitione: explicátque auctoritates *Auguſt.* de oratione ſumpta virtualiter pro deſiderio, ſicut ipſe *Diu. Auguſt.* dicit *Epiſtol. 121. ad Probandum*, Quod *ſine intermiſſione orare, eſt ſine intermiſſione vitam beatam deſiderare.* 3

Cæterùm *Hæc Doctrina* indiget explicatione nam D. *Thom. ſuprà citatus* dicit, quemlibet teneri ad orandum, ſicut ad procuranda bona ſpiritualia: ergo non quodlibet deſiderium ſufficit, niſi etiam addatur procuratio boni ſpiritualis: benè autem ſtat aliquem deſiderare ſalutem, & tamen non procurare illam, ſed negligere, imò nolle petere à ſuperiore: ergo tunc non ſatisfacit neceſſitati orationis, quæ eſt medium neceſſariò requiſitum ad procurandam ſalutem. Eſt igitur attendendum id, quod ſupra diximus de Oratione, quod in ea eſt duplex reſpectus, ſcilicet ad rem obtinendam, quam deſideramus, & ad ſuperiorem ad quem tendit oratio pro re obtinenda. Deſiderium ergo rei obtinendæ, prout præcisè habet reſpectum ad rem, non ſufficit ad ſatisfaciendum neceſſitati orationis, quia hoc deſiderium non apponit media ad rem obtinendam, ſed ſolùm deſiderat illam. Oratio autem requiritur vt medium ad obtinendam rem. Imò (vt diximus) benè ſtat aliquem deſiderare rem, & nolle ſe applicare ad petendum: deſiderium autem tendendi ad ſuperiorem, & ſubiiciendi ſe illi, vt à quo debeat res obtineri, hoc virtualiter continet petitionem, & ideò etiam ſi intellectus formaliter non petat, neque formaliter moueatur aſcendendo ad Deum, ſi tamen virtualiter aſcendit faciendo aliquem actum, qui non ſolùm ſit deſiderium ſalutis, ſed includat ſubiectionem, & ordinationem ad Deum virtualiter procurando ipſam ſalutem à Deo, ſatisfacit neceſſitati orationis, licèt vix poſſit contingere, quod 4

ſine

ſine aſſenſu, petitionéque formali ad Deum, hoc faciat. Hoc tamen non tollet quin oratio ſimpliciter ſit medium ſimpliciter neceſſarium ad ſalutem, ſicut Pœnitentia eſt medium neceſſarium peccanti mortaliter, licèt actus charitatis, qui eminenter virtualiter continet pœnitentiam ſufficiat loco illius ad iuſtificandum: & Baptiſmus eſt medium neceſſarium ſimpliciter ad ſalutem, licèt deficiente opportunitate ſufficiat votum.

5 Illud *tamen aduerte*, Quod quando dicitur orationem eſſe medium neceſſarium ad ſalutem, non intelligitur, quod ſit neceſſarium niſi aliquando in vita. Quando autem occurrat præciſus articulus, quo quis obligatur ad orandum, ſtatim dicemus.

Oratio quæ eſt actus Religionis cadit ſub præcepto diuino, & naturali.

1 EXpreſsè habetur hoc in D. Thom. in præſenti, dicit enim orationem eſſe ſub præcepto religionis, quod explicatur *Matth.7.* vbi dicitur: *Petite, & accipietis.* Et 1. ad Theſſalon.5. *Sine intermiſſione orate.* Et Iacob.5. *Orate pro inuicem, vt ſaluemini.* Et alijs multis locis, vbi per modum imperij, & præcepti commodatur oratio. Quod videtur etiam intellexiſſe Eccleſiam, quæ ad recitandam orationem Dominicam in canone Miſſæ præmittit illa verba: *Præceptis ſalutaribus moniti*, &c.

2 Itaque *Oratio* non ſolùm eſt medium neceſſarium ad ſalutem, ſecundùm quod importat recurſum inferioris ad ſuperiorem pro his, quibus indiget, ſed etiam eſt in præcepto, & vt importat iſtum recurſum, & vt importat peculiarem cultum Dei per petitionem. Et hunc ſenſum ſacræ Scripturæ proſequuntur Sancti Patres, qui paſſim vtilitatem, & neceſſitatem orationis commendant. In quo non poſſumus hic multum morari. Aduertantur tamen verba *Chryſoſt.* pro his, qui negligunt orationem, lib.1. de orand. Deum: *Cum videro* (inquit) *quempiam non amantem orandi ſtudium, neque huius rei feruida, vehementique cura teneri, continuò mihi palam eſt eum nihil egregiæ dotis in animo poſſidere.*

3 Sed inquires, An hoc præceptum obliget aliquando propter ipſum actum religionis, ita quod eius tranſgreſſio ſit ſpeciale peccatum contra religionem? Cùm enim in oratione ſint illi duo reſpectus ſæpè dicti, ſcilicet ad rem obtinendam, quam deſideramus, & ad eum ad quem aſcendit oratio propter rem obtinendam, tota difficultas eſt, An ſemper obligemur ad adhibendum hoc medium, quod eſt oratio, ſolùm ex neceſſitate, & obligatione rei obtinendæ, v.g. propter vincendam tentationem, aut obtinendam aliquam rem ſpiritualem: An etiam obligemur aliquando ad orandum propter ipſum actum orationis, & cultum, qui in illo exhibetur Deo? Hoc enim ſecundum difficile videtur; quia & ſi obligemur Deum colere ex præcepto religionis, non tamen conſtat, quod determinatè obligemur ex vi præcepti naturalis, aut diuini ad hunc determinatum cultum qui eſt oratio. Poteſt enim aliquis colere Deum alijs actibus, vt Sacrificio, deuotione, &c. Et ſic ſatisfacit præcepto de colendo Deum: ergo ex vi præcepti religionis non videtur teneri aliquem ad orandum, ſed ſolùm propter aliquam neceſſitatem occurrentem, cui tenetur per orationem prouidere, qua ceſſante non curret ſpeciale præceptum orandi, præſertim cum oratio ſit medium ad aliquid obtinendum, & ceſſante obligatione obtinendi aliquid, debet ceſſare obligatio adhibendi media ad obtinendum. Et ob hanc cauſam Multi ſenſerunt Orationem propter ſe ipſam nunquam ea dere ſub præcepto.

4 Oppoſitum *tamen dicendum eſt*, ſumitúrque ex *D. Thom. hic*: vbi diſtinguit duplex præceptum; alterum deſiderandi, quod pertinet ad præceptum charitatis, alterum petendi, quod pertinet ad præceptum religionis, ſignificatum illis verbis Matth.6. *Petite, & accipietis*, & reducitur ad primum præceptum Decalogi. *Ratio* verò huius (licet difficile reddatur à Doctoribus) principaliter ſumitur ex duobus. Primò, Quia in Scriptura non ſolùm imponitur præceptum de cultu Dei in genere, ſed etiam ſpecialiter de actu orandi, & non ſolùm propter aliquid obtinendum, ſed etiam abſolutè propter ſe, vt 1. ad Theſſalonicenſ.5. *Sine intermiſſione orate.* Secundò, Quia oratio non ſolum habet eſſe medium neceſſarium ad aliquid obtinendum à Deo, in quantum eſt recurſus inferioris ad ſuperiorem, & inquantum Deus decreuit non niſi per orationem aliquid nobis elargiri ratione cuius neceſſitas orationis ſumitur ex neceſſitate rei obtinendæ, ſicut neceſſitas mediorum ex neceſſitate finis; ſed etiam eſt actus bonus moralis includens in ſe ſpecialem bonitatem. Et hoc modo oratio ita ampla eſt, vt includat etiam gratiarum actiones, & laudes Dei, vt S.Thom. determinat *infra artic.*17. Neque enim ad alias virtutes pertinet laus Dei, & gratiarum actio quam ad religionem, neque ad alium actum quam ad orationem, cùm ſint actus mentis colentis Deum. Et ideò dicitur Ecclefiaſtic.24. *In oratione confitebimur Domino.* Ideſt, gratias agemus. Conſtat autem orationem ſic ſumptam cadere ſub præcepto ex natura ſua, cum obligemur ad laudandum Deum, & gratias agendum pro omnibus beneficiis ſuſceptis. Ex quo patet ſolutio rationum, & quod aliquando omiſſio Orationis eſt peccatum contra Religionem ſpeciale.

5 Inquires adhuc Verùm Præceptum de oratione ſit de Mentali, aut Vocali determinatè? *Reſpondetur negatiuè*, ſed quocunque modo oremus, ſiue mentaliter, ſiue etiam vocaliter, dummodo oratio vera ſit, ſatisfacimus præcepto. Ita communiter Doctores, & ſumitur ex *D. Th. infr. artic.*12. *in corpor.* Vbi dicit, Quod non eſt de neceſſitate orationis priuatæ, quod ſit vocalis. Et *artic.*14. *ad* 3. Quod Dominus non inſtituit orationem Dominicam, vt illis tantùm verbis vtamur, ſed ſolùm vt res in ea ſignificatas petamus, qualitercumque ea proferamus, vel cogitemus. Et in 4. *ſent. ſup. citato*, Quod ad orationem quilibet tenetur indeterminatè ex hoc, quod tenetur ad bona ſpiritualia procuranda. Ratio huius eſt, quia non eſt aliquod præceptum determinatè poſtulans orationem Mentalem, aut Vocalem.

6 Inquires: Quo tempore teneamur adimplere præceptum Orationis, quod obligat propter ſe ipſam, non attendendo ad neceſſitatem occurrentem? *Reſpondetur*, non eſſe aliquod tempus determinatum, ſed tamen non poſſe nos longo tempore tutè ſine vllo genere orationis viuere. In Scriptura enim iniungitur frequentia orationis per modum præcepti, vt eſt illud, *Sine*

intermiſſio

intermiſſione orare. Et Luc. 18. *Oportet ſemper orare, & non deficere.* Vnde *Suar. loco cit. cap. 20. num. 26.* Cenſet non eſſe permittendam dilationem vnius anni, nec fortaſſe vnius menſis. Et *P. Leſſius lib. 2. cap. 37. dub. 3.* cenſet nos obligari hoc præcepto naturali, aut diuino, vt non abſtineamus ab oratione ad vnum, aut alterum menſem. Et hoc ſatis rationabile videtur per ſe loquẽdo, niſi ſuperueniat aliquod impedimentum, puta infirmitatis, aut immodici laboris, quo excuſatur quis ab orando. Addit autem *M. Torr. art. præced. diſput. 2. numer. 7.* Quòd in primo iſtanti vſus rationis, & in mortis articulo currit obligatio huius præcepti. Sed licet verum ſit apud *S. Th. 1. 2. quæſt. 89. art. vlt.* Quòd in primo inſtanti vſus rationis tenetur homo conuerti ad Deum, & procurare ſuam ſalutem; & ſimiliter in mortis articulo propter extremam neceſſitatem illius temporis, non tamen tenetur ſpecialiter orare ex vi præcepti, quod propter ipſam orationem ponitur, ſed ſi tenetur erit propter neceſſitatem inſtantem, cui tenetur homo prouidere per aliquod medium. Vnde ſi ſine oratione haberet tunc aliquis contritionem, aut actum charitatis, non peccaret ex eo, quod non oraret.

Qui recitat Horas Canonicas quotidiè, aut diebus feſtis aſſiſtit Miſſæ, ſatisfacit ſufficienter præcepto Orationis.

1 RAtio ſumitur ex *D. Thom. in 4. diſt. 15. qu. 4. artic. 1. quæſtiunc. 3.* vbi inquit, Quod *Omnibus etiam, qui Eccleſiæ miniſterio non funguntur videtur ab Eccleſia determinatum tempus orandi ſtatutum eſſe, cum ex Canone ſtatuto teneantur diebus feſtis diuinis officiis intereſſe.* Sic D. Thom. Vnde rectè infertur, quod adimplendo hoc præceptum Eccleſiæ ſufficienter adimpletur præceptum diuinum de oratione. *Patet. conſeq.* Quia quando præceptum Eccleſiæ determinat tempus adimplendi aliquod præceptum diuinum, ſi adimpletur præceptum Eccleſiæ, ſatisfacimus etiam diuino, vt patet in præcepto de audienda Miſſa, de communicando in Paſchate, de confitendo ſemel in anno: qui enim adimplet hæc præcepta, ſatisfacit præcepto diuino de confitendo, communicando, &c. Ergo ſimiliter id dicendum eſt de oratione ob eandem cauſam. Ita etiam ſentit *M. Torre loco cit.*

2 Vnde *neſcio* quid in mentem venerit *Suar. lib. 7. de Orat. capite 30. numero 12.* Qui ponit differentiam inter alia præcepta Eccleſiæ, & præceptum orandi, quod hoc non imponitur ab Eccleſia ad determinandum tempus obligationis præcepti diuini, prout datur ipſis priuatis perſonis; quia communiter ab omnibos aſſignantur alia tempora, quibus obligat hoc præceptum extra tempus audiendi Miſſam. Sed hoc eſt negare propoſitionem *D. Thom.* ſine cauſa, & probatio illa futilis eſt: Quia alia tempora, quæ aſſignantur ab Authoribus, quibus obligat præceptum orationis, vel ſunt tempora, quæ obligant propter aliquam neceſſitatem occurrentem (de quo modò non agimus, ſed loquimur de præcepto dato propter ipſam orationem) vel illa tempora includuntur à fortiori in tempore audiendi Miſſam, aut recitandi horas; quia ſi ex vi præcepti diuini homo obligatur, vt per vnum, aut alterum menſem non prætermittat orationem, vt ipſe *Suar. & Leſſius* fatentur ab illo, qui ſingulis feſtis, aut etiam ſingulis diebus vere, & propriè exerceat orationem, etiam vt perſona priuata, quid amplius quæritur? neque enim præceptum diuinum obligat niſi vt aliquando oretur. Si ergo quis orat, & frequentiùs quam in menſe, cur non ſatisfacit?

Sed inquires Quibus temporibus teneatur homo orare propter neceſſitates occurrentes, vel proprias, vel proximorum; & quæ neceſsitas iudicetur ad hoc obligare? *Reſpondetur*, Quòd quia ſubuenire neceſsitatibus potius pertinet ad virtutem Charitatis, aut Miſericordiæ, ideò vt teneatur homo per orationem neceſsitatibus ſuccurrere, talis exigitur neceſsitas, quæ prudenter intelligatur poſtulare ſpeciale Dei auxilium, & recurſum ad ipſum. Et quantò plus neceſſitas, aut periculum creſcit, tantò nos amplius tenemur ad orationem, quod intelligitur de neceſsitate ſpirituali, aut eorum, quæ ad ſpiritualia ordinantur, quia hæc ſolùm poſſunt poſtulari, vt dicetur infra. 3

In *particulari autem deſcendendo*, tenetur homo orare, quando vrget grauis aliqua tentatio, quæ de facili expelli non poteſt aliis remediis, maximum enim remedium eſt oratio, iuxta illud, *Orate, ne intretis in tentationem.* In hoc conueniunt omnes Doctores. *Secundo*, tenentur orare in euidenti, aut magno periculo mortis, ita *Leſſius*, & *Torre. Tertiò.* quando tenetur præparare ſe ad gratiam, vt quando quis miniſtrare, aut ſuſcipere debet Sacramentum, ita *Leſſius* vbi ſupra. Sed id negat *Suar.* ne tot obligationes facilè multiplicentur, ſufficit enim quod homo curet conuertere ſe ad Deum; etiamſi non oret formaliter. *Quartò* tenetur ad orationem, quæ ſit gratiarum actio, quoties aliquod inſigne beneficium à Deo recepit. *Quintò*, propter neceſſitatem proximorum. Sicut enim per alias eleemoſynas corporales tenetur homo ſubuenire neceſſitatibus corporalibus, quando aliquis eſt in extrema, aut graui neceſſitate, ſic quando vrget aliqua grauis neceſsitas ſpiritualis, cui alio remedio de facili ſubvenire non poteſt (ſi enim alia remedia ſuperſint, non vrget neceſsitas pro iſtu determinatè) orationibus adiuuare debemus. Quod præſertim eſt verum de neceſſitatibus communibus, vt ſi inſtat Electio Summi Pontificis, celebratio Concilij, aut imminet graue Schiſma, aut Bellum. Sic ſumitur ex *D. Thom. in 4. ſentent. ſupr. citat.* & à *M. Torr.* aſſeritur, *Suar. & Leſſio, & Nauarr.* 4

Cæterùm hoc præceptum orationis pro communibus neceſsitatibus magis obligat Superiores, & Præpoſitos Communitatis, vt ipſi procurent fieri orationes, quam priuatas perſonas, quibus non incumbit cura Reipublicæ. Vndè ſi Superiores curent, vt orationes fiant, & communitas ipſa ex magna parte orationi inſiſtat, excuſabitur particularis aliquis, quia ſatisfacit per orationem aliorum. Si quis autem aduertat non ita curari neceſsitatem publicam, nec fieri communiter oratione pro illa, tunc ipſe obligabitur ad orandum, quia obligatur curare de bono communi & eius periculo quando ab aliis id non curatur. Et pari ratione id iudicandum eſt de neceſsitatibus priuatis, quamdiù enim illis non ſubvenitur per alios, nec per alia remedia, tunc ſolùm determinatè tenetur homo orare pro illis. 5

Quid de Animabus Purgatorij,

1 QVas ſcimus eſſe in magna neceſſitate, tenebitur ne aliquis ex præcepto orare pro illis? Non eſt facilis Reſolutio, neque ab Authoribus attingitur. Crediderim tamen quod ſi quis ſciret aliquem in particulari grauiter indigere in purgatorio noſtris orationibus, ex præcepto obligari ad orandum pro ipſo; quia generale præceptum eſt vt grauiter egenti eleemoſynam tribuamus, vel corporalem, vel ſpiritualem, Loquendo autem de generalibus neceſſitatibus purgatorij, non videtur aliquis peccare in particulari, ſi omittat orare pro ipſis, quia applicatur iſtis neceſſitatibus generalibus generalis Oratio, & ſuffragia Eccleſiæ, & ſacrificia & eorum opera, & orationes, qui quotidie orant pro defunctis. Præterquam quod homo non tenetur ſubuenire animabus purgatorij determinatè per orationes; ſed vel per orationes, vel per alia pietatis opera, quæ ſint ſuffragia ipſarum. Quod ſi hæc opera non poſſit facere tunc tenebitur ad orationes, iuxta reſolutionem poſitam.

2 In *omnibus caſibus*, quibus homo obligatur ad orationem, vt homo peccet contra illam, neceſſe eſt quod aduertat ad obligationem ſuam aduertentia formali, vel virtuali. Et ſimiliter quod non ſit alius modus ſubueniendi illi neceſſitati niſi per orationem, aliàs cenſebitur omiſſio inuoluntaria. Quandocumque autem omittit peccando contra illam, duplicem malitiam habet illud peccatum, ſcilicet contra Charitatem, aut Miſericordiam, qua tenetur ſubuenire proximo, & contra Religionem, quia ſuppoſita illa neceſſitate, non ſola miſericordia, ſed etiam Religio obligat ad actum ſuum. Sicut ſuppoſita neceſſitate Fidei, non ſola Fides, ſed etiam Fortitudo obligat ad Martyrium (quod tamen ſolùm probabile cenſet *Suarez*) Et quando vrget tentatio aliqua contra aliquam virtutem, V. g. contra Caſtitatem, vel Fidem, ſi omittit quis orare, quando aliud remedium non ſuppetit, peccat contra Caſtitatem, ſi tentationi cedat, & contra Religionem, quia non orat: ſufficit tamen in confeſſione explicare peccatum conſenſus in tentatione, quia hoc ipſo manet explicata negligentia, ſeu omiſſio adhibendi media ad reſiſtendum.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm ſolus Deus debeat orari;

1 PRæſens *Artic.* eſt quaſi appendix præcedentis, cùm enim determinauerit S. *Doctor*, orationem eſſe actum Religionis, quæ ſolùm terminatur ad Deum, reſtat explicare quomodo ſoli Deo porrigatur oratio; vel ſi poſſit ad aliam perſonam dirigi, & hoc eſt quod *S. Thom.* quærit in titulo. Ex Artic. habes quatuor Concluſiones. *Prima*, Ad ſolum Deum dirigitur oratio tanquam per ipſum implenda. *Secunda*. Sanctis; ſiue Angelis ſiue hominibus exhibemus orationem, ſeu orationes, vt Interceſſoribus, & Impetrantibus id quod petimus. *Tertia in Solut. ad* 2. Beati cognoſcunt petitiones noſtras, Deo manifeſtante illas in Verbo, *Quarta* in Solut. ad 3. ad Animas Purgatorij non dirigimus orationes noſtras, nec petimus ab eis ſuffragia, bene tamen ea petimus à viuis.

Primam Concluſionem probat S. *Thom. in corpor. articul.* tali ratione; Omnes orationes noſtræ ordinari debent ad gratiam, & gloriam conſequendam: ſed hanc ſolus Deus dare poteſt; iuxta illud Pſalm. 83. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus*: ergo orationes noſtræ ſolùm per Deum poſſunt impleri, & conſequenter ſoli Deo porrigendæ ſunt, vt per ipſum adimplendæ.

De *Bonitate Conſequentia*, & de veritate Minoris nullum eſt dubium. Maior verò propoſitio dubitationem habet, Quomodo intelligendum ſit, quod orationes noſtræ ſolùm ordinari debent ad gratiam, & gloriam conſequendam cum multa poſſimus petere à Deo honeſtè, etiam non ordinando illa ad gratiam, & gloriam, ſed ad aliquam commoditatem naturalem conſentaneam rationi. Neque in hoc aſſignatur à *D. Thom.* adæquata cauſa, cur ſolus Deus orari debeat. Quia orationes pertinere ad Deum, & ſolùm dirigi poſſe ad Deum, non fundatur ex parte rerum, quæ poſtulantur per orationem, ſed ex modo, quo pendent, & prouenire poſſunt à Deo: nam eaſdem res poſſumus petere à Deo, & ab hominibus, à Deo vt à primo Authore omnium rerum; ab hominibus verò vt à cauſis particularibus à quibus aliquæ res particulariter pendent. Igitur ſine ordine ad gratiam & gloriam adhuc ſaluatur, quod ſolus Deus debeat orari, dummodo id, quod petitur tanquam a Supremo Authore rerum petatur: hoc enim modò ſolus Deus orari poteſt. *Imo* etiam ſi res aliquæ ordinentur ad gratiam, & gloriam, adhuc poſſumus eas petere ab homine, & ſi gratiam, & gloriam dare non poſſit? ſicut quando quis ſtudet propter obtinendum beneficium, non repugnat petere auxilium ad ſtudendum, etiam ab illo, qui beneficiũ dare non poteſt: malè ergo reducitur tota ratio quare ſolus Deus orari debeat, ad hoc, quod ſolus ipſe dare poteſt gratiam, & gloriam. 2

Caietanus *in hoc articul.* vnico verbo ſoluit hanc Difficultatem dicens, Quod S. *Thom.* loquitur per ſe de oratione Fidelium, id eſt, de oratione, quam faciunt fideles, in quantum fideles, quia fidelis non petit aliquid à Deo ordinatè, niſi ordinando illud ad finem ſupernaturalem. Si enim petat aliquid nõ curando, an expediat, vel non expediat ad finem ſupernaturalem, talis oratio eſt communis fideli, & infideli, & per ſe loquendo non eſt ſimpliciter actus Religionis, quia non ſimpliciter colit Deum, qui ſolùm virtutibus colitur, & his, quæ ad ipſum ordinantur; & multominus ſi petat aliquid contrarium fini ſupernaturali, vt homicidium, adulteriũ, &c. Relinquitur ergo quod ſolùm eſt decens Fideli, vt fidelis eſt, petere ea, quæ ordinantur ad gratiam, & gloriam, hoc enim peculiare eſt fideli, vt diſtinguitur ab infideli. 3

At verò *P. Suar. libr. 1. de Orat. caput 9. numero 7.* Reiicit expoſitionem *Caiet.* dicens, Quod *Caiet.* ſentit orationem omnem factam in peccato mortali, non eſſe actum Religionis, quia non ordinatur ad finem Charitatis, quæ autem ex Religione, & Fide procedit, ordinari ad gratiã, & gloriam. Hoc autem impugnat ipſe ex eo, quod bene poteſt peccator orare per auxilium diuinum, etiamſi non habeat habitum Religionis infuſæ, qui ſolus eſt in habentibus gratiam: ſicut patet. 4

quando

quando peccator petit à Deo gratiam, & remiſſionem peccatorum, poteſt etiam dari verus actus orationis, etiam ſi non ordinetur ex intentione orantis ad gloriam, quia ille finis eſt intrinſecus orationi, nec dat illi ſpeciem eſſentialem. Ac denique quia in ordine orationis naturalis, & acquiſitæ datur proprius, & peculiaris modus orandi Deum ſine ordine ad finem ſupernaturalem, petendo ſcilicet aliquid ab eo, vt à Supremo Authore rerum, quo pacto non poteſt peti ab aliqua creatura: ergo adhuc non ſaluat *Caiet.* adæquatam rationem, quare ſolus Deus orari debet.

6 Dicit *ergo* ipſe *Suar.* quod ratio *D. Thom.* poteſt intelligi vno ex tribus modis. Primò per ly *gratiam* intelligendo quodcumque beneficium Dei aliàs non debitum, ſiue naturale, ſiue ſupernaturale ſit; hoc enim ſolus Deus poteſt dare ſimpliciter loquendo, id eſt, tanquam prima cauſa rerum. Sed hoc non eſt ad mentem *D. Thom.* Probat enim Deum ſolùm dare gratiam ex illo Pſalm. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus*, vbi ſermo eſt de gratia ſupernaturali. Secundò dicit, Quod *D. Thom.* non curauit reddere rationem adæquatam ſuæ concluſionis, ſed quaſi à proportione; quod ſicut gratia à ſolo Deo dari poteſt, ita quodvis bonum à ſolo Deo dari poteſt, & ſingulari modo, quo Deus eſt primus Author omnis boni, ſicut eſt ſpiritualis author gratiæ. Sed hoc eſt ſuccumbere difficultati, & infirmare, non explicare rationem *D. Thom.* *Tertio* dicit. Quod loquitur S. *Doct.* de Oratione Chriſtiana efficaci, cuius efficacia nititur diuinæ promiſſioni, hæc autem promiſſio non eſt facta niſi orationi petenti gratiam & gloriam, & ideò qui aliter petit, efficaciter non petit; & è contra qui petit innixus promiſſioni diuinæ, petere debet propter gloriam, etiamſi de illa non cogitet. *Sed hæc explicatio* incidit in ſenſum *Caiet.* non quem *Suar.* fingit, ſed quem poſuit *Caiet.* Neque enim dixit *Caiet.* Orationem factam à peccatore extra charitatem non eſſe actum Religionis, ſed quod ille, qui petit non curando an expediat ad finem vltimum, non petit vt fidelis, ſed eſt oratio communis fideli, & infideli, neque ex ſe eſt actus Religionis Religione Chriſtiana, quia non eſt benè ordinatus. Idem eſt autem efficax oratio, atque benè ordinata, nulla enim bona oratio fraudatur deſiderio ſuo, dicente Apoſt. Iacob. in ſua Canon. cap. 4. *Petitis, & non accipitis, eò quòd malè petatis.* Si ergo non malè petatur, ſed ſicut petit bona, & ordinata oratio, ſemper accipiet; idem eſt ergo orationem eſſe ordinatam, & eſſe efficacem; & ita ſi ad hoc, quod ſit efficax, requirit *Suar.* quod petat gratiam, & gloriam, cur non vt ſit ordinata, ſicut requirit Caietanus?

7 Igitur *mens D. S.* ſicut ipſe ſe explicat *in 4. diſt. 15. quæſt. 4. art. 5.* Fundatur in doctrina *D. Auguſt. Epiſt. 121. cap. 4.* vbi dicit, ſolùm nos poſſe petere à Den vitam beatam, verba D. Auguſt. ſunt: *Quoniam permouet te, quod ait Apoſtol. quia oremus ſicut oportet neſcimus, & timuiſti ne magis tibi obſit, non ſicut oportet orare quàm non orare, quod ſic itaque breuiter dici poteſt: Ora beatam vitam, hanc enim habere omnes homines volunt: quia ergo aliud te oportet orare niſi id, quod cupiunt, & boni, & mali, ſed ad quod perueniunt nonniſi boni.* Et *cap. 12.* oſtendens quod nos ſolum poſſumus orare, quod continetur in oratione Dominica, ſic ait *Quiſquis id dicit, quod ad iſtam Euangelicam precem pertinere non poſſit, etiam ſi non illicitè orat, carnaliter orat, quod neſcio quemadmodum non dicatur illicitè, quandoquidem ſpiritu renatos non niſi ſpiritualiter decet orare.* Et infra. *Liberum eſt alijs, atque alijs verbis eadem tamen* (id eſt, contenta in oratione Dominica) *in orando dicere, ſed non debet eſſe liberum alia dicere.* Quare liquet apud *Auguſtin.* materiam, quam licitè petimus in oratione ſolùm eſſe id, quod continetur in oratione Dominica; omnia autem, quæ ibi petuntur, aut ſunt gratia, & gloria, aut ordinata ad gratiam & gloriam. Aſſumpſit ergo *S. Thom.* pro antecedente doctrinam hanc *Auguſt.* quia non licèt nobis alia petere niſi ea, quæ continentur in oratione Dominica ſecundùm inſtitutionem, & præceptum Chriſti, quod totum pertinet ad gratiam, & gloriam. Ex quo optimè intulit, quod ſolus Deus debeat orari, quia ſolus Deus dare poteſt gratiam, & gloriam, & ea, quæ ad illam ordinantur, prout ſubiunt tali ordinationi.

Ex *qua doctrina* facilè apparet, Quomodo ratio *D. Thom.* efficax ſit, & quomodo non poſſimus petere aliquid à Deo, quod non ſit ordinatum ad gratiam, & gloriam. Licèt enim non ordinetur ex intentione petentis, ſi tamen conformamus intentionem noſtram cum eo, quòd Chriſtus inſtituit, & præcepit orare in oratione Dominica, ſemper intendimus id, quod ordinatur ad gratiam, & gloriam, licet de illa non cogitemus. Si verò intentionem noſtram non conformamus inſtitutioni Chriſti malè petimus, licèt res ordinatas ad gratiam, & gloriam, non tamen prout ſic ordinatas, ſed prout reſpiciunt alium finem petamus, niſi fortè petamus ea ab hominibus, aut ab interceſſoribus, vt dicitur in ſecunda concluſione. *Præterea* quando dicitur; quod adæquata ratio quare ſolus Deus debeat orari, non eſt, quia ab ipſo ſolum debemus petere gratiam, & gloriam, ſed quia ſolùm poſſumus à Deo petere aliquid, vt à Supremo Authore rerum. *Reſpondetur*; quod licèt nemo poſſit orari, vt Supremus Author, niſi ſolus Deus, tamen non pro omnibus, quorum Deus eſt Author, poſſumus ipſum rogare, ſed ſolùm pro his, quæ determinauit Chriſtus in oratione Dominica. Nam ad entitatem peccati concurrit Deus, vt Supremus Author totius entis, & ad multa mala pœnæ, quæ infligit hominibus, & tamen non poſſumus illa petere à Deo. Vt ergo *D. Thom.* prudenter procederet, non debuit probare Concluſionem ſuam ex eo ſolùm, quòd Deos eſt Supremus Author rerum, & ſolùm vt talis orari poteſt; ſed etiam determinare materiam, quæ ſolum peti poteſt à Deo, & oſtendere illam à ſolo Deo dari poſſe. 8

Denique S. *Thom.* oſtendebat, in eo ſolùm orari poſſe Deum, in quo ipſe ſolus adimplet ea, quæ petimus, ita quòd reliqui, quos orare poſſumus, ſolùm ſe habent, vt interceſſores, hoc autem non habet verum niſi reſpectu gratiæ, & gloriæ; in his enim, quæ naturalia ſunt, etiam extra Deum inueniuntur aliquæ cauſæ, quæ non ſolùm ſunt intercedentes, ſed etiam vere adimplentes, & facientes ea. Id ergo in quo ſolus Deus eſt dator, & reliqui omnes interceſſores, ſolùm eſt gratia, & gloria, & res ſpirituales ad illam ordinatæ. 9

Alia *leuior* Difficultas proponitur à *Suarez* circa Concloſinnem, & rationem *D. Thom.* Quia gratia, & gloria datur ab omnibus Perſonis Diuinis, & tamen eſt conſuetudo Eccleſiæ, ſæpè 10

dirigere orationes ad vnam tantùm Perſonam, vt in Litaniis, & in pluribus Collectis. Sed hoc parui momenti eſt, & bene expeditur à *Suar.* habet enim locum in quacumque re, quam petere poſſimus, ſiue ſit gratia, vel gloria, &c. Quidquid enim fiat ad extra, indiuiſe fit ab omnibus Perſonis. Certum eſt ergo, quod Eccleſia ipſa dicit in præfatione Trinitatis: *Vt in perſonis proprietas, & in eſſentia vnitas, & in maieſtate adoretur æqualitas.* Quando ergo oramus, vel adoramus Deum, totum hoc, & perſonas, & eſſentiam reſpicimus, vt cauſam adimpletionis orationum noſtrarum, ſpecialiter tamen mentionem facimus alicuius Perſonæ, quaſi ad ipſam orantes, vel propter commemorationem alicuius beneficij, ſicut in Filio reſpicimus Incarnationem, & Officium Mediatoris: in Spiritu Sancto rationem Doni: in Patre miſſionem Filij, & Spiritus Sancti, & ſecundùm has rationes commemoramus ſpecialiter Perſonas, vel quia Patri conuenit eſſe principium omnium perſonarum, ideò ipſi potiùs appropriatur oratio, quàm aliis, quia in ipſo aliæ Perſonæ intelliguntur. Et ideò Chriſtus docuit nos orare ad Patrem in nomine ſuo, & ita Eccleſia petit per Chriſtum. Quæ eſt doctrina S.*Thom. in 4.diſt.15.q.4.art.5. quæſtiunc.3. ad 1.*

11 *Secundam Concluſionem*, ſcilicet Sanctos poſſe orari, vt Interceſſores ad obtinendum, quod petimus, probat S.*Thom.* in *Argumento ſed contra* ex illo Iob 5. *Voca, ſi quis eſt, qui tibi reſpondeat, & ad aliquem Sanctorum conuertere.* Qui locus apertè loquitur de oratione ad Sanctos, & ſic exponitur à *B.Gregor. lib.5. Moral.cap.30. in corpore art.* probat S.*Thom.* eandem Concluſionem explicando priùs, quomodo oremus ad Sanctos; videlicet vt eorum precibus, & meritis orationes noſtræ reddantur efficaces; hoc enim valdè conforme eſt rationi, vt qui petit aliquid adhibeat interceſſores ad obtinendum efficaciùs, quod petit; qui autem poſſunt eſſe interceſſores apud Deum niſi Sancti? Probat deinde ex illo Apocal. 8. *Aſcendit fumus incenſorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo.* Vbi vides orationes Sanctorum per manum Angeli, quaſi per interceſſorem offerri Deo. *Denique* id probat *S. Thom.* ex vſu Eccleſiæ, quæ à Sanctis petit, vt orent pro nobis. Vnde cum is ſit vniuerſalis vſus, & Eccleſia vniuerſaliter errare non poſſit, manet firmum, & certum Sanctos poſſe orari.

12 Cæterùm Hæretici, neque Eccleſiæ acquieſcunt, neque rationi, & ideò vehementer concluſionem iſtam deſtruere conantur. Eſt autem antiquiſſima hæreſis hæc, cum extet apud *D. Hier.* confutatio erroris *Vigilantij.* Qui aſſerebat Mortuos non orare pro nobis, ex quo inferebatur, neque eos orari poſſe à nobis. Poſtea alij apertè negauerunt Sanctos eſſe inuocandos, vt *Cathari, Patarenli, Vualdenſes, & Vuicleſiſtæ.* Denique noſtri temporis hæretici tanquam filij Viperarum, impleuerunt menſuram patrum ſuorum, imò & vicerunt illos addentes præuaricationem. Docent enim non ſolùm eſſe inutile inuocare Sanctos, ſed etiam eſſe impium, quia contrariatur officio Mediatoris, qui eſt Chriſtus, ita *Caluinus, Lutherus, Apologia confeſſionis Auguſtanæ*; qui etiam addunt, quod ſi Sancti orant, eos tamén non orare pro iſto, aut illo in ſpeciali, ſed pro Eccleſia electorum in genere.

13 Præcipua Hæreticorum fundamenta ad tria, aut quatuor reducuntur. *Primum*; Quia non extat in Scriptura Sacra mandatum, aut exemplum, aut permiſſio de inuocatione Sanctorum. Similiter neque conſtat Sanctos accepiſſe à Deo officium patrocinandi, nec id pertinet ad eorum meritum, quia pro meritis huius vitæ ſufficientem remunerationem acceperunt; in cœlo autem non ampliùs merentur. Et quod in riſum vertunt Hæretici, quòd vnum Sanctum faciamus aduocatum pro peſte, alium pro dolore dentium, alium pro dolore gutturis, &c. *Item*, quia inuocando Sanctos tribuimus eis cultum religioſum, qualis eſt actus orationis, faciendo illos Patronos apud Deum, cùm Deus per ſe ipſum nos audiat. Vnde dicit D.Ambroſ. in 1.cap. ad Roman. *Ad Deum promerendum, ſuffragatore non eſt opus, ſed mente deuota.* Et D.Chryſoſt.Homil.de profectu Euang. Tom.3. *Non opus* (inquit) *eſt tibi patronis apud Deum, neque multo diſcurſu, vt blandiare aliis, ſed ſolus licet ſis, patronoque careas, & per te ipſum Deum precatus, omnino tamen voti compos eris.*

14 Prætereà, quia iniuriam facimus Mediatori, nam vt dicitur 1. ad Timoth.2. *Vnus eſt Mediator Dei, & hominum Chriſtus Ieſus.* Ergo facere Sanctos Mediatores, & interceſſores eſt in iniuriam Chriſti. Vnde dicit Auguſtinus libro 2. contra Parmenian. cap. 8. *Si eſſet Mediator Paulus, eſſent vtique & cæteri Coapoſtoli eius, ac ſic multi mediatores eſſent, neque ipſius Pauli conſtaret ratio, qua dixerat, vnus Deus, vnus Mediator,* &c. Et Theodoret. ſuper illa verba D. Pauli ad Coloſſenſ.2. *Nemo vos ſeducat, volens in humilitate Angelorum, & Religione,* &c. Sic ait: *Synodus quoque, quæ conuenit Laodicea, quæ eſt Frigiæ Metropolis, lege prohibuit ne precarentur Angelos.* Addit Caluinus Decretum *Concil. Carthagin. 3. cap. 23.* vbi dicitur; *Cùm ad altare aſſiſtitur ſemper ad Patrem dirigatur oratio.* Ex quo colligit Hæreticus, prohiberi in eo Concilio ne publicè in altari inuocentur Sancti, & ne *Myſterium Cœnæ* (ſic ipſe vocat *Miſſam*) profanaretur in inuocatione mortuorum.

15 Vltimum *Fundamentum eſt*, Quia Sancti non poſſunt cognoſcere ea, quæ apud nos aguntur, & conſequenter neque orationes noſtras, dicitur enim Iob 14. *Siue fuerint filij eius nobiles, ſiue ignobiles non intelligent.* Et Eccleſ.9. *Mortui nihil nouerunt ampliùs.* Et Iſai. 63. *Abraham neſciuit nos, & Iſrael ignorauit nos.* Ex quibus locis, & aliis probat S.*Aug. lib. de cura pro mortuis, cap.13.* Mortuos, etiam Sanctos, ignorare, quæ aguntur apud nos; *Quia aliàs* (inquit) *ipſe viſitaretur, & conſolaretur à matre ſua, neque eſt probabile, quod ſit facta vita fœliciore crudelior.*

16 Conſtans nihilominus eſt, & ſecundùm Fidem certa Concluſio *S. Thom.* deducitúrque eiſdem probationibus, quibus à Doctore Sancto, ſcilicet ex Scriptura, & vſu Eccleſiæ, per Concilia, & Sanctos Patres approbato. *Breuiter*, ex Scriptura ſic deduci poteſt: Quia ſæpè inuenitur in Sacris Litteris Sanctos homines, & Angelos intercedere, & orare pro nobis: ergo ipſos rogare poſſumus, vt interceſſores, & ſuffragatores. *Patet conſeq.* Quia fruſtra ipſi orarent pro nobis ſi neſcirent neceſſitates noſtras: ſi ergo ſciunt ipſas, & ſunt interceſſores, poſſumus ad eos dirigere intentionem noſtram, vt nos adiuuent. *Antecedens conſtat* ex multis locis

Scripturæ

Scripturæ, dicitur enim 2. Machab. vlt. de Ieremia Propheta, qui multis ante annis obierat; *Hic eſt qui multum orat pro populo*. Cui loco Hæretici nil aliud reſpondent, quam negare authoritatem illius libri, ſed ille admittitur à *Concil. Carthagin. 3. à Nicen. Trident.* & aliis. Item 1. Petr 2. *Dabo operam, & frequenter habere vos poſt obitum meum, vt horum memoriam faciatis*.

17 De *Sanctis* Angelis, quod orent pro nobis, patet *Tob.* 12. vbi dixit Angelus Raphaël: *Ego obtuli orationem tuam Domino*. Item Zachar. 1. *Et reſpondit Angelus Domini, & dixit. Domine exercituum, vſquequo tu non miſereris Ieruſalem, & vrbium Iuda, quibus iratus es?* Denique conſtat ſæpe poni Sanctos mortuos, vt eorum meritis Deus placabilis reddatur, vt Exod. 32. *Recordare Abraham, & Iſaac, & Iſrael ſeruorum tuorum*. Daniel. 3. *Neque auferas miſericordiam tuam à nobis propter Abraham dilectum tuum, & Iſaac ſeruum tuum, & Iſrael Sanctum tuum*. Et Pſ. 131. *Propter Dauid ſeruum tuum non auertas faciem Chriſti tui*. Vbi non ſolùm interponitur pactum, quod fecerat Deus ad illos (vt ponit Caluinus) ſed etiam petitur aliqua gratia, & beneficium per illorum interceſſionem, Nam in Daniele petebatur miſericordia: *Non auferas miſericordiam propter Abraham*, &c. Et in loco Exod. Moyſes petebat, vt dimitteretur populo peccatum, quod vtique gratia erat, non iuſtitia. Vnde optime dixit D. Auguſt. Quæſtion. 149. in Exod. *Admonemur cum merita noſtra nos grauant, ne diligamur à Deo, releuari nos apud eum illorum meritis poſſe, quos Deus diligit*. Idem habet Theodoret. *Q. 67. in Exod.* & *Chryſoſt. Homil. 42. in Geneſ.*

18 *Ex Conciliis* habetur hæc veritas in *Concil. Calcedon. act. 11.* vbi dicitur: *Flabianus poſt mortem viuit martyr, oret pro nobis*. Et in 7. Synod. General. act. 6. *Cum timore omnia agamus poſtulantes interceſſiones incontaminata Deipara, item Sanctorum Angelorum, & Sanctorum omnium*. Denique in *Concil. Trident, ſeſſ. 25. in princip.* determinatur impie ſentire eos, qui negant Sanctos inuocandos eſſe, aut pro hominibus etiam ſingulis orare, aut aduerſari honori Mediatoris. Vſus etiam Eccleſiæ, quem S. *Thom* adduxit ex Litaniis antiquiſſimus eſt nam in *Concil. Aurelian.* 1. tempore Hormiſdæ Papæ inducuntur Litaniæ, & habetur *de conſecr. diſt. 3. cap. rogationes*. Pro Hiſpania etiam ponuntur Litaniæ idibus Decembris per tres dies *in Concil. Tolet 5. c. 1. & in Toletan. 6. cap. 1.*

19 Denique *Ratio manifeſta eſt*, Quia Sancti in hac vita poſſunt orare pro aliis, vt patet Iob 42 *Iob ſeruus meus orabit pro vobis, faciem eius ſuſcipiam*. Et Apoſtolus ſæpiſſimè in ſuis Epiſtolis petit orationes fidelium, vt ad *Epheſ. 6. ad Coloſſenſ. 4. 2. ad Theſſal.* 3. & denique *Iacob.* 5. dicitur *Orate pro inuicem vt ſaluemini*. Ergo etiã poſt mortẽ Sancti poſſunt orare pro nobis. Quo argumento vtitur D *Hieron. contra Vigilant.* Et Conſeq. patet, Quia nec poſt mortem deeſt illis efficacia, cùm ſint magis coniuncti Deo: neque cognitio noſtrarum orationum, quia ſciunt illas Deo reuelante, ſicut etiam alia multa, quæ illis manifeſtantur in gloria vt oſtendit D. *Th. concl.* 3. Ergo nulla eſt cauſa, cur negetur, eos pro nobis intercedere.

Soluuntur Argumenta.

Ad *Argumenta* Hæreticorum facilè reſpondetur. Ad 1. conſtat ex dictis inueniri in Scriptura, & vſu Eccleſiæ exemplum inuocationis Sanctorum: Conſtat etiam eos accepiſſe à Deo dignitatem intercedendi eo ipſo, quo facti ſunt amici, & familiares Dei. Neque enim vt aliquis poſſit orare pro altero requiritur ampliùs, quam familiaritas amicitiæ ad illum à quo petit; & hoc etiam pertinet ad Sanctorum meritum quando enim meruerunt Deo coniungi, & amici Dei eſſe per charitatem, & gratiam conſummatam, meruerunt quoque ex conſequenti poſſe orare pro nobis ſicut amicus ad amicum. *Quod vero irrident* Hæretici, vnum Sanctum orari pro vna neceſſitate, & alium pro alia. *Reſpondetur*, Id non eſſe mirum, cum Deus ſoleat aliquem Sanctum facere magis clarum in vna virtute, quam in alia, & aliquam gratiam vni tribuere, & non alteri. Et ideò egregiè dixit D. Auguſt, Epiſtol. 137. *Numquid non Africa Sanctorum Martyrum corporibus plena eſt, & tamen nunquam hic ſcimus talia miracula fieri, Sicut enim Apoſt. dicit, non omnes Sancti habent curationem doni; neque omnes habent diiudicationem ſpirituum, ita neque in omnibus memoriis Sanctorum iſta fieri voluit ille, qui diuidit propria vnicuique prout vult*. Sic D. Auguſt. 1

Ad *ſecundum Fundamentum*. Hæreticorum reſpondetur cum S. *Thom huic ad* 1. Quòd ſolùm colitur Latria ille, ad quem oramus, vt ad Authorem gratiæ, & gloriæ, quam petimus, non verò quem adhibemus ſolùm, vt interceſſorem. Quæ ſolutio ab Hæreticis deſpicitur putãtes, quod ſolùm poſſumus Sanctis tribuere honorem ciuilem: ſi verò Sacrum, & Religioſum exhibeamus colere eos eſt Latria: vnde & nobis obiiciunt, quod Beatiſſimam Virginem Deam appellamus, Cæterum longe differt, cultum aliquem, & orationẽ aliquam eſſe Sacram, & Religioſam, vt diſtinguitur à Ciuili, & eſſe Sacram, vt dicit cultũ Latriæ. Quæ æquiuocatio, vt tollatur, aduerte, quòd cultus Religioſus tripliciter ſumitur. *Vno modo* ſtrictè prout procedit a virtute Religionis, & directè tendit ad Deum, & ſic ſoli Deo exhiberi poteſt. Qua ratione dixit Hieron. lib. 1. cont. Vigilantium: *Quis Martyrem adorauit?* Et tamen ipſe ſe explicat dicens *Quis hominem fecit Deum?* Quaſi negans Sanctis adorationem diuinam. Et S. Auguſt. Epiſt. 44. *Ne te hoc lateat, & in ſacrilega conuicia imprudentem trahat, ſcias enim in Chriſtianis Catholicis nullum coli mortuorum*. Qui tamen ſtatim ſe exponit, addens: *Nihil denique, vt Numen adorari, quod ſit factum, & conditum à Deo*. Negat ergo cultum mortuis Sanctis tanquam *Numini*, id eſt, tanquam Diuinitati. 2

Secundo *modo*, cultus Religioſus ſumitur 3 pro eo, qui procedit à Religione, non directè, & primariò ſed ex quadam redundantia, quando cogitamus Sanctos, vt Dei Miniſtros, & vt nobis repræſentantes Deum, ſic enim non repugnat eos ſecundariò honorari per Latriam propter miniſterium, & repræſentationem. Qua ratione dixit *S. Th. Q. praeced. art.* 2. Nos habere actum deuotionis ad Sanctos, non qui terminetur in illis, ſed qui tranſeat ad Deum. Et Ambroſ. Serm. 1. de Sanct. *Quiſquis honorat Martyres,*

honorat & Chriſtum. Hieron. Epiſtol. 53. *Honoramus Seruos vt honor eorum redundet ad Dominum, qui dixit, qui vos ſuſcipit, me ſuſcipit.* Et ſic probabile eſt poſſe elici à virtute Religionis, & Latriæ cultum erga Sanctos propter repræſentationem miniſterij, quaſi ſecundariò, quamuis in praxi non ſit conſulendum propter periculum labendi in adorationem directam Latriæ, & immediatè ad ipſos terminatam, ſicut tradunt Theologi 3. *p. Q. 25. art. 5. cum D. Thom. ibid.*

4 Tertio *modo* cultus dicitur Religioſus, & Sacer, non quia fit à virtute Latriæ, ſed quia fit ſupra modum ciuilem, id eſt, exhibetur perſonis coniunctis Deo, & ſupra humanam conuerſationem conſtitutis. Talis enim cultus non poteſt eſſe ciuilis, quia perſonæ; quibus exhibetur, ſunt in ſuperiori ordine à ciuili; debetur ergo illis honor altior ciuili, & inferior diuino, & talis elicitur à Dulia, quia tamen imperatur immediatè à Latria propter coniunctionem Sanctorum ad Deum, dicitur Deuotio ad Sanctos, vel oratio procedere à Religione, non immediatè, ſed imperatiuè. Quo ſenſu accipi poteſt id, quod dicit *S. Thom. ſupra* de Deuotione ad Sanctos. Et talem cultum Religioſum, qui excedat ciuilem agnouit D. Ambr. Serm. 1. de Sanct. citat. *In celebritate* (inquit) *Martyrum prætermiſſis omnibus ſæculi actibus reddamus illis honorificentiam.* Et D. Damaſcen. lib. 4. de Fid. *Quibus rebus Deus colitur, eiſdem ſerui eius oblectantur, quapropter hymnis, & canticis ſpiritualibus Sanctos colimus.* Et Cyrill. Hieroſol. cathec. 5. myſtagogica: *In ſacrificio incruento mentionem facimus Prophetarum, Apoſtolorum, & Martyrum, vt Deus orationibus illorum, & deprecationibus ſuſcipiat preces noſtras.* Vnde patet quod licet colamus Sanctos cultu Sacro non tamen diuino, neque etiam Beatiſſimam Virginem, quin potiùs S. *Thom.* & omnes Theologi *loco cit. ex 3. part.* illi negant Latriam, neque à Catholicis habetur pro Dea. Verùm eſt, quod *D. Nazianz. in tragædia de Chriſto patiente*, in fine, dixit de B. Virgine, Quod *eſt æternitatis pallio ornata, vt Dea habita, & ſorde expers.* Non tamen loquitur de vera diuinitate, ſed de participata; & ideò ponit illam particulam *Vt.* Quæ ratione etiam *D. Thom.* dixit *ſup. Pſ. 44.* Quod *B. Virgo eſt deaurata diuinitate, non quod ſit Deus, ſed quod ſit Mater Dei.* Et Chriſtus Dominus dixit Ioan. 10. *Si illos dixi Deos, ad quos ſermo Dei factus eſt*, quod maximè conuenit B. Virgini, in qua Sermo, & Verbum caro factum eſt.

5 Ad *locum* D. *Ambroſ.* quem poſuimus in fundamento Hæreticorum, *Reſpond.* Loqui Ambroſium de ſuffragatore ex parte Dei; quia non eſt opus ſuffragatore, qui intimet Deo, & cognitionem excitet de noſtra neceſſitate, vnde dicit: *Ad Deum promerendum* (quem vtique nihil latet.) *ſuffragatore non eſt opus.* Loquendo autem de ſuffragatore requiſito ex parte noſtri ipſe *Ambroſ. in lib. de Viduis*, vltra medium dicit: *Non erubeſcamus eos* (id eſt, Martyres) *interceſſores noſtræ infirmitatis adhibere.* Eodem modo intelligitur locus *Chryſoſt.* Quod non eſt opus patronis, quantum eſt ex parte Dei, quaſi Deus pauperes non audiat, ſed aliis omittat illorum negotia, vt ſolet fieri apud Principes terræ. Non tamen negat opus eſſe patronis, quantum eſt ex parte noſtræ neceſſitatis, & infirmitatis. Vel *Chryſoſt.* arguit eos qui ſolum fidunt in alienis orationibus, & nolunt per ſe ipſos orare. qui ſenſus habetur ab ipſo Chryſoſt. hom. 5. in Matth. *Non igitur* (inquit) *quaſi oſcitantes, & deſides ex aliorum meritis pendeamus, habent enim vim pro nobis, & quidem maximam, orationes Sanctorum, ſed tunc profectò cùm nos quoque ad ipſum per pœnitentiam poſtulamus.* Sic D. Chryſoſt.

Ad Tertium *Reſpondetur*, Sanctos non adhiberi vt mediatores eo modo, quo Chriſtus, ſed modo inferiori, quia vt dicit *S. Thom. 3. par. Quæſtio. 26. articul. 1.* Sacerdotes, & prophetæ antiqui Teſtamenti Mediatores fuerunt inter Deum, & homines miniſterialiter, & diſpoſitiuè, in quantum præfigurabant verum & principalem Mediatorem, qui eſt Chriſtus. Sacerdotes verò Noui Teſtamenti dici poſſunt Mediatores, quatenùs ſunt Miniſtri principalis Mediatoris. Si ergo eſſe Mediatores diſpoſitiuè, & miniſterialiter non obſtat vnitati Mediatoris Chriſti. Et eadem ratione Sanctis, & Angelis conuenit ratio Mediatoris, vt fatetur ibidem *S. Doct. Solut ad 2. ex D. Dionyſ. cap. 4. de Diuinis Nominibus.* Et eandem Solutionem docuit optimè *Cyrill. Alexand. 12. Theſaur. cap. 10.* vbi illud Apoſt. *Vnus Mediator Dei, & hominum*, &c. Exponit de vno Mediatore ſubſtantialiter, & naturaliter: *Aliter* (inquit) *quomodo vnum Mediatorem Chriſtum Paulus dixiſſet, multi enim Sancti mediationis officio vſi ſunt.* Ad locum D. Auguſtini Reſpondetur negare *Auguſtinum* Paulo officium, principalis Mediatoris, non miniſterialis. Qua ratione etiam *lib. 14. de Ciuit. Dei capite 15.* negat Angelos eſſe Mediatores; ex eo enim quod Paulus aliorum orationes poſtulabat, vt pro eo intercederent, colligit *D. Auguſt.* ipſum non eſſe mediatorem, quod quidem optimè concludit de Supremo Mediatore, quia hic tantum eſt vnus, ille videlicet (vt ibidem dicit *D. Auguſt.*) pro quo nullus interpellat, & ipſe pro omnibus: eſſe autem mediatorem miniſterialiter, & per modum intercedentis non negat *D. Aug.* Paulo ſicut neque illis fidelibus, quorum orationes *Paulus* poſtulabat.

Sed *vrget Caluin.* Si ille eſt verus Mediator ex ſententia *D. Auguſt.* pro quo nullus interpellat, & ipſe pro omnibus: Ergo cum modo Sancti intercedant pro omnibus, qui ſe eis commendant, & pro Sanctis nullus intercedat, cum ſint in gloria, habebunt officium Mediatoris eo modo quo Chriſtus. *Reſpond.* Magnam eſſe diſparitatem, quia pro Chriſto nullus intercedit, neque orando pro ſe, neque orando pro aliis, neque modò, neque antequam eſſet in cœlo: Sancti verò, quando erant in hac vita, indigebant mediatore ad orandum pro ſe, & modò in cœlo indigent Mediatore Chriſto ad orandum pro aliis, iuxta illud Ioan. 16. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis:* vnde non ſunt ſupremi Mediatores. 7

Ad *locum* Theodoret. *Reſpond.* Ipſum loqui de adoratione Latriæ exhibita Angelis, hac enim prohibita fuit in illo Concil. Laodiceno, dicitur enim cap. 35. *Non oportet adire & Angelos nominare, ſi quis inuentus fuerit huic idololatria vacans anathema ſit quoniam derelinquens Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum ac eſſit ad idola.* Sic Concil. Si tamen verum eſt ibi loqui de Angelis, nam in alia editione, & in epitome Conciliorum non legitur *Angelos*, ſed adire ad Angelos) 8

vbi

vbi manifeſtè loquitur de cultu exhibito per modum Latriæ, quia aliqui dixerunt Angelos eſſe factores mundi, & quaſi minores Deos, & per ipſos nos reconciliari Deo, quod docuit Simon Magus, vt refert Epiph. hæreſ. 21. & contra hoc loquitur Paul. ad Colloſſenſ. 2. quando dicit: *Nemo vos ſeducat volens in humilitate, & Religione Angelorum, quæ non vidit ambulans, & non tenens caput ex quo totum corpus*: &c. vbi D. Paul. non prohibet cultum Angelis debitum, cùm conſtet *Apocal. vltim.* Ioannem cecidiſſe vt adoraret ante pedes Angeli, ſed reprobat poſitionem eorum, qui exiſtimabant nos reconciliari Deo per Angelos, & non per Chriſtum, hoc enim ſonat illud verbum. *Non tenens caput*, &c. & ita exponit hunc locum *D. Pauli Chryſoſt. homil. 7. in epiſt. ad Coll.* *Oecumen.* & *Theophylact.* ibidem. Videtur etiam *D. Thom. lect. 4. ſuper illud cap. 2. ad Colloſ.* vbi ad literam Apoſtoli illud, *In Religione Angelorum, interpretatur in cultu legis veteris, quæ ordinata eſt per Angelos in manu Mediatoris, vt dicitur ad Galat. 3.*

9 Ad *Decretum Concil. Carthag. 3.* Reſpondetur ibi ſolum dici, quod ad Deum debet dirigi oratio, quod veriſſimum eſt, vt hic docet *D. Thom.* non tamen negatur, quod ad Sanctos, vt ad miniſtros, & interceſſores minus principaliter oratio dirigatur, ad literam tamen id, quod docet Concilium, id eſt, quod vſque hodie ſeruatur in Eccleſia, quod fere in omnibus Collectis, & orationibus ad perſonam Patris dirigitur oratio, & terminatur per perſonam Filij, hoc enim ſonat illud verbum Concilij: *Semper ad Patrem dirigatur oratio*: id eſt, quod orationes fiant deſignando perſonam Patris.

10 Ad *vltimum Reſpond.* Illa loca ad ſummum concludere, quod mortui ex naturali eorum diſpoſitione non cognoſcunt orationes, & neceſſitates noſtras; non tamen ex reuelatione Dei, vel Angelorum, cum legatur 2. *Machab. vlt.* Ieremiam multum oraſſe pro populo & conſequenter cognouiſſe neceſſitatem eius; Locus ergo Iob intelligitur de mortuis ex naturali eorum ſtatu, non tamen de animabus beatis, has enim expreſſè excipit *S. Gregor.* exponens illum locum 12. *Moral. c. 13.* *Eccleſiaſtes* 9. quod mortui in quantum mortui nihil cognoſcunt amplius; ſecus vero prout habent vitam æternæ lucis. *Ad locum Iſai.* dicitur, quod Abraham neſciuit nos, quantum eſt ex vi ſtatus ſui naturalis, non tamen ex ſpeciali Dei reuelatione, vel melius dicitur neſcire, hoc eſt non approbare, nec diligere vt filios, ſed potiùs reiicere, iuxta illud Matth. 25. *Amen dico vobis, neſcio vos.*

11 Ad *D. Auguſt.* Reſpondet *S. Thom. 1. par. quæſt. 98. artic. 8.* ipſum in illo loco dubitatiuè loqui, & diſputando non determinando, quamuis de cognitione orationem noſtrarum, vt pro nobis Sancti intercedant. *D. Auguſt.* non dubitauerit, ſed *eodem lib. de cura pro mortuis, cap. 15. & 16.* latè oſtendit, quomodo Sancti noſtris neceſſitatibus opitulentur, vnde dicit ibi: Quod *per diuinam potentiam Martyres viuorum rebus interſunt, quoniam defuncti per naturam propriam viuorum rebus intereſſe non poſſunt.*

Quomodo Sancti cognoſcant orationes noſtras quas ad ipſos dirigimus.?

Circa tertiam Concluſ. *S. Thom.* difficile ſemper fuit, explicare modum, quo Sancti cognoſcant noſtras orationes, & nobis opitulentur ita vt *D. Auguſt. loco citato cap. 16.* dixerit: *Res iſta altior, & abſtruſior eſt, quam a me valeat perſcrutari.* Vt autem breuiter tota Difficultas reſoluatur, diſtinguenda eſt duplex cognitio in animabus Sanctis, altera naturalis, altera ſupernaturalis: & de naturali quidem non eſt hic difficultas, quamuis Aliqui exiſtimauerint animas, aut ex narratione Angelorum frequenter ad nos venientium, aut ex ipſarum animarum diſcurſu ad nos, orationes noſtras cognoſcere. Quod quidem licet de aliquibus orationibus vocalibus verificari poſſet; tamen non de omnibus poteſt, quia vt oſtenditur 1. *part. quæſt. 89. artic. 8.* Anima ſeparata naturali cognitione non poteſt cognoſcere, quæ apud nos aguntur; & de puris mentalibus conſtat non poſſe cognoſci naturaliter niſi a ſolo Deo, iuxta illud 2. Paralip. 6. *Tu ſolus noſti corda filiorum hominum.* Et quamuis per locutionem vnius Angeli, vel animæ ad alterum manifeſtentur cogitationes cordis, tamen quamdiù ſumus in hac vita, naturaliter loquendo, non poſſumus loqui animæ ſeparatæ, alias poſſet animæ exiſtenti in inferno, aut in limbo innoteſcere noſtra cogitatio, ſi vellemus illi manifeſtare, quod nullus admittit. Recurrendum eſt ergo ad cognitionem ſupernaturalem, quæ fit per reuelationem Dei; reuelatio autem ſupernaturalis facta alicui particulari (vt omittamus eam, quæ fit per fidem, quia hæc immediatè fit Communitati Eccleſiæ, & non particulari) ſolùm eſt duplex, altera eorum, quæ cognoſcuntur in Verbo per ipſam formalem viſionem beatam, & dicitur *Cognitio Matutina*; altera eorum, quæ reuelantur extra Verbum in proprio genere, & dicitur *Cognitio Veſpertina.* 1

Et *hæc* adhuc ſumitur dupliciter, nam quædam eſt quaſi debita, & conſecuta ex vi ſtatus beatifici, & viſionis diuinæ, aut ſaltim deriuatur à viſione ſuperioris Beati, qui ea, quæ cognoſcit melius quàm inferior, poteſt illi manifeſtare, qua ratione ponitur à *D. Thom.* in Angelis Illuminatio, *& in 4. diſt. 49. quæſt. 2. artic. 5. ad vlt. dicit S. D.* Quod anima Chriſti Domini poſt diem iudicij illuminabit Beatos omnes de his, quæ pertinent ad ſcientiam viſionis Dei, quæ ipſe videt in Verbo, & ſic exponit illud Apocal. 20. *Et lucerna eius eſt Agnus*, & talem reuelationem vocauit *Caiet. 3. p. quæſt. 10. artic. 2.* viſionem beatam cauſaliter, non formaliter. Alia reuelatio eſt, quæ non habet connexionem, nec conſequitur ex vi viſionis beatæ, ſed fit eo modo, quo Prophetis fiebat reuelatio prophetica; Et hoc vltimo modo cenſet *D. Auguſtin. libr. de cura pro mort. capit. 15.* Martyres cognoſcere orationes, aut neceſſitates noſtras. 2

Cæterùm D. Thom. *hic* ex ſententia *D. Greg. 12. Moral. cap. 13.* expreſsè ponit, Quod orationes noſtras Sancti cognoſcunt in Verbo, & *3. p. quæſt. 10 artic. 2.* ponit generalem regulam, quod nulli Beato deeſt, quin cognoſcat in Verbo omnia quæ ad ipſum ſpectant: & expreſſiùs *in 4. diſtin. 55. quæſt. 3. artic. 5.* dicit, Quod licèt inferiores Beati de quibuſdam edoceantur, & illuminentur à ſuperioribus, tamen quilibet Beatus ea videt in 3

Eſſentia diuina,quæ ad ipſum pertinent, & quia ad gloriam, & ſtatum Beatorum pertinet ſuccurrere eis, qui petunt ab illis auxilium,deducit *S.D.* Quod in Verbo cognoſcunt orationes, & deuotiones hominum, qui ad eorum auxilium confugiunt. Extimo autem neque *S.Auguſt.* eſſe alienum ab hac ſententia, quando aſſertiue loquitur, & non dubitatiue, nam in *lib. 9. confeſ. cap. 3.* loquens de Amico quodam defuncto ſic dicit, *Iam non apponit aurem ad os meum, ſed ſpirituale os ad fontem tuum, & bibit quantum poteſt ſapientiam pro auiditate ſua ſine fine felix, nec ſic eum arbitror inebriari ex ea, vt obliuiſcatur mei, cum tu Domine, quem petat ille, noſtri ſis memor.* Quæ eſt eadem prorſus ratio, quæ apud Diu. Gregor. loco citat & in 4. dialogor. habetur. *Quid eſt, quod ibi neſciant vbi ſcientem omnia ſciunt?*

4 Solùm *obſtant* duo contra hanc reſolutionem *S. Thom.* Primum eſt, Quia ſi orationes viderentur in Verbo non poſſunt videri ſucceſſiuè, cum illa viſio, vtpotè menſurata æternitate in nullo admittat ſucceſſionem, vt demonſtrat *D. Thom. in 1. part. quæſt. 12. artic. 10.* Dicere autem quod à principio beatitudinis quilibet Beatus videt omnes orationes, quæ ad ipſum effundentur ſucceſſu temporis falſum eſt. *Tum* quia de Angelis determinat *S. Thom. 1. part. quæſt. 57. artic. 5.* Quod ſucceſſiuè cognouerunt myſteria gratiæ quæ aliquo modo ad eorum ſtatum pertinebant. *Tum* quia, vt obiicit *Caiet. 3. part. quæſt. 10. art. 2.* Angeli Cuſtodes non vident à principio omnia, quæ pertinent ad eos; qui ſuæ curæ committuntur, vt patet ex pugna duorum Angelorum *Daniel. 10.* fundata in neſcientia diuinæ voluntatis circa eos, quos cuſtodiebant, vt exponit S.D. *1. part. quæſt. 113. artic. 8.* *Tum* quia idem S.Thom. dicit *1. part. quæſt. 12. artic. 8. ad 4.* Quod cognoſcere ſingularia facta, & cogitata non eſt de perfectione intellectus, nec cognoſcere illa, quæ nondum ſunt, & ſic non oportet, quod videantur in Eſſentia diuina. *Denique.* Quia aliàs non repugnaret aliquem Beatum modò videre in Verbo diem iudicij, quia videre poteſt aliquam orationem, quæ ſibi in tali die fundetur, conſequens eſt contra id, quod dicitur Mat. 10. *De die illa nemo ſcit, neque Angeli in cœlo, neque Filius*, &c.

5 Secundum, *quod obſtat eſt.* Quia Beatus quanto perfectiùs videt Verbum, tantò plura in eo videt, vt dicit S.*Thom. 3. part. quæſt. 10. artic. 2.* Ergo qui plures orationes videt, perfectiùs videt Deum. Si ergo accipiantur duo Sancti æqualis meriti, & quibus detur æquale lumen gloriæ, tamen ad vnum fundantur plures orationes, quam ad alium, ille ad quem pertinent plures orationes, videbit plura in Verbo, & conſequenter perfectiùs videbit, cum tamen ſit æqualis luminis, ac proinde non poſſit aliunde ille ad quem non pertinent tot orationes, in aliis rebus videre Deum perfectiùs, niſi ponamus eſſe æqualis luminis.

6 Ad *primum* Multiplex eſt, & varia Doctorum ſolutio, omnes tamen reducuntur ad tres. *Prima Ferrar. 3. contr. Gent. cap. 50.* vbi probabiliter admittit quod orationes, quæ ſucceſſiuè funduntur ad Beatum, ſucceſſiuè quoque cognoſcuntur ab eadem numero viſione, qua videtur Eſſentia diuina. Sed hæc eſt improbabilis vt conſtat ex *D. Thom. loco citato 1. part. quæſtion. 12. artic. 10.* *Secunda eſt.* Quod ea, quæ ſucceſſiuè pertinent ad ſtatum Beati, cognoſcuntur ab aliis per nouas reuelationes factas extra verbum, cauſatas tamen, & debitas ex vi ſtatus beatifici, licet ea, quæ vſque ad inſtans mortis pertinebant ad Beatum, videantur in Verbo. Hanc ſequitur *Caietan. 3 part. quæſt. 10. artic. 2.* Et licet in *hoc artic.* ponat Beatos videre formaliter in Verbo orationes quantum ad ſubſtantiam, tamen aliquas circunſtantias orationum, puta an ſint implendæ, an expediat illas petere, &c. dicit, Quod nouis illuminationibus cognoſcuntur extra Verbum. Et idem videtur ſequi M. Bañes *1. part. q. 12. art. 10.*

Hæc *ſolutio* vt probabilis admittitur à Doctoribus; eſt tamen in duobus contra *D. Thom.* Primò, quia S. Doct. locis ſup. citatis *ex 3. part. & 4. ſent.* expreſſè ponit Beatos videre in Verbo ea, quæ ad proprium ſtatum pertinent, inter quæ numerat orationes, vt diximus. Quod ſi ponamus orationes, non videri in Verbo, non eſt cur ponamus videri in eo ea, quæ in hoc mundo pertinent ad ſtatum beatum. *Secundò* iſta ſolutio eſt contra D. Thom. Quia illuminationes, & reuelationes extra Verbum ſemper deriuantur ad inferiores mediantibus Superioribus, quod ita infallibile vult eſſe D. *Thom.* vt nunquam in hoc diſpenſationem admittat, vt patet *in 1. part. quæſt. 106. artic. 3. & quæſt. 112. art. 2.* Et de reuelatione Prophetiæ dicit, Quod deriuatur ad homines mediantibus Angelis quantum ad manifeſtationem rerum, & obiectorum, quamuis non quantum ad luminis infuſionem, quod à ſolo Deo deriuatur, ſicut Fides, vt patet *infra quæſt. 172. artic. 2.* Reuelatio autem de Orationibus, quæ fiunt ad aliquem Beatum, non poteſt fieri mediantibus Angelis Superioribus, aliàs priùs cognoſceret orationem meam Superior Angelus, quàm Beatus, ad quem illam dirigo, quod eſt inconueniens: ergo vel dicendum eſt, quod orationes non cognoſcuntur per reuelationem extra Verbum, vel quod illæ reuelationes non fiunt mediantibus Angelis, ſed immediatè à Deo cuilibet Beato, quod eſt contra ordinem à Deo poſitum, vt inferiores accipiant reuelationes per Superiores. 7

Quare *tertia ſolutio* eligenda eſt Quod Orationes videntur in Verbo Beatis à principio ſuæ beatitudinis, & non ſucceſſiuè, quia hoc eſt contra naturam viſionis beatificæ. *Et ad impugnationes dicitur*, Quod Angeli cognouerunt ab initio ſuæ beatitudinis myſteria gratiæ, & incarnationis quantum ad ſubſtantiam, ſeu quantum ad id, quod ad eorum ſtatum pertinebat: quantum verò ad particulares circunſtantias, & alia, quæ ad eorum ſtatum non pertinebant ſucceſſu temporis per reuelationes Superiorum cognonerunt: & hoc eſt, quod dicit D. *Thom. 1. parte quæſt. 57. artic. 5.* Quod per viſionem beatam cognoſcunt myſteria gratiæ, non quidem omnia, neque æqualiter omnes, ſed ſecundùm quod Deus voluit eis reuelare, ita tamen quod Superiores Angeli plura myſteria, & altiora in ipſa Dei viſione cognoſcunt quæ inferioribus manifeſtant eos illuminando, & horum myſteriorum (ſcilicet, quæ à Superioribus manifeſtantur, non quæ in Verbo videntur ab inferioribus) quædam à principio creationis cognouerunt, quædam verò poſtmodum, ſecundùm quod eorum officiis congruit, edocentur. Et ibidem *ad 1. & quæſtion 106. artic. 4. ad 2.* ait, Quod etiam inferiores Angeli 8

cognouo

cognouerunt myſterium Incarnationis quantum ad ſubſtantiam, ſed non ita plenè quoad omnes circunſtantias, ſicut Superiores.

9 Ad id *quod dicitur* de Angelis Cuſtodibus. *Reſpondetur*: Aliud eſſe id, quod pertinet ad ſtatum Angeli, vel Beati; aliud quod pertinet ad officium: ad ſtatum enim pertinet id, quod eſt de cuiuſcumque dignitate, aut merito, & quidquid ad ipſum dirigitur, & fit proprium eius, & ideò quidquid ad Angelos dirigitur, ſcilicet orationes à principio ſuæ beatitudinis cognoſcunt. Ad officium verò Angelorum pertinet id, quod ratione miniſterij, quod exhibent Deo in gubernatione mundi eis conuenit; hoc autem non eſt neceſſe quod à principio ſuæ beatitudinis cognoſcant, ſed ſecundùm quod recipiunt ordinationes Dei, ſic cognoſcunt miniſteria, ad quæ mittuntur, & ita non pertinet ad ipſos ſcire omnia, quæ ſpectant ad eos, quos cuſtodiunt, ſed ea ſibi reuelantur, ſecundum quod congruit miniſterio, ad quod mittuntur. Et quia aliquando conſulunt diuinam voluntatem de rebus contrariis, exiſtimando aliquid expedire contra id, quod aliud exiſtimat, ratione huius inter eos dicitur eſſe pugna ſpiritualis vt docet *S.Thom.* 1.*par.qu.*113.*art.*8.

10 Quod *verò* opponebatur ex *D.Thom.* Quod cognoſcere ſingularia non eſt de perfectione intellectus, intelligi debet de perfectione intellectûs ſpeculatiui non practici, quia practicus verſatur circa ſingularia, vt conſtat 2.2. *quæſtio.*47. *arti.*3. & alibi ſæpè. *Vel dicendum*: Quod cognoſcere ſingula non eſt de perfectione intellectus quaſi ſubſtantiali, & primaria, benè tamen accidentali, & ſecundaria, & pertinente ad proprium ſtatum, quia hæc intelligi non poſſunt niſi ſingularia intelligantur. Et ideò *D.Thom.* 3. *part. quæſt.*10. *art.*2. poſuit, quod quilibet Beatus videt in eſſentia, diuina ea, quæ pertinent ad ad ſtatum ſuum, quod nullo modo negauit *loco citato* 1.*p.* *Quod autem* vltimò opponitur Beatum poſſe ſcire diem iudicij, quod contradicit illi loco *Matth.*24. negatur iſta ſequela, quia licèt ad Beatum pertineat ſcire ea, quæ ſunt ſtatus ſui in illa die, non tamen propter hoc debet ſcire illum diem eſſe vltimum diem mundi, poſſet enim vltra eſſe alius dies, in quo nihil ad ſtatum talis Beati pertineat; & ideò ſemper manebit incertus circa diem iudicij determinatè. *Vel ſecundùm alios*, quos refert *Cabrer.*3.*par.quæſt.*10. *art.*2.*diſput.*3. *num.*121. dici poteſt, quod non eſt inconueniens aliqua, quæ pertinent ad ſtatum Beati ex rationabili cauſa diuinæ prouidentiæ illi occultari, & in hoc poſſe numerari ea, quæ concernunt ſtatui Beati quoad diem iudicij.

11 Ad *ſecundum Argumentum Reſpond.* Illum eſſe magis Beatum, qui plura in Deo videt quaſi intenſiuè & formaliter, non autem quaſi materialiter, & extenſiuè. Et dicimus ea videri formaliter, & intenſiuè, quæ videntur ex efficacia luminis quod quantò magis penetrat diuinam eſſentiam, tantò plures rationes in ea intelligit. Ea verò dicuntur videri materialiter, & quaſi extenſiuè, quæ videntur rationes alicuius conditionis, ſeu ſtatus pertinentis ſe ex parte ſubiecti videntis. Quia enim ſtatus beatificus eſt omnium bonorum aggregatione perfectus, ex vi illius debet Beatus ſcire ea, quæ ad ſe pertinent, & quæ naturaliter ſcire deſiderat circa ſe, & hoc ei reuelatur in ipſa eſſentia diuina, quaſi voluntaria reuelatione Dei, non ex efficacia luminis. Ideò enim eſſentia diuina dicitur Speculum voluntarium, quia manifeſtat ea, quæ vult; & ideò ſtat benè, quod quilibet etiã minimus Beatus videat in verbo excellentiſſimum effectum Dei, qui eſt myſterium Incarnationis, quia id pertinet ad ſtatum Redemptorum à Chriſto; & tamen ſi ex vi, & efficacia Luminis poſſet penetrare diuinam eſſentiam ita perfectè, quod perfectiſſimum effectum videret, requireret excellentiſſimam beatitudinem. Igitur ea, quæ videntur in eſſentia diuina ex voluntaria manifeſtatione Dei, quia id exigit ſtatus Beati, non facit aliquem magis beatum, & ita per hoc quod aliquis videat plures orationes, vel plura, quæ pertinent ad proprium ſtatum, non ideò eſt magis beatus, ſed extenſiuè, & quaſi materialiter, & ratione ſubiecti, non formaliter ex vi luminis. Videatur *Cabrer. loco cit. num.*91. *& ſequentibus.*

De *quarta* concluſione *D. Thom.* non eſt cur immoremur hìc, ſed breuiter dicimus, Quod licèt aliqui Authores admittant poſſe nos orationes fundere ad animas Purgatorij, quia id videtur paſſim fieri à fidelibus, & quia poſſunt orationes noſtras per Angelos cognoſcere, & Deum pro nobis implorare, quia petitio non fundatur in dignitate petentis, ſed in miſericordia Dei, qua ratione poſſum petere à peccatore vt oret pro me: Tamen ſtat ſolidum fundamentum *D.Thom.* Quod quia illæ animæ non fruuntur viſione Dei, non conuenit eis per ſe, & ratione ſtatus cognoſcere orationes noſtras. Et quod Angeli illis eas manifeſtent nullo modo conſtat, quia non permittitur illis animabus, vt cognoſcant ex reuelatione Angelorum, niſi ea, quæ diuina iuſtitia iuxta menſuram pœnæ illis concedit. Vndè per ſe loquendo ratione illius ſtatus, qui eſt ſtatus pœnalis, non conuenit illis omnes rationes cognoſcere, nec ſemper familiariter conuerſari cum Angelis, orationes autem mentales neque ex narratione Angelorum cognoſcere poſſunt, ſed ex ſola reuelatione Dei, quam non conſtat ſemper fieri illis, niſi id aliquando exigat diuina iuſtitia. Peccatores autem viui poſſunt audire à nobis orationes, quas petimus. Denique vſus fidelium ad hoc dumtaxat probare poteſt, non vt animæ Purgatorij pro illo ſtatu accepteut orationes noſtras, ſed pro illo, quem habebunt poſt purgationem, tunc enim veriſimile eſt (vt ait *Suarez*) manifeſtari eis in Verbo orationes, quæ ad ipſos fuſæ ſunt; quia pertinuerunt ad eas, aut etiam modo Deus intuitu illarum nos iuuat. Eadem doctrina extenditur ad Patres, qui fuerunt in limbo per ſe loquendo, & ratione ſtatus, licèt ex aliqua diſpenſatione Dei aliquando orationes, vel neceſſitates viuentium eis manifeſtarentur, vt orarent pro illis, ſicut de Hieremia habetur 2. *Machab. vltimò.* 12

ARTICVLVS V.

Quænam Res ſint, quas poſſumus in Oratione petere?

EXplicatis his, quæ pertinent quaſi ad formalem, & conſtitutiuam rationem Orationis, ſcilicet, quod Oratio ſit actus pertinens ad intellectum, & in ſpecie, ſeu motiuo Religionis, & quod reſpiciat Deum per modum cultus, incipit 1

S.Thom.

S.Thom. explicare materiam, ſeu res, quas poſſumus petere à Deo, & quia per orationem exprimimus, & manifeſtamus deſiderium noſtrum, eadem eſt materia deſiderata, & petita, & idem iudicium ferendum eſt de eo, quod licitè deſideratur, & quod licitè petitur. Deſiderium autem, ſeu concupiſcentia reſpicit duo, ſcilicet bonum, cui appetit, & bonum, quod appetit, concupiſco enim bonum mihi, vel alteri, & ideò diſtinguenda eſt res deſiderata, & Perſona, cui deſideratur; ac proinde in petitione, in qua exprimimus hoc deſiderium, & eſt materia, ſeu res, quam petimus, & perſona, pro quâ petimus. Vtrúmque ergo diſtinxit *S.Thom.* nam in his *duobus art.* inquiſiuit de rebus ipſis, quas petimus, vel licitè petere poſſumus: in *duobus verò ſequentibus* inquiſiuit de Perſonis, pro quibus poſſumus, aut debemus petere; & denique *in artic. 9.* vtrumque explicauit, vt coniunctum in oratione Dominica.

2 Circa *materiam*, quam poſſumus petere, in primis reiiciendum eſt Malum culpæ, quod nulla conſideratione habet rationem boni deſiderabilis, ac proinde nec poteſt peti à Deo, & ideò de ipſis bonis, quomodo deſiderari poſſint, & peti, videndum eſt. Et pro clariori notitia diſtinguimus triplicem ordinem bonorum: Quædam ſunt ſpiritualia, quæ pertinent ad ordinem gratiæ, & ad virtutes: Quædam verò ſunt temporalia ordinata tamen ad proprium, vel aliorum commodum, ſicut *Diuitiæ, Honores, Valetudo, &c.* Alia denique ſunt, quæ ſecum afferunt aliquod nocumentum, ſeu pœnam ſine pro ſe, ſiue pro aliis, & vocantur mala pœnæ, vt *Ægritudo, Infortunia, &c.* Et quia bonum conſurgit ex integra cauſa, & quod ex vna parte eſt bonum, ſi apponatur aliqua mala circumſtantia, aut conditio redditur malum, tota difficultas in iſtis bonis, ſeu in petenda materia conſiſtit vt videamus, cum quibus conditionibus licitè, & ſine peccato deſiderentur, & petantur, & cum quibus non, quia ſemper regula illa ſaluanda eſt, quod eo ipſo, quod aliquid redditur illicitum, non poſſumus illud petere, ſicut nec deſiderare.

3 Circa *Primum* igitur genus bonorum, ſcilicet bona ſpiritualia, vnum eſt certum, & aliud dubium. *Certum eſt*, Quod bona ſpiritualia conſiderata ſecundùm ſe, & quaſi in generali, & quantum ad ſubſtantiam, vt ſic dicam, ſine vlla conditione peti poſſunt, & debent à Deo. Hoc determinat *S.Thom. in artic. 5.* Et conſtat ex multis orationibus, quibus in Sacra Scriptura petuntur iſta bona; & hæc eadem expreſſiùs Dominus docuit in Oratione Dominica nos petere; ibi enim continentur omnia petibilia. Vndè dicit *D. Auguſt. ſerm. 182. de temp.* Hæc oratio compendioſis Verbis ſeptem petitionibus omnes ſpecies orationis comprehendit; in illa autem oratione bona ſpiritualia petuntur abſque vlla conditione. *Dubium verò eſt*, Quando in particulari contrariatur voluntati diuinæ donatio, ſeu largitio alicuius boni ſpiritualis, aut quando in nobis poteſt eſſe occaſio alicuius mali, v. g. ſuperbiæ, ingratitudinis, aut maioris condemnationis; *Vtrùm* poſſint tunc iſta bona peti à Deo abſolutè, an verò cum aliqua conditione, aut limitatione?

4 Et *Vt hoc* magis in particulari manifeſtetur, poteſt eſſe dubium, An poſſimus petere determinatè, & in particulari aliquem eximium gratiæ, aut gloriæ gradum? v.g. talem gratiam, qualem habuit D. Paulus, vel alij Apoſtoli? Et ſimiliter. An poſſimus petere ſemper auxilium efficax ad omnes actus bonos, cùm conſtet Deum ſæpe habere decretum abſolutum non dandi tale auxilium in particulari. An verò poſſimus aliquando petere ſuſpenſionem auxilij efficacis? Similiter auxilium ſufficiens non eſt neceſſe quod petatur, quia Deus paratus eſt omnibus illud dare, & nemini negat; ſuperflue ergo petitur. De his omnibus longam texit diſputationem *Suar. libro 1. capite 20. & 21. de oration.* Sed non eſt, quod in his multum moremur, quia fere iſta pendent ex illa difficultate, quæ tractatur *1. 2. quæſt. 19. artic. 10.* An homo in omnibus teneatur conformare voluntatem ſuam diuinæ voluntati.

Ad *id ergo*, quod primò dicitur, poſſe hæc bona ſpiritualia aliquando eſſe occaſionem mali in nobis, *Reſpond.* ex doctrina *S.Thom. infr q. 88. artic. 4. ad 2.* (quæ eſt valde obſeruanda pro caſibus moralibus) Quod periculum mali, ſeu peccati aliquando naſcitur ex ipſo opere; quod facimus, aliquando ex hominis deficiētia, & non ex ipſo opere. Et quidem quando naſcitur ex ipſo opere, quia opus periculoſum eſt, tunc non expedit illud facere, quia eſt occaſio mali quaſi proxima, ſicut tranſire per pontem ruinoſum ex ipſo facto inuoluit periculum cadendi, & cohabitatio, vel frequens familiaritas cum muliere eſt opus periculoſum, & in vniuerſum quotieſcumque ex ipſo opere naſcitur periculum peccandi, cenſenda eſt occaſio proxima peccati. Quando autem naſcitur periculum ex deficientia hominis præciſè, & non ex ipſa ratione operis, tunc non eſt propterea dimittendum, nec cenſenda eſt occaſio proxima, ſed remota, ſicut equitate non eſt periculoſum, quamuis immineat periculum cadendi de equo, aliàs ab omnibus bonis deberet homo ceſſare, vt ab audiendo confeſſionibus, & ab operibus ſtudioſis, quia per accidens poſſunt eſſe periculoſa. Vndè dicitur Eccleſiaſ. 11. *Qui obſeruat ventum non ſeminat, & qui conſiderat nubes, nunquam metet.* Bona ergo ſpiritualia licet poſſent eſſe per accidens occaſio ruinæ ex deficientia hominis abutentis illis, non tamen id habent ex ſe, ſed potiùs oppoſitum: & ideò ſemper deſiderari, & peti debent. 5

Ad *Secundum*. An poſſimus petere determinatè eximium gradum gloriæ. Reſpond. Quod hoc poteſt peti dupliciter. Vno modo quantum ad tendentiam ad perfectiſſimum, & eximium gradum gloriæ, & cum tendamus ad illum per actus charitatis, & virtutum, hæc perfectio, ſeu tendentia, quantumcumque eximia, ſine vllo termino poſtulanda eſt, vnde & dicit Apoſt. ad Philip. 1. *Oro vt charitas veſtra magis, ac magis abundet*, & Apocal. 22. *Qui iuſtus eſt iuſtificetur adhuc, & Sanctus ſanctificetur adhuc.* Alio modo poteſt deſiderari eximius gradus gloriæ, non ex parte tendentiæ ad maiorem gloriam, ſed ex parte ipſius ſtatus, ſeu excellentiæ, ad quam aliqui à Deo præ aliis prædeſtinati ſunt, & hoc modo eſſet temerarium petere à Deo excellentiam extraordinariam in genere gratiæ, aut gloriæ, qualem habuit v.g.B. Virgo, aut Apoſtoli. Quin potiùs (ſicut Dominus docuit *Matt. 20.*) diſcipulis petentibus, vt vnus ſederet à dextris, & alius à ſiniſtris, reſpondit. *Neſcitis quid petatis,* 6

ſic

ſic qui peteret à Deo abſolutè gloriam B. Virginis, aut S. Petri, neſciret quid peteret, & eſſet temeratius præſumptor, quamuis ſub conditione deſiderare illam gloriam, ſi eſſet poſſibile, nulla temeritas eſſet, & idem dicendum eſſet, ſi aliquis peteret à Deo aliquod extraordinarium genus gratiæ, v.g. fieri ſibi reuelationes, aut patrare miracula, quando non conducunt ad bonum publicum fidei, aut Eccleſiæ.

7 Ad *tertium Reſpondetur*, Quod, poſſumus ſemper, & debemus petere à Deo auxilium efficax in ordine ad omnes actus virtutum, & nunquam ſuſpenſionem eius, qui enim peteret ſuſpenſionem eius ad aliquem actum bonum, peteret determinatè aliquid diminuens propriam perfectionem, & conſequenter contra propriam ſalutem. Et licèt Deus aliquando nolit dare auxilium efficax, tamen ſemper vult quod illud petamus, quia petitiones noſtræ menſurandæ ſunt enim voluntate Dei antecedente, ſeu voluntate ſigni, id eſt, per quam nobis ſignificauit, quid debemus velle facere, & deſiderare, non autem cum illa voluntate ex qua efficaciter ſequitur, quid de facto faciemus, aut deſiderabimus; non enim quod de facto fit, ſed quod debet fieri, eſt menſura noſtrorum actuum. Et ita Chriſtus Dominus inſtituit in oratione Dominica, vt ſemper peteremus liberationem à malo, & aduentum Regni eius, quamuis ſæpè efficaciter diſcernat Deus, neque dare Regnum, neque liberare à malo. Et ideo D. *Thom. in artic. 5. ad 2.* dicit, Quod cum orando petimus aliqua, quæ ad noſtram pertinent ſalutem, conſormamus voluntatem noſtram voluntati Dei, de qua dicitur 1. ad Timoth. 2. *Quod vult omnes homines ſaluos fieri*, quam conſtat eſſe voluntatem antecedentem, & non decretum efficax. *Et huius ratio eſt*. Quia aliud eſt non conformari voluntati diuinæ efficaci, etiam qua permittit nos cadere in peccatum, ſecundùm quod, talis voluntas procedit à Deo, aliud petere, & deſiderare ab ipſo, vt talem voluntatem denegandi auxilium habeat erga nos, hoc enim petere non poſſumus niſi deſiderando obiectum talis voluntatis. Conformari verò poſſumus voluntati diuinæ, ſecundùm quod ab eo procedit, etiam ſi eius obiectum non deſideremus; & ideò non regulatur voluntas noſtra ſemper cum eo, quod efficaciter Deus decernit, non quod iſta voluntas in Deo mala ſit, ſed quod nos illius obiectum velle non poſſumus, niſi ipſum peccatum velimus, quod Deus permittit per tale decretum: cum voluntate autem efficaci Dei ad bonum ſemper nos debemus conſormare. De auxilio autem ſufficienti conſtat ſemper poſſe peti, quia & ſi Deus ſit paratus ex ſe dare illud, ſæpè tamen determinat dare mediante oratione, quamuis illud auxilium, quod antecedit orationem, & datur vt oremus, ſub oratione non cadat.

8 Circa *ſecundum genus bonorum*, ſcilicet Temporalium, notandum eſt breuiter, Quod hæc, & quæcumque alia, quæ ex ſe ſunt indifferentia ex adiunctis circunſtantiis, & conditionibus in indiuiduo poſſunt tripliciter modificari. Quædam enim redduntur abſolutè mala, quædam abſolutè bona, quædam periculoſa. Abſolutè mala redduntur, ſi quis in eis, v. g. in Diuitiis conſtituat vltimum finem, aut propter malum finem illa velit; & tunc certum eſt, quod nullo modo licitè deſiderantur, aut petuntur: abſolute verò redduntur bona, quando conſiderantur vt adminicula beatitudinis, ſic enim licèt illa deſiderare, vt ait *D. Thom. 6. artic.* Quia verò hoc ex ſua præciſa natura non habent, ſed potiùs indifferentiam, vt abſolute, & ſine conditione poſſint peti, conſiderandum eſt ad quem effectum per ſe cõſiderantur, ſi enim ſolum importent ſuſtentationem, & conſeruationem naturæ iuxta diuerſos ſtatus hominum, ſic nullam habent indifferentiam, ſed bonitatem, & ſic abſolutè poſſunt peti ſine aliqua conditione, ſic enim petimus quotidie in oratione Dominica abſolute, *Panem noſtrum quotidianum*, &c. Et Prouerb. 30. *Tribue tantùm victui meo neceſſaria*, & hoc pacto Eccleſia orat pro Temporalibus.

Si verò conſiderentur bona Temporalia, ſecundùm quod ſubſunt moderationi noſtræ, & poſſumus ea benè, vel malè expendere vltra conſeruationem, & ſuſtentationem naturæ, tunc non licèt abſolutè ea petere, etiam in mediocri quantitate, ſed ſub conditione aliqua formaliter, aut virtualiter, qua ordinentur ad beatitudinem. *Et ratio eſt*, Quia licèt bona temporalia mediocria non multum periculum habeant contra ſalutem, adhuc tamen ex ſe ſunt indifferentia ad bonum, & malum vſum: ergo quandiu manent ſub iſta indifferentia, & non trahuntur ad bonum finem, non licet abſolutè illa petere in indiuiduo, quia nec deſiderare poſſumus ea, quæ ſunt indifferentia niſi ſub ordine ad bonum finem, aliàs daretur actus indifferens in exercitio, & ſecundùm quod exit à voluntate modo humano, quod eſt impoſſibile. Sicut ergo non poſſumus deſiderare illa quamdiu ſunt indifferentia, ſic neque petere, ſed ſolùm vt trahuntur ad aliquam conditionem boni finis, quod eſt non petere illa abſolutè, vt temporalia ſunt, ſed vt honeſto fini ſubſunt. 9

Sunt autem bona iſta temporalia periculoſa, quando ſunt nimia, vel ſuperflua reſpectu naturæ, vel ſtatus, quem decenter homo conſeruare debet, & ſic deſiderari non poſſunt abſolutè, nec peti, quia ſunt occaſio proxima multorum malorũ, & nimij affectus ad res temporales, iuxta illud 1. ad Timot. 6. *Qui volunt diuites fieri incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & in deſideria multa & nociua, & inutilia.* Et in hoc diſtinguitur ſuperfluitas horum bonorũ ab excellentia bonorum ſpiritualium, quia bona ſpiritualia, quantumvis grandia, non ſunt ex ſe cauſa ruinæ, ſed potiùs cauſa ſalutis, & ſolùm per accidens ex hominum abuſu poſſunt eſſe occaſio mali, ſuperflua autem temporalia ex obiecto ſuo ſunt tractiua ad malum; vnde niſi ad talem finem, vel ſub tali conditione ordinentur, quod reſpectu illius non maneant ſuperflua, ſed vtilia, peccatum erit illa deſiderare, aut petere, ſaltèm propter periculum, cui homo ſe exponit, pertinebitque illud peccatum, vel ad auaritiam, ſi ſuperfluæ diuitiæ petantur, vel ad intemperantiam, ſi ſuperfluæ voluntates, vel ad ambitionem, ſi ſuperflui honores, eritque mortale peccatum, ſi in illis deſiderandis, aut petendis ponatur finis vltimus, aut deſiderentur cùm tranſgreſſione, vel periculo proximo tranſgreſſionis alicuius præcepti, aliàs erit veniale ex genere ſuo; ex fine autem operantis reducetur ad illam ſpeciem peccati, ad quam pertinuerit talis finis. 10

Solùm *poteſt eſſe Dubitatio*, Quia per Orationem ſemper debemus petere à Deo aliquid gratuitum, ſeu gratuitè concedendum. Vnde *D. Auguſt.* & alij Patres contra Pelagium aiunt nos indigere gratia Dei ad bona opera, quia petimus illa à Deo; ſed bona temporalia non dantur ex gratia

gratia, ſed ex generali concurſu Dei per caoſas naturales: non ergo poſſuut cadere ſub oratione: ſicut ſi aliquis peteret à Deo, vt eras oriretur Sol.

12 Reſpondetur; Bona temporalia ſæpè poſſe peti vt gratuita, & non vt ex infallibili, aut ſolo generali concurſu danda. *Primò*, quando aliquid temporale petitur, quod non niſi miraculose dari poteſt, v. g. ſalus pro infirmo deſperato, aut vita pro mortuo, &c. quia operari miracula eſt ſupra totum ordinem naturæ. *Secundo*, quando petuntur iſta bona cùm ſubordinatione ſormali, vel virtuali ad finem ſupernaturalem; qoia licèt talia bona temporalia fiant à Deo mediantibus cauſis naturalibus, quantùm ad eorum ſubſtantiam, tamen quantùm ad illum modum, & ordinationem ad finem ſupernaturalem ſecundùm auxilium ordinis ſupernaturalis præſtari debent, & ſic petuntur ordinariè ab Eccleſia. *Tertio*, quando petuntur iſta bona, vt pendent ex ſpeciali prouidentia Dei, etiam intra ordinem naturæ, & non ex ſolo concurſu generali. Sunt enim res aliquæ, quæ ita infallibiliter eueniunt, quod non requiritur ad ea niſi generalis prouidentia, ſicut quod eras Sol oriatur, ita quod non poteſt oppoſitum huius contingere ſine miraculo; & iſta nullo modo peti poſſunt. Alia ſunt, quæ intra naturalem ordinem non habent infallibilem euentum, ſed poſſunt à diuerſis cauſis impediri, & ſine miraculo poteſt alterum illorum contingere; & circa hæc poteſt peti à Deo ſpecialis protectio, aut cura, etiam citra miraculum, quia vt ſit miraculum, debet excedere ordinem omnium cauſarum naturalium; vt autem ex ſpeciali cura Dei, vt author eſt naturæ, proueniat, ſufficit, quod Deus ita ſpecialiter cauſas diſponat, vt licèt oppoſitum deberet, aut poſſet contingere, propter orationes tamen ita ſpecialiter dirigantur cauſæ, vt non contingant. Et hoc gratuitum eſt, & Indebitum intra ordioem naturæ, quia poſſet oppoſitum contingere, & conſequenter poſtulari poteſt, vt non contingat. Optimè ergo Patres intulerunt contra Pelagium, quod ſi pro aliqua re oramus Deum, illa debet eſſe gratuita, vel in ordine ſopernaturali, vel naturali.

13 Circa *tertium* genus temporaliom, ſcilicet de malis pœnæ, breuiter Reſpondetur, Quod mala pœnæ, vel poſſumus petere pro aliis, vel pro nobis, pro aliis quando, & quomodo liceat dicemus circa 8. *artic.* Pro nobis verò licèt ea aliquando deſiderare, & petere, quando ſcilicet deſeruire poteſt alicui fini honeſto, aliàs non. v. g. licèt deſiderare egeſtatem, perſecutiones, dolores, &c. vt illis mereamur, vel vt illis auferatur à nobis occaſio peccandi. Et eadem ratione poteſt quis deſiderare mortem, aut ægritudinem, ſicut *D. Paul.* deſiderabat diſſolui, & eſſe cùm Chriſto, & *Iob* deſiderabat ſibi mortem, aut mala. Et denique quia poteſt quis petere, vt purgentur hic peccata ſua per labores, & opera pœnalia. Nunqnam tamen licet nobis inferre mortem, aut ægritudinem, aut mutilationem propter quemcumque finem, aliod enim eſt deſiderare iſta mala nobis propter aliquem finem virtutis, aliud non ſolùm ea deſiderare, ſed etiam procurare, & velle nobis ipſis ea inferre: hoc ſecundùm non licet, primùm verò licere poteſt, quia nos non ſumus Domini corporis, aut vitæ noſtræ, & ita non poſſumus pro libito agere contra nos; ſuſtinere verò mala, ſi nobis accidant, pertinet ad perfectionem, & ad patientiam, & ſub hac ratione peti poſſunt. Si tamen quis infirmum ſe ſentiat ad ſuſtinendum, non expedit ea petere, ſed ſolùm fortitudinem, & patientiam contra ſuas infirmitates.

Articvlvs VI.

Pro quibus Perſonis poſſimus licitè Orare?

1 EXpedito eo, qood pertinet ad materiam, quam poſſumus deſiderare, & petere à Deo licite, reſtat explicare, pro quibus Perſonis poſſimus petere, & deſiderare aliqua bona, & quia littera *D. Th.* clara eſt, ſolùm breuiter diſtinguemus ſtatus perſonarum, pro quibus licet, vel non licet orare. Supponendum eſt autem, quod totom fundamentum, vnde ſumitur, quæ materia licite peti poſſit in oratione, eſt quod idem licet petere, quod licet deſiderare, quia petitio eſt expreſſio deſiderij, quod formaliter ſemper intelligendnm eſt, ſcilicet ſub ea ratione, & modo, quo licet deſiderare; deſiderium autem naſcitur ex amore, & ideò id qood poſſumus, aot debemus diligere, poſſumus, aut debemus petere. Sicot autem diligimus res ita & perſonas, ergo eo modo quo diligere poſſumus, aut debemus perſonam, poſſumus, aut debemus deſiderare, vel petere pro illa, ſi talis perſona ſit indigens ea re, quam petimus pro illa, & in ſtatu ſit illam accipiendi.

2 Vt *ergo* breuiter illa explicemus, diſtingoendus eſt duplex ſtatus hominum. Primus eorum, qui ſunt extra viam. Secundus eorum, qui adhuc viuunt in hoc mundo. Et in primo ſtatu ſunt tres ordines, ſcilicet Beati, Damnati, & in Purgatorio exiſtentes. In ſecundo ſtatu ſunt etiam tres ordines, de quibus poteſt eſſe aliqua dubitatio, ſcilicet peccatores, præſertim publici, & obſtinati, reprobi, & inimici.

3 De *Beatis dico Primo*: Pro Illis non eſt orandum, ſumendo Orationem pro medio ad obtinendum aliquid illis, benè tamen vt ex oratione conſequatur aliqua gloria, vel gaodium accidentale Sanctis, ſicut ex aliis operibus bonis, qnæ facimus. Hæc concluſio elicitur ex *Cap. cùm Marthæ, de celebrat. Miſſar.* §. *Tertio loco*, vbi inquit Innocentius Tertius: *Cùm Sacra Scripturæ dicat authoritas, quod iniuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre, idem eſt ratione conſimili de Sanctis alijs ſentiendum, quia orationibus noſtris non indigent, pro eo quod cum ſint perfectè beati, omnia eis ad votum ſuccedunt, ſed nos potiùs eorum orationibus indigemus, vnde quod in pleriſque orationibus continetur, proſit, vel proficiat huic Sancto, vel illi, talis oblatio ad gloriam, & honorem ita debet intelligi vt ad hoc proſit, quod magis, ac magis glorificetur à fidelibus, licèt plerique reputent non indignum Sanctorum gloriam vſque ad iudicium augmentari, & ideò Eccleſia interim reputet ſanè poſſe augmentum glorificationis eorum optari.* Ita Pontifex. Vbi hanc ſecundam opinionem, licet expreſsè non refutet, non tamen ſequitur illam.

4 Et certè id conuincere videtur ratio Pontificis; Quia ad ſtatum beatificum pertinet, vt omnia eis pro voto ſuccedant: ergo contra ſtatum illum eſt vt aliqoid eis ſuccedat dependenter à noſtris

oratio

orationibus & nobis id procurantibus, & obtinentibus pro Sanctis: eſſet enim quædam imperfectio, & indigentia talis ſtatus; quia tamen de orationibus noſtris ipſi gaudent, & de his, quæ nobis bene accidunt, poſſunt orationes noſtræ ſeruire Sanctis, non vt medium ad gaudium obtinendum, ſed vt materia, & occaſio vnde gaudeant. Vnde miror *M. Terre artic.* 8. *diſp.* 4. ita ſuimet oblitum, vt cùm diceret, quod gloria accidentalis, quæ connexionem habet cùm eſſentiali, debita eſt Beatis ratione ſuorum meritorum, & conſequenter non danda per preces aliorum, in fine Diſputationis dicit non eſſe improbabile nos poſſe à Deo poſtolare pro Beatis conſummationem ſuæ gloriæ per corporum reſurrectionem, & accelerationem eiuſdem reſurrectionis. Quomodo hæc duo cohærent? Cùm conſummatio gloriæ & reſurrectio maximè connexa ſit cum gloria eſſentiali, & debita ratione ſuorum meritorum. *Nec refert*, quod arguit *Suar. lib.* 1. *de orat. cap.* 14. Quòd poſſumus gratias agere Deò pro gloria Sanctorum, & deſiderare eam, quam modo non habent: ergo & petere: *Hoc inquam, non refert*, Quia etiam poſſumus orare. Aliud eſt enim per orationem aliquid obtinere, aliud de habita, vel obtenta gratias agere, & ſimiliter deſiderare poſſumus ipſis gloriã, ſicut & ipſi ſibi deſiderant, non tamen vt indigentibus ad id obtinendum noſtris orationibus, & licèt Sancti pro ſe orent, vel pro aliis, non tamen decet illum ſtatum, vt nos aliquid obtineamus pro ipſis.

5 De *Damnatis*, *Dico ſecundò*. Non debemus orare pro ipſis ad aliquod bonum obtinendum. Eſt communis omnium Theologorum. *Et ratio eſt.* Tum quia cum damnatis non habemus charitatem, vt oſtendit S. *Thom.* 2. 2. *Quæſtio.* 25. *articul.* 11. Et conſequenter non poſſumus deſiderare eis aliquod bonum, quod per orationes peti poſſit. *Tum* Quia pœna eorum eſt æterna, neque in aliquo admittit miſericordiam, vt diminui poſſit, quia in Inferno nulla eſt redemptio: eſſet autem nonnulla redemptio, ſi aliqua poſſet eſſe in tormentis remiſſio Itaque nullum genus pœnæ in damnatis eſt temporale, niſi ſit aliqua viciſſitudo pœnarum, iuxta illud Iob: *Ad nimium calorem tranſeat ab aquis niuium.* Quem locum exponit *Hieron. ſup. cap.* 24. *Iob.* his verbis: *Fortè in ipſa gehenna talis ſenſuum cruciatus fiet illis, qui in ea torquebuntur, vt nunc quaſi ignem ardentem ſentiant, nunc minus ardoris incendium, & pœnalis commutatio, nunc frigus ſentientibus nunc calor ſit, vt quaſi de loco ad locum tranſitum exiſtiment.* Et D. Thom. ſupra illum locum Iob intelligit illa duo, ſcilicet niuem, & calorem de pœnis Inferni: *Quia nulla* (inquit) *ibi erit temperies, ſed à ſummo frigore tranſitur ad ſummum calorem, & conſequenter vna pœna non remittet alteram.* Et ita licèt ſit commutatio in pœnis, nulla tamen eſt releuatio, & ita orationes noſtræ non poſſunt eos iuuare.

6 Statim verò occurrebant plura facta Sanctorum, qui videntur impetraſſe damnatis, aut liberationem, aut pœnæ remiſſionem. Extat celebre factum *D. Gregorij*, qui vt refert *S. Ioann. Damaſcen. in ſermones de Mortuis adiuuandis* liberauit animam *Traiani* in inferno damnatam. Pro cuius Hiſtoriæ veritate videri poteſt *Apologia Ziapoli*, & *Durant. libr.* 4. *Reuelat. S. Brigit. caput* 12. Refert etiam idem *Damaſcen.* ibi; Caluariam quandam Sacerdotis Gentilis in Inferno damnati dixiſſe Sancto Machario, tam ſe, quàm alios damnatos iuuari eius orationibus. Item *Prudentius Carmin. de nouo lumine Paſchali*, expreſſis verbis dicit, in die Paſchæ ceſſare pœnas damnatorum. Et *D. Auguſt. in Enchirid. c.* 112. diſputans contra eos, qui putabant finiri pœnas Inferni, inquit, Quod etſi exiſtiment, quod certis temporum interuallis eorum pœnæ mitigentur, tamen etiam intelligi poteſt manere in illis ira Dei, hoc eſt, ipſa damnatio.

Cæterùm *S. Th. in* 4. *diſt.* 45. *Q.* 2. *art.* 2. dicit 7
eſſe præſumptuoſam, & Sanctorum dictis contrariam, & nulla authoritate fultam, & irrationalem opinionem eorum, qui dicunt poſſe animas, vel pœnas damnatorum releuari, aut minui; quia recepta vltima, & finali retributione, non reſtat alia mutatio facienda in pœnis, manente enim culpa non poteſt ordinari à diuina iuſtitia, niſi per pœnam. Vnde cum culpa æterna ſit, & nullo modo minuatur poſt hanc vitam in damnatis, impoſſibile eſt minui pœnam, niſi mutetur ordo diuinæ iuſtitiæ, relinquendo aliquid inordinatum.

Vnde *illud* factum D. *Gregorij* ſi verum fuit 8
(Multi enim id meritò in dubium reuocant, proptereà quod *Traianus* tanquam impuriſſimus notatur etiam ab Authoribus Gentilibus) vel ad miraculum; & extraordinariam diſpenſationem Dei referendum eſt ſuſpendentis pœnas *Traiani* vſque ad diem iudicij: vel dicendum non fuiſſe ſimpliciter damnatum, ſed longo tempore detentum, & precibus D. *Gregorij* reſuſcitatum, vt in hac vita conſequeretur remiſſionem peccatorum. Sic S. *Th. ibi ad* 5. Similiter de illo Sacerdote Gentili reſpondet S. D. *ibi ad* 4. Quod gaudium, ſeu iuuamen illud damnatorũ non erat verũ, ſed phantaſticum, ſcilicet vt mutuò ſe viderẽt, ſicut dæmones dicuntur gaudere de hoc quod homines tentando vincunt quorum tamen pœna nullatenùs diminuitur. Dictum autem Prudentij accipiendum eſt per hyperbolem more poëtico, vel intelligendum de his, qui ſunt in purgatorio, qui multoties à Sanctis Patribus nomine *Damnatorum* ſolent intelligi, vt S. *Thom.* aduertit *loco citat. ad* 2. *Ad Auguſt.* dicitur ipſum non admittere mitigationem pœnarum in damnatis, ſed dicere, quod dato hoc quod aliqualiter mitigarentur certis interuallis temporum, adhuc concedi deberet, quod ipſa damnatio manet in illis & non finitur? quæ doctrina veriſſima eſt, neque illa conditionalis aliquid ponit in eſſe.

De *his* qui ſunt in Purgatorio, Dico tertiò. 9
Licitè, & ſanctè pro eis poteſt orari. Concluſio hæc non indiget alia probatione quàm quotidianus vſus vniuerſalis Eccleſiæ, & ſuppoſita doctrina Catholica, quæ Purgatorium admittit, vt patet ex *Conc. Trid. ſeſſ.* 25. *in princ.* ſequitur euidenter rogandum eſſe pro his, qui ibi detinentur. Vnde dicitur 2. Machab. *Sancta & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare*, &c. Quam authoritatem ita horrent Hæretici, vt propter illam negent, illum Librum eſſe Canonicum: ſed hoc eſt deſtruere ipſam regulam Fidei, & ideò non oportet immorari. Etſi quando Patres dicunt, poſt hanc vitam nullum poſſe pro alio orare, intelligendum eſt quantum ad remiſſionem peccati mortalis.

De *Peccatoribus* Viatoribus dico Quartò. Pro 10

quocumque viatore, quantumlibet ſit obſtinatus, & grauiſſimus peccator orare poſſumus. Pro excommunicatis tamen orare non poſſumus oratione publica, bene tamen priuata. Prima pars conſtat ex ipſo vſu Eccleſiæ, quæ etiam pro paganis, hæreticis, & Iudæis orat in die Paraſceues; & ex alio etiam principio Fidei, quod nullum eſt peccatum, quamuis graue, quod remitti non poſſit in hac vita: ergo etiam poſſumus apponere media, vt alicui dimittatur: vnum autem ex præcipuis medijs eſt oratio, ſiquidem remiſſio peccati à Deo expectanda eſt, & conſequenter ab eo petenda; & ideò ſine aliquo limite mõnet Paulus orationem fieri pro omnibus hominibus 1. *ad Timoth.* 2. & Iacob. 5. *Orate pro inuicem, vt ſaluemini.*

11 Solùm *obſtat* huic reſolutioni id quod dicitur Lucæ 12. *Qui peccauerit in Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſæculo, neque in futuro.* Et 1. Ioan. 5. *Eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico vt roget quis.* Sed relictis pluribus expoſitionibus, quæ videri poſſunt in *M. Torr. hic artic.* 8. *diſput.* 1. Nos ex doctrina S. *Thom.* 2. 2. *Quæſt.* 14. *artic.* 3. ad quam omnes expoſitiones reducuntur, Reſpondemus per *peccatum ad mortem*, aut *peccatum irremiſſibile*, ſolùm duo poſſe intelligi, aut id, quod ſimpliciter, & abſolutè eſt irremiſſibile, & hoc ſolùm eſt peccatum finalis impœnitentiæ, quod nomine peccati irremiſſibilis intelligit *D. Auguſtin. ſerm.* 11. *de verbis Domini*, quia ſolùm hoc peccatum propter coniunctionem cùm ipſa damnatione non eſt remiſſibile, & conſequenter nemo pro illo poteſt orare. *Neque obſtat* replica *M. Torre*, Quia peccata cum quibus aliquis decedit vix à nobis cognoſcuntur. Scriptura autem loquitur de peccato ad mortem, quod poſſumus cognoſcere, vt pro illo non oremus; ſed tamen conſtat hæc peccata poſſe aliquando cognoſci; præſertim quando ſunt publica. Vnde in *Concil. Braccarenſi*, & refertur in *cap. Placuit* 23. *quæſt.* 5. prohibetur fieri oblatio, & oratio pro his, qui ſe occidunt, & qui pro ſuis ſceleribus moriuntur impœnitentes.

12 Vel *poteſt intelligi* per peccatum ad mortem, & in Spiritum Sanctum, non quidem peccatum abſolutè irremiſſibile, ſed difficillimum ad remittendum, quia ex natura, & ſpecie ſua importat impedimentum, & reſiſtentiam motioni Spiritus Sancti. Et ideò dicitur peccatum in Spiritum Sanctum, quia ponit obſtaculum illis medijs, & vijs, quibus nos mouet Spiritus Sanctus. Sicut peccatum præſumptionis, deſperationis, blaſphemiæ, &c. quæ *D. Thom. citat. loco artic.* 2. numerat; & tunc dicitur irremiſſibile, non abſolutè, ſed propter difficultatem, & ſicut indiget extraordinaria motione Spiritus Sancti vincente illam reſiſtentiam, ita pro illo non poteſt rogare quis, quia ad impetrandum hunc effectum, non quælibet oratio ſufficit, ſed quæ à ſanctioribus viris fiat. Videatur de hac diſputatione *Ambr. lib.* 4. *de Pœnis. cap.* 8. *&* 9.

13 Secunda *pars Concluſionis probatur*, Quia excommunicatio maior priuat communicatione in ſuffragijs ſpiritualibus, vt conſtat ex vſu Eccleſiæ, & ex ipſo Iure *in cap. A nobis, & cap. Sacris, de ſentent. excomm.* & in multis alijs textibus, qui habentur *quæſt.* 3. & conſequenter prohibetur illa oratio, quæ talia ſuffragia applicat excommunicato vt membro Eccleſiæ: in hoc enim differt communio Sanctorum à communione Eccleſiaſtica, quod communio Sanctorum fundatur in charitate ſemper, nec pendet ex intentione applicantis, ſed pertinet ad naturam, & conſortium charitatis, & ad illam ſequitur; communio verò Eccleſiaſtica fundatur in applicatione Eccleſiæ applicantis merita ſua de congruo, vt ſatisfactiones, vel ſacrificia pro membris ſuis. Et ideò excommunicatio non priuat communione Sanctorum, ſed communione Eccleſiaſtica, vt ait *D. Thom. in* 4. *diſt.* 18. *Q.* 2. *art.* 1. *Quæſtiunc.* 1. *ad* 2. Ex quo fit, quod ſolùm prohibetur illa oratio, quæ applicat talia ſuffragia, & hæc dicitur *Oratio publica*, hoc eſt, quam facit aliquis vt Miniſter publicus Eccleſiæ, per hanc enim ſolùm applicantur ſuffragia Eccleſiæ. Oratio autem priuata, id eſt, quæ procedit ab illo non vt à Miniſtro non eſt prohibita ab Eccleſia. Et ideò licet hoc modo orare pro excommunicato. Quare in Miſſa ſi quis non vt Miniſter, ſed intentione priuata oret Deum pro excommunicato etiam non tolerato, non peccat: quod verum eſt, non ſolùm de illis partibus Miſſæ, in quibus ſecreto oratur, vt in Memento, nam etiam tunc Sacerdos ſe habet, vt miniſter, ſed etiam de alijs, quia tam in his, quàm in illis poteſt habere intentionem, priuatæ perſonæ. Et oratio non dicitur publica, aut priuata ex eo, quod ſubmiſsè, aut clara voce fiat, ſed ex ipſa intentione, licet magis a Doctoribus explicetur id fieri in memento, de quo videatur *Suar. cum Nauarro Tom.* 5. 3. *p. Diſp.* 9. *ſect.* 5. *num.* 6.

Adhuc *ait Torre artic.* 7. *Diſp.* 1. *n.* 13. *cum Nauarro*, Non eſſe improbabile, quod Sacerdos 14
pauper ad ſui ſuſtentationem poterit accipere ſtipendium ab excommunicato tolerato, & pro eo offerre Miſſam eo quod *Concilium Conſtant.* in fauorem fidelium conceſſit, vt poſſint communicare in ſpiritualibus cùm quocumque excommunicato etiam publico, dummodo nõ ſit nominatim excommunicatus, aut manifeſtus percuſſor clerici: tunc autem Sacerdos in fauorem ſuum communicat cùm tali excommunicato offerendo pro illo miſſam, ſcilicet vt ſuſtentetur.

Sed *Mihi* non videtur hoc ſatis tutum, quia 15
Concilium ſolùm concedit fidelibus, vt ipſi poſſint in diuinis communicare cum excommunicatis, non autem vt ipſa diuina, ſeu ſuffragia poſſint actiue communicare, applicare excommunicatis, quia expreſsè vult Concilium, ne ipſi excommunicati in aliquo releuentur, aut eis illa conſtitutio ſuffragetur: ergo non vult, quod applicemus illis ſuffragia Eccleſiæ, quia hoc eſſet concedere fauorem excommunicatis, ſed vt nos in faciendis rebus diuinis propter ipſorum communicationem non abſtineamus, quod tamen negat reſpectu non toleratorum, aliàs propter ſuſtentationem miniſtri poſſent toleratis præberi Indulgentiæ, & Sacramenta. Quapropter Miniſter, aut quilibet fidelis poterit in fauorem ſuum vti communicatione cùm tali excommunicato, & in vniuerſum quæcumque prohibitio facta ipſis fidelibus, quantum ad conſortium cum excommunicatis toleratis ſublata eſt, & ideò poſſunt ſepelire talem excommunicatum, quia prohibitio ſepeliendi non fit ipſi mortuo, ſed viuis; at verò dare excommunicato ſuffragia Eccleſiæ, aut indulgentias, aut ſuffragia Miſſæ hoc Eccleſia non conceſſit, quia per excommunicationem manet ſubiectum

[illegible] incapax [illegible] endi ea ſuffragia, & conſequenter ſ[illegible] & male applicabit ea Sacerdos, [illegible] propter ſui ſuſtentationem,quia propter ſuſtentationem miniſtri non redditur ſubiectum capax.

16 *De Præſcitis, & Reprobis Dico quinto.* Si alicui [illegible] bilis, & abſoluta [illegible] relatio de re[illegible] ratione alicuius, non poſſet pro eius ſalute [illegible] oratione abſoluta. Et idem dicend in eſt de quacumque re circa quam reuelet ur alicui abſo[illegible], & efficax decretum Dei, tunc [illegible] non licet oppoſitum petere oratione [illegible] oluta, & [illegible] endente conſecutionem eius. Dico, *ſi fiat abſoluta reuelatio*, quia ſi alicui fieret reuelatio [illegible] comminationis de ſua condemnatione, adhuc poſſet ſperare, & conari ad illam effugiendam. *Fundamentum eſt*, Quia po[illegible] [illegible] abſ[illegible] uta non poteſt apprehendi vt poſſibile contrarium eius, quod reuelatur, quia certò conſtat de eius impoſſibilitate: ergo ne[illegible] poteſt deſiderari vt obtinendum atque [illegible] neque peti petitione abſoluta, & intendent[illegible] conſecu[illegible] onem; ſed ſolùm poterit quo[illegible] ſimpl[illegible] affectu, vel conditionato deſiderari aut peti, eo modo, quo Chriſtus Dominus petiuit à Patre, vt ſi fieri poſſet tranſ[illegible] [illegible], quod non abſoluta oratione, ſed [illegible] dixit, neque explicando abſolutam [illegible] untatem ſuam, ſed affectum inferiorem, vt exactè docuit *D. Thom. 3. p. quæſtio. 21. art. 4. ad 1.* Et hoc ipſum innuit in *hoc art. 7. ad 2.* dicens, Quòd quia non diſtinguimus reprobos à prædeſtinatis, ideò pro omnibus debemus orare, ſignificans in hoc, quod ſi diſtingueremus [illegible] non d[illegible] emus pro omnibus orare. Et eadem ratione ille [illegible] heret abſoluta reuelatio de [illegible] non poſſet [illegible] ſperare, [illegible] exiſt[illegible], & apprehen[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] ad [illegible] conſequenter [illegible] intendi eius [illegible] non poſſe nos [illegible] neque ſperare [illegible] hominum collectiue, quia certo nobis conſtat, totam collectionem hominum non eſſe ſaluandam.

17 Dices. Non tenemur conformare voluntatem noſtram [illegible] decreto, & voluntate Dei efficaci [illegible] voluntate antecedenti, vt ſuprà dixi [illegible] ex *D. Thom. 1. 2. quæſtio. 19. artic. 10.* [illegible] non teneri nos [illegible] conformare voluntatem noſtram cum diuina in volito materiali: [illegible] poſſimus orare in tali caſu pro reprobo, [illegible] voluntate antecedente non re[illegible] [illegible] ſed efficaci. *Secundò.* Quia ſi Deus [illegible] alicui eſſe reprobandum propter peccatum deſperationis, adhuc teneretur ſperare [illegible] non peccaret deſperando ſi non teneretur, & conſequenter non reprobaretur. Et ſimi[illegible] reuelaret eſſe reprobandum propter peccatum non orandi, & petendi ſuam ſalutem,tune teneretur illam petere: ergo d[illegible] doctrina data. *Deinde.* Quia ille homo, cui nota eſt ſua [illegible] cui reuelatur certum peccatum futurum [illegible] Chriſtus Dominus dixit Petro, adhuc tenetur non peccare, alias ſi non teneretur, non peccaret, & conſequenter neque damnaretur: ergo tenetur ſperare, & à Deo orare auxilia ſupernaturalia, & gratiam, vt non peccet: ergo etiam vt ſaluetur, quia gratia, & non peccare dicit ordinem intrinſecum ad aſſecutionem ſalutis.

Reſpondetur. Nos non tenemur conformare 18 ſemper voluntatem [illegible] cum voluntate diuina [illegible] hoc eſt cum materiali [illegible] ſi ſecundum [illegible] conſideretur, vt non poſſimus velle mala, quæ Deus permittit, bene tamen ſub illo modo, quo procedit à [illegible] à voluntate diuina, vt ſupra [illegible], nec debemus [illegible] per voluntatem efficacem ſecundum quod eſt [illegible] ignota [illegible] particulari; bene tamen ſecundum voluntatem efficacem in particulari nobis reuelata. Aliud eſt enim voluntas Dei efficax, prout eſt in ſe ſolùm cognita à nobis in communi, & ignorata in particulari, ſicut modò [illegible] mus in communi aliquos eſſe reprobatos efficaciter [illegible] mus tamen de iſto, aut de illo in particulari, & ideò non poſſumus [illegible] tali voluntate tanquam regula, cui in particulari conformetur. Aliud eſt voluntas efficax in particulari reuelata, nobis, cui neceſſariò debemus conformari, non intendendo contrarium, quia [illegible] impoſſibile. Quia ergo modò non cognoſcimus in particulari efficacia decreta Dei, cognoſcimus autem in particulari voluntatem antecedentem, ſeu voluntatem ſigni, qua reuelatur nobis velle omnes homines ſaluos fieri, ideò modò regulamur per hanc voluntatem,non per efficacem.

Ad *ſecundum* dicitur, Quòd deſperatio ſumitur 19 tripliciter. *Vno modo* pure negatiuè pro ſola non elicitione actus ſpei. *Alio modo* privatiue pro omiſſione actus ſperandi, quando quis debet. *Tertio modo* poſitiue contrarie pro actu deſperationis. [illegible] primo modo non eſt peccatum, ſed ſecundo, & tertio. [illegible] ergo fiat alicui reuelatio, quod propter omiſſionem ſperandi damnab[illegible]; talis reuelatio [illegible] impl[illegible], quia poſita tali reuelatione, non remanet illa [illegible] priuatiua, & peccaminoſa, ſiquidem tunc non poteſt ſperare. Et [illegible] non ſtat fieri reuelationem [illegible] de condemnatione [illegible] [illegible] ſperandi, [illegible] tantum comminatorie. Si autem reueletur alicui, quod condemnabitur propter deſperationem poſitiuam tertio modo acceptam, adhuc tenetur non deſperare, non tamen tenebitur ſperare, nec petere. Aliud enim eſt non ſperare, aliud deſperare, primum ſine peccato fieri poteſt, ſed non ſecundum, & in [illegible] poteſtas ſperandi propter impoſſibilitatem obiecti, non tamen redditur licitum deſperare, quia hoc eſt intrinſece malum; ſemper eſt enim iniurioſum miſericordiæ diuinæ recedere ab illa, quaſi non poſſit [illegible], quod eſt ei diffidere. Et idem dicendum eſt de [illegible] quod in caſu poſito eſſet implicatio [illegible] alicui Reprobationem abſolutè propter [illegible] & petendi ſalutem,quia [illegible] reuelatione, tali [illegible] non eſſet pec[illegible]. V[illegible] 2. 2. Q. 1 1. art. 1. dub. 3. ad [illegible] M[illegible] d. p. 2. n. 1 1.

Ad *Tertium* [illegible] tur, Quod ille, cui re- 20 uelata eſt ſua reprobatio, non poteſt illam ſperare, poteſt tamen, & tenetur vitare peccata, & ſperare, ac petere, auxilium ad illa vitanda, quia hoc remanet illi ſimpliciter poſſibile, Licèt autem gratia, & vitatio peccati de ſe ordinentur ad gloriam, tamen quia reſpectu iſtius non ſunt efficaciter ad gloriam conſequendam ordinata,

ordinata, ideò non [illegible] eam intendere vt aſſequ[illegible]n, vnde nec ipſa auxilia poteſt ſperare per virtutem ſpei, quia non poſſunt iſta media ſperari tunc, vt intendentia aſſecutionem beatitudin[illegible] quod requiritur ad virtutem ſpei. Si autem a[illegible]u[illegible] reuelet[illegible] peccatum ſuum faciendu[illegible], abſ[illegible]te non poteſt ſperare, aut pete[illegible] aux[illegible] Dei effic[illegible]x ad euadendum illud [illegible]ten[illegible]tur tamen ex auxilio ſufficienti facere quod in [illegible] eſt [illegible] vitandum peccatum, quia auxilium ſufficiens datur ad poſſe; & ita ſi peccauerit, ex culpa [illegible] peccat, quia habuit auxilium ſufficiens, & conſequenter potentiam ad v[illegible]tandum; non tamen poteſt ſperare vt de f[illegible]cto vitet. Et ita hic caſus quaſi implicationem, & perpl[illegible]xitatem moralem indu[illegible] Pet[illegible] iterum non [illegible] Chriſtus abſolute, q[illegible] negaret, ſed ipſe accepit Chriſt[illegible] reuel[illegible]atorie, nec intellexit illam, vt abſolut[illegible] expreſsè inquit *S. Thom. in 2. quæſt.* [illegible] *diſt.* 4 [illegible] *ad* 1.

21 De *Inimicis dico* [illegible] Licitum eſſe pro illis orare, & in communi, [illegible] in particulari, non tamen tenetur ſemper, & in particulari orare pro inimicis. *Prima par*[illegible] Matt. 5. *Orate pro perſequentib*[illegible] Secunda [illegible] pars deducitur optime à *D.* [illegible] ex ipſo præcepto charitatis, & explic[illegible] *art.* [illegible] *pr. quæſt.* 25. *art.* 8. & 9. In ſum[illegible]a tenetur homo de neceſſitate præcepti reſpectu inimicorum ad iſta ſex. *Primò* non habere odium ad inimicum. *Secundo* non excludere eum à communibus beneficiis, & orationibus, vt ſi oremus pro aliqua communitate in qua habeo inimicos, non poſſumus illos excludere à tali oratione. *Tertio* vt poſitiuè, & contrariè non excludam illos à particularibus orationibus, vt ſi petam aliquod bonum pro amico, non poſſum poſitiuè petere contrarium pro inimico; hoc enim prouenit ex malo affectu ad ipſum. *Quarto* teneimur habere præparationem animi ad ſuccurrendum inimico in caſu nec[illegible]ſſitatis. *Quintò* in ipſo caſu neceſſitatis tenemur ei ſuccurrere, vel orando pro illo in particulari, ſi indiguerit oratione, vel aliud beneficium ei præſtando. *Sexto* vt ſi ſequatur ſcandalum ex eo, quod particula[illegible] ſigna d[illegible]ionis non exhibeantur inimico, tenemur ea exhibere ſigna, aut in particulari ei loqui ad euitandum ſcandalum. Extra hos caſus, & remoto odio, & ſcandalo, non tenetur aliquis loqui ſpecialiter inimico, aut ſpecialia ſigna dilectionis ei exhibere, vel in particulari pro eo orare, nec propterea eſt denegandæ alicui abſolutio, vt notauit *Caiet. citatus.* Videri poteſt *Mag. Torre hic*, & *Suar. lib.* 1. *de orat. cap.* 16.

Articvlvs VII.

Vtrùm conuenienter ſeptem Petitiones orationis Dominicæ aſſignentur.

1 Conclusio *eſt affirmatiua.* Quia verò non occurrit hic ſpecialis difficultas circa textum *S.Thom.* omittimus *hunc art.* Qui voluerit eius materiam adlongam percipere ex Modernis legat *Mag. Torre hic*, & *Suar. lib.* 3. *de orat. cap.* 8. *Azor. tom.* 1. *de inſtit. moral. lib.* 9. *cap.* 3. Ex Antiquis plures citat *Torre* hic, inter alios videri poterunt *Cyprian. in Expoſit. orationis Dominicæ*, & omnium pulcherrimè *S.Thom. Opuſcul.* [illegible] De oratione vero Angelica ag[illegible] *D. Opuſcul.* [illegible] Poſſ[illegible] tractare de illa formula orandi, quæ [illegible] illa oratione componitur, & vocatur *R[illegible]arium* [illegible]uo a[illegible] *Suar. citato loco cap.* 9. Cæte[illegible] eam ad facultatem pertin[illegible] in tractatu de oratione voca[illegible] pertine[illegible]

Sed [illegible] *aduerte*, Quod agens ibi *Suar.* de antiqui[illegible] refert tanquam p[illegible]m, & [illegible]probabile [illegible] à *B. P. N.* [illegible] alii di[illegible] ipſe) multo ante in cep[illegible], & temporibus *Bedæ* fuiſ[illegible] antiquam e[illegible] originem, [illegible] ad tempora Apoſtolorum [illegible] quidam referunt, ſed omne loquit *Suar.* ſufficit nobis commemorare, quod *Pius Quintus* in Bulla quadam dicit, inuentum hæc à Spiritu Sancto fuiſſe. Sed miror cùm integra verba non [illegible]tulerit ex Bulla Pontificis quando refert opinionem de inuentione *Roſarij*; dicit enim *Pius*, Quod *Spiritu Sancto* [illegible] *ut piè creditur* [illegible] *B. Dominicus P. N. modum hunc orandi ex*[illegible]*gitauit*, ac perinde ſi a Spiritu Sancto, vt a principali authore inuentum dicit Pontifex, non priuemus laude eum, quem tanquam miniſtrum huius formulæ orandi Spiritus Sanctus elegit, id eſt, *Beatiſſimum P. N. Dominicum*, vt ille Pontifex dicit.

Articvlvs VIII.

Quibus Perſonis conueniat Orare

In *his Art*[illegible]*culis* expedito tractatu de materia, 1 [illegible] ipſa poſſumus orare agit *S. Thom.* de perſonis, quæ [illegible]lunt orare, & ideò *in art.* 10. dicitur [illegible] eſſe proprium creaturæ rati[illegible]al[illegible], & per *Is creatura* exclud[illegible]tur Perſona diuina, quia non poteſt habere ſuperiorem, à quo aliquid accip[illegible] Ecita [illegible] *S. Thom.* hic intellig[illegible] quod [illegible] ad Roman. 8. *Spiritus poſtulat pro nobis*, &c. deſt, poſtulare nos facit, per *ly* verò *Rationalis* excluduntur [illegible]nia non intellec[illegible]a, quæ propriè non poſſunt orare [illegible] ſicut neque ordinate. Si quando verò in Scriptura Bruta dicuntur petere, intelligitur metaphoricè pro naturali inſtinctu, vt hic explicat *D.Thom. in articul.* 11. ſupponenda eſt doctrina, quam *ſuprà in art.* 4. late tradidimus contra Hæreticos oſtendendo, quod Sancti orent pro nobis; & hoc eſt, quod præcipuè docebat *Vigilantius*, ſcilicet mortuos non orare pro nobis, quod *D. Hieronym. in lib. contra Vigil.* improbat. Diſtinguendus eſt autem triplex ſtatus Sanctorum poſt hanc vitam. Q[illegible]dam enim ſu[illegible]t Beati, Quidam fuerunt extra beatitudinem & extra pœnas vt Patres in Limbo. Quidam ve[illegible] in Purgatorio. De damnatis autem certum e[illegible] non orare eos [illegible]ratione Religioſa, quidquid ſit an Diabolus poſſit aliquid petere à Deo, ſicut petiuit ut extenderet manum in Iob, & *Lucæ* 16 diues ex inferno orabat.

De *Beatis* ergo [illegible] duo ſunt aduertenda; 2 Primum pro quibus orent, ſecundum quomodo orent. Quoad pr[illegible] orant Beati non ſolùm pro nobis, [illegible]iam pr[illegible] p[illegible]s non quidem quoad gloriam eſſentialem animæ, ſed quoad accidentalem

lem tam corporis ſui, quàm exaltationis ſui nominis, de quo *S. Thom. hic ad* 5. Et colligitur ex *Apocalyp.* 6. vbi Martyres ſub trono Dei dicuntur clamare pro vindicta ſui ſanguinis, &c. Quoad ſecundum, modus orationis poteſt attendi quoad multa, ſcilicet quod orent mentaliter, aut vocaliter; quod orent formaliter per actum intellectus, aut virtualiter ſolùm habendo deſiderium, aut etiam offerendo preces noſtras, vel repræſentando merita ſua; quod orent merendo; vel non merendo: ſciendo futurum euentum, vel non ſciendo: abſolutè, vel conditionatè. Et omnes iſti modi non repugnant Beatis præter meritum, quia Sancti non ſunt in ſtatu merendi in patria. Eſt verò dubium in duobus; Primò An orent aliquando neſciendo euentum futurum? Et ſecundò. Quid ſit offerre, & repræſentare preces noſtras Deo?

3 Reſolutio *in iſtis eſt*, Quod Beati vtroque modo poſſunt orare, ſcilicet cognoſcendo futurum euentum, vel neſciendo. Primum patet in Chriſto Domino, qui multa hic petiuit,& modò interpellat pro nobis in cœlo, qui tamen cognoſcit omnes euentus futuros. Secundum colligitur exemplo pugnæ, quæ fuit inter Angelos *Daniel.* 10. circa liberationem populi Iudaici, quæ, vt docet *D. Thom.* 1. *part. quæſt.* 113. *artic.* 8. proceſſit ex neſcientia diuinæ voluntatis circa illud negotium, vnde cùm vterque Angelus contraria exiſtimaret, reſtitiſſe ſibi dicuntur: vnde ſi tunc peterent aliquid circa talem liberationem, peterent neſciendo euentum futurum; ſed quia in omnibus conformantur diuinæ voluntati, nec poſſunt in aliquo Beati errare, aut exponere ſe periculo errandi, ideo ſi in tali caſu orent, conditionate orabunt, ſi ita fuerit voluntas Dei. Cæterùm quia clarè non conſtat in illo loco Angelos oraſſe etiam conditionate, quia non pugnabant orationibus, ideo nec omnino certum eſt orare Sanctos, quando ſibi non conſtat de euentu: non tamen videtur omnino repugnare ſtatui beatifico, quod aliqua circa nos neſciant, & pro illis conditionalè orent. Ita teneat. *Suar. lib.* 1. *de orat. cap.* 11. nec omnino diſſentit *M. Torr. hic diſp.* 2. *concluſ.* 1.

4 Circa *ſecundum*, ſcilicet offerre, ſeu repræſentare preces noſtras Deo, Dico non eſſe idem quod orare, formaliter loquendo: nec ſolum exhibere illas, vt Deus cognoſcat eas, ſed exhibere vt eas approbet, quia cum ſæpè procedant à nobis orationes minus puræ, & dignæ conſpectui diuino propter imperfectionem orantis, Sancti ſua interceſſione quaſi eas excuſant, & valorem eis tribuunt, ſuſcipiendo ipſarum patrocinium, aut applicando merita ſua,vt ſic Deo placeant,& approbentur.

5 De *Sanctis*, qui fuerunt in Limbo iam ſuprà *artic.* 4. diximus eos aliquando, ſaltem in generali, oraſſe pro neceſſitatibus viuorum, vt conſtat *ex* 2. *Machab. vlt.* In particulari autem non orabant ordinariè pro illis, quia ex vi talis ſtatus non poterant eas in particulari cognoſcere, ſed ſolùm ex diſpenſatione Dei.

6 De *Animabus* verò purgatorij *Suar. loco citat. numer.* 16. & 17. Vt probabile cenſet, quod orent pro nobis ſaltem in generali, ſcilicet orando pro benefactoribus ſuis, quicumque ſint. Stando tamen in doctrina *D. Thom. hic ſolut. ad* 3. Exiſtimo vt certum, eas non orare pro neceſſitatibus noſtris in particulari, quantum eſt ex vi ſtatus ſui, quia ex vi illius non poſſunt eas cognoſcere, niſi aliud fiat ex Dei diſpenſatione. Secundò ex ratione *Diu. Thom.* ſcilicet, Quia ſunt nobis inferiores quantum ad pœnas, exiſtimo non conuenire illi ſtatui, vt orent pro nobis quaſi offerendo Deo preces noſtras, & adiuuando, & dando eis valorem, & patrocinium, ſicut faciunt Beati, quia ſunt in ſtatu patiendi, & quaſi incarceratæ indigentes noſtris ſuffragiis, vnde non conuenit ipſis orare, quaſi orando, pro aliis, & intercedendo. *Tertiò Dico*, Quòd ſi intelligatur animas illas pro ſe petere, ſicut pauperes petunt eleemoſynam, & quia indigent iuuari à nobis, quod petant à Deo, vt nobis tribuat charitatem ad orandum, & ſatisfaciendum pro illis, & talibus benefactoribus dignetur retribuere, ſic probabiliſſimum eſt eas orare Deum, ſicut multoties conſtat eas petiiſſe à Sanctis ſuffragia. Si enim vt legimus *Lucæ* 16. diues damnatus petebat refrigerari linguam ſuam, & quòd mitteretur Lazarus ad fratres ſuos viuentes, cur non licebit animabus purgatorij petere refrigerium tormentorum? Et vt nobis concedat Deus charitatem, & ea, quæ requiruntur, vt fructuosè oremus pro illis, quod eſt petere nobis bona ſpiritualia. Idem ſentit *Torre hic diſp.* 5.

DISPVTATIO XXVIII.

De Quidditate, & ſubſtantia officij Diuini.

ARTICVLVS I.

Quid intelligatur nomine Horæ Canonicæ, *& quid illa ſint.*

IN vltimis Articulis huius Quæſtionis incipit tractare *S. Thom.* de oratione vocali, & conditionibus ad eam ſequutus, & quia de oratione vocali, ant mentali, quatenus eſt in præcepto quaſi naturali, aut iuris diuini, egimus *ſuprà artic.* 3. de illa quatenus pertinet ad Eccleſiaſticum præceptum, & inuenitur in Horis Canonicis, agendum nobis eſt, vt ſic tota materia de oratione, ac de Religione, & de eius interioribus actibus concludatur; & quia *D. Thom. artic.* 12. Orationem vocalem diuiſit in publicam, & priuatam, de vtraque quatenus ex præcepto Eccleſiæ debet fieri agemus. Vt ergo Materiam hanc pertractare poſſimus Ordine debito, primò agemus de ipſa ſubſtantia, & quidditate huius orationis, quæ dicitur Diuinum Officium. Secundò de Perſonis, quibus competit eam in Eccleſiis recitare. Tertiò de eius obligatione. Quartò de cauſis excuſantibus. Quintò de modo, & conditionibus ad eam recitandam requiſitis, & denique de publica, & ſolemni recitatione, qualis eſt, quæ fit in choro, & de obligatione ad illam

Multa *hic* Doctores tractant, quæ potiùs Hiſtoriã videntur

videntur concernere, quam difficultatem aliquam Theologicam, à quibus nos abſtinere debemus, ne tempus difficultatibus expediendis conceſſum, longioribus hiſtoriis teramus. Igitur in hoc termino complexo *Hora Canonica* duo inuoluuntur, quæ iam ex acceptatione, & vſu Eccleſiæ ad vnam rem ſignificandam vſurpantur. Quia enim ea antiquiſſimo vſu Eccleſiæ, vt mox oſtendemus, per certas partes, & tempora diei ſolet Eccleſia certas, ac determinatas preces offerre Deo ideò tales orationes, ſeu preces, quia certam, ac determinatam regulam ab Eccleſia habent *Canonica* dicuntur, *Canon* enim Græcè idem eſt quod *Regula*. Quia verò certis diei temporibus, ſeu horis recitari debent, aut quia certis diei horis correſpondere debent, vel illas repræſentare, ideò preces Horariæ, ſeu *Horæ* dicuntur. Extenſo autem vocabulo, omne illud officium, quod pertinet ad laudem diuinam in Eccleſia recitandam, vel quod aliquo modo ad miniſtros Eccleſiæ ſpectat, & ad quod tales miniſtri obligantur, ſecundùm aliquam regulam determinatam ab Eccleſia, *Canonicum Officium*, vel Canonicæ preces dici poſſunt, ſicut id ad quod tenetur Penſionarius poſt Bullam *Pij Quinti*, in locis vbi recepta eſt, dici poteſt Canonicum officium, ſeu preces, quia ex mandato Eccleſiæ tenetur Penſionarius certam, ac determinatam formam orandi recitare, ſcilicet officium paruum B.V.Mariæ. Et ſimiliter ipſum officium Miſſæ, & Litaniæ, aliæque preces, quæ iuxta certam, & determinatam formam Eccleſiæ certis, & determinatis temporibus dicuntur, dici etiam poſſunt preces Canonicæ, & nomine officij diuini, ſeu officij Canonici comprehendi. Vſus tamen iam obtinuit, vel ſolùm dicantur *Horæ Canonicæ*, orationes illæ, quæ à matutino vſque ad completorium includuntur. Hæc de nomine.

3 De *Quidditate* autem, & ſubſtantia huius Orationis, quia cum vniuſcuiuſque rei ſubſtantia, & quidditas, præſertim, ſi phyſicè conſideretur, conſtat ex materia, & forma, ideò ad videndum huius orationis quidditatem, & naturam, ſolùm oportet videre quid ſit eius materia, & quid ſit forma? Et quia res iſta eſt aliquid pendens ex Eccleſiæ inſtituto, & quaſi arteſactum in genere orationis, ideò forma huius orationis debet eſſe, vel modus, vel ordo aliquis, ſeu ſignificatio, aut diſpoſitio aliqua orationum, qua ordinatè, & debitè aliqua recitentur ad laudandum, & orandum Deum.

4 Circa *Materiam ergo*, ex qua iſtæ orationes Eccleſiaſticæ debent componi fuerunt Hæretici, qui reiiciebant ea, quæ non erant de ſcripturis Canonicis, vt Hymnos, aut Cantica à piis Viris compoſita, quam hæreſim *Sua. lib.4. de orat. cap.2.* dicit tenuiſſe *Paulum Samoſatenum*, vt refert *Euſebius*. Quidam etiam, ſuppreſſo nomine, de hoc errore notantur in *Concil.* Tolet.4.c.12. Et videtur fauere iſtis Hæreticis duplex Canon. *Primus* eſt ex *Concil. Laodic. c.59. & vltim. illius Concilij*, vbi ſic habetur: *Non oportet ab idiotis pſalmos compoſitos, & vulgares in Eccleſiis dici, neque libros, qui ſunt extra Canones legi, niſi ſolos Canonicos noui, vel veteris* Teſtamenti. Secundus eſt ex *Conc. Bracharenſ.1.c.*30. vbi dicitur: *Extra Pſalm. veteris* Teſtamenti *nihil poeticè compoſitum in Eccleſia pſallatur*. Vbi videntur omnes excludi hymni, & quicquid metricè canitur in officio diuino.

Ratio *quoque* hoc videtur perſuadere. Quia materia, ex qua fit officium Canonicum, talis debet eſſe vt careat omni errore, cum publicè in Eccleſia legendum proponatur, imò ex illo ſoleat duci argumentum irrefragabile ad aliquid probandum, eo quod ſic Eccleſia canit, aut legit: ergo irrationabiliter ſumitur hæc materia aliunde, quam ex Canonicis ſcripturis; hiſtoriæ enim humanæ, aut huiuſmodi aliquando erroribus non vacant, & per hoc plerumque indigent emendatione. *Deinde* etiam videtur ex hoc prolongari ipſa oratio multorum verborum repetitione, & continuatione, contra id quod dicit Chriſtus Dominus Matth.6. *In oratione nolite multum loqui*, & Eccleſiaſt. 7. *Noli verboſus eſſe in multitudine præsbiterorum, & ne iteres verbum in oratione tua.* Atque ita videtur hic habere locum *Argum. 2. D. Thom. in artic.* 12. ſcilicet, quod ex multitudine verborum tollitur attentio, & diſtrahitur mens à diuina contemplatione, quod frequentiſſimè accedit recitantibus horas propter earum longam prolixitatem. 5

Nihilominus ne confundamus Quæſtiones, aliud eſt loqui de multitudine eorum, quæ in diuino officio recitantur, aliud de qualitate materiæ, an ſcilicet ſolùm admitti poſſit ad componendum officium Canonicum id, quod habetur in Canonicis ſcripturis, vel alia, quæ componuntur ab Eccleſiaſticis Doctoribus, poſſint admitti; hoc enim ſecundùm dicere, quod ſit illicitum, inſolens error eſt, cum ſit contra vniuerſalem Eccleſiæ conſuetudinem, de qua, vt dicit *Auguſt. Epiſt.* 118. *capite* 5. diſputare quid ita faciendum ſit, inſolentiſſimæ inſaniæ eſt. Nobis ergo in confirmationem, & rationem huius dicti ſufficiat definitio, & decretum *Concilij* Tolet.4. *citat.* vbi ſic ait: *Quidam ſpecialiter reprobant hymnos, quos Hylarius, & Ambroſius ediderunt, pro eo quod de Scripturis Sanctorum Canonum, vel Apoſtolica traditione non exiſtunt, reſpuant ergo illum hymnum ab hominibus compoſitum, quem in fine omnium pſalmorum dicimus, Gloria, & honor Patri, &c. Similiter & totum illud, quod ſequitur poſt Angelicum hymnum Gloria in excelſis Deo, &c. quod tamen Eccleſiaſtici Doctores compoſuerunt: ergo nec ipſi in Eccleſiis canendi ſunt, quia in ſacrarum Scripturarum libris non inueniuntur. Componuntur Miſſæ, ſiue preces, vel orationes, ſiue commendationes, ſeu manus impoſitiones, ex quibus, ſi nulla decantentur in Eccleſia, vacant omnia officia Eccleſiaſtica, admonet enim hæc fieri, atque hortatur Apoſt. ad* Timoth. *dicens: Obſecro igitur, primum omnium fieri obſecrationes, poſtulationes, gratiarum actiones, &c. Excommunicatione ergo plectendi ſunt, qui hymnos reiicere fuerint auſi.* Huc uſque Concilium. Vbi triplicem rationem huius rei inſinuat. Primam ab inconuenienti, quia aliàs reiicienda ſunt etiam illa, quæ ab antiquo tempore erant in Eccleſia recepta, ſcilicet, *Gloria Patri*, & hymnus Angelicus. *Secundam* ex eo, quod officia Eccleſiaſtica vacarent, idest, ſine aliqua ſolemnitate celebrarentur, ſi non poſſent cantari, aut recitari ea, quæ ad Eccleſiæ ornatum, & officiorum Eccleſia conſtituit. Cùm enim hæc officia ſint orationes publicæ non ſolùm debent habere id, quod ad orationem pertinet, ſed etiam id, quod ad ſolemnitatem, & publicitatem. *Tertiam* quia habent

originem

originem ab Apoſtolo præcipiente fieri orationes, poſtulationes, obſecrationes, &c.

7 Ad *Obiectiones Reſpond.* Ad primam, *Suar. loco cit. num.* 23. reſpondet ea *Cardinali Baronio in appendic. tom.* 4. illum Canonem Laodicenum editum eſſe occaſione abuſus, quem ille Hæreticus inducere conabatur, idque tunc fuiſſe expediens in illa Prouincia propter hæreticorum turbationem. *Secundò* dicit illum Canonem à Prouinciali Concilio editum nunquam ab vniuerſali Eccleſia receptum fuiſſe. Neque obſtat, quod Synodus Laodicena recepta ſit *in Canone* 2. 6. *Sinodi generalis*, vt habetur *in Capit. Quoniam, diſt.* 16. Nam Canones illi, qui attribuuntur 6. *Sinodo* in Trullo celebrata tanquam ſpurij reiiciuntur, vt multis probat *Baron. ann. Chriſt.* 691. & idem ſentit M. Bañez. 2. 2. *Q.*1 *art.*10. *Dub.*5.

8 Tertio *dici poteſt*, & fortè magis ad mentem Concilij. Quod non prohibet abſolutè legi libros, qui ſunt extra Canonem, ſed prohibet eos legi vt Canonicos, & in authoritatem recepi, ſic enim ſubdit: *Quæ autem oporteat legi, & in authoritatem recipi hæc ſunt, &c.* Et numerat ibi libros Sacræ Scripturæ, quos vt Canonicos modo habemus ſolùm ergo voluit Concilium determinare, qui libri eſſent in Eccleſia legendi, & habendi vt Canonici, & qui non debent legi recipiendo eos in authoritate. Similiter prohibet Pſalmos vulgares, in Eccleſia ab Idiotis dici, intelligendo per *Pſalmos vulgares* eos, qui aliquid profani habent, & apud vulgares homines verſantur, tales enim non decet in Eccleſia recitare. Vel certè prohibuit non computari in pſalmos, qui non ſint de libro Canonico pſalmorum; ſicut neque modò aliquos admittit Eccleſia. Et in hoc ſenſu etiam debet intelligi Decretum Concilij Bracharenſis, quod non prohibet abſolutè, ne aliquid poëticè compoſitum recitetur, ſed ne pſallatur, hoc eſt, numero pſalmorum admiſceatur: intendebat enim Concilium ne priuatæ conſuetudines introducerentur, quibus variaretur ordo pſallendi, admittendo alios pſalmos, quàm qui ſunt in veteri Teſtamento, quod inſinuat idem *Concilium Capit.*19. & refertur *in Capit. placuit, diſt.* 12. *Vnus* (inquit) *atque idem pſallendi ordo in officiis teneatur, & non diuersè, ac priuatè, neque monaſteriorum conſuetudines cum Eccleſiaſtica Regula ſint permixtæ.*

9 Denique ſuſpicor aliquos pſalmos à Priſcilianu fuiſſe compoſitos, vel à Dictinio, quorum errores lectiſſimè damnat illud Concilium, & hos præcipuè voluiſſe reiicere nam *in cap.* 17. multa ſcripſiſſe hos Hæreticos ſub nomine Patriarcharum, Prophetarum, & Apoſtolorũ narrat, & damnat Concilium. Hymni autem ſeu lectiones, etiamſi ex libris Canonicis non eſſent, ſemper ab Eccleſia ſunt recepti: habemus enim ſummæ antiquitatis Hymnos, quos *S. Dionyſ. de diuin. nomin. capit.* 3. *lect.*1. *apud Diu. Thom.* commemorat compoſuiſſe S. *Hierotheũ* in morte, & exequiis Beatiſſim. Virg. Deiparæ. In Concil. etiam Carthagin. 3. c. 47. *Liceat*, inquit, *legi paſſiones Martyrum cum anniuerſarij dies eorum celebrantur.* Et *in cap. Sancta Romana diſt.*15. Gelaſ. I. ante annos mille & centum, in officio Cœnæ Domini, & dierum ſequentium ponit lectiones ex *Beat. Auguſtin.* Extant denique Hymni ab *Hilario*, & *Ambroſ.* compoſiti, quos *Concil. Toletan.* citatum iubet recipi, & vſque hodie in Eccleſia leguntur.

10 Ad *primam rationem* Reſpondetur Non requiri Quod ea, quæ in Officio diuino recitantur, quantum ad omnes partes ſint authoritas infallibilis, neque ea illis deducitur argumentum infallibile ex eo præcisè, quod habentur in officio diuino. Vt autem explicemus quem gradum certitudinis habeant, & quomodo ex illis poſſit deduci argumentum (quod vix ab Authoribus attingitur) eſt aduertendum. Quod approbatio Pontificis, aut Eccleſiæ non ſemper facit infallibilem certitudinem, niſi tantùm in his, in quibus habet adiunctam aſſiſtentiam Spiritus Sancti ne erret, ſicut in definiendo ea, quæ ad fidem ſpectant, aut in Canonizatione Sanctorum, in quibus præter humanam diligentiam, quæ adhibetur in diſputationibus, & probationibus, habet Pontifex aſſiſtentiam Spiritus Sancti, vt in eis determinandis non erret: in approbando autem, aut permittendo aliquod officium, aut etiam in componendo, non vtitur Pontifex aſſiſtentia infallibili Spiritus Sancti. Vnde ſæpè contingit, quod officia aliàs approbata mutentur, aut emendentur, vnde non habent infallibilem veritatem. Ver. gr. licèt à *Gregorio XIII.* approbatum ſit Martyrologium Romanum tamen in his, quæ habet de annis à creatione mundi vſque ad Chriſtum non habet firmam certitudinem: Similiter officium, quod fuit approbatum *à Sixto IV, in Extrauaganti cum præ excelſa*, pro conceptione B. Virginis non fuit admiſſum *à Pio V.* in reformatione Breuiarij. Et quotidie videmus aliquid in illis reformari, & mutari, quod argumentum eſt ea ſolùm approbari ab Eccleſia, & Pontifice vt probabilia, non vt certa. Et quo colligimus, quod talis approbatio Pontificis, & Eccleſiæ non præbet maiorem fidem iſtis rebus quàm approbatio, qua Eccleſia approbat in generali, doctrinam alicuius ſancti, aut Doctoris, ſicut approbantur opera *D. Auguſtini*, & aliorum Doctorum *in Cap. Sancta Romana, diſt.* 15. Quæ approbatio licèt addat magnam probabilitatem, & authoritatem eorũ doctrinæ, non tamen infallibilitatẽ vt ſentiunt communiter Doctores Et videri poteſt in *Caſtro lib.*1 *aduerſ. hæreſ.* Capit. 7. & *Cano. lib.*7. *de locis Cap.*3.

Et *hoc eſt* loquendo in generali de his, quæ recitantur in officio diuino ex eo, præcisè, quòd ibi habentur ex approbatione Eccleſiæ. In particulari autem, & ex aliis circunſtantiis poſſunt habere maiorem certitudinem, vt ſi in illis inuoluatur aliquid pertinens ad Sacram Scripturam, vel ad aliquam traditionem Eccleſiæ, vel quia proponit aliquid ad pietatem, & ad imitationem pertinens. Et ideo diſtinguendum eſt in officio diuino, quod aliud eſt poſſe nos recitare, & loqui eo modo, quo Eccleſia loquitur in officio à ſe approbato; ad hoc enim ſine dubio magnam habet authoritatem approbatio Eccleſiæ, ita quod licet orare, & loqui, ſicut Eccleſia approbat in aliquo officio, & qui oppoſitum diceret: eſſet pluſquam temerarius negans probabilitatem ab Eccleſia approbatam. Aliud eſt, quod omnia, quæ ibi leguntur ex eo præcisè, quod legatur in officio diuino, habeant firmiorem veritatem, & in hoc dicimus, non importare plus certitudinis, quàm alicuius Authoris approbari ab Eccleſia, niſi aliquid Sacræ Scripturæ, aut traditionis Eccleſia, vel Apoſtolicæ importent. Eccleſia enim legit ſermones Sanctorum, & geſta Martyrum, quæ ex eo, quod ibi 11

legantur non habent maiorem certitudinem, quàm ſi aliàs eitentur ex libro illius Sancti. Diligentia autem, & approbatio Eccleſiæ licèt addat eis authoritatem, & probabilitatem, non tamen indubitatam certitudinem, nec amplius requiritur ad diuinum officium. De quo videatur. *Suar. lib. 4. de Orat. cap. 2. num. 12. & Cano. lib. 11. cap. 5. ad Argum. 13.*

12 Ad *ſecundam Rationem Reſp.* Quod vt *D. Auguſt.* dicit *Epiſt.* 121. & refert *S. Thom. art.* 14. *ad* 1. Aliud eſt in Oratione Sermo multus, aliud diuturnus affectus, nam & ipſe Dominus prolixiùs orauit *Lucæ* 22. Et ita concludit *D. Auguſt. Abſit ab oratione multa locutio, ſed non deſit multa precatio.* Ex qua diſtinctione colligimus, quod multum orare vocaliter, quando id ordinatur ad laudem Dei, & excitationem affectus in Deum, nō prohibetur à Chriſto Domino; ſed ſolùm multū loqui in oratione, quantum ad loquacitatem, & quaſi ponendo fiduciam in multitudine locutionis. Et præſertim quia hoc genus orationis ſolùm imponitur miniſtris Eccleſiæ, qui plus temporis debent impendere orationi, & rebus diuinis. Quod ſi attentionem amittant, id non eſt ex defectu orationis, quæ potiùs excitat ad attendendum, ſed ex defectu orantis, cui non admodum difficilis eſt attentio ſaltèm virtualis. Præterquam quod, cū orationes iſtæ fiant non in perſona ipſius orantis, ſed totius Eccleſiæ, non tam attenditur deuotio priuata Miniſtri, quàm intentum commune Eccleſiæ, vt orationes communes abundent, & ſæpiùs fiant in die.

13 De *Forma* huius orationis breuiter dicendum eſt, Quod cum in artificialibus forma ſumatur in ordine ad finem, ſicut Eccleſia intendit per Miniſtros ſuos iſtas orationes, tanquam communes totius Eccleſiæ, mittere ad Deum, ideò illa forma, & modus orandi inſtitutus eſt, qui conueniret huic fini, & conſiſtit in duobus, ſcilicet in ordine, ſeu diſtributione officij, & in ſignificatione. Eſt enim diſtributum officium in diuerſas partes, & horas diei, & componitur etiam ex variis partibus ordinatis in ſe, vt Pſalmis, Hymno, Oratione, &c. Et ſimiliter inſtituitur ad repræſentanda diuerſa myſteria vitæ, & paſſionis Chriſti, de quibus aliquid attingemus *articul.* 3. Conſiderata ergo cauſa materiali, & formali, reſtat conſiderare, efficientem.

Articvlvs II.

Quo iure introductum ſit in Eccleſia Diuinum officium;

1 Dvo *in hoc Articul.* dubia videntur inuolui. *Primum* de Iure recitandi officium, & conſequenter inſtituente illud, an ſit Ius diuinum, vel humanum? *Secundum* ſi ſit iuris humani, quàm antiquum ſit, & à quo ſit inſtitutum? Et quantum ad primum. Aliqui diſtinguunt inter ſubſtantiam orationis pertinentis ad Horas Canonicas, & inter modum ipſum orandi, vt quod modo habeamus tot pſalmos, orationes, &c. dicunt eſſe à iure diuino, quod ab aliquibus perſonis, ſcilicet à Clericis recitetur officium diuinum quantum ad ſubſtantiam, neque in hoc poſſe Papam diſpenſare, licèt poſſit illud mutare, aut in alium modum orandi commutare, ita *Abb. in capit.* 1. *de Celebration. Miſſar.* Et citatur pro hac ſentētia *Turrecremata in capit. Eleuterius* 91. *diſtinct. ad* 5. *Quaſtion. Angelus verb. Hora, numer.* 6. *Roſella verb. Hora, num.* 13. & *Nauarr. de oration. capit.* 7. *numer.* 2. Qui omnes allegant illud Pſ. 118. *Septies in die laudem dixi tibi.* Vnde videntur teneri Clerici ad recitandum aliquid quotidiè in laudem Dei; & fundatur hoc in ipſo ſtatu Clericali, qui ſtatus eſt deputatio miniſtrorum ad cultum Dei, & ad laudandum Deum. Vnde ea connaturali iure videntur obligari ad orandum, & recitandum aliquid quotidiè in laudem Dei.

Cæterùm oppoſita ſententia eſt communior, & probabilior, vt tenet *Silueſt. Tabien. Armil. Palud S. Anton.* & Alij, quos refert, & ſequitur *Suar. libr.* 4. *de oratione cap.* 6. *M. Torr. tract. de Horis Canon. controuerſ.* 2. *Azor. libr.* 10. *inſtit. mor. capit.* 1. §. *vlt.* Aliud enim eſt dari iure diuino præceptum orandi, ſicut *ſupra articul.* 3. latè oſtendimus, aliud teneri miniſtros Eccleſiæ ſingulis diebus aliquid recitare ex vi iuris diuini. Et breuiter oſtenditur ad hoc non teneri. Nam ius diuinum vel eſt poſitiuum, vt quando ponitur à Deo aliquod præceptum circa aliquam materiam, vel eſt connaturale, vt quando ex natura rei, alicuiuſue ſtatus inſtituti a Deo ſequitur aliqua obligatio ſed nullo modo datur ius diuinum ad officium recitandum quotidiè: ergo. *Minor probatur.* Nam neque traditione Apoſtolica, neque in Scriptura inuenitur præceptum poſitiuum de recitando officium: de traditione ſufficit, quod nobis non conſtet de iſta, ſcilicet quod à Deo præceptum ſit officium recitare; de hoc enim præcepto diuino nulla traditio Apoſtolica extat? in Scriptura autem nullum tale præceptum inuenitur, in lege enim veteri habemus aliqua exempla eorum, qui in die ſæpiùs orabant, vt Dauid *Septies laudem*, &c. & Daniel. 6. *Tribus temporibus in die flectebat genua.* Et 2. Eſdræ 8. *Filij Iſrael quater in die confitebantur, & adorabant Deum.* Sed in his exemplis nihil præcepti imponitur.

In *lege autem noua* ſolùm ponitur præceptum orandi in generali, vt Matth. 7. *Petite, & accipietis.* Et Apoſtol. *Sine intermiſſione orate.* Et ſolùm à Chriſto Domino præſcripta eſt forma orandi, quæ continetur in oratione Dominica, quæ præcepta non continent aliquod officium diuinum determinatè, nec obligant determinatam perſonam, ſed ad omnes generaliter dicuntur. Ex natura autem rei, & ſtatus Clericalis non eſt ratio cur magis teneatur aliquis ſingulis diebus aliquod officium recitare, quam ſingulis menſibus, vel hebdomadibus *Et poteſt fieri Argumentum.* Quia Sacerdos non minus eſt miniſter deputatus ad ſacrificandum, quàm Clericus ad orandū, etenim ex natura talis ſtatus, & Sacerdotij non obligatur quotidiè ſacrificare, ſed vt communiter dicunt *Doctores* 3. *p. in Materia de Sacrificio*, ſi Sacerdos celebret aliquoties in anno, vt in præcipuis ſolemnitatibus erit tutus in conſcientia, quantum ad obligationem naturalem ſui miniſterij. Non eſt ergo de iure diuino, neque poſitiuo, neque naturali introductum officium diuinum quotidianum. Ex quo ſoluitur ratio adducta in contrarium.

Circa

4 Circa *Secundum* Aliqui exiſtimarunt Officium diuinum non incepiſſe à temporibus primitiuæ Eccleſiæ, ſed tempore S. *Hieronymi*, vel *Pelagij I. aut II.* Sed in hac parte oportet cum diſtinctione procedere; aliud eſt enim quando incepit iſta forma in Eccleſia, & modus orandi D[illegible] publico officio, quod dicitur *Hora Canonica*, aliud quando fuerit [illegible] obligatio, & præceptum [illegible] perſoluendi ſingulis diebus, à quibus perſonis. *Primum* inuenitur eſſe in Eccleſia antiquiſſimum, & à temporibus Apoſtolorum dicit enim *Dionyſius Epiſtol. ad Demophil. circa finem*, [illegible] *Carpus* erat [illegible] noctè ad diuinos [illegible] per ſe V[illegible] Sanct. Clemens lib. 8. [illegible] A[illegible] c. [illegible] 40. *Preces veſtras faci[illegible] la [illegible] ta nona, verſpere, & [illegible] intu.* [illegible] cap. [illegible] A[illegible] g. inquit, Te[illegible] po[illegible] *Tra[illegible]* [illegible] le Chriſtianos conueniſſe [illegible] lucem, [illegible] vocat cætus antelucanos, ad canendum de Chriſto & Deo, & eiuſdem cætus facit mentionē *in Ca[illegible] 39.* Meminit etiā horarum iſtarū *D. Cyprian. in expoſit. oration. Dominica prope [illegible]. Diuus Athanaſ. libr. de Virginitat. ſeu de meditat.* & *D. Baſil. in Regulis fuſius diſputatis interr[illegible]. & Sermon. 1. de inſtitution. Monachor.* Q[illegible] Patres ſunt antiquiores *D. Hieronym.*

5 S[illegible] *autem*, Scilicet, Quando fuit impoſita obligatio, & præceptum perſoluendi horas iſtas, [illegible] conſtat apud Authores. Quidam enim [illegible] tribuunt *Pelagio I. vel II.* Eo quod in *cap. Eleutherius 91. diſtinct.* iubet *Pelagius* Epiſcopo *Eleutherio* vt compellat Clericos vacare Vigiliis, & eadem obligatio ibidem imponitur *in capit. Presbiter* inuenio tamen ante tempora *Pelagi* in *Concilio Agathenſi capit. 21.* præcipi [illegible] Epiſcopis, & præ[illegible], vt omnibus diebus dicant [illegible], Antiphona, Orationes, Capitula, & [illegible] omnia pertinent ad officium diuinum. Et [illegible] C[illegible] *Carthag.* [illegible] 4. (adhuc antiquiori) c. [illegible] puit, vt C[illegible] vi[illegible], & veſti[illegible] ſibi præpar[illegible] art[illegible] vel ag[illegible] *abſque offi[illegible] detrimento*, quod plerique [illegible] pretantur de officio diuino, & ita habetur in [illegible] *diſtinct. citata.* Et quia poſt iſta tempora in Concilijs inuenitur frequens mentio de modo orandi, & pſallendi. Signum eſt circa illa tempora hanc obligationem, & præceptum fuiſſe impoſitum.

ARTICVLVS III

De Diſtributione Officij Diuini, & numero Horarum.

1 FOrma *Offic. Diuini* maximè conſiſtit in ordine, & diſtributione eius, & ideò de hoc com[illegible] Doctoribus in præſenti, præſertim [illegible] Hæreticos, qui vel impugnant vel f[illegible] hanc formam, & modum orandi. Poteſt e[illegible] lex ordo, ſeu diſtributio conſiderari in officio diuino. *Prima* quantum ad partes [illegible] cuiuſcunque horæ, vt quod conſtet pſalmis, hymnis, & [illegible]. *Secunda* ratione temporis, quod aliud ſit officium diurnum; aliud nocturnum. *Tertia* ratione ſignificationis, & diuerſarum horarum, vt quod diuidatur in primam, tertiam, ſextam, & nonam. In his autem ſolùm Doctores laborant, vt oſtendant hanc diſtributionem, & modum eſſe conuenientiſſimum, & antiquiſſimum in Eccleſia.

2 Et quantum *ad primum* va[illegible] partium, ex quibus horæ conſtat. [illegible] antiquiſſimo ritu Eccleſiæ, dicente Apoſtolus ad Ephe. 5. *Loquentes vobis met ipſis in pſalmis, & hymnis, & canticis ſpiritualibus canentes, & pſallentes [illegible] vobis.* V[illegible] partes diuinæ [illegible] *A[illegible]olus* ad [illegible]dum, pſalmos, hymnos, & [illegible]. Et de hymnis, etiam facit m[illegible] *D[illegible] & Tertulian. citati articul. pr[illegible]. Ambroſius & Hilar. citati in Concil. Toletano 4. de el[illegible] Sacris.* Sumitúrque ex Apoſt. 1. Corinth. 14 *Cum conuenitis, vnuſquiſque veſtrum pſalmum habet, doctrinam habet, Apocalypſim habet, linguam habet, interpretationem habet*, vbi per *Linguam intelligit S. Thom. lection. 5.* donum linguarum, vel legendi proph[illegible]. Item *Sanct. Iuſtin.* qui paulò poſt tempora Apoſtolorum floruit *in Apolog. 2.* dicit Lectiones ex Prophetis, & Apoſtolis in conuentu fidelium [illegible] ſolitas. Et in *Concil.* Carthag. 3. cap. 47. *Liceat legi paſſiones Martyrum, cùm anniuerſarij eorum dies celebrantur.* Et *Caſſian. libr. 2. de inſtitutione Monachorum capit. 6.* ponit lectiones in officio diuino. Et d[illegible] *Gelaſius Papa in cap. Sancta Romana Diſt. 15.* ponit diuerſa officia cum lectionibus, vt habemus modò, qui floruit circa annum 49[illegible]. De Reſponſorijs agit S. *Iſidor. libr. 1. de officijs capit. 8* intelliguntúrque à *Sancto Ambroſio* inuenta, vt ſcribit *Valfridus in libr. de rebus Eccl. capit. 25.* & tempore *Sanct. Benedicti* erant in vſu, vt conſtat ex eius regula. De Antiphonis eſt frequens mentio apud Antiquos, ſed neſcio, an eo modo quo nunc ſunt in vſu. Nam cum *Antiphona* ſignificet vocem reciprocam, quidam accipiunt eius vſum pro eo, quod eſt alternatim canere pſalmos, qua ratione antiquiſſimus eſt in Eccleſia, & vt refert *Socrates libr. 6. capit. 8. Hiſtor.* ex Angelica admonitione id didicit S. *Ignat.* & *in Tertul. libr. 2. ad Vxorem in fine*, mentio huius alternationis in pſalmis, & hymnis habetur. Igitur antiquiorem vſum antiphonæ, eo modo quo nunc eſt, inuenio apud *Caſſianum libr. 2. de inſtitution. Monachor. capit. 2. Quidam* (inquit) *Vicenos, ſeu tricenos pſalmos, & hos ipſos antiphonarum protelatos melodiis, & adiunctione quarundam modulationum debere dici conſueuerunt.* Et ex inde in Concil. Agatenſ. capit. 21 *Poſt antiphonas* (inquit) *collationes ab Epiſcopis, vel Presbiteris dicantur.* Vltimò in fine cuiuſque horæ ſolet dici Oratio, ſeu Collecta, de qua Caſſian. cita. capit. 8. *Finito* (inquit) *pſalmo orationem ſuccedere*, &c. E[illegible] eius etiam mentio habetur in Concil. Agaten. citato loco *& in cap. Conuenit, de conſecrat. diſtinct. 5.* Hæc ſunt præcipua, ex quibus componuntur horæ, quæ omnia Sancta [illegible] nemini dubium eſſe poteſt, & eorum antiquiſſimum vſum oſtendimus referendo ſolùm Authores, qui ante mille & ducentos annos floruerunt. In Authoribus autem poſterioris temporis inueniuntur integri Libri de his ritibus, & officijs diuinis in Bibliotheca veterum Patrum, & apud *Amalarium, Fortunatum, Alcuinum, Rabanum, Valfridum*, & ante hos S. *Iſidor. lib. de diuinis officijs.*

Circa *ſecundum*, Diuiſio officij in diurnum, & nocturnū habetur in *cap. Dolentes de celebr. Miſſ.* 3

vbi

vbi præcipitur celebrari [illegible] & nocturnum. Multus autem [illegible] labor est in exponendo q[illegible] *Dies* & *Noctis* ſecundum [illegible] Eccleſiæ in Officio intelligatur, & quomodo [illegible] iſta tempora diſtribuerentur? De quo [illegible] quod in præſenti [illegible] ſuffic[illegible] Eccleſiæ nomen *O[illegible] noct[illegible]* accipitur pro officio matutinali, laudibus, [illegible] completorio, eo quod pro ingreſſu noctis vt completorium, & pro media nocte vt matutinæ, & pro fine noctis vt laudes, decantentur. Reliquæ autem horæ pe[illegible] ad officium diurnum. In v[illegible] autem [illegible] indecentiæ aut [illegible] repetitur, [illegible] multùm [illegible], & Re[illegible] cum [illegible] tempore laudare Deum, & [illegible] opus Re[illegible], dicente Apoſtolo *S[illegible]* & ipſe Dominus [illegible], & Pſalm 54 *Veſpere, & mane, & meridie narrabo, & annunciabo*, & P[illegible] *Media nocte ſurgebam*, [illegible] inconueniens ex conuen[illegible] populi ad vigilias, & laudes noctis, id [illegible], & conuenientiam officij nocturni, ſecundum quod à miniſtris Eccleſiaſticis recitatur, [illegible] quantùm ad aſſiſtentiã populi, quæ modo ſublata eſt in Eccleſia. Neque iſta ex ſe mala eſt, ſed potius ad deuotionem excitat, quamuis ex abuſu multorum poſſit ad malum v[illegible] nullum enim eſt opus bonum, [illegible] abuſu vtentium non poſſit ſequi aliquod malum.

4 Circa *tertium* notanda eſt determinatio Iuris *in capit. Presbyter 91. diſtinction.* vbi ex Concilio Ana[illegible], & ex dictis *Sanct. Benedicti* numerantur ſeptem horæ a matutino vſque ad completorium. De duobus autem non conſtat apud Au[illegible] *Primum* eſt de antiquitate horæ, quæ dicitur *Prima*, & de *Completorio*, an [illegible] incœperint, vel poſtea inuenta ſint. [illegible] de ipſis matutinis [illegible] omnes nocturni, & laudes ſint horæ diſtinctæ, vel pro vna hora omnes accipiendæ ſint, & conſequenter ſi liceat eas ſeparatim recitare, & etiam [illegible] quodque nocturnum ſeorſum? Et de primo [illegible], Q[illegible] apud antiquos [illegible] non ſemper commemorentur ſimul omnes [illegible] horæ, & ideo probabile [illegible] quod Al[illegible] dicunt Primam, & Completam fuiſſe poſtea cæteris horis adiectas: tamen probabilius eſt [illegible] horas eſſe valde antiquas, & etiam ante tempora *Caſſiani* in vſu fuiſſe, ſaltem in [illegible] quibus Eccleſ[illegible], quia apud D. *Clement. libr. 8. conſtitut. Apoſtolic. capit. 40.* diſtingui videtur iſta hora [illegible], *Preces veſtras facite diluculo hora tertia, ſexta, nona, veſpere [illegible] galli cantu.* Et ad eundem modum Diu. [illegible] Epiſtol. ad Euſtochium de obitu [illegible]: *Mane [illegible] hora tertia, ſexta, nona, [illegible] media per ordinem pſalteriorum can[illegible].* [illegible] per mane, & diluculum, vt d[illegible] horis non videtur poſſe inte[illegible]. De completorio etiam [illegible] apud *B[illegible] in Regulis fuſius [illegible] interrogat* [illegible] vbi in principio noctis ponit recitandam horam, in qua dicatur Pſal. *Qui habitat.* De quibus [illegible] poteſt *Suar. libr. 4. de Horis [illegible] capit. 1. & Magiſt. Torre de Hor. Canonic. controu. 5.*

5 Quantum ad ſecundum variè ſentiunt Authores de numero horarum, Quidam iudicant eſſe octo, fundantque in *capit. 1. de celebr[illegible]* Vbi poſt [illegible], *M[illegible] dian[illegible] vigiliis idem [illegible] Propheta ait Media nocte ſurgebam*, &c. [illegible] ergo nocturnas vigilias ſeparatim ab aliis ſeptem horis, videntur [illegible] eſſe [illegible] præter [illegible], licet [illegible] laudes tanquam [illegible] *A[illegible]* & [illegible] communior [illegible], tantum ſeptem eſſe horas, [illegible] enim videntur loqui Iura *in cap. Presbyter* [illegible] *in capit. 1. de celebration. Miſſar.* E[illegible] id teſtatur vſus Eccleſiæ, qui pro vna [illegible] matutinas, [illegible] *Denique* [illegible] olim fuiſſe [illegible] horas matutinas [illegible] des, ſed poſtea in vnum redactas [illegible] *Torre*, & *Azor.* Non [illegible] autem [illegible] modo, hinc altero loquantur [illegible] quòd [illegible] ad modum, [illegible] qui eſt nunc in Eccleſia, vt [illegible] & laudes eadem oratione terminentur, [illegible] hora cenſenda eſt, quidquid [illegible] conſuetudine ſeparandi [illegible] bus; de hoc enim Pontifex in [illegible] *lebration. Miſſar.* nihil determinat, ſed [illegible] tùm ſimpliciter dicit, nocturnas [illegible] eſſe celebrandas, non tamen vt diſtinctam [illegible] à laudibus.

Cæterùm licèt vna ho[illegible] ſit propter [illegible] terminationem, quæ fit per eandem orationem, quia 6 tamen habet diſtinctum modum [illegible] matutini, & laudes, & olim videntur habuiſſe [illegible] terminationes, ideo nunc ſine vllo ſcrupulo poſſunt, quando priuatim recitantur, [illegible], & terminari, vt ait *N[illegible] citatus à Suar. lib. 4. capit. 6. n. 9.* Vbi etiam aducit, quod qui [illegible] matutinas a laudibus [illegible] dicere Canticum *Te Deum laudamus*, quod ad matutinas pertinet, & in officio Romano habetur loco [illegible]. Inchoare tamen non licebit [illegible] vt [illegible] Suar. [illegible] publica conſuetudo Eccleſiæ. A[illegible] nocturni. Quidam exiſtimant [illegible] propter ſolemnitates tres nocturni d[illegible] temporibus, fuiſſe d[illegible]os, vt [illegible] *I[illegible]*, & *Amalarius*, [illegible] teſte *Diu. Thom. 1. Cor. 14. le[illegible] 6 Antiquitus* (inquit) *dicebantur nocturna diuiſim ſecundum tres vigilias noctis, nunc vero dicuntur ſimul.* Alij autem negant, etiam antiquitus diuerſo tempore nocturnos recitari ſolitos. Quod cum aliis ſequitur *Azor lib. 10. inſtitution. capit. 2.* Quidquid tamen ſit de hoc, Mihi certum videtur (vt etiam ſentit *Suar.* loco proxime citato) nocturnos non poſſe diuidi tanquam diuerſas horas, neque enim habent diuerſum modum initiandi, ſicut laudes à matutinis, ſed omnes tres cenſendos eſſe, vt vnum officium matutinale, ſicut quando dicitur tantùm vnum nocturnum & ideo qui ſine cauſa diuideret, & interponeret multum temporis nocturnum, & alterum nocturnum, idem eſſet ac ſi in vna hora inter vnum, & [illegible] pſalmum, vel inter pſalmos, & lectiones diuideret, quod ſine peccato [illegible] non poteſt. An vero abſolute ſatisfaciat dicemus inferiùs.

Articvlvs IV.

De Perſonis quæ obligantur ad officium diuinum. Vtrum omnes Clerici, qui ſunt in ſacris Ordinibus, obligentur ad recitandum Officium Diuinum; & quo iure?

1 SOlùm tria genera Perſonarum obligat Eccleſia ad officium, ſcilicet Clericos, Monachos, & Beneficiatos, & ideò de illis ſigillatim agendum eſt. In Primis ergo loquimur de Clericis, qui ſunt in ſacris conſtituti; qui enim ſolùm minoribus ordinibus iniati ſunt ſupponimus vt certum, eos non teneri ad diuinum officium, quod ſaltem ex conſuetudine, & vſu Eccleſiæ apud omnes conſtat, licet Aliqui Canoniſtæ, & Gloſſa in *cap. Si quis præſbiter* 91. *diſtinction.* Cenſeant de Iure communi eos teneri ad diuinum officium, eo quod ibi dicitur ſi quis Præſbiter, aut Diaconus, aut quilibet Clericus Eccleſiæ deputatus non conuenerit ad quotidianum pſallendi officium, &c. Vbi generaliter loquitur de quocumque Clerico, etiam minorum ordinum. Cæterùm per illam particulam. *Eccleſiæ deputatus* conſtat non loqui de Clerico ratione Clericatus, ſed ratione beneficij; *Imò* nec loqui de recitatione horarum, ſed de conueniendo ad Eccleſiam ad pſallendum in choro. *Nec etiam* obſtat *Gloſſa Innocentij in cap.* 1. *de celebrat. Miſſar.* dicentis; quod *Quilibet Clericus, etiam non ſacris conſtitutus, omni die debet dicere officia diuina, vel audire.* Nam ly *debet* ſumitur ibi pro eo quod eſt *decet*, non vt ſit idem, quod *tenetur*, quaſi præceptum imponeret, vt docet vſus Eccleſiæ. *Et denique* minus obſtat *Text. in capit. Dolentes, de celebrationem Miſſar.* vbi agendo de obligatione recitandi officium dicitur? *Dolentes referimus, quod non ſolùm quidem minores Clerici, verùm etiam aliqui Eccleſiarum Prælati,* &c. ibi enim per ly *Minores Clerici* non intelliguntur minoribus Ordinibus initiati, ſed minores reſpectu Prælatorum, ideſt, non minores in Clericatus, ſed in prælatione.

2 An verò teneantur qui ſunt in minoribus ordinibus recitare aliquid loco officij ex vi ſuæ ordinationis, communis reſolutio Doctorum eſt eos ad id non teneri, vt tradit *Sotus libr.* 1. *de iuſt. & iur. Quæſtio* 5. *articul.* 3. *& Medina in tractat. de Oratione Quæſtio.* 3. *Azor. libr.* 1. *capit.* 5. Aliique communiter, quia nullum tale extat præceptum in Iure, neque ex Iure diuino illud deducitur, vt *Quæſtio præced. articul.* 1. oſtendimus. Idque ſatis conſtat ex conſuetudine Eccleſiæ. Imò addit *Sotus* non poſſe Epiſcopum talibus Clericis imponere hoc onus, quod tamen *Azor. & Suar.* Sic intelligunt, Quod non poſſit perpetuum onus aliquid recitandi eis imponere, benè tamen ad tempus, aut quod aliquibus vicibus aliquid recitent, & ſi fuerit alicubi introducta conſuetudo, vt tales Clerici aliquid recitent, ad id tenebuntur ratione conſuetudinis, de qua eos poterit Epiſcopus monere? negat tamen *Sotus* talem conſuetudinem eſſe introductam.

3 Reſtat ergo de his, qui ſunt in ſacris Ordinibus, quos ad recitandum officium teneri generalis Eccleſiæ conſuetudo oſtendit, idque ſatis congruenter, vt qui ad ſacrum munus altaris publicè deſtinantur, publicas quoque Eccleſiæ orationes teneantur recitare, & qui diuino cultui conſecrantur, principalem partem diuini cultus, qui eſt officium diuinum teneantur colere. Sed eſt dubium, An ad hoc obligentur ſola conſuetudine Eccleſiæ, an ex præcepto aliquo Iuris? Eo quod non inuenitur Textus, qui efficaciter id iubeat de Diaconis, & Subdiaconis, ſed ſolùm de Præsbiteris præter ſtatutum *Concil. Baſil. ſeſſion.* 21. vbi dicitur: *Quoſcumque beneficiatos, ſeu in ſacris conſtitutos cùm ad Horas Canonicas teneantur admonet S. Synodus,* &c. Vbi ſupponitur eos teneri ad horas dicendas. In iure autem *caput ſi quis presbiter* citatum non loquitur de Subdiaconis, neque de alijs Clericis, niſi qui ſunt beneficiati, ſeu Eccleſiæ deputati, nec de recitatione priuata agit, ſed de conueniendo ad Eccleſiam ad pſallendum. In reliquis verò Iuribus, quæ citari ſolent ex *diſtinction.* 91. & ex *Titulo de celebration. Miſſar.* Solùm fit mentio de præsbiteris, aut de Clericis, vt ſic; nuſquam autem de Diaconis, aut Subdiaconis in particulari. Cum autem conſtet non omnes Clericos ex vi Clericatus obligari ad horas, relinquitur non cogi nos ex vi talium decretorum intelligere determinate Diaconos, aut Subdiaconos.

Solum Panormitanus, & Gloſſa, & Alij Canoniſtæ dicunt nomine *Presbyteri* in Iure intelligi Diaconum, & Subdiaconum, argumento ex c. *Si quis de cohabit. cleric.* vbi dicitur: *Si quis Sacerdotum, ideſt, Presbyter, Diaconus aut Subdiaconus,* &c. vbi nomine *Sacerdotis* omnes ſacri Ordines intelliguntur. Et 15. *Quæſtio.* 5. *capit.* 1. in fine Diaconus quidam vocatur Sacerdos. *Cæterum* non poteſt hinc certa regula colligi, nam licèt in fauorabilibus nomen *Sacerdotis*, aut *Presbyteri* ad reliquos ſacros Ordines extendi poſſit, non tamen in pœnalibus, niſi Ius id exprimat, ſicut expreſſit *in cap. Si quis* quam citaro. Imò quia vt ibi intelligeretur de omnibus, Ius expreſſit nomine *Sacerdotis*, intelligere Diaconos, & Subdiaconos, argumentum eſt quando id non exprimit, non debere ſic intelligi. Et multò minus valet ratio *Emanuelis Roderici in Summa, cap.* 224. *numero* 2. dicentis, Quod eo ipſo, quod ponitur in Iure Sacerdotibus obligatio recitandi officium, eo quòd ſunt in ſtatu Eccleſiaſtico irreuocabili, cenſentur etiam obligari Diaconi, & Subdiaconi, quia ſunt in eodem ſtatu; hæc enim ratio nunquam redditur in Iure, neque eſt fundamentum huius obligationis, nã etiam omnes Religioſi ſunt in ſtatu irreuocabili, nec tamen omnes ex vi Religionis tenentur recitare officium, vt 2. *Art.* dicemus, & patet in Religione Societatis. 4

Quapropter probabiliter *Nauarr. tr. de orat. c.* 7. *n.* 2. cenſet Diaconos, & Subdiaconos ex conſuetudine generali Eccleſiæ obligari ad recitandas horas, quæ obligatio ſupponitur potiùs, quã imponitur in *Concil. Baſil. cit.* & ſaltèm oppoſitum non poteſt apertè conuinci ex Iure, vt teſtatur *Azor. l.* 10 *c.* 5. & *Suar. l.* 4. *c.* 16. vnde corriges *Ledeſm. in Summ. Hiſp. de Relig. c.* 4. *concl.* 5. Qui dicit, Innocentium extendiſſe præceptum de recitandis Horis ad Diaconos, & Subdiaconos *in cap. Dolentes*, ibi enim ſolùm facit Pontifex mentionem de minoribus Clericis, & Eccleſiarum Prælatis, non 5

autem

autem conſtat intellexiſſe per minores Clericos Diaconos etiam, & Subdiaconos, ſicut neque Clericos ordinum minorum.

Articvlvs V.

Vtrùm Religioſæ perſonæ teneantur ad recitandas Horas, & quo Iure?

1 SVpponendum eſt ex doctrina *S. Thom.* 2. 2. *quæſt.* 188. *per totam*, Varia eſſe inſtituta Religionum, eo quòd diuerſo modo ordinantur ad tendendum in perfectionem: cùm enim ſtatus Religioſus primò, & per ſe ſit ſtatus acquirendi, & ordinandi ad perfectionem propriam, in quo differt à ſtatu Epiſcoporum, qui ſtatus eſt perficiendi alios, quidquid ſit an ipſa perſona ſit in ſe perfecta, vel non; perfectio autem ad quam tendimus, conſiſtit in charitate, & charitatis ſunt diuerſa opera, & diuerſi modi exercitiorum: ideò ſecundum diuerſa opera, quibus perfectio charitatis attingitur, & diuerſa exercitia, quæ aſſumuntur, naſcitur diuerſitas Religionum. Quare licèt omnes conueniant in vno fine communi, ſcilicet tendere ad perfectionem charitatis, habent tamen diuerſos fines proximos, ad quos proximè ordinantur; v. g. ad opera vitæ actiuæ, vel contemplatiuæ, & reſpectu horum finium aſſumunt diuerſa media, v. g. tantam abſtinentiam, vel orationem, aut laborem manuum, &c. Ex quo fit, quod Religiones illæ, quæ nec tanquam finem proximum, ad quem inſtituuntur, nec tanquam medium ad ſuum finem aſſequendum, aſſumunt officium diuinum, vel publicè, & in communitate, vel priuatim recitandum, ad illud non tenetur ex vi Religionis, præcisè enim ex vi ſtatus Religionis vt ſic non ordinatur aliquis niſi ad tendendum in perfectionem, quod autem per iſta determinata media, ſcilicet orationem, vel lectionem, vel abſtinentiam tendat ad perfectionem, non habet ex natura Religionis vt ſic, ſed ex particulari inſtituto, aut deputatione, quæ iuxta cuiuſcumque regulam, vel inſtitutionem, obligationem inducit.

2 Vnde *conſtat* neque Ordines Militares, neque quæ ſolùm ad laica miniſteria ordinentur, teneri ad officium diuinum, ſed ſolùm ad obligationes illas, quas ſua Regula præſcribit. Et ſimiliter Religio, quæ licèt ordinetur ad aliquod opus vitæ contemplatiuæ, non tamen aſſumit pro medio, aut fine ſuæ inſtitutionis aſſiſtentiam Chori, & Horas Canonicas, non tenentur Religioſi ex vi Religionis ad officium diuinum. Quare ſolùm illi Religioſi, qui Chori aſſiſtentiam habent, & aſſumunt pro medio, aut fine ſuæ Religionis orationem vocalem, ſeu Horas Canonicas, ad eas recitandas tenebuntur. Et non eſt difficultas de Religioſis ordinatis Ordinibus ſacris; qui enim non ſolùm ſunt Religioſi, ſed etiam Clerici maiorum ordinum, & ideò titulo talis clericatus tenebuntur. Similiter neque de his, quibus in ſua Regula præcipitur, vt Horas recitent. Sed difficultas eſt de Religioſis tantùm præcisè titulo Religionis habentis aſſiſtentiam Chori, vtrùm teneantur ex vi huius, etiam extra Chorum recitare?

3 In *qua re* vnum eſt certum, & alterum dubium. Certum eſt de re ipſa, ſcilicet tales Religioſos ſub mortali teneri, etiam extra Chorum recitare, licet *Aragon.* 2. 2. *quæſt.* 83. *art.* 12. dixerit, Religioſos ſi ſemel recitare omitterent, non peccarent mortaliter, ſi verò per multum temporis omitterent, peccarent mortaliter. Eſt tamen dictum hoc intolerabile, & communiter reiectum, cùm omiſſio vnius diei ſatis materia notabilis ſit ad peccatum mortale in Clerico, vel in Beneficiato; cur ergo non erit in Religioſo, ſi conſtat ipſum teneri ad recitandum? Sicut omiſſio audiendæ Miſſæ in vno die feſto eſt ſufficiens materia ad peccatum mortale; aut ergo neganda eſt totaliter obligatio in Religioſo ad recitandum, etiam per longum tempus, aut ea poſita, vnius diei omiſſio eſt notabilis materia.

4 Dubium *vero eſt* de fundamento huius obligationis; An ſcilicet fundetur in Iure naturali, aut quaſi connaturali ipſius Religionis. An in aliquo præcepto, ſeu lege, An verò in conſuetudine, Quia non eſt alius modus, vnde naſcatur obligatio. Et de lege quidem, aut præcepto non conſtat, quia nullum tale extat in Iure, in quo originetur huiuſmodi obligatio. Similiter neque de Iure naturali, aut connaturali, quia iſtud ius, vel eſt quia aluntur ab Eccleſia Religioſi, eo pacto vt recitent, vt ſentit *Paludan.* vel ex eo quòd deputantur ad ſequendum Chorum, & conſequenter in particulari quilibet manebit obligatus ad recitandum. Non ex primo. *Tum* quia Eccleſia non ſuſtentat Religioſos vt miniſtros cum pacto recitandi horas, aliàs eſſent Beneficiati, vnde neque de iuſtitia ſuſtentantur ab Eccleſia, ſed ex eleemoſynis, aut donationibus Fidelium. *Tum* quia alias omnes Religiones haberent hoc onus, cùm omnes ab Eccleſia ſuſtententur, Nec conſtat cùm aliquibus feciſſe pactum, & non cùm aliis ad recitandum. *Secundus etiam titulus* non ſufficit, quia obligatio recitandi in Choro ſufficienter impletur a Communitate, vnde ſi hoc munus impletur ab aliquibus, non eſt ratio cur illi, qui extrà Chorum ſunt, ex vi huius obligationis teneantur priuatim recitare, ſicut ex eo quòd aliqua Religio inſtituitur ad prædicandum, vel militandum non ex hoc quilibet in particulari tenetur prædicare, vel militare, ſi per alios id munus impleretur.

5 Reſtat *ergo* recurrere ad conſuetudinem immemorialem, & fortaſſis ipſo initio fundationis Religionum inchoatam; hanc enim conſuetudinem Monachos habuiſſe, latè refert *Caſſianus lib.* 2. *de inſtit. Monachor.* Maximè enim decet, vt in talibus Religionibus, non ſolùm omnes, ſed quilibet priuatim recitet, cùm ſit præcipuum ad quod tales Religiones obligantur, & in quo earum profeſſores ab aliis diſtinguuntur. Hæc autem conſuetudo ex ipſo vſu, & praxi conſtat, & videtur etiam declarari à Summis Pontific. nam *Pius V.* in Reformatione *Breuiarij Romani* iubet, vt iuxta eius ritum, etiam omnes Religioſi teneantur recitare niſi qui a ducentis annis ex approbata inſtitutione alium ritum habuerint. Et pro Ordine Prædicatorum *Clemens VIII.* iuſſit, vt iuxta reformationem Breuiarij tam in Choro, quàm extra teneantur recitare. Sufficienter ergo declarata eſt hæc conſuetudo tanquam obligatoria, ac proinde licèt ſequamur *Caietanum* in eo, quòd dicit, Religioſos ex conſuetudine teneri ad recitandum extra Chorum, non tamen in eo, quòd dicit, non conſtare an

hæc

[illegible] conſuetudo obliget ad mortale. Sic etiam explicant hanc obligationem *M. Torre, Suar. Azor. L. de m. & alij.*

6 Sed quæres an Moniales teneantur recitare Officium diuinum eodem modo, quo Religioſi? *Reſpondetur affirmatiuè*, Quod conſtat ex eadem conſuetudine, & declaratione Pontificum, præſertim à *Clement. VIII.* vbi pari modo loquitur de Sororibus Ordinis Prædicatorum. *Et ratio eſt*, quia habent idem fundamentum huius obligationis, ac Religioſi, quid ex vi profeſſionis deputantur ad ſequelam Chori, & viget eadem conſuetudo in illis, ac in Religioſis. Nomine autem *Monialium* intelligendæ ſunt omnes, quæ ſub voto ſolemni viuunt in Congregatione, & habent ex vi Conſtitutionis, Regulæ, profeſſionis, vel conſuetudinis aſſiſtentiam Chori. Ita communiter omnes Doctores citati.

7 Secundò *quæritur*; An Nouitij, vel Conuerſi teneantur ad Officium diuinum, vel ſaltem ad aliquas preces? *Reſpondetur negatiuè*, Nouitij quidem, quia nondum ſunt Religioſi, quantùm ad onus Religionis, licèt in aliquibus participent fauorem Religioſorum. Conuerſi verò, quia non profitentur Religionem, vt vacent diuino cultui in laudibus diuinis, ſed in operibus laicalibus, & manualibus. Quibus etiam fauet conſuetudo non recitandi communiter acceptata. Tenebuntur tamen ad aliquas preces iuxta tenorem, aut mandatum Regulæ, aut Conſtitutionum, quas profitentur.

8 Tertiò *quæritur*, An ſi aliquis Religioſus Choro deputatus transferatur ad ſtatum Conuerſorum, vel eiiciatur à Conuentu ad ſæculum, aut damnetur ad triremes, adhuc teneatur recitare? *Reſpondetur* in primo caſu non teneri, Quia talis mutatio tollit fundamentum vnde oritur obligatio, ſcilicet profeſſionem per modum deputationis ad Chorum, & ad cultum diuinum, idem enim operatur illa mutatio, ac ſi ab initio eſſet laicus, ſicut è contra laicus tranſlatus ad ſtatum Clericorum tenetur recitare. Ita tenet *Suarez, & Azor.* An verò hanc poteſtatem habeat Prælatus inferior Papa, prudenter dubitat *Torre*; neque enim facilè dabitur caſus, quo conſtet id factum a Prælato inferiori, quamuis è contra tranſlatio laicorum ad Clericos ſæpè fiat. Si tamen Prælatus inferior id poſſit facere, non inde ſequitur, quod poſſit eximere aliquem ab onere recitandi, ſed ſolum quod poſſit auferre fundamentum vnde naſcitur illa obligatio. Sicut Epiſcopus poteſt Beneficiarium priuare beneficio, & tunc ratione beneficij non tenebitur recitare non tamen poteſt diſpenſare vt manente beneficio eximatur ab onere recitandi. *In ſecundo autem, & tertio caſu*; adhuc tenetur Religioſus recitare per ſe loquendo. Quia manet ſubſtantialiter Religioſus, & profeſſio ſua non extinguitur, vnde tenetur recitare, ſicut tenetur ſubſtantialia vota ſeruare, & in hoc conueniunt Authores citati, alias ex ſua iniquitate reportaret commodum, & alleuiationem. Sicut ergo manente aliquo in ſacris, aut cum titulo beneficij, quantumcumque puniatur tenetur recitare, ſic ille qui manet in profeſſione Religionis ſemel ſuſcepta. Secus eſt ſi profeſſio omnino extinguatur, ſicut fit in aliquibus electis à Societatis Religione. Qui tamen actu verſatur in triremibus, plerumque excuſatur propter labores, ſi tamen ei tempus ſuperſit, & habeat breuiarium, tenetur recitare id, quod poteſt, & in quo ſupereſt facultas.

9 Vltimò *quæritur*, An Religioſus diſpenſatus à Papa, vt contrahat matrimonium, vel vt viuat perpetuò extra Conuentum, adhuc recitare teneatur? *Reſpondetur*; In primo caſu non teneri, vt benè probat *Ledeſma*, Quia talis diſpenſatio in Religioſo ad contrahendum in tantùm eſt valida, in quantum tollit ab illa perſona ſtatum Religioſi, nam manente tali ſtatu, omnes fatentur, non poſſe cadere diſpenſationem, vt Religioſus contrahat; hoc enim ad minus determinatur in *cap. Cum ad Monaſterium, de ſtatu Monachorum.* Sublato autem ſtatu Religionis, tollitur obligatio recitandi, & cætera omnia, quæ in tali ſtatu fundantur. Secus eſt ſi Clericus in Sacris diſpenſetur ad contrahendum matrimonium, vt aduertit *Azor. lib. 1. cap. 5.* Hic enim non eo ipſo liberatur à recitandis horis, eo quòd non tollitur ab illo ordo Sacer, & Clericatus deputatus ad recitandum: vnde niſi Pontifex in hoc diſpenſet, ex vi prioris diſpenſationis non manet liber, quamuis iuſta detur cauſa, vt cum eo diſpenſetur propter occupationes rei familiaris, ratione cuius dicitur etiam Clericus vxoratus ineptus ad beneficia Eccleſiaſtica, quia non poteſt vacare Deo, in *cap. Quod à te, & cap. diuerſis, de Cleric. coniug.* In ſecundo autem caſu conſtat, adhuc Religioſum teneri ad recitandum ex oppoſito fundamento, quia talis diſpenſatio non tollit profeſſionem, quæ eſt fundamentum illius obligationis, neque ex eo quòd Pontifex diſpenſet in vno, ſcilicet quod viuat extra Conuentum, cenſetur in alio diſpenſare, ſcilicet, vt non recitet. Et ita ſentiunt *Ledeſm. Torre, Suar.* quamuis oppoſitum immeritò dicat *Azor. loco citato, cap. 6. in fine*, quando Religioſus in perpetuum diſpenſatur ad manendum extra Conuentum.

ARTICVLVS VI.

Vtrum Beneficiarij obligentur ad recitandas Horas Canonicas?

APud *Omnes* indubitatum eſt Beneficiarios obligari ſub mortali ad recitandas horas; 8
& ſolet illa obligatio probari ex *cap. Si quis Presbyter 91. diſt. 2.* vbi dicitur *Si quis Presbyter, aut Diaconus, vel quilibet Clericus Eccleſiæ deputatus, in quolibet loco fuerit, in quo Eccleſia eſt, & ad quotidianum pſallendi officium, tam matutinis, quam veſpertinis horis non conuenerit, deponatur à Clero*, vbi per ly *Clericus Eccleſiæ deputatus* communiter beneficiatos intelligunt Interpretes, quos citat *Azor. lib. 10. cap. 3.* Cæterùm adhuc dato hoc, non expreſſe habetur eo loco obligatio recitandi officium, ſed tantùm conueniendi ad Eccleſiam illis horis in loco vbi Eccleſia fuerit. Vnde ergo probatur, quod extra illum locum adhuc priuatim tenetur beneficiatus recitare? Similiter *in cap. Quod à te, & cap. Diuerſis, de Cleric. coniugat.* dicitur, Clericum coniugatum eſſe ſpoliandum beneficio, eo quòd diuinis, & Eccleſiaſticis obſequiis vacare non valeat, ex quo tamen non colligitur euidenter ad recitandum teneri ex vi

beneficij, ſed ſolùm teneri ad aliquod obſequium Eccleſiaſticum, cui inepti redduntur per coniugiū. Quod autem ad hoc determinatum obſequium, ſcilicet recitandi Horas, non inde colligitur, quia Ius ſolùm loquitur in genere de Eccleſiaſtico obſequio, non in ſpecie de iſto. Præterim cum Clerici Orientales in ſacris conſtituti permittantur manere in matrimonio ante contracto, vt dicitur *in cap. cum olim, eod. tit.* & tamen officium recitant etiam vxorati.

2 Quare efficax probatio huius obligationis reducitur quaſi ad pactum iuſtitiæ ſimul cum declaratione Eccleſiæ, quæ declarauit ſe dare beneficium propter obligationem talis officij, quod eſt recitare horas. quamuis oppoſitum ſentiat *Azor. lib. 10. cap. 4. in fine* inſufficienti tamen ratione. Noſtra igitur ſententia eſt communis Canoniſtarum, & Summiſtarum, vt ibidem fatetur Et declaratur ſic. Nam beneficium datur propter officium, & tanquam ſtipendium pro aliqua actione facienda à Beneficiato, vt conſtat ex *cap. Quia per ambitioſam de Reſcriptis in 6.* Neque enim Eccleſia tribuit Beneficiato redditus gratis, & per modum eleemoſynæ, ſed vt ſtipendium, quod debetur illi vt miniſtro; & conſequenter ratione alicuius miniſterij: omne autem ſtipendium quod datur alicui miniſtro, vt exerceat aliquam actionem obligat illum ex pacto iuſtitiæ ad illam implendam: ergo ſi Eccleſia tribuit beneficiato vt miniſtro ſtipendium, & propter aliquod officium, ſeu actionem, ad illam tenebitur ex pacto Iuſtitiæ.

3 Sed *quia* ſunt plures actiones, ad quas Eccleſia poteſt obligare beneficium, reſtat probare quod Eccleſiæ intentio ſit illum obligare ad hanc determinatam actionem, quæ eſt recitare Horas. Hoc autem & ea conſuetudine antiqua conſtat, quæ ſic ſemper intellecta, & practicata eſt, & ex declaratione Eccleſiæ facta in *Concilio Lateranenſi ſub Leone X. Seſſione 9. cap. 9.* vbi dicitur, Quod habens beneficium ſi non recitauerit Horas poſt ſex menſes ab obtento beneficio priuetur illo, quia beneficium datur propter officium. Ergo declarauit Eccleſia quod officium, ſeu miniſterium propter quod datur beneficium, eſt recitatio Horarum. Et poſtea *Pius V. in Bulla*, quæ incipit *Ex proximo*, data anno 1572. Confirmauit hanc Conſtitutionem Concilij, & declarauit, quod ille, qui primis ſex menſibus officium non dixerit, niſi legitimum impedimentum habuerit, graue peccatum admiſerit. Igitur ſatis declarauit Eccleſia quod tribuit beneficium in ponendo onus recitandi Horas, tanquam Officium, & actio propter quam dat tale ſtipendium. Tenetur ergo Beneficiatus ex pacto iuſtitiæ ratione ſtipendij accepti ad recitandas Horas.

4 Sed *quæres* vtrùm habens plura beneficia ſatisfaciat recitando ſemel in die? Reſpondet *Nauarr.* negatiuè, ſed quod tenetur tot officia dicere, quot habet beneficia. Oppoſita tamen ſententia eſt communis, de qua videri poteſt *Suarez lib. 4. c. 18. Azor. lib. 10 c. 4. M. Torre de Horis Canon. controu. 6 c. 4.* Et quod magis eſt *Sanct. Thom.* eam tenet expreſſe *Quodlib. 1. art. 13.* Eſt tamen valdè difficile reddere huius rei rationem, & in vniuerſali tradere aliquam regulam, qua poſſimus diſcernere quando ſatisfaciat homo duplici præcepto, ſeu obligationi per vnam tantùm actionem, & quando non. Videmus enim, quod qui [illegible] duas Capellanias, aut duplex [illegible] pro [illegible] ſacrificio, non ſatisfacit dicendo tantum [illegible] Miſſam; & ſimiliter cui iniungitur pro pœnitentia vt audiat vnum ſacrum, aut recitet Pſalmum, non ſatisfacit recitando, aut audiendo id quod aliàs tenebatur. Econtra verò, ſi aliquis ten[e]tur ex voto ieiunare tali die, & ibi inciderit vigilia, tunc facit voto, & præcepto Eccleſiæ vno ieiunio. Et ſimiliter qui eſt in ſacris, & [e]ſt Religioſus vnica recitatione ſatisfacit ſuæ obligationi. Vnde ergo diſcernemus inter hos caſus? *Nauarrus* enim tuetur ſuam ſententiam prioribus exemplis; ſicut enim qui recipit duo ſtipendia pro duabus Miſſis, idcò nõ ſatisfacit dicendo vnam Miſſam, quia recipit illam tanquam ſtipendium ſic cùm beneficia ſe habeant vt ſtipendium propter beneficium, qui recipit duo beneficia, tenebitur ad duplex officium. *Suarez* vero, & Alij poſterioribus exemplis tuentur contrariam ſententiam, nulli tamen reddunt rationem diſparitatis, ſed in ſumma id reducunt ad conſuetudinem Eccleſiæ; ipſa enim vſus declarat, quod qui habet plura beneficia, ſatisfacit vnico officio ſcientibus, & conſentientibus Prælatis.

5 Nihilominus *tamen* ne omnia ad conſuetudinem reuocemus: Aduertendum eſt, quod onus & obligatio quæ alicui perſonæ imponitur duplici ratione poteſt imponi: vno modo ratione rei, ſeu actionis faciédę primò, & per ſe, Alio mod[o] [illegible] & per ſe ratione perſonæ, & temporis, ita quod obligatio ad ſe reſpiciat, quod ille perſona maneat deputata ad aliquam actioné, vel aliquod tempus ei deputetur ad aliquid faciendum: V. g quando aliquis accipit obligationem dicendi duas Miſſas, primò & per ſe obligatur ad exhibendam illam actioné, vnde ſiue hoc faciat per ſe, ſiue per alium, ſatisfacit obligationi. Econtra vero obligatio recitandi ratione ordinis ſacri, & ſimiliter reſidentia Epiſcoporum eſt obligatio perſonalis, vt aduertit *Caiet. 2. 2. Q. 185. art. 5. §. Ad 2.*

6 Qui *ergo* primo modo obligatur ad aliquid faciendum, ſi habeat duplicem obligationem non ſatisfacit vnica actione, ſeu opere, quia quælibet obligatio eſt diſtinctum onus poſitum ratione iſtius actionis primò & per ſe. Quando verò ſecundo modo concurrit multiplex obligatio, vnica actione poteſt ſatisfieri, quia illæ obligationes non ſunt onera ad ipſam actionem primò, & per ſe, ſed vt deputetur perſona, vel tempus ad aliquam actionem faciendam. Vnde in eadem perſona, vel intra [e]ndem tempus illi plures tituli non exigunt diſtinctam actionem. Et hanc rationem inſinuat D. T[hom]. loco citato: *Quod qui habet plures præbendas debet laudes Deo quas vnus homo*, vnde ſufficit quod ſemel officium dicat, quia [ſci]licet debet vt homo deputatus ad laudem D[ei]. Vnde quantumcomque multiplicentur titu[li] ſemper debet *vt vnus homo* vnice deputatus. Itaque recitatio offici[j] eſt onus deputatiuum perſonæ, & temporis; perſonæ quidem, quia ſicut homo conſtitutus in ſacris obligatur ratione perſonæ ad laudandum Deum, quia deputatur ab Eccleſia vt miniſter cultus diuini, ita Beneficiatus accipit ab Eccleſia ſtipendium, vt ſimile onus ſubeat, ac illi qui ſunt in ſacris. Eſt etiam onus temporis, quia eſt occupatio totius diei, ſicut ieiunium eſt actus occupans totam diem. Qua ratione qui ex

voto

voto, & præcepto Eccleſiæ ieiunat, vnico actu ieiunandi ſatisfacit. Sicut ergo in vno die non eſt niſi vnica hora, Tertia, aut Sexta, &c. Sic officium occupans Tertiam, aut Sextam, non debet multiplicari intra eundem diem.

7 Nec obſtat quod ad hoc accipit ſtipendium. Quando enim ſtipendium datur vt perſona ſit deputata ad aliquid, & ex deputatione ſequitur obligatio, poteſt ſatisfacere vnica actione, & vnico opere etiam ſi plura ſint ſtipendia, quia non additur noua deputatio, ſicut accipiens ſtipendium à Ciuitate vt doceat, aut curet ægrotos etiam ſi à diſcipulis, aut ægrotis accipiat ſtipendia particularia, ſatisfacit vnica actione curandi, aut docendi.

8 Ex quo ſoluitur fundamentum *Nauarri*, in illis enim caſibus obligatur homo ex duplici obligatione ad duo opera facienda, quia non eſt obligatio hominis deputatiua, aut determinatiua temporis ad aliquam actionem faciendam, ſed obligatur primo, & per ſe propter ipſum opus, non propter deputationem perſonæ, aut temporis, & ideo accipiens plura ſtipendia ad dicendum Miſſam, vel orandum pro alio, tenetur plures orationes, vel Miſſas dicere, aut curare vt alius dicat; accipiens verò plura ſtipendia vt perſona ſua ſit deputata ad officium dicendum quolibet die ſicut miniſter, vnico officio intra illum diem dicto, ſatisfacit.

Articvlvs VII.

Vtrùm Beneficiarius ſit obnoxius reſtitutioni ſi non recitet, & Quomodo?

1 SVpponendum eſt Decretum *Concily Lateranenſis ſub Leone X. Seſſ. 9. cap. 9.* Vbi præcipitur, Quod quilibet habens Beneficium cum Cura, vel ſine Cura, ſi poſt ſex menſes ab obtento beneficio diuinum officium non dixerit ceſſante legitimo impedimento beneficiorum ſuorum fructus non faciat ſuos pro rata omiſſionis officij, & temporis. Vbi non eſt admittendum quod dicit *M. Soto*, & impugnatur à *Torre controuerſ. 9. num. 30.* & à *Suarez lib. 4. cap. 29. num. 4.* legendum eſſe in verbis Concilij, *Si per ſex menſes ab obtento beneficio*, &c. Sed legendum eſſe, *Poſt ſex menſes*, Quod etiam declarauit Statutum *Pij V. citat. præcedenti Art.* vbi dicit: Si *poſt ſex menſes quod illud obtinuerit*, &c. Declarans autem Pontifex quomodo intelligenda ſit Rata temporis ſecundùm quam tenetur reſtituere, ſic dicit: *Statuimus vt qui horas omnes Canonicas vno, vel pluribus diebus intermiſerit, omnes beneficij, ſeu beneficiorum ſuorum fructus, qui illi, vel illis diebus reſponderent, ſi quotidie diuiderentur, qui verò matutinum tantùm dimidium, qui cæteras omnes horas aliam dimidiam qui harum ſingulas ſextam partem fructuum eiuſdem diei amittat.*

2 Circa hæc autem Decreta multiplex dubium occurrit. *Primum*, An qui de facto non recitet primis ſex menſibus poſt obtentum beneficium, teneatur adhuc aliquam reſtitutionem facere? Videtur enim teneri, cùm recipiat illis ſex menſibus ſtipendium: ergo ex pacto iuſtitiæ tenetur recitare, atque adeò reſtituere ſi non recitet, quia hoc ſequitur ex natura rei, quia læditur pactum iuſtitiæ. Nec poteſt dici cùm Syluestro verb. *Clericus 4. quæſt. 23. num. 16.* Quod beneficium non datur ſolùm propter officium recitandum, ſed etiam propter alia officia, vt propter adminiſtrationes Sacramentorum, & ideò ſi omittatur recitatio, remanent aliæ actiones, propter quas retineat fructus. Hoc (inquam) non valet; Tùm quia non procedit hæc Reſponſio de beneficiis ſimplicibus, quæ non dantur propter aliquam actionem circa populum, ſed propter meram recitationem. Tum quia æquè procedit iſta ratio de primis ſex menſibus, & de tempore poſt ſex menſes, & expreſsè Pontifex obligat poſt ſex menſes ad reſtituendos fructus omnes: ergo iſta ſolutio non valet. Ac denique quia ad ſummum probat non eſſe reſtituendos omnes fructus in beneficiis curatis propter ſolam omiſſionem recitandi, non verò probat nihil eſſe reſtituendum.

3 Ex alia verò parte videtur fieri condonatio ab Eccleſia pro primis ſex menſibus. Declarat enim quod poſt ſex menſes, ſi non recitet, fructus non faciat ſuos: ergo ſupponit quod intra ſex menſes facit ſuos. *Nauarrus cap. 21. de Oratione, n. 56.* cenſet non teneri Beneficiatos reſtituere pro illis primis ſex menſibus, eſto peccent mortaliter non recitando, vt declarauit ibidem *Pius V.* Pro contraria parte citatur *Sotus lib. 10. de iuſtitia, & iure, quæſt. 5. art. 6. & Couarr. lib. 3. variar. cap. 13. num. 10.* Vtramque ſententiam vt probabilem tenet *Mag. Torre controu. 9. num. 32.* & ſequentibus. At verò *Suarez lib. 4. cap. 29.* nouam excogitauit ſententiam, videlicet, Beneficiarium primis ſex menſibus non recitantem teneri ad aliquam reſtitutionem, eam verò non eſſe neceſſariò faciendam in aliquibus bonis, ſeu fructibus temporalibus beneficij, ſed poſſe fieri in bonis ſpiritualibus, quæ fuerunt omiſſa, v. g. oratione.

4 Hæc ſententia *Suarez* videtur mihi parum conducens ad propoſitum. Nam talis Beneficiatus verè, & in re facit fructus ſuos illis primis ſex menſibus, ſiue ex indulgentia; & condonatione Eccleſiæ, ſiue ex alia cauſa, vel non facit; Si non facit fructus ſuos, tenetur illos reſtituere; vtpotè rem non ſuam, & non ſatisfacit reſtituendo ſolùm bona ſpiritualia vt orationes, aut aliquid ſimile. Si verò facit fructus ſuos, peccabit quidem non recitando propter declarationem Pontificis. Cæterùm non obligabitur aliquid reſtituere ex vi ſtipendij accepti ab Eccleſia, quia etſi non recitet, facit ſuum illud ſtipendium: Remoto autem ſtipendio, non tenetur ad aliquid ſpirituale reſtituendum, tum quia id Eccleſia non exigit; tum quia ille, qui eſt in ſacris, non tenetur aliquid ſpirituale reſtituere, ſi omittat recitare aliqua die: ergo neque Beneficiatus, quia quoad reſtitutionem ſpiritualium pari modo obligantur; tum denique, quia recitatio horarum eſt onus pro quocumque die; ergo tranſacto die non tenetur illud recitare nec aliquid loco illius, quia Eccleſia non obligat beneficiatum vt oret pro ſe quomodocumque, ſed pro quocumque die tanquam onus illius diei; & ita ſicut qui omittit audire ſacrum in die feſto non tenetur alio die audire Miſſam, quia eſt onus illius diei tantùm, ſic & qui omittit recitare ſiue primis ſex menſibus, ſiue poſt. De reliquis autem ſententiis quælibet illarum eſt probabilis; & tutè ſequi poteſt dummodo intelligamus, quod

ſi non tenetur reſtituere Beneficiarius non recitans primis ſex menſibus, id erit ex condonatione, & benignitate Eccleſiæ facta in illis Decretis; non ex natura rei, nam ſecundum ſe tenebatur reſtituere ex vi pacti, & ſtipendij accepti, quod obligat ex iuſtitia commutatiua. De quo vide *Suar. dict. cap. 29. num. 7. & ſeqq.*

5 Secundum *Dubium eſt*, An teneantur reſtituere hos fructus ante ſententiam Iudicis? Videtur enim non teneri ante, quia hæc lex eſt pœnalis, & ſic non tenetur ad illam ante ſententiam Iudicis, ſicut pœna priuationis beneficij, quæ imponitur in Decreto Concilij non obligat ante ſententiam Iudicis. De hac re ante Concilium Lateranenſe fuerunt contrariæ opiniones. Quidam enim exiſtimabant teneri Beneficiarium ex pacto iuſtitiæ ad recitandum, & conſequenter reſtituere debere ſi non recitaret. Alij exiſtimabant ſolùm præcepto Eccleſiæ ad id teneri, atque adeò non obligari ex vi iuſtitiæ ad reſtituendum, ſed ſolùm reſtitutionem fructuum accipiendam eſſe vt pœnalem, id eſt, vt pœnam impoſitam tranſgredienti illud præceptum, non vt debitam ex violatione pacti iuſtitiæ. Quam ſententiam vt veriorem tuetur *Azor. lib. 10. cap. 14.* Addit tamen quod poſt Concilium Lateranenſe, & Decretum *Pij V.* verior eſt ſententia eorum, qui dicunt teneri in foro conſcientiæ ſtatim reſtituere, licèt alij oppoſitum dicant etiam poſt tale Decretum.

6 Nihilominus tamen nullam probabilitatem, aut apparentiam video, qua defendi poſſit poſt Decreta Concilij, & Pij V. non teneri reſtituere illos fructus in foro conſcientiæ ante Iudicis condemnationem. Expreſsè enim in illis Decretis dicitur, Quod *fructus non faciant ſuos*. Et Pontifex dicit, Quod tanquam iniuſtè perceptos eos teneatur erogare, &c. Ergo non poteſt licitè eos retinere ante ſententiam iudicis. *Patet*, Quia non ſunt ſui, ſed iniuſtè percepti: ergo non poſſunt illis vti vt rebus ſuis, atque adeò dominium eorum amittit eo ipſo, quòd non recitat. *Nec poteſt dici* hæc Decreta non eſſe vſu recepta, cum manifeſtè oſtendat ipſa praxis, & vſus non recitantem ſe ſentire obligatum ad reſtituẽdum, etiamſi peccatum non recitandi non probetur in foro exteriori. Vnde & in Bulla Cruciatæ, quæ dicitur *Compoſitionis*, datur facultas ad componendum id quod Beneficiarius debet ex non recitatione officij: ergo receptum eſt quod debeat. Nec eſt ſimile de priuatione beneficij, quia priuatio beneficij eſt pœna impoſita propter contumaciam non recitantis, & in foro exteriori deducenda, & probanda per legitimam monitionem, vt expreſsè ponit Concilium, nec præcipitur ibi vt beneficium eo ipſo vacare cenſeatur, ſed vt priuetur ſi contumaciter permanſerit legitima monitione præcedente: quæ verba manifeſtè loquuntur de priuatione non ipſo facto incurrenda, ſed in foro exteriori facienda per Iudicis ſententiam.

7 Addo *ſatis colligi* ex verbis Pontificis reſtitutionem ipſam fructuum faciendam fundari in læſione iuſtitiæ, dicit enim debere fructus reſtituere tanquam iniuſtè perceptos: ergo apertè ſupponit iniuſtitiam committi in eo quod non recitando accipit fructus, atque adeò ſupponit fructus eſſe ſtipendium iuſtitiæ, & ſub pacto iuſtitiæ datos pro recitatione. Ex quo vlteriùs fit, quod ſi vera eſſet ſententia Dicentium ante Concilium Lateranenſe non obligari Beneficiatos reſtituere fructus ante ſententiam Iudicis, oporteret fateri, quòd ante Concilium non dabantur fructus vt ſtipendium, & ex pacto iuſtitiæ ad recitandum, neque fuiſſe iniuſtè perceptos, licet peccaret in non recitando contra præceptum Eccleſiæ, atque adeò in Decretis iſtis mutatam fuiſſe formam dandi beneficia ab Eccleſia, quia ante non dabantur per modum ſtipendij, & pacti iuſtitiæ, ſed ſolum cum præcepto recitandi, modo autem dantur cum pacto iuſtitiæ, cum dicantur iniuſtè percepti ſi non recitet.

Tertium *Dubium eſt*, An beneficia, quæ non dantur propter ſolam recitationem, ſed etiam propter alia onera vt *Beneficia Curata*, ſi Beneficiarius non recitet teneatur omnes fructus reſtituere, ſicut tenetur Beneficiarius ſimplex, vel ſolùm illos, qui oneri recitationis correſpondent. In hac difficultate communiter Thomiſtæ *M. Ledeſma tract. de Relig. cap. 4. concluſ. 10. dub. 6.* Dicit eſſe certum non teneri reſtituere omnes fructus, propter ſolam omiſſionem recitandi, qui habet beneficium curatum, quia tale beneficium datur illi propter alia miniſteria, ratione quorum poteſt ſtipendium accipere, & retinere. Idem tenet *M. Torre controu. 9. n. 40.* & citat pro ſe *Aragon.* & *Sotum*, & ſimiliter *Ludou. Lop. 1. p. Inſtructor. c. 145.* Et citat pro ſe *M. Medinam*, qui id fundant in quadam æquitate, ſecundum quam interpretanda eſt Extrauagans Pij V. Æquum enim eſt vt ſi beneficium non ſolùm datur propter officium recitandi, ſed etiam propter alia officia, quantum eſt ex vi iuſtitiæ, & pacti pro quocumque officio accipiat aliquid ſtipendij, & conſequenter non cenſeatur debere omnes fructus propter ſolam omiſſionem recitandi, quia manent alia officia propter quæ etiam datur beneficium, & ratione illorum aliquid accipere poteſt. Quod ſi teneatur omnes reſtituere erit in pœnam, & tanquam aliquid pœnale accipiendum. Oppoſitum ſentiunt, qui ſunt extra Scholam *D. Thomæ*, *Nauarrus*, *Couarruuias*, *Duranus*, *Suarez lib. 4. cap. 30.* & *Azor. lib. 10. cap. 14.* Fundaturque hæc ſententia in ipſis verbis Extrauagantis, quæ ſine dubio maxime ponderant pro iſta ſententia. Expreſsè enim Concilium, & Pius V. loquuntur de quocumque habente beneficium cum cura, aut ſine cura, de quo dicunt, *Quod ſi non recitauerit, fructus non faciat ſuos*, & de eiſdem ſubdit Pontifex, Quod qui horas omnes vno die, aut pluribus omiſerit, omnes beneficij, ſeu beneficiorum ſuorum fructus, qui illi, vel illis diebus correſponderent, ſi diuidentur, amittat. Ergo ſi omnes amittere debet loquendo de beneficio cum cura, & ſine cura, vt ibi loquitur Pontifex, quomodo poteſt aliquid retinere?

Itaque *in hac ſententia* eſt dicendum, Quod mens Concilij, & Pontificis eſt, Quod recitatio non ſolùm ſit officium propter quod datur beneficium, ſed etiam conditio, ſine qua non faciat fructus ſuos, etiam ſi alia habeat officia. Quando autem ponitur aliquid in pacto tanquam conditio, ſine qua fructus non faciat ſuos, ſi non impleatur conditio, obligatur ante ſententiam Iudicis ad reſtitutionem illorum, quia non facit illos ſuos ſine tali conditione. Et quidem ſi in hac ſententia poſſet probari, quod etiam in beneficiis curatis adæquatum officium, propter quod datur beneficium, eſt recitare, reliqua autem onera non dantur vt officia, huiuſmodi beneficium,

beneficium, ſine dubio relinqueretur vt certum quod etiam Beneficiarius Curatus teneretur reſtituere omnes fructus correſpondentes illi diei, in quo non recitat, ſicut Beneficiarius ſimplex, quia officium per ſe, & adæquatum propter quod datur, eſt recitatio. Sed hoc non eſt verum, alias relinqueret Eccleſia ſine ſtipendio laborem miniſtrandi Sacramenta, & paſcendi populum propter quod tamen maximè debetur Paſtori ſtipendium, iuxta illud 1. ad Corint. 9. *Dominus ordinauit iis, qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuere.* Et iterum: *Quis militat ſuis ſtipendiis vnquam: quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat.* Debetur ergo propter annuntiationem Euangelij, & paſturam gregis ſtipendium, & conſequenter non ſola recitatio eſt officium, propter quod datur beneficium. Si ergo eſt verè officium, & verè illi correſpondet ſtipendium ex vi iuſtitiæ faciendo, illud officium, poteſt accipere ſtipendium, etſi omittat recitationem, niſi recurratur, vt *Suarez* recurrit, ad hoc quod Pius V. & Eccleſia poſuerit tanquā conditionem ad percipiendos, & faciendos fructus ſuos, etiam pro aliis miniſteriis recitationem officij, & ideò illa omiſſa nihil facit ſuum.

10 Sed quia hoc non euidenter conſtat ex textu Pontificis, ſed ſolùm probabiliter deducitur, & lex illa ſit valdè pœnalis quæ nullo modo amplianda eſt, ideò Thomiſtarum ſententia ſemper manet probabilis, & tutè ſequi poteſt in praxi cùm fundetur in magna æquitate, & conformitate ad illam Extrauagantem, ne fingamus ponere pro conditione recitationem officij, quod ſolùm ponitur vt officium quoddam talis beneficij, adæquatum quidem reſpectu beneficij ſimplicis, & inadæquatum, ſeu partiale reſpectu curati. Et hoc eſt quod Pontifex & Eccleſia voluit declarare, ſcilicet, quod obligatio recitandi non ſolum in beneficio ſimplici, ſed etiam in Curato ſit onus, & officium, quod ſi omittatur obligat ad reſtitutionem, ita tamen quod intelligatur ſecundum accōmodum ſenſum, vt obliget ad adæquatam reſtitutionem in eo, in quo eſt adæquatum officium, vt in beneficio ſimplici; ad inadæquatam verò vbi eſt inadæquatum, vt in Curato. Et quod dicit omnes fructus debere reſtituere, ſic habent verba Pontificis, *Omnes fructus qui illi, vel illis diebus reſpōderent ſi, quotidie diuiderentur amittat.* Vbi illa reſtrictio, *Qui illis diebus reſponderent, ſi quotidiè diuiderētur,* apertè ſupponit, quod ſi non omnes diuidi poſſunt ratione exercitationis tantùm, quia datur pars fructuū propter alia onera, non debet quoque omnes in integrum reſtituere, ſed tantùm qui correſpondent recitationi, & iuxta illam diuidi poſſunt ſingulis diebus.

11 Quartum *dubium* An obligandus ſit Beneficiarius omittens recitationem ſub mortali reſtituere in integrum omnes dies, & omnes horas quas omittit? V.g. ſi aliàs eſt diligens in recitandis horis, vno tamen, aut alio die in anno omittit recitationem, eſt ne rigoroſè cogendus reſtituere? In hoc dubio *Sotus lib. 10. de Iuſtit. Q. 5. art. 6.* & *M. Medina* in Inſtructione Confeſſorum, *pag. 15.* & *Ludou. Lop. 1. p. Inſtructorij, c.* 145. Tenent quod ſi alias per totum annum Quis expleuit officium recitandi, ſi per octo, aut decem dies defecit à recitatione non ideò cogendus eſt reſtituere, nec cum illo ſe debet gerere Confeſſor ſicut cum latrone, qui omnes quod abſtulit tenetur reſtituere, ſed ſicut cum miniſtro alicuius Optimatis, aut Regis, qui etſi aliquando deficiat ab officio ſuo, non ideò cogendus eſt partem ſtipendij reſtituere. Quod locum volunt habere etiam in beneficiato ſimplici, & qui ſolùm habet onus recitandi propter beneficium.

Oppoſitam tenet *Suar l. 4. c. 3. n. 9. Azor l. 10. c. 14. Q. 7. in fin. M. Torre contron. 9. n. 28. & 29.* 12
Et ſine dubio eſt expreſſa mens Pontificis, nec oppoſitum videtùr ſequi poſſe tuta conſcientia, nam Pontifex expreſsè dicit, *Quod pro rata omiſſionis officij fructus non faciant ſuos,* & tanquam iniuſtè perceptos teneantur reſtituere, & hanc ratāſic intelligit, quo qui omittit, vno die, teneatur fructus illi diei correſpondētes amittere? qui verò matutinum, dimidiam partem fructuum, &c. Ergo qui vno die omittit recitare non facit fructus ſuos, & conſequenter non poteſt illos retinere, ſicut non laborans vno die in vinea, non poteſt illius diei ſtipendium retinere. Vnde gerere ſe debet Confeſſor cum tali omittente ſicut cum eo, qui retinet rem alienā inuito domino, & non facit illam ſuam, quia ſic Eccleſia declarauit, vt pro vnoquoque die recitandum ſit, vt illo die lucretur fructus, nó ſicut miniſter Regis, aut Optimatis, à quo non exigitur quotidianum penſum, vt ſtipendium habeat. Quod ſi exigeretur tanquam actio propter quām deberet accipere mercedē, & ſtipendium non poſſet, ſi vnó etiam die omitteret, retinere ſtipendium illius diei.

Quæres quæ conditiones requiruntur vt omiſſio iſta inducat obligationē Reſtituendi; *Reſpondetur,* 13
Quòd debet eſſe voluntaria, & talis quod ſit peccatum mortale, & quod ad minus ſit omiſſio vnius horæ, & quod fructus illi omiſſioni correſpondens, non ſit ita leuis materia; quod ad peccatum mortale furti non ſufficeret. De quibus conditionibus vide *Suarez ſupra.* Et defectu primæ conditionis qui totaliter obliuiſcitur horā, aut horas recitare, aut oblitus fuit librum ſecum adducere non tenetur reſtituere. *Ratio eſt* Quia omnia iſta intelliguntur eſſe legitima impedimenta, ita quod nó peccat in non recitando, qui autem legitimo impedimento excuſatur à recitando, excuſatur & à reſtituendo. De his autem, & Reliquis huc pertinentibus (quia temporis anguſtia preſſi longiùs calamum extendere non valemus) videri poſſunt *Sotus lib. 10. de Iuſtit. & Iur. Q. 5. Medina c. de Orat. Aragon. in præſenti Q. 84. art. 11. & 13. Valentia 2. 2. diſp. 6. Q. 2. P. 10. Leſſius lib. 2. de Iuſt. c. 37. Tolet. Summ. lib. 2. c. 10. Azor. P. 1. l. b. 10. c. 1. Bellarm. tom. 4. Controu. l. b. 1. de bonis operib. c. 10. Suarez tom. 2. de Relig. lib. 4. Vaſq. Opuſc. de benef. c. 4. Filliucius to. 2. tr. 13. & plerique alij.* Canoniſtæ in titulo *de Celebrat. Miſſarum.* Summiſtæ vt *Nauarr. in Manual. c. 25. à n. 97. & in Enchir. de Orat.* & *horis Canon. Angelus, Tabiena, Roſella, Sylueſt. Armilla, Lopez P. 1. Inſtitut. Confeſſ. c. 244. & P. 2. c. 102. Rodrig. in Summ. P. 1. c. 140. Vega P. 1. c. 28.* & multi alij, verb. *Hora Canonica,* & verb *Beneficium.* Et hæc de hac Materia. Cætera enim vſque ad *Quæſt.* 88. in qua *D. Thom.* de Voto agit, præterea, quæ in eius litera continentur, vt de Adoratione, de Sacrificio, de Oblationibus, & Decimis, ſpecialem difficultatem non habent, ideòque ea omittimus in præſenti.

QVÆSTIO LXXXVIII.

DE VOTO, PER QVOD ALIQVID Deo promittitur.

IN Tractatu de Religione numerauimus actus varios, & multiplices, quibus Religio cultum exhibet Deo, & inter eos qui exteriorem materiam in cultum Dei offerunt, numerauimus illos, quibus Deo ſubiicimus res poſſeſſas à nobis, vel nos ipſos, & ibi dictum eſt, Quod ſi promittendo aliquid, vel nos ipſos ſubiicimus Deo, eſt *Votum*, quod eſt actus Religionis, de quo in præſenti eſt nobis tractandum, Dupliciter tamen fieri à nobis poteſt iſta promiſſio, vel ſubiectio Deo, aut per modum nudæ promiſſionis tantùm, & tunc eſt *Votum ſimplex*; vel ſuperaddendo traditionem, ſeu conſeruationem rei promiſſæ cum acceptatione Eccleſiæ nomine Dei, & talis promiſſio conſecratiua dicitur *Votum ſolemne*. eo quod tunc aliquid ſolemnizari poſtulat, quando conſumatur, & completur: licèt Eccleſia poſſit Religioſum reddere, & pro ſtatu Religioſo acceptare non ſtante traditione, & conſecratione vouentis, ſed ſola nuda promiſſione ex parte ipſius, & ſimplici voto. De iſtis ergo agimus in præſenti cum *D. Thom.* Qui quidem per duodecim Articulos explicat quidquid ad Eſſentiam, Conditiones, & Valorem Voti pertinere videtur.

In Primo inquirit. *Vtrùm Votum conſiſtat in ſolo propoſito voluntatis?* Et Reſpondet duplici Concluſione. *Prima*, Tria requiruntur ad Votum, deliberatio rationis, propoſitum voluntatis, & promiſſio in qua perficitur ratio Voti. *Secunda*, Votum eſſentialiter conſiſtit in promiſſione.

In Articulo Secundo inquirit, *Vtrùm Votum ſemper debeat fieri de meliori, bono?* Reſpondet quadruplici Concluſione, *Prima*, Votum non debet fieri de re illicita, neque de re indifferenti: quia cum votum ſit promiſſio Deo facta, facere rem illicitam, ſeu peccatum quod, eſt contra Deum, & ei non acceptum, potiùs eſſet comminatio, quàm promiſſio, quia potiùs eſſet contra Deum facere, quàm pro illo. *Secunda*, Votum non debet fieri de re neceſſaria ſimpliciter, vel de re impoſſibili, quia Votum promiſſionem voluntariam importat, neceſſitas autem voluntatem excludit; ergo id, quod eſt abſolutè neceſſarium, non poteſt cadere ſub voluntaria promiſſione, in qua ratio voti conſumatur. *Tertia*, Votum poteſt fieri de rebus, quæ cadunt ſub præcepto: quia iſtæ non habent abſolutam neceſſitatem, ſed neceſſitatem finis, quatenus ſine illis non poteſt eſſe ſalus: cadere ergo poſſunt ſub voto, in quantum voluntariè fiunt, non autem in quantum neceſſitatem habent. *Quarta*, Propria materia voti ſunt res perfectioris virtutis, ad quas homo non tenetur ex præcepto, ſed ex concilio; quia iſtæ ſunt omninò voluntariæ & ideò propriſſimè cadunt ſub voto. Vnde ſequitur, quòd votum debet eſſe de meliori bono. In Solutione ad Primum aſſerit S. Doct. ſub voto Baptizatorum cadere abrenunciare pompis diaboli, & Fidem Chriſti ſeruare, quia voluntariè fit, licèt ſit de neceſſitate ſalutis.

In Articulo Tertio inquirit *Vtrùm omne Votum obliget ad ſui obſeruationem?* Reſpondet Concluſione affirmatiuá, quia ad fidelitatem hominis pertinet, vt ſoluat id, quod promiſit: Fides enim ſecundùm *Auguſt.* dicitur ex hoc, quod fiunt dicta: ratione autem dominij, & ratione beneficij ſuſcepti maximè debet homo Deo fidelitatem; ergo maximè obligatur homo ad implendum vota Deo facta. In ſolutione ad *Primum* aſſerit *Sanct. Doct.* quod ſecundùm honeſtatem ex qualibet promiſſione homo homini obligatur, & talis obligatio Iuris naturalis eſt. In ſolutione ad *Secundum* docet; quod ſi aliquis vouet Religionem cum intentione ſe obligandi ad ingreſſum Religionis principaliter, & ex conſequenti eligit hanc Religionem, vel hunc locum, tanquam ſibi magis congruentem, tenetur, ſi non recipiatur in hac domo, vel Religione aliam Religionem intrare, ſi verò principaliter intendit ſe obligare ad hanc Re-

ligionem

ligionem, vel ad hunc locum propter ſpecialem complacentiam huius Religionis, vel loci, non tenetur aliam Religionem intrare, ſi eum illi recipere nolunt. Si autem incidit in impoſſibilitatem implendi votum ex propria culpa, vt mulier, quæ vouit virginitatem, & poſtea corrupta eſt, tenetur de propria culpa præterita pœnitentiam agere, & ſeruare quantum poſſit perpetuam continentiam. In Solutione ad *Tertiam* agit *Doct. Sanct.* de tempore, quo votum obligat, & reſoluit quod obligatio voti ex propria voluntate, & intentione cauſatur, vnde ſi vouens determinat tempus tenetur votum implere iuxta determinationem propriæ voluntatis; aliàs peccabit mortaliter.

In Articulo Quarto inquirit *Vtrùm expediat aliquid vouere?* Reſpondet Concluſione affirmatiua, videlicet expedire nobis emiſſionem voti; in maximámque cedere noſtri vtilitatem, in quantum vouendo voluntatem noſtram immobiliter firmamus ad id, quod expedit facere. Vnde promiſſionem voti non facimus Deo propter eius vtilitatem, ſed propter noſtram, iuxta quod dixit. *Auguſt. Benignus exactor eſt; & non egenus, & qui non creſcat ex redditis, ſed in ſe creſcere faciat redditores.*

In Articulo Quinto inquirit *Vtrùm Votum ſit actus Latriæ, ſiue Religionis?* Reſpondet *Sanct. Thom.* Concluſione affirmatiua, quia votum eſt quædam promiſſio Deo facta; promiſſio autem nihil eſt aliud quàm ordinatio quædam eius, quod promittitur in eum, cui promittitur, ergo votum eſt ordinatio quædam eorum, quæ quis vouet in diuinum cultum, ſeu obſequium ergo verè, & propriè eſt actus Latriæ, ſeu Religionis, quia ipſa ordinatio actuum cuiuſcúmque virtutis in ſeruitium Dei eſt proprius actus Latriæ,

In Articulo Sexto inquirit *Vtrùm magis ſit laudabile, & meritorium facere aliquid ex voto, quàm ſine Voto?* Reſpondet *Sanct. Doct.* Concluſione Affirmatiua. *Tum quia* vouere eſt actus Latriæ, quæ eſt præcipua inter virtutes morales: nobilioris autem virtutis eſt opus melius, & magis meritorium: & inferior virtus in actu ſuo meliorizatur, ſi à ſuperiore virtute imperatur, ergo melius eſt aliquid ex voto facere quàm ſine illo, quia ſic iam pertinet ad diuinum cultum, quaſi quoddam Dei ſacrificium, & ſic *Auguſtinus lib. de Virginitate*, dixit: *Quod neque ipſa Virginitas eſt, ſed quia Deo dedicata eſt, honoratur, quam fouet, & conſeruat Continentia pietatis*, Tum quia ille, qui vouet aliquod, & facit, plus ſe Deo ſubiicit, quàm ille, qui ſolùm facit, ſiquidem ſubiicit ſe Deo, non ſolùm quantùm ad actum, ſed etiam quantùm ad poteſtatem, quia de cætero non poteſt aliud facere: plus enim daret homini, qui daret ei arborem cum fructibus, quàm qui daret ei fructus tantùm *Tum denique*, Quia per votum voluntas immobiliter firmatur in bonum, facere autem aliquid ex voluntate firmata in bonum pertinet ad perfectionem virtutis, ſicut etiam peccare mente obſtinata aggrauat peccatum. Adeò certa eſt Concluſio iſta, & doctrina hîc data, vt oppoſitum ſit ad minus error, qui quidem habetur ab Hæreticis noſtri Temporis, & ſuo tempore etiam fuiſſe hunc errorem, affirmat *Sanct. Thom. Opuſc.* 18. *cap.* 12. Videtur ibi. Circa Solutionem ad 2. ſulet Dubium moueri, Quando ſit peccatum pœnitere de voto ſemel emiſſo; hoc tamen non diſcutiemus. Videtur in præſenti *Caietanus, Soto*, & *Aragon*, qui clariſſimè Quatuor dictis hoc dubium abſoluit, Cætera huius Articuli notiſſima ſunt.

In Articulo Septimo inquirit *Sanct. Thomas Vtrùm Votum ſolemnizetur per ſuſceptionem Sacri Ordinis, & per Profeſſionem ad certam Regulam?* Reſpondet duplici Concluſione: *Prima*, Solemnitas voti conſiſtit in quadam conſecratione, vel benedictione ſpirituali. *Secunda*, Reſponſiua dubio propoſito eſt Affirmatiua. Quia ſolemnitates non conſueuerunt adhiberi, niſi quando aliquis totaliter mancipatur alicui rei, vt ſolemnitas Nuptialis non adhibetur, niſi in celebratione Matrimonij, quando vterque Coniugum ſui corporis poteſtatem alteri tradit: ergo & voti ſolemnitas adhibetur, quando aliquis per ſuſceptionem Sacri Ordinis diuino miniſterio applicatur, & in profeſſione certæ Regulæ, quando per abrenunciationem ſæculi, & propriæ voluntatis aliquis ſtatum perfectionis aſſumit.

In Articulo Octauo inquirit *Vtrùm illi, qui ſunt alterius poteſtati ſubiecti impediantur à vouendo?* Reſpondet vnica Concluſione. Nullus, qui alterius poteſtati ſubiectus eſt in illis, in quibus eſt ſubiectus poteſt ſe obligare firmiter ſine alterius conſenſu. Quia quicumque eſt ſubiectus alicui, quantùm ad id, in quo eſt ſubiectus, non eſt ſuæ poteſtatis facere quod vult, ſed ex alterius voluntate dependet, hoc enim eſſentialiter importat ſubiectio; ergo non poteſt ſe per votum firmiter obligare in his, in quibus alteri ſubiicitur ſine conſenſu ſui Superioris. Materia huius Articuli eſt maximè ne-

ceſſaria, Vtrámque aperit ad multas difficultates enodandas, de quo in Diſputatione dicemus.

In Articul. IX. inquirit *Vtrùm Pueri poſſint Voto ſe obligare ad Religionis ingreſſum?* Reſpondet Triplici Concluſione. *Prima*, Puer, qui vouit ante quatuordecim annos, & Fœmina duodecim, votum tale eſt validum ſi ante iſtud tempus attingit vſum rationis; poterit tamen à Parentibus, & Tutoribus irritari, quia Pueri ante annos pubertatis (qui ſunt quatuordecim, & in Fœminis duodecim) patiuntur rationis defectum, vt in pluribus, & ſunt naturaliter ſub cura Parentum, vel Tutorum, qui ſunt eis loco Parentum, & ideò eorum vota ex duplici hac cauſa robur non habent, & defectu rationis, vt in pluribus, & ratione ſubiectionis in omnibus. *Secunda Concluſio*, Votum ſolemne à Puero emiſſum ante annos pubertatis non eſt validum, etiam ſi iam ſit doli capax, & vſum rationis attingat, qui in aliquibus accelerari ſolet, & hoc propter Eccleſiæ ſtatutum, quod reſpicit id, quod in pluribus accidit. *Tertia Concluſio*, Poſt annos pubertatis vnuſquiſque ſe poteſt obligare, tam ſimplici, quàm ſolemni Voto Religionis abſque voluntate Parentum.

In Articulo X. inquirit *Vtrùm poſſit in Voto diſpenſari?* Reſpondet Duplici Concluſione, *Prima*, eſt affirmatiua, & Reſponſiua Dubio. *Secunda*, Magis eſt Votum diſpenſare, quàm commutare; diſpenſare enim eſt abſolutè determinare aliquod votum non eſſe ſeruandum; commutare verò pro hoc, quod ſeruandum erat, aliquid aliud imponere.

In Articulo XI. inquirit *Vtrùm in Voto ſolemni Continentiæ poſſit fieri diſpenſatio?* Reſpondet Duplici Concluſione. *Prima*, In voto ſolemni Continentiæ Clericorum poteſt ab Eccleſia diſpenſari. *Secunda*, In voto ſolemni Continentiæ Religioſorum non poteſt ab Eccleſia diſpenſari.

In Articul. XII. inquirit *Vtrùm ad Commutationem, vel Diſpenſationem Voti requiratur Prælati Authoritas?* Reſpondet Concluſione Affirmatiua. Quia Prælatus in Eccleſia vicem Dei gerit in cuius perſona determinat, quod Deo acceptum ſit, vel non.

Totam hanc Materiam de Voto, quam prædictis duodecim Articulis nobis tradidit *S. Thomas* breui diſputatione perſtringemus, per aliqua dubia totam in hoc Tractatu contentam doctrinam examinantes.

DISPVTATIO XXIX.

De pertinentibus ad eſſentiam Voti.

ARTICVLVS I.

Vtrùm ſufficiat ſolum propoſitum Voluntatis ad rationem Voti?

CIRCA *hoc dubium* notandum eſt, Quod vt id, quod quæritur intelligitur, neceſſarium eſt cognoſcere ordinem, quem hic tradit *Diu. Thom.* in actibus rationis practicæ, qui antecedunt, & perficiunt ipſum Votum (de his enim agimus hîc; de actibus enim intellectus ſpeculatiui non eſt modò dicendum) Igitur circa actus rationis practicæ notandum eſt ex *Diu. Thom.* 1. 2. *quæſt.* 57. *artic.* 6. Quod virtuti prudentiæ, cuius actus principalis eſt præcipere, adiunguntur aliæ virtutes ſibi ſubiectæ. Scilicet *Eubulia*, quæ eſt virtus benè conſiliatiua, ſiue inquiſitiua; *Syneſis.* Et *Cgnome*, quæ ſunt virtutes benè iudicatiuæ, Iſte autem ordo reperitur in iſtis actibus. Poſtquam voluntas eſt iam rectificata ſecundum intentionem alicuius boni finis, mouet intellectum, vt inquirat media ad conſequendum talem finem, v.g. poſtquam voluntas eſt inclinata ad Deum per Charitatem, & tendit homo ad conſequendam beatitudinem, mouetur intellectus, vt inquirat media commodiora ad proſequutionem talis finis, & conſilietur de illis, quis ſcilicet ſtatus commodior ſit, Religioniſne, an matrimonij, ſiue caſtitatis? Hæc inquiſitio fit per virtutem Eubuliæ. Hac autem inquiſitione ſemel facta, iudicat intellectus, quæ media ſint commodiora, & de quibus eſt habita conſultatio, & quidem ſi hoc iudicium ferendum eſt ſecundùm regulas communes humanæ vitæ, pertinet ad Syneſim. Si verò ferendum eſt ſecundùm regulas, & rationes extraordinarias, pertinet ad Cgnome, & hæc dicitur deliberatio intellectus, qua ſuppoſita, ſi iudicauit intellectus medium Religionis, verbi gratia, eſſe commodius ad beatitudinem; Voluntas eligit tale medium per firmum propoſitum amplectendi ipſum, & iſta electio appellatur propoſitum, ſeu determinatio voluntatis, ex qua turſus voluntas mouet intellectum, aliquando quidem vt promittat executionem talis medij determinati, & electi, verbi gratia vt promittat ingreſſum Religionis, aliquando autem mouet intellectum ad ſimplex imperium eiuſdem medij, verbi gratia, *Ingredere Religionem*; in quo actu conſiſtit virtus præceptiua prudentiæ, qui eſt perfectus, & vltimus actus prudentiæ. Itaque promiſſio, quæ fit ab intellectu ex motione voluntatis iam determinatæ ad ingreſſum Religionis per electionem, non eſt actus prudentiæ, nec tamen propter hoc deficit in intellectu actus prudentiæ circa ipſam promiſſionem, nam ſicut ante executionem

promiſſio

promiſſionis debet præcedere imperium intellectus præcipientis, v. g. *Ingredere Religionem* . ſic etiam ante ipſam promiſſionem intellectus præcedit inquiſitio, vtrùm ſit conueniens deliberatio rationis circa ingreſſum, & electio voluntatis circa illum ex virtute Religionis, qua ſuppoſita imperat intellectus per virtutem prudentiæ, quod hic & nunc fiat promiſſio Religionis.

1 *Sit ergo Concluſio.* Solum propoſitum Religionis, verbi gratia, quantumcumque ſit firmum, & res ſit iam incepta, non inducit obligationem Voti, ſed neceſſario requiritur ad Votum promiſſio rei, quæ vouetur. Diximus *Licèt res ſit iam incepta*, contra Quidam Iuriſtas, qui in *capit. Conſulti de Regulari.* Tenent, Quod quando res eſt iam incepta ſolum propoſitum firmum inducit obligationem Voti. Eſt etiam contra *Paludan. in 4. diſt. 38. Q. 10.* D. *Antonin. 2. p. Tit. 11. cap. 2. in principio.* Sed noſtra concluſio eſt communis ſententia *Doct. ſuper. capit. Litterarum de Voto.* Et in *4. diſt. 38.* Caiet. *hic, & Opuſcul. 11. Magiſt. Soto. libr. 7. de Iuſtitia Quæſt. 1. artic. 2. Nauarri in Manuali capit. 12. numero 16.* Couarru. Et Aliorum. Et probatur ex loco allegato in argumento ſed contra. Item ex illo, *Melius eſt non Vouere, quàm poſt Votum promiſſa non reddere.* Et Deuter 23. *Si Votum voueris Domino Deo tuo, non tardes reddere*, &c. Ecce ergo quomodo Sacra Scripturam pro eodem accipit Votum, & promiſſionem, & *1. ad Timoth. 5.* Apoſtolus condemnat viduas volentes nubere, non quia habuerunt propoſitum caſtitatis, ſed quia primam fidem irritam fecerunt.

2 Ex *quo* probatur ſecundò concluſio. Ille eſt tranſgreſſor Voti, qui non ſeruat fidem datam, ſed non datur fides in ſolo propoſito, ſed tantùm in promiſſione, vbi explicatur; ergo. *Vltimò* probatur ratione *Diu. Thom.* quæ eſt demonſtratio Theologica. Nemo obligatur ad alterum per ſolum propoſitum, etiam ſi manifeſtetur illi tale propoſitum; ergo nec etiam Deo, nam eodem modo homo ſe obligat Deo, & aliis hominibus. *Antecedens Probatur*, Quia nullus acquirit iut contra aliquem ex eo ſolùm, quod propoſitum habuerit conferendi illi aliquid. *Confirmatur.* Ex ſolo propoſito ieiunandi non inducitur obligatio ieiunij, & ſic de omnibus aliis. *Tandem* hæc concluſio eſt definita in *c. Literarum de Voto, & Voti redemptione, & Gratiani capit. Si bona.* Et concludit aliud eſſe bonum propoſitum mente concipere, & aliud ſequenti obligatione ſe reum Voti facere.

Soluuntur Argumenta.

1 PRimò *Arguitur* contra noſtram concluſionem ex *c. Statuimus*, & *c. Conſulti de Regularibus* vbi dicitur. Quod Nouitij ante profeſſionem ex ſolo propoſito ingrediendi Religionem obligantur permanere in Religione. Et ſimiliter *in capit. Conſulti* dicitur, Quod ſi ille, qui conuertitur, propoſuerit abſolutè vitam mutare, ſub habitu regulari Deo omnipotenti famuletur, vt regulariter viuat; ergo ſolum propoſitũ voluntatis inducit obligationem Voti. *Confirmatur.* Et *capit. Magna de Voto*, vbi quidam Epiſcopus ex ſolo propoſito peregrinandi Hieroſolymam declaratur feciſſe Votum, licèt deobligetur ab impletione illius propter alias cauſas.

2 Ad *hoc Argumentum* reſpondent Quidam, Quod ex ſolo propoſito firmo obligatur homo perſeuerare ſub culpa veniali, ne ſit inconſtans in actibus virtutis, & Pontifices ſic declarant. *Secundò Reſpondetur* & melius, fuiſſe antiquam conſuetudinem, quod illi, qui ingrediebantur Religionem, emitterent Votum Simplex ſaltem Religionis in communi; in quo caſu procedit Determinatio *cap Conſulti* & *cap. Statuimus.* Quare in *capit. Superiori de Regular.* Iubemur ingredi aliam laxiorem Religionem, & ita non ex vi ſolius propoſiti, ſed ex promiſſione obligantur ad Religionem, & hæc eſt communis explicatio. De qua legatur *Couarru. loco citat.* Eſtque neceſſariò amplectenda, ne ſit, vel appareat aliqua contradictio in Deciſionibus Pontificum. Nam *cap. Litterarum de Voto* explicatur manifeſtè, quod ex ſolo propoſito relinquendi ſæculum non obligatur homo. *Ad capit. Magna de Voto Reſpondetur.* Etiam ibi interueniſſe promiſſionem, vti colligitur ex ipſo Textu, & eſt familiaris modus loquendi inter Sanctos explicare obligationem, & promiſſionem Voti nomine *propoſiti*, tunc autem nomine *propoſiti* intelligunt propoſitum firmatum promiſſione, quomodo intelligit Pontifex in citato *cap. Magna.* Vt enim dictum eſt abſque promiſſione non eſt Votum, nec tamen requiritur, quod hæc promiſſio fiat verbis, & ſignis externis, ſed ſufficit, ſi mentaliter fiat Deo, vt patet ex *D. Thom.* Quamuis oppoſitum ſentiat *Michael de Medina ex Hugone de Sanct. Vict. Lib. de Sacramentis part. 12. capit. 2.* Cæterùm ſi rectè intelligatur *Hugo*, ibi docet manifeſtè, quod ex ſola promiſſione non naſcitur obligatio Voti hominibus, niſi explicetur, Deo autem interior ſine verbis ſufficit, & ita verba exteriora nullo modo pertinent ad ſubſtantiam Voti, ſed ſolùm ad perfectionem accidentalem, vt docuit *D. Thom. in corpor. articul.* Verum eſt tamen quod vt Votum ſit ſolemne, non ſufficit interior promiſſio, ſed requiritur manifeſtatio exterior illius, ſine qua non poteſt acceptari ab Eccleſia vt infra dicetur.

Secundo *Arguitur.* Qui explicat hoc propoſitum ingrediendi Religionem, ſi poſtea non ingrediatur, peccat; ergo ex ſolo propoſito naſcitur obligatio. *Antecedens probatur.* Quia non ingrediendo mentitur in re graui; ergo peccat mortaliter. 3

Reſpondetur. Non dari aliqua determinata verba exteriora ad promiſſionem. Voti, ſed quibuſcumque verbis explicatur vera promiſſio, explicatur ſimiliter & Votum. Illa ergo verba *ingrediar Religionem* triplicem poſſunt ſenſum facere, vt optimè notat *Caietanus.* Primus eſt, vt ſint prænuntiatiua alicuius futuri euentus; ſicut enim alter poteſt prænuntiare de me, quod ſim ingreſſurus Religionem, ſic & ipſe potero, licèt modo non habeam propoſitum nec promittam ingreſſum Religionis, & tunc etiam ſi poſtea non ingrediar Religionem, reddetur quidem propoſitio falſa, non tamen ero mendax, ſi ita re vera exiſtimabam facturum, quando prænunciabam; mentiri enim eſt ire contra mentem. *Secundus ſenſus* poteſt eſſe ita, quod illa verba explicent propoſitum, quod modò habet proferens ingrediendi Religionem, & ſic licèt poſtea impediatur, & non intret Religionem, adhuc non fuit mentitus, ſi tamen tempo- 4

eo

te probationis habuit tale propoſitum, quia ſenſus eſt. *Intendo ingredi Religionem. Tertium* poſſunt facere prædicta verba promiſſorium, quia in actu exercito Promitto; nec enim oportet, quod promiſſio fiat ſemper per verba explicantia promiſſionem in actu ſignato, vt enim intelligat promittere, non eſt neceſſarium dicere, *Promitto Religionem*, vel eleemoſynam, ſed ſufficit explicare promiſſionem in actu exercito, dicendo, *Dabo eleemoſynam*; & tunc acceptis verbis in iſto ſenſu verum emittit Votum, quia ibi eſt vera promiſſio: ſecundùm quem modum legitur vouiſſe Iacob Geneſ. 28. *Si Dominus Deus fuerit mecum*, &c.

5 Ex *qua ſolutione* ſequitur falſum eſſe, quod docet *Aragon in hoc artic.* ponendo differentiam inter *Propoſitum* & *Promiſſionem*, dicit enim, quod *Propoſitum* non eſt negatio, vel affirmatio, ſed ſolùm conſenſus voluntatis, qui poteſt exprimi per verbum *Faciam*. Promiſſio verò (inquit) importat affirmationem, vel negationem. Hoc (inquam) falſum eſt! Nam eſt implicatio dicere, quod ſit propoſitio, & quod non ſit affirmatio, vel negatio alicuius rei. Propoſitum autem hoc dicit eſſentialiter (vt ipſe *Aragon* concedit) *Faciam hoc*, vel *Non intendo facere hoc*; iſta verò dicunt affirmationem, vel negationem, ſiquidem ſunt propoſitiones. *Nec valet dicere*, Quod quia ſunt actus voluntatis, ideo non important affirmationem, vel negationem, vt ait *Aragon*. Quia iſti actus duo habent, alterum eſt firma adhæſio, & intentio voluntatis ad rem faciendam, & hoc ad voluntatem pertinet; alterum verò ordinatio rei, quæ fieri debet, & hoc ſpectat ad intellectum. Optima ergo differentia eſt, quod *Propoſitum* ſolùm dicit id, quod intendit facere quis, à quo abſque mendacio ceſſare poteſt, quia ſenſus eſt, *Intendo hoc in futurum facere*, & ſi quando proponit ita eſt, dicit verum, licet poſtea non faciat, quia veritas illius propoſitionis ab intentione, quam tunc habet proponens regulanda eſt. *Promiſſio* verò dicit *Faciam hoc vt quocumque eueniat*, & ſi poſtea non faciat, mentitur, quia non reddit verum promiſſum, quod tenetur ſemper facere verum.

6 Tertiò *Arguitur*. Votum eſſentialiter eſt actus Religionis; ſed ſolùm propoſitum poteſt eſſe actus Religionis, & nullo modo promiſſio: ergo Votum non conſiſtit in promiſſione, *Probatur Minor*. Quia promiſſio eſt actus intellectus, vt inquit *D. Thom. in hoc artic. in corpore. & in argument.* 2. Religio verò eſt in voluntate.

7 Reſpondetur. Quod quamuis Votum ſecundùm ſuam ſubſtantiam ſit actus intellectus, eſt nihilominus actus Religionis, nec eſt inconueniens, quod actus vnius potentiæ ſecundùm ſubſtantiam, ſit ab altera potentia, & a virtute exiſtente in altera potentia in eſſe virtutis, & moris elicitus. Sicut oratio, quæ ſecundùm ſubſtantiam eſt actus intellectus, cum ſit loquutio cum Deo, in ratione virtutis eſt actus Religionis, quæ eſt in voluntate, imò & in eſſe phyſico, vt ſupra diximus *quæſtion.* 83. *articul.* 3. Actus etiam exteriores, qui ſecundùm ſubſtantiam ſunt in potentiis exterioribus, in eſſe moris pertinent ad virtutes interiores, à quibus imperantur, & regulantur. Sic ergo in propoſito promiſſio, quæ eſt in intellectu pertinet ad virtutem Religionis, quia intellectus promittit ſecundũ hoc quod mouetur à voluntate diſpoſita per Religionẽ.

Quartò & *vltimo Arguitur*. Ex ſolo propoſito; 8
alicuius boni manet homo obligatus ad executionem illius, & non alia obligatione niſi Voti ergo in ſolo propoſito perficitur Votum: *Ad hoc Argumentum* iam patet ex dictis, ſolum enim propoſitum non inducit obligationem, niſi ſit promiſſione firmatum.

ARTICVLVS II.

Vtrùm ad Votum requiratur neceſſario Propoſitum faciendi rem quàm promiſſit vouens?

PRo *explicatione notandum eſt*. Fundamentum 1
ferè omnium Doctorum in hoc articulo. Quod vouens poteſt ſe habere quatuor modis in emittendo Votum; *Primo* ita quod intendat, & promittere, & obligare ſe, & ſimul proponat ſeruare id, quod promittit, & hoc eſt perfectiſſimum Votum, de quo non eſt noſtra Diſputatio. *Secundo* ſe poteſt habere per oppoſitum, ita quod neque intendat promittere, neque ſe obligare, neque ſeruare, quod promittit, ſed ſolis verbis fictis exterius promittit, nihil tamen habens in corde, & tunc etiam eſt certum nullum interuenire Votum, vt enim dicitur in *capit. 1. ff. de Pollicitat*, ex verbis nudis nulla naſcitur obligatio. In foro tamen exteriori, qui ſic vouerit, compelletur implere Votum, nec enim Eccleſia credit ipſi ſoli aſſerenti ſe non habuiſſe propoſitum, vel intentionem, ſed cum iudicat de exterioribus ſi in foro exteriori fuerit validum Votum, compelletur ſeruare illud, tenebiturque obedire Eccleſiæ in foro conſcientiæ ex vi præcepti Eccleſiæ, licet non ratione Voti, propter ſcandalum, & bonam gubernationem, quæ aliàs non poſſet ſeruari in Eccleſia.

Sed *Contra*: Quando quis non habuit inten- 2
tionem ducendi vxorem. Etiamſi Iudex imponat præceptum, vt reddat debitum, & cohabitet cum illa, non tenetur reddere debitum, neque cohabitare, quia non fuit verum matrimonium; ſed ſimiliter non fuit in præſenti verum Votum; ergo etiamſi Eccleſia imponat mihi præceptum, vt ſeruem illud, non teneor ſeruare. *Reſpondetur*, Diſparem eſſe rationem, cùm enim redditio illa debiti, ſi non fuit verum matrimonium, non ſit redditio debiti, ſed acceſſus ad illam ſit intrinſecè malus, non poteſt eſſe materia præcepti. At verò res promiſſa, ſi eſt materia Voti, non eſt intrinſecè mala, ſed debet eſſe bona, ac ſubinde tenebitur obedire Eccleſiæ præcipienti, ſibique debet hoc imputare, qui pro iniquitate in has anguſtias ſe proiecerit: vbi obiter notandum eſt, quod *Concilium Tridentinum ſeſſion.* 25. *cap.* 19. ſtatuit; Quod ſi aliquis Regularis velit contendere ſe non teneri Voto propter defectum propoſiti, vel aliam ſimilem cauſam debet intra quinquennium à die profeſſionis proponere cauſam coràm prælato, alias tranſacto quinquennio non admittetur in iudicio, ſed compelletur perpetuò manere in Religione, tenebiturque obedire, vt modo dicebamus.

Tertiò *modo* poteſt taliter ſe habere vouens, 3
quod habeat intentionem verè promittendi, & obligandi

obligandi ſe ad id, quod promittit, non tamen habeat propoſitum ſeruandi id, quod promittit; tunc etiam dico, Quod ille facit Votum verum, manetque obligatus ad illud ſeruandum, non obſtantibus aliquibus. Iuriſperitis oppoſitum ſentientibus in *Capit. Litterarum de Voto*, hoc enim docent vniuerſi Theologi citati. Verum tamen eſt, quod illud Votum (vt optimè docet *Caietanus in hoc articul.*) partim eſt verum, partim eſt mendax. *Verum*, quia verè promittit, *Mendax*, quia talem promiſſionem non concomitatur intentio faciendi, quod promittit; attamen eſt verum Votum quantum ad ſubſtantiam, & eſſentiam, ſolúmque deficit illi illa ſecunda veritas, quæ illi eſt accidentalis (pertinet enim ad obſeruantiam Voti, non ad eſſentiam) *Probatur ergo noſtrum dictum Primò.* Promiſſio obligat ſecundum naturam propriam, ſed in illo caſu eſt vera & propria promiſſio facta Deo, quia ſic vouens intendit ſimpliciter promittere; ergo eſt obligatio. *Confirmatur.* Si aliquid obſtaret quominus eſſet vera promiſſio id eſſet, quia non intendit implere; ſed hoc non obſtat, quia ſtant ſimul illa duo, quod aliquis ſit obligatus ad aliquid faciendum, & tamen quod non velit illud facere; ergo etiam in intellectu, & voluntate poteſt contingere, quod aliquis velit ſe obligare, & non velit facere id ad quod eſt obligatus. *Antecedens patet clarè* in eo, qui emiſit Votum, & non vult illud implere, & in eo, qui habet præceptum, & non adimplet illud. *Conſequentia autem probatur.* Quoniam facilius ſeparantur, & diſtinguuntur res in intellectu quàm à parte rei, ſiquidem intellectus etiam vnita diſtinguit, conſiderando in illis diuerſas rationes. *Vltimò probatur.* Quia qui habet intentionem faciendi aliquid, & iurat, manet obligatus, licet non habeat intentionem adimplendi iuramentum, vt dicemus *quæſt. ſequenti.* Ergo idem dici debet de Voto.

4 Sed *contra hoc Arguitur.* Iuramentum eſt actus Religionis, ſed talis promiſſio non eſt actus Religionis; qui enim ſic iurat ſine intentione, peccat mortaliter, ergo non eſt verum Votum. *Confirmatur.* Promiſſio non obligat niſi acceptetur, ſed Deus non acceptat talem promiſſionem, quia eſt peccatum. *Reſpondetur.* Quod illa promiſſio eſt actus Religionis quantum ad ſubſtantiam & hoc ſufficit, vt ſit verum Votum, quoniam ſecundùm ſe eſt de ſe bona. Itaque virtualiter ſunt ibi duo actus, alius quo promittit, alius, quo non intendit ſeruare promiſſum: primus actus eſt Religionis ſecundùm ſe, licèt per accidens, ſecundum quod coniungitur cum ſecundo efficiatur malus Et per hoc Reſpondetur ad confirmationem, primus enim actus acceptatur a Deo, non verò ſecundus.

5 Vltimo *modo* poteſt ſe habere Vouens taliter, quod habeat intentionem promittendi, non tamen ſe obligandi. Et hoc dupliciter *Vno modo*, quia ignorat ſubſtantiam, & effectum Voti. Itaque exiſtimat poſſe ſeparari a Voto obligationem, intelligens non poſſe intrinſecam ipſi, & ita intendat promittere, non tamen ſe obligare. *Alio modo* poteſt hoc contingere per quandam craſſam ſtultitiam, ſeu iniquitatem, ita quod ſciens obligationem eſſe intrinſecam Voto, & promiſſioni, velit adhuc promittere, & vouere, non tamen ſe obligare. Circa quod ſit.

Prima *Concluſio.* Qui voueret non habens animum obligandi ſe, quia per ignorantiam exiſtimat obligationem non eſſe intrinſecam Voto, non emitteret verum Votum, nec maneret obligatus. *Probatur primo*, Iſte in hoc caſu habet ignorantiam circa ſubſtantiam Voti; ergo eſt inuoluntarius circa ſubſtantiam, & effectum Voti, vt enim dicit *Diu. Thom. 1. 2. quæſt. 6.* Ignorantia cauſat inuoluntarium; ergo vbi interuenit ignorantia circa eſſentiam ipſiuſmet Voti, non erit obligatio. *Secundò probatur.* Hæc eſt bona conſequentia, *Iſte vult promittere; ergo vult ſe obligare*: Ergo etiam erit bona ex oppoſito conſequentis ad oppoſitum antecedentis, ſcilicet, *Iſte non vult ſe obligare, ergo non vult promittere*, ſed in tali caſu iſte non vult ſe obligare; ergo nec promittere, ergo nec facere Votum. *Tertio Probatur.* Si quis contraheret matrimonium ignoranter exiſtimans non eſſe vinculum indiſſolubile, non contraheret verum matrimonium, quia ignorantia circa ſubſtantiam matrimonij faceret inuoluntarium; ergo ſimiliter hic. *Confirmatur.* Si quis voueret ex ignorantia alicuius grauiſſimæ circunſtantiæ, quam ſi cognoſceret non voueret, tale Votum non obligaret, verbi gratia, ſi ruſticus exiſtimans Hieroſolymam diſtare viginti leucas, emitteret Votum peregrinationis ad illam, ſine dubio poſtea quando cognoſceret maximam diſtantiam itineris, non obligaretur Voto, quia ignorantia grauiſſimæ circunſtantiæ dedit cauſam Voto, & ita exiſtimaretur inuoluntarius circa Votum; ſed multò maior ignorantia eſt illa, quæ verſatur circa ſubſtantiam, & obligationem Voti; ergo ex illa vouens redditur inuoluntarius. *Sed contra.* In ſecunda probatione dicebamus, quod hæc eſt bona conſequentia, *Vult promittere, ergo vult ſe obligare*, ſed in noſtro caſu promittens vult promittere, ſic enim ſupponimus. Ergo vult ſe obligare ſaltem implicitè. *Reſpondetur* conſequentiam eſſe bonam, negatur tamen *Minor*, ſcilicet, quod *ille vult promittere*, quia cum ſit ignorantia circa ſubſtantiam Voti, & promiſſionis, eſt etiam inuoluntarius circa promiſſionem, & ita non intendit promittere, ſed tantùm voce tenus promittit.

Secunda *Concluſio.* Qui ſciens naturam promiſſionis, & obligationem eſſe inſeparabilem ab illa, ſi intendit promittere, quantumuis aliàs non habeat propoſitum ſe obligandi per ſtultitiam, ſeu iniquitatem vere, & propriè manet obligatus. *Probatur.* Qui vult antecedens vult etiam conſequens, maximè quando ſcit conſequens neceſſario includi in antecedente; ſed iſte ſcit obligationem neceſſarie contineri in vera promiſſione, ergo ſi verè intendit promittere, vult ſaltèm virtualiter, & implicitè obligationem. Sicut qui ſciret aliquam pœnam impoſitam eſſe à lege propter talem culpam, ſi vult committere culpam, vult etiam virtualiter ſe obligare ad pœnam. Eſt itaque differentia inter iſtum, & illum, de quo in *præcedenti Concluſione*, ille enim propter ignorantiam circa ſubſtantiam promiſſionis cenſetur inuoluntarius, nec velle etiam virtualiter obligationem; Iſte verò, cum tali careat ignorantia, eſt voluntarius circa ſubſtantiam promiſſionis, & conſequenter vult ſaltèm virtualiter obligationem, quæ voluntas ſemper manet, etiam ſi explicitè proponat ſe non obligari, quia intrinſecè in promiſſione includitur obligatio.

Soluun

Soluuntur Argumenta.

Arguitur *Primò* contra noſtram Concluſionem. Multi vouent etiam ſolemniter caſtitatem, qui tamen non habent propoſitum ſeruandi illam, & tamen verè manent obligati ad ſeruandam caſtitatem? ergo ſola promiſſio ſine propoſito facit Votum. *Maior patet.* In multis Nobilibus, qui profitentur Religiones militares, & nihilominus non habent in propoſito ſeruare caſtitatem, neque alicuius rei minùs recordantur, quàm potiùs ſolùm intendunt ampliores redditus illa profeſſione, fortſitan vt luxurioſiùs viuant. *Si dicatur.* Hos habere tunc propoſitum, & animum obligandi ſe ad caſtitatem, & hoc ſufficit. *Contra hoc Arguitur ſecundò.* Leges obligant iuxta voluntatem legiſlatoris ad culpam mortalem, vel venialem, vel ad nullam (ſuppoſita proportione materiæ) vt patet in Conſtitutionibus noſtri ordinis, ſed Votum eſt quædam lex particularis, quam ſibi vouens imponit: ergo obligat iuxta intentionem illius, & ita ſi non intendat ſeruare caſtitatem ad nihil manebit obligatus.

Reſpondetur Quod ita vouentes habent verum animum promittendi, & obligandi ſe, qui ſufficit ad verum Votum, aliàs enim diceretenetemur, huiuſmodi non eſſe Commendatarios, nec frui aliis priuilegiis, quod eſt falſum. *Ad ſecundum Reſpondetur.* Quod obligatio Voti ſemel facti non pendet ex voluntate vouentis, ſed intrinſecè ſequitur ad naturam Voti, & ſic licèt emiſſio Voti ſit voluntaria, ſemel tamen emiſſum obligat de Iure naturali, & diuino: ſicut contractus matrimonij dependet ex voluntate contrahentium, ſemel tamen contracto indiſſolubilitas illius eſt omninò neceſſaria, ſine dependētia à voluntate contrahentium. Similiter ſuſceptio Baptiſmi eſt voluntaria Adulto, ſemel tamen Baptizatus quantumcumque repugnet poſtea quam eſt voluntariè Baptizatus, tenetur præceptis aliorum Sacramentorum, & obedire præceptis Eccleſiæ.

ARTICVLVS III.

Vtrùm ad Votum requiratur Deliberatio, & qua ſit ſufficiens, vt Votum obliget?

1 PRo *explicatione notandum* eſt, Quod *Deliberatio* importat diſcurſum, ſeu collationem inter multa, & determinationem ad vnum, formaliter tamen importat determinationem voluntatis, non abſolutè, ſed vt ex diſcurſu originatur. *Deliberatio* autem diuiditur in *Semiplenam*, *Plenam*, & *Pleniſſimam*? Semiplena eſt ad quam ſequitur motus ſecundo primus, qui nec eſt omninò naturalis, nec omninò liber, quia ipſa, vel motus inſurgens, licet non præueniat omnino iudicium rationis, præuenit tamen iudicium perfectum, & ita non poteſt ratio perfectè deliberare circa obiectum talis motus, Quapropter actus ille non eſt perfectè humanus, nec poteſt habere perfectam rationem virtutis, vel vitij, [illegible] reperiri peccatum veniale. *Deliberatio* [illegible] opponitur huic, & eſt quando ratio deliberat circa obiectum, & ita intendit operari [illegible], prudens. Et licet hæc non fiat attendendo omnes circumſtantias poſſibiles euentus, adhuc eſt perfecta deliberatio ſufficiens ad ra[illegible]em meriti, vel demeriti, immò ad omnem contractum humanum, & ad matrimonium, & ad Baptiſmum, *Pleniſſima*, ſeu perfect[illegible] *Deliberatio* eſt, quando maturo Conſilio conſ[illegible] in ſe media perfectiſſimè in ordine ad finem, & attenduntur omnes circumſtantiæ circa rem deliberatam.

Notandum *eſt ſecundò* Quod *Deliberatio* alia eſt *Formalis*, ſcilicet quando conſideratur res in ſe ipſa; & non in aliquo principio, vel cauſa ſua, vel in aliquo alio communi, ſicut quando quis conſiderat circa ingreſſum Religionis. Alia eſt *Deliberatio virtualis* Quando ſcilicet non deliberat quis circa rem ipſam in particulari, & explicitè, ſed in aliquo communi, vel cauſa ſua, verbi gratia ſi quis deliberat circa peregrinationē, & emittit Votum illius, non eſt neceſſarium quod in particulari, & explicitè deliberet circa ſumptus itineris, & circa alia accidentia eius nam circa hæc omnia cenſetur virtualiter deliberaſſe, quando ratio deliberauit circa Votum peregrinationis. Idem eſt de illo qui deliberat vouere Religionem, & obedientiam, nec enim eſt neceſſarium, quod in particulari deliberet circa omnia ſtatuta Religionis, ſed cenſetur virtualiter deliberaſſe circa omnia iſta, cum deliberauit vouere Religionem, & obedientiam. *Item* deliberatio alia eſt *Perceptibilis*, illa ſcilicet, quæ in ſucceſſu tēporis per diſcurſū conferendo inter ſe media: Alia eſt *Imperceptibilis*, quæ fit breuiſſimo tempore, & quaſi in inſtanti. Sit ergo. 2

Prima *Concluſio.* Semiplena deliberatio non ſufficit ad Votum. Iſta concluſio eſt ferè communis. Tenet eam *Caietanus hic*, *Soto* vbi ſupra *Quæſt.* 1. *articul* 2. *Nauarrus in Manuali*, *Capit.* 12 *numero* 24. Et ita Aliqui exiſtimant veram hanc ſententiam, quod oppoſitam iudicent improbabilem. *Et Probatur primò.* Semiplena Deliberatio non eſt actus humanus ſimpliciter, ſed ſecundum quid tantùm, & ita non ſufficiens ad aliquem contractum humanum: ergo neque ad Votum. *Antecedens patet ex Diu. Thom.* 1. 2. *Quæſt.* 1. *art.* 2. vbi eas ſolum docet eſſe actiones humanas, quæ ex deliberata voluntate procedunt, & *Philoſophus* vocat illas actiones humanas, quæ cum libertate fiunt, ſed non operatur homo, quando eſt tantùm ſemiplena deliberatio, cum conſultatione, & libertate ergo. *Probatur Secundò.* Illa ſemiplena deliberatio non eſt ſufficiens ad peccatum mortale, ergo nec ad Votum, cum Votum ex natura ſua obliget ad mortale. 3

Secunda *Concluſio.* Non eſt ne[illegible]ria pleniſſima deliberatio ad V[illegible] [illegible] ſolemne Religionis? ſed ſufficit plena deliberatio ad eius obligationem. Hæc Concluſio eſt contra ſecundam ſententiam, eſt tamen ferè communis. Et probatur prima pars *ex Capit.* 2. *de Voto.* Vbi Votum factum in ætate pueri[li], & ex animi facilitate declaratur fuiſſe validum, & commutatur in aliam faciliorem materiam. *Secundo Probatur.* Ad quemlibet alium contractum humanum ſufficit plena deliberatio, 4

liberatio. Ergo ad Votum. *Antecedens Probatur.* In Emptionibus, & Venditionibus, in Baptiſmo, & in Matrimonio. *Confirmatur.* Plena deliberatio ſufficit ad peccatum mortale; ergo ad Votum. *Probatur Conſequentia.* Vbi poteſt eſſe ratio perfectæ culpæ, poteſt eſſe ratio perfectæ virtutis, ergo, & Voti. *Confirmatur Secundò.* Alias quilibet poſſet ſe excuſare ab obligatione Voti, pauci enim ſunt, qui perfectiſſima diligentia, & pleniſſima deliberatione ſolemniter Religionem vouerint.

4 Secunda *pars* Concluſionis patet ex multis *Capitulis* maximè 17 & 19. contra retrahentes homines ab ingreſſu Religionis, & patet *Matth.* 4. vbi Petrus, & Andreas vocati à Domino continuò ſequuti ſunt ipſum, ſuper quæ verba multa *Sanct. Patrum* teſtimonia adducit *Diuus Thom.* quæ poterunt videri in *Aragon.* Sed eſt inſigne teſtimonium *Diu. Hieronymi* ad hoc probandum in Epiſtol. ad Heliodorum, *Licèt paruulus ex collo pendeat nepos, licèt ſparſo crine, & ſciſsis veſtibus vbera, quibus te enutrierat mater oſtendat, licèt in limine iaceat Pater, Calcato perge Patre, &c.* Vltima pars Concluſionis patet ex dictis.

5 Tertia *Concluſio.* Vota facta ex animi facilitate, facilius ſunt diſpenſanda, quoniam experientia teſte, homo imperfectus expoſitus eſt periculo frangendi; ſemper tamen requiritur cauſa nec ſufficit, quod ſolùm ex animi facilitate fuerint emiſſa. Dicuntur autem *Vota ex animi facilitate,* quando ex aliquo motu, vel paſſione breuiſſimo tempore homo vouit, quamuis aduertat ad id, quod facit.

Soluuntur Argumenta.

1 ARguitur *Primò* pro ſententia aliquorum dicentium, Quod ad verum Votum ſufficit ſemiplena deliberatio, quæ ſufficit ad peccatũ veniale in motibus ſecundo primis, taliter tamen, quod Votum cum tali deliberatione emiſſum non obligaret ad mortale, ſed ad veniale. *Hæc ſententia probatur primò.* Vt promiſſio ſit verum Votum ſufficit, quod ſit actus humanus; ſed promiſſio ex tali indeliberatione eſt actio humana, aliàs enim non eſſet peccatum, nec veniale quidem; ergo. *Confirmatur.* Meritum, & demeritum ſolùm reperiuntur in actibus humanis; ſed in actione ſemiplenè deliberata reperitur meritum, & demeritũ, cum reperiatur peccatũ veniale; ergo eſt actio humana. *Secundò Probatur.* Talis promiſſio eſt actus virtutis Religionis, & non niſi Voti, ergo. *Maior de ſe patet* *Minor* ſimiliter *conſtat*; ergo.

2 Ad *hoc Argumentum* patet ſolutio ex prima probatione primæ Concluſionis? Illa enim actio eſt humana tantùm imperfectè, quod quidem ſufficit ad peccatum veniale (Votum autem ex natura ſua obligat ſub mortali) *Ad Confirmationem Reſpondetur.* Quod in merito eſt latitudo, datur enim multùm mereri, parum mereri, & mediocriter mereri, & ſic non eſt inconueniens, quod actio, quæ aliqualiter eſt humana, aliqualiter ſit meritoria. Votum verò conſiſtit in indiuiſibili quantum ad obligationem; non enim datur manere multum obligatum, & parum ad rem promiſſam, ſed vouens vel manet ſimpliciter obligatus, vel totaliter deobligatus, & ſic requirit actionem ſimpliciter humanam.

Secundò *Arguitur* pro ſententia quorumdam Iuriſperitorum, quos refert *Sylueſter verb. Votum 2. Quæſtion. 13. Et Aragon. hic, & Gloſſa capit. 2. de Voto verbo Animi facilitate, quos ſequitur Angelus verbo Votum* 12 3
§. 6, vbi ponit regulam. Quod quando quis, poſt emiſſum Votum ſtatim pœnitet de illo ſignum eſt, quod non habuit animum ſufficienter deliberatum, & ita non eſt aſtringendus Voto. Itaque requiritur ad verum Votum pleniſſima deliberatio in hac ſententia, quæ probatur primò. Votum (vt ſupra dicebamus) importat neceſſariò inquiſitionem mediorum, & conſultationem, & diſcurſum circa rem, quæ vouetur; ſed iſta omnia non poſſunt haberi abſque pleniſſima deliberatione, ergo. *Probatur Minor.* In motibus primo primis ob hanc cauſam nullum eſt peccatum; quia nullus eſt diſcurſus; & in motibus ſecundo primis tantum eſt peccatum veniale, quia ibi eſt imperfectiſſimus diſcurſus, & multum deficiens deliberatio, atque conſultatio; ergo ſtante Voto requiritur diſcurſus, conſultatio, &c. neceſſariò requiretur pleniſſima deliberatio. *Secundò.* Votum (vt diximus) eſt actus Religionis, ſed ſi non præcedat hæc perfectiſſima deliberatio non erit actus Religionis, ergo. *Probatur Minor.* Actus Religionis placet Deo, ſed tale Votum inconſideratum non placeret Deo, quia eſt ſtultum, Deo autem diſplicet ſtulta promiſſio, vt patet Eccleſiaſtici 5. *Confirmatur.* Vota emiſſa ex animi facilitate facillimè franguntur, exiſtimantes enim ſe vouentes, nón teneri ad illa ſeruanda. *Tertiò.* Votum debet eſſe voluntarium, ſed ſi ignorentur plures circumſtantiæ non plenè deliberando de illis non erit voluntarium, cùm ignorantia cauſet inuoluntarium ergo.

Ad *omnia iſta Argumenta* quæ directè procedunt contra ſecundam Concluſionem *Reſpondetur, Ad Primum* negando Minorem, & conſequentiam probationis. Conſtat enim ex dictis ad omnia illa ſufficere plenam deliberationem, nec requiri pleniſſimam. *Ad ſecundum* Negatur Minor, & ſimiliter ad probationem. Imò dato quod eſſet indiſcreta promiſſio, ſufficit, quod res promiſſa ſit accepta Deo, & voluntarie promittatur, vt Votum ſit obligatorium, quamuis non ſufficiat hoc, vt Votum ſit meritorium. *Ad Tertium Reſpondetur.* Quod vouens iuxta ſeriem ſecundæ Concluſionis, habet ſufficientem ſcientiam circa ſubſtantiam Voti, & circumſtantias illi ſeriores, & ita eſt ſimpliciter voluntarius, cenſeturque ſufficienter deliberaſſe circa illam. Si tamen adeſſet ignorantia circa circumſtantias grauiſſimas, quæ meritò impedirent Votum, ſi non eſſent præciſæ, nec deliberaret circa illas, verè eſſet inuoluntarius vouens ex tali deceptione, vt ſupra dictum eſt. 4

Quartò *Arguitur.* Sunt quædam Vota de rebus arduis ad totam vitam pertinentibus, vt eſt Votum Religionis; ſed ad tam ardua aggredienda neceſſaria eſt pleniſſima deliberatio, quia nihil videtur magis arduum, & difficile in rebus humanis, quàm ſeipſum abnegare, & mundum deſerere; ergo ad hoc neceſſaria eſt maturiſſima deliberatio. *Item Arguitur* ex definitione Voti. Votum eſt promiſſio melioris boni animi deliberatione firmata, ergo omne Votum ex 5

animi firmitate oriri debet, ſed hanc animi firmitatem nullus habet, niſi pleniſſimè deliberando, ergo. *Item Arguitur.* Ex 1. *Ioan.* 4. vbi dicitur: *Nolite omni Spiritui credere, ſed probate Spiritus ſi ex Deo ſunt*, quæ quidem maximè in Religionis ingreſſu verum habent; ſed hæc probatio Spirituum eget diligentiſſimo examine, & pleniſſima deliberatione, ergo. *probatur Minor.* Dicitur enim 2. *Corinth.* 11. Quod Sathan transfigurat ſe aliquando in Angelum lucis, qui ſub ſpecie boni fallit incautos.

6 Ad *Quartum Reſpondetur ex D. Thom. Opuſc. cit. art* 10. Quod in rebus difficillimis, & maximè arduis ſunt maximè Conſilia requirenda quando veritas non eſt manifeſta. Id autem quod eſt melius & altiori Conſilio definitur, non eſt in dubium reuocandum iteratò Conſilia requirendo. *Ad Aliam Probat.* Admiſſo antecedenti cum conſequentia, negatur conſequens; omne enim quod ex electione agitur, ex deliberatione, vel Conſilio agitur, quia electio eſt appetitus præconſiliati.

7 *Ad vltim. Reſpondetur.* Quod authoritas ibi adducta non eſt ad propoſitum, ibi enim eſt neceſſaria probatio vbi non eſt certitudo, ſuper illud enim 1. ad Timoth. vltimo, *Omnia probate*, dicit *Gloſſa*, Certa non egent diſcuſſione, hoc autem, quod eſt certum reſpectu vnius, poteſt eſſe incertũ reſpectu alterius, cui incumbet admittere Religionem, & hac de cauſa ad illos ſpectat, quo animo veniant inquirere; *Ad illud verò*, Quod Sathan transfigurat ſe in Angelum lucis *Reſpondetur.* Quod tunc non eſt periculum aſſentiri, quando bonum opus ſuggeritur, vt ingreſſus Religionis, vigilanti tamen animo reſiſtendum eſt, quando ad aliquod opus non bonũ inducimur. Propoſitum autem Religionis cenſendum eſt eſſe à Deo.

8 Quintò *Arguitur.* Ea, quæ poſſunt habere malum exitum, diligenti ſunt priùs Conſilio examinanda; ſed ingreſſus Religionis in aliquibus, qui Apoſtatæ fiunt malum exitum habent; ergo. *Confirmatur Primò.* Ex illo Actor. 5. *Si ex Deo eſt hoc Conſilium, aut opus, non poteritis diſſoluere illud*; ſed in multis per apoſtaſiam diſſoluitur propoſitum, ergo non ſunt à Deo. *Confirmatur Secundo.* In ebrio quando culpabiliter accidit eſt plena deliberatio ſaltem in ſua cauſa, ſiquidem ei imputatur homicidium, & peccat mortaliter, & tamen non ſufficit talis deliberatio ad Votum, quoniam Vota emiſſa ab ebrio ſunt nulla; ergo non ſufficit plena deliberatio.

9 Reſpondetur, Quod quando malus exitus poteſt euenire ex parte rei, quæ aſſumitur, & tale periculum frequenter accidit, magna deliberatione opus eſt, vt periculis obuietur, vel vt res penitus relinquatur. Si verò vt in plurimum periculum non accidit, non eſt opus magna deliberatione, ſed vigilantia & cautela, ne in periculum incidatur: alioquin daretur occaſio omnia ſtudia humana prætermitendi iuxta illud Eccleſiaſtici 2. *Qui obſeruat ventum, non ſeminat, & qui conſiderat nubes numquam metet.* Quando verò res ſecundum ſe ſecura eſt habet tamen malum exitum, proptereà quod homo mutat propoſitum, vel ex alio accidenti, non ideò hac de cauſa neceſſaria eſt maxima deliberatio. *Ad Primam Confirmationem Reſpondetur.* Cauendam eſſe quorundam Hæreticorum veſaniam aſſerentium, quod id, quod non perſeuerat a Deo non eſt. Vnde dicebant; quod quia diabolus peccauit non fuit a Deo, & ſi Iudas decidit a Collegio Apoſtolorũ, non fuit à Deo eius electio, & tandem ſi quis non perſeuerat in charitate, & gratia, Charitas eius, & gratia a Deo non ſunt. Quæ omnia & his ſimilia blaſphema ſunt; vnde Reſpondetur ex *Diu. Auguſtin. Libr* 1. *contra Iulian.* Quod ſicut Deus tribuit rebus corruptibilibus eſſe temporale, quibus ſempiternitatem nõ tribuit, ita quibuſdam dat iuſtitiam temporalem, quibus non largitur perſeuerantiæ donum.

Ad *Secundam confirmationem Reſpondetur.* Diſparem eſſe rationem, Quoniam homicidium eſt præuiſum, & deliberatam ſaltèm in ſua cauſa, ſcilicet ebrietate in qua continetur virtualiter: Votum autem, cum ſit actus virtutis, non continetur virtualiter in vitio ebrietatis, imò etiam ſi eſſe præuiſum, præuideretur tantùm ſecundum exteriorem prolationem verborum, & ita iudicandum eſt de illo ac ſi non fieret. *Vnde infertur.* Quod quando plena deliberatio eſt imperceptibilis, ita vt homo bene dubitet an fuèrit, vel non fuerit plena deliberatio, debet Viros doctos conſulere narrando illis omnes rationes, & circumſtantias, quas habet ad dubitandum non fuiſſe plenam talem deliberationem. Et ſi illi arbitrentur non fuiſſe plenam, non manet aſtrictus Voto. Quod ſi facta conſultatione adhuc manet dubium, tenetur petere diſpenſationem, ſi ſit facilis aditus ad Prælatum. Si autem ſit difficilis aditus, & ſit pauper, & impeditus, ſi dubium manet æquale pro vtraque parte non tenetur ſeruare Votum, quoniam in dubiis (vt habet Commune Proloquium) melior eſt conditio poſſidentis, ſed iure naturæ quilibet poſſidet ſuam libertatem in eo quod eſt eſſe legatum ad faciendum, vel non faciendum, vel omittendum Votum, & ad id, quod alias leges non obligant. Si autem declinent magis in partem affirmatiuam, manet obligatus ad ſeruandum Votum: ſic enim fit in aliis Contractibus. Poterat in hoc articulo diſputari cum Caietano, Vtrùm ſimplex promiſſio obliget in conſcientia? Sed de hoc agitur in materia de dominio, & forſan alibi redibit Sermo. 10

ARTICVLVS IV.

Vtrùm Vouere aliquid, quod ſit peccatum veniale, ſit peccatum mortale?

PRo *Explicatione* ſit Prima Concluſio. Per ſe loquendo Votum peccandi venialiter eſt peccatum mortale. Hæc eſt contra Authores infrà citandos, & contra *Nauarrum in Manuali capit.* 12. *numero* 18. Sed Probatur Concluſio. Sic vouens facto illo proteſtatur talem culpam placere Deo, ſed hoc eſt ingens blaſphemia, ergo ſecundùm ſe eſt mortale. *Probatur Minor.* Quoniam iſte in ipſo operis exercitio proteſtatur Deum non eſſe infinitam bonitatem, quoniam infinita bonitas excludit omnem rationem culpæ etiam leuiſſimæ; non enim ſtat eſſe infinitam bonitatem, & quod placeat illi culpa etiam leuiſſima. *Confirmatur ex D. Thom. ſupra, Quæſtio.* 13. *articul.* 2. affirmante; 1

Quod

Quòd in materia blaſphemiæ non datur culpa venialis ex leuitate materiæ, ſed ſolùm ex indeliberatione rationis; ergo ſi Votum peccati venialis eſt mortale propter blaſphemiam ibi inclusam (vt Omnes fatentur) etiam tale Votum erit mortale. *Secundo probatur Concluſio.* Grauius peccatum eſt tribuere Deo aliquid repugnans illi, quam adducere eum in teſtem mendacij; ſed qui vouet peccatum veniale tribuit Deo aliquid illi repugnans, ſcilicet malitiam venialem ergo ſicut vnum eſt peccatum mortale, ita & alterum. Itaque in hac parte nullam conſtituimus differentiam inter Votum peccandi venialiter, & mortaliter ex parte materiæ, dummodo in vtroque inueniatur plena deliberatio ſufficiens ad verũ Votum, vtrumque ergo eſt peccatum mortale, ſi videns, & ſciens, Votum eſſe faciendum de re grata Deo, hoc non obſtante vouet peccatum veniale, quoniam talis actio opponitur Confeſſioni Fidei dicenti, Deum eſſe ſummam, & infinitam bonitatem, & quod illi eſt odio impius, & impietas eius.

2 Secunda *Concluſio.* Aliquando hoc Votum erit peccatum veniale ex inaduertentia, vel indeliberatione. *Probatur.* Quoniam illo modo quodcumque mortale fit veniale ex inconſideratione, & ſubreptione animi.

Soluuntur Argumenta.

1 ARguitur *Primò* Contra noſtram Reſolutionem. Ex vi talis Voti, ſi quæ conſurgit obligatio ex illo, erit peccandi tantùm venialiter, ſed obligatio ad veniale non eſt culpa mortalis, vt conſtat, ergo. *Secundo.* Votum licèt ex ſuo genere obliget ad mortale (vt dictum eſt) ex leuitate tamen materiæ poteſt, eſſe tantùm veniale; ergo Votum peccandi venialiter, erit peccatum veniale ex leuitate materiæ. *Tertio.* Iuramentum promiſſorium de peccato veniali eſt peccatum veniale ſecundùm multorum ſententiam, ita *Syluester verbo Iuramentum* 4. §. 1. & *Adrianus* ab illo citatus, *Soto* 8. *de iuſtitia, Quæſtio.* 2. *articul.* 3. & *Aragon Quæſtio.* 89. *articul.* 3. & *hic dubio* 1. *ad* 2. Ergo Votum peccandi venialiter ſolum erit veniale. *Quartò.* Bonitas vel malitia alicuius actus ſumitur ab obiecto; ita *D.Thom.* 1. 2. *Q.* 18. Sed obiectum illius Voti tantùm eſt veniale, ergo & Votum. *Vltimò.* Adimplere tale Votum ſolùm eſt peccatum veniale ergo promittere illud.

2 Reſpondetur ad primum. Hoc Votum non eſſe mortale propter obligationem nullam enim inducit, ſed ratione proteſtationis blaſphemiæ, quæ fit in ipſo exercitio promiſſionis, vt dictum eſt. *Ad Secundum* negatur antecedens, vt probatur *Quæſtio* 89. *articul.* 7. *Ad Tertium*, negatur antecedens, vt probatur *Quæſt.* 98. Sed admiſſo antecedenti adhuc negatur conſequentia. Nam veritas iuramenti promiſſorij ſufficienter ſaluatur, ſi modo quando iuro, habeo propoſitum implendi, quod iuro, & ita non adduco Deum in teſtem falſitatis, licèt adducam eum in teſtem alicuius veritatis, quæ illi diſplicet, nec poteſt in actu iurandi talẽ veritatem placere Deo. In voto autem ſic. *Ad Quartum* concedo maiorem, & nego minorem; Obiectum enim illius actus eſt actus venialis, vt oblatus Deo, tanquam illi gratus, hoc autem eſt mortale propter rationem iam dictam *Ad vltimum* negatur antecedens, Quia (vt conſtat ex dictis) adimplendo Votum proteſtatur opere placere Deo rem malam, quod quidem eſſe mortale, iam probatum eſt.

Inquires: Vtrùm Res indifferentes poſſint eſſe materia Voti? Pro cuius dilucidatione notandum eſt. Quod licèt aliquæ res ex genere, & obiecto ſuo conſideratæ ſint indifferentes ad bonum, & ad malum, tamen in indiuiduo ſemper ſunt in alteram partem determinatæ, ſiue ad bonum, ſiue ad malum. Videatur *Diu.* T*hom.* 1. 2. *quæſt.* 18. *artic* 8. & 9. Cæterùm ad huiuſmodi determinationem faciendam in bonam partem neceſſarium eſt, quòd ipſa operatio à parte rei habeat propoſitionem, & ordinem cum bono fine, aliàs manebit opus otioſum, ac ſubinde determinatè malum. Itaque non ſufficit, quod agens ex intentione ſua ordinet tale opus in aliquem finem bonum, ſed requiritur, quod ipſum opus ex natura ſua re ipſa, & in exercitio ſit relatum ad bonum finem moralem, aut naturalem, verbi gratia, tranſire per hanc, vel illam viam eſt opus indifferens ex obiecto, vt autem in ſingulari ſit bonum non ſufficit, vt tranſiens dicat, volo tranſire per iſtam viam, vt placeam Deo. 3

Prima *Concluſio.* Votum de re indifferenti ad bonum, vel malum morale non eſt votum. *Probatur.* Votum debet eſſe de re, quæ placeat Deo, ergo non de re indifferenti. *Secundò probatur Concluſio* ex D.Thom. expreſsè illam aſſerente. 4

Secunda *Concluſio.* Quando ea, quæ in ſpecie erant indifferentia in indiuiduo determinantur ad bonum, tunc illa ſic determinata poſſunt eſſe materia Voti, verbi gratia, non ingredi talem, vel talem domum de ſe eſt indifferens, ſi autem ex ingreſſu ſequatur huic occaſio peccandi, iam habet ordinem cum bono fine illius non ingredi, quoniam euitatur occaſio peccati. *Item probatur.* Quia tale opus iam non manet indifferens, ſed determinatè bonum; ergo. 5

Tertia *Concluſio.* Deficiente ratione boni in his operationibus alias indifferentibus continuò ceſſat obligatio Voti, ita vt ſine vlla diſpenſatione poſſit agere talem, vel talem rem, v.g. in caſu poſito in præcedenti Concluſione; ſi auferatur occaſio peccandi, poterit ingredi domum. *Probatur.* Iſtæ res indifferentes in tãtum ſunt materia Voti, quatenus ordinantur ad bonum, ergo deficiente iſto ordine ad bonum manent in ſua indifferentia & conſequenter, non ſunt materia Voti. 6

ARTICVLVS V.

Vtrùm ea quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem neceſſitate præcepti ſint materia Voti?

SIt *Concluſio.* Ea, quæ cadunt ſub præcepto poſſunt eſſe materia Voti. Hæc Concluſio eſt proxima Fidei, quàm confirmat vniuerſalis Eccleſiæ conſenſus; Fideles enim ſæpiſſimè vouent, quæ aliàs ſunt præcepta, accuſantes ſe de fractione Voti, ſi aliquando contigerit; ergo. *Secundò Probatur.* Votum emiſſum de iſtis rebus, eſt Votum de placentibus Deo, ergo. *Tertiò.* Iuramento poſſumus confirmare res, quas aliàs tenebamur facere ſub præcepto, ergo etiam Voto. *Antecedens Patet.* Ex illo Pſalm. 118. *Iuraui, & ſtatui cuſtodire iudicia iuſtitiæ tuæ*, vltimò Probatur. Votum inducit nouam obligationem ſupra illam, quæ erat antea ratione præcepti; ergo eſt validum, *Probatur Antecedens,* 1

dens. Quia trahit rem, quam vouemus, vt ſit materia virtutis Religionis.

Soluuntur Argumenta.

1 PArs *negatiua* probatur primò ex *D. Thom. in 4. diſ. 38. Quæſt. 1. articulo 1. Quæſtiunc. 1.* dicente, Quod Votum talium rerum *non eſt propriè Votum.* Et *art. 2. Q. 1.* docet eſſe Votum analogicè, per poſterius, & incompletè, ergo. *Secundò.* Materia Voti debet eſſe omnino voluntaria, & in Conſilio tantùm, ſiquidem forma Voti eſt huiuſmodi, ſed res, quæ in præcepto eſt non eſt voluntaria omninò ſic, ergo. *Tertio.* Totum de re, quæ aliàs erat in præcepto, non inducit nouam obligationem; ergo non eſt Votum *Antecedens Probatur.* Lex Eccleſiaſtica, vel ciuilis, quæ præcipit illud, quod aliàs erat in præcepto, non inducit nouam obligationem; ergo nec votum, cùm Votum ſit quædam lex particularis humana, & poſitiua. *Confirmatur* Supponamus quòd aliquis voueat actum, qui aliàs erat in præcepto virtutis Religionis, tunc in tali Voto non poteſt eſſe noua obligatio, quia poſt promiſſionem actus ille non eſt in alia ſpecie, quam antea erat, ſed ſemper manet intra eandē ſpeciem virtutis Religionis, ergo idem dicendum eſt de aliis. *Explicatur hoc.* Voueat quis ieiunium, v.g. confirmet autem idem ieiunium ſæpè, ſine dubio iſta noua confirmatio non inducit nouam obligationem, ex eo quòd non trahit actum vouendi ad aliam ſpeciem virtutis. Ergo ideo erit in caſu poſito.

2 Reſpondetur *ad* teſtimonium *D. Thom.* quod vocat Votum illud Votum non propriè ſumendo *Propriè*, vt diſtinguitur contra commune, & vt ſignificat propriam materiam Voti, & particularem, eſſe opus ſupererogationis, ſicut dicit *D. Thom.* in *hoc articulo*, non tamen ſumi *improprium*, vt eſt idem quod *metaphoricum*, quia reuera eſt propriè Votum. *Ad aliud teſtimonium Reſpondetur,* Quòd licèt *D. Thom.* vocet illud Votum analogicè, adhuc tamen eſt dicendum propriè Votum, ſicut ſubſtantia dicitur analogicè de Deo, & creaturis, & nihilominus creatura eſt propriè ſubſtantia. *Ad ſecundum Reſpondetur.* In tali Voto reperiri rationem voluntarij, tum quoniam abſolutè eſt liberum, licèt ex ſuppoſitione ſit neceſſarium ſeruare præcepta: tum etiam quia omnino liberum eſt, & nullo modo neceſſarium quod illud quod aliàs erat in præcepto ſit materia Voti, & ita materia præcepti, vt tranſlata ad materiam Voti eſt omnino voluntaria, & libera. *Ad Tertium* dicitur infra articulo ſeptimo.

3 Secundò *Principaliter Arguitur.* Sequitur ex oppoſita ſententia eſſe validum Votum de nunquam peccando mortaliter, aut venialiter (quoniam ſub neceſſariis ad ſalutem intelligimus modo non peccare mortaliter, vel venialiter) quoniam quamuis hoc non ſit neceſſarium neceſſitate abſoluta ad conſequendam ſalutem, eſt tamen vtile, de vtilibus autem bene poteſt emitti Votum. Conſequens eſt manifeſtè falſum, quoniam non peccare venialiter eſt impoſſibile. Votum autem de impoſſibilibus non obligat, & nunquam peccare mortaliter eſt difficillimum, & quaſi moraliter impoſſibile, ergo non eſt obligatorium.

4 Pro *Solutione* huius Argumenti dicendum eſt primò. Votum non peccandi mortaliter a quocumque fiat, eſſe validum, licèt ſit periculoſum illud vouere. Hæc Concluſio eſt contra *Azpilcuetam* *Nauarrum* in *Manuali*, *capite* 12. *numero* 5. & 6. Et contra Aliquos, qui non improbabiliter aſſirmãt tale Votum emiſſum ab homine multum fragili, qui ſæpe ſolet peccare mortaliter non obligare. *Sed noſtra Concluſio Probatur.* Tale Votum eſt de re grata Deo, & poſſibili auxilio diuino cuicumque homini, quantomuis fragili; Deus autem paratiſſimus eſt conferre nobis ſuam gratiam. *Secunda pars probatur.* Quia pauci ſunt, qui illud Votum poſſint emittere propter varia pericula, quæ hominibus accidunt, & ita ſe exponunt periculo ne vouentes.

Secundò *dicendum eſt*, Votum de non peccando nullo modo, nec venialiter, eſſe nullum, Validum autem erit, ſi fiat de euitando aliquo veniali, ſi tale facilè vitari poſſit. *prima pars probatur.* Quoniam impoſſibile eſt vitare omnia peccata venialia collectiuè. Videatur *Concil. Trid. ſeſſ. 6. Can.* 23. Pro intelligentia ſecundæ partis Concluſionis notandum eſt, eſſe quædam peccata venialia, quæ difficillimè, & quaſi impoſſibiliter vitari poſſunt, vt mentis euagatio, ſubreptio, & motus primi etiam circa materias grauiſſimas, quæ peccata etiam Sanctiſſimi Patres committunt. Alia ſunt, quæ facilius vitari poſſunt, vt mendacium ioculum, furtum in materia leui. Aſſerimus autem in hac Concluſione, quod Votum de prioribus peccatis venialibus non committendis eſt nullum, quia eſt impoſſibile: de ſecundis autem eſt validum, quia eſt poſſibile. *Tertio aſſero*, quod Votum de non peccando venialiter, nec mortaliter eſt nullum, quia abſolutè eſt impoſſibile. *Sed contra*: Qui promittit *centum*, & non poteſt ſoluere niſi *quinquaginta*, tenetur ſoluere *quinquaginta*; ergo Votum prædictum obligabit ad non peccandum mortaliter, quia eſt poſſibile, quamuis non obligat ad non peccandum venialiter, quia eſt impoſſibile. *Reſpondetur.* Negando conſequentiam, quia promiſſio (de qua in antecedente) habet materiam abſolutè poſſibilem; Votum autem de quo in Concluſione, habet materiam omnino impoſſibilem, quia tota materia illius eſt non peccare mortaliter, nec venialiter, quod quidem abſolutè eſt impoſſibile, & ita promiſſio illius eſt nulla; promiſſio autem antecedentis obligat in quantum poteſt per oppoſitam rationem. 5

ARTICVLVS VI.

Vtrùm Votum factum propter malum finem de re tamen, quæ eſt in Conſilio ſit validum.

PRo *Reſolutione notandum eſt.* Tribus modis fieri poſſe huiuſmodi Votum propter malum finem. *primo*, quando malus finis eſt res promiſſa, vt ſi quis voueat eleemoſynam cum intentione vanæ gloriæ. & de hoc Omnes conueniunt tale Votum eſſe nullum cum ſit clare de re mala. *Secundo*, quando malus finis eſt ipſius Voti, id eſt, quando ex intentione vouentis Votum refertur in malum finem, vt ſi quis voueat mille aureos, v. g. propter iniuſtam victoriam obtinendam *Tertio modo*, 1

tenæ Voti, ſed ampliatio vouentis ad vouendum, vt ſi aliquis Eques Militaris profiteretur talem ordinem, motus deſiderio habendi maiores redditus, vt luxurioſiùs viuat.

2 *Prima Concluſio.* Votum tertio modo factum eſt validum. *Probatur.* Res promiſſa per tale Votum eſt bona in ſe, & non ordinatur ad malum finem, finis enim operantis non viciat ſem ipſam, ſed tantùm applicationem ad vouendum; ergo Votum validum erit.

3 *Secunda Concluſio.* Votum factum ſecundo modo eſt inualidum. *Probatur primò.* Materia talis Voti eſt mala, & peccatum, & relata in malum finem, ergo *Secundo.* Vouens ſic facit Deum anthorem ſuis peccati, ſcilicet illius victoriæ iniuſtæ, & oſten ſit facto ipſo Deo placere iniuſtam victoriã; verum hoc autem eſt blaſphemum.

4 *Tertia Concluſio.* Quando Votum eſt de re bona ordinatur tamen in pœnam peccati, aut præ[...]ionem illius, validum eſt, v. g. promittit quis peregrinationem, vel Religionis ingreſſum ſi amplius furatus fuerit, valida ſunt iſta Vota. Probatur facile Concluſio: ſunt de re bona relata in bonum finem, ſcilicet in vindictam criminis, vel ad [...] retrahendum ab illo, ergo.

Vltima Concluſio. Quando Votum eſt de re bona, quæ coniuncta eſt cum peccato, non tamen refertur ad illud peccatum, tale Votum eſt validum v. g. vouet quis, qui alterum prouocauit ad duellum ſe daturum mille aureos, ſi ſaluus ex duello euaſerit, aut ex alio bello iniuſto; hoc Votum factum pro ſua incolumitate eſt validum; etſi ſit coniuncta res promiſſa cum duello. Item vouet aliquis aliquid ſi ex cócubina habuerit prolem, validum eſt Votum, quia ſuſceptio liberorum bona eſt, etiamſi [...] ſtatur ad illicitum concubitum. *Probatur.* Vota iſta ſunt de re bona, & relata in aliquod bonum, quod poteſt optare vouens, ergo. Contra hic dicta nullum militare poteſt Argumentum, alienum obortis, vel monenti, & ſic ad ſeq. Articulum pergimus.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm Vota facta de his, quæ ſunt oppoſita Conſiliis ſint valida?

1 PRo *explicatione* ſupponendum eſt tanquam certum, hic non loqui de actionibus, quæ præceptis ſimul & Conſiliis opponuntur, vt nunquam dare eleemoſynam, nunquam mutuare, de his enim, vt opponuntur præceptis, iam diximus, quòd non poſſunt eſſe materia voti, quia ſunt mala. Loquimur ergo hic de his tantum, quæ opponuntur conſiliis præcisè; quæ quidem res ſunt in triplici differentia; quædam enim ſunt, quæ formaliter opponuntur Conſiliis, vt non ingredi Religionem, &c. Aliæ ſunt, quæ ipſæ ſunt Conſilia Cæterum ſunt incompoſſibilia cum cæteris bonis perfectionibus, quæ ſunt magis in Conſilio, vt [...] tamen ſunt impedimenta ad aſcendendum ad ſuperiora, de quibus ſuprà diximus. Aliæ ſunt, quæ apponunt impedimẽtum aſcendendi in altiorem ſtatum, quamuis ſint opera virtutis, vt contrahere matrimonium.

2 His *ſuppoſitis ſit Prima Concluſio.* Votum de actionibus primi generis eſt omnino inualidum; illud enim Votum non acceptatur à Deo, ſeque-retur enim aliàs, quòd Deus moueret hominem ad duo oppoſita contra dictoria ſimul, ex vna enim parte conſtat Deum mouere, & inſpirare ad Euangelica conſilia, ex alia autem parte, ſi acceptaret talia Vota, auocaret hominem ab illis Conſiliis trahendo ipſum ad oppoſita. *Secundò.* Tale Votum ponit obicẽ Spiritui ſancto, qui ſemper procurat hominem ad altiora promouere, & aſcenſiones in cordibus noſtris diſponere, ergo. *Antecedens probatur.* Quia per opera Conſilij aſcendimus, & promouemur ad meliora, per oppoſita autem deſcendimus. *Vltimò.* Qui promittit ſe non ingreſſurum Religionem rectè facit ſi ingrediatur: ergo ſignum eſt, quod illud Votum non erat obligatorium, & talia Vota cadere ſupra materiam indebitam, & propterea eſſe peccata venialia, non tamen mortalia, quia licet materia non ſit grata Deo, non tamen eſt admodum ingrata.

Secunda *Concluſio* licitè poteſt quis vouere, ſe non facturum deinceps aliquid, quod bonum ſit, & ſub conſilio cadit, niſi certis adhibitis circunſtantiis, vt ſi voueat quis ſe non mutuaturum, vel non fideiuſſurum quibuſcumque. *Probatur Concluſio explicando illam.* Eſt quis facilis in vouendo, poteſt facere Votum de non vouendo niſi adhibitis teſtibus. Similiter eſt quis facilis in ſide iubendo pro omnibus indiſcriminatim cum maxima propriæ facultatis iactura; poteſt vouere, ſe nõ deinceps pro omnibus indiſcriminatim fideiuſſurũ, quia iſto pacto hæc Vota non opponũtur Cõſiliis; non enim aduertatur illis non vouere, vel ndei non iubere imprudenter. Aduertendum eſt autem, quod ſi poſt emiſſum Votum de non vouendo niſi cum tali circunſtantia, adhuc voueat prætermiſſa illa validum erit Votum, quoniam Votum obligat iure naturali, & diuino: non poteſt autem quis ſua voluntate derogare iſtis iuribus, ſicut ſi quis emittat Votum de non ducenda vxore, ſi poſtea ducat, manet obligatus matrimonio, quia matrimonium obligat de iure naturali, & diuino; peccabit tamen vouens. 3

Tertia *Concluſio.* Vota de actionibus ſecundi generis ſunt valida, quoniam ſunt de re bona non impediente progreſſum viæ ſpiritualis, cum emittentes illa poſſint aſcendere ad vitam altiorem. 4

Quarta *Concluſio.* Votum de contrahendo matrimonio abſolute loquendo eſt nullum, etiam ſi fiat animo non cõſummandi illud. Hæc Concluſio eſt communis Doctorum, excepto *Caietano hic*, & *Nauarro caput. 12. numero 43.* Docet namque *Caietanus*, Quòd quamuis Votum de contrahendo matrimonio, ſecundùm quod matrimonium ordinatur ad multiplicandam ſpeciem humanam, non ſit materia Voti; ſecundum autem quod ordinatur in remedium concupiſcentiæ, erit materia Voti in homine fragili, qui multum vexatur concupiſcentiis carnis. *Sed probatur noſtra Concluſio.* Tale Votum ponit obicem Spiritui Sancto ad meliora aſcendendi, imò per illud deſcendit homo ad imperfectiorem ſtatum; quoniam deſcendit à ſtatu Continentiæ omnino ad ſtatum incontinentiæ coniugalis; ergo Votum de contrahendo matrimonio eſt nullum. 5

Vltima *Concluſio.* Qui nimium tentatur à venereis, ſi emittat Votum, ſimplex Religiouis, non tenetur illud implere, ſi prudenter intelligat, Religionem non ſibi profecturam, ſed potius 6

Ioan. à S. Thom. in 2. 2. D. Thom. Nn 3 nociturum

nocituram. *Explicatur Concluſio.* Dixi quod non tenetur implere; tenetur tamen petere diſpenſationem, quod eſt maxime ſecurum. Hæc Concluſio colligitur ex *D. Thom. ad 3.* dicente, Quod maceratio proprij corporis, in tantum eſt Deo accepta, in quantum eſt actus virtutis: eſt autem actus virtutis, in quantum prudenter fit, vt ſcilicet concupiſcentia firmetur, & natura non nimis grauetur, & hac conſideratione eſt materia Voti, non aliàs. Subijcit tamen D. *Thom.* Quia in his, quæ ad ſe pertinent de facili homo facit talia Vota, congruentiùs ſecundùm arbitrium ſuperiorum ſunt ſeruanda, vel non, ita tamen, quòd ſi ex obſeruatione talis Voti magnum grauamen ſentiret, & non eſſet facultas recurrendi ad ſuperiorem, non debet homo tale Votum ſeruare. Quæ verba referens *Caietanus* notat hic. Non dixiſſe *D. Thom.* quod quando obſeruatio Voti nociua eſt notabiliter requiratur recurſus ad ſuperiorem, etiam in promptu habitum, ſed dixit congruentiùs illud fieri. Addit autem *Caietanus* ex *D. Thom.* ibi, quod in tali caſu maceratio carnis obeſt; ergo non eſt materia Voti, quia deficit illi prudentia. Diximus in concluſione, *Si emittat Votum ſimplex*, nam ſi emitteret ſolemne, teneret; ſicut enim traditio per matrimonium coniugi facta valida eſt, quamuis vita coniugalis aliàs ſit incommoda contrahentibus, ita, imò & à fortiori, traditio per Votum ſolemne Religionis. *Item.*, Quia ex oppoſita ſententia ſequerentur multa inconuenientia, dum poſt Votum ſolemne quis poſſet allegare vitam Religioſam ſibi nocere referendo culpam propriam in ſuam fragilitatem, cum certum ſit, & Dei auxilio, & aliorum iuuamine poſſe omnia incommoda ſuſtinere.

Soluuntur Argumenta:

1 ARguitur *Primò.* Votum de non mutuando, vel fidei non iubendo quibuſcumque hominibus eſt validum; mutuare enim, vel fidei iubere opera ſunt Conſiliorum, & ita benè poſſunt prætermitti. *Item.* Quia quod licet facere, licet vouere, ſed licet nõ mutuare, vel fidei iubere, ergo licet hoc vouere. *Secundò.* Aliquando ingredi Religionem cognoſcenti ſe eſſe nimis fragilem, nec poſſe ita rigidè viuere, poteſt eſſe actus virtutis; ergo poteſt vouere non ingredi Religionem, ſi quidem de actu virtutis benè poteſt emitti Votum. *Tertiò.* Votum de docenda vxore eſt validum, tamen eſt de opere oppoſito conſiliis; ergo. *Antecedens patet.* Iuramentum factum fœminæ de ipſa in vxorem docenda eſt obligatorium, ergo & votum. *Confirmatur.* Quia reſpectu aliquorum eſt Euangelicum conſilium vxorem ducere, vt patet 1. Corint. 7. *Qui non ſe continet nubat, melius eſt enim nubere quàm vri.* Si reſpondeas; Iſta Vota nullo modo poſſe eſſe valida, quia ſunt oppoſita cum operationibus perfectioribus. *Contra,* Si quis voueat Religionem nimis ſtrictam, aut ſe perpetuò ſeruiturum hoſpitali, iſta ſunt Vota valida, tamen ſunt incompoſſibilia cum maioribus bonis; non enim poterit ſimul profiteri Religionem arctiorem; ergo.

2 Ad *Primum patet ex ſecunda Concluſione.* Ad illud autem quod ibi ſubiungitur, videlicet, Quia licet vouere, quod licet facere, *Reſpondetur ex dictis*, Si non ſit impeditiuum alterius maioris boni. *Ad Secundum* ex dictis in vltima Concluſione patet. *Ad Tertiũ Negatur Antecedens*, & ad probationem *negatur Conſequentia.* Eſt enim hæc differentia, Quia iuramentum de Matrimonio contrahendo eſt vtile proximo, cui fit, & hac de cauſa eſt ſeruandum: Votum verò fit Deo tantùm, cui non eſt gratum Votum, per quod non aſcenditur in vitam ſpiritualem, & ita ſi iuramentum fieret de aliquo, quod nullo modo eſſet vtile proximo, ſed præcisè referretur in cultum Dei, tale iuramentum non eſſet validum, ſi fieret de re oppoſita conſiliis, ſiue formaliter, ſiue tanquã impedimentum Conſiliorum.

Ad *Confirmationem Reſpondetur* negando eſſe conſilium Euangelicum etiam homini fragili, qui vritur libidine, ducere vxorem; quia conſilium Euangelicum ſemper reſpicit id, quod eſt melius ſecundùm ſe, & abſolutè; eſt autem de fide, quod Religio eſt quid excellentius Matrimonio. Fateor tamen quod eſt conſilium ſalutare ſecundùm regulas prudentiæ per illum in Euangelio, & à *D. Paulo*, quod homo fragilis, qui aliàs vritur, ducat vxorem in remedium libidinis. *Ad Quartum Reſpondetur.* Multùm differre iſta duo Scilicet eſſe aliquid incompoſſibile cum perfectioribus boni & conſiliis, & eſſe illis formaliter oppoſitum, aut illorum impeditiuum. Ea enim quæ ſunt incompoſſibilia cum perfectioribus bonis non impediunt, quin fiat tranſitus ab illis ad perfectiora bona, vnde (vt diximus) poſſunt eſſe materia Voti. Ex dictis colligitur non omnem actum virtutis eſſe materiã Voti, ſed illud dumtaxat, qui non eſt impeditiuus perfectioris boni.

Secundò *Principaliter Arguitur* pro domino Caietano contra quartam Concluſionem. Matrimonium ratum non conſummatum non ponit obicem Religionis ingreſſui; ergo taliter erit licitum Votũ de contrahendo ſine cõſummatione. *Secundò* ex 1. Corinth. 7. *Qui Matrimonio iungit virginem ſuam benefacit.* Sed Votum de re bona eſt validum, ergo. *Tertiò.* Quamuis vouere abſolutè Matrimoniũ ſit diſcedere à ſtatu Continentiæ, & ſub hac conſideratione ſit minus bonum, reſpectu tamen alicuius Perſonæ ſe non potentis continere maius bonum erit nubere, ſecundùm conſilium citatum D. *Pauli*, quod ſi non ſe continent nubant, ergo. 3

Nihilominus *Ad Primum Reſpondetur* Negando conſequentiã. Qui enim ſimpliciter vouet contrahere Matrimonium, ex natura rei obligat ſe ad illud conſummandũ, aliàs enim fallax eſſet huiuſmodi Matrimonium; quare dum abſolutè emittitur Votum, eſt illicitum, quia ex natura ſua eſt impeditiuum maioris boni. *Ad ſecundum patet ex dictis.* Non enim ſufficit, quod Votum ſit de re bona, ſed requiritur vlterius, quod non ſit impeditiua maioris boni. *Ad Tertium Reſpondetur,* Quod quamuis reſpectu non valentis ſe continere ſit conſilium, & melius nubere quàm vri; tamen reſpectu ipſius eſt impeditiuum maioris boni, & conſequenter ad dicta non obligat. 4

Dubitabis circa Solutionem *Primum* D. *Thom.* Vtrùm in Baptiſmo fiat Votum. *Concluſio.* In Baptiſmo nullum fit Votum. Hæc Concluſio eſt communis, quam tenet etiam hic *Caietanus.* Et probatur. In Baptiſmo nullũ fit Votum implicitũ, vel explicitũ, ergo. Non explicitò quia verba quæ dicuntur à Baptizato, ſunt *Credo*, *Volo*, *Abrenuntio*, ſed verba iſta non dicunt promiſſionẽ explicitã, vt de ſe patet, ergo. *Quod non fiat implicitum probatur.* 5

Votum

Votum implicitum ſit, vel coniunctum cum aliqua conſuetudine, vel ſtatuto, vel cum altera re, quæ ſit, vt patet in ſuſcipiente ſacros ordines, qui ſaltem implicitè vouet caſtitatem, ex eo quòd Votum caſtitatis ex ſtatuto Eccleſiæ coniunctum eſt cum ſuſceptione Ordinis ſacri; ſed cum Baptiſmo non eſt coniunctum Votum ex ſtatuto Eccleſiæ, vt patet ex toto iure; ergo neque implicitum, neque explicitum Votum ſit in Baptiſmo. *Confirmatur.* Quia nullus fidelis cenſet cum peccat, ſe peccare duplex peccatum, alterum contra Religionem ratione Voti facti in Baptiſmo, & alterum circa materiam illius peccati, ergo non ſit tale Votum; vtrum autem grauiùs peccet in eodem peccato baptizatus, quàm non baptizatus, Diſputatio eſt alterius loci.

5 Arguitur *Primò* pro parte Affirmatiua. Ex *D. Thom.* ibidem dicente, Quod ſub Voto Baptiſmi totum cadit abrenuntiare pompis diaboli, & Fidem ſeruare Chriſti; & ſubdit rationem, Quia voluntarie ſit. *Confirmatur* ex *D. Hieronymo Amos 6. circa finem*, & *D. Ambroſ. lib. 1. de Sacramentis c. 2.* & *D. Auguſt.* qui refertur *de Conſecrat. diſt. 4. Can Præterea*, in quo dicitur: *Neophitos in Baptiſmo ſpondere, & promittere*: ſed in hoc diximus ſupra conſiſtere eſſentiam Voti; ergo. *Item Arguitur* authoritate *Magiſt. Sententiarum in 4. diſt. 38.* idem affirmantis. Ergo in Baptiſmo ſit Votum.

6 Nihilominus *Reſpondetur.* Ad Primum *D. Th.* ſolummodo velle, quod ibi admiſſo antecedenti, ſcilicet, in Baptiſmo ſit Votum, (quod reuera non ſit, vt diximus) ſolùm in ſequeretur, quod de neceſſariis ad ſalutem poteſt fieri Votum, quatenùs ſunt voluntaria, non tamen vult, quod antecedens ſit verum. *Ad ſecundum Reſpondetur*, Quod propoſitum firmum nouæ vitæ ſolet dici *Votum* à Sanctis, vt ſuprà vidimus, & tale eſt illud, quod debet fieri à baptizatis in Baptiſmo. Sic poteſt explicari *Magiſt.* vel dici, quod tenuerit illam ſententiam, *Circa Solutionem* ad ſecundum poterat diſputari de Voto *Iephte*, An ſcilicet occiderit filiam, vel an fuerit validum tale Votum. Sed de hoc videantur Expoſitores Sacræ Scripturæ *Iud.* 11. & expoſitores *D. Thom.* in hoc Articulo.

Articvlvs VIII.

Vtrùm Votum de re leui, v. g. de recitanda Oratione Dominica, obliget ſub mortali;

1 DVbium iſtud mouetur circa *Articulum 3. D. Thom.* In quo inquiſiuit, An Votum ſemper obliget ad ſui obſeruantiam? Et reſpondit Concluſione affirmatiua, vt diximus ſupra, quæ Concluſio eſt certa ſecundùm Fidem, quam multis teſtimoniis Sanctorum, & Sacræ Scripturæ probat *Gratian. in Decret. 27. diſt.* & *D. Thom. in Argumento ſed contra.* Inſuper patet ex illo Pſalm. 75. *Vouete, & reddite Domino Deo veſtro.* Et nota quod obſeruatio Voti pertinet ad primum Decalogi præceptum. De cultu Dei, eſt enim actus Religionis, vt ſuprà diximus. Inſuper Concluſio *D. Thom.* probatur. Maior eſt obligatio Religionis erga Deum, quàm iuſtitiæ erga proximum; ſed ea, quæ homo debet proximo ex iuſtitia tenetur reddere, ergo à fortiori tenetur reddere ea, quæ per Votum debet Deo Ex quo colligitur, quod obligatio Voti ex genere ſuo ſit ſub mortali

Sic *Arguas cōtra hoc* Ex ratione *D. Th. in corpore Artic.* Vbi affirmat obligationē Voti pertinere ad fidelitatē, quam Deo ſeruare tenemur, ſed fidelitas ſolùm obligat ſub veniali, ſicut Veracitas, ad quam ipſa reducitur ſecundùm *D. Thom. infr quæſt.* 109. De quo videndus eſt *Caietanus Quæſt.* 103. *art.* 2 *dub.* 4 Ergo non obligat ſub mortali. *Reſpondetur.* Quod illa, quæ promittuntur Deo, conſecrantur cultui diuino ex vi promiſſionis, & ita Fidelitas circa impletionem talis promiſſionis pertinet iam ad virtutem Religionis, quæ obligat ſub mortali, & ſic non manet præcisè intra limites fidelitatis. Quod ergo *D. Thom.* docet loco cit. eſt, quod Fidelitas, & Veracitas, quando ſecundùm ſe conſiderantur, non extractæ ad alias virtutes, ſolùm obligant ſub veniali. 2

Vt *id, quod quæritur, intelligatur*, Supponendum eſt, Quod illa leuis materia poteſt dupliciter cadere ſub Voto. *Primò* ſicut pars alterius materiæ maioris promiſſæ, vt duo, vel tria Aue Maria ingrediuntur, quando quis promittit Roſarium, ſicut pars materiæ promiſſæ. In quo caſu certum eſſe debet ſolum eſſe peccatum veniale, non recitare illa, quia non recitando illa irrogatur minima irreuerentia. *Secundo modo* poteſt materia leuis cadere ſub Voto tanquam totale obiectum Voti, vt ſi quis voueat ſe facturum quotidie commemorationem alicuius Sancti, in quo caſu dubitatur vtrùm omittere illam vno, vel altero die ſit peccatum mortale. 3

Pro *huius explicatione notandum eſt.* Quod hæc leuis materia Voti, vel ordinatur immediatè ad cultum Dei, ita præcisè, vt neque etiam ſecundario reſpiciat aliquam proximi vtilitatem, vt conſtat in exemplo allato de Voto recitandi vnum Aue Maria: vel poteſt talis materia leuis promiſſa ordinari ex vi Voti in cultum Dei immediatè, taliter tamen quod mediatè, & ſecundariò ordinetur in proximi vtilitatem, vt ſi quis promittat ſe daturum pauperi vnum denarium in eleemoſynam. 4

Sit *Prima Concluſio.* Votum circa materiam leuem primi generis ſolùm obligat ſub veniali. Hanc Concluſionem tenent communiter Doctores contra Authores infra citandos. De qua videatur *Soto lib. 7. de Iuſtitia & iure, Q. 2 art.* 1. Et probatur. Si talis leuis materia eſſet pars alterius materiæ maioris, ſolum eſſet peccatum veniale illam omittere, vt ipſe *Caietanus* concedit; ergo etiamſi ſit materia totalis, tantùm erit veniale. *Probo Conſequentiam.* In primo enim caſu tantùm eſt veniale, quia eſt parua irreuerentia illā omittere, ſed quando eſt materia totalis, non eſt maior irreuerentia, ergo. *Confirmatur* Recitare illud Aue Maria eſt parua irreuerentia. Ergo omittere eſt parua irreuerentia. *Secundò* Acolythus deſeruiens altari in mortali, non peccat mortaliter, quia irreuerentia eſt exigua propter leuitatem materiæ, & miniſterij ergo, *Tertiò.* Amicitia humana non diſſolueretur etiam ſi quis omitteret talem materiam leuem promiſſam; ergo multò minùs amicitia diuina. *Vltimò probatur.* Lex humana præcipiens talem materiam leuem ſolùm obligat ſub veniali; ergo & Totum etiamſi vouens intendat ſe obligare ad mortale circa illam; 5

adhuc enim non obligatur niſi ad veniale. Sola enim omiſſio Voti dependet ex eius volutate, obligatio verò ad mortale, vel veniale conſequitur ex natura rei iuxta proportionem materiæ, poterit tamen ille aliquando peccare mortaliter, ſi ex conſcientia erronea exiſtimet ſe ſub mortali obligari.

6 Secunda *Concluſio.* Si materia Voti ordinetur ſecundariò in vtilitatem proximi, quamuis tranſgreſſio Voti ſemel, aut iterum ſit tantùm venialis, ſi tamen multiplicetur, ita vt perueniatur ad materiam grauem ex multiplicatione omiſſionum erit peccatum mortale. *Probatur*, Quia quando deuenitur ad materiam grauem, grauiter læditur proximus: ergo grauiter offenditur Deus, quia ex vi Voti obligatur colere Deum benefaciendo proximo; ergo qui grauiter deficit in benefaciendo proximo, grauiter etiam offendit Deum. Eſt tamen aduertenda differentia inter materiam leuem primæ, & ſecundæ Concluſionis. In caſu enim primæ Concluſionis, omiſſio primæ non copulatur ſecundæ; In caſu autem ſecundæ ſecus ſe res habet; omnes enim illæ omiſſiones inter ſe coniunguntur, prima videlicet ſecundæ ſeconda tertiæ, &c. ita vt perueniatur ad magnam quantitatem *Cuius ratio eſt.* Quia qui promittit recitare quotidie vnum Aue Maria, temporis determinatio cadit per ſe ſub Voto, & ita altero die non tenetur omiſſam dicere. Qui verò promittit quotidie dare quandam paruam eleemoſynam pauperi, per ſe tantùm cadit ſub Voto res promiſſa, tempus verò ſecundariò; qua de cauſa ſemper tenetur reddere quod promiſit, quamuis tempus mutetur, & ita ſi multiplicat omiſſiones poteſt peruenire ad materiam grauem, ſicut contingit in furto leuis rei, toties enim poteſt multiplicari, vt iam ſit peccatum mortale, licèt *Nauarrus in Manuali cap.* 17. *n.* 103. dicat, quod taliter congerens materias paruas non peccat mortaliter. Cæterùm noſtra ſententia communis eſt, quam tenet *Corduba Quæſt.* 3. *art.* 3. & *Soto in* 4. *diſt.* 22. *Quæſt.* 2. Et ratio eſt manifeſta; Quia ſeptimo præcepto prohibetur furtum, *Non furtum facies*, id eſt, non apprehendes bona aliena; ergo qui illa apprehendit in magna quantitate, etiamſi nulli in particulari notabile nocumentum faciat, peccat mortaliter. Nullus enim dicet quòd ſi in aliquo communi loco ciues poſuerint magnam pecuniæ quantitatem ex quo aceruo aliquis grauem quãtitatẽ furaretur, taliter tamen, quòd Ciues in particulari leue nocumentum acciperent; quod talis fur non peccaret mortaliter. Videatur *Soto loco citato*, & *Salon. Q.* 66. *art.* 6. *controu.* 6.

Soluuntur Argumenta.

1 PArtem Affirmatiuam tenet *Caietanus Quæſt.* 89. *art.* 7. & *Nauarrus loco citato* ab *Aragon.* qui pro ſententia iſtorum Doctorum ſolùm adducit vnum Argumentum, cuius Solutio mihi non ſatisfacit. Et Argumentum eſt, Quæcumque tranſgreſſio præcepti diuini, aut naturalis eſt peccatum mortale. Sed ille, qui totam rem promiſſam non reddit Deo, tranſgreditur præceptum diuinum, & naturale de reddendo Voto; ergo peccat mortaliter. *Sed Nos pro iſta parte arguimus ſecundò.* Iuramentum promiſſorium etiam de re leuiſſima obligat ſub mortali, ſed non eſt minor obligatio Voti, quam iuramenti, ergo. *Probatur Antecedens.* Quia ſi iuramentum non impleatur, redditur falſum, [illegible] iuramentum falſum etiam de re leui obligat ſub peccato mortali, ergo. *Tertio.* Si quis ludendo, v.g. decem aureos tantùm peccet venialiter, & voueat nõ ludere illos, tenetur ſub mortali, nõ ludere ergo.

Ad *Primum Reſpondet Aragon dicendo*, Quòd quando materia eſt leuis, non tranſgreditur perfectè præceptum diuinum, & naturale de [illegible]dendo Voto, qui illud non implet, ſicut neque perfectè tranſgreditur præceptum de non furando, qui rem leuem furatur. Sed hæc Solutio tantùm currit quando leuis materia eſt tantum partialis, non verò totalis. Vnde *Reſpondetur negando Maiorem* abſolutè, conſtat enim eſſe præceptum diuinum naturale de non mentiendo, & qui mentitur, totaliter tranſgreditur illud, & tamen tantùm peccat venialiter, quia ſolùm obligat illud præceptum ſub veniali. Similiter ſit [illegible]; quia hoc votum ſolum obligat ſub veniali, etiamſi totaliter frangatur, tantùm peccatur venialiter, clarum eſt autem totaliter frangere Votum illum, qui non recitat orationem Dominicam, quam vouit. Vnde non placet Solutio Aragon. 2

Ad *Secundum negatur Antecedens*, ſecundùm ſententiam maximè probabilem aſſerentem Iuramentum promiſſorium materiæ leuis tantum obligare ſub veniali. *Sed ſecundò Reſpondetur.* Iuxta oppoſitam ſententiam negando Conſequentiam. *Ratio differentiæ eſt.* Quia in iuramento promiſſorio etiam rei leuiſſimæ, ſi non impleatur promiſſum reperitur verum mendacium & conſequenter vera ratio periurij, quod quidem ſemper, & in quacumque materia eſt peccatum mortale, & ita quando *D. Thom.* dicit, maiorem eſſe vinculum Voti, quàm iuramenti, intelligitur de Voto, quod habet perfectam rationem Voti. *Ad Tertium Reſpondetur.* Quod ſine dubio ſæpè contingit, aliquid ante Votum eſſe tantùm peccatum veniale; imò nullum peccatum, quod quidem poſt Votum ſit mortale, vt patet in illo, qui cùm poſſit nubere, vouit caſtitatem. Solùm ergo dicimus, quod quando materia eſt leuis, obligat ſolùm ad veniale. Ludere autem decem argenteos reſpectu Voti ſine dubio non eſt materia leuis. Prodigalitas autem circa decem argenteos tantùm eſt veniale, non quidem ex leuitate materiæ, quia etiam ſi prodigeret centum, peccaret ſolùm venialiter, ſed quia prodigalitas ex propria ſpecie obligat etiam in graui materia ſub veniali per ſe loquendo. 3

Quartò *Principaliter Arguitur.* Qui vouit ſe non dicturum mendacium officioſum; ſi poſtea 4 mentiatur, peccat mortaliter, & tamen Votum cadit ſuprà materiam leuem, ergo. *Maior Probatur.* Grauiùs peccat mentiendo officiosè poſt Votum emiſſum, quàm antea, vt de ſe patet ſed antea peccabit venialiter ſolùm; ergo modo peccat mortaliter. *Quinto.* Qui mentitur in confeſſione fingendo aliquod peccatum veniale, quod faciat materiam totalem Sacramenti, peccat mortaliter: ergo etiam qui non adimplet, quod promiſit, quia eſt totalis materia Voti, quia ſicut ille facit, quod Sacramentum ſit nullum, ita iſte facit nullum Votum. *Vltimo.* Præceptum Prælati ſupra materiam leuem obligat ſub mortali: ergo & Votum. *Antecedens Patet.* Ex Multorum ſententia. *Conſequentia Probatur.* Quia Votum magis videtur obligare, quàm præceptum humanum; habet enim obligationem ex præcepto diuino.

Reſpon

4 Reſpondetur *ad hoc Argumentum* omiſſa Aliorum Solutione, quam ego ſufficientem non exiſtimo. Quòd qui vouit non mentiri, ſi poſtea mentiatur non peccat mortaliter. Ad probationem in contrarium *Reſpondetur*, Tantùm probare, quod grauius peccat poſt Votum emiſſum, quia peccat contra Religionem: vtraque tamen diſſimulatio eſt peccatum veniale, quamuis vna ſit grauior altera. *Ad Quintum Reſpondetur*. Quòd cum Sacramentum Pœnitentiæ ſit quoddam artificiatum conſtans ex materia, & forma, ille qui mentitur in caſu argumenti, fingit materiam falſam, & eſt cauſa, quòd forma non cadat ſupra materiam debitam, atque adeò eſt irriſio Sacramenti, quod eſt grauiſſimum peccatum. In Voto autem non currit hæc ratio, nec ſimilitudo. *Ad Vltimum* poſſet diſputari, Quando lex Prælati obliget ſub mortali, vel non? Sed de hoc videatur *Medina* 1. 2. *Quæſt*. 96. *artic*. 4. Quòd autem ad nos pertinet, Dicimus, Quòd præceptum Prælati cadens ſuprà materiam leuem non poteſt obligare ſub mortali; ſi tamen materia leuis ſit leuis tam in ſe, quàm in ordine ad bonam gubernationem, Prælatus namque non accipit poteſtatem in deſtructionem, ſed in ædificationem Eccleſiæ; eſſet namque incomportabile quòd Prælatus pro ſuo libito poſſet ad mortale obligare. Sed aduertendum eſt poſſe contingere, quòd materia, quæ aliàs eſt leuis, in ordine ad bonam gubernationem reputetur grauis, cuius iudicium relinquendum eſt arbitrio prudentis Viri. In dubiis verò ſemper iudicandum eſt in fauorem præcipientis, & quamuis Prælati poteſtas immediatè ſit à Deo, non tamen inde infertur, quod ſtatim poſſit obligare ad mortale in quacunque materia, ſed attenta quantitate ipſius materiæ. Deus autem non contulit Prælato poteſtatem excedentiæ.

Articvlvs IX.

Vtrum Promiſsio facta homini præſenti, & acceptanti obliget ſub mortali?

1 IN hoc difficili Dubio ſupponenda ſunt aliqua, in quibus omnes conueniunt, *Primum eſt*, Quòd omnis ſimplex promiſſio obligat, ſiue ſub mortali, ſiue ſub veniali. Ita definitur in *cap*. 1. *& cap*. 4. *Qualiter*, & *cap. Iuramentum* 22. *Quæſt*. 5. *& L*. 1. *ff. de Pactis*, vbi ait *Vlpian*. ratione naturali exigi, vt promiſſa impleantur, & aliàs, qui promittit eſt infidelis, & perfidus non implendo, quia peccat contra virtutem veracitatis, & fidelitatis. *Secundò ſupponendum eſt*. Quòd licet promiſſio ſimplex non obliget ad mortale, vt poſtea dicemus ex ſuo genere, poteſt tamen contingere, quòd aliquando in indiuiduo ſit mortale non ſeruare promiſſum, quando ſcilicet eſt contra charitatem Dei, aut proximi vt docet *Caietanus quæſt*. 113. *dub. vltim*. Tunc enim eſt mendacium perniciosum. Idem docet *D. Thom. Quæſt*. 100. *art*. 4. *in Corpore*. Vt ſi Medicus promittat infirmo, quòd veniet ad curandum eum, & non veniat, & propter hoc patiatur infirmus magnum detrimentum ſalutis, tunc Medicus peccat mortaliter. Idem dicendum eſt de Aduocato, qui promiſit patrocinari in re graui, quoniam in riſis, & conſimilibus caſibus non ſeruare fidem, eſt perniciosum.

Tertiò *ſupponendum eſt*, Quòd vt promiſſio 2
ſit obligatoria ſub aliquo peccato, neceſſarium eſt, quod verbis exterioribus proferatur, vt communiter dicitur in Materia de tranſlatione dominij, eſtque ſententia *D. Thom. articul*. 1. *huius Quæſtion*. Item eſt neceſſarium, quod acceptetur ab altero; nullus enim cogendus eſt, vt donum alteriùs ſuſcipiat inuitus. Debet etiam eſſe de re grata promiſſo, ſicut Votum de re grata Deo. Item quòd ſit rei poſſibilis, & quòd non ſit peccatum, aliàs non eſt obligatoria. Ideò *D. Iſidorus* docebat in malis promiſſis ſcinde fidem, habeturque 2. 2. *Quæſt*. 14. *cap. In malis*. Eſt etiam neceſſarium, quòd promiſſio non ſit rerum inutilium. Ac tandem requiritur, quòd non ſit in rebus ipſis facta talis mutatio, quod ſi illa adeſſet tempore promiſſionis, nequaquam fieret; vulgatum eſt enim illud proloquium Senecæ: *Fac in res eſſe eaſdem. & ego ero idem*. Quo fit, quod ſi res promiſſa tempore, quo adimplenda eſt cedat in maius detrimentum dantis, quam ſit commodum recipientis, non tenetur homo ſtare promiſſis. Verbi gratia promiſit quis cras patrocinari alteri in ſua cauſa, accidit autem, quod filius promittentis ægrotat illa die, eſtque neceſſarium, quòd Pater eius domi remaneat ad illum curandum, non tenetur exire ad patrocinandum, vt adimpleat promiſſum.

Vltimò *ſupponendum eſt*. Quòd hic tantùm 3
loquimur de ſimplici promiſſione, ſi enim non ſit ſimplex, eſt alia ratio. Simplex autem eſt illa, quæ excludit Iuris ſolemnitatem, neque coram teſtibus, aut tabellione fit, & ſine proprij nominis inſcriptione, neque cum iuramento, ac tandem fit taliter, quod in iudicio probari non poteſt. *Secundò* dicitur *Simplex*, quando non eſt reciproca ex parte promittentis, & illius, cui fit promiſſio; tunc enim non erit ſimplex promiſſio, ſed pactum, & hoc ſine dubio obligat ſub iuſtitia, ſcilicet do, vt des, facio, vt facias, do, vt facias, &c. Non tamen requiritur, vt promiſſio ſit ſimplex, quod non fuerit poſtulata ab alio, nam licèt tunc peculiari nomine dicatur adſtipulatio, vt dicitur *Inſtit. de verborum obligationibus*, tamen quia illa petitio non addit nouam Iuris ſolemnitatem, ideò adſtipulatio comprehenditur ſub ſimplici promiſſione. Eſt ergo ſimplex promiſſio, de qua hic, Pollicitatio voluntaria alteri facta ſine Iuris ſolemnitate. His ſuppoſitis ſit.

Concluſio. Promiſſio ſimplex non obligat ſub 4
mortali ex genere ſuo. Hæc eſt contra Authores citatos; eſt tamen *Caietani*. Et probatur Primò ex *D. Thom. Solutione ad Primum*, vbi dicit, Huiuſmodi promiſſionem ſolùm ex honeſtate obligare; ea verò, ad quæ, quis ex ſola honeſtate tenetur non obligant ad mortale. *Nec valet Solutio Magiſt. Soto*, vbi ſuprà, explicantis hoc teſtimoniũ *D. Thom*. ſcilicet, quod non accipiat honeſtatem, vt excludat iuſtitiam, ſed tantùm vt excludat ciuile Forum, vt patet ex contextu ipſius Solutionis ad *Primum*. Dicit itaque *Soto* ſenſiſſe *D. Th*. Quòd non compelletur in Foru Ciuili, qui facit ſimplicẽ promiſſionem, vt illam adimpleat. Cæterùm in interiori obligabitur ſub mortali, nam ſubdit *D. Th*. Quòd illa ſimplex promiſſio non inducit obligationem ciuilem, ergo diſtinguebat *D. Th*. hic honeſtatem

neſtatem

honeſtatem contra Ciuile forum non autem contra obligationem ex iuſtitia. *Sed hæc Solutio* nõ videtur ad mentem *D.Th.* qui expreſſe ſupra *Q.* 80. Honeſtatem diſtinguit contra Iuſtitiam, & ita dicens ſic obligari tantùm ex honeſtate, intelligẽdus eſt excludere iuſtitiam.

5 Secundo *Probatur Concluſio.* Fides pertinet ad veritatem, idem enim eſt in genere moris dicere verum, & facere verum, ſed primum pertinet ad veritatem; ergo & ſecundum. *Confirmatur.* Nam *Cicero* definit Fidem per veritatem affirmans 1. Libr. Officior. *Fides eſt dictorum conſtantia, & veritas.* Et D. Thom. Quæſt. 80. cit. dicit, Fides, qua fiunt dicta includitur in veritate quantum ad obſeruantiam promiſſorum; ergo Fides pertinet ad veritatem: ergo tantùm obligat ſub veniali, *Tertiò Probatur.* Non ſeruare Fidem in ſimplici promiſſione ſolùm eſt mendacium; ſed mendaciũ ex genere ſuo ſolùm eſt veniale; ergo ſimiliter non ſeruare fidem. *Confirmatur.* Non eſt mendacium pernicioſum, ſed officioſum tantùm, ergo non eſt mortale.

6 Reſpondent *Contrarÿ* Quòd non ſeruare promiſſum non eſt quomodocumque mendacium, & infidelitas, ſed eſt perfidia cum iniuria tertij, illi enim cui frangitur Fides, fit grauis iniuria, vnde ſolet procurare vindictam. *Sed contra hoc eſt*: Quia ſi homines contriſtantur non ſibi ſeruata Fide, non eſt quia illis grauis irrogatur iniuria, ſed quia non eſt conforme amicitiæ promittere, & non implere. Et item quia vident ſe priuatos ſpe ſua, quam conceperant ex promiſſione. Eſt exemplum: Si quis dicat Patri filij abſentis, quod eius filius venit ex India ditiſſimus, & mentiatur, certè Pater contriſtabitur poſtea ſciens eſſe mendacium, non autem propter iniuriam, quæ illi irrogatur à mentiente, ſed quia videt ſe eſſe illuſum, non quia mentiens peccauit contra iuſtitiam. *Vltimò Probatur.* Ex communi ſenſu Magnatorum, qui ſæpè res magnas promittunt, & non adimplent, & propter hoc non ſe exiſtimant peccare mortaliter, nec rationi conſonum eſt tot reos peccati mortalis facere. Dicere autem (vt dicunt Aothores oppoſitæ ſententiæ) quod prædicti Magnates promittunt ſine animo ſe obligandi, hoc eſt diuinare eorum mentes, nec dignæ quidem ſunt huiuſmodi diuinatione.

Soluuntur Argumenta.

1 PArtem Affirmatiuam tenet *Panorm.* 22. *queſt.* 5. *Can. Iuramentum, & cap.* 1. *de Pactis, Nauarr. in Manuali, cap.* 18. *D. Antoninus* 2. *par. tit.* 10. *num.* 4. *Magiſt. Victoria* fertur fuiſſe eiuſdem ſententiæ, *Sylueſter verbo Pactum, Queſt.* 3. *&* 4. *Magiſt. Soto* 7. *de Iuſtitia, Queſt.* 2. *articul.* 1. *Aragon. in hoc art. & Salon in Materia de Dominio, Queſt.* 5. *art.* 2. Et Probatur Primò hæc ſententia ex *cap. Iuramentum cit.* vbi dicit Chryſoſt. *Apud Deum nulla eſt differentia iuramenti, & ſimplicis dicti*; ſed qui iurat, tenetur ſub mortali implere ex genere ſuo, ergo eadem obligatione tenebitur adimplere, qui ſimpliciter promittit. *Secundò.* Sicut veritas reſpicit promiſſionem, ita Fides executionem illius, & ſicut obligat veritas ad non decipiendum fratrem in promiſſione, ita obligat fides ad implendum promiſſum, ſed decipere fratrem in re graui eſt peccatum mortale, vt conſtat; ergo non implere promiſſum etiam erit mortale. *Maior Patet ex Caietano.* Qui in *Summa verb. Perfidia* affirmat, Perfidiam eſſe vitium contra Fidem datam in promiſſis. *Minor autem Probatur.* Si quis v. g. promittat Patri alicuius puellæ, quod dotabit illam, cui fidens Pater non quærit dotem, ſi non impleat promiſſum mentitur pernicioſè, ſicut mentitur ille, qui promiſit ſe auxilium præſtiturum alicui in bello, quòd poſtea non adimplet, ergo *Tertiò* Promittere non ſignificat dicere verum quomodocumque, ſed dicere illud obligando ſe illi, cui dicitur ad illud ſeruandum, vnde tranſit in naturam iuſtitiæ: ſed iuſtitia ex genere ſuo obligat ſub mortali; ergo & ſimplex promiſſum.

Quartò. Omnis iniuria per quam inter prudentes iuſtè diſſolueretur amicitia, eſt mortale contra charitatem, ſed omnium ſapientium iudicio prudenter, & iuſte amicitia ſua priuabit eum quis, qui in re graui violat ſibi Fidem datam, tanquam perfidum; ergo. *Quintò.* Promiſſio legalis, quæ fit coram teſtibus, & tabellione, licet in iudicio forenſi habeat maximam vim, tamen a parte rei ideò pertinet ad iuſtitiam, quia eſt Fides data fratri, ſed ſimiliter in promiſſione ſimplici, quæ non fit cùm hac ſolemnitate datur fides fratri, ergo. *Maior patet.* Quia ſolemnitas illa iuris non mutat naturam contractus, ſed tantum reddit illum validum in iudicio forenſi. *Sexto.* Ad hominem contra *Caietanum* tenentem oppoſitum. Ipſe enim *Articulo* 1. huius *Queſtionis* dixit, Quòd violare ſimplicem promiſſionem aliquando, id eſt in materia leui erat veniale, aliquando autem, id eſt, in materia graui erat mortale. Ex qua doctrina colligitur, quòd ex genere ſuo eſt mortale, quia illud, quòd ex genere ſuo eſt veniale, non fit mortale niſi tranſeat in aliam ſpeciem peccati, quod ex genere ſuo ſit mortale. *Septimò* Sponſalia de futuro ſunt promiſſiones ſimplices, & tamen obligant ſub mortali, vt patet ex *D. Thom, in* 4. *diſt.* 27. *Q.* 2. Ergo & promiſſio ſimplex. 2

Octauò Votum Deo factum obligat ſub mortali ex genere ſuo, vt diximus, non ſolùm ea parte, qua eſt actus Religionis, ſed qua parte pertinet ad iuſtitiam; ſed promiſſio ſimplex pertinet ad iuſtitiam, ſicut & Votum; quemadmodum enim Votum pertinet ad iuſtitiam tanquam pars potentialis illius, ita Fides eſt pars potentialis iuſtitiæ. *Nonò.* Iuramentum non transfert promiſſionem in materiam iuſtitiæ, & tamen ſi iuramento firmetur illa promiſſio obligat ex iuſtitia; ergo etiam antea ex iuſtitia obligabat. *Maior Patet.* Nam iuramentum tantùm pertinet ad Religionem. *Minor Probatur* Quia ſi talis promiſſio iuramento firmata non pertineret ad iuſtitiam, ſufficeret quidem quod pœniteret de peccato ſi non adimpleret promiſſum, & non teneretur reſtituere; ſed certè iſta non ſufficiunt niſi reddatur promiſſum; ergo. *Vltimò.* Si quis probat in iudicio, quod aliquis animo ſe obligandi promiſit illi aliquam rem, compelletur talis ad implendum promiſſum. Ergo tenebitur ante ſententiam ex iuſtitia illud implere; ſententia enim, quæ non eſt pœnalis, neque fundata in falſa præſumptione non confert nouum ius, ſed illud declarat, quod antea homo habeter. *Antecedens Patet ex L.* 5. *Ordinamenti. & ex L.* 1. *tit.* 8. vbi dicitur, Quòd ſi conſtet, quod ille, qui promiſit, 3

voluit

voluit ſe obligare, damnetur, & compellatur in iudicio implere promiſſum.

4 Ad *Primum Argumentum* à principio factum *Reſpondetur D. Chryſoſt.* loqui de mendacio pernicioſo: adducit enim in confirmationem ſui dicti ... Sapientiæ 1. *Os quod mentitur occidit animam.* Quem locum *D. Tho. ſuprà. Q. 110. art. 4. ad 1.* explicat de mendacio pernicioſo, ea mente Gloſſ. in illud Pſalm. *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.* *Secundo Reſpondetur.* Quòd loquebatur de mendacio in iudicio. Quæ intelligentia colligitur ex alio loco, quem adducit ipſe Chryſoſt. Prouerbiorum 14. *Teſtis fidelis non mentietur.* Non autem loquitur de fractione ſimplicis promiſſionis. *Ad Secundum Reſpondetur.* Quòd ſicut mendacium pernicioſum eſt cauendum ſub peccato mortali, ita perfidia pernicioſa, ſed quod dicimus eſt, quod ex genere ſuo non habet, quod ſit pernicioſa, ſicut neque mendacium; vnde neque eſt contra Charitatem. Eſt autem pernicioſa in exemplis ibi allatis, de qua non loquimur modò vt patet ex his, quæ ſuppoſuimus. *Ad Tertium Reſpondetur.* Quòd, qui promittit aliquid alteri, obligat ſe illi non ex iuſtitia, ſed ex fidelitate, vel veracitate, quæ (vt iam diximus) ſolùm obligat ſub veniali.

5 Ad *Quartum* patet ex dictis inter probandam Concluſionem; rationabiliter enim repellet aliquis a ſua amicitia mendacem, non propter iniuriam illatam illi contra iuſtitiam, ſed quia mendax eſt; amicitia enim politica maximum fundamentum habet in veritate amicorum: homo verò mendax execrabilis eſt. *Ad Quintum Reſpondetur.* Ex vltimo, quod ſupponebamus ante Concluſionem. Quòd illa promiſſio non eſt ſimplex, quæ fit coram teſtibus, &c. Nam licet ſtando in iure naturali præſentia teſtium, tabellio, &c. non reponant promiſſionem in materia iuſtitiæ, & ex conſequenti non obligaret ſub mortali, tamen quia Princeps habet poteſtatem deſignandi quaſdam ſolemnitates, quibus adhibitis iam promiſſio pertineat ad iuſtitiam, quod factum eſt in Regno Caſtellæ, hac de cauſa promiſſio habens prædictas conditiones, quas Leges depoſcunt, iam pertinebit ad iuſtitiam ex iure Ciuili. Et ita ad Argumentum *Negatur Maior.* Et ad probationem *Negatur Antecedens*, Quòd ſi promiſſio habuerit tales conditiones obligabit ſub mortali; eſt itaque implenda ante Iudicis ſententiam. In hoc enim caſu ſententia Iudicis tantùm eſt declaratoria iuris, quod anteà habebat petens. *Ad Sextum Reſpondetur.* Ex ipſo Caietano, Vocat enim materiam leuem omne illud, quod non infert proximo graue nocumentum, non vocat autem illud materiam grauem, quod notabile nocumentum proximo non infert, vt patet ex ſecundo notabili. *Ad Septimum Reſpondetur.* Quòd ſponſalia de futuro ſunt mutuæ promiſſiones, & reciprocæ, ac per conſequens pertinent ad iuſtitiam formaliter, & propriè, quia non ſunt ſimplices promiſſio-

6 nes.

Ad *Octauum Reſpondetur.* Quòd aliter Religio, ad quam pertinet Votum, eſt pars potentialis iuſtitiæ, aliter verò fidelitas, ad quàm pertinet promiſſum implere. Religio namque non ideò vocatur pars potentialis iuſtitiæ, quia deficiat à ratione debiti, ſicut neque Pietas erga parentes dicitur pars potentialis iuſtitiæ, quia illi deficiat ratio debiti, imò multò magis eſt debitus Deo honor, & reuerentia ab homine propter dominium, quod ſupra nos habet, & propter beneficia vt dicit hic *D. Tho.* quam debeatur Petro ab alijs ſed deficit a ratione iuſtitiæ, propterea quod non poſſumus Deo æquale reddere, ſicut neque parentibus, per pietatem, ſecundum commune prologium *Dijs, Parentibus, & Magiſtris, &c.* Et ideò Votum, qua parte pertinet ad iuſtitiam, habet rationem perfectiſſimam debiti, & obligat ex genere ſuo ad mortale. Sicut & pietas circa parentes. Fidelitas autem ideò eſt pars potentialis iuſtitiæ, quia deficit à ratione debiti, quia debitum iuſtitiæ eſt debitum ciuile, & legale, vt patet ex *Diu. Thom. queſtion.* 80. Debitum verò fidelitatis eſt debitum morale, & ex honeſtate, & hac ratione non obligat ſub mortali. *Ad Nonum Reſpondetur.* Quod licèt iuramentum non transferret promiſſionem in materiam iuſtitiæ, adhuc tamen promiſſio iuramento firmata non eſt ſimplex, & ideò obligat ſub mortali. *Ad Vltimum ſicut ad Sextum.* Concedo, quod in Hiſpania, ſi poteſt probari, aliquem promiſiſſe animo ſe obligandi, manere obligatum ſub mortali ad ſeruandum ex iuſtitia promiſſionem ante condemnationem.

Articvlvs X.

Vtrùm ſit votum, quod ille, qui vouet Religionem in communi, teneatur adire omnes Religiones in particulari, quoadvſque inueniat aliquam, in qua recipiatur?

1

PRo *Solutione notandum eſt.* Primò. Votum hoc dupliciter fieri poſſe. *Primò*, cum intentione expreſſa adeundi omnem Religionem, vel domum etiam ad partes remotiſſimas, quoadvſque admittatur in aliqua Religione. *Secundo modo* poteſt fieri Votum intrandi Religionem abſolutè relinquendo Votum ſuæ naturæ. *Secundo notandum eſt.* Quod impedimentum, propter quod aliquis non admittitur in vna, vel aliquibus Religionibus, poteſt eſſe perpetuum ex parte ipſius, vt ſi ſit nimis debilis, vel inops mentis; vel impedimentum poteſt eſſe temporale, vt ſi neſciat Grammaticam, vel non ſit neceſſariæ ætatis. Poteſt etiam ex parte Monaſterij, vt ſi non habeat commoditatem, vt illum de præſenti recipiat. His ſuppoſitis ſit. 2

Prima *Concluſio.* Si ille, qui vouit Religionem, habeat intentionem expreſſam adeundi omnes Religiones, quoadvſque recipiatur in aliqua, etiam quoad partes remotiſſimas, tenetur ita facere per ſe loquendo; neque ſatisfacit petendo habitum in omnibus Religionibus, quas ipſe cognouit. *Probatur.* Quoniam intentio taliter vouentis fertur expreſſe in omnem Religionem, etiam ad partes remotiſſimas; ergo obligatur iuxta prædictam intentionem Diximus *per ſe loquendo*, quia aliquando per accidens poteſt contingere iſtum non obligari adire partes remotiſſimas, vt ſi impedimentum, propter quod non admittitur, in Religionibus, videatur militare in omnibus alijs: tunc enim Votum cenſetur moraliter impoſſibile. Similiter ſi ſit mulier,

quæ

quæ non poſſit adire partes remotiſſimas, habet impotentiam moralem.

3 Secunda *Concluſio.* Si Votum fuit emiſſum ſecundùm communem modum vouendi, non tenetur vouens adire omnes Religiones poſſibiles metaphyſicè, neque ad partes remotiſſimas, ſed ſatisfaciet, ſi petat habitum in Religionibus, quas præ manibus habet, & in aliqua, quæ non ſit multùm diſtans. *Probatur Primò.* Obligatio Voti ſemper explicanda eſt ſecundùm prudentem intentionem vouentis, ſed quæ habetur in Concluſione eſt prudentis intentio; ergo. *Secundò. Probatur.* Vouens ſatisfacit Voto, faciens quod ſibi eſt moraliter, & regulariter poſſibile ſecundùm communem, & regularem diligentiam, niſi fortè voluerit ſe obligare per expreſſam intentionem ad raram, & extraordinariam diligentiam; ſed regularis, & ordinaria eſt illa, quam explicuimus in Concluſione; ergo illa ſufficit. *Confirmatur.* Lex humana regulariter loquendo non obligat niſi prædicto modo, neque enim qui tenetur audire Miſſam, tenetur apponere extraordinariam diligentiam, vt inueniat illam: ergo ſimiliter in Voto. Quia tamen non poteſt indiuiſibiliter explicari, quas Religiones, & quæ Monaſteria teneatur adire ſic vouens, & ad quam diſtantiam, id relinquendum eſt prudentis arbitrio, qui attenta qualitate, & conditione Perſonæ iudicet, quæ diligentia ſit ſufficiens, ita tamen quod obliget Vouentem, vt cum aliqua etiam difficultate impleat Votum.

4 Tertia *Concluſio.* Si ille, qui vouit habeat impedimentum perpetuum ad Religionem, ſcilicèt ſi ſit ſenex, vel infirmus, cenſendus eſt excuſari ab obligatione Voti, quoniam moraliter loquendo impoſſibile eſt illi illud adimplere. Vbi notanda eſt regula quam ponit *D. Thom. in 4. diſt.* 38. *Quæſt.* 1. *articul.* 3. Quòd id, quod impediret Votum antequam fieret, impedit etiam, id eſt, deobligat ab eius executione, ſi inueniat poſteà. Quæ regula intelligi debet de eo, quòd tolleret obligationem Voti, non autem de eo, quòd impediret animum vouendi verbi gratia. Si quis haberet infirmitatem perpetuã, propter quam cenſetur inhabilis ad Religionem, & emittat Votum illius, ſine dubio non obligatur Voto. Vnde ſi poſtquam vouit, incidat in ſimilem infirmitatem, deobligatur etiam ab executione Voti ſecundum regulam *D. Thom.* Si tamen impedimentum tolleret ſolùm ante Votum rationem vouendi, etiamſi ſuperueniat facto Voto, ſemper manet obligatio illius: vt ſi quis exiſtimans ſe eſſe pauperem, voueat Religionem, vel Sacerdotium, quod ſi nõ exiſtimaret, ſed ſciret ſe eſſe diuitem, non emitteret, ſicut poſteà ſciat, manet obligatus Voto.

5 Quarta *Concluſio.* Si impedimentum eſt temporale, tenetur ille, qui vouit expectare, & facere quod eſt ſibi poſſibile; vt tollatur tale impedimentum, ſi proueniat ex parte ſua. *Probatur.* Quia Religio moraliter eſt illi poſſibilis ſecundùm communem diligentiam; ergo tenetur implere. *Confirmatur.* Vouens tenetur facere, quod in ſe eſt, etiam cum difficultate aliqua vt impleat Votum. Ergo iſte manet obligatus.

6 Ex *quo ſequitur Primò.* Quòd iſte peccabit mortaliter, ſi in tali caſu apponat impedimentum executioni Voti, verbi gratia ſi ducat vxorem. *Secundo ſequitur.* Quòd tenetur adhibere diligentiam ex parte ſua, vt tollat hoc impedimentum, verbi gratia ſi eſt neceſſaria cognitio Grammaticæ, propter cuius ignorantiam non admittitur. *Tertiò ſequitur.* Quòd ſi ſic vouens Religionem non admittitur in illis Religionibus, vbi viget obſeruantia regularis, licet admittatur in aliqua valdè laxa, ita quod in illa non ſit obſeruantia, neque quantum ad ſubſtantialia Vota, neque quantum ad graues cæremonias (ſi talis inueniri poſſibile ſit) non tenetur intrare talem Religionem, ſed tunc cenſetur impletio Voti moraliter impoſſibilis, ex eo quòd non eſt cenſendus voluiſſe ſe obligare huic Religioni, vbi ferè nullum Deo exhibetur obſequium. *Vltimò ſequitur.* Quòd ſi iſte bona fide eſt ingreſſus Religionem, & durante anno probationis prudenter iudicauit ſe non eſſe aptum Religioni, excuſandus eſt ab impletione Voti, quia iam Religio reputatur huic impoſſibilis, & inconueniens.

Ex *dictis ſoluuntur* Obiectiones duæ quæ fieri ſolent contra noſtram Reſolutionem: nempe. Iſte ſic Vouens tenetur facere, quantum in ſe eſt vt impleat Votum; ſed ſi non adeat omnem Religionem in particulari, non facit quod in ſe eſt, ergo tranſgreditur Votum. *Secundo.* Qui intendit Religionem in communi comprehendit omnem in particulari; ergo tenetur omnem Religionem in particulari inquirere. *Reſpondetur ad Primam* ex dictis, Quòd intentio Vouentis, niſi ipſe expreſſe aliud intendat explicanda eſt prudenter ſecundùm communem modum vouendi. *Ad Secundam*, Quòd diligentia, quam debet apponere debet eſſe regularis, & communis, etiam cum aliqua difficultate, non tamen debet eſſe extraordinaria. *Circa* id, quod dicit D. Th. in *Solutione ad ſecundum*, quòd qui vouit Religionem cum determinata intentione ad hanc, vel illam domum in particulari, ſi ibi non recipitur, non tenetur ampliùs facere, mouetur Articulus ſequens. 7

ARTICVLVS XI.

Vtrùm ille, qui vouit Religionem, & ex aliqua cauſa non poteſt in illa recipi, teneatur ſeruare Caſtitatem?

IN *hac Quæſt. Innocentius cap. Porrectum de Regularibus* dicit, Quòd ſic Vouens ſi non admittatur in aliqua Religione, tenetur facere profeſſionem in manibus Epiſcopi, & in hoc ſæculo viuere caſtè. Quæ ſententia reiicitur optimè infra *Q.* 189. *art.* 3. Alij Iuriſperiti, vt refert *Syluester verb. Votum* 2. *Q.* 2. (quos ipſe videtur ſequi) affirmant, Quòd ſi ille, qui vouit, non admittatur abſque culpa ſua in aliqua Religione, ad nihil manet obligatus; ſi autem ob culpam ſuam non recipitur quia ipſe voluntariè appoſuit impedimentum, tenebitur caſtitatem ſeruare, quia fraus, & dolus nulli debent patrocinari. 1

Pro *Reſolutione* notandũ eſt *Primò* Quòd quãdo quis promittit aliquẽ ſtatũ, ea, quæ intrinſece pertinẽt ad illum, cadunt etiã ſub tali Voto ſecundario, & mediatè, & qui promiſit Sacerdotiũ, promiſit etiã ſecundario recitare Horas Canonicas mediante tamen illo ſtatu, & etiã qui promiſit matrimonium promiſit etiam cõſequenter cohabitare cum vxore, eam ſuſtentare, & alia onera matrimonij, 2

mediante

etiam ſtatu matrimonij, ita tamen, quod ante ſuſceptionem talis ſtatus, non obligatur ad alia conſequentia.

3 Secundo *notandum eſt*, quod votum ſimplex, & ſolemne quantum ad præſens attinet, differunt multiplic. *Primò*, quia Votum ſolemne conſtituit actualiter hominem in ſtatu religionis, & ita includit intrinſecè promiſſionem actualem caſtitatis, quia talis promiſſio pertinet intrinſecè ad ſubſtantiam ſtatus religionis: cæterum votum ſimplex non conſtituit hominem in ſtatu religionis, ſed obligat ipſum ad ſuſcipiendum poſtea talem ſtatum, quod intelligendum eſt conformiter ad ea quæ in 1. Tomo dicta ſunt. Itaque per votum ſimplex promittit homo ſe poſtea ſolemniter promiſſurum caſtitatem, religionem, &c. Et eo modo, quo promittit religionem primario ſicut obiectum primarium voti, promittit etiam ſecundario caſtitatem, ſecundum quod pertinet ad ſtatum religionis ſuſcipiendæ. *Secundò* differunt, quia in voto ſimplici includitur ſaltem virtualiter quædam conditionalis, ſcilicet ſi admiſſus fuero in aliqua religione, eſt enim quaſi quidam contractus ciuilis, quo homo obligatur religioni, & religio homini, ex quo conuincitur falſitatis ſententia citata *Innocentij*, ſi enim interuenit hæc conditio, & aliquis non admittitur in religione, ſine dubio nulla manet obligatio voti ſimplicis. Votum autem ſolemne nullam includit conditionem, ſed eſt actualis, & plena traditio ex parte vouentis, & actualis acceptio ſuſceptio traditionis eius.

4 Vltimo *notandum eſt*. Quod votum religionis, & votum perſeuerandi in religione ſunt idem omnino, licet verbis videantur differre, quia ex vi voti religionis non ſolum tenetur quis religionem ingredi, ſed in illa perſeuerare, itaque ſi abſque cauſa rationali dimittat habitum ante profeſſionem, peccabit mortaliter, manet enim adhuc obligatus voto. Si autem (vt diximus) prudenter iudicauerit in anno probationis, ſe non eſſe aptum religioni, poterit habitum dimittere, etiam ſi vouerit perſeuerare in religione. Sit ergo.

Concluſio. Qui vouit religionem, illam tamen non poteſt ingredi ob aliquod impedimentum, non tenetur ex vi voti ſeruare caſtitatem. Itaque quamdiu actu non ſuſcipit ſtatum religionis, ex quacumque cauſa illum non ſuſcipiat, non tenetur ex vi voti ſeruare caſtitatem, & ſi fornicetur peccabit mortaliter, non tamen contra religionem voti. *Probatur primo concluſio*. Caſtitas non includitur actu in voto ſimplici religionis, niſi vt promittenda ſolemniter, ergo quouſque promittatur non tenetur illam ſeruare. *Secundo*. Quando quis obligatur ad aliquem ſtatum, non obligatur ad ea, quæ pertinent ad illum ſtatum niſi mediante actuali ſuſceptione talis ſtatus, non enim intendit ſe obligare ex vi promiſſionis talis ſtatus, niſi ad illum ſtatum primò, & per ſe, ad ea autem quæ conſequuntur ſtatum, ſolum intendit ſe obligare ſecundario, mediante ſcilicet tali ſtatu, & non aliàs; ergo vſque ad ſuſceptionem ſtatus non obligabitur ad caſtitatem, quia vbi deficit obiectum primarium alicuius habitus, deficiunt conſequenter, quæ ſecundario pertinent ad illud. *Vltimo*. Sequeretur enim aliàs, quod aliquis deberet in ſæculo obſeruare paupertatem, & obedientiam, &c. conſequens eſt falſum. Ergo.

6 Ex *his ſequitur* contra *Syluestr*. & Iuriſtas, quod etiamſi quis propria culpa poſt emiſſum votum appoſuerit impedimentum impletioni illius, illo tamen ſemel appoſito non manet obligatus voto; verb. grat. poſt emiſſum votum religionis contrahit quis matrimonium, & conſummauit, iſte peccabit mortaliter contra obligationem voti apponens impedimentum impletioni illius; ſemel tamen conſummato matrimonio in nullo manet obligatus ad caſtitatem, quia culpa ſubſequens non variat intentionem præcedentem, qua votum eſt factum, neque etiam variat naturam voti iam emiſſi. Oſtendimus autem quod in intentione voti, & illius natura ſolum includitur caſtitas, vt ſeruanda mediante ſtatu religionis, & quacumque de cauſa impediatur talis ſtatus, tollitur obiectum primarium, ac per conſequens obligatio ad caſtitatem.

Secundo *ſequitur*. Quod etiam ſi ille, qui emiſit votum religionis explicite, promiſerit ſe perſeueraturum in illa, ſi ſemel conſummauit matrimonium; non tenetur ſeruare caſtitatem ex vi voti, licet oppoſitum videatur ſentire *Caietanus hic, & Nauarrus in Manuali, capit. 12. numer. 47*. Sed noſtra ſententia eſt *Magiſt. Soto 7. de iuſtitia, quæſt. 2. articul. 1*. Eſtque communis fere omnium Thomiſtarum, nam votum perſeuerandi in religione, & votum ingrediendi religionem ſunt omninò idem, vt diximus; imò licet non eſſent idem, tamen votum perſeuerandi in religione iam factum eſt impoſſibile, & ſic vouens ſolum intendit ſe obligare ad caſtitatem mediante perſeuerantia in religione, vnde cum iam ſit impoſſibile ad nihil manet obligatus. 7

Soluuntur Argumenta.

ARguitur *primò contra noſtram reſolutionem*. Qui facit votum ſolemne religionis, quamuis votum ſit irritum propter aliquod impedimentum iuris, verb. grat. quia erat vxoratus, manet tamen obligatus ex vi voti ad ſeruandam caſtitatem, quantum potuerit, ita quod licet poſſit reddere debitum vxori petenti, non tamen poteſt petere, vt dicitur in *cap. quidam, & cap. placet*: Ergo etiam ille, qui vouit religionem, ſi non poteſt illam intrare, tenetur ſeruare caſtitatem. *Secundò*. Votum ſolemne, & ſimplex religionis ſunt eiuſdem ſpeciei, & verſantur circa eandem materiam; ergo ad quod obligat vnum, obligat & alterum. Sed conſtat, quod votum ſolemne religionis obligat ad caſtitatem; ergo & ſimplex. *Tertio*. Qui vult, & promittit antecedens, vult, & promittit etiam conſequens illi neceſſariò incluſum; ſed in voto religionis includitur neceſſario votum caſtitatis, ergo qui vult, & promittit vnum, vult & alterum. *Quarto*. Qui promittit mille, & non poteſt dare omnia, tenetur dare poſſibilem ſibi partem, ergo qui promittit religionem, ſi non poteſt illam intrare, tenetur ſaltem ſeruare caſtitatem, quam poteſt. *Quinto*. Mulier, quæ promiſit virginitatem, tenetur ſeruare caſtitatem, etiam ſi fuerit corrupta, quia caſtitas includitur in voto virginitatis; ſed etiam includitur caſtitas in voto religionis; ergo licet nequeat intrare religionem, tenebitur ſeruare caſtitatem. 8

Ad *primum Argumentum* (quantum attinet ad præſens) negatur conſequentia, quia votum ſolemne includit actum promiſſorium caſtitatis, ex tunc ſeruandæ, & ita ſemper homo manet obligatus ad ſeruandam illam, quia illam promiſit actu hic & nunc. At votum ſimplex religionis includit 9

caſtitatem in futurum ſeruandum, & mediante illo ſtatu. *Ad ſecundum*, admiſſo pro nunc antecedenti, negatur conſequentia, quia licet verſentur circa eandem materiam ſolemne Votum, & ſimplex, non tamen reſpiciunt illam eodem modo, quia votum ſolemne conſtituit hominem actu religioſum, & profitentem caſtitatem. At verò votum ſimplex ſolum reſpicit caſtitatem, vt promittendam poſtea mediante Voto ſolemni. *Ad tertium patet ex dictis.* Qui enim vult antecedens, vult etiam conſequens in ipſo antecedenti, ſecundum quod coniungitur cum ipſo antecedente. Si autem antecedens fiat impoſſibile, nulla manet voluntas erga conſequens; caſtitas autem in noſtro caſu tantùm reſpicitur à vouente, ſecundum quod pertinet ad Religionem. Vnde ſi Religio facta fuit impoſſibilis, nulla manet obligatio ad ſeruandam caſtitatem.

10 Ad *quartum reſpondetur*. Quod quando aliquid comparatur ad materiam Voti ſicut pars ad ſuum totum, qui non poteſt implere totum, tenetur ſaltem ad partem ſibi poſſibilem. Verb. grat. 100. promiſſa Deo continent 10. ſicut partem, & qui promittit dare 100. intendit etiam actu dare decem, nec enim poteſt aliter dare 100. niſi dando actuales partes, ex quibus totum componitur. In noſtro verò caſu caſtitas non comparatur ad Religionem promiſſam ſicut pars ad totum actuale, ſed tanquam obiectum ſecundarium in ordine ad primum. Sublata autem ratione obiecti primarij alicuius actus, tollitur omninò actus circa ſecundarium, & conſequenter etiam tollitur tota vis, & eſſentia illius actus etiam in ordine ad obiectum ſecundarium.

11 Ad *vltimum reſpondetur* quod regulariter qui vouit perpetuam virginitatem, vouit eam ex affectu ad perpetuam caſtitatem, & promiſit etiam perpetuam caſtitatem, quia ſine perpetua caſtitate virginitas ſeruari non poteſt, & ita vt optimè docet *Diu. Thom.* etiamſi virginitas facta ſit impoſſibilis, quia ſemel eſt amiſſa, manet tamen obligatus ad caſtitatem, quia fuit illa actu promiſſa; qui enim promittit virginitatem perpetuam, promittit etiam ſe non habiturum actum venereum in perpetuum. Et iſte eſt communis modus vouendi, iuxta quem intelligitur *Diu. Thom.* vt explicat *Caietanus in hoc art.* Si tamen daretur quod mulier voueret virginitatem, ita præciſè vt haberet intentionem ſeruandi caſtitatem, quantum ad hoc, quod tantum intenderet vitare primum congreſſum ad virum, tunc ſi ſemel amitteret virginitatem, ad nihil maneret obligata, ſemel amiſſa; nec teneretur ex vi voti ſeruare caſtitatem. Iſte autem modus vouendi tanquam moraliter impoſſibilis relictus fuit à *Diu. Thom.*

ARTICVLVS XII.

Vtrum votum non nubendi ſit Votum caſtitatis, obligetque ad illam?

1 CAietanus *hic, & Opuſc. de voto*, dicit hæc vota eſſe omninò idem, & quod votum non nubendi eſt verum caſtitatis votum, à ſolo Papa diſpenſabile. Idem tenet *Nauarrus in Manuali, cap. 12. num. 76.* Oppoſitam ſententiam tenet *D. Antonin. 2. part. titul. 11. cap. 2. Syluest. verb. votum 4. quæſt. 4. & votum. 1. quæſt. 5. Angelus verb. votum, cap. 4. quæſt. 9. Soto 7. de iuſtitia, q. 2. art. 1. ad 3.* Et communiter tenent Thomiſtæ hanc ſententiam.

Concluſio. Votum non nubendi, & votum caſtitatis ſunt omninò diſtincta, ſic adeo, vt ex vi voti non nubendi, non teneatur homo ſeruare caſtitatem. *Probatur.* Quia licet votum caſtitatis includat votum non nubendi, non tamen è contra, votum non nubendi adæquat votum caſtitatis, nec certè, ſi rectè attenditur *Caietanus*, quantum ad hoc nobis aduerſatur, nam id, quod eſt minus, non includit id, quod eſt maius: Votum autem non nubendi minus eſt, quam votum caſtitatis, & ita non quicumque facit contra caſtitatem, facit contra votum non nubendi. Si enim ille, qui vouit non nubere, fornicetur, non eſt ſacrilegus, vt etiam admittit *Caietanus*: nec etiam eſt tranſgreſſor voti, quoniam obiectum voti non nubendi tantum eſt non ducere vxorem, ergo. *Ex quo* ſequitur contra *Caietanum.* Quod etiam quantum ad diſpenſationem non æquiualent iſta duo vota, ſcilicet, non nubere, & ſeruare caſtitatem; Votum enim ſeruandi caſtitatem ſolum reſeruatur Papæ: At verò votum non nubendi, cum non ſit votum caſtitatis, nec includat illud, ab Epiſcopis eſt diſpenſabile. 2

Soluuntur Argumenta.

ARguitur *Primo.* Votum caſtitatis reſpicit per ſe materiam, quæ eſt in conſilio, non autem caſtitatem, quæ eſt in præcepto; ſed non nubere eſt in conſilio; omnis enim alia caſtitas eſt in præcepto; ergo votum caſtitatis in re eſt votum non nubendi, & qui vouit non nubere, vouit etiam illam caſtitatem, quæ per ſe pertinet ad votum caſtitatis. *Secundò.* Qui diſpenſat in voto caſtitatis, non diſpenſat vt poſſit viuere luxurioſè, ſed præciſè vt poſſit nubere; ergo ex vi voti ſolum ad hoc obligabatur, vt non poſſit nubere; omnis enim obligatio voti tollitur per diſpenſationem. *Ad primum reſpondetur.* Quod licet propriiſſima materia voti caſtitatis ſit caſtitas, quæ eſt in conſilio, abſolutè tamen omnis caſtitas cadit ſub tali voto, & ita qui ſuppoſito voto fornicatur, non ſolum eſt fornicarius, ſed etiam ſacrilegus. *Ad ſecundum reſpondetur.* Quod qui diſpenſat in voto caſtitatis, non diſpenſat vt poſſit viuere luxurioſè, ſed in hoc præciſè, vt poſſit nubere. Et rurſus, qui ſic etiam fornicauerit, non peccat contra votum, nec duplici peccato, ſed vno tantum. 3

Vltimò circa iſtam ſolutionem dubitat *Caietanus*, vtrum mulier, quæ vouit non nubere, vt placeat lenoni, vel vt facilius ſcortetur, ſit validum? *Reſpondetur*, tale votum eſſe nullum, quia eſt de re mala, non enim non habet pro fine non ducere maritum vtrumque, ſed non ducere vt facilius ſcortetur. Si enim finis voti non ſit placere lenoni, ſed finis applicationis ad vouendum, ita quod intendat ſe obligare eo modo, quo obligantur aliæ, in tali caſu manet obligata ad votum. 4

In *ſolutione ad 3. Argument. agit Diu. Thom.* de tempore, quo votum obligat. Et quidem ſi vouens determinet tempus, tenetur implere illud iuxta determinationem propriæ voluntatis, aliàs

peccabit

peccabit moraliter. Difficultas tamen eſt, vtrum ſuppoſito illo peccato maneat adhuc obligatus ad implendum votum. Quod vt plenius intelligatur notandum eſt, dupliciter ſe poſſe habere vouentẽ. *Primo*, ita quod reſpiciat tempus, & propter illud, & ſanctitatem illius facit tale votum, v. g. ſi quis promittat ſe ieiunaturum die veneris, aut alio die in honorem alicuius Sancti: tunc ſi ſemel tranſgrediatur votum, peccabit quidem mortaliter, ad nihil tamen manet deinceps obligatus; tranſacto enim iam illo die votum factum eſt impoſſibile, & etiam quia intentio ſic vouenris eſt tantum ſe obligare pro illo die, & illud ieiunium fuit onus ſolius illius diei *Secundo modo* poteſt vouens reſpicere tẽpus tanquam menſuram actionis exercendæ, vt ſi quis voueat, ſe intra menſem daturum eleemoſynã, vel intraturum Religionem, tunc votum non reſpicit ipſam ſanctitatem temporis, & ſic ſi non impleuerit illud intra menſem, manet obligatus, quia net votum poſſibile, & intentio illius non fuit limitata ad illud ſolum tempus. Si tandẽ vouens non determinauerit tempus, tunc votum, vel eſt conditionale, vel abſolutum: ſi primum, non obligat quouſque impleatur condino, quæ ſi nunquam fuerit impleta, nunquam tenetur, peccabit tamẽ mortaliter ſi conditio dependeat ab eius voluntate, & ipſe voluntarie apponat impedimentum conditionis impletioni, vel non faciat quod in ſe eſt, vt impleatur. Quando autem votum eſt abſolutum, vt ſi quis voueat ſe ingreſſurum Religionẽ nõ determinando tempus, tunc non ſolum tenetur implere illud in articulo neceſſitatis ſed etiam ante illum. *Caietanus hic*, quem ſequitur *Nauarrus in Manual. c.*12. *n.*41. ponit regulam: Quod quando vouens iudicat ſe eſſe obligatum voto, & vt ſtatim impleatur, tenetur illud implere, aliàs peccabit mortaliter. Sed certè iſta regula eſt nimium fallax; ſcrupuloſus enim iudicaret, ſe ſtatim teneri, alius autem laxiorem habens conſcientiam, per longum tempus non iudicaret hoc. Vnde in hac parte non poteſt aliqua indiuiſibilis conſtitui regula, ſed ſolũ quod non tardet reddere votum. Quando autem iudicatur tardare reddere? Prudentis arbitrio relinquendum eſt, attenta tamen qualitate Perſonæ, & aliis circumſtantiis, & certè quandiu ſine aliqua cauſa impletionem voti differret, iam cenſetur tardare; maximè ſi ex deliberatione redditur difficilior impletio voti.

6 Dubitatur *vltimò in hoc art.* Vtrum votum vnius perſonæ poſſit aliam obligare? Et pro explicatione notandum eſt, quod iſta vota, vel ſunt perſonalia, vt votum orationis, ieiunij, &c. vel ſunt realia, vt votum eleemoſynæ; vel ſunt mixta, vt votum peregrinationis, in quo & eſt actio peregrinandi, & eſt ſumptus faciendus.

7 Prima *concluſio.* Votum perſonale non tranſit per ſe loquendo in aliam perſonam; tale enim votum reſpicit præcisè perſonam, & voluntatem vouentis; ergo ſolus vouens tenetur implere. Diximus *per ſe loquendo*, quoniam in aliquo caſu tenebitur filius implere votum parentis, non quidem ex vi voti, ſed ex pietate. Verb. gr. ſi fiat votum præſentandi filium alicui imagini, vel de alia ſimili re, ſi non ſit multum grauis. Similiter ſi aliqua communitas vouit ieiunium aliquod, vel obſeruationem feſti, ſine dubio ex vi voti ſolum obligantur ipſi vouentes, non autem ſucceſſores. Si tamen inueterauit conſuetudo, vel obſeruantia talis feſti, tenebuntur illud facere ſucceſſores ratione conſuetudinis, quæ habet vim legis.

Secunda *Concluſio.* Vota realia tranſeunt in ſucceſſores, verb. g. Votum dandi centum aureos pauperibus. Nec ſolum hoc habet verum, quando teſtator expreſsè obligat hæredem in ea parte, qua poteſt, vt impleatur tale votum; ſed etiam ſi teſtator nihil exprimat. Ita tenet *Syluest. verb. Votum* 2. *quæſt.* 11. Cuius ratio eſt, quia talis obligatio fundatur ſuper res teſtatoris, & ita tranſit cum ipſis rebus, in quoſcumque illæ tranſierint. 8

Vltima *concluſio.* In votis mixtis attendendum eſt ad id, quod eſt principalius in ipſis; & quidem ſi principalis ratio fuerit perſonalis, vt in voto peregrinationis, idem dicendum eſt ac de votis ipſis perſonalibus. Si autem principalis ratio voti fuerit realis, vt ſi promittat ſe iturum ad *D. Iacobum*, & ibi erecturum Hoſpitale, vel daturum magnam eleemoſynam, tunc idem dicendum erit, ac dictum eſt de votis realibus: ea enim, quæ ſunt acceſſoria, & minoris momenti, ſequuntur naturam principalis. *Ex dictis ſequitur.* Quod ſi votum defuncti fuerit partim perſonale, & partim reale, ea parte, qua eſt perſonale, non obligat hæredes; obligabit tamen pro ea parte, qua eſt reale, vt in caſibus propoſitis, in quibus tenebuntur hæredes ædificare hoſpitale, ſeu conferre illam eleemoſynam. Si tamen defunctus ille facturus erat in itinere maximas expenſas, non tenentur hæredes illas erogare, licèt enim in hac parte votum videatur reale; tamen expenſæ non ſunt principale reſpectu voti, ſed acceſſorium itineri. Eſt optimum exemplum in eo, qui vouit religionem, & non eſt illam ingreſſus, certè hæredes non tenentur ingredi religionem, nec conferre illi hæreditatem defuncti, quia hæreditas erat acceſſoria ingreſſui religionis. Ita *Syluester loco citat. & Paludan. in* 4. *diſt.* 38. *quæſt.* 3. *art.* 3. Et eſt communis ſententia. *Tandem aduertendum eſt*, quod ille, qui tempore, quo vouet aliquid, intelligit ſe nunquam poſſe implere promiſſum, tenetur votum implere per alium, niſi exprimat aliud in ſua intentione; tunc enim intelligitur habere intentionem virtualiter ſaltem adimplendi votum per alium, cum promittat videns, & ſciens, quod nunquam per ſe poterit implere. Ita *Syluest. verb. Votum* 2. *q.* 10. *& Nauarrus in Manuali. cap.* 12. *num.* 53. intelligit hoc de voto reali, ſicut ab omnibus eſt intelligendum, vt ſi vouiſſem ire ad *D. Iacobum*, & ibi ædificare Eccleſiam, ſi ipſe non poteſt, tenetur alium mittere, qui ibi Eccleſiam ædificet, niſi aliam oppoſitam intentionem habuerit. 9

ARTICVLVS XIII.

Vtrum expediat aliquid vouere?

COncluſio *eſt affirmatiua.* Ab hac concluſione recedunt Hæretici *Lutherus*, *& Vuicleph*; *& Eraſmus* videtur idem ſentire diuerſis in locis, quæ ex decreto Inquiſitorum ſunt ab eius operibus exploſa. Videatur *Thomas Vualdenſis Libr. de Sacramentis Tractatu* 5. *tit.* 9. *Soto* 7. *de Iuſtitia*, *quæſt.* 1. *articul.* 1. & latius *quæſt.* 5. *art.* 6. 1

Concluſio. Vtile eſt emittere votum. Hæc concluſio eſt de fide, vt patet *Geneſis* 28. *numer.* 21. *&* 1. *Reg.* 1. Anna emiſit votum; & 2

Beatiſſima Virgo Maria, iuxta communiorem ſententiam vouit caſtitatem, quod colligunt Doctores ex illo Luc. 1. *Quomodo fiet iſtud, quia virum non cognoſco*, ideſt, voui non cognoſcere virum. Cuius rei ſunt varia loca in *D. Gregor, Niſſeno, Beda, & Bernard.* quæ adducit *Medina 3. part. q. 28. art. 4.* Item probatur. Quia Apoſtoli etiam emiſerunt vota perfectionis, maximè paupertatis, vt colligunt *Doct. ex c. 5. Actorum.* Et ita à temporibus Apoſtolorum conſueuerunt emittere vota fideles, vt refert *Euſebius lib. 1. hiſtoria Eccleſiaſtica cap. 24.* & alij. Pontifices etiam approbant huiuſmodi vota tanquam rem maximè laudabilem. Ex quibus multa teſtimonia colliguntur in *Decretis 27. quæſt. 1. & in titulo de voto*, & nouiſſimè *Concilium Trident. ſeſſ. 7. can. 9. & ſeſſ. 25. in decreto de regularibus, c. 1. 2. & 5.* & aliis. Et ratio *D. Thom. in hoc art.* eſt euidens in Theologia, quia ſcilicet homo per votum magis firmatur in bono reſpectu illius, & magis meretur. *Articulo* etiam ſequenti oſtendit, votum eſſe actum Religionis, & *art. 6.* dicit eſſe magis laudabile operari aliquid ex Voto, quàm ſine illo, quæ omnia intelliguntur per ſe loquendo, quia aliquando per accidens ex indiſcretione vouentis, vel imperfectione illius, non erit illi vtile vouere, & ita in Concilio *Arauſicano c. 2.* dicitur. Nemo quidquam rectè vouit, niſi quod à Domino accepit, quod voueat, & *D. Auguſt. lib. 17. de ciuit. Dei* idem docet *cap. 4.*

3 Argues *primò*. Iuſti maximè in lege gratiæ debent eſſe liberi iuxta dictum Apoſtoli ad *Gal. 4.* ſed Votum tollit iſtam libertatem, cum inducat neceſſitatem, ergo. *Confirmatur* ex 1. Corinth. 9. *Hilarem datorem diligit Deus*, ſed quæ homo vouet operatur ex triſtitia, & neceſſitate, ergo. *Secundo.* Chriſtus Dominus nunquam votum fecit; ergo nec Chriſtiani. *Nec ſufficit dicere cum Diu. Thom. ad 3.* Quod Chriſtus non fecit Votum, quia habuit voluntatem firmatam in bono, erat enim comprehenſor. *Contra hoc eſt*: Quia etiam erat Viator: tum etiam quia hoc non obſtante potuit firmari eius voluntas, imò & de facto fuit firmata præcepto, vt patet *Ioan. 10. Hoc mandatum accepi à Patre.* Et *c. 14. Sicut mandatum dedit mihi Pater*, &c. Et *c. 15.* dicit ſe ſeruaſſe præcepta Patris, quæ loca *D. Aug. tract. 79. in Ioan. & lib. 13. de Trinit. cap. 14. & quæſt. 55.* ſuper *Deuteronom.* intelligit propriè, non abuſiuè. Et *Diu. Thom. 3. part. quæſt. 47. art. 1. & 2. part. quæſt. 41. art. 6.* Ergo potuit habere votum. *Tertio.* Votum debet eſſe de re, quæ aliàs non debetur, ſed omnia quæcumque poſſumus facere ſunt debita Deo, & titulo creationis, & dominij, & beneficiorum, quæ indeſinenter in nos confert, ergo. *Confirmatur.* Quia aliàs rectè facerent omnes, qui vouent, conſequens eſt falſum, cum ſint multi indiſcretè vouentes, ergo. *Vltimò.* Multoties non poſſumus ſeruare promiſſum; ergo non eſt tutum promittere.

4 Reſpondetur *ad primum*. Quod Apoſtolus ibi loquebatur de libertate ab onere veteris legis in tempore legis gratiæ. *Secundo reſpondetur ex D. Thom. ad 1.* Quod votum non minuit libertatem, ſed potiùs perficit firmando eam in ordine ad bonum. *Ad confirm. reſpondetur.* Quod ille, qui operatur ex neceſſitate coactionis, non operatur hilariter: At qui operatur ex voto, non operatur ex triſtitia, vel coactione, ſed potiùs ex maxima liberalitate, ipſe enim voluntariè vouit. Si tamen aliquando ſemel emiſſo voto, pœniteat de illo, illud erit per accidens ex malitia ſubiecti, nec propterea erit deobligandus ab illius impletione. *Ad ſecundum* negatur conſequentia. Voluntas enim Chriſti Domini, vt docet *D. Thom.* erat omninò firmata in bono ex vi comprehenſionis, quæ confirmatio nulla ratione minuebatur, ex eo quod aliàs erat viator. Præceptum autem non ordinatur per ſe loquendo ad firmandam voluntatem in bono, ſed vt ſubditus recognoſcat obedientiam ſuperiori.

Ad *tertium reſpondetur*. Quod de rebus aliàs debitis poteſt fieri votum, vt patuit ſupra *art. 2. Vel ſecundo reſpondetur.* Negando quod omnia, quæ cadunt ſub voto ſunt alias debita; opera enim Conſilij non ſunt debita, cum nullum ſit peccatum illa omittere, ſed potiùs ex ſupererogatione fiant, vel certè ſi ſint debita tantum ſunt ex honeſtate, & decentia. Eſt autem opus maximè laudabile obligare ſe ad iſtam ſupererogationem per votum. *Ad quartum reſpondetur.* Quod per ſe loquendo eſt vtile vouere, poteſt autem per accidens eſſe nociuum, vt diximus ex malitia ſubiecti. Vbi notandum eſt, quod ſicut in iuramento, vt ſit licitum requiruntur tres conditiones: Veritas, iuſtitia, & iudicium, ita voto poſſunt aſſignari tres conditiones, vt ſit opus virtutis, vt qui promiſit ſit fidelis in reddendo, & hoc eſt veritas: iuſtitia, vt ſit iuſtum, & Deo placens quod promittitur: iudicium autem, vt diſcretè promittat, attendendo ad ſuas vires, an ſcilicet ſufficiat ad votum implendum. Et per hoc patet ad vltimum, debet enim homo promittere rem, quam iudicet ſibi eſſe poſſibilem. 5

ARTICVLVS XIV.

Vtrum votum ſit actus Latriæ, ſiue Religionis?

CONcluſio *eſt affirmatiua*. Dubium eſt circa iſtã concluſionem *D. Thom.* vtrum ratio, qua illam probat ſit bona, & etiam verùm ille, qui tranſgreditur votum, peccet ſemper duplici peccato? Et vt certa ab incertis ſeparemus, ſupponendum eſt, nos non loqui de illo, qui promiſit facere aliquid, vel non facere, quod aliàs erat in præcepto; certiſſimum enim eſt, quod qui tranſgreditur tale votum, peccat duplici peccato, cùm talis actus habeat duplicem deformitatem, ſcilicet contra religionem, & contra præceptum prohibens, vel imperans talem actum, vt ſi quis voueat ſe non furaturum, vel auditurum Miſſam, quando tenetur. Solùm ergo loquimur de illo, qui promiſit rem, quæ tantum erat in conſilio. *Et videtur* etiam, quod peccat duplici peccato. Quia lex præcipiens aliquem actum conſtituit illum in illa virtute, ad quam pertinet finis talis actus, v. g. lex præcipiens ieiunium conſtituit ipſum in ratione temperantiæ; ſed votum eſt quædam lex particularis, & quæ conſtituit ieiunium in virtute temperantiæ, cùm ieiunans ex voto, & religioſus ſit, & temperatus; ergo ille, qui tranſgreditur votum, peccat contra religionem, & contra temperantiam. 1

Concluſio tamen *D. Thom.* eſt vera, & tranſgrediens votum tantum peccat vnico peccato, ſcilicet contra religionem. Vnde ſolùm tenetur ieiunare ex vi voti, & in ordine ad finem illius. Ergo ſi non ieiunat, ſolum deficit ab vna obligatione. Huius concluſionis veritas quoad vtramque 2

partem

partem ex argumentorum ſolutione patebit.

3 Arguitur *primò.* Charitas magis reſpicit Deum, quam Religio, ergo Votum potius eſt actus charitatis, quam Religionis. *Confirmatur.* Actus imperatus ab aliqua virtute extrinſece tantum pertinet ad illam, & propriè loquendo non eſt actus illius, ſed Votum imperatur a virtute Religionis, vt videtur docere *D.Thom.* in prioribus verbis corporis articuli, ergo. *Secundò.* Ad eandem virtutem pertinet promittere, & implere promiſſum; ſed implere Votum non pertinet ad Religionem, ergo. *Probatur Minor.* Implere iuramentum promiſſorium non pertinet ad Religionem, ſed ad veritatem. *Tum* etiam, quia ſi quis promittat ieiunium, vt ſeruet caſtitatem, tale ieiunium pertinebit ad temperantiam, & virtualiter Votum pertinet ad illam virtutem, ad quam pertinet res promiſſa. Ergo.

4 Tertiò. Promiſſio facta homini non ordinatur in cultum hominis; ergo nec promiſſio facta Deo in cultum Dei. *Quartò.* Si Votum eſſet actus Religionis, tantum poſſet fieri Deo cuius cultum, & reuerentiam ſolum reſpicit Religio; ſed Votum non tantum fit Deo, ſed etiam Sanctis, vt patet Prouer. 20. *Ruina eſt homini deuorare Sanctos, & poſt Vota retractare.* Et etiam quia multa vota fiunt Beatiſſimæ Virgini. *Vltimò.* Quoniam alias ſi Votum eſſet actus Religionis, ſequeretur, quod qui tranſgrederetur illud, peccaret duplici peccato, contra Religionem ſcilicet, & contra virtutem illam, cuius actus erat Votum; conſequens eſt falſum, qui enim non implet ieiunium, quod promiſit, tantum peccat vnico peccato. Ergo.

5 Reſpondetur *ad primum, ex D.Thom. ſupr. q. 81. art. 5.* Quod Religio non habet Deum pro obiecto, cùm hoc ſit proprium virtutum Theologicarum, vt ibi dicitur: habet tamen pro obiecto aliquid Dei, ſcilicet cultum, & reuerentiam eius, propter quod præſtantior eſt inter omnes virtutes morales, & in ordine ad iſtum finem refert actus aliarum virtutum. Charitas autem non reſpicit cultum Dei, ſed ipſum Deum; vnde Votum non poteſt eſſe actus elicitus à charitate, quoniam per illud colitur Deus. *Ad Confirmationem reſpondetur.* Quod quia Religio imperat alios actus aliarum virtutum in cultū Dei, ſatis probat *D.Th.* quod Religio habeat pro obiecto cultum Dei, & ita Votum, per quod colitur Deus, pertinet ad Religionem etiam elicitiuè. Ipſum verò Votum licet ſecundum ſubſtantiā materialem actus pertineat ad intellectum, & ſecundum iſtam rationem imperetur à Religione, in eſſe tamen moris, & virtutis non imperatur, ſed elicitur à Religione. *Ad ſecundum negat. Min.* Et ad probationē de iuramento promiſſorio *Reſpondetur* negando *Antec.* Sicut enim frangere iuramentum promiſſorium, & Votum ſolum eſt differentia ex parte materiæ, ſcilicet, quia materia promiſſa per iuramentum ordinatur in cultum Dei, ſicut ordinatur per Votum; Cæterum implere iuramentum etiam ordinatur in cultum Dei, quoniam exhibetur reuerentia ipſi Deo implendo iuramentum. *Ad ſecundam* probationem *Reſpondetur.* Quod quando quis vouet ieiunium propter caſtitatem ſeruandam, ipſum ieiunium, & caſtitatem, quam intendit per illud, ordinat in cultum Dei, qui finis licet ſit extrinſecus caſtitati, & ieiunio, eſt tamen intrinſecus Religioni.

6 Ad *tertium Reſpond. neg. conſeq.* Tum quia promiſſio facta homini non reſpicit reuerentiam, ſed vtilitatem ipſius; tum etiam quia promiſſio facta homini non dicit per ſe, quod fiat ſuperiori. Votum autē per ſe dicit, quod fiat ſuperiori, & ordinetur in reuerentiā ipſius. *Ad quartum reſpondet D. Th.* Quod hominibus fit promiſſio, non tamen Votum, cum Votū ſoli Deo fiat; poteſt verò humana promiſſio Voto confirmari, vt ſi promittat Beatiſſimæ Virgini aliquid, poſſum promittere Deo, quod ſeruabo hoc promiſſum. Quæ ſolutio, vt clariùs intelligatur, *Notandum eſt.* Quod Sancti dupliciter poſſunt conſiderari. *Primò* vt ſunt homines, & creaturæ Dei, & iſto pacto promiſſio illis facta non eſt magis Votum, quam promiſſio, quæ fit cæteris hominibus. Et *D.Thom.* in prædicta ſolutione loquitur de Sanctis ſub hac conſideratione, cum dicit, promiſſiones illis factas non eſſe Vota, & conſequenter illas non ſeruare non erit mortale. *Secundo modo* conſiderantur Sancti, vt Deus peculiari modò habitat in illis, & vt ſunt quodammodò Deus participatiuè, promiſſio autē facta Sanctis ſub hac conſideratione eſt verū Votum, neque illud fit principaliter Sanctis, ſed Deo, qui habitat in Sanctis.

Ad *vltim. Reſpond. neg. Conſeq.* Eſt enim differentia inter legem ſuperioris, & Votum. Lex enim præcipiens aliquem actum, per ſe reſpicit, & determinat finem virtutis, ad quam pertinet talis actus, & ita determinatè ordinatur homo ad ieiunium v.g. præceptum per legem, quod mutari non poteſt propria authoritate in euidenter melius, quia lex per ſe reſpicit finē temperantiæ; promittens autem ieiunium reſpicit per ſe finē Religionis, & non tēperantiæ, hunc enim tantum reſpicit materialiter, & per accidens, & ita in ordine ad finem Religionis poteſt commutari ieiunium promiſſum in euidēter melius propria authoritate, vt infra dicetur. *Secundò reſp.* & melius, concedendo quod peccet contra duas virtutes, atque adeò contra duo præcepta; nihilominus non peccat duplici peccatò, quoniam vna virtus, ſcilicet Temperantia non habet obligāre niſi ratione alterius, ſcilicet Religionis: vbi autem vnum eſt propter aliud, ibi tantùm eſt vnum. *Vnde fit Regula.* Quotieſcumque quis peccat contra duas virtutes, quarum altera obligat ſine altera, committit duo peccata: quando autem peccat contra duas virtutes, quarum altera tantum habet obligare ratione alterius, ſolùm peccat vnum peccatum, vt ſi cœnans in die ieiunij non excedat in quantitate cibi, ſolùm peccat vnum peccatum, ſi verò excedat, duplex. 7

Ex *dictis ſequitur* deciſio alterius dubij, quod mouet *Caietanus.* Vtrùm Religioſus, qui tranſgreditur præceptum prælati, peccet duplici peccato, altero contra Obedientiam promiſſam, altero contra Religionem Voti? *Caietanus* hic cenſet eſſe veram partem affirmatiuam. Pro veritatis tamen explicatione notandum eſt, quod tranſgrediens Votum paupertatis peccat duplex peccatum, alterū contra Votum. Alterum contra Iuſtitiam. Contra Votum eſt manifeſtum, contra Iuſtitiam autem, quoniam ex vi Voti factus eſt incapax dominij, & ita ſi det rem aliquam contra voluntatem Prælati, dat rem alienam inuito domino. Similiter etiam tranſgrediens Votum caſtitatis peccat dupliciter, quia aliàs tenebatur ad caſtitatem. *Tota ergo* difficultas eſt quando facit contra præceptum rei, ad quam aliàs non tenebatur. In qua re dicendum eſt, quod tantùm peccat Vnicum peccatum. Hæc ſententia eſt communis, quam tenet *Soto libr. 7. de Iuſtitia, queſt. 2. art. 3 Probatur primò.* Quia Religioſus nulla ratione tenetur obedire Prælato niſi ex vi Voti, neque aliter intendit ſe ſubiicere Prælato niſi per Votum, ita quod ſi per impoſſibile tolleretur 8

Votum, nulla ratione teneretur obedire Prælato. Ergo tunc tantum faceret contra Votum.

9 Confirmatur. Si quis faciat Votum ſimplex obediendi homini, & poſtea non obediret, tantum peccaret vnico peccato; ergo etiam in noſtro caſu. *Secundò Probatur.* Qui ex conſenſu vxoris ingrederetur Religionem, & poſtea accederet ad illam, non peccaret contra caſtitatem, vt docet hic *Caietanus*, quia non tenetur ſeruare caſtitatem niſi ſolum ex vi Voti; vnde tantum eſſet tranſgreſſio Voti. Ergo pari modo in noſtro caſu.

10 Per hoc patet ad aliquas obiectiones *Caietani*. Obiicit enim primò, quoniam ſi obediat Prælato præcipienti, vt ieiunet, eſt ibi duplex ratio virtutis; ergo ſi non obediat duplex deformitas. *Secundò.* Si quis promitteret alicui centum, & eandem promiſſionem Voto confirmaret, ſine dubio peccaret duplici peccato, non implendo promiſſum; ergo idem erit in noſtro caſu. *Vltimò.* Contemnens præceptum Prælati peccat duplici peccato; ergo & in caſu præſenti. *Ad primum Reſpond. neg. Conſ.* Quoniam qui implet præceptum, verè exercet actum obedientiæ, & temperantiæ, ad actum autem temperantiæ non tenetur niſi ſolum ex obedientia, & ita ſi non ieiunat, ſolum fecit contra obedientiam. *Ad ſecund. Reſpond.* Quod in caſu antecedentis eſt promiſſio diſtincta à Voto, quæ obligat ſub veniali, vt ſupra diximus: in noſtro tamen caſu tantùm eſt vnica obligatio, & promiſſio Voti. *Ad tertium neg. antec.* Licet enim grauius peccet tranſgrediens præceptum ex contemptu, nihilominus tamen tantum peccat vnico peccato.

ARTICVLVS XV.

Vtrum ſolemnizetur Votum per ſuſceptionem Sacri Ordinis, vel profeſſionem ad certam Regulam?

1 CIrca *iſtum articulum* eſt dubium, Vtrum ſolemnitas Voti conſiſtat in aliqua traditione, vel conſecratione vouentis? Pro cuius explicatione notandum eſt, duplicem eſſe ſolemnitatem Voti, alteram accidentalem, quæ non conuenit per ſe voto, ſed poteſt variari, imò & omninò tolli, quales ſunt benedictiones externæ, & aliæ cæremoniæ, quæ ſolent in profeſſione adhiberi. Alia ſolemnitas eſt eſſentialis, quæ inſeparabilis eſt ab ipſo Voto, ſicut etiam in matrimonio eſt hoc duplex genus ſolemnitatis, alia eſt enim accidentalis, ſicut apparatus conuiuij, &c. quæ omnia non ſunt eſſentialia matrimonio. Alia autem ſolemnitas eſt eſſentialis, & inſeparabilis, quæ conſiſtit in mutua traditione corporum.

2 Prima *Concluſio.* Solemnitas Voti non conſiſtit in aliqua benedictione, ſeu traditione externa. *Probatur.* Quoniàm in profeſſione tacita nulla interuenit benedictio, & tamen qui ita profeſſus eſt, eſt incapax matrimonij. Ergo. *Item.* Quia iſtæ benedictiones ſunt variæ in diuerſis Religionibus, imò in noſtra non inuenitur talis benedictio, vel conſecratio, cum poſt emiſſam profeſſionem tantummodo benedicantur veſtes, circa profitentem autem nulla fit benedictio, vel conſecratio; ergo iſtæ benedictiones tantum ſunt quædam cæremoniæ exteriores adornantes Voti ſolemnitatem.

Secunda *Concluſio.* Solemnitas Voti non conſiſtit in hoc, quod impediat matrimonium contrahendum, & dirimat contractum. Hæc Concluſio eſt contra *Caietanum.* Et Probatur. Impedire matrimonium contrahendum, & dirimere contractum eſt effectus, ſeu proprietas Voti ſolemnis; ergo in illo non poteſt conſiſtere eius eſſentia, cum potius illam præſupponat iam conſtitutam, id enim quod eſt poſterius, non conſtituit illud, quod eſt prius, ſed conſtitutum ſupponit.

Tertia *Concluſio.* Solemnitas Voti conſiſtit in traditione, vel omnimoda, vel ſaltem ad aliquem ſpecialem cultum. Ita *D. Thom. hic*, & communiter Doctores, de quo videatur *Soto 7. de Iuſtit. quæſt. 2. art. 5.* Et Probatur. In illa traditione mutatur ſtatus, & homo ſpecialiter conſecratur Deo per internam voluntatem; ipſa enim traditio ſui, ſeu dedicatio ad cultum Dei eſt interna quædam conſecratio, ſiue benedictio, & in ea ſolemnizatur Votum. Vnde quando *D. Thom.* docet hic, & infrà *articulo 9.* Quod ſolemnitas Voti conſiſtit in quadam benedictione, ſiue conſecratione, ſi eſſet intelligendus de benedictione, & conſecratione externa, eſſet intelligendus de ſolemnitate accidentali, vt dictum eſt. Sed reuera loquitur de conſecratione interiori, de qua modò dicebamus, vt conſtat ex contextu, ait enim: Quod tunc ſolemnizatur Votum, quando ſe conſecrat Deo per abrenonciationem ſæculi, & propriæ voluntatis: & ad 1. docet, quod iſtam conſecrationem cauſat Deus interius in anima, licet miniſterialiter ad illam concurrant homines. 3

Contra *Arguitur primò.* Mutatio ſtatus, & conſecratio, ſiue traditio hominis ad cultum Dei poteſt ſtare cum ſolo Voto ſimplici; ergo non conſiſtit iſta ſolemnitas in traditione. *Prob. Ant.* Eccleſia potuit ſtatuere quod in ſuſceptione Sacri Ordinis ſolum emitteretur Votum ſimplex, ita quod impediret matrimonium contrahendum, non tamen dirimeret contractum; & tamen ſic vouens ſimpliciter maneret conſecratus perpetuo cultui diuino, ſicut modo; ergo. Imò abſque aliquo Voto poteſt manere æqualiter obligatus cultui diuino, vt modo de facto fit in Sacerdotibus, & Epiſcopis Græcorum. *Secundò.* Quamuis vouens ſe tradat Deo, ſi tamen Eccleſia non acceptat iſtam traditionem, non ſolemnizatur Votum; ergo iſta ſolemnitas Voti in acceptatione potius quàm in traditione conſiſtit. 4

Ad *Primum Reſp.* Quod Votum Clericale ſolum eſt ſolemne extrinſece, & ex ſtatuto Eccleſiæ, & ita potuit Eccleſia præcipere, quod non fieret tale Votum, ſuppoſito tamen hoc præcepto Eccleſiæ, qui ſuſcipit Sacros Ordines in ipſa ſuſceptione ſe offert, & conſecrat Deo ſpeciali quadam ratione omninò abrenunciando venereis, & in hac conſecratione conſiſtit ſolemnitas Voti Clericalis. Quia tamen non eſt omnimoda traditio ſui, non eſt adeò perfecta iſta ſolemnitas, ſicut in Votis Religioſorum. *Ad Secundum Reſp.* Quod ſi Eccleſia non acceptaret aliquod Votum, ſine dubio nullum eſſet Votum ſolemne, ſemel tamen ſuppoſita eius acceptatione, ſolemnitas Voti conſiſtit in illa benedictione, ſeu conſecratione interna. Qualiter hæc intelligenda ſint, & de differentia Voti ſimplicis, & ſolemnis, vide in Tom. 1. Tract. de Approbat. doctrinæ D. Thomæ fol. 130. & 241. 5

ARTICVLVS XVI.

Vtrum Vota emiſſa à Religioſo ſine ſui Superioris voluntate ſint valida?

1 PRima *Concluſio*. Si Monachus Votum de re non prohibita emittat, tale Votum erit validum, quoadusque Prælatus non contradicat. Antequam hæc concluſio probetur ſupponendum eſt, quod opera, quæ Monachus poteſt vouere, alia ſunt prohibita, alia verò non. Et prohibita alia prohibentur in genere, vt peregrinatio, & exitus à monaſterio, alia verò in particulari, vt v.g. quod non ieiunet, nec diſciplinam ſumat. Tandem ex non prohibitis, quædam ſunt neceſſaria ad ſalutem, vt præcepta Decalogi, & hæc materia non eſt ſubiecta Prælatis; Alia etiam ſunt, quæ Monachus ex profeſſione tenetur expreſſe, vt cæremoniæ, ieiunium, &c. In quibus Prælatus diſpenſare poteſt. Alia etiam ſunt, quæ Prælatus non poteſt prohibere, vt tranſitus ad perfectiorem, & ſtrictiorem Religionem, & tandem alia ſunt opera voluntaria, quæ ſubiiciuntur Prælato, vt orare abſtinere, &c. *His ſuppoſitis probatur concluſio primò.* Illud Votum eſt de re bona, & clauditur in illo virtualiter conditio iſta, *niſi Prælatus contradicat*; ergo non contradicente illo Votum erit validum. *Secundò.* Illa materia eſt ſufficiens ad Votum, quæ præter rectitudinem, quam habet, poteſt vouens de illa diſponere; ſed ita ſe habet hic, ergo. *Prob. Min.* Nam licèt actiones ſubditi, & illius opera ſubiecta ſint Superiori, tamen ſi ipſe non impedit, eſt voluntarius interpretatiuè, & videtur voluntariè poteſtatem concedere, eo quod materia illa, & obiectum eſt bonum.

2 *Ex dictis ſequitur.* Quod ſi ſubditus voueat rem in Religione prohibitam, tale Votum non erit validum, nam regulariter ea prohibentur in Religione, vel quæ ſunt mala, vel ad minus inferunt nocumentum Religioni. *Si roges.* Quid dicendum eſt, quando ſubditus vouet rem, quam neſciebat eſſe prohibitam, poſtea tamen ſcit? *Reſpondetur.* Quod nec etiam tunc Votum eſt validum, eo quod præſumi debet ſubditum noluiſſe facere contra prohibitionem Prælati, præterquam quod ignorantia, vt communiter dicunt Theologi, tollit rationem voluntarij; cum ergo ignorauerit talem rem eſſe prohibitam præſumendum eſt fuiſſe inuoluntariam. Vnde non eſt neceſſarium petere irritationem talis Voti. Si autem auferatur poſtea talis prohibitio, incipiet Votum obligare, quia per prohibitionem non eſt factum irritum Votum, ſed ſolum ſuſpenſum. *Ratio eſt.* Quoniam Votum illud ex natura ſua erat obligatorium, ſi non interueniſſet prohibitio; ergo illa ſublata manet Votum in ſua vi. Ex quo infert *Aragon*, quod ſi ille Religioſus mutet domicilium, & in illa domo, ad quam peruenit non eſt talis prohibitio, tenebitur illud Votum ſeruare propter rationem factam.

3 Secunda *concluſio*. Quæcumque Vota de rebus voluntariis a Monacho emiſſa poſſunt à Prælato irritari, v. g. de orando, ieiunando, &c. *Probatur concluſio.* Omnia illa ſubiacent poteſtati Prælati; ergo poterit illa irritare. *Difficultas* autem maior eſt, an Votum de rebus neceſſariis ad ſalutem, vt de non mentiendo, de non furando poſſit à Prælato diſpenſari? Communiter Doctores tenent partem affirmatiuam. Sed Vtrum in tali Voto poſſit interuenire irritatio Superioris? non conuenit inter Doctores. Cæterum ſententia affirmatiua eſt longè probabilior, quam tenet *Soto libr. 7. de iuſtitia, quæſt. 3. art. 1.* Et probatur. Quoniam licèt illa materia, vt modò diximus, non ſit ſubiecta Prælato abſolutè, eſt tamen ſubiecta quatenus cadit ſub libertate Voti. *Secundò probatur.* Quoniam illa noua obligatio, quæ oritur ex Voto, non eſt quare eximatur a poteſtate Prælati, eſt enim libera, & liberè fecit Votum, cum ergo poſſit ſubditus conſequi vitam æternam abſque illa noua obligatione voti, & ex alia parte hæc noua obligatio ſit poſita in conſilio, poterit per Superiorem irritari.

4 Vltima *concluſio*. Votum ſubditi de tranſeundo ad ſtrictiorem Religionem poteſt Prælatus diſpenſare, non tamen irritare. *Probatur*, quia quando ſubditus fecit tale Votum, ita erat conſtitutus ſub poteſtate Prælati, vt teneretur implere eius voluntatem. Ergo. *Secunda verò pars probatur.* Nam materia illius Voti eſt res, quam debet ſubditus implere, quando fuerit extra poteſtatem iſtius Prælati; ergo illam non poteſt irritare. *Prob. Conſeq.* Quia materia illa, prout exercenda tempore promiſſo, non ſubiacet poteſtati iſtius ſuperioris.

Soluuntur Argumenta.

5 P*Artem negatiuam tenet Richardus in 4. diſt. 38. quæſt. 4.* quem videtur ſequi *Angelus*, & *Roſſella Verbo Votum Monachi*, videturque fauere *D. Th.* dum dicit in *hoc articulo*. Non eſſe firmum Votum ſine conſenſu Prælati. Quæ ſententia *probatur primò.* Quidquid Religioſus eſt, totum eſt Prælati, non ſolum quantum ad rem quam habet, verum etiam quantum ad omnia opera, quæ exercere poteſt; ergo non adueniente conſenſu Superioris quæcumque Vota de iſtis rebus emiſſa ſunt inualida. *Patet conſ.* Nam de re, quæ ad alterum pertinet nemo poteſt diſponere ſine ipſius voluntate. *Confirmatur primò.* Nam in aliis rebus quando rem alienam promittit, talis promiſſio eſt inanis, & fruſtranea, ſed ſubditus vouens ſine licentia ſui Prælati promittit rem alienam; ergo. *Confirmatur ſecundò.* Monachus, qui vouet dare rem aliquam ſibi ad vſum applicatam, ſi hoc fiat ſine voluntate Prælati, tale Votum non habet firmitatem ſecundum communem ſententiam. Ergo neque etiam reſpectu aliorum operum, ſiquidem etiam omnia illa Prælati voluntati ſubduntur.

Secundò. Ad vouendum requiritur libertas; 6
hanc non habet Monachus ſine dependentia ſui Prælati reſpectu cuiuſcumque rei Ergo. *Probat. Minor.* Nam ſi alicuius eſt propriè Dominus, ergo non tranſtulit ſe, & quidquid habere potuit in manus Prælati, quod eſt contra totalem traditionem, quæ exhibetur in Religioſorum Voto. *Confirmatur.* Quia omnis materia Voti à Religioſo emiſſi eſt ſubiecta Prælato; ergo ſine illius conſenſu nullam habebit firmitatem. *Vltimò.* In omni Voto Religioſorum ſemper includitur hæc conditio, *ſi Prælato placuerit*, aliàs enim faceret contra obedientiam promiſſam; ergo quamdiu illi non conſtiterit hanc eſſe voluntatem Prælati, tale Votum emiſſum non erit validum. *Prob. conſ.* Nam quæcumque promiſſio conditionata non ſortitur effectum non adimpleta conditione, vt patet in illo, qui promiſit ſe aliquid facturum ſi Deus illi concederet, quod petebat.

Ad *primum reſp.* Quod licèt Religioſus ſe, & 7

omnia ſua tranſtulerit in manus Prælati, poteſt tamen de rebus non prohibitis à Prælato emittere Votum, quoniam in illis omnibus promiſſionibus ſubintelligitur talis conditio, niſi Prælatus aliter diſpoſuerit; hæc enim eſt ſubiectio, quam ſubditus habet per profeſſionem reſpectu Prælati. Cum ergo hæc materia promiſſa à ſubdito non ſit prohibita, validum erit Votum de illa emiſſum. Et hæc ſolutio eſt notanda per quam patet ad duas Confirmationes. *Ad ſecundum reſp.* libertatem per ſe requiſitam ad vouendum eam eſſe, quod ſit de materia, vel de obiecto non prohibito à Prælato, non enim Monachus ita tranſtulit ſuam libertatem, vt cenſeatur ſeruus, ſed liber. Et per hoc patet ad confirmationem. *Ad vltimum reſp.* Verum eſſe quod in Voto Religioſorum includitur illa conditio. Cæterum rationabiliter eſt præſumendum, Prælatum voluntarium eſſe interpretatiue, ſiquidem ille non impediuit, & ex alia parte eſt de materia bona. Quod ſi *D. Thom.* inueniatur oppoſitum harum Concluſionum tenuiſſe, explicandus eſt, quod Vota Religioſorum non habent firmitatem abſolutam, eo quod Prælatus poteſt illa, vel irritare, vel diſpenſare, etiamſi ſubditus tentatur in ordine ad talem diſpenſationem, vel irritationem.

Ex dictis oritur breue dubium, vtrum Vota facta de licentia Prælati poſſint poſtea ab ipſo diſpenſari, vel irritari? *Richardus* vbi ſupra tenet partem negatiuam. Nam vt ipſe exiſtimat, ad firmitatem Voti ſufficit ſola voluntas Prælati, & conſenſus illius, ergo poſtquam illa acceſſit iam erit ita firmum, vt poſtea ab ipſo diſpenſari non poſſit. *Et confirmatur*: nam per hoc, quod Prælatus dedit facultatem ſubdito vouendi, videtur à ſe abdicaſſe poteſtatem, quàm habet ad irritandum illud; ergo.

8 *Oppoſita tamen ſententia* eſt verior, & tenenda. Itaque licet Prælatus talem facultatem dederit, poteſt nihilominus in illo Voto diſpenſare, & aliquando irritare, quod patet euidenter: Nam licèt Monachus ex facultate ſui Prælati vouerit, adhuc tamen manet illi ſubiectus, illa enim facultas nõn extraxit voluntatem ſubditi, & omnes eius actiones à poteſtate Prælati, ergo facultas manet in Superiori diſpenſandi illud Votum, vel irritandi. *Confirm.* Nam facultas, quàm tribuit Prælatus nunquam fuit ordinata, vt ſubditus à ſua poteſtate eximeretur, ſed voluit quod maneret ſicut erat antea; ergo. Quod ſi aliquando Prælatus irritauerit Vota ſine cauſa, peccabit quidem; quia eſt infidelis Deo in re graui, irritatio tamen illa valida erit, multa enim male fiunt, quæ tamen facta tenent.

9 *Ad rationem autem dubitandi reſp.* Quod Votum illud emiſſum poſt licentiam Prælati dicitur validum, & firmum, quia eſt obligatorium, eo quod habeat iam ſecum adiunctam Superioris facultatem, & ſine rationabili cauſa illud irritari non poteſt. Cæterum cùm Prælatus ſemper maneat Dominus actionum ſubditorum, poteſt poſt datam facultatem illud annullare. Et per hoc patet ad Confirmationem. Dicimus enim, quod non fuit voluntas Superioris cedere iuri, quod habebat, ſed ſolùm, quod haberet maiorem firmitatem, quàm antea habebat Votum, nihilominus tamen dependenter à ſuo beneplacito, vt quando ſibi viſum fuerit expedire tale Votum diſpenſare, vel irritare poſſit.

10 *Sed adhuc videtur vrgere difficultas*; quia promiſſio facta homini à Religioſo, vxore, vel ſeruo ex licentia Superioris, mariti, & domini de reddenda aliqua re, non poteſt irritari; ergo ſimiliter dicendum eſt de Voto, & promiſſione facta Deo. *Reſp. neg. conſeq.* Nam quando prædicti dant facultatem, vt promiſſionem faciant de danda aliqua re, & acceptatur ab aliquo, acquiſiuit iam dominium, illius rei; vnde ſine præiudicio, & iniuria alterius talia Vota irritari non poſſunt. Cæterum reſpectu Voti facti Deo, hoc non reperitur. Vnde quando in Bulla Cruciatæ conceditur facultas relaxandi iuramenta, vel Vota commutandi, intelligitur de illis iuramentis, & Votis, quæ non vergunt in detrimentum tertij. *Secundò poteſt reſponderi.* Quod ſi antequam promiſſionem implerent, etiam de licentia ſuorum ſuperiorum vellent mutare ſententiam, non tenebuntur adimplere, ſi ſuperioribus id placuerit, quoniam nondum habent alij ius acquiſitum in re, ſed ius ad rem. Ita *Caiet. in hoc art. & Soto 7. de iuſt. quæſt. 3. art. 1.* Subditus autem non peccat ſequendo voluntatem Prælati, quando non eſt error manifeſtus, nam munus illius eſt obedire, & non examinare iura maiorum in his, quæ non ſunt per ſe mala. Sit exemplum in illo, qui reddit pecunias Domino alicuius, etiam ſi ſciat, quod prodigè conſumpturus eſt illas, nam alius vtitur iure ſuo, licet in illo vſu peccet.

Hic ſolet diſputari. Quis poſſet Vota irritare, quæ, & quomodo, & explicare, quæ ſit differentia inter irritationem, & diſpenſationem; ſed quia horum omnium eſt differentia communis, quam optime in hoc articulo explicat *Aragon*, modo ab his hic ſuperſedemus, videantur omnia in illo. Solùm dubitandum eſt, vtrum vxores poſſint irritare Vota virorum. In quo dubio non eſt concors ſententia Doctorum. Alij enim ſic, alij autem aliter tenent. *Aragon in hoc art. dicto 1.* tanquam probabilius eſtimat, vxores poſſe irritare Vota illa, quæ impediunt actum matrimonialem, ipſe enim, & Authores, quos pro hac ſententia adducit, exiſtimant, quod quantum ad hoc ſunt æquales vxor, & maritus; ergo qua ratione poteſt maritus Vota vxoris irritare, quæ impediunt actum matrimonialem, poterit etiam vxor ſimilia Vota irritare, excepto Voto peregrinationis terræ Sanctæ in ſubſidium eius. Oppoſitam tamen ſententiam cenſeo probabiliorem. Et dico quod vxor non poteſt aliquod viri Votum irritum facere. *Probatur.* Tum quia vxor non eſt ſuperior reſpectu viri, ſed abſolutè inferior. Ergo. Tum ex vſu; in huiuſmodi enim Votis ſemper petitur à Prælatis diſpenſatio, quod eſt ſignum Vota valida fuiſſe, & vxorem non poſſe irritare. 11

ARTICVLVS XVII.

Vtrum Votum emiſſum à filio dum erat ſub poteſtate Patris, poſſit à Patre irritari dum eſt extra curam illius?

Circa hunc articulum, vt doctrina eius rectè intelligatur, notanda eſt differentia ſtatus, & ſciendum eſt, qui ſint anni pubertatis, vel impubertatis: quibus ſcitis, facile erit cognoſcere, quæ Vota ſint valida, & quæ non, quæ irritabilia, quæ verò nulla. Anni autem pubertatis in pueris eſt 14. in fœminis 12. de quo fuſius videatur Aragon. Partem negatiuam tenet *Magiſt. Soto lib. 7. de iuſt. quæſtione 3. articul. 2. & Aragon in hoc art.* 1

Oppoſi

2 *Oppoſitam tamen ſententiam*, ſcilicet, quod parentes poſſunt irritare omnia vota filiorum ſiue realia, ſiue perſonalia emiſſa ante pubertatis annos, etiam poſt impletum tale tempus, tenet *Caietanus infr. quæſt.* 189. *art.* 5. vouit v. g. filius caſtitatem, ieiunium, aut Religionem ante annos pubertatis, & poſt dictos annos incepit tale votum explere, fortè exiſtimans ſe non habere remedium, imò verò nec Pater irritauit exiſtimans ſe non poſſe irritare tale votum, dicit, quod Pater poteſt irritare talia vota, & hanc ſententiam *Caietani* exiſtimo probabiliorem. *Et probatur eius ratione*: nam votum filiorum emiſſum ante annos pubertatis eſt conditionale dependens a conſenſu parentum tanquam à conditione neceſſaria: ſed poſt impletos etiam annos pubertatis adhuc remanet votum conditionale, & non redditur abſolutum; ergo ſi parentes contradicant, votum annullatur, quoniam in voto conditionali ablata conditione tollitur vis voti. *Secundo probatur*. Parentibus conceſſa eſt poteſtas ad caſſanda filiorum vota ante annos pubertatis, vt proſpicerent temeritatibus, & imprudentiis filiorum, quas ſæpiſſime committunt in illa ætate; ſed ex eo quod poſtea filij impleuerint annos pubertatis non deſinit eſſe imprudens, & temerarium votum, quod emiſerint ante annos pubertatis, ergo.

Soluuntur argumenta.

3 ARguitur fundamento *mag. Soto*. Quia poteſtas ad annullanda filiorum vota non eſt in iis parentibus, niſi vſque ad tempus præfinitum lege, ſed tempus à lege præfinitum eſt annus pubertatis; ergo tranſacto tali tempore, parentes carent tali facultate. *Confirmatur* à ſimili. Si mancipium dum eſſet ſub heri poteſtate, aliquid vouit, herus autem toto tempore ſeruitutis non irritauerit votum, ſi poſtea heres manumittat mancipium, non poterit poſtquam manumiſit irritum facere tale votum ſui liberti; ergo.

Reſp. Quod tempus præfinitum à lege ad irritanda filiorum vota determinatum eſt tantum quantum ad vota, quæ poſt tale tempus emiſſa fuerunt. Cæterùm quantum ad vota facta ante tale tempus perſeuerat poteſtas in parentibus ad irritanda illa toto vitæ tempore. *Ad confirmationem reſp. neg. conſeq.* quoniam filiorum vota facta ante annos pubertatis idcircò poſſunt à parentibus irritari, quoniam filij carent vſu rationis perfecto, qui requiritur ad vouendum, & ideò talia vota cenſentur non prudenter facta. Cæterum mancipiorum vota poteſt herus irritare, ob id tantùm, quod ſunt de re ipſius heri, poſt manumiſſionem verò iam libertus eſt ſui iuris, ac propterea tenetur ſuum votum implere etiam Domino priore contradicente.

4 *Sed dubitabis*: Vtrùm parentes poſſint aliqua vota perſonalia filiorum poſt 14. annum facta irritare. ſed de hoc videatur *Aragon*, cuius ſententiam exiſtimo eſſe veram. *Dubitatur* etiam breuiter, vtrum votum ſolemne, quod emittitur in ſacri Ordinis ſuſceptione, ſi fiat à puero habente vſum rationis, etiam ante annos pubertatis ſit validum? *& videtur quod non*, quia votum ſolemne Religioſorum inducit multo maiorem obligationem, quàm votum ſolemne clericale, ſed votum ſolemne Religionis non eſt alicui ſtatui adiunctum ante annos pubertatis, & ſi fiat, poteſt caſſari à parentibus, ergo à fortiori votum Clericale poteſt à parentibus caſſari.

5 Nihilominus tamen pars affirmatiua eſt vera, & ſententia *Caietani* hîc, & *mag. Soto* vbi ſupra, ſcilicet quod tale votum non poteſt à parentibus irritari: & probatur ratione *Caietani*. Ordo ſacer eſt ſtatus eximens eos, qui initiantur ſacris, à patria poteſtate: ſed votum ſolemne continentiæ Clericorum ſequitur ad nouum ſtatum ex Eccleſiæ ſtatuto: ergo tale votum eſt omnino exemptum à paterna poteſtate, exemptum inquam per accidens, ſiue per aliud, ſcilicet ratione Ordinis ſacri. Quare bene *Caietanus* philoſophatur in hoc loco dicens, quod id, quod eſt abſolutè inconueniens, ſcilicet filium eximi à patria poteſtate, non eſt inconueniens per accidens, ſiue per aliud. *Confirmatur*. Puer ille poſt receptum ordinem ſacrum cogitur ex Eccleſiæ ſtatuto perſeuerare in tali ordine, ſed votum continentiæ eſt coniunctum Ordini ſacro ex ſtatuto Eccleſiæ; ergo compelletur perſeuerare in tali voto etiam inuitis parentibus. *Ad arg. neg. conſ.* Quia votum ſolemne Religionis non eſt adiunctum alicui ſtatui, ſed eſt ipſamet aſſumptio ſtatus, quocirca, ſi eximeretur à patria poteſtate, ratione ſui eximeretur, quod eſt magnum inconueniens. At vero votum Clericale, vt dicebamus, eximit ratione alterius, ſcilicet Ordinis ſacri.

ARTICVLVS XVIII.

Vtrùm poſſit in Voto ſiue abſolutè, ſiue in Voto ſolemni continentiæ fieri diſpenſatio?

1 PRima parti articuli reſpondetur affirmatiuè, ſcilicet quod in voto poteſt fieri diſpenſatio. Hæc concluſio eſt de fide. Et probatur ex communi traditione Eccleſiæ à tempore Apoſtolorum vſque ad noſtra tempora deriuata. In qua re cum grauiſſima ſit, non potuit errare Eccleſia. Conſtat autem de multis commutationibus, diſpenſationibus, irritationibus, & interpretationibus Votorum à Summis Pontificibus factis. Colligitur etiam hæc concluſio ex illo Matth. 18. *Quodcumque ligaueris ſuper terram*, &c. Præterquam quod cùm Reſpublica ſit perfecta, debet habere poteſtatem condendi leges, & eas quando bono communi expedierit, abrogandi; ergo hæc authoritas etiam in Eccleſiaſtica Republica debet reſidere, cum ſit omnium perfectiſſima.

2 *Secunda concluſio.* Clerici ſolùm obligantur ad caſtitatem ſeruandam iure humano Pontificio, & conſequenter Votum, quod in ſuſceptione ſacri Ordinis emittunt, poteſt diſpenſari. Hæc concluſio eſt certiſſima, & communis ſententia Doctorum exceptis *Vualdenſi lib. de Sacramentis*, *c.* 128. *&* 129. *& de Sacramentalib. cap.* 66. *& Clitoneo lib. de controuer. Sacerdot. capit.* 13. Et probatur prima pars concluſionis (nam ſecunda pars ex primæ partis probatione dependet) Sacerdotium ſecundum ſe non expoſcit caſtitatem, cum poſſit dari ſine illa, vt patet in Sacerdotibus Græcorum, & legis antiquæ, ergo non eſt de iure diuino. *Patet. conſeq.* Nam ius diuinum in omni lege deberet ſeruari, vbi curreret eadem ratio Sacerdotij. *Si dicas*: quod ſaltem Sacerdotes legis gratiæ

propter

propter excellentiſſimũ munus, ſcilicet propter miniſtrationem Corporis, & Sanguinis Chriſti, tenebuntur de iure diuino ad caſtitatem ſeruandam, licet in aliis Sacerdotibus hoc non inueniatur. *Contra.* Ergo iam Sacerdotium non habet annexam Caſtitatem ſecundum ſe de iure diuino, ſiquidem in multis ſingularibus oppoſitum reperitur. Deinde etiam, nam Sacerdotes Græcorum verum adminiſtrant Corpus, & Sanguinem Domini, & & nihilominus vxores habere permittuntur. Et tandem licèt maior perfectio reperiatur in ordine ad miniſterium in Sacerdotibus legis gratiæ, quam in antiquis propter excellentiſſimum munus, hoc tamen non probat, quod caſtitatem ſeruare ſit de iure diuino, ſed ſufficit, quod ſit de iure poſitiuo. *Probatur ſecundo.* Nam Clericus ex vi voti ſolemnis ſolùm ſe obligauit ad vacandum rebus diuinis, & vt intereſſet diuinis officiis; itaque hoc eſt obiectum Sacerdotij ſecundum ſe, ergo cætera alia non includit de iure diuino, ſed ſolum ex determinatione iuris poſitiui. *Si dicas*, quod eſſe vxoratum eſt impeditiuum huius quod eſt Deo vacare. *Contra.* Quia licèt non ita perfectè hoc munus exerceretur à Sacerdote vxorato, non tamen probat, ſimpliciter eſſe neceſſarium illud, ſcilicet, eſſe ſine vxore ad illum finem obtinendum.

Soluuntur argumenta.

3 CONtra primam concluſionem ſunt duo Argumenta difficilia. *Primum eſt.* adimpletio voti eſt de iure diuino naturali; ergo non poteſt ſummus Pontifex diſpenſare. *Ant. patet.* nam poſt emiſſum votum manet homo aſtrictus de iure diuino ad illius obſeruantiam. *Conſeq. vero prob.* nam in his, quæ ſunt de iure diuino, & naturali non poteſt Summus Pontifex diſpenſare. *Secundum argumentum eſt.* Nam in promiſſione facta, & acceptata ab aliquo non poteſt diſpenſari à Pontifice ſine alterius conſenſu, cui facta fuit promiſſio; ergo neque in promiſſione facta Deo, ſiquidem illam acceptauit. *Confirmatur.* Illud, quod per votum promittitur, iam eſt ipſius Dei per particularem promiſſionem, ergo non poteſt tollere illud Pontifex, ſiquidem eſt iam ſub poteſtate Dei.

4 *Ad primum* multas ſolutiones adducit, & refellit *Aragon.* Ipſe tamen quaſi ex propria ſententia reſpondet. Quod licet impletio voti ſit de iure diuino, & naturali, in diſpenſatione Superioris nihil circa ipſum votum fit, ſed tantum tollitur ius illius, dum Superior iudicat non debere in tali caſu, & reſpectu talis perſonæ ligare cum iſtis circumſtantiis. Vnde licèt ſtante lege omnes ad illius obſeruationem teneantur, poteſt tamen abrogari lex per cuius ablationem tollitur talis obligatio, ſic in propoſito dicendum eſt reſpectu voti. Solutio iſta non eſt propria iſtius Authoris, vt ipſe putat, ſed eſt expreſſa *D. Thom. ſolut. ad* 2. licèt ſit magis extenſa, & explicata.

Ad ſecundum cum ſua Confirmatione *reſpondetur*, quod promiſſio alteri facta non poteſt tolli, nec in ea diſpenſari, quia iam alter acceptauit, & acquiſiuit dominium in te, vel ius ad rem: vnde fieret illi iniuria, ſi ipſo inuito alter ab illius promiſſione eximeretur. Cæterùm vota, quæ reſpectu Dei conſiderantur, determinantur iam ipſo Deo ſic ordinante, iuxta voluntatem Superiorum, quibus dedit facultatem, vt quando ſibi viſum fuerit expedire, talem voti obligationem tollant, aut diſpenſent; diximus enim ſupra, quod effectus iſtorum inferiorum etiam in moralibus gubernat Deus mediis cauſis ſecundis. Vnde ipſe dixit de huiuſmodi miniſtris, *Qui vos audit, me audit.*

Si quis quærat. Vtrùm quando commutatur aliquod votum in aliquam aliam materiam æquiualentem, teneatur, qui emiſit votum, ſeruare illam materiam ex vi voti, an ſolùm ex præcepto commutantis votum? *Reſpondetur* teneri ex vi voti, quod antea emiſit ad obſeruantiam illius materiæ. Itaque ſi talem materiam frangat, tenebitur explicare circunſtantiã ſacrilegij, nã commutatio hoc dicit ex natura ſua, quod obligatio antiqua, licèt non iam coarctata ad materiam promiſſam, ſed extenſam ad æquiualentem. Itaque tollitur materia, non tamen obligatio voti reſpectu alterius æquiualentis. 5

Sed eſt argumentum contra hoc. Nam per commutationem videtur votum tolli abſolutè, licèt determinetur altera materia à confeſſore. *Quod probatur*, quia iſte noluit ſe obligare niſi ad illam materiam ſolùm, quando emiſit votum; ergo ad alteram materiam tantùm tenebitur ex determinatione confeſſoris, & non ex vi voti. *Et confirmatur.* Obligatio voti requirit neceſſario actum volũtarium reſpectu materiæ promiſſæ, ſed iſte, qui emiſit votum nunquam talem materiam promiſerat; ergo ad illam non tenebitur ex vi Voti. *Reſpondetur*, quod quamuis formaliter, & explicitè actus voluntatis eius non fuiſſet circa iſtam materiam commutationis, virtualiter tamen, & implicitè voluit omnem illam materiam, in quam confeſſarius vellet votum illud commutare; vnde eo ipſo, quod ille ſit voluntarius, vt ſibi commutetur votum, extendit voluntariè obligationem antiquam ad materiam deſignandã per Confeſſariũ. 6

Secundo principaliter arguitur contra ſecundam concluſionem, ad probandum quod votum ſolemne ſit adiunctum Ordini ſacro de iure diuino, in quo conſiſtit tota difficultas. Non eſt magis de eſſentia Religionis caſtitas, quam Ordinis, nec è conuerſo; ergo qua ratione iure diuino tenetur Religioſus obſeruare caſtitatem, & Clericus. *Prob. Ant.* nam in vtroque ſtatu, ſcilicet Religioſo, & Clericali caſtitas ſolemniter profitetur. *Confirmatur.* Cum Sacerdos rebus diuinis debeat intendere, & in illis occupari, ſi eſſet vxoratus diſtenderetur ad ea, quæ vxoris ſunt, quomodo placeat vxori. Et diuiſus eſſet, vt dicit *D. Paulus*; ergo his, qui ſacris rebus intendunt, præcipitur de iure diuino caſtitas. *Secundò.* Nam ſi Sacerdotes filios haberent, fieret, vt iure hæreditario parentibus ſuccederent in beneficiis, quod in magnam perniciem, & confuſionem cederet, ergo. *Tertiò.* Tractatio corporis, & ſanguinis Chriſti, quæ eſt materia circa quam exercetur miniſterium Clericorum requirit munditiam maximam, & honeſtatem; ergo ad iſtud munus obeundum præcipitur caſtitas de iure diuino. *Confirmatur.* Sacerdotes in lege veteri, quando per ſuum tempus ſeruiebant templo, abſtinebant ab vxoribus, ergo in lege gratiæ maior abſtinentia in ipſis requiritur. 7

Reſpondetur. Quod licèt quantum ad aliqua æquiparentur vota Clericorum, & Religioſorum, ſcilicet, quantum ad ſolemnitatem, & quantum ad hoc, quod eſt impedire matrimonium, non tamen æquiparantur quantum ad hoc, quod eſt eſſe diſpenſabilia, vel non diſpenſabilia. *Ad alia argumenta*, quæ pro contraria ſententia feruntur, *reſpondetur*, quod ſunt quædam coniecturæ piæ, & rationes probantes conſonum eſſe, quod caſtitas 8

præcipi

præcipeteretur Clericis à Pontificibus, non tamen eſſe præceptam de iure diuino. Sed in fine huius dubij notandum eſt; quod ſi Clericus per falſam relationem diſpenſationem obtineret, talis diſpenſatio eſſet nulla, & matrimonium, quod contraheret non eſſet validum, quia Summus Pontifex reſpectu talis diſpenſationis cenſeretur inuoluntarius. Cætera ad iſtum articulum pertinentia, ſcilicet, quid ſit votum irritare, diſpenſare, cõmutare, interpretari, videantur in Aragon in hoc articulo.

ARTICVLVS XIX.

Vtrùm in voto ſolemni Religionis à Monacho emiſſo poſſit ſummus Pontifex diſpenſare?

1 D*Vbium hoc graue*, & difficillimum eſt inter Scholam Theologorum, & Iuriſperitorum agitatũ, eſt enim ſcitu digniſſimum, an ſit in Eccleſia Dei poteſtas ad huiuſcemodi rem? in qua quæſtione tota Iuriſtarum copia tenet partem affirmatiuam, cuius Authores adducit *Soto* vbi ſupra, & *Aragon in hoc art.* & ſunt pro hac parte valida argumenta, quæ infra ſunt adducenda.

2 Sententia tamen Theologorum probatur primò. Matrimonium ratũ non conſummatum diſſoluitur iure diuino per profeſſionem ſolemnem; ſed Papa non poteſt diſpenſare in matrimonio rato non conſummato. Ergo neque etiam in voto ſolemni continentiæ. *Conſequentiat patet* euidenter à fortiori, nam ſi in id, quod eſt minoris vinculi, non poteſt cadere Pontificis diſpenſatio: ergo neque etiam in id, quod eſt maioris. *Minor verò prob.* Nã ſi in matrimonio rato non conſummato poſſet diſpenſare, ſequeretur, quod vir viuente priori vxore poſſet aliam ducere; quod apparet falſum, nam indiſſolubilitas eſt de ratione matrimonij: matrimonium autem ratum etiam non conſummatum eſt verè, propriè, ac ſimpliciter matrimonium. *Explicatur vis huius rationis.* Et ſupponamus, quod ille qui matrimonium contraxit profiteatur ſolemniter, iam diſſoluitur primum matrimonium, ſupponamus etiam, quod poſt profeſſionem Pontifex cum illo diſpenſat, iam ille manebat liber à ſua profeſſione. Ergo poterat poſtea matrimonium contrahere. Ergo viuente priori vxore poterit aliam ducere.

3 *Reſpondent Canoniſtæ* huic rationi, quod Pontifex diſpenſare poteſt in matrimonio rato non conſummato, & adducunt aliquale exemplum ad hoc explicandum: nam ſicut ſi moriatur vir, poſtquam contraxit matrimonium, & poſtea reſurgat, poteſt aliam vxorem ducere, quia primum matrimonium iam fuit morte terminatum, ita poterit ille diſpenſatus ducere aliam vxorem, quia primum matrimonium fuit terminatum in morte, qua iſte eſt mortuus ſæculo Religionem ſolemniter profitendo. *Huic ſolutioni conſentit Caietanus in hoc art.* Cæterum falſum communiter reputatur etiam à maiori parte Iuriſtarum, quod Pontifex in matrimonio rato nõ conſummato poſſit diſpenſare. Et habet maximum fundamentum in Scriptura ſacra, præcipuè ex illo *Marc.* 10. vbi referens Chriſtus verba *Adam* dicit, *Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet.* Et certum eſt, quod loquebatur de matrimonio rato nõ conſummato, quia *Adam* nondum nouerat vxorem ſuam, vt patet ex *Geneſ.* 2. & etiam infrà refert ſacra Scriptura, *Cognouit ergo Adam vxorem ſuam Euam.* Prætereaquam quod non ſaluant qualiter ſit de intrinſeca ratione matrimonij indiſſolubilitas. Et licet verum ſit, quod in morte naturali terminatur primum matrimonium, tamen ante illam quotieſcumque vir ſit exemptus à voto Continentiæ, reputabitur maritus prioris vxoris.

Secundò probatur Theologorum ſententia. 4
Monachus per profeſſionem ſolemnem totaliter ſe Deo tradit, & Religioni. Itaque non dicitur eſſe ſuus, ſed totaliter Dei, & Religionis; ergo non poteſt per diſpenſationem aliquam ab illo auferri res, cui facta eſt totalis traditio. *Si reſpondeas:* Quod etiam per vota Clericorum eſt totalis traditio, & hoc non obſtante poſſunt diſpenſari. *Contra.* Nam illa traditio non eſt totalis, & abſoluta ſicut Religioſorum. Tum quia Clericus ſolùm ſe tradit reſpectu illius miniſterij, ad quod aſſumitur, ſcilicet, vacare Deo, & rebus incumbere diuinis. At verò Religioſus in omnibus ſe totaliter tradit Deo. Tum etiam quia licèt eſſet omnimoda traditio in Clericis, tamen continentia in illis, ſicut diximus, eſt de iure Pontificio, in quo Pontifex diſpenſare poteſt. *Confirmatur.* Nam Religioſus de Iure diuino, & naturali eſt iam Deo traditus totaliter per profeſſionem; ergo Religio acquiſiuit iam verum dominium circa illud: ergo irrogabitur iniuria Religioni, & Deo, ſi diſpenſetur cum illo.

Tertiò probatur ex cap. Monaſterium, adducto à 5
D. Thom. Qui quidem locus efficaciſſimus eſt pro hac Theologorum ſententia; expreſsè enim habetur ibidem, quod ſicut Pontifex in habenda proprietate cum aliquo Monacho diſpenſare non poteſt, ſic etiam nec in voto continẽtiæ ſolemniter emiſſo. *Nec valet reſpondere.* Quod licèt de poteſtate ordinaria non poſſit, poteſt tamen de potentia abſoluta. In ordine ad hoc explicandum ſunt multa exempla in Theologia. *Hæc inquam ſolutio non valet.* Nam certiſſimum eſt inter omnes Doctores, nunquam Pontificem diſpenſare regulariter in voto ſolemni continentiæ, ſed ſolùm quando concurrunt grauiſſimæ, & vrgentiſſimæ cauſæ; de hoc ſenſu loquitur Pontifex in *cap.* adducto.

Quartò *probatur*. Ex illa Hiſtoria de *D. Matth.* 6
quæ ſolet adduci, qui noluit diſpenſare cum *Iphigenia Moniali*, vt nuberet, quamuis Rex promitteret ſe, & ſuos conuerſuros eſſe ad fidem. Et licèt *Caietanus* reuciat iſtam Hiſtoriam tanquam non authenticam, tamen refert illam *Abdias*, qui fuit coætaneus temporibus Apoſtolorum, recipiturque communiter ab Eccleſia vniuerſali. Ex quo facto tale conficio argumentum. Nam ſi aliqua ratio maxima vrgeret in ordine ad diſpenſandum, maximè conuerſio totius Regni, ſed adhuc non obſtante noluit Apoſtolus diſpenſare; ergo. *Vltimò probatur.* Si tantùm eſſet vnus homo coniugatus in mundo, cuius coniux eſſet ſterilis, non poſſet diſpenſari cum iſto, vt duceret aliam, eo quod eſſet contra ius diuinum naturale; ergo neque etiam propter aliquam cauſam quantumvis grauiſſimam in voto ſolemni continentiæ. Quæ enim maior ratio poteſt eſſe, quam bonum totius mundi? *Conſeq. prob.* Nam vtrumque eſt de iure diuino naturali. Propter hæc argumenta ſententia Theologorum ſine dubio eſt certa, vel ſaltem probabilior.

Soluuntur argumenta.

P*Ro Iuriſtarum ſententia arguitur primò.* Illud 7
quod eſt maioris boni impeditiuum habet ſufficientem

ficientem cauſam, vt in illo diſpenſetur: ſed tale eſt votum continentiæ Religioſorum: ergo. *Maior manifeſtiſſima eſt*, quoniam cum votum extendatur ad ea, quæ ſunt magis Deo accepta, non debet eſſe de his, quæ ſunt maioris boni impeditiua, nec in hoc debet cenſeri voluntaria diuina voluntas. *Minor vero prob.* Nam maius bonum eſt, bonum totius Reipublicæ, vel Regni, quam bonum particulare iſtius Religioſi, & Monachi, ergo quando contingat ſimul necceſſitas, & non poſſit aliter illi ſubueniri, quam per hoc medium, ſcilicet, vt diſpenſetur in voto ſolemni continentiæ, tunc erit diſpenſabile concurrente huiuſmodi neceſſitate. *Explicatur vis argumenti*: In caſu, quo ſi diſpenſetur cum Religioſo, vt nubat, confœderantur duo regna inter ſe maximè diſtantia, & reſtringamus caſum ad has anguſtias, vt niſi diſpenſetur cum Religioſo Regnum deuoluetur in poteſtatem Hæretici, ex quo quantæ cladès, quantaque mala, tã in ſpiritualibus, quam in tẽporalib. Regno contingere poſſunt, nemo eſt qui dubitet.

8 Dupliciter poterat ad hoc reſponderi. *Primo* cum *D. Thom.* quod pax illorum Regnorum poteſt per alia media firmari; vnde non eſt reſtringenda res ad illud medium præciſe. *Contra* hanc ſolutionem replicatur ſic, & ſupponamus, quod fuerint attentata alia media, quæ humano modo poſſunt inueniri, & nihilominus nullum ſortita ſunt effectum, & non eſt aliud, niſi vt coniungatur ſucceſſor vnius Regni cum filia alterius Regis: tunc enim non currit ſolutio *D. Thom.* quoniam iã humano modo de hac re tractatum eſt, & nihil in ea profecerunt. *Deinde* etiam ex natura rei nullum medium eſt adeò efficax ad pacandos, & confœderandos animos quàm coniunctio consanguinitatis inter duo regna; ergo cum hoc ſit efficaciſſimum medium, & alia non multum habeant firmitatis, eligendum eſt, vt diſpenſetur cum Religioſo, vt poſſit matrimonium contrahere.

9 Secundo poteſt reſponderi ad argumentum *D. Tho.* quod in illo caſu per accidens poterit diſpenſari in voto continentiæ ratione illius grauiſſimæ neceſſitatis, per ſe autem, & ex natura ſua votum ſolemne continentiæ eſt indiſpenſabile. Eſſe autem per ſe indiſpenſabile, & per accidens diſpenſabile non ſunt oppoſita. *Contra.* Nam oppoſita ſententia non dicit, quod votum ſolemne continẽtiæ Religioſorum eſt diſpenſabile per ſe, ſed ſolũ quo in aliquibus caſibus propter vrgentiſſimas cauſas alicuius Regni, vel magni boni communis. Ergo ſolutio iſta incidit in opinionem contrariam.

10 Reſpondetur ſolutionem *D. Th.* eſſe ſufficientiſſimam. Ad primam impugnationem *Reſpondetur.* Quod de illo, qui profeſſionem facit debemus procedere quaſi ſi re vera eſſet mortuus, cum ſit iã mortuus ſæculo. Vnde in ordine ad quærendũ media, ſic ſe debent gerere homines, ac ſi non eſſent in mundo. *Et cum arguitur* quod nullum aliud remedium eſt præter iſtud. *Reſpondetur*, quod ſicut pro ſalute totius mundi non poteſt Pontiſex diſpenſare in præcepti Decalogi, eo quòd ſunt de iure naturæ, & diuino, ſic etiam nec in voto Religioſorũ. Per hæc patet ad ſecundã impugnationẽ.

11 Sed vt magis explicetur hæc ſolutio, & doctrina totius dubij, *Arguitur ſic.* Status Monachalis non eſt intrinſecè coniunctus, imò neque tanquam propria paſſio cum iſto homine, ſed eſt accidens commune quinti prædicabilis illius; hæc enim propoſitio *Petrus eſt Monachus*, eſt ſicut iſta *Petrus eſt albus*; ergo poteſt ſeparari ſtatus Monachalis ab iſto homine, ſicut albedo à Petro. *Probatur conſequ.* Nam accidentia quinti prædicabilis non habent neceſſariam connexionem cum ſubiecto. *Reſpondetur primò.* Quod albedo reſpectu niuis eſt accidens quinti prædicabilis, & tamen non eſt in rerum natura potentia, vt ſeparetur à niue. *Secundo reſpondetur*, & melius, quod licèt Religio, vel Monachatus accidat huic homini abſolutè conſiderato, & quantum ad hoc nulla ſit differentia inter ipſum, & ſubiectum reſpectu albedinis, tamen ſi conſideretur iſte homo, vt traditus totaliter Deo per profeſſionem, iam dicit neceſſariam connexionem illud prædicatum cum hoc ſubiecto. Vnde Reſpondetur in forma, Monachatus eſt accidens iſtius, *diſtinguo Antecedens.* Iſtius abſolutè conſiderati, *Concedo.* Iſtius iam traditi Deo per profeſſionem, *Nego.* Et ſic eſt inſeparabilis.

Si autem dicas: Hæc propoſitio *Iſte homo eſt Religioſus*, eſt abſolutè accidentalis; ergo prædicatum illud nullam connexionem neceſſariam habet cum ſubiecto. *Reſpondetur diſting. Ant.* Si enim conſideretur iſte homo abſolutè, *tranſeat Antecedes.* Si autem conſideretur, quatenus ex parte ſubiecti includitur hæc conditio, ſcilicet *Totaliter Deo traditus*, ſic conſtituit prædicationem neceſſariam. 12

Eſt duplex exemplum huius, alterum in Logica, alterum in Theologia vt hoc expliceetur. In Logica hæc prædicatio *Homo eſt ſpecies*, ſi ly *Homo* abſolutè conſideretur, eſt accidentalis, ſi autem conſideretur ex parte ſubiecti iſte modus, ſcilicet conceptus conceptu communi, ſic erit prædicatio neceſſaria, & eſſentialis. In Theologia iſta prædicatio *Deus eſt homo*, ſi attendamus vim ſignificationis terminorum eſt in materia remota. At verò ſuppoſito Incarnationis myſterio eſt in materia naturali, quoniam ex parte, ſubiecti importatur quidam modus, ſcilicet, *Deus Incarnatus eſt homo*, & hæc eſt ratio, propter quam ex parte ſubiecti ſolùm filium concipimus, eo quod ſolus Filius fuit incarnatus.

Secundo Principaliter Arguitur. Lumine naturali dictante didicimus bonum commune eſſe præferendum bono particulari, quoniam illud eſt maius, & excellentius, ſed diſpenſare in voto ſolemni alicuius Religioſi cedit in bonum commune, non autem diſpenſare cedit in bonum particulare, ergo. *Minor. Prob.* Nam ex diſpenſatione oritur pax, & tranquillitas Reipublicæ, ex eo autem, quod non diſpenſatur, ſolùm oritur bonum particulare iſtius Religioſi; ergo. *Si Reſpondeas*: quod etiam pertinet ad bonum commune, quod non diſpenſetur in voto Religioſorum propter bonum Religionum, quæ per omnia regna ſunt ſparſæ. Vnde hoc maius bonum eſt, quàm bonum iſtius Regni, & illius. *Contra.* Nam Religio nullum patitur detrimentum ſaltem notabile ex eo, quod cum iſto Religioſo diſpenſetur in voto continentiæ. At vero Regnum ſentit maximam commoditatem. Ergo præferenda eſt diſpenſatio. *Ant. Patet.* Nam incommodum, quod Religio poteſt ſentire ſolùm eſt carentia iſtius Religioſi, hoc autem incommodum non debet dici tale reſpectu eorum, quæ ſequerentur, ſi non eſſet ſucceſſor, vel non fœderarentur duo regna. 13

Confirmatur argumentum primò. Nullus ſe poteſt eximere obligatione iuris naturalis, ſed iure naturali tenetur homo pro bono communi matrimonium contrahere, ne deficiat bonum commune; ergo eadem ratione poterit Pontifex diſpenſare in voto ſolemni Religioſi. *Confirmatur ſecundò.* Et ſuppona 14

ſupponamus, quod aliquis imminenti graui periculo Regni velit emittere Votum, iſte talis potiùs teneretur matrimonium contrahere, quàm vouere; ergo etiam poſt emiſſum Votum manente eodem periculo, & cauſa poterit Pontifex diſpenſare. *Probatur Conſequentia.* Nam ſi commune bonum fuit cauſa, vt iſte non voueret, ſed nuberet, eadem ratione erit ſufficiens cauſa, vt poſſit Pontifex diſpenſare.

15 Reſpondetur eſſe maius bonum, ne violetur Ius diuinum, quam quodlibet aliud bonum creatum, ſicut eſt maius malum violatio Iuris diuini, quam ruina, vel perditio totius mundi, illud enim eſt bonum infinitum, hoc vero finitum. Itaque Deus in omni genere, & ſecundum quamcumque rationem continet totam eſſentiam bonitatis, pax autem, & tranquilitas alicuius Regni, imò totius mundi huic non valent comparari. Itaque non debemus reſpicere (in quo falluntur multi) hoc quod eſt, quod iſte Religioſus ſeruet continentiam; ſed inſpicere Ius diuinum, quod violaretur, ſi diſpenſatio eſſet in Voto illius. Vnde contra oppoſitam ſententiam poſſumus retorquere Argumentum. Nam lumen naturale dictat bonum commune præferendum eſſe bono particulari, & maius bonum minori, ſed ſeruare Ius diuinum eſt bonum magis vniuerſale, & maius quam omnia bona creata; ergo propter iſta non debet Ius diuinum violari.

16 Ad *Confirmationem Reſpondetur.* Quod nullus poteſt eximi a Iuris naturalis obligatione; cæterum hoc debet eſſe per media licita, & proportionata fini, non eſt autem medium proportionatum violatio Iuris diuini, vt conſeruetur Regnum. In quo fallitur maximè oppoſita Sententia, tenetur ergo quis, magis conſulere bono communi, quam priuato. Verumtamen ſi in reſpiciendo bonum commune includatur aliquid ex ſua ratione malum, non tenebitur per illud medium talem finem conſequi, ſic enim poſſet eſſe licita fractio præceptorum Decalogi ad conſulendum bono communi, quod eſt abſurdum. *Sit exemplum.* De Iure naturæ tenetur quis conſulere propriæ vitæ, cæterum ſi ad conſeruandam illam proponatur illi hoc medium, quod abneget Fidem, vel quod furetur, non poterit per hæc media illi fini conſulere, imò in illo caſu tenebitur potius mortem optare, quàm illud medium aſſumere.

17 Ad *ſecundam Confirmationem Reſpondetur* cum *Aragon* hic, quod illa Maior intelligitur in Votis ſimplicibus, quæ tantum ſunt promiſsiones, non autem Voto ſolemni, quod eſt totalis traditio; multa enim ſufficiunt ad reſcindendam promiſsionem, quæ non poſſunt totalem traditionem reſcindere, vt patet in ſponſalibus, & in matrimonio. Vnde dicimus, quod ſicut non poſſet ille contrahere matrimonium, ſi ſciret ex eo periclitaturum bonum commune, & tamen ſi contraheret, factum teneret, & diſſolui non poſſet; ſic etiam in caſu confirmationis non poſſet ille vouere caſtitatem, ſi ſciret periclitaturum bonum commune, ſi tamen illam vouiſſet, illo non obſtante, factum teneret & diſpenſari non poſſet.

28 Tertio *Arguitur.* In omni Voto etiam ſolemni intelligitur hæc conditio, *Niſi Pontifex diſpenſauerit*, ergo in omni Voto etiam ſolemni poteſt Pontifex diſpenſare. *Conſeq. patet.* Et *Ant. prob.* Votum eſt lex quædam particularis, quam ſibi homo particulariter præſcribit; ſed in omni lege, vt iuſta ſit, intelligitur hæc conditio, *Si non obſtat bono cõmuni*; ergo in omni Voto intelligitur, *Niſi Pontifex diſpenſauerit.* Patet Conſeq. Nam ad ipſum maximè ſpectat prouidere bono communi. *Confirmatur.* Votum continentiæ Clericorum, & Religioſorum ſunt eiuſdem ſpeciei, ſicut ſuprà dictum eſt; ergo habent eandem rationem: & conſequenter, vel vtrumque eſt indiſpenſabile, vel neutrum.

Reſpondetur negando, quod intelligatur illa 19
conditio in Voto ſolemni Religioſorum, ſcilicet, *Niſi Papa diſpenſauerit*, nam ſicut poteſt quis contrahere matrimonium, etiamſi damnum ſequatur Reipublicæ, & tunc non includitur in eo iſta conditio, *Niſi Papa diſpenſauerit*; ſic etiam poterit ſolemniter caſtitatem vouere, & tamen quod non includatur illa conditio, quoniam vtrobique eſt totalis traditio. Argumentum autem probat, quod ille vouens potuiſſet apponere talem conditionem, non tamen probat, quod neceſſariò in Voto ſolemni Continentiæ talis conditio intelligatur, imò oppoſitum videtur includi, cum enim ipſe ex vi actus voluntatis promittat caſtitatem vſque ad mortem, eius mens, & intentio potius eſt, quod non diſpenſetur cum illo, neque apponatur talis conditio.

Ad *Confirm. Reſp.* concedendo Votum Clerico- 20
rum, & Religioſorum eſſe eiuſdem ſpeciei, negatur tamen quod ſit eadem ratio diſpenſabilitatis in vno, atque in altero. Diſpenſabilitas enim in Voto attenditur penes ordinem ad cauſam extrinſecam, ſcilicet ad poteſtatem Superioris, vnde ſtante eadem vnitate ſpecifica, poterit reperiri hæc diſtinctio numeralis in ordine ad ipſam. Cum ergo Votum ſolemne continentiæ Clericorum reſpiciat Pontificem tanquam cauſam, ex qua dimanauit obligatio ad continenter viuendum; Votum verò Religioſorum non reſpiciat Pontificem tanquam authorem, & cauſam continentiæ Monachalis, ſed ſolum Deum, cum ſit de Iure diuino, inde fit vt Pontifex poſſit diſpenſare in Voto Clericorum, non autem in Voto Religioſorum.

Quarto *Arguitur.* Latria eſt excellentior virtus 21
quam Caſtitas, ſed Votum latriæ eſt diſpenſabile; ergo & Votum ſolemne Continentiæ. *Probatur Maior.* Nam latria reſpicit immediatè Deum; Caſtitas autem immediatè ſolum continenter viuere; ergo. *Confirmatur.* Supra Votum Continentiæ Clericorum poteſt fieri diſpenſatio; ergo etiam ſupra Votum Continentiæ Religioſorum. *Si dicas.* Quod continentia in Religioſo eſt de Iure diuino, non autem in Clerico. *Contra.* Nam in ſimilibus caſibus, quos inter arguendum proponebamus, videtur, quod fiat exceptio ipſo Iure diuino dictante, vel ſaltem debeat interpretari Ius diuinum, quod non ſe extendat ad ſimiles caſus.

Vltimo arguitur. Nam licet exiſtenti ſtatu Mo- 22
nachali, nequeat intelligi, quod non teneatur iſte ad Caſtitatem ſeruandam, poteſt tamen Pontifex facere, quod iſte non ſit Monachus; ergo tunc deobligabitur à Voto Continentiæ. Quod autem hoc poſſit fieri, patet; nam iſte liberè ſe voluit obligare ad ſtatum Monachalem; ergo. *Confirm.* Nam hoc ipſum reperitur in vaſis, quæ ſunt Deo Conſecrata, manentibus enim ipſis non poſſunt non eſſe conſecrata, poterunt tamen amittere formam vaſis, & ſic amittunt conſecrationem, ergo ſimiliter in Monachis, etſi non poſſit diſpenſari manente Monachatu, poterit tamen diſſolui.

Reſpondetur. Quod licèt in Voto orationis, aut 23
ſacrificij poſſit Pontifex diſpenſare, & etiam in Voto ſimplici Continentiæ, imò & in ſolemni, ſi ſit de iure poſitiuo, nõ autem in Voto ſolemni Monachorum; non quia ſit de meliori, & præſtantiori

obiecto, ſed quia includit totalem traditionem de iure diuino. Et quidem ſi argumentum aliquid probaret, efficeret etiam, vt Votum de diligendo Deo non eſſet diſpenſabile, quod eſt falſum, nam illa materia quatenus ſubiacet liberæ voluntati ipſius ſubditi, poterit per Prælatum auferri, vel diſpenſari. Quod vero hoc ſequatur, patet, nam obiectum Charitatis eſt præſtantius inter omnia obiecta virtutum; ſi ergo dignitas obiecti attenderetur, hoc eſſet indiſpenſabile, ſolum ergo debemus conſiderare, an includat totalem traditionem, & hanc de iure diuino. *Ad Confirmationem Reſpondetur.* Quod Ius diuinum eſt interpretandum ſicut ſonat, niſi ipſe Deus aliter declarauerit, ſicut fecit reſpectu matrimonij rati non conſummati, quod explicatum eſt à Concilijs diuini per Votum ſolemne Religionis.

24 Ad *Vltimum Reſpondetur.* Quod ſicut ſtante calice non poteſt fieri, quod non ſit conſecratus, ſic etiam poſt emiſſam profeſsionem non poteſt Religioſus deobligari à tribus Votis Religionis. Probat autem argumentum, quod ſicut per deſitionem calicis deſinit conſecratio, ſic etiam per deſitionem hominis, vt fit in morte deſinit ſtatus Religioſus; viuente autem ipſo, qui promiſit, cum totaliter tradiderit ſeipſum ſecundum quamcumque rationem, quæ ex eius voluntate, & libertate pendebat, & hoc ſit de Iure diuino, non poterit admitti diſpenſatio. *Ad Confirmationem patet ex dictis.* Concludimus ergo, quod cum magis in decorem Reipublicæ Chriſtianæ cedat non diſpenſari in Voto ſolemni Religioſi, quam è contra, ſententia Theologorum, quæ partem tuetur negatiuam probabilior erit, & ſecurior, præſertim cùm ipſa attendat id, quod eſt de Iure naturali, & diuino, ne ſcilicet propter bonum particulare Regni vel totius mundi violetur illud Ius naturale, reſpectu cuius quodcumque bonum creatum habet minimam entitatem.

¶ *Quæſtiones ſequentes Quodlibeticas, quæ pro Academia more, Doctorali lauro præmitti ſolent, Author recitandas à Diſcipulis compoſuit. Placuit vero eas huic Tomo inſerere, tum vt multorum Votis copia fieret, eam enim dum recitabantur fecerunt ſitim, quã vno audiendi hauſtu explere non potuit, & oculi in voluptatis, & diſciplinæ conſortium hac prali arte vacarent, ut. Tum præcipuè vt non ſine admiratione conſtet, Virum tot ſeriis, & rigidis occupatum amænioribus iſtis non defuiſſe, & illud opus per indulgentiã, & remiſſionem licuiſſe, quod cum aliàs ſatis eſſet virtuti, etiã virtuti otiũ ſubtraheret. Porrò quoad opus ipſum attinet, noſtrum in primis eſto iudicium Authorem redolerè, non ſuppoſitum, & adulterinum, ſed legitimum eſſe, caterùm tumultuario compoſitum, & non vltima manu perpolitum. Sic verò nos imperfectum relinquimus, quia præſtat ſincero calamo tanti Magiſtri vltroneas, & primas cogitationes miniſtrare, quàm & noſtra tenuitate aliquid, & ſi meditatum addidiſſe.*

QVÆSTIO I. EXPOSITIVA.

AD ILLA VERBA:

Ecce mille argenteos dedi Fratri tuo, hoc erit tibi in velamen oculorum ad omnes, qui tecum ſunt. *Geneſ.20.*

Cur Saram tanto Argènti pondere ad Velamen oculorum vti Abimelech voluerit.

1 MAGNA Conſuetudinis vis, magna temporum, ſucceſſionumque elabentium firmitas. En ipſa antiquitatis authoritas, nihil maius in ſui probationem ſiſtit, quam ſeipſam, inconſultum eſt quidquid veterum fundamento ſtabilitur, & via illa ſolida, & ſine periculo, quæ multorum attrita pedibus, puluerem potius, quam pollutum exhibet, nitidumque aſpectum, viſui magis, quam inceſſui profuturum. Non poteſt humana mediocritas omnia ſimul capere, & ideò paulatim dirigi, & ordinari, & ad perfectum perduci debuit diſciplina, vt quæ prioribus ſæculis inculta, & vix barbariæ diſpoſita, hirſuta, adhuc & ſpinoſa videbantur, ſucceſſu temporum eliquente, culta redderentur, & polita. Pulchrè Tertullian. cap. 1. de Veland. Virginibus. *Nihil* (inquit) *ſine ætate eſt, & omnia tempus expectant. Denique Eccleſiaſtes, tempus* (inquit) *omni rei. Aſpice ipſam creaturam, paulatim ad fructum promoueri: granum eſt primò, & de grano frutex oritur, & de frutice arbuſcula emittitur, deinde rami, & frondes inualeſcunt, & totum arboris nomen expanditur, inde germinis tumor, & flos de germine ſoluitur, & de flore fructus aperitur, is quoque rudis aliquando, & informis paulatim ætatem ſuam dirigens eruditur in manſuetudinem ſaporis; ſic & iuſtitia, nam idem Deus iuſtitiæ, & creaturæ, primò fuit in rudimentis natura Deum metuens, dehinc per legem, & Prophetas promouit in infantiam, dehinc per Euangelium efferbuit in iuuentutem, nunc per Paraclitum componitur in maturitatem.* Huc vſque Tertullianus.

Ex cuius verbis eam mihi in veſtro conſpectu a (Ampliſsimi Patres) mentem conſtituo, quàm ſcil. infirma, impotenſque ſit naturæ noſtræ progreſſio; quàm robuſta conſuetudinis vis, quæ *Natura altera* appellari ſolet. Sed reuera, nõ tam æmula naturæ, quàm illius robur, & firmamentum appellanda videtur: natura enim inchoat, vſus confirmat, illa

prioribus

[illegible] actibus [illegible] ſticis, pannisque obvol[illegible] vix tenera plantatione [illegible], & [illegible], iſta quaſi [illegible] arbor amp[illegible] rad[illegible]bus, [illegible] ventorum flatibus mouetur, neque C[illegible] element[illegible] confirmatur. Ecce præ m[illegible] eſt præclaræ illiuſtris faciæ Abrahami Pa[illegible] vxoris exemplum, quod in diſtinctione [illegible] Geneſ. Textus expend[illegible]dum in hac præſenti or[illegible]ne propunimus [illegible] in oculorum [illegible] amici[illegible] arg[illegible] a Rege Abimelecho [illegible] ſigne[illegible], vt [illegible] facie deberet incedere non ad ex[illegible] tantum, [illegible]d etiam ad omn[illegible] *Ad omnes* [illegible] inquit lac[illegible] textus, *qui tecum ſunt*, [illegible] pul[illegible]chritudinis, ac decor[illegible], & [illegible]tudine non Virginum tan[illegible] & Ma-tr[illegible]num [illegible] turum [illegible], vt neque d[illegible] ad horam [illegible] fœminarum pudicitiæ conced[illegible]tur. [illegible] quia verba noſtri Textus mag[illegible]is, & [illegible] Interpretibus difficilia valde viſa ſunt, [illegible] facta ſpeciem, quæ in illo *cap.* 2[illegible] *Geneſ.* narratur [illegible] expendere, v[illegible] Quæſtionis totius Sum-[illegible].

3 Poſt [illegible] Cœleſti Sodomorum Re[illegible]m, & [illegible]lem illam in peccat[illegible] [illegible] centuriam, [illegible] [illegible] noſtri æterni Patriarchæ Abraham [illegible] decreuit ab illo loco, ſiue propter [illegible] memoriam, ſiue propter [illegible], & [illegible] Regionis temperiem, ſulphur[illegible] teterrimum adhuc ſpirantis ardo-rem, [illegible] commigrat [illegible] Sara [illegible] ſua decē [illegible] minori, [illegible] octogin[illegible] & nouem annorum, & ver-ſus Auſtr[illegible] colliniés, vt [illegible] mari mor-tuo [illegible] vbi quondam nefandæ illæ ciuitatés [illegible]erant apud Geraræ vrbem Abimelech Re-gi[illegible] peregrinatu conſtituit. Cum [illegible] tatis [illegible] fama non inter vulg[illegible] ſolū, ſed etiā in[illegible] Regni Primores, atque adeò apud ipſum R[illegible] crebu[illegible]iſſet, etiam de ipſa Sara [illegible] palatio minciatum eſt, quam *Sororis* nomine Abrahamus ipſe inter ex-teros degens occultam, matrimonij cauſa, indigita-re ſolebat. Multus de illa ſermo inter Proceres, magna apud Regem commendatio, confabulatio mul-ta, [illegible] pulchritudinem, venuſtatemque ſumma ad-miratione excolit; alius modeſtiam, totius [illegible] cor-poris, [illegible] ad miraculum vſque compoſ[illegible], & grauitatem, alius prudentiam, diſcretion[illegible], & verborum grauitatem commendat; [illegible] vr-banit[illegible], & morum [illegible] ſuauitatem. Deniq; in[illegible]comparabil[illegible] ſpeciem, [illegible] laudi-bus acc[illegible]ulat[illegible] non eſt talis mulier, [illegible] de [illegible] ſuper terram in aſpectu, in pulchritudi-ne, & [illegible] verborum. Qu[illegible] fa-ma, Regem accendit cupi[illegible] amor inflammat, & quam n[illegible]dum viſam [illegible] rumori tantum p[illegible] [illegible]du[illegible]bratam hauſerat ſenſus in viſione obſti-pe[illegible], hæret in vultu, vincitur in præſentia, plus in Sara quam in fam[illegible] recognoſcit, ſuperat vmbræ m[illegible]tud[illegible]ē venuſtatis ſpecies, & corporis veritas.

4 Denique *Miſit Abimelech Rex Geraræ, & tulit eā.* Ecce [illegible] per noctem vltor[illegible] diuinitatis oculus, & æterna[illegible] Numinis c[illegible] Abimelechū vr-ge[illegible], & [illegible] neque minori ſuppli-ci[illegible], qu[illegible] morte pl[illegible]endum pronuntiat, niſi intactam [illegible], & [illegible] Patriarchæ [illegible]: *E[illegible]* inquit *morieris propter mu-lierem, quam tuliſti, habet enim Virum* F[illegible] R[illegible]ē [illegible] orte[illegible], non hæſitauit, non dutulit, non

am[illegible] dens hiantis flamma cupidin[illegible] cau[illegible], ne [illegible] putare pe[illegible] ſu[illegible], quod tā bona [illegible] de[illegible] nes [illegible] on[illegible] me[illegible] ni[illegible] & [illegible] ipſa S[illegible], & [illegible] *erit tibi in velamen oculorum* [illegible] *quocunque per-rexeris* [illegible] ne[illegible] ta[illegible] gurante[illegible].

Difficultas [illegible] 5 hoc, quod [illegible] viderur argentum [illegible] Sara [illegible] *dedi [illegible] tibi [illegible] in velamen oculorum* Sec[illegible] ex illo verbo *Memento que te* [illegible] quæ in Hebræ habetur *E[illegible]* Qu[illegible] eſt hi verb[illegible] ſimé A[illegible]lech [illegible] Sara [illegible] valde diffici[illegible] eſt, qua [illegible] pe[illegible] Abimelech Rex Abrah[illegible] ip-ſemet p[illegible] velamine oculorum [illegible] eſt, quam ad[illegible] experto N[illegible] Abimelechus Sa[illegible] potu[illegible] cum ip[illegible] in culpa non fuerit, qu[illegible] ab [illegible] amata & ſollicitata, & [illegible] fuerit acc[illegible]? Cert[illegible] totum [illegible] git, quod id[illegible] Abim[illegible]lech [illegible] tiæ, atque incuriæ deputauerit, quod [illegible] eam vidiſſet, & ſolemnem hunc apud omnes gen-tes mo[illegible], & con[illegible]tudinem [illegible] velandi, in domo tanti Prophetæ, in tam prudenti, ac mode-ſtiſſima fœmina deſ[illegible]. H[illegible] de velamine mulierum præſertim ante nuptias, a[illegible] quo-que in Ec[illegible] Tertullianus com-pulit vt de *Virginibus velandis* tractatum [illegible] ſcriberet, quo morem iſtum [illegible] n[illegible] Eccleſia tantum, [illegible] etiam [illegible] Na[illegible], & [illegible] Regnis vſi[illegible]tum, abunda[illegible] de-m[illegible]rat. Sed quid [illegible] conſuetu-du[illegible] vt etiam [illegible] Pal[illegible] fue-rit [illegible] in Scriptura pr[illegible] *Ve ami-nis nu*[illegible] V[illegible] ſed & [illegible] adhuc ſa[illegible], q[illegible] [illegible] illo, tol[illegible] ac ip[illegible] quo per-ſpe[illegible] V[illegible] Vigi-nib. c. 11. *Non* [illegible] *nem, ne-que oſculo congreſſionem, neque* [illegible] *communi-cationem, ſed conf*[illegible] *nu-ptiam, negauit V*[illegible] *ſtendit etiam nuptias de aſpectu, & animo fieri quemadmodū ſtu-*

prium. Hæc ſunt [illegible] quæ [illegible] tantum. [illegible] & [illegible] com[illegible] vt [illegible] du[illegible] ntur [illegible] eſt vt [illegible] *uben-do*, au[illegible] nes [illegible] quaſi [illegible] flam[illegible] ali-que, [illegible] qualis [illegible] tur. H[illegible] Va[illegible] na. [illegible] ma-[illegible], vt [illegible] eſt, [illegible] apud [illegible] &c. [illegible] am illud [illegible] *ca demi ò ſui a-nis flammea tu[illegible].*

6 *Al[illegible] tamen* A[illegible] v[illegible] originem [illegible] di[illegible] euo-care v[illegible] conſuetudine [illegible] Corinthios alloquitur [illegible] 11. ad Cor[illegible] (inquit) *[illegible] decet mulierem non velatam orare Deum. Neque [illegible] natura docet [illegible], quod vir qui-dem [illegible] nutriat, ig[illegible]; [illegible] ro, ſi comam nutriat, gloria eſt illi, quoniam capilli pro [illegible] ei dati ſunt.* Ecce [illegible] ve[illegible] ipſa na-turæ [illegible], vt [illegible] cenat in gloriam ſi [illegible] ſuis [illegible] habeat, quo[illegible] Capil-lorum [illegible] quanti decoris ſit [illegible] in muliere, apertiſſime de[illegible]. [illegible] vt recte Clemens Alexandrinus [illegible] ſuo Pædagogo lib. 3. cap. 3. *Deus voluit fœminam quidem eſſe glabram, ac leuem. Sola coma, ſicut equum iuba, ſponte na-tura exultantem; [illegible] autem [illegible] ſicut leones barba ornaſſet, viri[illegible] etiam [illegible] hirſuto pecto-re, quod quidem eſt roboris, ac imperij indicium;* quamque [illegible] ipſius naturæ lege mulier ſubiecta viro creata eſt, [illegible] in ſubiectionis ſignum caput ei [illegible] tam [illegible] capillorum [illegible] velatum eſt, vt quaſi [illegible] capite incederet: quæ ſupra caput [illegible] potestatem [illegible] ipſo naturæ [illegible] velo [illegible] difficilis Pauli locus [illegible] quo [illegible], cum de mulier[illegible] *[illegible] mulier poteſtatem habere ſu-pra caput propter Angelos* [illegible] & [illegible] caput [illegible] capitis datum eſt, vt ſigno [illegible] pote[illegible] [illegible] ſe habere, idque *propter Angelos*, [illegible] *Superiores* [illegible] [illegible] Angelos [illegible] Alexandrinus [illegible] Th[illegible] cap. 11. [illegible] [illegible] *[illegible] ſt,* [illegible] V[illegible] *vſque ad* [illegible] *rs quoque A*[illegible] *de libere* [illegible] *honest* [illegible] por[illegible] locum [illegible] *horum* [illegible] *ex omnibus* [illegible] de Angelis [illegible] quod [illegible] pulchritudinem [illegible] & [illegible]

& [illegible] ectionem, & [illegible] re-[illegible] & [illegible] omi-[illegible] ſt [illegible] pl[illegible] o [illegible] & [illegible] *ſe inte igere* [illegible] *perit* [illegible] *m nat* [illegible] *& de Virg* [illegible] *& p* [illegible] *num* [illegible] *d, quod* [illegible] *a-* [illegible] *Pu* [illegible] *A* [illegible] *diu* [illegible] *arch* [illegible] *nud* [illegible] *arbore* [illegible] *in prim* [illegible] *nam* [illegible] *itaque* [illegible] *quique* [illegible] *m te m* [illegible] *aneru* [illegible] *praeter A* [illegible] *da* [illegible] *ab ca* [illegible] *à qua potu* [illegible] *ad-ducere, &* [illegible] Ita [illegible] o cap. 11.

Habent [illegible] 7 bus [illegible] & [illegible] tutæ [illegible] ne po [illegible] bus [illegible] & [illegible] nons poteſtat[illegible] & [illegible] dicitæ dec[illegible] gen-te [illegible] A-ſt[illegible] & ne[illegible] etiam [illegible] Iu[illegible] dere [illegible] facit Tert[illegible] 4. *apud Iudaeos* [illegible] *tam* [illegible] *in ve a-men capitis* [illegible] D. G[illegible] bus in pri-mis [illegible] ex [illegible] *Alexand.* [illegible] *Pæ*[illegible] C[illegible] quæ ob [illegible] capere [illegible] qui-[illegible] De mu[illegible] Rom[illegible] *Maximus lib.* 6. c. 3. [illegible] Caio [illegible] Ga[illegible] quia [illegible] capite ap[illegible] *Tacitus* quoque lib [illegible] *in publ* [illegible] *aſpectum* [illegible] tel[illegible] A[illegible] *ne,* & [illegible] mus [illegible] teg[illegible] *Lacedæmones* [illegible] *Virgines* [illegible] *perta faci* [illegible] *tatas vero velatas prodi e* [illegible] *eq numerum* [illegible] *vt illa* [illegible] *maritos inuenirent* [illegible] *tam marito habentes alijs placere non curarent.* Sed tamen iſta L[illegible] Virginum conſuetudo [illegible] que laudari poteſt, neque probari. ſed vt Pædago-gus C[illegible] inquit lib. 2. c. 10. *Sicut probro datur* [illegible] *Virginibus quod ſupra genua veſtes contra-rent, ita neque laudatur quod* [illegible] *facie V*[illegible] *pudor, quaſi venalis exponeretur, vel potius* [illegible] Denique [illegible] Arabibus multi[illegible] bus Tertu[illegible] 17. [illegible] velandis virginibus [illegible] inquit [illegible] *Arabia* [illegible] *Ethnica, qua non* [illegible] *oculo liber* [illegible] *totam* [illegible] *adama-re* [illegible] *tate* [illegible] *immuni-* [illegible] *quam adamare fœmina* [illegible]

[illegible] huc[illegible] quæſtionis noſtræ, at- 8 que

quæ orationis fundamenta, geminato præſidio, eoque indiſſolubili, & inconcuſſo firmata, nempe & naturæ origine, & alterius naturæ, ideſt, conſuetudinis vigore roborata. Reſtat ad principalem ſcopum difficultatis, quæ in propoſitis verbis excitata eſt, aciem intendere Diſputationis. Cur ad velamen oculorum Saræ tantum argenti pondus Abimelech expenderet, dum inquit: *Ecce mille argenteos dedi fratri tuo, hoc erit tibi in velamen oculorum.* Vel ſi Hebraïcam originem ſequamur, quod non argentum illud, ſed ipſe Abraham deberet eſſe in velamen oculorum ipſi Saræ, quid conſequentiæ eſt mille argenteos ei donari à Rege, vt deinceps ipſemet ſeruiat pro velamine oculorum vxori ſuæ.

Sed fortè curioſus aliquis in ipſo difficultatis limine, inquiret quantam pecuniæ ſummam iuxta Scripturæ veriorem computationem exiſtimandum ſit in illis mille argenteis comprehendi, vt eam in oculorum velamina à Sara comparanda Abimelechus deſtinaret? Sane enim exiguam, aut mediocrem ſummam non fuiſſe, pronum eſt exiſtimare cùm Regia manu, & quidem munificentiſſima elargiretur, & tantæ fœminæ, quæ in Regium thalamum nuper ſublimatam Reginam effecerat Abimelech. Qui putant *Argenteos* ſignificare Regales noſtros, longe à vero errant, quippe Regales noſtri drachmæ ſunt, cum octo ex illis vnciam vnam argenti efficiant, vncia autem octo drachmis conſtat, non enim rectè componuntur multa, quæ in ſcriptura ſignificantur *Argentei* nomine, ſi ſolum regales noſtros nomine *Argentei* intelligamus, v. gr. cum dicitur Iudam accepiſſe triginta argenteos pro Chriſti Domini proditione, quos cum poſtea in templum ante Sacerdotum oculos proiecisset, *Emerunt ex illis agrum figuli in ſepulturam peregrinorum*, qui vtique ſuburbanus erat, & proximus vrbi Hieroſolymæ. Quis autem poterit dicere agrum tantæ capacitatis vt pro omnium peregrinorum ſepultura poſſet inſeruire, & tantæ exiſtimationis, quia ſuburbanus erat, triginta regalibus emi poſſe? Sed quid adhuc neque poteſt dici emptum fuiſſe agrum ex illis Iudæ argenteis, ſed non ex illis ſolis, ſed pretio quod deerat ſuppleto ab ipſis Principibus Sacerdotum; nam *Lucas Actor.* 1. planè inſinuat, non niſi ex illa pecunia agrum fuiſſe emptum, cum inquit: *Et hic quidem poſſedit agrum ex mercede iniquitatis*, quaſi nullo alio pretio, quam *iniquitatis mercede*, in illam emptionem expenſo.

6 Similiter cum dicitur 2. *Paralipomen.* 1. *cap.* Quod negotiatores Salomonis emebant quadrigam equorum ſexcentis argenteis, & equum centum quinquaginta, quis credat Regios equos, & quadrigis eius deſtinatos tam paruo emi pretio, vt equos centum quinquaginta regalibus conſtaret, præſertim temporibus illis cum tanta eſſet argenti copia vt quaſi lapides æſtimarentur. Imò ipſamet ſcriptura ſe explicat, quæ 3. *Reg.* 10. id quod dicitur in Paralipomen. *Quadrigam ex Ægypto emi ſexcentis argenteis, & equum centum quinquaginta.* Exponitur ibi, quod egrediebatur quadriga ex Ægypto ſexcentis ſiclis, & equus centum quinquaginta. Siclus ergo & argenteus pro eodem reputatur, eſt autem ſiclus dimidium vnciæ, atque adeò quatuor regalium noſtrorum continet pondus. Quod etiam manifeſtè apparet in monetis illius temporis, quæ adhuc durant, & ſeruatur Hebraïcus ſiclus argenteus in Bibliotheca Regia ſancti Laurentij ad Eſcurialem, necnon apud *D. Laurent. Ramir. de*

Iean. à S. Thoma in 1. part. D. Thomæ.

Prado, vbi pondus ſicli quaſi quatuor regalium noſtrorum apparet. Sed quid adhuc egemus teſtibus, dum re à me ipſo viſa, veritatem hanc teſtificari valeam, cum multis enim ab hinc annis, Hiſpania noſtra à Sarracenis ſatis foret deuaſtata, eximiæ æſtimationis, & in magno numero Sanctorum reliquiæ, quæ iam huc, iam illuc iactabantur, tandem ex antiquiſſima nobiliſſimáque ciuitate Toletana in ciuitatem Ouetenſem Hiſpaniæ noſtræ reſtauratricem, in Eccleſiam Cathedralem, quæ vulgo dicitur, *S. Saluador*, magna cum incolarum fœlicitate attulerunt, inter quas vnus eſt ex illis argenteis, quibus Chriſtus Dominus venditus fuit, quem cum ego dum vidi, attente conſideraui, figura, magnitudine, & ... maxime ... eſſe monetæ, quæ in noſtra Hiſpania dicitur *Real de aquatro*, accuratiſſimè obſeruaui.

Quapropter ſi hanc ſequamur regulam ſupputationis argenteorum, tantundem erit dediſſe Abimelechum mille argenteos Abrahamo in velamen oculorum Saræ, ac dediſſe illi mille ſiclos, hoc eſt, quatuor millia Regalium noſtrorum, præſertim ſi aliquorum Rabbinorum ſententiam ſequamur, quam recitat, & probat *Benedictus Arias Montanus in Dictionario Syro Chaldaico* in verbo *Cheſeph.* Et planè ex Maiorum ſuorum diligentia, & obſeruantia deſcribit Elias Leuita in lib. cuius titulus eſt, *Tiſebi*, qui inquit hanc vocem *Argenteus*, ſi poſita reperiatur in Pentatheuco, ſignificare *Siclum vnum.* Si verò reperiatur in Prophetis, *Libram*, debere intelligi; Si verò in Hagiographis exprimi illa voce *Talentum*, ſeu *Cantarum*, quam etiam diſtinctionem approbat *Cardinalis Baronius, Tom.* 1. *Annalium, anno Chriſti* 34. *num.* 16. Ex illa colligit triginta argenteos, quibus Iudas vendidit Chriſtum, triginta fuiſſe libras argenti, hoc eſt, noſtro Hiſpano computo, *Sexcenta marcos de plata*, 480. *Reales de a ocho*, eo quod argentei iſti reperiuntur in libris Prophetarum; ex quibus Matthæus cap. 27. citat vaticinium agens de hoc pretio Iudæ: *Tunc* (inquit) *impletum eſt, quod dictum eſt per Hieremiam Prophetam dicentem, & acceperunt triginta argenteos pretium appretiati, quem appretiauerunt a filiis Iſrael, & dederunt eos in agrum figuli.* Et ex eadem doctrina Nos colligimus, mille illos argenteos, quos dedit Abimelech in velamen oculorum Saræ, cum inueniatur hoc nomen poſitum in *Pentatheuco*, hoc eſt, in libro *Geneſis*, non *Libras* ſignificare argenti, ſed *Siclos*, hoc eſt ſemi vnciam, & in Hiſpano computu eſſe 1000. *Reales de aquatro.*

His itaque de valore illius Regiæ largitionis 11
diſputatis, vt ad rem quæſtionis noſtræ deueniamus, certè ſi tanto pretio velamen oculorum Saræ comparandum erat, non tam velum, aut ſimplex linteum quàm pretioſiſſimum ornamentum capiti tegendo, aut ſericum, aut aureum ab Abimelecho illi deſtinatum videtur, dum tantum argenti pro velamine expendendum offertur, quo ſanè facto non tam pudicitiæ defenſionem, quam irritationem libidinis in velando capite procuraſſet, cum ex flammeo illo, ſeu velo tantæ æſtimationis, ſeu pretij, omnium in ſe oculos excitaret, ſiue efflorescentis purpuræ viuacitate, ſiue flammantis ſerici decore, ſiue effulgentis auri irradiatione. Et quis ſic Regia manu ornatam, ac velatam Saram aſpiceret, qui non proniori iudicio in Abimelechi amores, quàm in Saræ pudicitiam propenderet? Sanè tantùm abeſt Saram ſibi tam grandis pretij velamentum, aut ornamentum capitis voluiſſe comparare, vt illius potius exemplo Petrus Apoſtolus Chriſtianas mulieres ad

modeſtiam cultus exhortetur 1. Petri 3. *Quarum* (inquit) *non ſit extrinſecus capillatura, aut circundatio auri, aut indumenti veſtimentorum cultus, ſed qui abſconditus eſt cordis homo in incorruptibilitate quieti, & modeſti ſpiritus, qui eſt in conſpectu Dei locuples, ſic enim aliquando & ſanctæ mulieres ſperantes in Deo ornabant ſe ſubiectæ propriis viris, ſicut Sara obediebat Abrahæ Dominum eum vocans.* Quo loco Apoſtolus ornatum Sanctarum mulierum, præſertim Saræ, in exemplum proponit Chriſtianis fœminis ad cultum, & mundum muliebrem, ne videlicet auri velaminis circumdatione, aut cultioris indumenti amictu, pompam oſtentent, ſed interioris modeſtiæ incorruptibilitate, quaſi ditiori, ac locupletiori cultu Dei oculis appareant, quem cultum in Sara fuiſſe ſubiectionem ad proprium virum, demonſtrat, vt planè reſpexiſſe videatur Apoſtolus ad locum iſtum, quem in præſenti explicatione verſamus. In quo iuxta Hebraicam originem non ipſum argentum in velamen oculorum comparandum, ſed ipſum Abrahamum velaminis loco, deinceps futurum Abimelech deſignat, quippe cum ſubiectio tanta Saræ ad proprium virum, quaſi ſub eius patrocinio, & cuſtodia tectam, velatamque, ac ſecuram deinceps redditura ſit.

Sed tamen quia defendenda nobis eſt lectio Vulgatæ, qua Eccleſia vtitur, in qua etiam poſt emendam factam à Sixto V. & Clemente VIII. habetur pronomen *Hoc*, referens non ipſum Abraham, ſed illud argentum quod ei donatum fuit à Rege, ſcilicet mille ſiclorum pondus in oculorum velamen, altius oportet tanti pretij valorem velo capitis deſtinatum examinare, ac diſcutere. Et erit profectò aliquis, qui rem ſuperficialiter tangens, à difficultate ſe immunem putet reſpondendo non decuiſſe munificentiam Regiam id ſolùm argenti, & pecuniæ præbere, quod tenui linteo, aut velo comparando ſufficeret, ſed occaſione ſlammei conquirendi in largitatem ampliorem ſeſe effudiſſe. Sed hoc vt generali tantum ſermone difficultatem expedit, ita minus planè, & adæquatè ſatisfacit: eadem quippe ratione poſſet largioris huius muneris occaſionem Rex ſumere ex aliis xeniis, aut xeniolis, quæ fœminarum ſolent ornatibus deſtinari, puta pro annullis, faſciolis, pectoralibus, calceolis, linteaminibus, theriſteis, acubus, & mille aliis huiuſmodi nugis, in quarum expenſionem poſſet Abimelech ſuam Saræ exhibere munificentiam. Sed his omnibus omiſſis, quæ muliebrem mundum aut componunt, aut exornant, ſolùm velandis oculis, & tegendo capiti, potius quam ditando, valorem illum conſignat. Et hic eſt præſentis concertationis ſcopus, aut potius nodus, cur ſolis mulierum oculis velandis tantum argenti licet expendere, aut donare, cum ea ornandis non liceat?

13 Rectè igitur locus iſte nos docet, & ſapienter admodum Abimelech admonuit ſic Abrahamum muneribus cumulatum dimittere, vt nihil de tantis facultatibus, & diuitiis, quibus ipſum, & Saram locupletabat, ad oculorum lenocinia, ad luxum, ornatumque veſtium deſeruiret, ſed occultandum potius, & velandum eſſe oculis quidquid pretioſum eſſet, aut ſplendidum, neque excuſari nobiliores, & diuites fœminas ſi maiorum diuitiarum titulo vel rebus ſuis ad oſtentationem eoluus, non ad occultandum ſe, & pauperibus elargiendum permittant. Pulchrè Cyprianus in lib. de diſciplina & habitu Virginum, ad medium: *Locupletem* (inquit) *te dicis, & diuitem, ſed non omne quod poteſt, debet & fieri, neque deſideria prolixa, & de ſæculi ambitione naſcentia vltra honorem, ac pudorem Virginitatis extendi, cum ſcriptum ſit, omnia licent, ſed non omnia ædificant. Cæterum ſi tu te ſumptuoſius comas, & per publicum notabiliter incedas, oculos in te iuuentutis illicias, ſuſpiria adoleſcentium poſt te trahas, concupiſcendi libidinem nutrias, ſuſpirandi fomenta ſuccendas, vt & ſi ipſa non pereas, alios tamen perdas, & velut gladium te, & venenum videntibus præbeas, excuſari non potes, quaſi mente caſta ſis, & pudica. Redarguit te cultus improbus, & impudicus ornatus, neque computari iam potes inter puellas, & virgines Chriſti, quæ ſic viuis vt poſſis adamari.* Et paulò infra: *Diuitem te ſentiant pauperes, locupletem ſentiant indigentes, patrimonium tuum Deo fænera, Chriſtum ciba vt Virginitatis perferre gloriam liceat, vt ad Domini præmia venire contingat, multorum precibus exora. Commenda illic theſauros tuos, vbi fur nullus effodiat, quo nullus inſidians graſſator irrumpat. Poſſeſſiones tibi, ſed cæleſtes magis comparа, vbi fructus tuos, ac perennes & ab omni ſæculi tactu iniuria ſæcularis immunes, neque rubigo atterat, neque grando cadat, neque Sol vrat, neque pluuia corrumpat.* Hucuſque Cyprianus.

14 Ecce tibi ex tam eloquenti argumento, ac vehementi ſtylo etiam Abimelech ad Saram apoſtrophem elucidamus, & pandimus. Locupletabat Rex ille Saram in tantis Abrahamo datis muneribus, ſed & pudicam, continentémque inter diuitias, & rerum omnium abundantiam fore cupiebat, rem difficilem, & cunctis ſæculis raram tantæ fœminæ commendabat, illo igitur verborum circuitu ad ipſam vſus eſt, quo non ipſam tantum, ſed frugales omnes, ac modeſtas doceret mulieres, qua ratione res adeo diſpares inter ſe maritarent, & conferrent, frugalitatem & diuitias, pudicitiam, & abundantiam, nimirum ſi ſcirent nihil ſibi eſſe oſtentandum, ſed occultandum oculis, quidquid maioris pretij, & æſtimationis videretur: *Hoc* (inquit) *tibi ſit in velamen oculorum.* Vt videlicet & ornata ſis, & pudica, & pulchritudine decoris diues, & laude caſtitatis abundans, vt claudas oculos, ne videant vanitatem inter tanta diuitiarum ornamenta, & tegas faciem, ne pulchritudo ſit ſplendens, & ſcandalo poſſit eſſe, & periculo, nam vt rectè in libro de cultu fœminarum cap. 2. nos admonet Tertullianus: *Non tantum noſtra, ſed & aliorum cauſa verſatur in ſtudio periculoſiſſimi decoris, & ideo non tantum confictione, & elaborata libidinis ſuggeſtu recuſandum eſt, ſed etiam naturalis ſpecioſitatis oblitterandum diſſimulatione, & incuria, vt proinde oculorum incurſibus moleſtum; nam & ſi accuſandus decor non eſt, vt fœlicitas corporis, vt Diuinæ plaſticæ acceſſio, vt animæ aliqua veſtis vrbana. Timendum tamen eſt, vel propter iniuriam, & violentiam ſpectatorum, quæ etiam Pater fidei Abraham in vxoris ſuæ ſpecie pertimuit, & ſororem mentitus Saram ſalutem contumelia redemit.* Sanè vix dici poteſt quantum ad oſtentationem decoris exardeſcat fœminarum cupiditas, cum tamen vt ibi *Tertullianus* ſubdit, propriè vſus, & fructus pulchritudinis corporis luxuria ſit, ſed tamen & ſi animi intemperantia, & proſtitutio corporis caſtitate ſeruatur, tamen laude ſola formæ frui, vt de bono corporis gloriari quænam eſt (quantumcumque pudica) quæ recuſet?

15 Hæc nimirum venuſtatis, & decoris expanſio lenocinia ſibi de gemmarum fulgore, & veſtium pompa depromit, & ad gloriæ, & ambitionis votum inflammata cupiditas, pretia etiam rebus ipſis accendit, ita vt etiam integra patrimonia, & cenſus

latiſſimos

laſſiſſimos in vnna hæc ornamenta diffundant. Quod iterum idem Author in *libr.* de Habitu muliebri circa finem ſic reprobat, & ſolita illa ſua viuacitate ſic expungit; *Breuiſſimis loculis patrimonium grande profertur*, loquitur de ornatu, & iocalibus fœminarum) *vno lino decies ſeſtertium inſeritur, ſaltus, & inſulas ceruix fert, graciles aurium cutes Kalendarium expendunt, & ſiniſtra per ſingulos digitos de ſaccis ſingulis ludit, hæ ſunt vires ambitionis tantarum vſurarum ſubſtantiam, vno & muliebri corpuſculo baiulare.* Ita Septimius, quem locum ſatis alioquin obſcurum ex Iacobi Pamelij, & Rhenani annotationibus ſic illuſtro: *Breuiſſimis loculis patrimonium grande profertur*, id eſt, ſcrinijs, ſeu arculis, quibus quaſi repoſitoriis monilia, & iocalia ſua mulieres reponunt, quæ vtique monilia tanti nonnunquam pretij ſunt, vt magnum patrimonium adæquent, & millia multa denariorum. *Vno lino decies ſeſtertium inſeritur.* Id eſt in aliquo filo, vel lineo panno inſeruntur gemmæ, aut vniones decies ſeſtertium pretium valentes. Quod pretium ad noſtrum Hiſpanicum numerum, & modum deductum æquiualet viginti quinque aureorum millibus; quod imitatus *D. Hieron.* in vita *S. Hilarion.* de ſui temporis mulieribus, dixit, Quæ vno filo, vel villarum inſerunt pretia, id eſt, margaritas, aut vniones filo nectunt, quæ pretia æquant, aut ſuperant villarum. Neque mirum, cum apud Plinium legamus *lib.9. capit.* 35. vnionem (vulgo *Perla*) Cleopatræ tantæ raritatis fuiſſe, vt centies ſeſtertio æſtimaretur, hoc eſt ducentis quinquaginta aureorum millibus: ingens vtique ſumma, & vix fidem factura. Idem Plinius eodem loco ſubdit de ornatu, & monilibus alterius fœminæ nomine Ollia, nimirum æſtimata fuiſſe quadringenties ſeſtertio, hoc eſt, vno aureorum millione, vt proinde mirum non ſit, quod idem Author de expenſis mulierum, pro gemmis, & ornatu, ſuo tempore factis dixit *lib.* 12. *cap.* 18. Millies centena millia ſeſtertium omnibus annis India & ſeres, peninſulaque illa noſtro imperio adimunt, hoc eſt, duos milliones aureorum cum dimidio.

16 Pergit Tertullianus: *Saltus, & inſulas tenera ceruix fert*; hoc tanti valet aliquando monilium collo, aut ceruice pendentium pretium, vt inſularum, & ſaltuum, id eſt, montium valori coæquetur. *Et graciles aurium cutes Kalendarium expendunt*, hoc eſt, inaures, quæ auricularum cuti inſeruntur, tanti valoris ſunt, vt etiam libros domeſticarum expenſarum, quæ in ſingulis menſibus fiunt exuperent, hoc enim nomine *Kalendarij* intelligi, id eſt *liber ratiocinij*, ſeu expenſarum, quæ ſingulis menſibus fiunt, docet locus ille apud Senecam Epiſtol. 88. vbi inquit: *Diuitem illum putas, quia aurea ſuppellex etiam in via illum ſequitur, quia in omnibus prouinciis arat, quia magnus Kalendarij liber voluitur circa.* Denique concludit Tertullianus, *Quia & ſiniſtra per ſingulos digitos de ſaccis ſingulis ludit*, hoc eſt, digiti talibus annulis ornantur, quod quilibet digitus in valore annuli ſaccum argento plenum circumducit, & quaſi illo ludit. Quò etiam ſpectat illud Sancti Cypriani libro de bono pudicitiæ, *Quid cùm digiti tali auro onerati, neque introire poſſunt, neque egredi, verum vſus expoſcitur, an patrimonium inani pompa mõſtratur.* Et Plinius de ſui tẽporis moribus in iſtis inanibus ornamentis. lib. 33. c. 1. *Manus* (inquit) *& prorſus ſiniſtra maximam authoritatem conciliauere auros* Et infra: *Multis hoc modo vt cætera omnia luxuria variauit, gemmas addendo exquiſiti fulgoris, cẽſuque optimo digitos onerando.* Hæc quæ breuiter de ſuperfluo, & inani mulierum ornatu ex veterum monumentis depromp ſimus, quantum diuina cenſura prædamnentur, vt Dei oculis ſint inuiſa, cum vix inter tot luxuriæ faces, & ambitionis ardores caſtitas ipſa continere ſe poſſit, non ſemel Diuina Scriptura nos admonet, cum ſicut optimè idem Tertullianus aduertit *lib. de cultu fœminarum capit.* 12. *Ciuitas illa valida quæ ſuper ſeptem montes, & plurimas aquas præſidet, Apocalyp.* 17. *cùm proſtituta à Domino appellationem meruiſſet, quali habitu appellationi ſuæ comparata eſt. Sedet certe in purpura cum coccino, & auro, & lapide pretioſo, quæ maledicta ſunt, ſine quibus non potuit maledicta, & proſtituta deſcribi. Thamar illa quia ſe expinxerat, & ornauerat. Geneſ.* 38. *Idcirco Iuda ſuſpicioni viſa eſt quæſtui ſedere, quia ſub velamento latebat, habitus qualitate, quæſtuarium mentiente, & fecit vt quæſtuariam, & voluit, & compellauit, & paſtus eſt.* Sic Tertullianus.

Sed quanto ponderoſius Scriptura ipſa diuina 17 ornatum iſtum, & lenocinantis, atque irritantis luxus ſpeciem, cum inquieta, & præcipiti fœminarum libidine coniungit, cum Prouerbior. cap. 8. ſic inquit: *Et ecce occurrit illi mulier ornatu meretricio præparata ad decipiendas animas, garrula, & vaga, quietis impatiens, neque valens in domo conſiſtere, pedibus ſuis nunc in plateis, nunc iuxta angulos inſidians, apprehenſumque iuuenem deoſculatur, & procaci vultu blanditur dicens; victimas pro ſalute deuoui, hodie reddidi vota mea, idcirco aggreſſa ſum in occurſum tui deſiderans te videre, & reperi, intexui funibus lectum meum, ſtraui tapetibus pictis ex Ægypto, aſperſi cubile meum myrrha, & aloë, & cinnamomo, veni inebriemur vberibus, fruamur cupitis amplexibus.* Ecce in quem terminum & finem meretricius ille cultus, & nimium quæſita ornatus ſolicitudo deducit, neque vnquam facile diues, & ambitioſa veſtium cultura, & varietas admittitur, niſi cùm caſtitati bellum inducitur. Pulchrè Ambroſ. locum iſtum Prouerbiorum amplificans, *libr. de Cain & Abel cap.* 4. ſic periculum blandientis huius ſuauitatis, ac defluentis ornatus, ac decoris nobis inſinuat; *Illa* (inquit) *meretricio procax metu, infracto per delicias inceſſu nutantibus oculis, & ludentibus iaculans retia, quibus pretioſas iuuenum animas capit (oculus enim meretricis laqueus eſt peccatoris) quemcumque viderit ſenſu dubio prætereuntem in angulo tranſitus domus ſuæ ſermonibus adoritur gratioſis, faciens iuuenum volare corda, domi inquieta, in plateis vaga, oſculis prodiga, pudore vilis, amictu diues, genas picta, etenim quia verum decorem natura habere non poteſt, adulterinis ſuccis affectatæ pulchritudinis lenocinatur ſpeciem, non veritatem. Vitiorum ſuccincta comitatu, nequitiarum, ebore circumfuſa, dux criminum talibus verborum machinis, murum mentis aggreditur humanæ; ſacrificium pacis eſt mihi; hodie reddo vota mea*, &c. Vt ex verbis Prouerbiorum retulimus, quomodo inter talia blandimenta, & mollia irritamenta cupidinis, aut vigorem, aut fortitudinem, aut ſoliditatem tenere mens poteſt? Ferreas mentes libido domat (inquit Hieronymus) & ſolidiſſimas petras inundans ille laſciuientium flammarum globus, ac depaſcens medullas ardor in cinerem, fauillamque reſoluit, calix aureus Babilonis in manu mea ait Propheta *Ierem.* 15. inebrians omnem terram, à vino meo biberunt omnes gentes, neque ſolum de vini mordacitate admiror, ſed de

aureo calice, quo propinatur omnino pertimeſco. Quis enim ebrietatem horreat tam nitido, & ſplendenti calice propinatam. Quis fugiat venenum, & excutiat aureo fulgore ſcintillans, & eminenti cultus pulchritudine alliciens? Quis auertet oculos à vanitate tanta cura, ac ſolicitudine depicta, tanto luxu compoſita variegata?

18 Prudenter ſane Abimelechus noſter, & magnifica argenti munera Abrahamo largitur, & velamen oculis inducit Saræ, ne videlicet, tam ſplendido, diuiteque amictu decorata facies, dum nitorem affectat, aculeos, ſpinaſque intuentium oculis ſpargat, & effundat. *Hoc* (inquit) *ſit tibi in velamen oculorum ad omnes, qui tecum ſunt, mementoque te deprehenſam.* Vbi ita alienam ab ornato ſplendentique velamine, & ab omni diuite cultu vult Saram alienam, vt etiam velata facie inter ſuos procedat, quibus vt familiarior eſt conuictus, & frequentior riſus, ita cautior debet eſſe aſpectus, vultuſque omnis modeſtia, & deſpicatior, ne inter continuos conſpectus etiam oculorum tentamenta ſuccedant, & fiat de viſu, & aſpectu crimen, quod de executione non poteſt. Fugienda eſt hæc inter domeſticos, & inter extraneos curioſa, & nimis aurata cultioris ornatus diligentia, quæ dum frequentius aſpicitur, vehementius adhæret, & ſordidat vbique, inquit præclare S. Cyprian. in libr. de ſingularitate Clericorum circa finem: *Guſtanda eſt cum mulieribus, non continuanda præſentia, ſed quaſi tranſeunter exhibenda eſt fœminis acceſſio quodammodo fugitiua.* Quam optime intimam noſtræ ſcripturæ regulam verba iſta declarant, ſi enim tranſeunter exhibenda eſt fœminis acceſſio quodammodo fugitiua, hoc ipſum eſt quod maximè Abimelech in Saræ admonitione videtur intendere, vt in velamen oculorum ſit, quidquid argenti, & diuitis gazæ illi erogabat, ſic enim ad omnes etiam qui cum illa erant velata, & obtecta incedens quaſi tranſeunter exhiberet ſui præſentiam, & copiam, feſtinanterque adeſſet dum conſpici non poſſet, fieretque ad eam acceſſio quodammodo fugitiua, ita appropinquaret aliis quod præ feſtinatione fugere viderentur dum accederent. Hoc eſt ſane Chriſtianæ ſecuritas diſciplinæ, hæc caſtitatis forma, hæc communicationis cenſura, nec nos ſecuritas incautos reddat, & ſignet, quia nulla eſt ſecuritas, vbi inordinabilis fœminæ propinquitas iacula, cuius vicinia eſt delictorum latrocinium. *Non deſpecta* (addit Cyprian. cit. loco) *non vetula ſine affinitate peculiariter ſuſpicienda ad domeſticum obſequium, quia magis illicito delinquitur vbi ſine ſuſpicione ſuorum poteſt eſſe delictum, maxime quia cupidini nulla deformitas, nulla deſpectio faſtidij, vel vilis exiſtit, ſed diabolus pingens ſpecioſum efficit quidquid fœdum, vel horridum fuerit. Si quis autem profectione cogente apud fratres, vel apud extraneos hoſpitatur vbi mulieres interſunt, omnino ſe arctet ne paſſibilitate aliqua ſtrietur, ſemotus ac ſecretus Deo vacet, & ſibi, ne intus capiatur à diabolo, ac qui foris capi non potuit apud ſuos cadat, qui hoſtes effugit ad tempus pro ſalutaribus cauſis procedat ad faciem, & iterum cito dicere de conſpectu feſtinet, perditionis enim necesſitatis eſt frequentatiuũ inter mulieres celebrare proceſſum.* Hæc Cyprian.

Quibus verbis omnem diſciplinæ regulam, quam 19
in velamine illo, oculis Saræ deſtinato deſiderare poſſumus, luculentiſſimè nobis commendat. Nec enim aliud ad velamenti huius myſterium, quàm cauta imminentis periculi euitatio, & idem ſit velare oculos fœminarum etiam ad ſuos, quod proſpectum fugere, quod continuum, frequentemque cum illis incefſum coarctare, quod cultiori ornamento, & ſplendidiori veſtium apparatui oculos claudere, neque illò curas immittere, vnde totius perditionis fax oritur, & inextinguibilis ignis accenditur. Neque ignorare debemus aſtutias diaboli, qui ſæpe nullis aut fluctibus cupiditatum inquietat, vt in medio mari minus cautis inducat relaxari vela, neque quærere gubernacula, vt ſubita tempeſtate concitatos naufragos ex inſperata commotione ſubmergat; ſic nimirum aliquando de ſimplici charitate amorem conflat illicitum, ſic per ſanctitatem inducit interitum, dum contentus eſt cedere, vt ſic valeat occupare, & dum ſubmiſſus patitur ſemetipſum præbere deuictum, ſic plenius deuincere gloriatur.

QVÆSTIO SECVNDA.

AD ILLA VERBA:

Et concentum cœli Quis dormire faciet. *Iob.* 38.

An ex Cælorum motibus muſicus aliquis ſonus reſultet?

1 DVm arcana, & inſcrutabilia Cœlorum, aut irrumpere, aut reſerare contendo ipſo penè volatu, & retineor, & impellor, neque tam facile proſequimur iter abſconditum, & inuium, quàm recidere in propriam cogimur infirmitatem. Ecce ipſe veritatis ſpiritus, ipſe totius author ſermonis in propoſitis noſtri problematis verbis, penè ad cœleſtem concentus ſuauitatem nos excitat, pene coercet, ac propulſat, dum Cœlorum indicat melodiam, quæ vnquam ceſſare non poſſit, & tam remotum à ſenſibus noſtris ſignificat, vt nulla ratione non dicam comprehendi, ſed neque verbis dici, vel enarrari ſufficiat. *Quis* (inquit) *narrabit Cælorum rationem?* Ecce inſuperabilem difficultatem, *Et concentum Cœli, quis dormire faciet?* Ecce maiorem humano ſenſu ſuauitatem. Quis non iſtam tota auiditate deſideret? Quis non illam toto pauore deſperet? Sed vincit planè ſtuporem noſtrum rei tantæ deſiderium, & impotenti flãmantis cordis zelo percitus animus ad ſuperna conſurgit, vbi toto mentis ictu ineffabiles illos ſonos, iocundiſſimos concentus, diuina illa ſilentia, & venam

cœleſtis

[illegible] ng[illegible]ca voces [illegible] qui [illegible] ac natura[illegible] tar æ ro[illegible]nd[illegible], & [illegible] le[illegible] um [illegible] qui [illegible] æt[illegible], & exu[illegible], & [illegible] & a[illegible] us [illegible] [illegible] ctetur [illegible] d [illegible] atur [illegible] [illegible] rnalibuſque canunibus b[illegible] ne [illegible]ritus Sancti vox illa eſt ad d[illegible]ctam tuam in C[illegible] C[illegible]ncutum *Quæ habitas in hortis, amici [illegible] ultant te, fac me audire vocem tuam.* Sed & ip[illegible] gl[illegible]æ Princ[illegible]pes, vt dicitur Pſalm. [illegible]7. *Præue[illegible] Principes coniuncti pſallentibus in me[illegible]o iu[illegible]cularum tympaniſtriarum.* Cum [illegible] [illegible]tia, & [illegible] aurta deſideria tran[illegible] [illegible] um [illegible]acul[illegible]tabilis vſque ad d[illegible] [illegible]ei, in v[illegible] [illegible]xul[illegible], & confeſſionis [illegible]. [illegible]ue tota Cœli diſpo[illegible] & v[illegible]la hæc [illegible] [illegible]china in excelſis mundi canit, iu[illegible]lat, [illegible] authorem ſuum in Angelis, in virtutibus, in [illegible], [illegible] Luna, in ſyderibus, ac lumi[illegible]ibus [illegible] [illegible]æque omnes aquæ, quæ ſu[illegible] Cœlos ſunt, [illegible] D[illegible].

2 [illegible] A[illegible]oſiu Præfatione in Pſal[illegible]os. *De[illegible] quit opera ſua Dominum, de[illegible]clarunt p[illegible] [illegible] a ex[illegible]rdia. Lauda[illegible] A[illegible] Dominum, p[illegible] ei pote[illegible]tes, & ante ip[illegible] [illegible] mundi C[illegible]im, & [illegible]raphim cum ſuauitate canora vocis [illegible] [illegible], innumera Angelorum [illegible] [illegible] ſicut voces [illegible] Alleluja Ipſum axem C[illegible] expreſſi[illegible] cum qua[illegible] perpe[illegible] con[illegible]ce[illegible] [illegible] verſare [illegible] ſenſus eius ex[illegible] ter[illegible]rarum partibus audiretur vbi ſunt quædam ſecreta naturæ. Nec id ab [illegible] natura [illegible] videmus: qu[illegible] [illegible] vox m[illegible] gratiore [illegible] in montibus re[illegible], & ſuauiore ſono reddant quod acceperint. [illegible] [illegible] quoque ipſ[illegible] & [illegible]apidibus reperit na[illegible] quod delectaret. Al[illegible] alıorum viſus de[illegible] [illegible]. [illegible] atque au[illegible] [illegible] modulat[illegible] vocis delec[illegible]atione mul[illegible]. [illegible] etiam [illegible] cum legem Domini le[illegible] et quo eius memoriam pectoribus affigeret audientium, per c[illegible] locutus e[illegible] dice[illegible] Audi Cælum, & loquar, [illegible] ſicut pluuia eloquium meum, & deſcendant ſ[illegible] verba mea, ſicut imber ſuper gramen, ſicut [illegible] ſuper fænum.* Hucuſque Am[illegible]. Quæ omnia ad [illegible] Cœli c[illegible]tum, & ord[illegible] [illegible] plandum [illegible] eleuant, cu[illegible] & perennit[illegible], ac iocund[illegible]tatis [illegible] lætitiæ, & iubila[illegible] [illegible] non [illegible] quæ præcipuum qu[illegible] [illegible] [illegible] de [illegible] ſit ipſa [illegible]ncentus m[illegible]dulati[illegible], & [illegible], atque ordinatos [illegible] muſicæ [illegible] [illegible].

3 [illegible] quantum magnorum [illegible] [illegible] & [illegible] plau[illegible] [illegible] quo [illegible] [illegible] ipſe ſup[illegible] or[illegible] bium [illegible], quem in muſicæ [illegible] ndum [illegible] tam authores aut cum [illegible], aut [illegible] flamm[illegible] [illegible] & [illegible] [illegible] ac [illegible] ad [illegible] [illegible] ad[illegible], & [illegible], & [illegible], præter [illegible] hominum mentem [illegible] qui muſicæ melodiæ delectari dulcedine omnem ordi-

[illegible] Fl[illegible] ba [illegible] [illegible] tam [illegible] [illegible] vbi [illegible] [illegible] & [illegible] ſonum [illegible] [illegible] abat [illegible] [illegible]. [illegible] Quod [illegible] ad[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] C[illegible] [illegible] [illegible] Q[illegible] in [illegible]e natiōs [illegible] qui[illegible]d[illegible] [illegible] [illegible] pendebant, [illegible] *[illegible]ratoſthenes,* [illegible] à [illegible] [illegible] Har[illegible]moniam D[illegible] [illegible], à ter[illegible] vſque ad Lunam, [illegible] [illegible] ad Mercurium, ſemi[illegible] [illegible] ad Venerem, tan[illegible]tum ſemi, à V[illegible] [illegible] Solem, [illegible]um & di[illegible]midium.

[illegible] [illegible] Plato, qui muſicam Cœ[illegible] S[illegible] [illegible] ſingulæ ſingulis [illegible] [illegible] C[illegible] [illegible] [illegible], & c[illegible] [illegible], & P[illegible] [illegible] Plato [illegible] [illegible] [illegible] Pythagora, & Pla[illegible] [illegible] [illegible], a[illegible] eſt [illegible] Macrobius lib. 2. In S[illegible] Scipio[illegible] c[illegible]p. [illegible] inquit. *Ex ipſo [illegible] ambitu orbis [illegible] neceſſe eſt, quia per[illegible]cuſſus aer ipſo interuentu [illegible], vim de ſe [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] deſinat [illegible] corporum [illegible]. Ex [illegible] inexpugnabili ratione collectum eſt mu[illegible] [illegible] de ſphærarum cœleſtium conuerſione procedere, quia & ſonum ex motu fieri neceſſum eſt, & ra[illegible] quæ in eis ine[illegible] fit ſ[illegible] cauſa modulami[illegible]* [illegible] primus omni[illegible] [illegible] concepit, & [illegible] S[illegible] ſo[illegible] [illegible] Cœleſti[illegible] b[illegible] [illegible] Plato [illegible] [illegible] *[illegible]arum Cœle[illegible] [illegible] Syrenas [illegible] [illegible] Gra[illegible]*

5 A[illegible] in ſuo Ione [illegible] ac den[illegible] [illegible] ipſe [illegible] cap. [illegible]. *[illegible] vertigo tacito [illegible] [illegible] nobis minus audientibus [illegible] ſecundæ*

Hanc Plato aſſeruit, hanc conſectati omnes appro[illegible]barunt,

barunt, [illegible] quod vtique apud ipſum [illegible] cap. 1. ſig[illegible] videtur du[illegible] fieri poteſt [illegible] *Cælo[illegible] cuiuſque [illegible] & ad aures [illegible] non pervenias.* Ad[illegible] cap. 6. in [illegible] *ipſe mundus [illegible] harmo[illegible] Cælum ipſum ſub harmonica modu[illegible]* Et D. A[illegible]us lib. [illegible] eſt [illegible]) *Septem [illegible] Cælorum [illegible] cum dulciſſima harmonia voluuntur, [illegible] concentus eorum circum[illegible] dicuntur, [illegible] ad aures noſtras non perveniunt, quia vltra aerem [illegible] eius magnitudo noſtrum anguſtum auditum excedit.* Om[illegible] eadem [illegible] P[illegible] lib. 2. Hiſtoriæ cap. 3. & cap. 22. ali[illegible] Pythagoræ, & Platonis ſententiam [illegible].

6 Scio ſententiam [illegible] ab Ariſtotele, & communi [illegible] eamque conuin[illegible] philoſophice, & [illegible] *Ariſtoteles dixit lib. 2 de Cælo cap.* [illegible] *& ſuper cap. 48. Iob,* camq[illegible] *Sanctus Baſilius ſimiliter homilia 2. in Hexameron. L. Epiphanius libr.* [illegible] nam tandem reprimat *Sanctus Ambroſius in 2. Hexameron cap. 2.* Sed quid [illegible] tantos [illegible], & [illegible] cui[illegible] talem impu[illegible] ſententiam, remq[illegible] ab [illegible] nec ab vllo vnquam pe[illegible] per[illegible] ſuadere [illegible], fundamentum [illegible] quod cum cæl[illegible] oculis ipſis, experi[illegible] que videmus, [illegible] in ſo[illegible] a[illegible] erumpere, [illegible] credibile eſt, non [illegible] corporis [illegible] cælis, qui motu illo con[illegible], ac [illegible] ſonum edat, ſicut apud [illegible] tonitru; [illegible] quia corpora illa cæ[illegible] qualitat[illegible] in eis ſong[illegible] ed[illegible] ſiue rupti[illegible] corpora [illegible] colliſione, [illegible] ſicut flactus [illegible], & nub[illegible], ſonum edunt [illegible] corpora [illegible] poſt [illegible] loquentur, [illegible] laud[illegible] [illegible] tonitrum [illegible] efficiendum, [illegible] vi [illegible] val[illegible], [illegible] conc[illegible] & [illegible] ingentem, imo [illegible] un[illegible] dum efficiant?

7 At e[illegible] a B[illegible] corpor[illegible] in [illegible] ſi[illegible] gnia[illegible] ill[illegible] & [illegible] teſt, niſi ſcriptura [illegible] duct[illegible] ratione [illegible]. [illegible], [illegible] quam [illegible] Scri[illegible] ea [illegible], [illegible] por[illegible]. S[illegible] d[illegible] *Deus* [illegible] dictum [illegible] [illegible] *dius quaſi vocem turbarum multa-*

rum, in cælo dicentium Alleluia, ſalus, [illegible] *& virtus Deo noſtro eſt.* [illegible] ipſe [illegible] *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum, dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam, non ſunt loquelæ, neque ſermones, quorum non non audiantur voces eorum.* Vbi ad[illegible] de cælis iſtis, quæ videmus, licet in[illegible] etiam de Apoſtolis [illegible] inte[illegible], dubium non eſt. [illegible] que ſi de [illegible] gloriola, [illegible] beata ciuitate dicunt *Iſaias* [illegible] gaudium, [illegible] lætitia inuenietur in ea, grat[illegible], & vox laudis, vtique & de [illegible] conſona [illegible] harmonia de cælo cont[illegible], & [illegible] te [illegible] hæc, habetur Sa[illegible]. *Et [illegible] quod continet omnia, ſcientiam habet vocis.* Qu[illegible] omnia continet cælum eſt, [illegible] continet [illegible]. Si ergo Scriptura ip[illegible] corporum [illegible] voc[illegible] ipſis vocem [illegible] aſſignat, cum [illegible] & [illegible] proprij ſenſus d[illegible] [illegible] acceptamus.

8 At [illegible] eſt, qu[illegible] an[illegible] aut [illegible] tam v[illegible] bo, non [illegible] tu[illegible], qui v[illegible] d[illegible] aut [illegible]. Aut qu[illegible] tus [illegible] eſt [illegible], & inaq[illegible] S[illegible] ra[illegible] m[illegible] ra, [illegible] que [illegible] quod [illegible] ſic [illegible] Pu[illegible] *Phi[illegible] cap.* [illegible] *de ſomnijs* [illegible] tra[illegible] d[illegible] n[illegible] d[illegible] *cælum* [illegible] *naturam habet incomprehenſibilem, nec vlla eius notitia certa demanat ad nos. Quid tum po[illegible] de hoc pronuntiare? Eſſe con[illegible] glaciem, vt qu[illegible] an ignem pur[illegible], an quintum quoddam corpus in orbem mobi[illegible] elementis quatuor. Quid illa extrema ſphæra [illegible] ſoliditatem [illegible] an ſuperficiem tantum ſine altitudine, figuris [illegible] Quid [illegible] terra mole [illegible] An [illegible] ratiſne, [illegible] rationales, an [illegible] & anima. Voluntarioſne, an [illegible] coactos motus habent. Quid luna naturaline, an mutua [illegible] luce lumine ſuis [illegible] micans, an illuſtrata ſolaribus. An horum neutrum eſt, ſed quiddam mixtum ex vtroque igne, tum alieno, tum proprio. Nam hæc & huiuſmodi omnia in præcipuo mundi corpore quæ[illegible], id eſt, cælo incerta, & incomprehenſibiliaque [illegible] veriſimilibus magis quam certis [illegible] rationibus nituntur, vt iurare fas ſit nemi[illegible] poſſe vnquam quidquam horum certo percipere. Hæc eſt cauſa cur puteus [illegible] arid[illegible] nominatur, quod quarti huius elementi [illegible] que [illegible] eſt & imper[illegible]* & [illegible] [illegible] banda pro[illegible] edimus, nequ[illegible] ſi [illegible] cantur nobis Co[illegible].

9 [illegible] humana [illegible], & [illegible] tis res iſta libranda eſt, palcet omnino *D. Ambro-*

ſij

ſij dictum *in* 2. *Hexameron cap.* 2. de hac cœleſtium corporum muſica, ac ſonitu ſic cēſentis, quod nulla firma ratione, aut fundamento, à ſuis authoribus ſtabilitur. Quod enim rapiditas illa motus tanta ſit, cùm aerem non ſcindat, quia ibi aër nō eſt, nullum ſonum efficere comprobatur, quem tamen ore, ac lingua Beatorum efficiendum à contrario fundamento deducitur, quia in ore, & faucibus aerem deferent, nec enim in iis naturalibus inſtrumentis vacuum dabitur: ex repercuſſione autem aeris motu linguæ effecto vox formari poterit, eaque ſuauiſsima. Hoc autem fundamento in cœleſtium corporum motu denegato, ruunt omnium rationum pondera, quibus Philoſophi illi cæ. ſtem ſonum, & muſicam adſtruere conati ſunt. Vnde Ambroſius cit. loc. *Introduxerunt* (inquit) *Philoſophi impulſu, & motu ipſorum orbium dulcem quemdam, & plenum ſuauitatis, atque artis, & gratiſſimi modulaminis ſonum reddi. Huius rei fidem, ſi requiras, atque expetas, ſenſu nobis, & auditu probari haſitant, nam ſi vera forent quomodo tanto motu orbium concrepante, cùm ille cœleſtis orbis, cui affixi ferunt ſtellarum curſus, qui ſine intermiſsione voluuntur concitatiorem habeat conuerſionem, atque acutum ſonum excitet, hic autem lunaris grauiſsimum, non audiretur à nobis cùm leuiora audire ſoleamus? Fidem ergo eius diſputationis ſi teſtimonio noſtro, & auditus munere exigamus probari, referunt obſurduiſſe aures noſtras, & hebetiorem nobis ſenſum audiendi factum propter illam à principio noſtræ generationis concepti ſonitus conſuetudinem. Et exemplum afferunt ex eo quod Nilus fluuiorum maximus, eo videlicet loco vbi ſe ex altiſſimis montibus præcipitat, magnitudine fragoris ſui aures accolarum obſtruat, vt audiendi munere carere dicantur. Sed facile his ipſa reſpondet veritas. Nam qui tonitrua audimus nubium colliſione generata, tantarum orbium concuſſiones, qui maiori vtique ſicut motu ferri æſtimantur, ita vehementiores ſonitus excitarent, non audiremus?* Hucuſque Ambroſius.

10 Cuius etiam rationem proſequitur latè *D. Thom.* ſupra *libr.* 2. *de Cælo, lect.* 14 Additque ſolutionem dicentium nos obſurduiſſe ad percipiendum illum ſonum, propter fragoris eius vehementiam, nullo modo poſſe ſubſiſtere, quia conſuetudo audiendi magnos ſonos, non ſolum aufert diſtinctionem illorum ſonorum, ſed etiam aliorum, ſicut malleatores æris, non poſſunt percipere alios ſonos minimos; vnde ſi propter conſuetudinem non poſſunt audire ſonos cæleſtium corporum, pari ratione nec alios ſonos audire poſſumus.

Sed relinquamus ſi placet, ſonum cœleſtium motuum, quem nullus vnquam audiuit, & vix niſi in ſomnio Scipionis quaſi ſomniatam muſicam Cicero perceptum fuiſſe finxit. Accedamus ad altiora, quæ magis interiorem excitant auditum, & ad cæleſtes ſonos, qui verè futuri ſunt in Cælo, animum, diſputationemque adiiciamus. Et vt omittamus ſpiritualem Angelorum harmoniam, quæ ſolum methaphoricè muſica, aut concinnatus ſonus appellari poteſt, ſicut ſpiritualis, & intellectualis ſplendor, methaphoricè appellatur lux; de illo vero ſonu, ac reali diſſeramus, quem in corporibus glorioſis, etiam inter ipſos cœlorum orbes, dum ſublimia illa cœlorum ſpatia, & ſplendentia lumina victrice pede, & triumphali pompa penſauerint, futurum eſſe nō ambigimus. Quis enim aut mutos poſt reaſſumpta, & glorificata corpora Beatos omnes futuros dicere audebit, cùm hoc ipſum magnæ infœlicitatis eſſet diſpendium, loqui in perpetuum non poſſe, aut ſi loquendi vſum amiſſuri non ſunt, quid ſuauitas illa vocis, & iocunditas ſumma, niſi Dei laudes, & cantica in illa lætiſſima feſtiuitate depromet? Et ſicut in infernorum pœnis, & totius infœlicitatis miſeria, erit ſtridor dentium, & horribilis gementium clamor, & confuſio vlulantium reorum, præ anguſtia, & magnitudine tormentorum: ſic in totius iocunditatis fœlicitate, & cumulo cantoro ſuauitatis iubilum, & melodicam muſicæ voluptatem, ciuitatem illam Dei lætificaturam nullatenus ambigi, dubitariue poteſt.

Nec aſſentiri debemus quibuſdam hæreticorum ſomniis, aut deliriis, qui canticorum compoſitionem & muſicum ſcribendi genus, muſicæ deſeruiens molle, aut profanum eſſe putant, & ad fabulas duntaxat componendas aptum, aut ad vanos, & impuros affectus iræ, vel amoris delineandos adinuentum; vnde nec poſſunt ſibi perſuadere ſacros aliquos libros poeticè ſcriptos, & ad cantilenas efformatos. Cæterum inter tales homines planè ſqualidos, ac luctuoſos, & omni fletu dignos, illud mihi ſapientis vſurpo dictum, *Muſica in luctu importuna narratio.* Quid enim eorum parens diabolus æterno luctu damnatus cum cœleſti muſica, & ſacris canticis niſi perpetuum euomat odium, & bellum? Vlulatum ipſius, & clamorem, & ſtridentia furus ora, & perturbationem, & confuſionem, & horrorem ſcimus; ſic & eius ſatellites, ac miniſtri diaboli ei ſpiritus vertigine rotati omnem ordinem, concentum, muſicam, ſuauitatem, Dei cantica exterminant, contendunt, & iuxta Propheticam Iſaiæ vocem occurrunt dæmonia Onocentauris, & piloſus clamabit alter ad alterum, ibi cubauit lamia, & inuenit ſibi requiem, illuc congregati ſunt milui alter ad alterum. Tales ſunt hæreticorum voces, ſtridulæ, confuſæ, inordinatæ, muſicam, & cantum omnem à piis auribus expungentes. 11

Certè gratiſſima Dei auribus cœleſtia eſſe cantica, diabolo odioſiſſima, & ſacræ, & prophanæ hiſtoriæ nos edocent, nam ſi viros illos ſublimes, & glorioſos, atque à Deo afflatos in Veteri Teſtamento conſideremus, nonnè carminibus, citharis, & canticis ad ipſum prophetiæ ſpiritum impellebantur, & quaſi illum ad ſe inuitabant, & trahebant? De filiis Aſaph, Heman, & Idithum legimus in *lib.* 1. *Paralipom. cap.* 25. Quod prophetabant in citharis, & pſalteriis. *Eliſeus* 4. *Reg.* 3. vt vaticinari poſſet, & ad ſupernum, ac cœleſte prophetiæ lumē ſupra ſe rapi, iuſſit adduci ſibi pſaltem: *Cumque caneret pſaltes*, inquit ſacer Textus, *Facta eſt ſuper eum manus Domini*, ſeu vt Chaldaicus explicat, *requieuit ſuper eum prophetia*, & ait, *Hæc dicit Dominus, facite alueum torrentis huius foſſas, & foſſas*, &c. Et grex Prophetarum 1. *Reg.* 1. deſcendebat de excelſo, ante eos pſalterium, & tympanum, & tibia, & cithara, ipſique prophetantes, videtur enim diuinus ille Spiritus ad ſuauitatem carminum, & interioris animæ melodiæ ex iſta ſenſibili muſicorum inſtrumentorum arte in ſemetipſam recollectæ trahi, & quaſi inuitatus, & allectus iocunditate animæ vocis ad ſponſam ſuam verba illa geminate, Cantic. 2. *Oſtende mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* Pudet dicere quod & falſi Dij (dæmones ſcilicet) vt in hoc aliquam veri Dei quaſi laruam, & ſimilitudinem aſſumerent, etiam carmine demulceri, & placari canticis hominibus perſuadebant, vt eſt illud quod Flaccus ad Auguſtum *Lib.* 2. *Epiſt.* 1. *dixit*, carmi- 12

ne

ne Dij ſuperi placantur, carmine Manes. Et Ouid. 1.*Triſtium*, Exorant magnos carmine ſæpe Deos.

13 Quod de illo celebratiſſimo olim Orpheo dicam? Cuius tantam in vi muſicæ efficaciam finxit Antiquitas, vt etiam feras, & ſaxa, ac rupes ipſas, id eſt, ſaxeos, ac ferinos hominum animos cicuraſſe, ac deliniſſe referatur? Et Horatius inquit, Sylueſtres homines ſacer, interpreſque Deorum, cædibus, & victu fœdo, deterruit Orpheus, dictus ob hoc lenire tigres, rapidoſque leones. Sic honor & nomen diuinis Vatibus atque carminibus venit. Quinimo neque preces olim ad diuos fundebantur ſoluta oratione, ſed metrica, vt ex hymnis Pindari ad hoc efformatis conſtat. Et *Macrobius lib.* 2. in ſomnium Scipionis *cap.* 3. in ſacrificiis, & Deorum laudibus carmina olim adhiberi ſolita ſcripſit. Denique præclariſſimum huiuſce rei argumentum eſt, quod diabolus vehementiſſimo odio muſicam proſequitur, cum enim, vt dicitur 1.*Reg.*16. ſpiritus nequam irrueret in Saül, ipſumque non ſolum aggrauaret triſtitia, nimiaque cordis anguſtia, ſed etiam quaſi quibuſdam furiis exagitaret, Dauid carmine, & citharæ ſuauitate dæmonem effugabat, & Saülis animum exhilarabat. Quod non ſolius diuinæ modulationis, & verbi Dei virtute in illis carminibus, aut Pſalmis impreſſa, ſed virtute etiam muſicæ factum dicit *Ioſephus in 6 lib. Antiquitatum cap.* 9. Et Burgenſis in additionibus ſuper citatum locum Regum, inquit, quod *dicere, quod fieret ex merito Dauid; ſeu per orationes eius, alienum eſt à littera, quæ ſolum facit mentionem de actu pſallendi.* Atque ita diabolus, qui vt dicitur Iob 41. *Reputat quaſi paleas ferrum, & quaſi lignum putridum æs,* qui *quaſi ſtipulam æſtimat malleum; & deridet vibrantem haſtam*, ad ſonitum citharæ, & ad ſuauitatem diuinæ modulationis tremefactus recedit, & quem nulla poteſtas, aut vis terrena coercet, ſuperat harmonia. Hinc militans Eccleſia quaſi gratiſſimum, & grauiſſimum Deo munus offert Canticorum hymnos, pſalmorum carmina, & vocum laudis, Pſalm. 146. *Laudate Dominum* (inquit Propheta) *quoniam bonus eſt Pſalmus, Deo noſtro ſit iocunda, decoraque laudatio.* Et Apoſtolus ad Epheſios 5. *Implemini*, inquit, *Spiritu Sancto loquentes vobiſmetipſis in Pſalmis, & hymnis, & canticis ſpiritualibus cantantes, & pſallentes in cordibus veſtris Domino.* Si ergo ex modulatione Pſalmorum, & ſpiritualium Cãticorum harmonia, ipſo Spiritu Sancto ſe infundente, corda replentur canentium, quid mirum tali cantu effugari, longeque arceri omne immundorum ſpirituum genus, nec tolerare poſſe ordinem melodiamque Sanctam, illum qui in perpetuo horrore, atque confuſione, & gemitu inhabitat?

14 Quibus fundamentis præſuppoſitis, aſcendamus iam ea triſtitia vallis noſtræ, & gementium incolarum eius, ad illam triumphantis Ieruſalem cœleſtem gloriam, ac lætitiam, in qua planè ſicut lætantium omnium habitatio non ſecura tantum eſt, & certa, ſed fœliciſſima, ſed lætiſſima, ſed ſuauiſſima, vbi ſolum cantica, & gratiarum actio, & vox laudis per illos æternitatis montes reſonat, & auditur, & per vicos eius iocundum ſemper *Alleluia* cantabitur. Quas voces, & canticorum melodias inter ipſos Cœlorum ſinus, & ſtellatos illos, ac lucentes Orbes etiam corporaliter efformandas concors Scholaſticorum Doctorum admittit conſenſus. Sed qua ratione extra omnem äërem, & elemẽtalia corpora in ipſis Cœlis, qui vt dicitur *Iob* 37. *Quaſi ex ære ſolidiſſimi fuſi ſunt*, & incorruptibilitatis ſuæ priuilegio, nec ſcindi poſſunt, nec diuidi; corporalis vox à Beatorum corporum lingua, & dentibus efformanda ſit, neque ingenium humanum capit, nec terrena mens, aut ſenſus poteſt attingere. Nec enim negari poteſt ibi ſenſum auditus operaturum in Beatis, nec omnino otioſum futurum, cum alij omnes ſenſus immenſa quadam delectatione, & fruitione replendi ſint. Porro ſenſus ipſe non phantaſticè, aut illuſoriè ſonos percipiet, quaſi efformante Deo ſpecies intentionales in auditu, ſenſus ipſe operationes ſuas poſſit exercere. Nec enim magis intelligibile eſt poſſe auditum ſpeciebus in eo exiſtentibus, ſonos non exiſtentes percipere, quàm ſenſum viſus non exiſtentia videre ſpeciebus viſibilibus in eo poſitis, & dato quod hoc non ſit impoſſibile, certè tantæ illius gloriæ veritati, & certitudini omnino indecens, & indecorum eſt ſenſus illuſoriè moueri, & de ſonis, aut muſicis iudicare, eiſque deliniri, quæ omnino non ſunt. Quare ſi beatorum corporum auditus non otioſus, nec dormiens in Cœlo futurus eſt, ſed operationes audiendi formaturus, vtique & ſonus verè, & non apparenter, ac deluſoriè auditurus eſt. Formabuntur ergo in Cœlo tales voces, aut ſonitus.

Quibus omnino ſuffragatur Scriptura, voces iſtas, ac ſonos in Cœlo factos conteſtans. Quod in ſenſu litterali, ac proprio intelligi debere ambigendum non eſt, nec in contrarium aliquid obſiſtit. Sic Apocalypſis 14. legimus. *Et audiui vocem de Cælo tanquam vocem aquarum multarum, & tanquam vocem tonitrus magni, & vocem quam audiui ſicut citharædorum citharizantium in citharis. Cæli ſonitus, hæ voces Cælorum ſunt.* Quod iterum confirmans cap. 19. *Audiui* (inquit) *tanquam vocem turbæ magnæ, & ſicut vocem aquarum multarum, & ſicut vocem tonitruorum magnorum dicentium Alleluia, quoniam regnauit Dominus Deus noſter omnipotens.* Sic in Cœlo reſonatur, ſic auditur, non fragor ſine voce, non vox ſine fremitu, non ſine muſica ſonus, & tonitruum reſonat, & auditur melodia, aquarum fragor ingens in citharæ dulcedinem, & harmonici cantus ſuauitatem temperatur, vt ſciamus nihil de acuto, nihil de graui, nihil de placido, ac tenui in ſonoris Cœlorum concentibus deeſſe. Omnes ſonorum ſpecies ibi ſunt, & aquarum multarum fremitus, & fragor, beatuſque intonantis tonitru, & modulata citharædorum ſuauitas, & canentium iocunditas. Denique ſicut lætantium omnium, ſic erit quidquid illud erit, quod inter cœleſtes illos vertices, & ſpatia ampla ſonabit. 15

Sed quis idoneus ad exprimendas illas tantæ iocunditatis voces? Quis aſcendet in Cœlum, & deducet eas ad nos? Quæ auris niſi beatitudinis gloria erecta ſuſurra illa venarum Cœleſtium percipiet? Aut quis æſtimare poterit quomodo tot ſonitus ſine corporum diſciſſione, ſine diuiſione aliqua, quæ vtique corruptio, aliqua eſt, efformabuntur? Non decet autem æterna illa corpora diſſecatio, neque incorruptionem corruptela. Scio non deeſſe qui putent Cœlum ipſum Empireum non difficile ad diuidendum ad modum mollis huius äëris, & cedere, & ſcindi, atque adeò in ſonitus converberari poſſe. Sed quomodo cum hoc, incorruptibilitas eius componatur, quæ diuiſione diſſolui in partes, quod integrum erat neceſſe eſt, via fingi, nedum credi poteſt. Et cum in modum æris Cæli illi ſolidiſſimi fuſi ſint, quomodo ad mollitudinem äëris tanta ſoliditas ſine magna alteratione, aut corruptione poterit reduci? 16

QVÆSTIO

QVÆSTIO III.

AD ILLA VERBA:

Claſſem quoque fecit Rex Salomon in Aſiongaber, &c. 3. Regum 9.

An Salomon Hiſpanico auro ditior, quàm Palæſtino?

1 FOELICITATEM Salomonis innumera proptè illuſtrarunt monumenta, quæ ſi expendi deberent vniuerſa, neque mihi ad dicendum verba ſufficerent, neque vobis ad audiendum patientia ſupereſſet. Vnum ſeligo è multis authoritate grauius, enarratione iocundius, veſtra denique ſpectatiſſima præſentia, vt ſpero, non indignius, ac in noſtræ Hiſpaniæ laudem & excellentiam magnificentius. Illa ſe mihi offert claſſis, quæ diuina teſtante Scriptura, ſingulis tribus annis nauigabat in Ophir, & in Tarſis, vnde præcipua auri, & argenti vis aſſerebatur Salomoni, & in varios, atque incredibiles tanti Regis apparatus, & deliciarum omnium exuberantiam, pretioſiſſima ligna thyina, Elephantorum dentes, eburque candidiſſimum, denique Pauones, & Simiæ, multaque id generis quaſi ad naturæ luſum, & riſum efformata, ne quid in tantæ fortunæ ſplendore deeſſet, longinqua illa, nec minus difficili nauigatione aduehebantur. Sed certè quanta tunc arduæ illius nauigationis difficultas; quantique labores in eius executione conſumpti ſunt, tanta nunc Sacris Interpretibus in illa explicanda, & intelligenda eſt caligo, & difficultatum procella diſſonuit, vt non temere dixerim difficiliorem nunc ad explicandum nauigationem illam eſſe redditam, quam tunc ad veliſicandum. Pendet ferè tota Quæſtio, & controuerſiæ nodus ex illa celebratiſſima diſputatione, vbinam fuerit *Ophir*, & *Tharſis*, quò Salomonica Claſſis adnauigabat? Hoc enim ſi euicerimus, Hiſpaniam noſtram fuiſſe, amœnior inde, & ſpecioſior erit nauigatio ad plures alias Quæſtiones diſſoluendas de magnitudine diuitiarum, de auri multitudine, & gemmarum pretio, quæ Salomoni ex prouentu tantæ claſſis accreſcebant, vt oſtendamus maiorem ferè diuitiarum eius gloriam, & magnitudinem ex Hiſpania, vt ex communi diuitiarum matre dimanaſſe.

2 Huius igitur Quæſtionis illuſtratio, vt clarior, & explicatior reddi poſſit, & inter denſiores obſcuritatum nebulas irradiare, ad tria præcipua Capita totam reduco. In priori parte ſtatuam probabiliſſimam eſſe ſententiam Authorum affirmantium Tharſis illud, quò Salomonica claſſis nauigabat, fuiſſe antiquam Hiſpaniæ Tarteſſum, celebratiſſimum Mercatorum, & Authorũ apud veteres Emporium. In ſecunda diſcutiemus quam probabilitatem habeat nuperrima quædam ſententia affirmãs regionem Ophir, etiam ad Hiſpaniam pertinuiſſe, quæ fundamentum præcipuum accepit ex verbis Flauij Dextri, in Chronico ad annũ Chriſti 66. vbi inquit: *Rarem in Luſitania oppidum Bracharorum eſſe in regione Ophirina à nepotibus Ophir illic appulſis nomen hoc obtinente.* In tertia tandem magnitudinem diuitiarum ex claſſibus iſtis à Salomone accumulatam exceſſiſſe eam, quæ ex hæreditarij Regni tributis, & prouentibus colligi poterat, perſpicuè oſtendemus, vnde tota Controuerſiæ reſolutio manifeſte poterit terminari.

Ioan. à S. Thom. in 2. 2. D. Thomæ.

Ante omnia vt primæ Quæſtionis enodationem tradamus, verba ipſa Scripturæ præmitto, quibus nauigatio iſta Salomonis, & in Ophir, & in Tharſis, enarratur deducta, vt exinde de vtroque loco Diſputationis coniugat velitatio. Sic ergo de Claſſe iſta Salomonis habetur 3. Reg. 9. n. 26. *Claſſem quoque fecit Rex Salomon in Aſiongaber, quæ eſt iuxta Alath in littore Maris Rubri in t . Idumeæ, &c. Qui cum veniſſent in Ophir, ſumptum inde aurũ quadringentorum viginti talentorum detulerunt ad Regem Salomonem.* Sequenti verò c. 10. ſic dicitur de abundantia auri, & argenti in Regno Salomonis: *Non erat argentum, nec alicuius pretij putabatur in diebus Salomonis, quia Claſſis Regis per mare cum Claſſe Hiram ſemel per tres annos ibant in Tharſis, deferens inde aurũ, & argentum, & dentes Elephantorum, & Simias, & Pauos.* Eodem ferè tenore verborum de Claſſe iſta loquitur *Liber ſecundus Paralipomenon*, in vno loco, ſcil. c. 8. dicens, quod *in Aſiongaber ad orã Maris Rubri in terra Edon, Claſſis Salomonis cũ ſeruis, & nauibus Hiram nauigabat in Ophir.* In alio autẽ loco, ſcil. c. 9. dicitur, quod *Naues Regis ibant in Tharſis cũ ſeruis Hiram ſemel in annis tribus, & deferebant inde aurum, & argentũ, & ebur, & ſimias, & pauos.* Nec diſſimili modo loquitur Scriptura de Claſſe Ioſaphat, qui eandem Salomonis nauigationem tentauit, ſed perficere nõ potuit, nunc vocans Ophir, nunc Tharſis, locũ quò Claſſem mittendã parauit. Sic enim inquit. 3. Reg. 22. n. 49. *Rex verò Ioſaphat fecerat Claſſes in mari quæ nauigarent in Ophir propter aurum, & ire non potuerunt, quia confractæ ſunt in Aſiongaber.* At verò 2. Paralipomenon 22. de eadem Claſſe dicitur: *Et particeps fuit vt facerent naues, quæ irent in Tharſis, feceruntque Claſſem in Aſiongaber.* Et infra: *Contritæque ſunt naues, nec potuerunt ire in Tharſis.* 3

Qui verba iſta attento pondere librauerit, non mediocriter ſibi perſuadere poterit Scripturam pro eadem reputaſſe nauigationem illam Tharſenſem, & Ophirinam, aut etiam eundem locum, & nauigationis emporium, nunc Tharſis, nunc Ophir appellatum. Permouit ea res nonnullos, nec infimi ſubſellij Authores ad affirmandũ re vera pro eodẽ accipi in his locis Scripturæ, Tharſis, & Ophir, ſed quia pro conſtanti reputant Ophirinam regionem in Orientalem Indiam eſſe relegandam, eò quoque Tharſis collocandum eſſe decernunt. Hi ſunt inter alios *Barrerius in ſua Ophira. Acoſta lib. 1. c. 13. Barradas lib. 5. Concordiæ, cap. 11. Villalpando tom. 2. in Ezechielem Maluenda lib. 3. de Anti-Chriſto c. 19. Bozius de Signis Eccleſiæ lib. 20. c. 3.* Alij è contra, cùm nomine Tharſis intelligant Occidentalem regionem, ſiue Africam, ſiue Carthaginem, ſiue Hiſpaniã, eò quoque tentant reducere Ophir, 4

& ab Orientali plaga in Occidentalem transferre. Multus autem, & nobiles Scriptores Tharſis in Hiſpania collocaſſe, ſtatim recenſebimus.

5 Alij vtrumque ſuo loco reponunt, & Ophir in Oriente, & Tharſis in Occidente, ſed ad ſaluandã veritatem Scripturæ, mirum quo circuitu, quo ſiderum afflatu, quo ventorum ſpiritu claſſem iſtam deducant. Quidam inſana nauigatione Orientem Occidenti coniungunt, & a littore Arabici Sinus, ſeu Rubri maris ſoluiſſe naues Salomonis enarrant, & ad Orientalem Ophir per Oceanum Indicum, vel Æthiopicum appuliſſe, inde vero per Promontorium Bonæ ſpei toto Oceano Africano, & Atlantico emenſo tandem in Hiſpaniam aduenıſſe, quæ Tharſis nomine, antiquam ſignificat Tharteſſum nobile Bæticæ Prouinciæ Emporium, inde vero iterum auro, argentoque onuſtas, in Palæſtinam remeaſſe. Ita *Pineda lib. 4. de rebus Salomonis cap. 5. 6. & 15. obiectione 3.* Denique alij, tam longæ, & inuſitatæ nauigationis tædio conuicti, in duas commodiori via diuiſerunt, duaſque Claſſes Salomonem ædificaſſe exiſtimarunt; alteram quæ per mare Mediterraneum in Occidentalem regionem, ſiue Carthaginem, ſiue Hiſpaniam nauigaret, alteram quæ ex mari Rubro in Orientalem Oceanum, & Indicas regiones, ad Ophir tandem deferretur, indeque aurum in magna copia effuſſum ad eundem portum aduceheret vnde ſoluerat. Ita *Ribera ſuper cap. 1. Ionæ num. 15.* diſcurrit, quem alij ſequuntur.

6 Vt autem in tam difficili, & longa nauigatione portum aliquem Diſputatio noſtra tenere poſſit, probabiliſſimum mihi videtur inter plures, ac diſſidentes tam antiquorum Patrum, quam recentiorum Interpretum opiniones, Tharſis in quam Salomonis claſſis nauigabat, fuiſſe Hiſpaniæ Tharteſſum, & iam ab illis antiquiſſimis temporibus ambiſſe Salomonem Hiſpanicum aurum: vehemenſque, nec parum mihi fundata ſuſpicio eſt circa tempora Salomonis, vel paulò ante cœpiſſe Phœnices, & Tyrios nauigationibus ſuis Hiſpaniam frequentare auro illius, ac metallorum feracitate illectos, indeque Salomonem Regis Tyriorum Hiră amiciſſimum occaſioné arripuiſſe præparandi, ac mittendi claſſem, quæ tantam ſibi auri, & argenti copiam in Hiſpania teueheret, quanta in nullis Regnis viſa ſit. Et quidem apud antiquos Patres de loco Tharſis, non modicam fuiſſe controuerſiam S. Auguſt. enarratione in Pſ. 47. refert exponens illa verba Pſalmiſtæ: *In ſpiritu vehementi conteres naues Tharſis. Tharſis* (inquit) *ciuitatem quæſierunt docti, hoc eſt, quænam ciuitas hoc nomine ſignificaretur, & aliquibus viſum eſt Ciliciam dictam eſſe Tharſis, ex eo quòd Metropolis eius Tharſis dicitur, de qua ciuitate erat etiam Paulus Apoſtolus natus in Tharſo Ciliciæ. Aliqui autem eam Carthaginem intellexerunt, forsaſſis aliquando ita nominatam, aut aliqua locutione ita ſignificatam. Namque apud Prophetam Iſaiam ſic inuenitur. Vlulate naues Carthaginis. Apud Ezechielem autem a diuerſis Interpretibus, ab aliis Carthago, ab aliis Tharſis interpretata eſt, & hoc diuerſitate Interpretum poſitum poteſt intelligi hanc appellari Tharſum, quæ Carthago dicebatur. Manifeſtum eſt autem quod primordia Regni Carthaginis, nauibus floruerunt, & ita floruerunt vt inter cæteras gentes excellerent negotiationibus, & nauigationibus.* Hucuſque Auguſtinus.

7 Eandem controuerſiam diuerſis locis verſat S. Hieronymus, & de ea integram epiſtulam ſcripſit ad Marcellam, quæ eſt epiſtola eius 133. vbi vehementer miratur Rhæticium Auguſtudonenſem Epiſcopum virum eloquentem in C[illegible] ad Cantica Canticorum Tharſis vrbem putaſſe Tharſũ, in qua Paulus Apoſtolus natus ſit. Ad iſtã vero quæſtioné ſibi a Marcella propoſitã, ſi Tharſis lapis chryſolitus ſit, aut hyacintus, quare Ionas Propheta Tharſis [illegible] ire velle dicatur, & Salomon, & Ioſaphat in Regnorum libris naues habuerint, quæ de Tharſis ſolitæ ſint exercere commercia, reſpondet Hieronymus homonymum eſſe vocabulum *Tharſis*, ſeu æquiuocum, quod & Indiæ Regio ita appelletur, & ipſum mare, quia Cœruleum ſit, & ſæpe Solis radiis percuſſum, colorem ſupradictorum lapidum trahat. Cæterum correxiſſe videtur Hieronymus ea, quæ hic iunior ſcripſerat de ſignificatione Tharſis pro Indiæ Regione, cum explanans verba illa c. 2. Iſaiæ: *Et dies Domini ſuper omnes naues Tharſis. Ioſephus* (inquit) *Tharſis, vrbem Ciliciæ Tharſum arbitratur, Alij Regionem putant Indiæ, & hoc nomen etiam de duodecim gemmis lapidẽ appellari, qui apud nos vocatur Chryſolitus ob marinus coloris ſimilitudinem. Melius autem eſt Tharſis, vel mare, vel pelagus abſolutè accipere, neque enim Ionas de Ioppe nauigans, ad Indiam poterat peruenire ad quam illo mari non poteſt nauigari.* Denique inferius illud cap. 23. *Vlulate naues maris*; vel vt legunt Septuaginta: *Naues Carthaginis*, inquit idem Hieronymus pro Carthagine in Hebræo ſcribi *Tharſis*, quod omnes ſimiliter tranſtulerunt. Et *Theodoretus ſuper c. 27. Ezechielis* abſolutè docet quod apud Syros, & Hebræos *Tharſis* Carthago ſit. Denique Anaſtaſius Synaita lib. 10. Hexameron ad illa verba Geneſ. 3. *Sed & ſerpens erat callidior cunctis animantibus terra*, meminit huius Tharſis, quò Salomonis claſſis petebat, illamque docet eſſe Heſperiam, ſeu Hiſpaniam: *In libris* (inquit) *Regum inuenimus naues Salomonis ſingulis tribus annis venire in Tharſis, quæ eſt Heſperia Regionis Occidentalis.*

Ex *quibus* Sanctorum, & antiquorum Patrum dictis, manifeſtè conſtat ferè omnes nomine *Tharſis* intelligere Regionem aliquam, quę reſpectu Palæſtinæ, & Ieruſalem, vbi Salomon regnabat, Occidentalis ſit. Nam ſiue Tharſum Ciliciæ accipiamus, ſiue Carthaginẽ Africæ (nunc *Tunez*) ſiue Heſperiam, aut Hiſpaniam, conſtat omnia iſta loca pertinere ad mare Mediterraneum, quod reſpectu Palæſtinæ Occidentale eſt, & à littore Ioppe, & Tyri, & Aſcalonis vſque ad fretum Gaditanum, & Herculis columnas protenditur. Nam quod nomine *Tharſis* Indica regio, quæ Orientalis eſt reſpectu Palæſtinæ intelligi nullo modo poſſit, manifeſtè illa Hieronymi ratio euincit, quia inuenimus apud Ionam Prophetam, quod fugiens in Tharſis à facie Domini deſcendit in Ioppen, & inuenit nauem euntem in Tharſis, & deſcendit in eam vt iret cum eis in Tharſis. Conſtat autem Ioppen portum eſſe maris Mediterranei, vt conuincitur ex [illegible] *lib. Reg. capit. 5. & 2. Paralipomen. 2.* & ex omnibus Authoribus, & Geographis manifeſtum eſt. Ergo ſi a Ioppe nauigabatur in Tharſis per mare Mediterraneum, non poterat Tharſis eſſe in regione Indiæ, quia per illud mare in Indiam nauigari non poteſt, niſi immenſa quadam, & inſana nauigatione, illiſque temporibus inuſitata, & incognita, vel ſaltem non frequentata per totum mare Mediterraneũ in Oceanum Atlanticũ, deinde tota Africa circumnauigata per Bonæ ſpei Promontorium iterum in Indiam tenderetur, quod certè illorum temporum Nautis inauditum erat. 8

Minus

9 Minus etiam probandum eſt nomine *Tharſis*, vt aliqui Hebræorum autumant, ſolùm intelligendum eſſe mare, ſeu pelagus ipſum abſolutè, & indefinitè, non verò regionem aliquam, ſeu portum; nam cum expreſsè dicat ſcriptura nauigaſſe claſſem Salomonis in Tharſis, indeque ſumpſiſſe aurum, & argentum, & ſimias, & pauones, manifeſtum eſt regionem aliquam, & non ſolùm mare deſignari, nec enim è mari ſimiæ, & pauones aucupabantur, multo minus effodiebatur aurum, vel argentum è mari. Et nauis illa, quam inuenit Ionas euntem in Tharſis, vtique portum aliquem petebat, & non ſolùm in mare nauigabat: alioquin quò nauigaret ſi ſolùm nauigabat in mare, & non in portum aliquem? Denique 3. *Reg.* 10. dicitur, quod claſſis Regis per mare cum claſſe Hiram ſemel per tres annos ibat in Tharſis, vbi ſi nomen *Tharſis* ſignificaret ſolùm ipſum mare, vel pelagus abſolutè, & non aliquem portum, ſiue regionem, ſenſus ſcripturæ eſſet, quod *Claſſis Regis per mare, ibat in mare*, quam battologiam in ſacris Litteris admittere nefas eſt. Quare licet verum ſit apud Hebræos nonnunquam *Tharſis* pro mare accipi, tamen vbi ponitur tanquam locus regionis, & portus, quo nauigatio fit, ipſum mare ſignificare non poteſt, ſed determinatam aliquam regionem, vti neceſſe eſt accipere in hoc loco, vbi de claſſe Salomonis dicitur, quod *Per mare ibat in Tharſis*.

10 Suppoſito ergo quod nomen Tharſis in præfata Salomonis nauigatione, neque ſolùm mare ſignificat, neque Indicam, ſeu Orientalem regionem, reſtat ex Occidentalibus Emporiis, quæ nomine *Tharſis* ſignificari videntur, illud eligere, quod litteræ noſtri textus veriori conuenientia aptari poteſt. Vt autem ex dictis conſtat, triplicem inuenimus vrbem, ſeu regionem nomine *Tharſis* apud veteres ſignificatam. Primò apud Ioſephum Rhæticium, & Auguſtinum, alioſque ex antiquis *Tarſum Ciliciæ*, quæ in Aſia eſt, vnde ortus fuit Paulus. Secundo, apud Auguſtinum, Hieronymum, & Theodoretum, & communem Interpretum, *Carthaginem* nomine *Tharſis* intelligi vidimus, quæ eſt in Africa. Tertiò, apud Anaſtaſium Synaitam, nomine *Tharſis Heſperiam*, ſeu *Hiſpaniam*, quæ eſt in Europa deſignari oſtendimus. Et alij quidem Patres loquuntur generaliter de hoc nomine *Tharſis*, vt in pluribus aliis Scripturæ locis reperitur; ſolus verò Synaita ſpecialiter loquitur de *Tharſis* illo Salomonicæ claſſis, quod *Hiſpaniam* nominat, ſeu *Heſperiam*, & ideò illa nobis omninò præferenda eſt, quia aliis patribus non contradicit. Licet enim in aliis locis ſcripturæ *Carthaginenſis ciuitas* illo nomine ſignificetur, tamen in hoc loco ex libris Regum, & Paralipomenon, vbi agitur de Salomonis claſſe, neque Carthaginem, neque Tharſum Ciliciæ ſignificari poſſe, euidenti videtur ratione conuinci. Etenim tempore Salomonis Carthago nondum condita erat, & probabile eſt, quod neque Tharſus Ciliciæ, & dato quod eſſet condita, non quadrat illi nauigatio illa Tharſica, de qua agimus.

11 *Vtrumque* non erit difficile demonſtrare, nam quod attinet ad Carthaginem, à Didone illam conditam fuiſſe, ſiue in formam, & amplitudinem vrbis prouectam, antiqui omnes auctores conſpirant, quidquid ſit an oppidum aliquod eo loci antea fuerit *Carcedon* nominatum, quod poſtea Didonis opera, ac diligentia in Carthaginem excreuerit, de quo non contendo; certum quippè eſt ciuitatis formam, & magnificentiam, à Didone Carthaginem accepiſſe; Didonem autem Salomonis tempore, multo inferiorem eſſe liquet. *Ioſephus* contra Appionem centum quadraginta tribus annis poſt extructum Salomonis templum, conditam à Didone Carthaginem, narrat: *Appianus*, *& Trogus Pompeius*, vt in eius *Epitome lib.* 18. refert *Iuſtinus*, ſeptuaginta duobus annis ante vrbem conditam, fuiſſe ædificatam à Didone Carthaginem ferunt. Conſtat autem Romam pluſquam ducentis annis poſt Salomonem conditam fuiſſe, cum mille, & triginta annis Salomon præceſſerit Chriſti aduentum, Romanæ autem vrbis fundatio ſeptingentis quinquaginta vno. Quare nullo modo Salomonica claſſis, quæ in Tharſis nauigabat, Carthaginem petiiſſe credenda eſt, quæ tanto poſt Salomonem tempore, vel ædificata, vel in ciuitatis, & Emporij celebritatem eſt prouecta.

Quod attinet ad Tarſum Ciliciæ, neque tempore Salomis fuiſſe conditam, licet in tam longa antiquitate hiſtoria caliget, non leuis tamen teſtis eſt *Athenæus*, *qui lib.* 12. ex Ariſtoboli teſtimonio docet à Sardanapalo fuiſſe ædificatam. Quod ſi verum eſt, manifeſtè deducitur longè poſt Salomonis tempora Tarſum iſtam exortam, cum Sardanapalus tempore Ezechiæ fuerit, quando Deioces, ſeu Arbaces eius præfectus in Medorum Regem ab ipſo deficiens, & rebellans electus eſt. Et vt fuerit, certè in Tarſum Ciliciæ non potuiſſe nauigare claſſem illam, nec tanto inſtrui apparatu, vt ſemel in tribus annis eò tenderet, inde quiuis prudens conijctare merito poteſt, quod ſcriptura Tharſicam nauigationem tanquam magnum aliquod, & inuſitatum opus, & longo, ac difficili mari emenſam ſignificat, mereéſque non vulgares, nec communes, ſed Palæſtinæ nouas, & inuſitatas attuliſſe narrat: at ſi in Tarſum Ciliciæ nauigaret, cum ad Palæſtinæ latus in vltimis Aſiæ minoris finibus ſita ſit, & vix octo aut quindecim dierum curſu à litore Palæſtinæ eo nauigari poſſit, vt conſtat ex tabulis geographicis, quomodo perſuaderi poſſumus ad tam breuem nauigationem claſſem trium annorum ſpatio indiguiſſe, aut inde merces aſportaſſe, quæ Palæſtinæ eſſent incognitæ, cum ita ipſi Palæſtinæ adiacens ſit Ciliciæ prouincia, quantum noſtræ huic regioni Bætica, vel Luſitanica prouincia propinqua eſt. Denique Tarſus Ciliciæ nulla auri, aut argenti abundantia celebris apud antiquos Scriptores habetur; vnde omni deſtituimur principio ad probabiliter fundandum Tharſis illud, quò Salomonis claſſis nauigabat, fuiſſe Tarſum Ciliciæ. 12

At fuiſſe Tharteſſum antiquam Hiſpaniæ, quot conuenientiæ, quàm mirificæ correſpondentiæ commendant, & euincunt? In primis in huius ſententiæ fauorem paucis ab hinc annis vexillum erexit *Goropius Becanus in* 7. *lib.* ſuorum Hiſpanicorum, de Hiſpaniæ gloria in hac parte fœliciter, & optimè meritus. Secutus eſt *Ludouicus Nonius cap.* 12. *Hiſpaniæ*, *Ioannes Baptiſta Suarez lib.* 1. *antiquitatum Gaditanorum cap.* 4. *Forerius in illud Iſaiæ* 23. *Filia Tharſis non eſt cingulum vltra tibi. Soto maior in Cantica* ad illa verba: *Manus eius tornatiles plenæ hyacinthis*, ſeu *plenæ Tharſis*. *Puente lib.* 3. *Monarchia*, *cap.* 7. *Ribera in* 1. *caput Ionæ*, *num.* 13. *Pineda lib.* 4. *de rebus Salomonis* per multa capita. *Bozius lib.* 15. *de ſignis Eccleſiæ*, *cap.* 18. *Viuar in Flauium Dextrum* circa annum Chriſti 66. Nec diſſentit *Ambroſius Morales*, nobilis Hiſpanicarum Hiſtoriarum indagator, qui in verbo *Sagunto fol.* 73. ſcribit in ruinis veteris Sagunti, inuen- 13

tum lapidem Hebræum, vbi erat Epitaphium, *Adoniram clientis Salomonis*, cuius mentio fit 3. *Reg.* 5. Hunc ferunt cum claſſe Salomonis in Hiſpaniam veniſſe, ibique defunctum ſub hoc lapide conditum. Sed licet in tanta antiquitate non facilè adducar lapidibus iſtis fidem dare; tamen hæc tantorum Authorum in hanc ſententiam conſpiratio, ſine dubio nutantis fidei eluit formidinem, èleuatque probabilitatem.

14 Sed coniecturis, ac ſignis nec obſcuris, nec vulgaribus res iſta potiſſimum roboratur. Nam in primis nauigatio ipſa a Siria in vltimas Herculei freti fauces, vbi Tarteſſus ſita erat, pro illorum temporum antiquitate ſatis longa, & inſolita videri poteſt, vtpote quæ totam Mediterranei maris longitudinem mille ferè Gallicis milliaribus protenſam emenſa, non paruo tempore, nec exiguo apparatu indiguerit. Et licet nunc totus ille maris tractus, duorum, aut trium menſium ſpatio nauigari poſſit; tamen vt benè vidit *Ribera*, claſſis illa diuerſa littora legendo, & portus attingendo in quibus mercium commutationi inſiſtere opus erat, longum illud tempus trium annorum potuit conſumere. Fortaſſe nec illo tempore adhuc naues velis vtebantur, nam *Carbaſa* apud Luſitanos primum reperta ſcribit *Plinius*, & ex eo *Ortelius* in ſua Hiſpania veteri. Nauigatio autem Luſitanorum non ita antiqua videtur ſicut Tyriorum, & Phœnicium. Et apud *Ezechielem* 27. Tyrus ſub forma nauis pulcherrimæ deſcribitur, ſeu potius Triremis, in qua vela, id eſt, carbaſa non ponuntur, ſed velum ex byſſu ſuſpenditur in ſtratum, vt vertunt *Septuaginta*, & *Hieronymus* de velo, quod ponitur in operimentum ad Solis calorem interpretatur, id eſt, *Tolda*. Si ergo ſine velis nauigabant tempore Salomonis, multo tempore ad nauigationem illam in Hiſpaniam indiguiſſe certum eſt. Addo in ipſa Hiſpania effodiendis metallis, purgandis, atque præparandis, mercibuſque tranſmutandis non immeritò ſeruos Salomonis totum illud tempus conſumpſiſſe, nec nimis longum videri poteſt, vt auri, & argenti tanta vis quadringinta viginti talenta, hoc eſt, *Quatrocientos y veinte quintales de oro*, vt antiqui ſupputant Hebræi, ex ipſis mineralibus eruerentur, & vſque ad liquidum tanti metalli purgatio conflari, & in naues poſſet inferri, & adduci.

15 Accedit ipſa *Tarteſſi* nomenclatura, & ſitus regionis omnino cum Occidentali Tharſis conueniens. Fuit quondam in Bætica Hiſpaniæ prouincia celeberrimum Tarteſſi emporium, vnde & tota ipſa prouincia Tarteſſiaca aliquando cognominata eſt. Magnifica vrbis huius apud antiquos eſt mentio, vnde notitiam illius hauſerunt nouiores Hiſpanicarum rerum tractatores. De ea agit Strabo lib. 3. & apud eum Eratoſtenes. *Cum Bætis* (inquit) *duobus oſtijs in mare exeat, aiunt olim in medio horum fuiſſe vrbem habitatam Tarteſſum fluuio cognomino, regionemque appellatam fuiſſe Tarteſſidem, quam nunc Turduli incolunt, quin & Eratoſtenes Calpe adiacentem regionem Tarteſſidem vocari tradit, & Britheam inſulam fortunatam* Herodotus, quem Cicero Hiſtoriæ patrem meritò vocat, meminit antiquiſſimæ huius vrbis in *lib* 4. Vbi narrat Samios Herculeas tranſvehentes columnas perueniſſe in Tarteſſum, pompam ferentes ad terminum. Erat ea tempeſtate id emporium, id eſt, *Nundinæ*, intemeratum adeò, vt inde reuertentes iſti ex mercibus quæſtum maximum fecerint inter omnes, quos nouimus Græcos. Addo & Ariſtotelem, vel ſi quis alius eſt author libri de mirabilibus auſcultationibus, ad finem, vbi inquit: *Primos Phœnices ferunt cum Tarteſſum nauigaſſent tantam argenti vim, oleo, aliiſque nauticis ſordibus commutatam eſſe vt neque capere naues, neque ferre poſſent, quo circa coactos ſub diſceſſum cum cæteris quibus vtebantur, tum anchoras etiam ex argento conflare.* Longum eſſet multos alios ex antiquis recenſere, qui Tarteſſi huius meminerint, *Plinium lib. 3. cap. 1. Silium lib. 3. Melam lib. 2. cap. 6. D. Hieronymum in Prœmio lib. 2. Commentarior. ad Galatas, Liuium lib. 8. decadis 3. Polybium lib 3. Volaterranum lib. 8. Nebriſenſem, Morales, Mariana, Florianum, Garibai.* aliosque innumeros, qui noſtris temporibus res Hiſpanicas tractauere.

16 Me verò teſtimonium illud Ariſtotelis, vbi inquit: *Primos Phœnices cum in Tarteſſum nauigaſſent, argento naues oneraſſe*, mentem excitat ad æſtimandum hanc Salomonicam nauigationem cum ſeruis Regis Tyriorum, ex noua illa, primaque Phœnicum nauigatione in Hiſpaniam originem traxiſſe. Phœnices eſſe Tyrios, ſeu eiuſdem regionis, nemo eſt qui ignoret, niſi Hiſtorias omnes ignoret. Hos igitur Phœnices ſcribit *Strabo lib. 3.* nauigationem ſuam paulò poſt tempora belli Troiani incæpiſſe. Verba eius ſunt: *Vulgatum eſt ſermonibus Minois in mare imperium, & Phœnicum nauigatio, qui extra columnas Herculis progreſſi ſunt, ibique in media Africa ora maritima, vrbes condiderunt paulo poſt Troiani belli tempora.* Ita Strabo vbi verbum illud, *Paulò poſt tempora Troiani belli*, præciſum tempus non indicat, ſed æſtimantis relinquit arbitrio, vt non longo poſt tempore ab exacto Troiano bello nauigationem iſtam incæpiſſe intelligamus. Tempus autem quod à Troiano bello vſque ad Salomonem interceſſit, ad centum quinquaginta annos aſcendit, plus, minuſvè: nam à deſtructa Troia vſque ad Romæ fundationem intercedunt anni 432. vt ex *Solino*, *Liuio*, *Dionyſio Halicarnaſſeo*, aliiſque probatiſſimis Authoribus conſtat. Ab vrbe verò condita vſque ad Chriſtum 750. qui efficiunt ſummam annorum 1183. vno plus, vel minus à Troia vſque ad Chriſtum. A Salomone autem vſque ad aduentum Chriſti numerantur 1030. plus, minuſvè. Vnde reſtant inter euerſionem Troiæ, & Salomonem 150. vel circiter. Cum ergo Phœnices, ſeu Tyrij paulò poſt tempora Troiani belli nauigationem ſuam in Hiſpaniam, ſeu fretum Herculeum auſpicati fuerint, recentioris memoriæ tempore Salomonis erat illa nauigatio, ex qua cum tantam argenti, & auri copiam hauſerint, quantam ex Ariſtotelia hiſtoria vidimus, veroſimile valdè eſt animum Salomonis excitaſſe vt nauigationi illi ſociato fœdere cum Rege Tyriorum incumberet, indeque maximam illam vim diuitiarum attuliſſe, quam Scriptura narrat, ita vt argentum illis diebus nullo ferè pretio haberetur.

17 Concordat denique cum hac noſtra ſententia magna illa, & celebratiſſima argenti, aurique in Hiſpania abundantia, præſertim in tempeſtate, qua primùm à Phœnicum nauigationibus frequentari cœpta eſt, nam ipſos ita argento onuſtos receſſiſſe ex Tarteſſo, vt etiam anchoras ex argento conflauerint, Ariſtoteles vt vidimus refert. Quod tamen *Diodorus*, & *Strabo*, & ex eis *Ortelius* in ſua veteri Hiſpania, aliique Authores ex incendio Pyrinei montis, quod tantum fuit vt venæ ipſæ argenti, aurique liquefactæ confluxerint, Phœnices adduxiſſe probabilius exiſtimant. Ad hęc ſi Straboni credimus, Turditanos, qui Bæticam olim incolebat prouinciã præſepibus argenteis (vel vt *Cauſabono* placet lacunaribus)

cunaribus) & argenteis doliis vſos fuiſſe annotatum eſt. Idem *Strabo* refert fuiſſe apud nouam Carthaginem, vulgò *Cartagena*, fodinam argenteam ita diuitis, & exuberantis venæ, vt populo Romano in ſingulos dies viginti quinque millia drachmarum penderet, hoc eſt, vltra tres mille vncias (noſtra computatione, *Cada dia tres mil reales de à ocho.*) Et Plinius ex aliorum fide refert Aſturiam, Gallæciam, & Luſitaniam præſtitiſſe annis ſingulis vicena millia pondo, hoc eſt, libras argenti, quæ efficiût in noſtra computatione, *Quarenta mil marcos de plata.* Idem quoque memorat Annibali in Hiſpania ſolùm vnum puteum, ſeu argenti fodinam, nomine *Bebelo*, miniſtraſſe in ſingulos dies trecenta pondo, hoc eſt, libras argenti, id eſt, *Seiſcientes marcos.*

18 Quam immenſam argenti vim Romano populo, & Carthaginenſibus ex Hiſpania prouenientem non leuiter Scriptura inſinuat cùm 1. *Machabæor.* 8. victorias Romanorum recenſens, inquit audiuiſſe inter alia Iudam Machabæum quanta Romani feciſſent in regione Hiſpaniæ; & quod in poteſtatem redegerunt metalla auri, & argenti, quæ illic ſunt. Quæ verba mirificè concinunt cum incredibili illa diuitiarum magnitudine quam profani Authores de Hiſpania narrant. Multoque abundantius aureas iſtas venas, & argenteas ebulliiſſe credendum eſt tempore Phœniciæ nauigationis, quæ & Salomonis fuit, cum primum metalla iſta ſcaturire viſa ſunt, vnde non immeritò dictum eſt à Scriptura, argentum illis temporibus nullius pretij fuiſſe, quia claſſis Regis ibat in Tharſis, & afferebat inde aurum, & argentum. Quomodo enim argentum reputaretur illo tempore cum de ipſis Phœnicibus narret *Ariſtoteles*, & *Diodorus*, & *Strabo* adeò argenti pondere oneraſſe naues, vt etiam anchoras ex argento conflauerint? Mirificè ergo abundantiam auri, & argenti Hiſpanici cum illius temporis nauigationibus correſpondere cõſtat. Sed & gemmæ illæ, quæ ex hac nauigatione dicuntur allatæ, & nomen ipſum *Tharſis* retinuerunt apud Hebræos, planè cum gemmis Hiſpanicis, quas *Turqueſas* vocant, & quarum Hiſpania ſatis eſt ferax, omninò conueniunt, nam *Tharſis* dicuntur lapides illi, qui Cæruleum referunt colorẽ, & maris ſimilitudinem, vt ex *Hieronymo epiſt.* 55. vidimus, & ſuper c. 1. *Ezechielis*, ad illa verba: *Et aſpectus rotarum, & opus earum quaſi viſio maris*, quod *Septuaginta* habent, *Quaſi ſpecies Tharſis*, pro Aquila *Hyacinthum* poſuit, inquit Hieronymus. *Qui lapis Cæli habet ſimilitudinem.* Color ergo cœruleus, ſiue quaſi maris, aut Cæli, apprimè conuenit gemmis iſtis Hiſpaniæ, quæ illo tempore tanto erant in pretio, vt manus, digitoſque Salomonis ornarent. Qua ratione ad litteram intelligi poteſt illud Canticor. 5. *Manus eius tornatiles aureæ plenæ Hyacinthis*, ſeu vt alia littera habet, *plenæ Tharſis*, id eſt, lapidibus cœruleum colorem referentibus ex quibus annuli digitis Salomonis inſerebantur. Quantum autem gemmis iſtis Hiſpania abundauerit, referunt nobiles Authores, qui circa *Zamoram* huiuſmodi lapides procreari dicunt, in tantùm quod ad illorum copiam lingua Arabicum, ciuitas Zamorenſis ſit appellata *Ciudad de las Turqueſas*, vt refert *Puente lib. 3. cap. 3.*

19 Sed inſtat aliquis, aut fortaſſe inſultat deridẽdo. Eſto tanta fuerit in Hiſpania auri, & argenti abundantia; Demus etiam & gemmas. Sed vnde Elephantorum dentes? Vnde Simiæ, & Pauones? Quos expreſsè Scriptura è Tharſis claſſem Salomonis aduexiſſe affirmat? Nunquid etiam Elephantes in Hiſpania procreatos dicemus, vt ab illis dentes reuellerẽt Salomonicæ claſſis negotiatores? Aut vbinã ſimias in Hiſpania naſci cognouimus, etſi aliũde allatas conſeruari dubium nõ ſit? Minus de Pauonibus vrget argumentum, nam hos Hiſpaniæ Regio non omnino abhorret, & ſi paucos, & pro raritate producat.

Cæterum dentes ibi Elephantorum plus timoris inferunt, quam vulneris, & eburnea iſta tela magis ſunt ponderoſa quàm fortia. Reſpondeo igitur potuiſſe Elephantorum dentes ex Hiſpania deferri, ſed non in Hiſpania naſci, ſed ex Africa per fretũ Gaditanũ ad Tarteſſum totius Hiſpaniæ, Africæque Emporiũ deferri. An non modo in hac noſtra ætate ex Hiſpania dẽtes iſtos, & ebur in magna copia ad alias regiones deferri videmus, non quia in Hiſpania Elephantes naſcantur, ſed quia aliunde eorum dentes in Hiſpaniam aduehuntur. Quidni? Ergo idem in antiquiſſima illa Tarteſſo contigiſſe dubitamus? Si quæras vnde & qua nauigatione in Tarteſſum deferebantur? Reſponſio eſt in promptu. Contigua eſt Hiſpania ipſi Africæ ſolo freto Herculeo, quod vix quinque milliaria in latitudine habet diſterminata: ipſa etiam Africæ maritima in illo tractu Hiſpania Tingitana, ſeu Hiſpania transfretum ab antiquis dicebatur. Africam autem abundare Elephantis, non tã antiquorum Authorum teſtimonio, quam oculari noſtræ ætatis experimento comprobatur. Quin & Plato in Atlanticæ inſulæ deſcriptione, quam ipſi Gaditano freto obiectam fuiſſe narrat, multitudinem Elephantorum agnoſcit, cuius inſulæ ad Hiſpaniæ iam propinquitas niſi fabulam redoleret, non paruã ad nos horum animalium mercaturam tranſmitteret. Sed non opus eſt inſulæ huius ſtabilitatem fundare, cum ex ipſa Africa præſto nobis Elephantorum apparatus ſuppeditari poſſit, vt dictum eſt. 20

Ex hac autem Tharſis deriuatione in Hiſpaniam, ad eorum Reges, opulentiamque non inſuauiter propheticã cantilenam deducit Goropius, cum in Pſ. 71. legimus *Reges Tharſis, & inſulæ munera offerent*, quod vtique de Regibus Occidentalis Hiſpaniæ non abſurdè intelligendum videtur, tum propter ea quæ de Tharſis hucuſque dicta ſunt, quæ apprimè Hiſpaniæ noſtræ conueniunt: tum propter Scripturæ phraſim, quæ nomine *Inſularũ* eas regiones intelligere ſolet, ad quas non niſi nauigatione vſquequaque perueniri poterat ex Paleſtina, qualis maximè Hiſpania noſtra eſt. Quæ Pſalmiſtæ interpretatio Doctis quibuſque huius tẽporis nõ diſplicet. Addo & illud Pſal. 44. vaticiniũ: *Et filiæ Tyri in munerib. vultũ tuũ deprecabuntur omnes diuites plebis*, de Hiſpania intelligi poſſe. Quod non ineptè quidam ex eo affirmant, quia per *Filias Tyri*, nullæ meliùs accipiũtur in phraſi Scripturæ, quã vrbes illæ, ſeu Coloniæ, quæ à Tyriis fundabãtur, & quaſi ex eis originẽ ducentes nominæ *Filiarũ Tyri* videntur gaudere. Plurimas autem à Tyriis, ſeu Phœnicibus in Hiſpaniam deductas Colonias cùm nauigationibus ſuis regionem ipſam frequentarent, manifeſtum eſt, & paſſim ex Authoribus, & Hiſtoriographis habetur. 21

Maior certaminis pondus in Ophirina regione attingenda, & enauiganda nobis reſtat, quam Hiſpaniæ noſtræ pauciſſimi ſunt qui adſcribant, ſed ſunt tamen. Et quidem pro principali noſtræ controuerſiæ ſcopo, & Salomonis diuitiis ſufficiebant, quæ pro explicatione regionis Tharſis hucuſque allata ſunt, cum totam rationem nume- 22

to ſiſſimi illius auri, argentique ponderis quod in tantum excreuit, vt argentum nullius eſſet pretij in illis diebus, ad Tharſicam nauigationem Scriptura referat, non ad Ophirinam, vt ex ipſis verbis ſacri Textus expreſsè deducitur: *Non erat* (inquit) *argentum in pretio in diebus illis, quia claſſis Regis ibat in Tharſis, & afferebat inde aurum, & argentum.* 3. Reg. 9. Si ergo, vt probatum eſt, Tharſis illud, quo Salomonica claſſis nauigabat, fuit Hiſpania, & celeberrimum illorum temporum emporium *Tarteſſus*, manifeſtè ducitur maximam diuitiarum Salomonis amplitudinem, & affluentiam ex Hiſpaniæ fontibus ſcaturiiſſe, ſiquidem Tharſica illa, ſeu Hiſpanica nauigatio in cauſa fuit vt tanta vis excreſceret argenti, quod quaſi nullius pretij reputaretur. Sed tamen maius hic addetur pondus ſi euincere poterimus, aut quoquo modo declarare regionem Ophir in Hiſpania fuiſſe illo loco quo Flauius Dexter deſignat, ſcilicet in ora maritima Bracharenſi, ſeu Gallæciæ. Nec me quidquam mouet Ophir communiter videri Orientalibus, ſeu Indicis regionibus attribui, valdèque nouum videri, illam in Occidentalem Hiſpaniæ prouinciam transferre. Hoc (inquam) parum mouet, nec mouere debet quemquam, qui vel modicè aduertat quanta inter Authores circa huius regionis deſignationem verſatur controuerſia, aliis in Orientali India, aliis in Occidentali America, ſeu Peruana regione, aliis in Meridionali Africa eam adſcribentibus. Quidni ergo huic opinionum diſſenſioni repugnabit, & aliam inducere opinionem, quæ in Occidentali Europæ regione, ſcilicet in vltima Hiſpaniæ ora eam aſſignet? Non ergo nouum cenſeri debet extra Orientem collocare Ophirinā regionem, etſi nouū ſit Hiſpaniæ eam attribuere.

23 Vt autem difficillimum totius huius explicationis obicem primo agmine aggrediamur, illud eſt, quod in hac parte omnes deterret, omniumque iter videtur obſtruere, quod in ipſo Scripturæ textu deſignatur portus vnde claſſis Salomonis ſoluebat in Ophir, ex quo minimè in Hiſpaniam patere poteſt nauigatio. Claſſis enim Salomonis ſoluebat ex portu, qui erat in littore maris Rubri, ex quo ad Hiſpaniam minime poteſt nauigari, niſi tota Africa circumacta, & mari Oceano emenſo. Sic enim habet ſacer textus 3. Reg. 9. *Claſſem quoque fecit Rex Salomon in Aſiongaber, quæ eſt iuxta Ailath in littore maris Rubri in terra Idumea. Qui cum veniſſent in Ophir, ſumptum inde aurum quadringentorum viginti talentorum detulerunt ad Salomonem.* Idemque repetit Scriptura 2. Paralip. 8. Quæ difficultas, ſi eandem ponamus fuiſſe nauigationem in Tharſis, & in Ophir, æquè viget opinionem ſuprà à nobis ſtabilitam, quod Tharſis in Hiſpania ſita ſit. Si enim vnica illa nauigatio fuit, vtique ex eodem portu ſoluebatur, qui erat *Aſiongaber in littore maris Rubri*, ex quo in Hiſpaniam traiectio nauium inſolita prorſus, & impoſſibilis illis temporibus fuiſſe videtur, immò & omninò ſuperflua, cum ex portubus Palæſtinæ per Mediterraneum facilis, & tuta omnino nauigatio in Hiſpaniam pateret.

24 Sunt qui difficultatis huius pondus eleuari exiſtimant aſſerendo facillimam, & frequentiſſimam fuiſſe nauigationem à mari Rubro in fretum Gaditanum, & Hiſpaniæ portus, ſicut nunc videmus cùm quotannis ex Hiſpania naues ſoluentes totius Oceani vaſtitate emenſa ad Rubrum, & Indicum mare, & vltrà, vela protendunt. Sed infida, ac parum tuta aura nauigat hæc opinio, immò contradictionis naufragium incurrunt, qui eam ſuſtinent, cum fateantur ipſius freti Gaditani nauigationem, & tranſmiſſionem columnarum Herculis fuiſſe olim tam intentatam, & infrequentem quàm periculoſam. Si ergo tam infrequens, & periculoſa fuit Gaditani freti tranſmiſſio, quomodo frequens eſſe poterat nauigatio è mari Rubro in Gades, & præſertim à Phœnicibus, cum neceſſariò Herculeas columnas, totiuſque Gaditani freti pelagus deberent tranſmittere. Hoc autem ſic affirmari ab his Authoribus videri poteſt in doctiſſimo *P. Pineda lib. 4. de reb. Salom. cap. 6. n. 4.* Vbi freti Gaditani nauigationem fuiſſe olim infrequentem, & periculoſam affirmat. Et *cap. 15. obiectione 3. n. 2. & 3.* minus frequentes dicit fuiſſe nauigationes per Mediterraneum vltra fretum Herculeum. Cum qua aſſertione neſcio quomodo cohæreat quod *cap. 8. n. 5.* rurſum affirmat frequentiſſimum, & vſitatiſſimum fuiſſe apud Tyrios, & Phœnices, vt è mari Rubro ſoluentes nauigarent ad Gades, rurſuſque Gaditanam nauigationem frequentatam fuiſſe ad mare Rubrum commercij gratia cum Phœnicibus. Sed ab his contradictionis fluctibus, immò & ſyrtibus quomodo peritiſſimus noſter Palinurus nauem expediat otioſus ero ſpectator, potiùs quàm inſecutor.

Alia ergo tutiori via Authores alij diſcurrunt 25
exiſtimantes duplicem fuiſſe Salomonis claſſem, bipartitamque nauigationem: aliam quæ ex mari Rubro, & portu Aſiongaber in Ophirinam regionem vela tenderet, aliam quæ ex mari Mediterraneo in Tharſis, ſeu Hiſpaniam curſum dirigeret. Quæ nauigationis, claſſiſque duplicatio nullum ex Scriptura videtur fundamentū trahere, niſi quod ex locorum poſitione poſſumus ſuſpicari, cùm portus ex quo claſſis ſoluebat in Ophir, in ipſo maris Rubri littore deſignetur, ex quo in Mediterraneum pelagus nauigatio patere non poteſt, cum tamen Tharſis in ipſo Mediterraneo mari ſecundum communiorem opinionem deſignetur.

Cæterum cum Scriptura adeò intentè magni- 26
ficentiam Salomonis nobis indicare curauerit, portumque vnde claſſis ſoluebat, & quò etiam tendebat tam exactè deſcripſerit, mirum eſt cur duas illas claſſes tacuerit, & vnius tantùm perpetuò meminerit. Rurſus clarè apparet Scripturam eidem claſſi, & nauigationi attribuere, tam Ophir, quàm Tharſis; ruit ergo totum fundamentum diuidendi iſtas nauigationes, & claſſes, ſi propter hoc ſolùm duplicantur, vt vna nauigaret in Ophir ad Orientem, alia in Tharſis ad Occidentem. Hoc autem ex ipſis Scripturæ verbis manifeſtum eſt. Nam in primis Hiram Regem Tyriorum coniunxiſſe claſſem, & naues ſuas cum nauibus Salomonis vt irent in Ophir, & in Tharſis, habetur 2. Paralipom. 8. *Abiit* (inquit) *Salomon in Aſiongaber, &c. Miſit autem Hiram per manus ſeruorum ſuorum naues, & nautas, & abierunt cum ſeruis Salomonis in Ophir.* Vbi non ſolùm dicitur miſiſſe naues, & nautas, ſed & ſimul cum ſeruis Salomonis nauigaſſe in Ophir. Erat ergo vna claſſis, & nauigatio ex nauibus Salomonis, & Hiram. Et de eadem claſſe Regis Tyrij, tanquam de vna, & eadem cum claſſe Salomonis, dicitur 3. Reg. 10. *Claſſis Hiram, quæ portabat aurum de Ophir, attulit ex Ophir ligna thyina multa nimis, fecitque Rex de lignis thyinis fulcra domus Domini.* Rurſus eadem claſſis, quæ nauigabat in Ophir, dicitur nauigaſſe in Tharſis ſemel in annis tribus 2. *Paralip.* 9. & 3. *Reg.* 10. Et eodem modo loquitur Scriptu-

ta de claſſe facta à Ioſaphat in eodem portu, quo Salomonis claſſis extructa eſt, ſcilicet in *Aſiongaber*, & in vno loco, ſcilicet 3. *Reg.* 22. dicitur feciſſe Ioſaphat claſſem vt nauigaret in Ophir, & in alio ſcilicet, 2. *Paralip.* 20. dicitur feciſſe eam vt nauigaret in Tharſis. *Particeps* (inquit) *fuit vt facerent naues, quæ irent in Tharſis, feceruntq; claſſem in Aſiongaber.* Et infrà: *Contritaque ſunt naues, nec potuerunt ire in Tharſis.* Si ergo ex Aſiongaber nauigabatur in Tharſis, & in Ophir, ceſſat totum fundamentum diuidendi iſtas nauigationes, & claſſes ex eo quod vna nauigabat per Mediterraneum in Occidentem, alia per Arabicum ſinum, ſeu mare Rubrum in Oceanum Indicum, ſiquidem ex eodem portu, id eſt, *Aſiongaber*, ibant naues ſiue in Tharſis, ſiue in Ophir.

27 Reſtat ergo vnum ex duobus, aut ſi aſſerimus portum Aſiongaber eſſe in littore maris Rubri, quod eſt Arabicus ſinus, nauigaſſe claſſẽ Salomonis primò in Ophir, ſiue illud ſit in Indico tractu, ſiue ad Meridionalem Africæ partem, indeque vaſtiſſimo Oceano emenſo nauigaſſe in Tharſis, quod diximus pertinuiſſe ad Occidentalem partem Hiſpaniæ: vel vrbem illam, & portum Aſiongaber pertinuiſſe ad littus maris Mediterranei in Idumæa inferiori, indeque nauigaſſe claſſem Salomonis per totum Mediterraneum mare in Hiſpaniam quæ eſt Tharſis, & Ophir; Tharſis quidem in Bætica prouincia vbi fuit *Tarteſſus*, Ophir verò iuxta Bracharam, & Gallæciã vbi Flauius Dexter affirmat fuiſſe terram *Ophir*. Illud primum fieri potuiſſe, ſentit *Pineda* vbi ſuprà *c.6.* Hoc ſecundum de ſitu, & loco portus Aſiongaber defendit *Goropius*, eumque ſequitur *Viuar* annotationibus in Flauium Dextrum ad ann. 66. Chriſti. Et primò faciunt coniecturæ ad hoc etiuadendum non cõtemnendæ, neque inefficaces. In primis congruit regio ipſa Bracharenſis, ſeu Gallæciæ auri feraciſſima præſertim illo tempore, cuius illuſtre teſtimonium habemus apud Trogum Pompeium lib. 44. vt in eius Epitome refert Iuſtinus, cuius verba ſunt: *Gallacia portio Amphilochi dicuntur. Regio cum æris, ac plumbi vberrima, tum & minio, quod etiam vicino flumini nomen dedit. Auro quoque ditiſſima, adeo vt etiam frequenter aratro glebas aureas excindant. In huius gentis finibus ſacer mons eſt quem ferro violare, nefas habetur. Sed ſi quãdo fulgure terra prociſſa eſt, quæ in his locis aſſidua res eſt, detectum aurum velut Dei munus colligere permittitur.* Hucvſque Trogus. Quod ſi tanta fuit in Gallæciana regione auri vis, eique nomen Ophir conuenit, vt Flauius affirmat, quorſum putabimus nauigationem in vaſtiſſimum Oceanum, vix nunc credibilem, cùm temporibus iſtis beneficio acus nauticæ tota Oceani immenſitas nauigatur, tunc autem Salomonis temporibus prorſus ignotam, ad inquirendas Indicas, vel Peruanas opes commiſiſſe, relicta illa auri copia in Hiſpania, commodiori nauigatione exportabili, & expugnabili.

28 Ad hæc Rex Tyri Hiram dicitur miſiſſe ad Regem Salomonem naues, & nautas gnaros maris eo ipſo tempore, quo Salomon abiit in Aſiongaber ad parandã claſſem. Sic enim habetur 2. Paralipom. 8. *Tunc abiit Salomon in Aſiongaber, & in Ailath ad oram maris Rubri, quæ eſt in terra Edom: miſit autem ei Hiram per manus ſeruorum ſuorum naues, & nautas gnaros maris. & abierunt cum ſeruis Salomonis in Ophir.* Si ergo ex Aſiongaber, quæ erat in Arabico ſinu ſoluebat claſſis iſta, quomodo illuc Rex Tyri mittere potuit naues? Siquidem Tyrus in extremo Mediterranei maris ſita, non poterat naues tranſmittere in oram ſinus Arabici interiacente terra, quæ mare illud Arabicum à Mediterraneo diuidit. Ergo ſi naues à Tyro miſſæ ſunt Salomoni in Aſiongaber, vtique portus iſte non in ſinu Arabico, ſed in Mediterraneo mari erat. Niſi fortè dicamus Hiram non miſiſſe naues ex Tyro, ſed miſiſſe viros in portum illum maris Rubri, qui naues ibi conſtruerent, eaſque Salomoni Regis ſui nomine offerrent. Quæ quidem interpretatio omninò reuinci non poteſt niſi quod vim facere videtur ſimplici ſcripturæ narrationi, quæ miſiſſe d[...]r Salomoni naues, quod non ita propriè dicitur ſi ſolum miſit viros qui fabricarent naues in Aſiongaber. Præſertim quia credibile non eſt, quod ſi miſit viros, qui naues ipſas fabricarent eo loco in quo Salomon erat, quod naues illæ vſui Salomonis ſeruituræ, expenſis Hiram fabricarentur, ſed ipſiuſmet Salomonis, atque adeò non verificatur miſiſſe naues, ſed ſolum nauium artifices, ſicut nõ poteſt dici quod Hiram miſit Salomoni lapides, & ornamenta templi, quia miſit artifices, qui ea fabricarunt, vt habetur 2. *Paralipom.* 2.

Præterea terra Edom nequaquam attingit mare Rubrum, quod eſt ſinus Arabicus, attingit autem ex parte Occidentali ipſa Idumæa littus maris Mediterranei, vt videre eſt in tabulis Geographicis. 29
Conuenientius ergo ibi ponitur Aſiongaber, quàm in ſinu Arabico. Denique (quod in practicis, & moralibus non leue pondus habet) Aſiongaber illud, quod dicitur eſſe in mari Rubro Arabici ſinus nimis longè diſtabat ab Ieruſalem, & aſpero, atque inculto itinere diſterminabatur, interiacent enim mõtes, ac ſolitudines vaſtiſſimæ, & regio horrida, quam in illis quadraginta duabus manſionibus filij Iſraël perambulauerunt. Quod vtique magnum erat impedimentum commercio tam frequenti, quale claſſis illius apparatus poſtulabat, & ad tantã vim mercium, & auri copiam ex portu illo deducendam, quantam Scriptura narrat claſſem illam inueniſſe, in tantum quod Rex ipſe Salomon apparatui claſſis vrgendo dicitur in Aſiongaber eſſe profectum. Non autem facilè putarim Regem tam delicioſum, & magnificum, tam horridam eremum, & ſolitudinis incommoda, tamque longum iter pro paranda claſſe aſſumpſiſſe, atque extra propriũ Regnum, & in portu ita diſtanti, & alieno Regi ſubiecto, ad quem non facilis patebat tranſitus, tantas opes, & claſſem quaſi euidenti periculo expoſuiſſe. Quis enim non timeret Regem, qui terræ illi circa mare Rubrum dominabatur, in illas irruiturum opes, aurumque expilaturum, præſertim cum à tanta diſtantia, qualis eſt à Ieruſalem in littus illud maris rubri vix ſuccurri poſſet, & armari militia ad defendendum.

Hæc omnia ſine dubio probabilem reddunt opinionem, quæ Aſiongaber non in ipſo ſinu Arabico, 30
ſed in mari Mediterraneo ſitam docet, illam (inquam) in quam Salomon abiit, & cui claſſes, opeſque ſuas, & commercia omnia commiſit, & in quã Rex Tyri naues miſit Salomoni, quæ cum ſuis nauigarent. nam aliam fuiſſe Aſiongaber, quæ inter manſiones filiorum Iſraël trigeſima ſecunda ponitur, *Num.* 33. non abnuo. Et mihi non leuis ſuſpicio mentem ſubit, *Aſiongaber* nomen eſſe appellatiuum, non proprium, applicarique Hebræorum more non vni tantum vrbi, aut portui, ſed diuerſis, vbi ſimilis inuenitur ſignificatio. Significat autem Aſiongaber iuxta interpretationem *S. Hieronymi* de locis Hebraïcis *Lignationes viri*; vbicumque ergo inueniretur portus cædendis lignis accommodatus, ſiluiſque denſioribus ferax, illum nomine *Aſiongaber*

gaber deſignari poſſe non dubito. Et talis fortaſſe erat portus aliquis circa Aſcalonem, vel caſtra Gabriæ in littore Mediterraneo, vbi ſiluas, & nemora lignorum non mediocria excreuiſſe Authores non deſunt, qui referãt. De quo videri poteſt *Pineda* vbi ſuprà, agens contra *Goropium*, qui acriter defendit Aſiongaber in littore Mediterraneo fuiſſe, cumque ſequitur *Villar* ſuper locũ Flauij Dextri, ſupra citatũ.

31 Sed quomodo, inquies, ſaluari poteſt verbum Scripturæ deſignatis locũ ipſum Aſiongaber in littore maris Rubri? Quomodo ergo in Mediterraneo mari illud ponimus, quod à mari Rubro diſtinctum, nemo eſt qui ignoret? Ad hoc facilis eſt reſponſio. Mare Rubrum in Scriptura, non pro ſolo illo mari quod vulgo *Rubrũ* dicitur, & eſt Arabicus ſinus, ſed etiam pro alio mari ſolet ſumi, de quo in cap. 1. Deuteronomij extat inſignis locus vbi dicitur, *Locutus eſt Moyſes ad omnẽ Iſrael trans Iordanẽ in ſolitudine cãpeſtri contra mare Rubrum inter Pharan, & Iophel, &c.* Conſtat autem quod in illo loco trans Iordanẽ non habetur ex aduerſo mare Rubrũ, quod eſt ſinus Arabicus, eũ inde longiſſimè diſtet, nec contra illud ſit, ſed quaſi ad latus. Erat ergo tunc Moyſes contra mare mortuum vbi Iordanus abſumitur, & illud vocatur Mare Rubrum. Ratio autem cur nomen Rubris Maris etiam aliis maribus applicatur ea eſt quia Mare Rubrũ in Hebræo dicitur *Mare Suph*, id eſt, *Mare terminatum*, quale etiam eſt Mediterraneum, quod ab Herculeo freto ingrediens in Palæſtinę littoribus terminatur. Vnde & apud Ionam, quem conſtat ex Ioppe nauigaſſe per mare Mediterraneum, inuenimus nominaſſe ipſum mare *Suph*, cum in cap. 2. orat in ventre ceti, & inquit: *Abyſſus vallauit me, pelagus operuit caput meum* Vbi in Hebræo habetur, *Mare Suph operuit caput meum.* Vnde etiã quando dicitur Aſiongaber eſſe in littore maris Suph, nihil prohibet intelligere nomine illo mare Mediterraneum, quod etiã mare terminatum eſt, & *Suph* nominari poteſt. Quod enim intelligit Pineda, Ionam, quando illa verba pronunciauit, non fuiſſe in Mari Mediterraneo, ſed belluam in cuius ventre orabat perniciſſimo decurſu totum Mediterraneum, & Oceanum Africum circumiiſſe, & ad mare Rubrum Arabici ſinus, quod frequens Balenarum eſt, peruëniſſe, ibique oraſſe Ionam cum dixit; *Mare Suph operuit caput meum*, omnino fabuloſum redolet commentum. Quis enim credet ſpatium illud maris, tam Mediterranei, quam Oceani, quod nunc naues Indicæ etiam fœcundiſſimo vento flante vix quatuor mẽſibus enauigant, balænam Ionæ tribus diebus, & tribus noctibus enataſſe, vt à Mediterraneo per Oceanum per quatuor ferè millia leucarum deueniret in Arabicum ſinum? Ergo facilius dicendum eſt nomine *Maris Suph* etiam Mediterraneum intelligi, per quod nauigabat Ionas.

Habemus ergo ex dictis ſupremam difficultatem debellatam, & ſtratã viam ad aſſerendum ex Aſiongaber, qui erat portus aliquis maris Mediterranei denſioribus ſiluis veſtitus, & vocatur *Aſiongaber*, id eſt, *Lignationes viri*, ad oram maris Suph terminati, Salomonis claſſem enauigaſſe tam in Tharſis, quàm in Ophir. Vnde non improbabile redditur quod ſicut Tharſis erat Occidentalis portus, & in ipſo Hiſpaniæ Bæticæ littore inſignis, ita Ophir in Hiſpania fuerit apud Bracharenſem, ſeu Gallæcianam regionem, quæ *Ophir* dicta eſt ex nepotibus Ophir illic appulſis, vt Flauius Dexter affirmat. Vnde manifeſtum relinquitur tantam auri vim, quæ vſque ad miraculum Salomoni ex claſſibus proueniebat, Hiſpanica fuiſſe metalla, ſubminiſtraſſeque Hiſpaniam noſtram magnificentiam illam, & opulentiam, qua nullus Rex terrarum, aut glorioſior inueniri potuit, aut ſublimior. 32

QVÆSTIO IV. MORALIS.

An Eccleſiaſticum Collegium cenſeatur extinctum, & ad Secularem Principem redire per defectum omnium, qui de Collegio ſunt.

1 NIHIL prorſus errauit, qui Eccleſiaſticas Congregationes, & ſpirituales Conuentus non tantum quaſdam Paradiſi emiſſiones, aut florentia prata, & hortorum Dei delicias, ſed & cæleſtium Aſtrorum ſpeciem quandam, & veluti coronam multiplici radiorum denſitate certantem affirmare contenderit. *Quam pulchra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Iſrael* (dixit Præſagus ille, & malè ſibi conſcius Vates Balaam, Num. 24.) *vt vallis nemoroſa, vt horti iuxta fluuios irrigui, vt tabernacula, quæ fixit Dominus, quaſi Cedri propè aquas.* Et erat carnalis adhuc ille Iſraël, & duræ ceruicis populus, temporibus intentus, vacans ſæcularibus. Cuius tamen tentoria, & diſpoſitiones caſtrorum, & vniuerſa opera, ac miniſteria, quia Dei regebantur conſilio, & ordine, ſic admirabilia viſa ſunt, ac decoris plena, vt etiam ſuperbientem, ac reluctantem animum Prophetæ in ſui rapuerint admirationem, & laudem, nec aliquid floridioris amœnitatis prætermiſſum ſit, cui tam pulchræ diſpoſitionis ordinem non aſſimilauerit. Quid ſi daretur Chriſti Eccleſias, & ſpirituales Cætus aſpicere, & choros illos caſtrorum ſpiritualibus nequitiis formidabiles, & mentes illas, quarum conuerſatio quotidiana in Cœlis eſt, propriis oculis intueri? Nonnè pluſquam terrenæ amænitatis paradiſum, aut inſignos hortos, & floridiſſima vireta congregationes huiuſmodi cenſeret, aſtriſque fulgentiſſimis compararet, quas ſuper ipſa ſydera anhelanti deſiderio conſpiceret ambulantes? Et quidem inter omnia viſibilia opera Dei, ſupremum obtinere locum illuſtre illud Firmamentum, quod ſtellis innumeris condecoratum ex alto, ac ſummo totius vniuerſi vertice refulget, nemo eſt qui poſſit ignorare. *Altitudinis firmamentum* (inquit Sapiens Eccleſiaſt. 43.) *pulchritudo eius eſt ſpecies cœli in viſione gloriæ.* Quid enim firmamento illo pulchrius, quid globoſa illa Chriſtallo ſpecioſius excogitari poteſt, cum Cœlum ſerena nocte ſuſpicimus, illoſque ſcintillantes oculos identidem contemplamur, & admiramur? Quandam etenim vitæ ſimilitudinem

dinem in ſeipſis referunt, dum præter vniformem, & menſuratiſſimum vaſtæ illius rotationis motum, etiam perpetua quadam micatione perennes excubiarum vigilias obſeruare ſe demonſtrant. Vnde non defuerunt olim, qui gyrum ſtellarum Deos eſſe putauerunt, vt dicitur *Sapientiæ* 13. Quaſi quendam luminoſæ coronæ verticem, & ſplendorem Diuinitatis inſigne exiſtimantes. Et vt colligitur ex *cap.* 17. *Deuteron.* Amorrhæi etiam ante tempora Abrahæ, Solem, & Lunam, & vniuerſam Cœli militiam adorauere; eamque abominationem longo poſt tempore Manaſſes Rex Iuda cum ingenti ſcandalo totius populi legitur in Hieruſalem induxiſſe, dum in ipſa ſancta ciuitate extruxit altaria in duobus atriis Templi Domini, Soli, & Lunæ, & duodecim ſignis, omnique militiæ Cœli, vt dicitur 4. *Reg.* 21. Quin & Plato Philoſophus ac ſapientiſſimi quique Romanorum, ipſique etiam Phariſæi Iudæorum Doctiſſimi, Cœli ſydera Diuinis mentibus animari putantes, iiſdem Hæbraica nomina indiderunt, eadémque coluerunt, & Angelos eſſe putauerunt. Quin & de pluribus mortalium in ſydera relatis plenæ ſunt Ethnicorum fabulæ, & monumenta. Quibus omnibus erroribus pulchritudo ſyderum materia, & occaſio fuit, etſi non ſine grandi errantium culpa, quippe quos animo, & mente vlterius tendere, illiuſque potentiam, & magnitudinem agnoſcere oportebat, *Qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat.*

2 Sed tamen etſi mutatos in ſydera mortales, Ethnicorum figmenta delirent, eiſdem tamen iuſtos rectiſſimè comparatos Catholica veritas agnoſcit. Vnde Simon Oniæ filius: *Quaſi Stella matutina in medio nebulæ* commendatur, & *Qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi Stellæ in perpetuas æternitates* futuri dicuntur; nec ſemel *S. Gregorius* in Libris Moralium Apoſtolos, & iuſtos Stellis deſignari ſignificat, ipſi enim fœlici ſydere nati, ſua fata factis anteuerterunt, & ſuperant, veréque Sapientes effecti ea ſapientia, quæ de ſurſum eſt, aſtris non immerito dominantur. Nec minùs ad rem hanc pertinet, eamque maximè illuſtrat magnum illud ſignum, quod in Cœlo apparuiſſe Sanctus Ioannes teſtatur; *Mulier* (inquit Apocalyp. 12.) *amicta Sole, & Luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona Stellarum duodecim.* Magnum reuera ſignum tam fragilem naturam inter tot ardentia lumina non conſumi. Sed quid miramur ſi Angelorum Reginam ſydera coronant? Si Creatoris genitrici altiores, ſplendidioreſque creaturæ deſeruiunt? Si Dominæ ſuæ Stellæ duodecim ancillantur? Mirari potius debemus quod illa, quæ pulchra eſt vt Luna, electa vt Sol, Stellarum pulchritudine capta *Maris Stella* nominari vehementer delectetur: ſed longe mirabilius quod eiuſdem Virginis filius, qui ſaluatorem mundi proteſtatus eſt, cuius facies inter Prophetarum, & Apoſtolorum vertices reſplenduit ſicut Sol, iam nunc excelſior Cœlis factus, etiam *Stellam* ſe gratulabunda voce nominet & glorietur. *Ego* (inquit) *ſum radix, & genus Dauid, Stella ſplendida, & matutina.* Quidni ergo magnæ Dignitatis eſſe dicamus, iuſtorum animas Stellis comparari, quarum nomen, & titulum Sol ipſe iuſtitiæ non aſpernatur, nec deſpicit? Sed quaſi Stella matutina Oriens ex alto per Eclypticam, & ſignum Virginis, ad nos vſque decurrit, ſicut olim fuerat de ea Prophetatum. *Orietur Stella ex Iacob, & conſurget virga de Iſrael.* Num. 19.

3 Si ergo quælibet anima hominis iuſtè viuentis aſtro comparatur, ſi quilibet ad iuſtitiam erudiens multos, quaſi Stellæ in perpetuas æternitates radiaturus promittitur, longe rectius ipſas iuſtorum fideliumque, & Eccleſiæ congregationes aſtra nuncupabimus, vt quemadmodum duo, vel tres, imò plures in Chriſti nomine congregati cor vnum, & animam vnam in lumine charitatis conſtituunt, ſic & aſtrum vnum veluti in vnam facem pluribus luminaribus coaleſcentibus rectiſſimè poſſunt appellari, & ſicut Stella differt à Stella in claritate, ſic inter eas diuiſiones gratiarum ſunt, idem autem ſpiritus, & diuiſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus, vt non minori circumdata varietate, quam Cœlum ipſum Sancta Mater Eccleſia Stellarum ſuarum numero pariter, & differentia glorietur. Sed quo numero? innumero planè. *Nunquid eſt numerus militum eius*, inquit vnus Sanctorum (Iob 25.) *& ſuper quem non ſurget lumen illius?* Quaſi idem ſit militum aſtrorum numerus, & Stellarum ipſarum multitudo, quas Oriens illud ſuper cœleſte lumen iam ſplendide decorat, & illuſtrat. Sed & olim ad ipſum fidei Patrem Abraham in perſona credentium, & fidelium dictum eſt: *Suſcipe Cœlum, & numera Stellas ſi potes; ſic erit ſemen tuum*, Genes. 19. Quis enim hoc Eccleſiæ Cœlum ſuſpiciens planè non admiretur tot admirabilium Sacerdotum congregationes, tot in negotiis fidei, & morum concilia, tantam Presbyterorum canitiem, tam ſublimem Cathedralium, Collegiatarumque Eccleſiarum authoritatem, & pondus? Quid innumera Religioſorum agmina, & monaſteria ſpiritualibus inſtitutis, & diſciplinis exculta cùm ex ſolo ſancti Benedicti Ordine doceat *Folengius* (refert) in Decretis Pontificum vno eodem tempore ſupra ſeptem & triginta millia Cœnobiorum, quas *Abbatias* vocant, extitiſſe. Qua ratione Beda in homilia de laudibus ſanctæ Scholaſticæ, non immeritò eundem ſanctum Benedictum Caput omnium Monaſteriorum, & omnium Doctorum Monachorum appellauit.

Veruntamen cum tantam hanc Stellarum, & ſyderum Eccleſiæ varietatem, & vt Paulus loquitur tantam hanc impoſitam nobis nubem teſtium contemplor, non immeritò eorum officium, munuſque admiror, quibus proprium eſt adunatis radiis, & ſplendoribus conglomeratis aduerſus hoſtes arma capeſſere, & quaſi multitudinem militiæ cœleſtis ipſi Chriſto, eiuſque fidei exhibere, etiam modo pluſquam duodecim legiones Angelorum. 4
Nonne apud Ieſum filium Sirach Eccleſiaſtic 43. verſ. 9. Scriptum reperimus, Cœlum ipſum vas eſſe caſtrorum in excelſis, in firmamento Cœli reſplendens glorioſè? *De Cœlo dimicatum eſt contra eos* (inquit fortis illa, & inuicta fœmina Debbora Iudicum 5.) *Stellæ manentes in Ordine, & curſu ſuo aduerſus Syſaram pugnauerunt.* O quam fœlici Marte decertant glorioſa iſta ſydera, non exeundo, non ambulando, non terras & maria circumeundo, ſed manentes in Ordine, & curſu ſuo, dum enim Stellæ iſta Ordinem ſuum, curſumque non retinerint, Syſaram vincere impoſſibile eſt. Nec otioſe Diuina lex cum de ſuſtinenda bellorum ratione diſponit, primũ fundamentum, & totius fœlicis euentus fiduciam, in Sacerdotum tubis, & clangore Eccleſiaſtico repoſuit. Num. 10. *Si Exieritis* (inquit) *ad bellum contra hoſtes veſtros, clangent Sacerdotes vlulantibus tubis, & erit recordatio veſtri coram Deo, vt eruamini de manibus inimicorum veſtrorum.* Nec fefellit eos Diuinum promiſſum. Nam *Ioſue* 6. cum populus Dei vrbem Iericho circuiret, & Sacerdotes clangerent

clangerent tubis, mori illicò corruerunt, & ciuitas capta, & deleta fuit. Sic etiam 2. *Paralipomen.* 13. in exercitu Regis Iuda, Sacerdotes tubis canere cæperunt, & percerruit Deus Iſraelitas, & corruerunt ex eis quingenta millia. Et rurſus in eodem libro cap. 20. Cum cantores (inquit) Domini *cœpiſſent laudes canere, & voce conſona dicere, confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in æternum miſericordia eius*, vertit Deus inſidias hoſtium populi ſui, vt in ſeipſos verſi mutuis conciderent vulneribus.

5 Hinc illa præclara Imperatoris Iuſtiniani vox; *Si Sacerdotes*, inquit, *puris manibus pro republica ſupplicent Deo, manifeſtum eſt quod exercitus benè habebunt.* Et de imbecilliori ſexu *S. Gregorius Magnus lib. 6. Regiſtri Epiſt.* 23. ſuo tempore Romæ tria millia monialium fuiſſe dicit: *Quarum*, inquit, *vita talis eſt, atque in tantùm lachrymis, & abſtinentia diſtricta, vt credamus, quia ſi ipſæ non eſſent, nullus noſtrum iam per tot annos in loco hoc ſubſiſtere inter Longobardorum gladios potuiſſet.* At (ô infœlicia tempora, & omnium lachrymarum flumine digna) quid dicemus cum inter Longobardorum gladios gemimus, nec tubas, & clangorem Sacerdotum audimus? Non ſupplicationum frequentiam, non vitam lachrymis, & abſtinentia diſtrictam, non diuitiarum contemptum, non voluptatem calcatam, non ambitionem extinctam: *Væ generationi huic* (exclamat magna illa Bernardi tuba Sermone 33. in cantica) *Væ*, inquam, *generationi huic à fermento Phariſæorum, quod eſt hypocriſis, ſi tamen hypocriſis dici debet, quæ iam latere præ abundantia non valet, & præ impudentia non quærit, ſerpit hodie putida tabes per omne corpus Eccleſiæ, & quo latius, eo deſperatius, eoque periculoſius quo interius. Omnes amici, & omnes inimici, omnes neceſſarij, & omnes aduerſarij, omnes domeſtici, & nulli pacifici, omnes proximi, & omnes, quæ ſua ſunt quærunt. Honorati incedunt de bonis Domini, qui Domino honorem non deferunt. Inde is quem quotidie vides meretricius nitor, hiſtrionicus habitus, Regius apparatus, inde aurum in frænis, in ſellis, in calcaribus, & plus calcaria, quàm altaria fulgent. Inde ſplendida menſa, & cibis, & ſcyphis, inde comeſſationes, & ebrietates, inde cithara, & lyra, & tybia, inde redundantia torcularia, & promptuaria plena eructantia ex hoc in illud, inde dolia pigmentaria, inde referta marſupia.* Huculque exclamatio Bernardi.

6 Proh dolor? quin potius præuidiſſe noſtra hæc tempora, quàm planxiſſe ſua, mihi videtur, cum quotidie de bonis Eccleſiæ tam multos ditari, tam paucos in paupertate ſua ſuſtentari videamus. Vbi nunc frugalitas illa, & modeſtia antiqua in ſupellectili, in ornatu, in menſa, in veſtitu, in famulitio domus, vt pauperes Chriſti, & membra illius fame non tabeſcant? Vbi zelus Eccleſiaſticæ libertatis tuendæ, ne exactionibus, & oneribus grauetur Eccleſia Dei, ne Princeps prouinciarum fiat ſub tributo, cum de patrimonio Crucifixi militaria ſtipendia diſpenſentur, non viduæ, & pupilli, & captiui, & carcerati, & nudi, atque omnino egentes prouideantur? Quid inſatiabilis illa Anglicana cupiditas, & auri ſacra fames, cum in omnia Eccleſiæ bona, monaſteria, Eccleſias, Epiſcopatus, præbendas, ab Henrico VIII. inuolatum eſt: *Cum Sancta in manu extraneorum facta ſunt, & Templum Dei ſicut homo ignobilis, vaſa gloriæ eius captiua abducta ſunt, & omnis compoſitio eius ablata eſt, quæ erat libera, facta eſt ancilla*, 1. Machab. 2. Et cum primùm in Germania reuclarus eſt homo ille peccati, filius perditionis, impiiſſimus Lutherus, tunc planè omnia ſurſum, deorſúmque verti cœperunt, facta ſunt ſigna in Sole, & Luna, & Stellis, & in terris preſſura gentium, verè & adhuc præ confuſione gementium. Nam & Sol veritatis obſcuratus eſt, & Luna verſa eſt in ſanguinem bellantium, & inundauerunt ſuper orbem mala; ipſe etiam draco trahebat poſt ſe blandiente voluptatum cauda tertiam partem Stellarum, hoc eſt, Monachorum, & Clericorum. Ingemuerunt deſolata altaria, planxerunt viduata cœnobia, plorauit omnis Eccleſiæ facies, & lachrymæ eius adhuc in maxillis eius, mutatus eſt color optimus, diſperſi ſunt lapides Sanctuarij in capite omnium platearum, & Sacerdotes ipſi in Babilonem abducti ſunt.

7 Denique infelix Germania, heu quondam fœliciſſima, & abundantia pacis plena, hauſto tot hæreſum veneno in amentiam verſa furere cœpit, ac diffuſo per viſcera malo cruentis enſibus in ſeipſam deſæuiens, vrbes, oppida, cœnobia, vno impetu (ô nunc patriæ infelicis imago!) peruaſit ac detotondit, eos ſpumanti ac rabido vultu precipuè deſignans, quos auitæ Religionis excellentia, vel Monaſtici cultus obſeruantia, Romano Pontifici, Deóque vicinores monſtrauerat. Nec potuit miſeræ nationi vſquam præteritorum pœnitentia ſuaderi, aut remedium efficax reperiri, vbique fugam meditante fortuna, cum ad tanti morbi pertinaciam molliendam præter patientiam nihil ſupereſſe videretur, vt ſuperarit tandem (ex parte ſaltem) perſeuerantiæ, patientiæque modeſtia, frontem duritiæ, & pertinaciæ inſaniam cum recenti Imperatoriæ Maieſtatis edicto decretum eſt pias locorum fundationes, bona, & iura illis Eccleſiaſticis ſtatibus reſtitui debere, quorum ante prædationem violentam fuerant, & in quorum ſteterant poſſeſſione, proſcriptis, & fugatis nouatoribus, ne talibus violentiis, & prædis amplius incumberent.

8 Ecce tibi poſt tam iuſtum edictum, miróque plauſu ab Apoſtolico Cardinalium Senatu, ipſóque Eccleſiarum omnium vertice Romano Pontifice exceptum, orta Quæſtio eſt, & in dubium, ac litem trahi cœptum, quod tanto pondere videbatur ſtabilitum. Iam plus à litteris, & probationibus, quàm à prædonibus imminet timor; plus chartæ, quàm enſes feruent in prædam, armatur diſputatio cum deponitur ferrum, & miteſcente indignationis furore in nouatoribus, creſcit in ſapientibus, & prudentibus ſtudium innouandi iura, & immutandi decreta. Ad vnam Cæſaris vocem conuerſus eſt in vaginam gladius militaris, & ſtetit violentus ille perſequentium, & inſanientium furor; ſed detineri non potuit liberæ mentis ingenium, aut lingua coërceri, quin in dubitationem, moleſtiámque deduceret, quod è tanta bellantium fatigatione, quaſi è naufragio videbatur ereptum. Volant non iam ſpicula, ſed libri, imò, & libelli, expanduntur iura, acuuntur argumenta, rationes vndique conglobantur, & vnum in hoc petitur caput, nempe deſolata ſemel Monaſteria, Eccleſias, Collegia excidiſſe à ſuæ fundationis iure, nec illis reſtituenda, è quorum manibus violenter direpta, & ablata ſunt, ſed liberæ Principum, aut Pontificis diſpoſitioni relinqui, vt quibus velint de nouo applicent prout bono communi vtilius viderint expedire, aut quomodo ipſi facerent ſi de nouo ea fundarent, & extruerent. Hic quæſtionis ſtatus, hic cardo difficultatis præſentis. Cùm hi ex vna parte extincta Cœnobia, aut Collegia ſemel deſolata propugnent, alij inextincta, & prioribus debita poſſeſſoribus defendant.

Quod ergo Collegia, & Conuentus ſic deſolati, 8

aut

aut vi occupati cenſeantur extincti, & ad Pontificem, vel ſæcularem principem eorum bona deuoluantur, vt applicet ea iis, quibus magis placuerit, in primis ex eo videtur deduci, quia Eccleſiæ ſiue ſæculares, ſiue regulares, fundata iura, ac titulos habent, quæ dicuntur Prælaturæ, Præpoſituræ, Prioratus, Adminiſtrationes, officia, dignitates, Canonicatus, beneficia, tum regularia, tum ſæcularia. Horum titulorum, iurium, ac beneficiorum collatio, inſtitutio, ac poſſeſſio per Eccleſiaſticos Prælatos fieri ſolet perſonis idoneis, & qualificatis. His ſingulis mortuis, aut cadentibus, iura ac tituli vacant, & manent in dominio Eccleſiæ particularis cuius tituli ſunt, ita vt aliò transferri non poſſint ſpectato iure communi, ſed intra tempus a Sacris Canonibus præſcriptum, alteri conferuntur, vel collatio, & prouiſio ad Superiorem deuoluitur. Si vero tota Congregatio, Collegium, vel Conuentus penitus ceſſauerit, ſiue ſolutus ſit, tunc conſequenter prælaturæ, adminiſtrationes, officia, & vno verbo, iura, ac tituli extincti ſunt, id eſt, penitus ceſſant, atque adeò non entis nullæ ſunt qualitates, ſed monaſteria, & bona eorum vacantia Romanus Pontifex, & ſæcularis Princeps aſſignare, & donare poſſunt quibus ipſi volunt. Nam iura omnia Pontificia, & Cæſarea, omneſque ſapientes ita ſentiunt quod congregationes iſtæ extinctæ ſint; vnde non iterum reuiuiſcunt, & de iure nemini prorſus ſunt debita eorum bona.

10 Item ſecundo quod bona iſta tanquam verè vacantia, & nemini debita cenſeri debeant, colligitur in primis ex quadam doctrina Bartholi, communiter recepta ab aliis Doctoribus in lege vltima, *num.* 22. *ff. de Collegiis illicitis, & leg. vltima,* §. *ſicut. ff. quod cuiuſque Vniuerſitatis*, &c. Vbi ſic inquit; ſi Collegia ſunt, quæ poſſunt habere bona in communi, & nihil in particulari, vti ſunt Collegia Religioſorum, in iſtis diſſoluto Collegio, remanent bona apud Superiorem, vel cui ipſe conceſſerit. Et ita fuit obſeruatum quando fuit deſtructum Collegium Templariorum per ſummum Pontificem, ſunt enim bona vacantia, & ita debentur fiſco, *leg.* 1. *ff. de iure fiſci.* Eandem doctrinam approbat inter alios *Abbas Panormitanus in cap. recolentes, de ſtatu Monachorum, Petrus Ancharanus in capit. vnico, de religioſis domibus quæſt.* 4. Et alij ſpecifice loquentes de religioſorum Collegiis, ſeu Monaſteriis, quod eis diſſolutis bona, quæ in communi, non particulari poſſidebantur, maneant apud Superiorem, vel cui ipſe commiſerit. Conſtat autem morte, vel promotione omnium eorum, qui ſunt de aliquo Collegio vel Conuentu, talem communitatem; ſeu Collegium omnino eſſe diſſolutum, & extinctum, quia omnia eius membra, ex quibus componebatur, iam non ſunt: Ergo bona, & iura eorum deuoluuntur ad ſuperiorem, ſcilicet Romanum Pontificem, vel ſæcularem Principem, qui fundauit, aut donauit ea, vt de iis pro libito diſponant.

11 Nec poteſt dici quod in ius horum bonorum pro Collegio extincto, ſuccedunt aliæ eiuſdem Ordinis, ſeu qualitatis perſonæ, v.g. ſi ſint religioſi, illi qui eiuſdé profeſſionis, & Ordinis ſunt; ſi Clerici, qui in eodé loco, vel prouincia Clerici ſunt. *Ná contra hoc fortius inſtauratur argumentum.* Quia licet verum ſit, quod vbi bona ſunt communicabilia intra eundé Ordiné, ſeu religioné, etiam ſi extinguatur vnus Conuentus, poſſint à Superiore talis religionis ad alium transferri, ſicut poterant etiam ſi Conuentus non eſſet extinctus, quia bona illa communicabilia erant; tamen vbi bona ſunt diuiſa, & independentia de vno Conuentu ad alium (vt in præſenti ſupponimus) non habet ius in talia bona quilibet alius Conuentus, vel Collegium talis Ordinis, aut Clerici illius loci, nam verè non ſunt, nec aliquando fuerunt membra talis Collegij, nec habuerunt ſucceſſionem in illo: Ergo neque ius, aut titulum habent ad talia bona, imò licet non per mortem naturalem, aut promotionem eſſet extinctum tale Collegium, ſed per vim eſſent mortui, aut ſpoliati, qui in illo viuebant, adhuc aliis Clericis, vel Religioſis eiuſdem Ordinis non poterat competere actio, ſeu interdictum illud poſſeſſionis recuperandæ, & reſtitutionis bonorum, quia interdictum, ſeu remedium poſſeſſorium, vt beneficium reſtitutionis, non datur niſi ſpoliato iniuſtè, aut hæredi, ſeu ſucceſſori talis ſpoliati: *Leg.* 1. §. *deijcitur, &* §. *interdictum, ff. de vi, & vi armata,* §. *non autem, verſiculo de hæredibus, inſtitut. de perpetuis. & temporalibus actionibus.* Atqui reliqui Religioſi, vel Clerici, quatumcumque ad eundem Ordinem, aut Prouinciam, vel ciuitatem pertineant, nunquam fuerunt ſpoliati, & vi deiecti, quia non erant de facto membra illius Collegij, nec ſunt hæredes, aut ſucceſſores ipſorú, ſed ad aliud Collegium, vel Conuentum, ſeu gremium pertinent: Ergo talia bona nec debentur ipſis, nec de iure poſſunt ab eis vindicari, atque adeo omnino debét cêteri extincta talia Collegia, & eorum bonorú diſpoſitionem ad Superioré deuolui, id eſt, ad Pontificem, vel Principem ſæcularem.

Addo, *tertio*, non poſſe vnum Collegium, vel Monaſterium Religioſorum in aliud ſuccedédi hæreditaria ſucceſſione poteſtatem habere. Hoc enim duobus modis fieri poſſet; primo, vt ſenſus, ſeu bona recuperata, & vindicata Monaſterij, in vetera Monaſteria transferantur: hoc auté fieri nullo modo poteſt, ná Monaſteria ipſa ſeparata ſunt, & ſicut Canonicorum Collegia mutuò hæreditates non capiunt, ita nec Monaſteria; nec maius vinculú eſt inter vnius Ordinis regula, aut cæremoniis, quàm in Canonicorum, ſeu Clericorum eodem Sacerdotio. Secundo poſſet fieri per hoc quod vnius Monaſterij Prælatus, aut Superior ius habeat in aliud, cui tamen obſiſtit decretum Innocentij III. in Capite finali de religioſis domibus: *Nec vnus Abbas*, inquit, *pluribus Monaſteriis præſidere præſumat.* Non ergo Prælatus vnius Monaſterij ius aliquod, aut dominium habet in aliud: Ergo nec in eius bona: ergo ſi illis tale Monaſterium ſpolietur, vel vi, vel iure repetere ea nullo modo poteſt, cum non ſit poſſeſſor, non poſſeſſoris hæres, non ſucceſſor ab inteſtato. Quo ergo iure talia bona reſtituéda illis ſunt, qui ad talé Conuentum nunquá pertinuerút? Quod ſi vnus ex talis Ordinis Prælatis ea petere poteſt, cur magis iſte, quam ille? Cum æque omnes aut ius poſſint prætendere, aut iure ipſo cadant, erit ergo bellum iuſtum ex omni parte, aut ſortiendum eſt de illis bonis ſi pro indiuiſo poſſidebantur, aut diuidenda in partes, vt quis quid tollat. 12

In contrarium nihilominus tanquam firmiſſimú reſolutionis noſtræ fundamentum accipimus, quod ex Synodo Chalcedonenſi cap. 24. refertur in cap. Quæ ſemel 19. quæſt. 3. *Quæ ſemel dedicata ſunt Monaſteria cum conſilio Epiſcoporum, perpetuò debent manere Monaſteria.* Quo textu tanquam irrefragabili ſanctione vſus eſt Innocentius Papa III. in Breui quodam ſuo directo ad Guillelmum Archiepiſcopum Rhemėſem anno Chriſti 1198. Vbi 13

ſic

ſic inquit: *Nec vt in Abbatia Caſtri Moſoñi Epiſcopatum erigere valeas, vel ſi malueris in eodem Caſtro Cathedralē Eccleſiam, cui præficiatur Epiſcopus, fabricare, liberam tibi concedimus facultatem, ita tamen quod ab eodem Monaſterio Monachi, nullatenus excludantur, ne forte venire contra ſanctiones Canonicas videremur, quibus prouida fuit deliberatione ſtatutum, vt quæ ſemel Deo dedicata ſunt Monaſteria, ſemper maneant Monaſteria, cum & hodie generaliter ſtatuatur vt Ordo Monaſticus, qui in aliquo Monaſterio ſecundum Deum, & Beati Benedicti regulam dignoſcitur inſtitutus, perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter obſeruetur.* Vbi Sanctus Pontifex non concedit indultum, ſeu priuilegium aliquod contra ius commune, ſed concedit priuilegium Canonis in ipſo iure contentum, vel ex ipſo iure deductum. Quod cum aliàs non conſtet in communi fuiſſe reuocatum, videtur ſine dubio tribuere ius, & actionem ad repetenda dicta bona, ſeu Conuentus, aut Collegia eiuſdem qualitatis, & profeſſionis perſonis, quibus antea competebant, vt vbicumque dignoſcitur Conuentus aliquis fuiſſe inſtitutus, & per fatales, vel fortuitos caſus ſpoliatus, vel defectus, remoto obice perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter obſeruetur. Induitum enim à iure beneficium non eſt alicui auferendum, *De regulis iuris in 6.* Nec debet quiſquam iure ſuo ſine propria culpa fraudari *capit. Iordane de conſanguinitate & affinitate*, cum Gloſſa, & Doctoribus.

14 Siſtamus pedem paulisper (grauiſſimi auditores) antequam exereſcentes iſtas ſpinas, & horrentem ſyluam veritatis falce ſuccidamus, & vnde tāta potuerit emergere caligo, & tenebrarum dēſitas, quæ meridianam obtegere, & offuſcare conatur tā inculta, aculeata, & ſpinoſa ſeges ſilueſcere diligentius attendamus. Nempe non ſemel vox illa è ſerpentum cauea ab Hæreticorum caverna prorūpens quaſi inter ſibilos gregum audita eſt, Monachos inutilia eſſe terræ pondera, ventres pigros, ſtupidas pecudes, oportere proinde amoueri eos de medio, nec ſuorum Monaſteriorū reſtaurationi deputari, vtpotè cum ex illorum doctrina, & morum obſeruantia nec antiqua fides parentū reſtitui, nec religionis ſtatus ad quietum, & tranquillum Ordinē, ac fundatam ſtabilitatem poſſit reuocari. Voces ſunt Hæreticorum. Cum ergo pleno iuſtitiæ oſtiu in veterem poſſeſſionem immitterentur, & edicto Cæſaris, & approbatione Pontificis, & ſicut olim filij Iſraël edicto Cyri Regis Perſarum muniti aſcenderent in Hyeruſalem ciuitatem Sanctam poſtliminio reparaturi, factum eſt vt non inimici ſolum, & Hæretici, ſed & populus terræ, vt dicitur 1. *Eſdræ* 4. impediret manus populi Iudæi, & turbaret eos in ædificando, vt conduceret aduerſus eos conſiliatores, vt deſtruerent conſilium eorum, illud fermè reclamantes, vrbem illam, vrbem eſſe rebellem, nocentem Regibus, & Prouinciis, & concitari ex ea bella à diebus antiquis, & vſque ad Regem hanc noxam perueniturum. Quid plura? Spargitur in Vulgus inter plures aut oris dicteria, aut mentis expurgamēta, & illud peſſimum elogium, à nullo genere hominum maius Eccleſiæ damnum illatum eſſe quam ab antiquis Ordinibus, inde vires ſumpſit confidentia, depulſus timor, audacia creuit, atque in lites controuerſiaſque itum eſt. Videres iura, Decretaque euerti, verba priuilegij Canonis, & fundationis amplecti, & contra eorundem voluntatem cum præiudicio immunitatis Eccleſiaſticæ Commentarios ſcribi, Sacris Canonibus per expreſſam contradictionem, ſeu contrarietatem vim inferri. Denique vno verbo cælum zelo deſtrui, grandi cum errore, maiori fundamentorum iniuria, Pontificum, Imperatorum, Ordinum, Eccleſiæ totius.

15 Quod ergo Collegia, Communitates, Monaſteria, conuentus, ſi ſpoliata, aut deſolata ſint debeant eiuſdem profeſſionis, & qualitatis perſonis reſtitui, non vero ad arbitrium, voluntatemque Principum reduci, vt diſponant pro voluntate ſua, ex variis Canonicis iuris textibus non erit difficile comprobare. Et in primis ad hanc rem illuſtris Textus eſt in cap. inter quatuor, de religioſis domibus, cui titulus, ſeu rubrica præfixa ſic eſt: *Locus religioſus debet reformari de religioſis duntaxat, non de ſecularibus, niſi in defectum religioſorum.* In contextu ſic inquit Pontifex: *Quandiu Monaſteria per regulares remanere potuerint ordinata, non ſunt ad Seculares Clericos transferenda, ſed ſi regulares defuerint propter eorum defectum in eis ſeculares Clerici poterunt Ordinari.* In quem locum gloſſa, & Abbas, Panormitanus dicunt, quod quærebatur à Domino Papa vtrum Eccleſiæ regulares poſſent fieri ſæculares, & nota, inquit gloſſa cum communi, quod Eccleſia debet ſemper reformari per homines eiuſdem profeſſionis, & nomen reformationis ſignificat inſtitutionem, prouiſionem, ſeu ordinationem, prout idem in eodem ſenſu vſurpat Abbas *in capit. conquerente, de officio Iudicis Ordinarij ſub numer. 2. Et in cap. Eccleſia, de electione, numer. 6.* Et communiter ita intelligunt Canoniſtæ, & Gloſſa *in capit. ſtatuimus, verbo quæritur 19. quæſt. 3.* Pulchrè ad rem noſtram idem Abbas ſuper textum citatum, *ex cap. inter quatuor*, explicat quid faciendum ſit antequam ſæculares introducantur in Eccleſias regulares: *Oportet*, inquit, *prius ſeruari certos gradus, cùm iſta littera indiſtinctè dicat* Quandiu per regulares, &c. *Vt reformetur prius locus de regularibus eiuſdem Monaſterij: ſecundo in defectum eorum, de regularibus aliorum Religioſorum eiuſdem Ordinis: Tertio deueniendum eſt ad regulares alterius Ordinis. Poſtremo in defectum omnium Regularium poterunt inſtitui Clerici ſæculares.* Hæc Panormitanus, & ibidem Gloſſa Innocentij, & alij. Eſt enim (vt inquit idem Panormitanus ibidem) *ambulandum in Eccleſia Dei, de virtute in virtutem, vt ſic potius ſit aſcenſus, quam deſcenſus.* Qui adhuc clarius ſeipſum explicat ibi verbo *regulares*, cum ait: *Per idem verbum regulares, dicendum eſt textum habere locum in omnibus regularibus eiuſdem Ordinis, id eſt, quandiu poſſunt inueniri regulares eiuſdem Ordinis, non eſſe ponendos alterius Ordinis.* Idem verbum, *regulares*, eodem modo explicat Gloſſa *in capit. ſtatuimus 19. quæſt. 3. in verbo quæritur.*

16 Vnde videas rem hanc habere quandā ſimilitudinem cū patrimoniis, & hereditatibus in iure ciuili poſitis, & ordinatis, in quibus primo loco ſuccedunt parenti defuncto filij, aut deſcendentes, his deficientibus, aſcendentes, vel collaterales, propinquiores alij, & alij, ita vt à proximioribus in gradu ſemper remotiores excludantur. Ac proinde totum Panormitani ſenſum malè quidam inuertunt, dum dicunt loqui in caſu quo Monaſteriū, exiſtentibus in eo, immò etiam manentibus quibuſdam profeſſis, reformandū eſt, cum tamen totū contrarium aſſerat Panormitanus explicans manifeſte in illo textu quid faciendum ſit in defectu regularium eiuſdem Monaſterij, non manentibus, aut exiſtentibus in eo quibuſdam profeſſis. Quam Abbatis doctrinam confirmat *Azor 2. part. Moralium, lib. 3. c. 16. quæſt. 5.* Vbi videri poteſt, & alij recentiores.

Sed

17 Sed altius rem iſtam ordientes, videamus quid de hac ipſa Quæſtione, & controuerſia etiam ſuo tempore indiuidualiter agitata, ſenſerit Sanctus ille, ac venerabilis Petrus Cluniacenſis Abbas lib. 2. Epiſtol. 11. ad Matthæum. S. R. E. Cardinalem, Epiſcopum Albanenſem. *Queritur* (inquit) *totus Monachicus ordo, & communem iniuriam pari querela deplorat expulſos à ſedibus ſuis Monachos Virdunenſes, Clericos pro eis intruſos, ſua deſeruiſſe, aliena occupaſſe, ſola vi, nullo iudicio in meſſem proximorum falcem miſiſſe, & proprijs cultoribus eſurientibus, eorum auidiſſimè fruges deuoraſſe. Et quod maius oſtentum: Quod deteſtabilius monſtrum? Quod portentoſius prodigium? Quodque nec de furibus fit, ordo iſte antequam audiatur, condemnatur, antequam ſub iudice de culpa agatur, proſcribitur, ante reatum cognitum, vt reus addicitur. Sed vt aduerſarij aiunt, fuerint propter mala ſua Monachi expulſi, expellendi, arrogauerit ſibi fama conſentiens iudiciale decretum; quid etiam perſonis peccantibus Sanctus Ordo peccauit? Quid alijs delinquentibus iuſtitia promeruit? Cur cum reis innocentia condemnata eſt? Cur malis Monachis ſecundum quoſdam expulſis, Monaſtica inſtitutio expulſa eſt? Vt quid ſaltem malis illis, boni Monachi non ſuccedebant? An quia nuſquam tales inueniri poterant? O quam innumerabilis Monachorum turba, per ſupernam gratiam noſtris maximè diebus, multiplicata vniuerſa penè Gallica rura operuit, vrbes, Caſtella, oppida impleuit! Quam varius veſtibus, inſtitutis, Domini Sabbaoth exercitus, ſub vna fide, & charitate in eiuſdem Monaſtici nominis Sacramenta iurauit! Aut ergo omnes iſti pro expulſis introducendi expulſoribus defuerunt, aut tanta multitudine eis in nauſeam verſa, inopes eos, vt dicitur, copia fecit.* Hucuſque venerabilis ille, ac Sanctus Abbas Petrus Cluniacenſis. Vbi manifeſtè vir Dei totum Ordinem de communi iniuria merito conqueri dicit, ſi vel vnum ex Monaſterijs aliorum ab Ordine trahatur, argumento Capit. Contingit, extra, de ſententia excommunicationis, & Doctores ibidem, & Gloſſa: Si ergo eſt communis iniuria totius Ordinis: igitur totus Ordo ius habet ad tale Monaſterium, quod ipſi per iniuriam, & contra iuſtitiam auferri conqueritur Sanctus Petrus Cluniacenſis. Et quonam illud niſi vt Monaſterium aſſumptis ex eodem Ordine Monachis reformetur, ne innocentes cum nocentibus condemnentur, ne quiſquam ſine culpa ſuo iure priuetur?

18 At reclamant aduerſarij Romanum Pontificem huiuſmodi legibus, & iuri communi non eſſe alligatum, Rectè. Ergo prouocant ad plenitudinem poteſtatis abſolutæ, quam nunquam negabimus, nec Catholicus aliquis dubitare poteſt, quin Papa pro ſua ſuprema poteſtate non ſolum deſolata, aut vacantia Monaſteria, ſed etiam plena, & reformata poſſit aut ſupprimere, aut ad alios transferre, quia diſpenſator Dei eſt, & œconomus ſupremus omnium, quæ poſſidet Chriſtus in Eccleſia ſua. Sed in præſenti ad tribunal illud abſolutæ poteſtatis cauſa hæc non transfertur, ſed de iure agimus, & de lege poſitiua, non de abſoluto illo, aut dominio, aut poteſtate quam Dominus Capiti Eccleſiæ ſuæ tradidit non in deſtructionem, ſed in ædificationem. Nec falli debemus in eo quod Authores oppoſiti conantur duplicem plenitudinem poteſtatis in Papa diſtinguere; alteram quæ independens eſt, fons, & origo aliarum inde deriuatarum poteſtatum, diciturque ordinata, & Canonibus conformis. Qua ratione paſſim in iure dicitur Pontifex habere plenam poteſtatem in beneficiis, quæ tamen ex officio, & ſecundum Canonum præſcripta conferre debet. Alteram, quæ dicitur plenitudo poteſtatis, id eſt poteſtas abſoluta, ſeu libera à lege poſitiua, cùm Princeps legi non ſit ſubiectus, ſed ſupra legẽ. Sed hoc qua ratione conſtare poſſit, non apparet. Nã plenitudo poteſtatis eſt ea ſumma poteſtas rectè gubernandi populum Chriſtianum, cui nihil addi poteſt, vt habetur *in cap. Benè quidem 96. diſtinctione.* Et plenitudine iſta non vtitur Papa niſi quando tranſcendit iura, vt tradit *Hoſtienſis in capit. propoſuit,* vt ait *Petrus Andreas Bononienſis in Repetitione Extrauagantis Iulij II. de Simonica Papæ electione, numer. 79.* Vnde ſequitur non poſſe dici plenitudinem poteſtatis, quæ eſt ordinaria, ſiue ordinata ſecundum iura poſitiua, & conformis Sacris Canonibus. Proinde neque verum eſt plenitudinem poteſtatis in ſummo Pontifice illam dici, vi cuius beneficia ſecundum Canonum præſcripta conferre debet, quomodo enim ea poteſt eſſe plenitudo poteſtatis, quæ in operando à iure poſitiuo dependens, ac legibus humanis alligata eſſe debet? Itaque ſi Papa diſponat aliquid ex ea plenitudine poteſtatis, quam habet in beneficia totius Orbis, neceſſariò tranſcendit aliqua iura poſitiua, vel per concurſum, vel per præuentionem. Princeps enim legibus in iure expreſſis non alligatur, ſed liber eſt, & abſolutus. Si verò è contra conferat beneficia iuxta præſcripta Sacrorum Canonum per omnia, nullamque legem tranſcendat, tunc operabitur non ex plenitudine poteſtatis, ſed ex poteſtate ordinaria legibus poſitiuis ordinata, ſiue Sacris Canonibus conformi, non ſupra ipſos.

19 Et quidem verum eſt quod hæc ipſa poteſtas abſoluta, ſeu libera à lege, qua Princeps non eſt ſubiectus legi, ſed ſupra legem, fons eſt, & origo aliarum inde deriuatarum poteſtatum, ea tamen non tenetur Canonibus eſſe conformis, & alligata. Illa verò poteſtas ampliſſima in beneficiis, quam ſibi ſemper reſeruat in Canonibus Eccleſiaſticis Apoſtolica ſedes, quamque à ſe abdicare non poteſt, ſupra leges poſitiuas eſt, vt modo dictum fuit, adeóque non operatur vt alligatus legi poſitiuæ. Verb. gr. lex eſt *in cap. 1. de electione,* vt nullus in Eccleſia Collegiata Prælatus eligatur, niſi per Canonicam electionem factam per ipſum Collegium. *Et cap. ne pro defectu,* ibidem lex eſt, vt ſi illi ad quos ſpectat electio negligant eligere Prælatũ Cathedralis, vel Regularis Eccleſiæ infra tres menſes, ad proximum Superiorem poteſtas eligendi deuoluatur. Iam ergo ſi Pontifex Maximus per pleniſſimam poteſtatem, quam habet in beneficia totius Orbis præueniat electores Collegij, vel Superiorem ad quem deuolutio facta fuerat eligendo vnum ex ipſo Collegio, quæritur an operetur Pontifex ex poteſtate ordinaria ordinata, & Canonibus conformi, an ex poteſtate abſoluta, & ex eius plenitudine, quæ libera eſt à lege poſitiua. Et reſpondemus cum Abbate Panormitano ſupra citato in theſi ſingularis deciſionis, eum non ex priori, ſed ex hac abſoluta poteſtate operari. *Et ratio eſt,* quia ſecundum leges poſitiuas penes Collegium, aut immediatum Superiorem deberet eſſe electio: Ergo ſi lex iſta à Principe non ſeruatur, opus eſt, vt id fiat per poteſtatem, quæ eſt ſupra legem poſitiuam, cui Princeps alligatus non eſt: ergo per poteſtatem abſolutam, & liberam à lege. Et hæc eſt poteſtatis plenitudo, ex qua ſi operetur Pontifex, non ſolum deſolata Monaſteria, ſed & habitata poterit ad alios transferre, ſi vrgens aliqua cauſa id poſtulauerit.

20 At iterum tergiuerſantur Monaſteria, ſeu Collegia, aut loca de quibus in controuerſia præſenti agitatur, non vacantia dici debere, ſed extincta vtpote deficientibus omnibus membris ex quibus componebātur, & in tali caſu non eſt opus ad plenitudinem poteſtatis, & ad abſolutum tribunal recurrere, ſed iuxta ipſam poteſtatem ordinariam extincto illo iure Collegij deuolutio fit ad Pontificem, vel Principem, vt cui voluerit, tradat. Cæterum extinctio hæc plurima extinguere vult lumina dum ſuæ intentionis caligini immergitur. Etenim licet perſonæ illæ, quæ indiuidualiter, & vt ita dicam, materialiter habitabant, & componebant Collegium illud, ſeu Conuentum, vel violenter expulſæ, vel morte ſint extinctæ, tamen ius quod perſonæ ſimilis profeſſionis, vel Ordinis ad talem reſtitutionem habent, & ex ipſa ſuorum fundatorum voluntate acquiſitum eſt, qua voluerunt talis qualitatis, aut profeſſionis hominibus locum illum tradere, extinctum nullo modo eſt, ſed vt verba repetam venerabilis Petri Cluniacenſis ſupra relata: *Quid perſonis peccātibus ſanctus Ordo peccauit? Cur malis Monachis ſecundum quoſdam expulſis inſtitutio expulſa eſt?* Si ergo expulſis immeritis, & delinquentibus, Ordo non debuit expelli, ſed in aliis ſubrogari, ergo in ipſo Ordine ius extinctum non fuit ad talem ſubrogationem: multo ergo minus potuit extingui ipſis non peccantibus, ſed per vim expoliatis, aut per feritatem Occiſis.

21 Sed quid opus eſt ad iura prouocare humana, & leges, textuſque iam prolatos reproducere, cum etiā ipſos violēta morte raptos, atque Cōuentibus ſuis ſpoliatos, & viuere, & Monaſteriis ſuis aſſiſtere prodigia ſuperna demonſtrent? Quomodo enim deſolata Monaſteria poſſunt extincta nuncupari, in quibus, toties intempeſta nocte certis anni tēporibus in hunc vſque diem accendi luminaria, fulgere lampades, adornari altaria, cereos ardere, proceſſiones a beatis illis manibus, ſeu animabus inſtitui, Chorum frequentari, & illuſtriſſima luce, Cantuque pſalmodiæ templa perfundi, completique teſtes oculati, non Catholici tantum, ſed etiam hæretici vigilantibus ſenſibus acceperint, & accipiant? Certe Sanctus *Gregorius lib. 3. Dialogorum cap. 21.* memoriæ prodidit. Duos Monachos Longobardorum ſæuitia, in viuus arboris ramis ſuſpenſos ac mortuos, facto veſpere, claris, apertiſque vocibus pſallere cæpiſſe, ita vt ipſi quoque, qui eos occiderant, cum voces pſallentium audirent, nimium mirati terrerentur. Quod Sanctus Gregorius ſignum fuiſſe, inquit, quod ij qui Deo ſeruire ſtudent, poſt carnis mortem verius viuant. Quidam etiam Sanctus Monachus, nomine *Baſilius*, vt narrat *Methaphraſtes*, & ex ipſo affert *Rodericus tomo 1. Exercitationum, tractat. 8. capit. 21.* quadraginta continuis à morte diebus, quotidie ad veſperas veniebat, & cum aliis fratribus in Choro canebat. Sed & Nicephorus libr. 14. hiſtoriæ capit. 51. *In templo*, inquit, *Sancti Simeonis Monachi ad læuum columnæ latus in vno cancellorum emicantem cernere eſt immenſam quandam Stellam per feneſtram diſcurrentem, & ſplendide Coruſcantem, & modo veluti ceſſantem, mox vero rurſum de repente affulgentem. Id quod iis tantum diebus fit, quibus memoria ſancti viri colitur, ſunt etiam qui memoria prodiderunt ipſius quoque Simeonis faciem illam huc atque illuc volitantem ad columnam videri, barba ſicut eam geſtauerat demiſſiori, & capite tiara tecto.* Ita Nicephorus.

22 Sed & illud obſtupeſcendum miraculum quod noſtra fere memoria in Hibernia contigit, narratur in faſciculo Ordinis Ciſtercienſis lib. 2. diſt. 37. cap. 2. Cum enim quadraginta Ciſtercienſes Monachi per irruentes hæreticos in Choro ſui Monaſterij Magienſis truncatis ceruicibus victimæ pro Chriſti fide procumberent, à morte reſurgentes, recollectis, & ſibimet iterum poſitis capitibus ad ſubſellia conſueta reuerſi, primas veſperas aſſumptionis Beatiſſimæ Virginis ad finem vſque clara voce cecinerunt. Quid ad hæc dicemus? An obliuiſcantur ſui, etſi deſtructa Monaſteria beatæ animæ, & luminoſi è Cœlo ad ſuas Cellas, & paupercula tuguria viſitanda delapſi. Hi nimirum ſunt Cuſtodes poſiti ſuper muros Hieruſalem tota die, & tota nocte in perpetuum non tacentes, hæc eſt iubilatio quam ne poſt mortem quidem omnino dimittere poſſunt perfectorum Sacerdotum, & Religioſorum animæ, quæ etiam deſolatas Eccleſias, non ſolum protectione, & ſolicitudine, ſed & præſentia ſua, hymniſque & Pſalmis, ac ſpiritualibus Canticis nonnunquam inuiſunt, & laudent circa illa Deum aſtra iſta matutina, iubilentque omnes Filij Dei, vt benedicant Stellæ Cœli Dominum, laudent, & ſuperexaltent eum in ſæcula.

QVÆSTIO V.

Vtrum in eligenda doctrinæ forma, ſtatutum, iuſque Academiæ ſummæ authoritatis eſſe debeant?

1 FOELICI ſorte, grauiſſimo iſto, celeberrimoque certamini, ex ſapientiæ munere, agonem inſtituimus, & doctrinæ materiam, illuſtriſque Academiæ iura in obſequij, gratulationiſque occurſum tota concertatione deſtinamus. Vt enim fauenti Cœlo nil gratius rependere terra queat præter verſicolores gratiarum apparatus, cum exhilarata præſertim natura, & in gaudio renaſcentis anni variè ludens enodato ſinu virentia laxat viſcera, variaque, ac multiplici gemmantium eruptione florum parturiens, totius in ſe oſculantis Cœli pulchritudinem terreſtri quadam elegantia repræſentat; ſic benigno huic ſapientiæ Cœlo, huic (inquam) diſciplinæ cæleſtis cenſuræ, quæ variis ſcintillantium ſyderum afflatibus, quaſi de æternis veritatis montibus totius Eccleſiæ illuminat firmamentum, florentes refert terra noſtra manipulos, quibus intextam ſapientiæ coronam pleno circundet

det Orbe, & ſelecta doctrinæ forma, in totius maturitatis fœcunditatem erumpat. Vt quondam myſtica illa Sacerdotalis virga, vno ſimul partu læta gemmulis, amœna frondibus, fructu grauis ſacrum Aaronis conſummauit honorem; ſic ſapientiæ partus in ipſa venuſtate florum, vbertate prouentuum intumeſcit, & ſolatium elegantia fructuum maturitate caſtigatur. Nec enim oſcitanter ipſa de ſe clamitat ſapientia, *Flores mei fructus honoris, & honeſtatis.* Nihil videlicet in ſapientia floridum, nihil vernans ſolo infructuoſi viroris lenocinio exſpatiatur, ſed vel ipſa pubeſcentis germinis tyrocinia grauiori ſeueritatis, authoritatiſque pondere incaneſcunt, & quod dignitatis, ſplendoriſque deficit in diſcentibus ex tam præclaro magiſtrorum lumine, & pleniſſima grauitate compenſatur, & teneriores iſti ſapientiæ noſtræ flores immani frigoris rigentis, & oblatrantis inclementiæ turbine concuſſi aſperitate poſſent, niſi vitali aura ſingularis humanitatis veſtræ non afflarent ſolum, ſed æterno vere extra omnem aleam, vel iniqui ſolis, vel inuidentis Auſtri fortunandi veniſent. Ergo quod in arenã producimus, iura ſapientiæ ſunt, iura reuerẽtiæ magiſtralis, in doctrinarũ diſpunctione, in eligẽda forma diſciplinæ, & veritate propinanda his, qui inueſtigandæ ſapientiæ dederunt nomen. Denique in ſtatuenda, fundandaque Academiæ dignitate, quæ in benè ordinata, diſpoſitaque Republica ſupremæ authoritatis, inconcuſſique iuris, præſertim in his, quæ ad doctrinam pertinent, & diſciplinæ rationem eſſe, reputarique oportet.

2 Loquitur ad nos Sermo Diuinus in Eccleſiaſtico cap. 8. *Ne deſpicias narrationem Presbyterorum Sapientium, & in prouerbiis eorum conuerſare, ab ipſis diſces ſapientiam, & doctrinam intellectus, & ſeruire Magnatis ſine querela. Non te prætereat narratio ſeniorum: ipſi enim didicerunt a patribus ſuis, quoniam ab ipſis diſces intellectum, & in tempore neceſſitatis dare reſponſum.* Quid hac lege perfectius, aut abſolutius inueniri poteſt? Plena ſunt omnia, & perfecta, vt à pleno, & perfecto. Ecce enim diues metalli vena nobis proponitur, argẽti principia reſerantur, & auri locus in quo conflatur apertus eſt. Deniq; ſapientię pretiũ, quod teſtãte Iob, neſcit homo, quæ abſcondita eſt ab oculis omnium viuentium, & volucres quoque Cæli, quæ vario plumarum ſuarum circuitu, & ſinuoſa eleuatione inanem ventorum flatum tota libertatis expanſione diuerberant, latere ſolet in ſapientium Præsbyterorum narratione, in eorum prouerbiis, in alligatione, & captiuitate ad eorum dicta inueniri, aſſeruarique cõſpicimus. Quid enim aliud Præsbyterorum ſapientium enarrationem, à quibus diſcere debemus intellectum, & prudentiæ reſponſa, quàm doctorum Conuentum æſtimare poſſumus, ipſamque Academiæ Coronam, vnde nobis doctrina omnis præſto eſt. Vnde iura inueniendæ diſciplinæ decernuntur, & vbi locus initiandæ, conſeruandæque ſapientiæ inuenitur? Quid peruicibus alis fugientem quærimus doctrinam, & tam variis opinionum anfractibus, tot inuentionum noſtrarum machinamentis, Sapientiæ theſauros ſine claue irrumpimus, ſine face tractamus? Non in noſtra inuentione fundamentum veritatis eſt, ſed in Sapientum ſeniorum narratione, illis ius eſt præfigendæ doctrinæ, non nobis inueniendæ, & propalandæ: expectanda ab illis eſt, non à nobis renouanda. Denique Sapientiſſimus Legislator Moyſes congregatis ad eum omnibus maioribus natu, atque Doctoribus, quaſi Vniuerſitate quadam circũuallatus: *Audite* (inquit) *Cæli, quæ loquor, audiat terra verba oris mei, concreſcat vt pluuia doctrina mea, fluat vt ros eloquium meum.* Quàm pulchrè doctrinæ incrementa pluuiæ comparat, & fluenta eloquij rori de Cœlo decidenti, quia videlicet non de nobis creſcere debet doctrina, nec à nobis Sapientiæ prouehenda eſt magnitudo, ſed à nubibus deſuper expectanda, & eorum arbitrio ſuſcipienda. Nec otioſè dictum eſt, *Concreſcat*, quia ſimul cum alio quaſi fulcimento alieno nixa, non ſolo & proprio creſcere debet volatu doctrina, ſed Sapientium Præsbyterorum narratione, eorumque iure commẽdata, & diſpuncta concreſcere æſtimanda eſt, non creſcere. Pulchrè *Vincent. Lirinenſ.* lib. aduerſ. hereſes vere aureo cap. 28. & 29. *Creſcat* (inquit) *oportet, vehementerque proficiat tam ſingulorum, quam omnium, tam vnius hominis, quàm totius Eccleſiæ, ætatum, ac ſæculorum gradibus intelligentia, ſcientia, ſapientia, ſed in ſuo duntaxat genere, in eodem ſcilicet dogmate, eodem ſenſu, eademque ſententia, imitetur animarum religio rationem corporum, quæ licet annorum proceſſu numeros ſuos euoluant, & explicent, eadem tamen, quæ erant permanent. Quot paruulorum artus, tot virorum, etſi quæ illa ſunt, quæ aut maturioris ætate pariuntur, iam in ſe minus ratione proſerta ſunt, vt nihil nouum poſteà proferatur in ſenibus, quod non in pueris iam antea latitauerit.* Sic Lyrinenſis.

Ergo aſtringendæ, eligendæque certæ, ac determinatæ doctrinæ iura firma & rata ſunt, in illis videlicet, qui ſeniorum narrationem continent, qui à Patribus acceperunt quod traderent, vbi ſapientum Præſbyterorum narratio Academiæ Conuentum format, cui intereſt, quæ vera ſit ſapientiæ ſemita nobis proponere, electionemque doctrinæ propinare, qua ſolidè, & fixè creſcat in vnitate ſenſus, vniformitateque ſententiæ, quod propriæ inuentionis aura dilapſum inaniter ſubuolaret. 3
Quàm opportunè Sponſæ labia laudaturus Sponſus: *Sicut vitta coccinea* (inquit) *labia tua, & eloquium tuum dulce.* Magno ſanè myſterio dulcedo eloquij non niſi à labiis, quæ coccinea vitta ligata ſunt ſcaturire potuit, nam labia Sponſæ Doctores eſſe quis abnuat? quis ignoret? quid autem dignitas eorum, quod ius? niſi vt vitta ſint, quæ vinculo alliget audientem, conſtringatque doctrinæ formam ſequi, & modeſtiæ captiuari complexibus. Audite Ambroſium florido illo, grauique ingenij pondere ſic diſſerentem octonario 15. ſupr. Pſalm. 118. *Dentes, & genas, & ſicut coccineum reſticulum labia Sponſæ, intelligimus animæ eſſe virtutes, Doctorumque diuerſitates, qui vel ſpiritalem menti alimoniam diſpenſatione ſedula ſubminiſtrant, vel prædicatione Dominicæ Crucis, ſiue Verbi quadam linea alligent audientem, vel modeſtia verecundi, & iuuẽtutis flore gratiſſimi.* Ergo labia Sponſæ non dulcedinem ſtillant libertatis, non vagum in docendo, aut in periclitando ſenſum, ſed dulcedinem eloquij à veritatis nexibus promanantem, à vitta coccinea arctante, determinanteque viam, cui audientem alligent, non quæ ſpatium tribuat euagandi. Eloquium à vitta coccinea deriuatum ſuauitatem veritatis denotat, non libertatis. Veritas autem vna eſt, quia indiuiſibilis veritas, arcta eſt, & de difficultatis amaritudine, non de facilitate intelligentiæ expreſſa in ſuauiſſimum olei nitorem, puriſſimum ſplendoris lumen aſpirat. Pulchrè Hieron. Epiſt. 12. Leuit. legem moralizans, *In ſacrificiis*, inquit, *Domini mei non offerunt, ceraque contempta, quæ melius hoſpitium eſt, oleum accenditur in*

templo Dei, quod de amaritudine exprimitur oliuarũ. Vt videlicet diſcamus lucem doctrinæ olei paſci ſuauitate, non ceræ blanditijs deliniri; quia illa de amaritudine, & difficultate naſcitur intelligentiæ, iſta de ſuauitate mellis affinitatem contrahit adulationis. Illud ergo eloquium dulce vocandum eſt, illa præferenda doctrinæ lux, quæ de amaritudine naſcitur, quæ difficultatem ſuperat, non procliuitatem amat. Denique quæ de labiis vitta coccinea alligatis, & aſtrictis, non de patulo, ac libero ore procedit, & hæc magna ſponſæ laus eſt dulcedinem eloquij ſtricto labiorum vinculo ſuis audientibus inſtillare, doctrinamque ad vnitatis nexum aſtringere, non ad varietatem diffundere.

4 Sed non vno tantum Sacramento rem adeò neceſſariam Scriptura nobis commendat. Ecce illuſtrior Eccleſiæ pars, Doctorum nempè, Sapientumque Conuentus, & Schola, Capillis Eccleſiæ ipſius comparantur, dum in Canticis Spiritus Sanctus loquitur ad Sponſam: *Capilli tui ſicut greges tonſarum, quæ aſcenderunt de Galaad.* Quo loco, teſte Ambroſio vbi ſuprà, Sapientum, Doctorumque multitudinem deſignari, qui diſputationibus ſuis occulta reuelant, & proferunt, manifeſtum eſt: *Capillamentum tuum* (inquit Ambroſius) *ſicut grex tonſarum, ideo capillamentum, quia virtus omnium ſenſuum in capite eſt, oculi enim Sapientis in capite eius. Profunda igitur eſt Doctorum prudentia, quæ poteſt ea, quæ obſcura ſunt, reuelare, & alta aperire ſenſuum. Et huiuſmodi Diſputatores crines Eccleſiæ ſunt, ſicut pulli coruorum, quibus Dominus eſcam dat.* Sic Ambroſius. Vides ergo quo loco in Eccleſia ſua voluit Deus eſſe Doctores, & Diſputatores qui tractant verbum veritatis, qui diſputationibus ſuis eruunt occulta, & abſcondita ſapientiæ, & reuelant profunda de tenebris, quo miniſterij genere Academias, Vniuerſitateſque in Eccleſia futuras, Spiritus Sanctus planè deſignare videtur, in quibus confluentium Doctorum multitudo quaſi pulcherrimum Eccleſiæ capillamentum, profunda ſua prudentia, alta ſenſuum aperire, & obſcura reuelare non ceſſant. His itaque ſupremum capitis verticem pro loco tribuit, illis enim caput ornatur Eccleſiæ, vt non leuiter proinde ſignificetur quantum authoritatis, & iuris in doctrinarum diſputationibus, & traditione diſciplinæ Vniuerſitatibus tribuendum ſit, quæ à ſupremo capitis faſtigio in vniuerſum Eccleſiæ corpus arbitrium deriuare poſſunt intelligentiæ.

5 Et ſi meminerimus fortitudinem magni illius Nazaræi in capillis fuiſſe diffuſam, quibus abſciſſis totius corporis vigor emarcuit, ita vt à Philiſtæis captus oculorum lumine calligaret, non abſurdè fortitudinem Eccleſiæ in benè diſpoſita multitudine, congregationeque ſapientum commendatam intelligemus, cuius ſi authoritas abſcindatur, totus diſciplinæ vigor marceſcat neceſſe eſt, ſicut abſciſſis capillis Nazaræus ille Samſon totus elanguit. Nihil decoris abſque capillamento humano capiti relinquitur. Nihil in Republica pulchritudinis, ſi capita eius, id eſt, Doctores eius authoritate careant, ſi eorum de doctrina eligenda, de diſpoſitione, formaque inſtruendi diſciplinam, negligantur cenſuræ. Egregiè Niſſenus homil. 15. in Cantica, eundem verſans locum, cùm de ſententia Pauli inquit: *Gloria mulieris ſit coma, quippè quæ per cincinnos caput exornet, docemur per hanc capillorum Sponſæ prædicationem, debere illos, qui in capite Sponſæ ſunt, & per quos gloria Eccleſiæ accedit, per ſapientiam ſenſum occultare.* Habemus ergo Eccleſiæ gloriam in comæ affluentia, nexuque capillorum expreſſam, ſed id prorſus admonemur, ne ſenſum proprium, diffuſamque vagandi licentiam ſequi velimus, ſed ſicut capilli abſque ſenſu proprio creſcunt, ſic doctrina, quæ eſt Eccleſiæ gloria, non proprio, ſed alieno ſenſu ſubſiſtit.

Notauit pulchrè Ambroſius lib. 6. Hexameron. cap. 9. ferè omnem pulchritudinis, ac ſpecioſitatis formam à capillorum ornamento deriuari, & per variam ipſorum diſpoſitionem componi: *Quam* (inquit) *ſpecioſa eſt cæſaries? Quam reuerenda in ſenioribus? Quam veneranda in Sacerdotibus? Quam terribilis in bellatoribus? Quam decora in adoleſcentibus? Quam compta in mulieribus? Quam dulcis in pueris?* Ecce quot formas, varietateſque in ornamentum humani corporis, capillorum diſpoſitio præbet. Quæ omnia iuxta eandem Ambroſij allegoriam ex Doctorum Sapientumque Vniuerſitatibus, toti Eccleſiæ prouenire, dubium non eſt. 6
Si enim Eccleſiæ crines, diſputatores ſunt, & ſapientes, omnem Eccleſiæ formam, omne Reipublicæ miniſterium, & diſpoſitionem ab illis, ornamentum, modumque accipere dubitandum non eſt. Inde reuerentia Senum, qui in Academiis nutriti Senatorum ampliſſimum locum in Republica obtinent: inde veneratio Sacerdotum, qui ab Scholis egreſſi, paſtum, quem ouibus ſuis præſtant ab vberrimis iſtis paſcuis meſſuerunt: indè terribilitas bellatorum, qui in communibus periculis à Sapientum conſilio fortitudinis ſuæ munimenta traxerunt. In cuius commendationem loquitur & Salomon in Eccleſiaſten cap. 9. *Ciuitas parua, & pauci in ea viri, venit contra illam Rex magnus, & vallauit eam, extruxitque munitiones per gyrum, & perfecta eſt obſidio, inuentuſque eſt in ea vir pauper, & ſapiens, & liberauit vrbem per ſapientiam ſuam, & nullus deinceps recordatus eſt hominis illius pauperis.* Ecce quomodo cæſaries noſtra, id eſt capillamentum Doctorum, etiam in bellatoribus terribilis apparet dum fortior Sapientis Viri diſpoſitio omnibus magni bellatoris machinamentis prædicatur. Ergo & id quod Salomon ſubdit, noſtro adaptemus propoſito. *Et dicebam ego meliorem eſſe ſapientiam fortitudine: Quomodo ergo ſapientia pauperis contempta eſt, & verba eius ſunt audita?* Quod eſt dicere, ſi Sapientia fortitudini præeſt, ſi tanto melior, & præſtantior forti ſapiens eſt, quanto caput manum præcellit, quomodo Sapientum iura contemnuntur, fortium exaltantur? Quomodo Sapienti affinis ſemper eſt pauperies, contemptus, obliuio? Fortitudini, diuitiæ, honor, amplitudoque defertur? Hac ergo Sapientis, fortiſque viri collatione, magnificè commendare nobis voluit Spiritus Sanctus, quo loco in Reipublicæ diſpoſitione collocandum ſit Sapientum, & Doctorum miniſterium, & quo loco fortium virorum æſtimanda ſit gloria, vt videlicet illi quaſi capilli verticem capitis obtineant, vnde omnibus ætatibus, omnibuſque Reipublicæ officiis, & ordinibus decor, & pulchritudo conferatur, atque ex Scholis, ſtudiiſque litterarum quaſi ex cæſarie, capillamentoque Reipublicæ corporis, reddatur ipſa reuerenda in ſenibus, & veneranda in Sacerdotibus, terribilis in bellatoribus, decora in adoleſcentibus, dulcis in pueris.

Vidimus Doctorum Scholas, Sapientumque Conuentum, capillamentum eſſe Eccleſiæ, cæſariemque Reipublicæ. Videamus quanto ampliori præconio ex ſacri eloquij fontibus illorum dignitas 7

cæteris

cæteris adhuc miniſteriis præferatur, nimirum litterarum Scholas, liberaliumque diſciplinarum Gymnaſia, turres in Scriptura vocari non abſurdo interpretandi genere cum pleriſque exiſtimare debemus. Inſignis eſt locus ille Cantic. 4. vbi illud toties decantatum, & ad miraculum vſque laudatum Sponſæ collum comparatur turri: *Sicut turris* (inquit) *Dauid collum tuum, quæ ædificata eſt cum propugnaculis.* Quo loco nomen illud, *Cum propugnaculis*, Hebraicè dicunt, *In Talpioth*, quod non etiam ab Ambroſio Latino ſtylo vſurpatum, *Quæ ædificata eſt* (inquit) *in Talpio.* Significat autem *Talpioth* Hebraicè, idem quod diſciplinæ, & ita Hebraica habent exemplaria: *Quæ ædificata eſt ad diſciplinas.* Pagninus: *Quæ ædificata eſt ad docendum tranſeuntes.* Vatablus: *Quæ ædificata eſt ad vſum dirigendi homines.* Quod totum Scholis, Vniuerſitatibuſque conuenire nulli dubium eſt. Turres ergo Scholas vocat Scriptura, Cœtuſque Doctorũ. Quod non obſcurè Paraphraſis Chaldaica expreſſit, dum locum iſtum Canticorum amplificans ad illa verba: *Sicut turris Dauid collum tuum*, hæc apponit, *& Princeps Scholæ, qui erat Magiſter tuus fortis in iuſtitia, & Magiſter operum bonorum, ſicut Dauid Rex Iſrael, & per verbum oris eius ædificatum eſt ſæculum.* Quibus verbis ita interpretatio noſtra commendata eſt, vt nihil poſſit ſignificantius exprimi, cum id ipſum quod nomine *Turris Dauid cum propugnaculis ædificata*, Vulgata habet editio, ipſa Paraphraſis, *Scholæ Principem* nominet, *Magiſtrumque bonorum operum*, ac proinde Turrim, Scholam ſignificare, Doctorumque Academiam, dubitari non poteſt.

8 Adiungam & alterum non minus firmum ex Iſaiæ teſtimonium cap. 33. vbi loquens Propheta de euacuatione vanæ, terreſtriſque ſapientiæ à Deo facienda: *Vbi* (inquit) *nunc eſt litteratus? Vbi legis verba ponderans? Vbi Doctor paruulorum?* Illud autem verbum, *Doctor paruulorum*, expreſſe ſic habet Textus Hebræus, vt videri poteſt in Bibliis Regiis, *Vbi numerans, ſeu numerator turrium*, quaſi idem ſit Doctor paruulorum, ſeu adoleſcentes diſciplinis erudiens, atque in turribus docens, id eſt, in Gymnaſiis, & Scholis, vbi adoleſcentes erudiũtur, & quaſi paruoli nutriuntur vbere doctrinæ. Quod attendentes *Septuaginta*, vt habet *Hieronymus* ad iſtum locum Iſaiæ, vertunt, *Vbi numerans nutrientes, paruum, & magnum?* Doctores enim in Scholis hoc præſtant miniſterium Reipublicæ, vt ſint nutritij parui, & magni, lac miniſtrantes paruulis, & rudioribus, cibum ſolidum maioribus, & perfectis, & iuxta Debboræ vaticinium in Cantico Iudicum 5. *Aquam petenti lac dedit, & in phiala Principum obtulit butyrum.* Adhuc petentibus eſcam, vtpote paruulis, lac porrigunt, inquirentibus autem, & ſuo iam ſtudio intendentibus quaſi in phiala Principum ſolidum cibum, id eſt, butyrum meditationis offerunt dentibus ruminandum. Sunt ergo Doctores paruulorum, ſeu numeratores turrium, nutrientes paruum, & magnum lacte, ſolidoque cibo paſcentes, vt ex hoc iam nobis innoteſcat efficaciùs illa comparatio in verbis Sponſæ Cant. 8. *Ego murus, & vbera mea ſicut turris. Ex quo facta ſum coram eo quaſi pacem reperiens.* Ex adducta enim intelligentia clarè datur intelligi, Eccleſiæ vbera ideò dici *Turres*, quia in Scholis, Vniuerſitatibuſque, quæ *Turrium* nomine deſignantur, cœtus eſt, congregatioque Doctorum, vbi Eccleſiæ vbera doctrinæ lacte erudiunt, nutriuntque paruulos, immò & fideles omnes in fide confirmant. Vbera enim, vt inquit D. Thomas *Cantic.* 8. ſunt qui alios nutrire poſſunt ſpirituali doctrina, ſed & vbera iſta facta ſunt ſicut turres, non ab initio, *Sed ex quo* (inquit) *facta ſum coram eo pacem reperiens.* Ex quo videlicet perſecutionis furor deferbuit, à tempore Conſtantini, vt notat *Lyra* ſuper iſtum locum, & optimè *D. Thom. opuſc. 19. cap. 3.* Loquens expreſsè de Scholis, Collegioque Magiſtrorum in Vniuerſitatibus, eorum Congregationes comparat Congregationibus Epiſcoporum in Conciliis, quæ ſolum permiſſæ ſunt poſt tẽpora perſecutionis. *In decretis* (inquit D. Thom. *diſt. 15. cap.*) *Canones dicitur, quod à temporibus Conſtantini Concilia inceperunt, in præcedentibus namque annis perſecutione feruente, docendarum plebium minimè dabatur facultas, inde Chriſtianitas in diuerſas hæreſes ſciſſa eſt, quia non erat Epiſcopis licentia conueniendi in vnum*, &c. Quod non eſt ſic intelligendum quaſi ante tempora Conſtantini nulla fuerint Concilia, ſed quod valdè rara, & quaſi furtiuè potius, quàm pro dignitate permiſſa.

Patet ergo quod ex hoc tempore ex quo Eccleſia facta eſt quaſi pacem reperiens, perſecutionis ceſſante rabie, ex tunc vbera eius facta ſunt ſicut turres, cum docendarum plebium tot erectæ ſunt Academiæ, tot Scholæ fundatæ, quæ quaſi turres reddunt Sponſæ vbera, vnde doctrinæ nutrimentum omnibus irroratur. Quare ad illud quod legitur 2. *Paralip.* 17. de Rege Ioſaphat, quod creuit, & magnificatus eſt in ſublime, ædificauitque domos adinſtar turrium, ad hanc intelligentiam non abſurdè pertinere videtur, cum enim de ipſo præmiſerit Scriptura, quod Ioſaphat miſit de Principibus ſuis vt docerent in ciuitatibus Iuda, docebantque, inquit, populum in Iuda habentes librum legis Domini, & circuibant cunctas vrbes Iuda, atque erudiebant populum, non incongruè intelligimus ex ipſa ſerie textus, concatenationeque verborum, turres ædificatas, ſeu domos adinſtar turrium ad hoc pertinuiſſe, quia populum erudiri curauit per Principes ſuos, per Leuitas, & per Sacerdotes, quorum domos inſtar turrium eſſe non dubitamus, quæ Scholarum officio, magiſterioque fungebantur. De quo & illud 1. Paralipom. 26. aliquale extat veſtigium, vbi dicitur, *Quod Iſraelitis præerat Choneniàs, & filij eius ad opera forinſecus ſuper Iſrael ad docendum, & iudicandum eos.* Quod Nicolaus de Lyra expendit, quod aliqui de Leuitis ſcientes legem, ordinati ſunt ad docendum populos in locis diſtantibus ab Ieruſalem, & ad determinandum dubia in quibus ſimplices dubitabant. Fuit ergo etiam tunc in lege prouiſa forma, diſpoſitioque Academiæ, & Scholarum, in quibus dignitas, iuſque Doctorum ſic eminebat, vt quaſi Reipublicæ turres, tam quoad excellentiam, quàm quoad fortitudinem, munimentumque omnium, dicerentur.

Nonne videris (Præclariſſimi Auditores) quid Diuina Oracula de Sapientum Scholis, de Doctorum Academiis decernunt? Quantum eorum miniſterio cenſent deferendum? qua amplitudine in Republica collocari debent? qua veneratione eorum decreta ſuſcipienda ſunt, quibus non vno tantum myſterio, non vna tantum metaphora, ac circumlocutione deſignandis, amplificandis, commendandiſque totus deſudat Scripturarum apparatus? Et ne ſacris tantum inſiſtamus, quanto ardore gentium antiquitas, vel ipſo naturæ ductu rem hanc illuſtrauit, promouit, obſeruauit? Nihil illis antiquius, quàm vt forma Reipublicæ 10

à litterarum Scholis datorem, amplitudinemque ſuſciperet ab illis ſtabilitatem, firmitatemque Regnorum poſtulantes. Domeſtica tantum exempla, quia abundè ſuppetunt, proferamus, nam vt optimè Latinus Pacatus in Panegyrico Theodoſio Auguſto dicto, de Hiſpania, annotauit, vni Hiſpaniæ quidquid vbique laudatur, adſcribit; hæc duriſſimos milites, hæc experiiſſimos Duces, hæc facundiſſimos Oratores, hæc clariſſimos Vates parit, hæc Iudicum mater, hæc Principum eſt, nulla in toto orbe prouincia Hiſpania noſtra fœlicior in hac parte fuit, quæ donec externis bellis conquaſſara, & à Phœnicibus, Tyriis, Pœnis, Romaniſque quaſi ad prædam petita contabuit, litterarum ſtudia non remiſit, quæ longis, diuturniſque ſæculis, vel ab ipſis antiquiſſimis Regibus altam pacem, firmamque, ac ſtabilem gubernationis formam obſeruauerat. A Strabone memoriæ proditum eſt, indeque a pluribus Hiſpanis Scriptoribus vſurpatum, ſapientiſſimos quondam Hiſpanorum Turduli, in Bætica Prouincia oſtendiſſe Cæſari leges à ſex millibus annorum conſeruatas, quæ cum oſtenſæ fuerint eo tempore, quo Cæſar debellatis Pompeij filiis nobili apud mundum victoria illuſtratus eſt, ſubit animum leges iſtas ab ipſo Tubale fluxiſſe, qui duobus retro annorum millibus ante Cæſarem Hiſpaniæ iura fundauerat. Sunt enim illa ſex annorum millia à Strabone memorata, ſupputatione quatuor menſium in quolibet anno numeranda, qua menſura annorum vtitur Xenophon in Æquiuocis, vnde Strabo deſumpſit, proindeque ſex annorum millia, duo millia ex noſtris communibus conficiunt.

11 Quare autem ſtudia cum hac legum antiquitate in Hiſpania floruerint, vix dicam, ſolam Poëſis memoria à Strabone ex tanta temporum annoſitate eruitur, cùm octingentis annis ante Heſiodum, & Homerum, Græcorum antiquiſſimos Poëtas in Hiſpania extitiſſe narrat, quorum poemata venerandæ antiquitatis ad Auguſti tempora peruenerunt. Poetas autem illo antiquiſſimo ſæculo vocatos Sapientes, ſeu Theologos, qui Diuinarum rerum contemplationem Carminibus adumbrabant, Author eſt Ariſtotel. 1. Metaphyſicæ, quem ibidem explanat Sanctus Thomas lect. 4. *Sciendum* (inquit) *eſt, quod apud Græcos primi famoſi in ſcientia fuerunt quidam Poetæ Theologi, ſic dicti, quia de Diuinis Carmina faciebant, fuerunt autem tres, Orpheus, Muſæus, & Linus, quorum Orpheus famoſior fuit, fuerunt autem eo tempore quo Iudices erant in populo Iudæorum.* Hæc S. Thomas.

12 Hos ergo tra antiquos Poetas, id eſt, Theologiæ deditos, Hiſpania noſtra ſuperauit, & antiquitatis palmam eripuit, nam Heſiodum ante Philoſophorum tempora fuiſſe, & in numero Poetarum Theologizantium numerandum, idem *Sanct. Doctor* aſſerit eodem loco *lect.* 10. *in fine*. Si ergo octingentis annis ante Heſiodum florebant in Hiſpania litteræ, & Poetarum nomine Theologica Carmina pangebantur, manifeſtum eſt, inter Sapientum cœtum, Hiſpaniæ litteras, Scholaſque etiam ipſis antiquiſſimis Græcorum præluxiſſe; illis ergo tam diuturna, firmaque Hiſpanicæ Reipublicæ gubernatio, iure optimo tribuenda eſt, qui per Sapientes litteratoſque Viros, tam ſtudioſè leges, & antiquitatis primæ monumenta ſeruabant. De Gothis, non leue eſt quod narrat *Rodericus Toletanus Antiſtes lib.* 1. *de rebus Hiſpaniæ cap.* 15. Quod Gothi, quo tempore Sylla Romæ Principatum tenebat, à quodam Dicinæo docti ſunt Philoſophiam, Phyſicam, Theoricam, Practicam, Logicam, &c. Gothi autem hoc commodum, hoc ſalubre, hoc agendum in agendis, & in iudiciis iudicabant, quod Dicinæus illorum Conſiliarius approbabat, inde elegit nobiliores, & prudentiores, fecitque Sacerdotes, quos ad Theologiam inſtruens, vocauit ſpeciali nomine *Pileatos*, & tyaris capita palliabant, vſque adeò & apud Barbaros, agreſteſque tunc Gothorum genus obtinuerunt litteræ iura principatus, & dominandi poteſtate in Republica potiebantur, vt iam mirandum non ſit quod de ſuis Athenis dixit Alexander, Athenas Regni ſui eſſe theatrum, vt refert *Nazianzenus Epiſt.* 111. ſcribens Euſtochio Sophiſtæ; hoc videlicet exiſtimans magnus Imperator, nihil tam illuſtre in Republica ſua, nec theatro dignum prodire poſſe in publicum, quod cum Athenorum Scholis poſſet comparari, vel quod ab illarum examine, doctrinaque approbatum non eſſet.

Excepit Alexandri ſententiam etiam in Hiſpania Sertorij magni, quondam Romanorum Ducis iudicium, qui, referente Plutarcho, ex quo Ludouicus Nonnius in ſua Hiſpania cap. 83. in Oſca (nunc vocatur *Hueſca*) fundauit Academiam, quò nobiliſſimos Hiſpaniæ adoleſcentes eruditionis cauſa vocauit, re ipſa vt obſides haberet erudiendi prætextu, quos cum maturiſſet ætas in partem adminiſtrationis, & imperij eſſet admiſſurus. Hic fuit Sertorio inſtituendæ Academiæ finis, vt inde Reſpublica moderatores acceptiſſet, Imperijque conſortes, verè exiſtimans Regni theatrum Scholas eſſe, nec aliter poſſe publica iura, niſi per Scholarum oculos lucem aſpicere. Notum eſt in Romana hiſtoria, quo loco, & dignitate Flamines ſint habiti in miniſterio, oreque ſacrorum, & Sacerdotali ſcientia, inde iam à Numa Pompilio inſtituti, in quibus adeò ſcientiæ, ingeniique acumen commendabatur, vt ob hoc fabarum eſu ſint prohibiti, vt *Varro* docet, & ex eo *Plinius lib.* 18. *cap.* 12. eo quod faba apud Pythagoricos, hebetes ſenſus facere dicebatur, lugubreque aliquid, & mortis ſimile repræſentare. Ampliſſimum hoc Sacerdotalis ſcientiæ munus in Hiſpania auidè arreptum eſt, vſque adeò vt fœminis non ſolum municipia, ſed integræ prouinciæ ad huiuſmodi miniſterium concrederentur. De Cordubenſi Flaminica meminit *Ambroſius Morales* in libello ſuo de *Corduba*. *Reſendius lib.* 4. antiquitatum, inſcriptionem antiquam refert, qua Flauia Rufina Flaminica totius Prouinciæ Luſitaniæ memoratur in Iouis Fano antiquiſſimo Luſitaniæ templo, labentibus poſteà ſæculis fœliciori ſorte in Sanctorum Iuſti, & Paſtoris Eccleſiam commutato, apud terrarum oppidum propè territorium Eborenſe, vbi in antiquo cippo marmoreo Sanctorum Iuſti, & Paſtoris nomine conſecratum ædificium inſcribitur Conſummatumque *Era* ſeptingenteſima vigeſima, hoc eſt, anno Chriſti 682. Quod tanto nunc ſuauius meminiſſe iuuat, quo præſentium temporum decus, & ornamentum, Complutenſem hanc noſtram Academiam eorumdem Sanctorum Martyrum Iuſti, & Paſtoris celeberrimo Templo inſignem omnium litterarum luce toti Orbi radiare conſpicimus, ficut illud quondam Iouis Fanum Flaminicarum Luſitaniæ nobiliſſimam Sedem in ipſorum beatiſſimorum Martyrum legimus aliquando permutatum.

Longum nimis eſſet, ac tædio propinquum per antiquiſſima retro ſæcula Regnorum ſpatia decurrere luſtrat Prouincias, in quibus ſummum 13

Reipublicæ

Reipublicæ ius litterarum Scholæ vindicarunt, qui nempe maieſtate, & ſplendoris gloria apud Aſſyrios Chaldæi habiti fuerint, apud Ægyptios, Prophetæ & Sacerdotes, apud Perſas, Magi, apud Indos Gymnoſophiſtæ, apud Gallos, Druidæ, apud Bactrianos Sammanæi; apud Athenienſes Areopagitæ; apud Hebræos, Eſſeni; apud Romanos, Augures, Flamines, Pontifices, cæteraque antiquorum Sapientum nomina, quibus fundata ſunt Regna, ſtabilitæ Monarchiæ, humanarum rerum pondera ſuſtentata, & ad Reipublicæ firmitatem ſummo ſemper iure præditi, nec violari, infringiq; eorum decreta, aut contemni permiſſa, niſi cum ad interitum, conerſionemque inclinarent Imperia, nec enim aliud eſt quod perennitatem, æuique longitudinem labenti fortunæ deſignat, quam Conſilij, Sapientiæque vis, quæ è Scholarum ſcaturigine, quaſi ex diuite metalli fodina multo faciliùs Rempublicam beat, locupletatque, quam immenſæ theſaurorum opes è terræ viſceribus, tanta anxietate, ac multiplici cura in lucem deportatæ. Pulchrè Ambroſius 2. Officiorum cap. 15. *Quanto* (inquit) *vtilius Regem Pharaonem Sanctus Ioſeph conſilio prouidentiæ iuuit, quam ſi contuliſſet pecuniam. Pecunia enim vnius ciuitatis non redemit vbertatem, prouidentia totius Ægypti per quinquennium famem depulit. Facilè autem pecunia conſumitur, conſilia exhauriri neſciunt. Hæc vſu augentur. pecunia minuitur, & cito deficit, atque ipſam deſtituit benignitatem, vt quo pluribus largiri volueris, eo pauciores adiuues, & ſæpè tibi deſit quod alijs conferendum putaueris. Conſilij autem, operiſque collatio, quo in plures diffunditur, eo redundantior manet, & in ſuum fontem recurrit, in ſe enim refluit vbertas prudentiæ, & quò pluribus fluxerit, eo exercitius fit omne quod remanet.* Sic Ambroſius.

15 Quorſum hæc viri ornatiſsimi? & ad quem finem, noſtra tandem collimat oratio, obuiam id vtique & facilè ex magna Academiarum authoritate, ſummaque doctrinarum cura in Republica habenda ad eligendam vnicam doctrinæ viam, quam ſequamur, deriuatur ſermo. Id ex Ariſtotele accipio, eiuſque fidiſsimo Interprete Sanct. Thom. Diſputat hic in initio *lib. 8. Phyſicorum*, de diſciplinarum cura in Republica inſtituenda. *Quod* (inquit) *Legiſlatori maximè vigilandum ſit circa iuuenum diſciplinam, nullus vtique dubitarit.* Vbi Sanct. Thom. *Magiſterium* (inquit) *eſt quod bona diſpoſitio, & conſuetudo iuuenum ad Rempublicam inſtituit, & ſaluat ipſam.* Verba ſunt notanda, *Inſtituit, & ſaluat ipſam.* Inchoatio ergo, conſummatioque Reipublicæ per Scholas, diſciplinaſque formatur, ab illiſque tota pendet. Quid autem ex hac aſſertione Philoſophus inferat, paulò inferius aperit: *Quoniam autem vnus finis ciuitati omni, manifeſtum quod & diſciplinam vnam, & eandem, neceſſarium eſſe omnium.* Cui loco lucem afferens S. Thom. ſic ſubdit: *Probat primo quod oportet eſſe diſciplinam, vnam intendens rationem hanc; Quorumcumque eſt vnus finis per ſe, eorum eſt diſciplina vna de his quæ ad finem ordinantur, quia ratio rerum quæ ſunt ad finem, ex fine ſumitur, & quorum eſt ratio vna, & diſciplina vna ſecundum quod huiuſmodi: omnium autem viuentium in ciuitate ſecundum Rempublicam vnam, eſt vnus finis, puta finis Reipublicæ, quare manifeſtum eſt quod omnium oportet eſſe vnam, & eandem diſciplinam de neceſſitate.* Sic D. Thomas ſyllogizans neruosè more ſuo & politizans.

16 Si ergo de neceſſitate Reipublicæ vnam oportet eſſe omnium diſciplinam, peccat vtique in Rempublicam, eiuſque diſſoluit fundamenta, vnitatemque eneruat, & diſtrahit, qui in diſciplina, doctrinaque tradenda, non vnitatem obſeruandam putat, ſed libertatem diuerſitatemque præferendam. Videris quanto periculo de vnitate doctrinæ non decernitur? Quàm nutat Scholarum authoritas, vnde fontes deriuantur Sapientiæ, niſi vnitas ſubſiſtat diſciplinæ. Quid Sanctius? Quid Reipublicæ vtilius quam eruditioni omnium proſpicere, quam certam, ſecuramque doctrinæ viam demonſtrare, & proponere, pericula præcipitiaque vitare, quæ à trita ſemita declinantibus, & iuxta veritatem proprij ſenſus fluctuantibus, pene ad omnem progreſſum obuia ſunt, & certa.

Primus *diſcendi ardor* (inquit Ambroſius 2. de Virginibus) *nobilitas eſt Magiſtri.* Ergo nobilem Magiſtrum eligere, illiuſque veſtigia ſedulò imitari, iam neceſſarium Scholæ, quàm in audientibus ardor, deſideriumque diſcendi. Multum intereſt prouidere, ac proſpicere, qualis primò audientium mentibus inſtilletur doctrina, cui veritatis indagandæ ſtudio primus animi dedicetur affectus; nam vt benè cecinit Lyricus, *Quo ſemel eſt imbuta recens ſeruabit odorem, teſta diu.* Egregiè D. Thom. Opuſc. de Eruditione Principis lib. 5. cap. 4. *Ætas hominis* (inquit ex Quintiliano) *tunc maximè formanda eſt, cùm ſimulandi neſcia eſt, ac præcipientibus facilimè cedit: frangitur enim, citius quam corrigas, quæ in prauo indurauerit. Ioannis vltimo, monet bis Dominus ad paſcendum agnos, ſemel monens ad paſcendum oues; innuens multum eſſe intendendum iuuenũ eruditioni, & morum informationi.* Sic S. Tho. 17

Si ergo illa ætas maximè eſt formanda, quando ſimulandi eſt neſcia, quando præcipientibus facilè cedit; ergo non ad hoc dirigenda eſt, vt pro libito ſequatur quod velit, vt doctrinæ addiſcendæ ipſe non ſit arbiter, ſed eius quæ ſibi præcipitur venerator, & cultor.

Certè ſi ad cuiuſcumque ingenij volubilitatem tradi, docerique veritatem videamus, quis inducetur, vt facilè præcipientibus cedat, quomodo informabitur ad ſolidiorem ſapientiæ viam, ſi tam diuerſæ, diſſidenteſque oſtendantur ſemitæ quot ſunt ingenia, menteſque docentium? Solicitè ergo curandum eſt, vt eligatur vnus, vt talem vniuerſo Reipublicæ corpori erudiendo ſequenda proponatur doctrina, & Magiſter, qualem vnuſquiſque propriis filiis inſtituendis, educandiſque vellet inuenire. Quis autem ille ſit non difficulter coniicere poterimus ex conditionibus, quæ in eligendo Magiſtro requirendæ ſunt, quas ſumma eruditione diuinaque Sapientia tradit *D. Thom. citat. lib. 5. de Eruditione Principum cap. 9.* nec alteri quàm ipſi melius conuenire conſtabit. Apponamus eius verba, quæ multò fœlicius rem totam, & perſuadere, & conficere poſſunt quàm noſtra. Sic ergo ait. *In Magiſtro qui eligitur, quinque ſunt requirenda; ſcilicet mens ingenioſa, vita honeſta, honeſta, humilis, ſcientia, eloquentia, docendi peritia. Mens ingenioſa*, vt inter ea quæ doceri poſſunt, ſciat eligere meliora, nec totum ex alienis ſcriptis accipiat, ſed aliqua inueniat. Sapiens; illum eruditorem elige quem magis mireris in ſuis, quàm in alienis, nihil magnificum docebit, qui à ſe nihil didicit, falſòque Magiſtri nuncupantur auditorum narratores, ac ſic audiendi ſunt, vt qui recenſent rumores. Requirenda eſt *Vita honeſta*, quia turpe eſt Doctori cùm culpa redarguit ipſum, vita mala ſuſpectam reddit doctrinam. Quis credat dicenti 18

ſibi cibum aliquem eſſe venenatum; ſi eo vidente ſumat ipſum? Quis credat alicui aſſerenti viam aliquam lattonibus plenam, & tranſeuntes per eam ſpoliandos eſſe, & iugulandos, ſi poſt illam aſſertionem viam illam ſibi eligat? Sicut exemplum boni operis plus ædificat, quam ſermo, ſic exemplum mali operis corrumpit. Hieronymus: *Procliuis eſt malorum æmulatio.* Vnde Græca hiſtoria narrat Alexandrum orbis Dominatorem Leonidis pædagogi ſui non potuiſſe vitiis carere in inceſſu, & moribus, quibus adhuc paruulus infectus fuerat. Indignum eſt Cœleſtem doctrinam in vaſe eſſe immundo, in Pſalm. 49. *Peccatori dixit Deus; Quare tu enarras iuſtitias meas?* Parum profuit eius doctrina cui repugnat vita, Auguſtinus lib. de Doctrina Chriſtiana: *Non obedienter auditur, qui ſe ipſum non audit.*

19 Requirenda eſt humilis ſapientia; Hieronymus; *Multo tempore diſce quod doceas.* Idem ſuper Eccleſiaſt. *Pythagoricorum fuit diſciplina tacere per quinquennium, & poſtea eruditos loqui.* Eccleſiaſtici cap. 8 *Antequam loquaris diſce.* Ibidem 32. *Audi tacens, & pro reuerentia accedat tibi gratia.* Prouerb. 18. *Qui reſpondet prius quam audiat ſtultum ſe eſſe demonſtrat.* Socrates cuidam interroganti quomodo poſſet optimè diſcere: *Si nihil* (inquit) *dixerit niſi quod bene ſciuerit.*

20 Humilis debet eſſe in ſcientia, illa enim quæ inflat, non eſt pura, nec vera ſcientia: habet enim multos errores annexos, quia *ſuperbia meretur illud*, vt ait Auguſtinus, ſed ſcientia humilis vera eſt. Prouerb. 11. *Vbi humilitas, ibi ſapientia. Superbus multa credit ſcire, quæ neſcit*, 1. Corinth. 8. *Si quis exiſtimat aliquid ſcire, nondum cognouit quemadmodum oporteat eum ſcire.* Scientia inflans, ſcientia eſt diabolica, à qua etiam dæmones nominantur, *Dæmon* enim *Sciens* interpretatur. Qui de magnitudine ſcientiæ inflatur, & gloriatur, fatuiſsimè agit, cum glorietur de hoc, quod eſt magnus Dæmon, ſiue Sciens.

21 Eloquentia, requirenda eſt; vnde dicitur in Prologo Rethoricæ, *Sapientia ſine eloquentia, parum prodeſt.* Cicero: *Nihil eſt quod malè narrando non poſſit deprauari.* Simplex debet eſſe eloquentia. Seneca. *Oratio quæ veritati dat operam incompoſita debet eſſe, & ſimplex.* Item, *Oratio quæ in ſanandis mentibus adhibetur, deſcendere in vos debet.* Item. *Aliæ artes ad ingenium pertinent, hic animi negotium agitur, non quærit æger medicum eloquentem, non erit quare gratuletur ſi inciderit in medicum diſertum.* Auguſt. in lib. de Doctr. Chriſt. *Quid prodeſt clauis aurea, ſi aperire quod volumus non poteſt quando nihil quærimus niſi patere quod clauſum eſt?* *Peritia* docendi requirenda eſt, ad quam quinque pertinent, ſcilicet apertio, breuitas, vtilitas, ſuauitas, & maturitas.

22 Aperta debet eſſe doctrina vt ab omnibus intelligatur. In libro Proſperi de Vita Contemplatiua dicitur: *Tam apertus debet eſſe ſermo docentis, vt intelligentia ſua nullos quamuis imperitos excludat. Vtendum eſt pleno ſermone vt nummo, vbi eſt publica forma, vſitatis ciuius vtimur.* Prouerb. 29. *Doctrina prudentium facilis.* Eccleſiaſt. 4. *Ne abſcondas ſapientiam tuam in decore eius.* De his qui ſimplicibus ingerunt ſubtilia dicitur Iſai. 19. *Confundantur qui operabantur linum pectentes, & retexentes ſubtilia.* Laudabilis eſt *breuitas* in docente, ſi ſit moderata. Hieronym. ſup. Ieremiam: *Nimia prolixitas onerat ſenſus legentium, & immoderata breuitas præſcindit ſtudioſorum deſiderium.* Eſt autem *breuitas*, vt dicitur in ipſa Rethorica, *Cum nullum, niſi neceſſarium aſſumitur verbum.* Vnde bene Eccli. 31. *Verba Sapientum ſtatera ponderabuntur.* Auguſt. in lib. de Doctrina Chriſtiana: *Sicut ingratus eſt, qui incognita obnubilat, ſic oneroſus eſt qui cognita inculcat. Vtilitas* requiritur in doctrina, Iſai. 48. *Ego Deus tuus docens te vtilia.* Seneca: *Non multis opus eſt, ſed efficacibus. Suauitas* laudabilis eſt in doctrina, Eccli. 4. *Tibia & pſalterium ſuauem faciunt melodiam, & ſuper vtrumque lingua ſuauis.* Ad ſuauitatem iuuat eloquentia, valet etiam ad eam Doctorum bonitas, vel vtilitas. Prouerb. 13. Doctrina bona dabit gratiam, ſupple ipſi Doctori & auditori. *Maturitas*, id eſt, mediocritas inter velocitatem, & tarditatem laudabilis eſt in doctrina. Seneca. *Inopia verborum, & exilitas minus intentum faciunt auditorem interrupta tædio tarditatis, facilius tamen incidet qui expectatur, quam qui prætervolat.*

Tria debet Doctor in doctrina intendere, ſcilicet vt inſtruat, placeat, & ad bonum moueat. Aug. in lib de Doctrina Chriſtiana, dixit quidam eloquens, & verum dixit, ita debere dicere eloquentem vt doceat, vt delectet, vt flectat; docere neceſſitatis eſt, delectare ſuauitatis, flectere victoriæ, docendi neceſsitas in rebus eſt conſtituta, reliqua duo in modo quo dicimus. Concludamus cu Auguſt. in eod. lib. *Quis audeat dicere aduerſus mendacium in defenſoribus ſuis inermem debere conſiſtere veritatem, vt ſcilicet illi, qui res falſas perſuadere conantur, nouerint auditorem vel beneuolum, vel intentum, vel docilem proœmio facere, iſti autem non nouerint? Illi falſa apertè, breuiter, veriſimiliter, & iſti vera ſic narrent, vt audire tædeat, intelligere non pateat, credere poſtremo non libeat? Illi fallacibus argumentis veritatem oppugnent, aſſerant falſitatem, illi nec vera defendere, nec falſa valeant refutare.* 23

Hæc omnia ex D. Thom. captim, & quaſi feſtinanter depromſimus, vt ex illis veri, perſpicuique Doctoris imaginem eliciamus, veritati que Magiſtrum qualis in expedienda doctrina Scholis præponendus eſt eligamus; talem enim eundem eſſe Doctorem ſanctũ, ipſa doctrina, cuius perſpicuitas, viuidaque veritatis lux ſic declarat, vt ocioſè in huius probationis argumentum, momenta temporis erogemus. Non eſt qui vel a primo limine eius ſalutauerit ſcripta, cui non ſtatim effulgeat quidquid abſolutiſsimi Doctoris munus adimplet. Quanta in ſcientia humilitas, in dicendo grauitas, in docendo peritia, in vita puritas? Cui alij tanta inſit apertio in ſententiis, breuitas in dictis, vtilitas in doctrina, ſuauitas in eloquentia, maturitas in electione? Quid ergo minus audeamus nos illi tota ſecuritate cõmittere, cui tam amplum intelligentiæ theſaurum commiſit Deus, cui reuelauit ſecreta, & occulta ſapientiæ ſuæ: Cui denique tam fiducialiter ipſa ſe credit Eccleſia, vt ſine vllo prorſus errore omnia ipſius prædicat ſcripta, nec vnquam à veritatis tramite deuiaſſe, qui ipſius renouerit veſtigia, ſecurè promittat. Ergo vt orationis noſtræ finis in ſuum recurrat principium, diuinæ ipſius ſapientiæ conſilium tutis oculis amplectendum proponimus. Eccleſiaſt. 6. *In multitudine ſapientium ſta, & ſapientia illorum ex corde coniungere, vt omnem narrationem Dei poſſis audire, & prouerbia laudis non effugiant a te; & ſi videris ſenſatum, euigila ad eum, & gradus oſtiorum illius exterat pes tuus.* Hæc ſollicitudo debet eſſe omnium, hæc vnica cura, & finis, ſtandum nobis eſt in multitudine 24

præſbyte

præsbyterorum ſapientiam, id eſt, in Schola, Academiaque Doctorum, & ſapientiæ eorum ex corde debemus coniungi, vt diſciplinam intelligere poſsimus, & quidquid nobis de Deo per fidem, ſcientiamque enarratur, ſed inter hæc ſi vnum ſenſatum videmus, ſi tanti, & tam Diuini ſenſus Magiſtrum quem rectè inter omnes ſenſatum appellare poſſumus, qualis eſt Thomas, inuenimus, quid teſtat niſi vt ad eum vigilemus, & gradus oſtiorum eius exterat pes noſter, vt in illos iugiter meditantes, & labore ſedulo, ſinceraque intentione intelligere cupientes, puram quoque, ac profundam eius intelligentiam ſine erroris periculo videamus, ſine iurgio defendamus, ſine diſſidio ſectemur.

QVÆSTIO VI.

An in Damnatorum ſpiritibus ſit alternatio, & viciſſitudo tormentorum?

1 VLTRICEM ſummæ iuſtitiæ manum, & fulminantem diuinitatis dexteram inter ſplendores gloriæ, inter arcana, & abſcondita à ſæculis immenſæ tuæ lucis myſteria contemplamur, haud ignari præcipuam admirationis, & reuerentiæ vim in Numine non tam à ſpecioſiſsimis attributorum ſuorum luminibus, & gratiis, quàm à terribili indignantis omnipotentiæ ſeueritate, & vindicantis fortitudine in humanis cordibus incitari. Et ſuggerit mihi nunc prudentiſsimæ illius Eſther Regis ſententia, non ignobilem ponderationem, quæ cum in conſpectum Aſſuen Regis non vocata, nec inuitata veniſſet, intuens fulgorem Regiæ maieſtatis, cultum veſtium ſplendidiſſimum, ſolium magnificentiſsimum, ac ſublime, in quo vt inquit Scriptura, reſidebat ille indutus veſtibus Regiis, auroque fulgens, & pretioſis lapidibus, eratque terribilis aſpectu, corruit Regina pene exanimis ad tantæ magnitudinis aſpectum; cauſamque pauoris, ac formidinis exprimens, *Conturbatum* (inquit) *eſt cor meum præ timore gloriæ tuæ, valde enim mirabilis es Domine, & facies plena eſt gratiarum.* Nimirum inter tot glorias, & tot gratiarum admirationes, quibus Regia facies plena videbatur, ſolus poteſtatis terror Reginæ animum inuaſit, & tam validè corripuit, vt pallenti vultu, & congelato ſpiritu cor ad deliquium vſque defecerit, & corruerit. Quid ergo mirum ſi ad excelſum illud, & eleuatum ſummi verticis ſolium, in quo Propheta ſedentem Dominum aſpexit, à cuius immenſi luminis fulgore oculos ſuos velant, & obtegunt ſupremi Seraphinorum ignes, nos tantilli accedentes, & ſummæ illius pulchritudinis ſplendores, ac diuinorum attributorum ſcintillantia lumina, quaſi Regiam diuinitatis faciē omnium gratiarum plenam per noſtræ tenuitatis vmbras, & ænigmata fidei ſpeculantes, ſolus indignationis diuinæ, & punientis dexteræ terror, quaſi ſagittæ Domini ſpiritum ebibat, illudque de tot mirabilibus diuinarum perfectionum varietatibus, ſiue ad ſummi decoris pulchritudinem, ſiue ad ſupremæ Maieſtatis ſublimitatem certantibus, præ cæteris expendendum, proponendumque ſumamus, quod ad æternæ ſeueritatis formidinem commendandam terroremque poteſtatis illius concipiendum inducit. Quali videlicet & quanta ſit illa perpetui carceris, & ſupremæ acerbitatis magnitudo, an mutationem aliquam, alternationemque in pœnis admittat; an vero omni ſimul irruentis vindictæ, & toto tormentorum pondere, miſerabilis turba damnatorum ſpirituum ſine vlla viciſſitudinis alternatione obruatur?

Et quidem omnia pœnarum genera non alternatim, ſed conſtipato impetu in æternis illis ſuppliciis miſeros comprehendere, non modica Scripturæ ſacræ verba nobis ſignificant, vt cùm Apocalypſ. 18. de damnatione impiæ Babylonis, quo nomine reproborum omnium multitudinem contineri nemo ignorat, ſic dicitur: *Ideò in vna die venient plagæ eius, mors, luctus & fames, & igne comburetur.* Vbi, *in vna die*, ſimultatem temporis ſatis inſinuat, in qua non vna plaga, ſed multiplex Babylonem vndique circumcinget, ignis comburens, mors occidens, luctus anxians, fames crucians. Nec minus acerbiſſimum illum calicem iræ Dei, de quo bibent omnes peccatores terræ, & quanta pœnarum miſceatur varietate, cum propinandus inclinabitur ex hoc in hoc, nobis manifeſtant verba illa Pſal. 10. *Pluet ſuper peccatores laqueos, ignis & ſulphur, & ſpiritus procellarum pars calicis eorum.* Quaſi dicat. Non totus calix continet diuerſas iſtas amaritudinum ſpecies, vt cuilibet ſuam alternando porrigat, ſed pars quælibet, vnuſquiſque calicis illius hauſtus ignem, ſulphurem, & procellam, id eſt, omnia ſimul pœnarum genera ori ebibentis infundet. Et ſicut laquei qui ponuntur ſuper terram non ſimul quidem complicant, ſed ab vno in alium inciditur, laquei tamen, qui ſicut pluuia cadunt ſimul ſine vlla viciſſitudinis mora, in quos cadunt, irretiunt: ſic infernorum laquei quaſi pluuia deſuper emiſſa peccatores comprehendent, vt nulla alternationis mutatione, ſed toto inuadentium pœnarum concurſu fatigentur. 2

a

Sed audiamus quam grauiter luctuoſum illum egredientis animæ de corpore ſtatum, in cruciatus æternos abeuntis, Spiritus Sanctus per os beati Iob nobis deſcribat, & in intima cordis viſcera recludat. *Omnis dolor* (inquit cap. 20.) *irruet ſuper eum. Vtinam impleatur venter eius vt emittat in eum iram furoris ſui, & pluat ſuper illum bellum ſuum. Fugiet arma ferrea, & irruet in arcum æreum. Eductus & egrediens de vagina ſua, & fulgurans in amaritudine ſua, vadent, & venient ſuper eum horribiles, omnes tenebræ abſcondita ſunt in occultis eius, deuorabit eum ignis, qui non ſuccenditur, affligetur relictus in tabernaculo ſuo.* Vbi S. Thom. litteraliter locum iſtum explicans lect. 2. in prædictum cap. Iob: *Fugiet* (inquit) *arma ferrea, id eſt, pœnas præſentis vitæ, impatienter eas ſuſtinendo, quæ ad modum gladij ferrei feriunt de propinquo, & irruet in arcum æreum,* 3

arcum, id eſt, in pœnas futuræ vitæ, quæ quaſi feriunt à remotis, ad modum arcus ærei, qui eſt infrangibilis, vt futurarum pœnarum interminabilitas deſignetur. Exponit autem conſequenter huius arcus proceſſum dicens: Eductus, & egrediens de vagina ſua (ſupple eſt) *arcus ille, quamdiu enim arcus eſt in vagina non percutit, & ſimiliter vltio futura damnationis quamdiu eſt in Dei præſentia, quaſi in quadam vagina non damnat, ſed educitur de hac vagina per malitiam prouocantem Deum, & tunc egreditur per diſpoſitionem Diuinam, & eius effectum oſtendit ſubdens: Et fulgurans in amaritudine ſua. Sicut enim fulgur de ſupernis ſubito, & cum violentia, & claritate venit, ita vltio illa infertur peccatori à Deo ex improuiſa cum tanta violentia quod reſiſti non poterit, & cum tanta claritate iuſtitiæ, quod excuſationi locus non erit, & ex hoc peccator replebitur amaritudine.* Ita D. Thom.

4 Si ergo educta anima de corpore omnis dolor ſuper eam irruet; ſi pluet ſuper illam bellum Dei; ſi in arcum æreum impinget, qui infrangibili fortitudine in orbem curuatus interminabiles futuræ vitæ pœnas deſignat; ſi inebriabuntur amaritudine fulgura ſagittarum ſuarum; ſi omnes tenebræ abſcondentur in occultis eius; ſi denique horribilesque dæmonũ laruæ tota debacchatione miſeram inuadent, quid reliquum eſt, aut quis locus ſupereſſe poteſt pœnarum alternationi, mutationique tormentorum? Sed quid in ipſa deuorantis ignis viſcera, & interiora infernorum clauſtra ingredi neceſſe eſt, quando inter ſempiternos ardores omnis creatura armabitur contra inſenſatos, quando iuxta Prophetam congregabuntur omnes congregatione vnius faſcis in lacum, & claudentur ibi in carcere, ſi in ipſis etiam inferorum portis, in ipſo aditu tartareæ regionis, & ferali vmbra horroris ſempiterni omnis generis pœnarum formido etiam à longè animum concutiat, ac diſſoluat, vt vere de illo dictum ſit Iob 41. *Portas vultus eius quis aperiet? Per gyrum dentium eius formido. Quis reuelabit faciem indumenti eius, & medium oris eius quis intrabit?* An immanitate illa oris tartarei, & ſulphurei halitus flamma ſe aperiente inter horrores dentium illorum, & ferrei vultus portas, vnius vel alterius torturæ formido monſtrabitur, & non potius omnes funeſtæ acerbitatis pœnæ pleno agmine obſtinatum ſpiritum circumcingent? Etenim, vt egregius etiam Poëta cecinit, Veſtibulum ante ipſum, primiſque in faucibus Orci luctus, & vltrices poſuere cubilia curæ, pallenteſque habitant morbi, triſtiſque ſenectus, & metus, & male ſuada fames, & turpis egeſtas. Terribiles viſu formæ, letumque, laborque, multarum interea variarum monſtra ferarum.

5 Addo maximè ad æternitatem illorum ſuppliciorum conducere inuariabilitatem eorum ſine vlla alternationis viciſſitudine, eo quòd æternarum hoc proprium eſt, quod perpetuò citra aliquam nouitatem, & mutationem durent eodem ſtatu, ſitu, modo, &c. Sic enim Threnorum 3. acerbiſſimam illam tormentorum congeriem luget Propheta, cum inquit: *In tenebroſis collocauit me quaſi mortuos ſempiternos, circumædificauit aduerſum me vt non egrediar; aggrauauit compedem meum, repleuit amaritudinibus, inebriauit me abſinthio, & fregit ad numerum dentes meos, cibauit me cinere, & dixi periit finis meus, & ſpes mea à Domino.* Quis inter iſtas dolorum vndas, & anguſtiarum circumdantium fluctus alternationem inueniat, aut ſuccedentium pœnarum viciſſitudinem expectet? Cum circumdent vndique, & circumædificent æternitatis ambitu ærumnoſam animam anguſtiæ interminabiles, nec vna, ſed omnibus repleant amaritudinibus, ita vt omnium oblita bonorum penitùs ab omni ſit pace repulſa. Denique ad ipſam magnitudinem mali, & aggrauationem torturæ facit, quod hæreant damnati pœnis eiſdem ſine intermiſſione affixi, & de vno in aliud minimè commigrent, tranſmutatio enim pœnarum licet in deterius ſit, aliquo modo leuat, ſicut è contra delectabile multoties repetitum, & continuatione quadam ſumptum, faſtidium generat. Vnde & de manna omne ſaporis delectamentum in ſe habente dicebant faſtidioſi illi Iſraëlitæ, *Anima noſtra iam nauſeat ſuper cibo iſto leuiſſimo.* Et in Pſalm. 106. *Omnem eſcam abominata eſt anima eorum.* Dicitur enim manna omnis eſca, vt quidam volunt, quia vicem omnium eſcarum, & omnigeni ſaporis præſtaret. Ergo ſicut ad aggrauationem faſtidij continuatio ipſa, licet in re tam delectabili degenerat, multo magis ad pœnæ cumulum pertinet ipſa tormenti continuitas, & omnis alternationis denegatio.

Et ſanè vix poteſt explicari quo loco, vel ſitu, aut quibus modis illa frigoris, & caloris tormenta ſint diſpoſita, & alternantium inſtrumenta pœnarum, quomodò de vna tortura in aliam damnati transferantur inter tantam, quæ futura eſt ſpiſſitudinem, & compreſſionem corporum damnatorum, quomodo qualitates illæ ſuccedentes ſeſe expellant, & in ipſa expulſione non aliquid mitigationis, aut leuaminis inferant frigore calorem extinguente, & calore frigus mitigante, quod totum vix ſine alteratione poteſt contingere, quæ tamen poſt diem iudicij ceſſabit omni cœli motu quieſcente. Sed de his veſpertinum appello iudicium, & ſuſpenſus hæreo dum ad acriora argumentorum veſtrorum iudicia, congeſtuſque attentionem animumque diſpono. 6

Quàm grauiter intonant diuina iudicia, quàm profundæ factæ ſunt cogitationes eius; cum intueri licet faciem abyſſi iacentis deorſum, cum illum carcerem mundi, totius horroris, & caliginis omniſque generis pœnarum, & afflictionis plenum, omnium tormentorum crudelitate, & immanitate terribilius, contemplari datur, & eloqui. Non mihi ſi linguæ centum ſint, oraque centum, ferrea vox, omnes ſcelerum comprehendere formas, omnia pœnarum percurrere nomina poſſem, vt Gentilis cecinit Poëta, ſed verius diuinus Vates, *Iuſtitia tua* (inquit) *ſicut mõtes Dei, iudicia tua abyſſus multa.* Vbi enim laxatis habenis inter peccatores ſempiternæ illius iuſtitiæ, & interminabilis ſententiæ cenſura diuina diſcurrit, ipſeque ignis omnipotentis iræ in furore ſuccenſus ardet vſque ad inferni nouiſſima. Quis poterit cogitare diem terroris eius, aut quis ſtabit ad videndum eum? Quid enim ſunt ſingulæ illæ iuſtitiæ, & punitiones ardentis vindictæ, niſi montes ſinguli, montes magni, montes Dei ſub æterno pondere infœliciſſimos ſpiritus obruentes, & gemitu, luctuque inceſſabili aggrauantes? Ergo ſingulæ pœnæ ſinguli montes, & iudicia illa non vnica, non pauca, ſed planè abyſſus multa, quæ cuiuslibet quantumcumque acutiſſimi intellectus aciem, & præcipitio terrent, & caligine inuoluunt. 7

Certè duo ſunt, quæ maximè in pœnis illis conſiderari poſſunt, multitudo, videlicet, & alternationis mutatio. Et multas, variaſque ibi pœnas eſſe, non obſcurè Scriptura ſacra indicat, non ſolum 8

quia

quia diuerſis peccatorum meritis diuerſæ taxari debet pœnarum menſuræ, id exigente totius iuſtitiæ ratione, ſed etiam quia diuerſis pœnis, & tormentis in vnum, eundemque hominem animaduerſio diuina procedit. Et licet plura loca ſint quæ de pœnalitatibus iſtis impiorum loquantur, vt de igne ardente, de ſulphure, de tenebris horribilibus, de fœtore, & putredine, de verme rudente conſcientias, de dæmonum crudeliſſima tortura, quæ paſſim in Scriptura obuiari poſſunt, ſufficit nobis locum illum *Sapientiæ* 5. in medium proferre, quo creatura omnis, totuſque orbis terrarum contra impios pugnaturus deſcribitur: *Accipiet* (inquit) *armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad vltionem inimicorum. Induet pro thorace iuſtitiam, acuet duram iram in lanceam, & pugnabit cum illo orbis terrarum contra inſenſatos. Ibunt directe emiſſiones fulgurum, & tanquam a benè curuato arcu nubium exterminabuntur. Et a petroſa ira plenæ mittentur grandines, excandeſcet in illos aqua maris, & flumina concurrent duriter. Contra illos ſtabit ſpiritus virtutis, & tanquam turbo venti diuidet illos*, &c. Ecce quam variæ pœnæ, quam multiplices anguſtiæ, & afflictiones tormentorum ab omni creatura in impios graſſabuntur, ita vt nullam reſpicere poſſint infœlices illi creaturam, a qua non aliquid pœnæ, & afflictionis accipiant, ſicut è conuerſo Beatis omnia creata ſeruient ad ineffabile, & perenne gaudium accumulandum.

9 Hæc ergo cum ita ſint, reſtat nobis præcipuum difficultatis ſcopum denudare, An videlicet tanta tormentorum varietas, & multitudo, vno agmine, & vt ita dicam vno ictu damnatos afficient, vt ſimul ab omnibus torqueatur; An vero alternatione aliqua, & viciſſitudine ſuccedendo ſempiterna tormenta, temporali aliqua mutatione diſtinguant. Et in hoc aperta eſt D. Thomæ ſententia 1. *part. quæſt.* 10. *art.* 5. *ad* 3. vbi inquit, *Quod ignis inferni dicitur æternus propter interminabilitatem tantum. Eſt tamen in pœnis eorum tranſmutatio ſecundum illud. Iob.* 4. *Ad nimium calorem tranſibunt ab aquis niuium. Vnde in inferno non eſt vera æternitas, ſed magis tempus ſecundum illud Pſalm.* 80. *Erit tempus eorum in ſecula* Ad hæc explicans D. Thom. illam Quæſtionem an in damnatis futurus ſit timor, ſic loquitur in 1. 2. Quæſt. 67. artic. 4. ad 2. *In damnatis magis poteſt eſſe timor pœnæ, quam in beatis ſpes gloriæ, quia in damnatis erit ſucceſſio pœnarum, & ſic remanet ibi ratio futuri, quod eſt obiectum timoris.* Et ſubdit, *Et tamen nec in damnatis erit propriè timor, nam timor nunquam eſt ſine aliqua ſpe euaſionis, quæ omnino in damnatis non erit, vnde nec timor niſi communiter loquendo ſecundum quod qualibet expectatio mali futuri dicitur timor.* Vt obique ergo S. Thom. futuritionem, & ſucceſſionem in pœnis illis admittit, ſecundum quatum variationem aliqualis temporum reuolutio adhuc permanebit in damnatis, qui non vera æternitate, ſed æterna pœnarum alternantium interminabilitate affligentur. Et videri poteſt in hanc ſententiam *Abulenſis* in Repetitione de ſtatu animarum, *num.* 109. vbi inquit, *Quod in pœnis inferni nullus ordo in permanendo eſt, quia cum aliquis fuerit nunc in nimio calore, transferetur ad maximum frigus, cum autem in rigore, ad calorem.* Et ex hoc induci poteſt fundamentum pro hac ſententia, quia in pœnis illis optimè verificatur illud Iob. *Vbi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat.* Supponitur ergo multa ibi eſſe pœnalia, ſed non ordinata, confuſione verò plena.

Et certè non vnam eſſe pœnam, ſed plures, nemo eſt qui negare audeat, cùm tota creaturarum fæx, & quidquid in eis horribile, & pœnale eſt clarificato mundo in hac ſuperiori parte deſcendet cum damnatis in infernum, quaſi in totius mundi ſentinam, & purgamentum. Quod diſertè explicat Baſilius ſup. illud Pſal. 28. homil. 1. *Vox Domini intercidentis flammam ignis*, Quia in fine mundi ignis diuidetur, & alia elementa, & quidquid eſt in eis pulchrum, & clarum remanebit ſuperius ad gloriam beatorum; quod verò eſt in eis fæculentum, & pœnoſum deſcendet in infernum ad pœnam damnatorum. *Domini vox ignis continentes ſibi vnitam naturam intercidit: quoniam duo ſunt in igne potiſſima, vſtiua vis, & illuſtratoria: vis prior ignis, acerrima quidem ad pœnas irrogandas repoſita eſt his, qui vſtione ſunt digni, altera ſui luminis diffuſiua ſuccedet his, qui claritate perfruituri ſunt gaudij perennis.* Et ſpecialiter dicitur, quod vox Domini intercidet ignem, vt quaſi à fortiori diſcamus quantum reliqua elementa purgabuntur, quæ groſſiora ſunt, cum etiam in tam ſubtili corpore qualis eſt ignis inueniat imperioſa illa Domini vox quid diuidendum ſit, vt de eius fæculentia ſegregetur quod in ipſam inferni colluuiem emittatur. Iam vero ſi de omnibus mundi corporibus ſegreganda ſunt, quæ purè pœnalia erunt in damnatorum torturam, & anguſtiam, quia iuſtum eſt inquit *D. Thom. Quodlib.* 8. *art.* 18. vt qui Creatorem offenderunt, ab omni creatura puniantur; conſequenter etiam rationabile eſt vt alternatione tormentorum vexentur, quia ſi omnibus ſimul, & collectione quadam confuſis attterantur, non ita facile ſingulorum vim, & acrimoniam datur experiri, cum ex plurium obiectorum occupatione, minus cuiuſlibet ſecundum ſe poſſit ſenſus percipere vehementiam. Vt ergo cuiuſcumque tormenti totam, & acerrimam vim ſentire poſſit damnatus, conueniens eſt vt vnumquodque in ſua puritate experiatur, & non cum alterius mixtura, licet de omnibus alternatim deguſtet. Et ſic verificari videtur illud Pſalm. 74. *Quia calix in manu Domini vini meri, plenus mixto.* Vbi de diuina punitione in peccatores agi, ſatis indicant ſequentia verba, *Verumtamen fæx eius non eſt exinanita, bibent omnes peccatores terræ.* Hic ergo calix iræ, ac furoris Dei, & *vini meri* dicitur eſſe, & tamen *plenus mixto*, quia inferni poculum, & omnium tormentorum, fæciſque totius creaturæ plenum erit, & tamen meram cuiuſque tormenti acerbitatem ſine alterius mixtura, ſed alternatione viciſſitudinis ſuccedente infœlicia labia deguſtabunt.

Nec vulgariter hoc confirmat vulgatis ille locus Iob 24. *Ad nimium calorem tranſibunt ab aquis niuium.* Quod de perditorum cruciatibus communiter Sancti exponunt, non quod ibi veras generari niues, aut ſciamus, aut credamus, ſed quia niuium terræ tota fæculentia, & pœnalitas eò confluet, ſicut & omnis ignis acrimonia, & horribilitas, vt alternando iſtas pœnas, & de vno tormento ad aliud tranſeundo, & inceſſanter vietam vtriuſque ebibendo amaritudinem, fiat ipſa ſucceſſione, & cruciatus vehementior, & pœna productior. Scio nonnullos locum Iob ad alios ſenſus detorquere, & ad Hebraïcam confugere originem, vbi legitur: *Siccitas, & calor auferunt aquas niuis*, vt ſit ſenſus, Quia ſcelerati ſine anguſtiis, & cum ſuauitate ad ſepulchrum deſcendunt ſicut ſuauiter, & facile calor liquefacit niues. Sed tamen

tetcota

referente vulgata noſtra lectione, & communi expoſitione Sanctorum, quod ibi eſt ſermo de diuerſitate pœnarum inferni, alternationem ipſam pœnarum ſatis illud verbum *Tranſeundi*, demonſtrat, dum dicit, *Ad nimium calorem tranſibunt ab aquis niuium.* Quod in ſuo rigore, & proprietate ſine pœnarum ſucceſſione explicari nequaquam poteſt. Nec ex iſta pœnarum variatione aliquod damnatis erit refrigerium, vt optimè *Sanct. Thom. Quodlibeto citato*, aduertit, quia ignis, & aqua, & huiuſmodi, non agent in corpora damnatorum actione naturæ, ita quod relinquant ſuas qualitates in corporibus damnatorum ſecundum eſſe naturale, ſicut ignis relinquit calorem in lignis, quæ facit eſſe calida; ſed agunt in corpora damnatorum actione ſpirituali, imprimendo ſcilicet ſuas qualitates in corporibus damnatorum per modum quo ſpecies colorum eſt in aere, vel etiam in pupilla. Vnde corpora damnatorum ſentient afflictionem ignis ſine hoc quod conuertantur in naturam ignis, & ideò varietas pœnarum non faciet eis aliquod refrigerium. Refrigerium enim nunc ex alternatione pœnarum prouenienus cauſatur ex tranſmutatione naturæ, in quantum per frigus aquæ, ſuperfluitas caloris remittitur, & ſic ad medium venitur quod eſt delectabile. Ita *D. Thomas*, cuius verbis, & explicatione quod huic quæſtioni diſſoluendæ, ſatis, pro nunc ſufficiat.

QVÆSTIO VII.

Vtrùm Ciceratio Tauri in D. Marci ſolemniis fieri ſolita ſuperſtitione vacet?

1 FOELICI ſorte inter ipſa erumpentis verni primordia, inter aſpirantis florilegia, & virentia Cereris, ac Floræ dona, quæ exhilarata natura in nouo renaſcentis veris poſtliminio ludens plena ſpargit manu, cum enodato ſinu, variam illam, ac floridam erubeſcentis telluris purpuram effundens, qua nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt, totius in ſe oſculantis cæli pulchritudinem terreſtri quadam elegantia repræſentat. Fœlici (inquam) ſortè ad feſtiuam palæſtram animus exultat, dies ipſe diei eructat verbum, atque inter tam præclara diuinæ Sapientiæ lumina, noſtræque celeberrimæ Vniuerſitatis ſydera maior rerum mihi naſcitur ordo; maior agit Deus, atque opera ad maiora remittit, & inuitat opportunum tempus, cùm beneficus ille totius orbis Oculus, & radiatum Solis iubar geminatis radiis aurea cœleſtis Tauri cornua luſtrans, poſt exactas hyemes, poſt ſedatam tempeſtatum rabiem, & poſitos ventorum furores, opifices illos, lucis theſauros ſplendidiori diffundit lumine, terramque vberiori, ac diuine vena fœcundat, & extinctum penè, ac funeſtatum mundi honorem, & horreſcentem totius terræ faciem, non tam fulgoris plenitudine, quàm diſciplinæ magiſterio reſtaurat. *Quippe* (vt Tertullianus inquit lib. de Reſurrect. carnis) *etiam terra de Cælo diſciplina eſt, arbores veſtire poſt ſpolia, flores denuo colorare, herbas rurſus imponere, exhibere eadem, quæ abſumpta ſunt ſemina, nec prius exhibere quam abſumpta. Mira ratio! de fraudatrice ſeruatrix; vt cuſtodiat, perdit; vt integret, vitiat, vt ampliet, prius decoquit, ſiquidem vberiora, & cultiora reſtituit, quàm exterminauit.* Inter tot ergo blandientis, ac fauentis Cæli munera, quæ mundum ipſum recurrentis anni conuerſionis reſuſcitant neſcio quo genio, aut numine in nouos quoque partus ingeniorum aſpirant fœturæ, ludunique Palæſtræ noſtræ, & inſolito nitore vernant Academiæ, coronantque liminibus, ac frondenti ceſpite viridantes, toto quoque florum certatim honore, ac præeunte diuinæ Sapientiæ face. Largior hic Campos Æther, & lumine veſtit, Purpureo, Solemque ſuum ſua ſydera norit. Ergo ad gramineos ludos iuuat applicare animum, exercereque palæſtram. Nec veſtro grauiſſimi Patres, conſpectu indignum, aut immodeſtum cenſebitur, ſi breui hac temporis periodo ad ſpectacula non indecora vos inuitem, non quæ Circi inſaniam, nec quæ arenæ ſæuitiam, nec quæ theatricum luxum, ſed quæ ferocientis beſtiæ, & immaniſſimi tauri manſuetudinem penè miraculo naturam ſuperante quotannis in ſolemniori D. Euangeliſtæ Marci feſto in media Hiſpania agi ſolitam, in hunc litteratum omnium Theatrum euidentiùs repræſentem. Vos ipſi Grauiſſimi Patres ludum iudicate, ſpectacula attendite, Religionem diſcutite; me interim fauentibus animis quaſi alterum Orphæum auſcultate, mulcentem tigres, & agentem carmine quercus. Res igitur omnibus notiſſima, vix tamen hucvſque neruosè diſcuſſa, ita habet. Ab antiqua hominum memoria in oppido quodam vlterioris Hiſpaniæ (de las *Brozas* vocant) confraternitas fundata eſt D. Euangeliſtæ Marco ſacra, cui vt ſolemnè pompam, & celebriorem cultum ſodales exhibeant, illud in more poſitum eſt, vt confraternitatis Præfecti ex vario armentorũ genere, quæ tota illa regione vberrimis circumpaſcuis errant, truculentiorem taurum, quaſi nuncupatis ſuffragiis eligant, qui ſplendidum tantæ feſtiuitatis diem cicurationis ſuæ admiratione cumulet & exornet. Electum bouem, *Marci* nomine inſigniunt, vt patroni, atque aduocati ſui votis etiam ipſo nomine obſecundet. Interim ab armentis, & montibus ferox animal non recedit, nec humanis vſibus manſueſcit, ſed ferina ſpecie indomitus irarumque aſperrimus inter dumeta, & Syluas efferatur:

Frondibus hirſutis, & carice paſtus acuta
Et tentat ſeſe, atque iraſci in cornua diſcit,
Arboris obnixus trunco, ventoſque laceſſit
Ictibus, & ſparſa ad pugnam proludit arena.

Illi dura, & hirſuta ceruix pingui horreſcit aruina, pedes modici, & breues, quaſi pennigero volatu

pateutes

patentes tranſmittunt: Campos, frons cornibus aſperata, in terrorem aſſurgit, narium, oriſque halitus quaſi lethiferi ſpiritus venena diffundit. Sicque illi corpori toto ſcintillæ abſiſtunt, oculis micat acribus ignem. Denique mugitu horribilis, ita feruidus, totus in truculentiam, totus in ſæuitiam armatus, nihil niſi ferinum, nihil niſi belluam repræſentat. Tantam belluam, pergentes ad ipſos montes, ac paſcua in Diui perinſignis confraternitatis Præfecti, detecto Capite euocant nomine proprio, atque vt ſe ſequatur in nomine Domini, & D. Marci edicunt. Mira res! Et vix credibilis niſi tota in oculare teſtimonium Hiſpania conſurgeret. Fera quaſi depoſitis crudelitatis exuuiis, oblita paſcuæ, armentorum immemor, caulas deſerit, iuuencos, vaccaſque dimittit, & ad euocantium vocem feſtinè procurrit, ſequitur præeuntes, nec iam taurina ferocia, ſed vituli, aut ouis manſuetudine, ſine vlla aut formidine ducitur, aut violentia. Quid non mirum in tam ſubita cicuratione? Quid non in tanta truculentiæ, lenitatiſque conuerſione? Parum eſt hoc. Syluestre animal, & rurale, ſoliſque montibus, & paſcuis aſſuetum, non manſueſcit ſolum, ſed domeſticum, ac ſociale efficitur, ingreditur oppidum, turbamque ruentem, atque circundantem, nihil expaueſcens, vſque ad ipſam Eccleſiam, ductores ſuos ſequitur, vbi numeroſa populi multitudo feſtiuis acclamationibus Taurum excipit, armos, humeroſque mulcet, attrectat cornua, floribus ornat, atque vndique corollas ſuſpendit; quin & pueri, innuptæque puellæ, Sacra canunt, funemque manu contingere gaudent. Stat iuxta templi altare dum Diuina celebrantur officia, cicurata beſtia, omnium manibus, omnium oculis, omnium attactibus patens, quouſque ſolemniis diuinis ritè perfunctis dimittitur, & abire præcipitur; tuncque ferocitate priſtina quaſi de nouo reuocata, toto impetu ruens, ad montes iterum, & nota paſcua pernicisſimus euolat. Non illi obuiare quiſquam, non ſtare contra, nec ferinam ſpeciem oculis attendere, aut expectare audet, tantus vbique diſcurrit, & ſcintillante furoris igne quidquid obuium, quidquid obſiſtens fuerit proculcat, ventilat, diſſipat, & euertit. Hæc de tauro illo celebris hiſtoria.

Hoc prodigium miratur natura, obſtupeſcit ingenium, hæret religio. Dei virtute atque miraculo hæc poſſe contingere nemo dubitat, ſed quorſum miraculum hoc, & tam perenne inter fideliſſimos populos, & Religione ipſa iam diu firmata conſtantes? Quid verò Tauro cum Diuo Euangeliſta Marco, cui à ſacris Doctoribus in myſtica illa animalium diſtributione, Leonis potius quàm Bouis appropriatur effigies? Nec vero facile eſt ſpiritui nequam totum hoc negotium attribuere, quippe cum in nomine Dei fiat, cum in honorem Sancti, taliſque Euangeliſtæ, cum Religione publica Prælatis non ignorantibus, Eccleſia non improbante, toto denique populo applaudente. Quid inter hæc prouida, ac vigilantiſſima Religio, & Chriſtianæ diſciplinæ ſolicitudo diiudicet, ne forte latentiori aliqua ſuperſtitione inuoluatur? Multorum in hac parte hæret ſententia, ſuſpenditur iudicium; Nos pro tenui noſtro ingenio diiudicandum veſtro afferimus conſpectui.

4 Quod initium, quæ origo fuerit magnum Euangeliſtam taurino ſpectaculo celebrandi, non inuenio, qui ediſſerat. Res in obſcuro manſit tot ſæculorum ætatibus quaſi ruderibus deſuper aggeſtis obliterata. Mihi tamen non leuis ſubit ſuſpicio ab Ægypti, & Alexandriæ fontibus, vbi Diuus ille glorioſum agonem octauo Neronis conſummauit, feſtiuum hunc morem in reliquas Orbis Chriſtiani partes effluxiſſe. Fuit olim Alexandrina Ciuitas, vt multitudine populi, ac nobilitate clariſſima, ita inanium Deorum ſuperſtitione, ac vanitate cultus dæmoniorum celeberrima. Extat illa magni Antonij vox apud Hieronymum in eius vita, tantæ ciuitatis impietatem ingemiſcentis, *Væ tibi* (inquit) *Alexandria, quæ pro Deo portenta veneraris! Væ tibi ciuitas meretrix, in quam totius Orbis dæmonia confluxere! Quid nunc dictura es? Beſtiæ Chriſtum loquuntur, & tu pro Deo portenta veneraris.* Inter iſtas autem Deorum vmbras, & ficta Diuinitatis ſimulachra, maximum apud Ægyptios, & Alexandrinos Deum *Serapidem* fuiſſe, antiquorum conſentit authoritas, teſtaturque D. Auguſt. 18. de Ciuitate, cap. 5. *His* (inquit) *temporibus* (*ſcilicet famis vniuerſalis, quam Ioſeph Pharaoni prædixerat*) *Rex Arginorum Apis nauibus tranſuectus in Ægyptum, cum ibi mortuus fuiſſet, factus eſt Serapis omnium maximus Ægyptiorum Deus.* Colebant autem Ægyptij, vel vt Auguſtinus ait, alebant in honorem Serapidis bouem deliciis affluentibus, qui non *Serapis*, ſed *Apis* vocabatur, *Apis* enim Græcè, idem eſt, quod *Bos* Latinè, quia Rex ille dum viuebat, *Apis*, id eſt, *Bos* appellabatur, mortuus autem, & in arca conditus, *Serapis* dictus eſt quaſi *Apis in Soro*, *Soros* enim Græcè, idem eſt quod *Arca*, vnde & *Sarcophaga*, tumuli, ſeu ſepulchra dicuntur, in quæ defuncti quaſi in arcam inferuntur, ideo & bos ille Serapidi dicatus, *Apis* etiam dicebatur, quia eum vt viuum ſine ſarcophago venerabantur. Quo boue mortuo, inquit Auguſtinus, quia quærebatur, & reperiebatur vitulus coloris eiuſdem, hoc eſt, albis quibuſdam maculis ſimiliter inſignitus, mirum quiddam, & diuinitus ſibi procuratum eſſe credebant.

Luculentius de Boue iſto apud Ægyptios Deo, eiuſque in colendo ſuperſtitione, Alexander ab Alexandro lib. 6. cap. 2. *Corpore* (inquit) *erat niger, candida fronte, in tergo alba nota inſignis, duplicibus pilis in cauda, & lingua, Cantharo* (*id eſt, Scarabæi figura*) *notatus, quem certos vitæ annos excedere non licebat. Hunc in locum demerſum, indicto iuſtitio, ſciſſa veſte, & laceratis crinibus defunctum plangebant, inuento vero alio, mirificè lætabantur. Reſponſa autem dare, non vt reliqua oracula ſolitus, ſed ſi manu oblatum pabulum ſumpſiſſet à conſulentibus, ſecundos euentus, & omnia proſpera decernebat, Si vero abijceret, omnia ſiniſtra portendebat. Ideo cum à Germanico Cæſare pabulum oblatum renuiſſet, funeſtum omen, & indubiam mortem, quæ paulò poſt ſecuta eſt prænunciauit.* Ita Alexander. Fuit itaque multa in huius Bouis ſuperſtitione Ægyptus ad honorem Serapidis conſecrati, cui mortuo ſolemni planctu Sacerdotes parentabant, aliumque in eius locum inuentum, & ſuffectum pari iocunditate, & lætitia venerabantur, quò illud Tibulli in 1. Elegiarum reſpexit: 5

Te Canit, atque ſuum pubes miratur Oſirim
Barbara Memphitem plangere docta Bouem.

Porrò Sacra, quæ huic boui, ſeu Api fiebant, magnificentiſſimo luxu apud Ægyptios celebrabantur mēſe Aprili, qui apud eos *Pharmuthus* appellatur, atque ita ſplendidis conuiuiis epulabantur, vt in

in commune prouerbium abierint, *Serapica Cœna*, de quibus Tertullianus in Capit. 39. Apologetici, *Ad ſummum* (inquit) *Serapica Cœna Sparteoli excitabuntur*. Quod Zepherinus, & Pamelius referunt ad Serapidis Ægyptiacæ Sacra, quæ quanto luxu celebrarentur, admonet vis illa Sparteolorum, & fiſcellarum, quæ vndique concurrunt, erant enim in his ſacris frequentes in vſu Sparteoli, & fiſcellæ in arcæ formam, eo quod Serapis, vt ex Auguſtino diximus, ab arca in qua Apis conditus eſt, nomen accepit. Teſtatur autem Simeon Methaphraſtes in vita & martyrio S. Marci Euangeliſtæ, quod cùm eo anno Sanctum Paſcha celebraretur octauo Kalendas Maij, hoc eſt 24. Aprilis, qui ab Ægyptiis *Pharmutius* vocatur, illo tempore, & Serapidis illorum Dei debachatio celebrabatur. Et cum eam temporis nacti eſſent opportunitatem, homines quoſdam ſubornatos miſerunt, qui Apoſtolum Sanctæ Diuinæ oblectationis, preces, & miniſterium facientem inuenerunt. Quem cum comprehendiſſent, fune in eius collum iniecto trahebant, ita dicentes; *Trahimus Bubalum hunc ad bubulci ſtabulum*, ita Methaphraſtes. Quæ verba planè ſuſpicionem noſtram confirmant, inde videlicet emanaſſe ſolemnem morem, Bouem, ſeu Taurum dedicandi Diuo Euangeliſtæ, quia ipſe in bouis Ægyptij, hoc eſt, Serapidis feſto, & debachatione paſſus ſit, & in bouis modum ab impiis alligatus, & tractatus, *Bubali* que nomine, & improperio ab ipſis tortoribus dehoneſtatus.

7 Ex his autem ad antiquiora adhuc tempora retrocedens memoria, non leuiter in hac ipſa præſumptione fundari videtur, quod nobilis huius temporis Author *Benedictus Pererius in cap. 46. Geneſeos*, annotans tempus prædictum, quo Apis Argiuorum Rex in Ægyptum è Græcia nauigauit, ſcilicet tempore famis à Ioſeph prænuntiatæ Pharaoni, quomodo etiam ibi mortuus, & in arca clauſus, Serapis dictus eſt, pro Deo in ſimilitudine Bouis veneratus, addit, quod quia recens erat cultus eius in Ægypto, ideo fortaſsè exiens Iſraëliticus populus de terra Ægypti in hanc eandem Idulolatriæ ſpeciem, tam facile impegit, vt vitulum ſibi pro Deo confingeret, atque infauſtis illis vocibus, vere autem horridis blaſphemiis idolum ſalutaret dicens: *Hi ſunt Dij tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra Ægypti*. Et fortaſſe ſi iam tunc illis antiquiſſimis temporibus, Serapidis feſta ab Ægyptiis eodem menſe celebrabantur, quo poſtea Tempore Diui Marci, videlicet, in menſe Aprili, pronum eſt exiſtimare totam Ægyptum debachationi, & celebritati maximi Dei ſui Serapidis incubuiſſe, cum in manu excelſa, & poteſtate diuina percuſſis ab exterminante Angelo primogenitis, egreſſi ſunt filij Iacob de populo barbaro, vt videlicet inter infanda ſacra, & inanis idoli ſolemnia, inter medios inimicos tam illuſtri victoria, tantoque miraculorum ſplendore de tenebroſa illa ſuperſtitione fulgentiſſima veritas triumpharet, ſiquidem menſe Aprili filios Iſrael exiiſſe de Ægypto, ideſt, primo menſe Iudaico, qui *Niſan* appellatus eſt, & nunc in menſem Aprilem incidit, tum ex Scriptura, tum ex retrocedentium annorum ſupputatione manifeſtiſſimè demonſtrari poteſt. In huius ergo Bouis memoriam, quem tanto cultu iam tunc venerabantur Ægyptus, ſine dubio ingratus ille populus ſuperſtitionem æmulatus Ægypti vitulum ſibi in Deum confinxit conatus ante bouem, quem tam ſtolidè viderat paulo ante ab Ægyptiis venerari. Quò videtur alludere Pſalmiſta in verbis illis Pſal. 105. *Et fecerunt vitulum in Horeb, & adorauerunt ſculptile, & mutauerunt gloriam ſuam in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum*. Quia enim Ægyptius ille bos, vt ſupra ex Alexandro retulimus, reſponſa & oracula ſicut cætera idola non reddebat, ſed ſi pabulum de conſulentium manibus recepiſſet, fauſta omnia denũciabat, ſiniſtra vero, & infauſta ſi renuiſſet, Ideo vitulus ille in ſimilitudinem Serapidis factus deſignatur, cùm ſimilitudinem comedentis fœnum habuiſſe dicitur, quia non oraculis, ſed populo vaticinia portendebat.

Hæc mihi de bouis huius, ac ſacrorum eius origine in ſuſpicionem occurrunt, quæ vtique probabilem reddunt præſumptionem aſſertam, inde emanaſſe morem iſtum feſta Diui Marci manſuefacto Tauro celebrandi. Sed an cicuratio iſta ad operationem dæmonis referenda ſit Religioſo fidelium cultui ſuperſtitionem hanc immiſcentis, vt quaſi Sathan inter filios Dei aſſiſtens latenti eos veneno decipere conetur; An verò Diuinæ virtutis miraculum ſit ad excitandos ſuorum animos in fidem, Religioſamque pietatem erga tanti Euangeliſtæ venerationem? Hic totius difficultatis cardo, hoc opus, & labor eſt. Et fortaſſe non deerit, qui mirabilem iſtam, inſolitamque cicurationem, nec dæmonis arti, nec Diuino miraculo conſignet, ſed naturali virtuti, aut lapidum, aut herbarum, aut alterius rei naturalis, quibus manſueſieri, aut cicurari negari nequaquam poteſt. Nec enim alienum à veritate videri debet quod de Daphni ſuo tygres in iugum mittente Princeps Poëtarum cecinit. Daphnis & Armenias curru ſubigere Tygres, inſtituit. 8

9 Certe Ælianus narrat manſueſcere Taurum ſi dextrum ipſius genu faſcia alligetur. Quod luculentius ita tradit Pierius Valerianus ad Hieroglyphica, titulo Bonorum obſequium, fol. 23. *Taurum* (inquit) *ſi dextro alligaueris genu, manſuetum, & vincula conſequentem inuenies*. Hoc cùm Romæ Clementis VII. principatu Græculus quidam effeciſſet, ducto ſæpius ferociſſimo Tauro per vniuerſam vrbem, quem tenui admodum funiculo ita religarat à genu, peritiſſimi Magi nomen apud imperitos aſſecutus eſt. Hunc verò eundem eſſe exiſtimo, aut ei ſimilem, quem *Grillandus Quæſt.* 8. refert ſe Romæ vidiſſe quendam Magum excellentiſſimum Græcum, tempore Adriani Sexti antequam ad vrbem perueniret ipſe Pontifex, qui ſolis verbis compreſſerat vires cuiuſdam ferociſſimi Tauri exiſtentis in armento in loco Syluestri, quem ſic affixum, & humiliatum apprehendit per cornua, & chordula quadam ſatis debili, arte tamen Magica fabricata, Taurum ipſum, quò voluit adduxit. Ad hæc ſcribunt alij ficum alligatam furentem Taurum manſuefacere, vt videre eſt in *Alexandro de Angelis, Libello in Aſtrologos Coniectores, cap.* 18. Sanè mirum eſt quod plures (inter quos *Plinius libro ſeptimo. capitulo ſecundo.*) referunt de quibuſdam Libiæ populis, qui *Pſilli* dicuntur à Rege quodam Pſillo apud Garamantas, quorum corporibus (inquit Plinius) ingenitum fuit exitiale virus ſerpentibus. Vnde ſcribit *Plutarchus in vita Catonis*, Catonem ipſum iter per deſerta Libiæ facientem ſecum Pſillos duxiſſe, qui morſibus ſerpentum mederentur, partim ore trahentes venenum, partim ſerpentes cantibus medicantes. Addit *Plinius* morem illis

fuiſſe

fuiſſe libetos genitos protinus obiiciendi ſerpentibus ſæuiſſimis, eoque genere pudicitiam coniugum experiendi, non profugientibus adulterino ſanguine natos ſerpentibus. Eorum quoque meminit *Herodotus libr.* 4. *Et Cornelius Celſus lib.* 5. *cap.* 27. addit iſtos nullam habere ſcientiam curandi venenum, ſed audaciam ipſo vſu firmatam. Quod videtur illud Sylij Italici reſpexiſſe dum libr. 2. inquit: *Nec non ſerpentes diro exarmare veneno Doctus Atyo, tactuque graues ſopire chelidros, ac dubiam admota ſobolem explorare Ceraſte.* Sed quid de cicuratione ſerpentum, ac ferarum? Nonne quid mirabilius eſt antiquitas credidit Lauri morſum, furorem, vaticiniumque inducere? Qua ratione Vates olim Lauro coronari Oracula recenſebant, cui illud Iuuenalis Satyra 7. alludit. *Necdic quicumque canoris, Eloquium vocale modis, Laurumque momordit.* Cur ergo non ſimiliter dicemus feras ipſas naturali herbarum, aut ſuccorum, vel aliarum rerum naturalium virtute ita in amentiam, aut ſoporem verti, vt naturalis feritatis oblitæ protſus cicurentur, & manſueſiant? Sed quorſum plura nectimus? Ecce de hoc ipſo, quem præ manibus habemus Diui Marci cicurato Tauro carat narratio inſignis. Dioſcoridis commentatoris Laguna, qui ad *cap.* 119. vbi agitur de *Onagra fol.* 450. ita de Tauro iſto refert: *In aliquibus locis in peruigilio D. Marci Euangeliſtæ in more poſitum eſt ferociſſimum Taurum ad ebrietatem vſque ingurgitare vino quam fortiſſimo, nihil aliud vel in pabulum vel in potum ei præbendo. Quo facto ad tantam reducitur manſuetudinem, vt ſequenti die a pueris, & puellis, funiculis, ac reſticulis vſque ad templum deducatur, vbi ebrium animal dum officia diuina peraguntur, ſomno, ac vino ſepultum vix poteſt ſubſiſtere, illique inter cornua, & in ipſa fronte candelo apponuntur ab aſtantibus, quem duobus ante diebus pro ferocia nullus eorum auderet expectare, vel attendere, nec duabus poſt horis cùm digeſto vino, ac decocto tota illa ebrietas ſoluitur, atque in priſtinam feritatem reducitur. Et hanc tantam fere manſuetudinem, ſimplex & rudis populus quaſi miraculum demiratur, cùm reuera naturalis cauſa, & ebrietatis effectus ſit.* Ita hic Author. Quæ ſi vera eſſent non tantæ ſolicitudinis ſcrupulus inuceretur nobis, ſed ſolum inſtruendus eſſet populus nullum in beſtiæ cicuratione miraculum interuenire, ſed ex mera naturali cauſa, eaque prorſus ridicula accidere.

7 Cæterum de facto non ita contingere, nec in naturalem aliquam cauſam, multoque minus in eam, quam Laguna propouit, hanc de qua in præſenti agimus Tauri cicurationem reducendam eſſe, ipſa experientia ſatis edocet, & conſuetudo inter illius regionis homines apertè demonſtrat, quod & inferius manifeſtum fiet. Certè ſi naturalis illa cauſa tantam manſuefactionem induceret, non illa tantum die, nec peculiare illius ſolemnitatis feſtum tali cicuratione celebraretur, nec Diui Marci nomine inuocato, ſed ſolius naturalis cauſæ applicatione effectus idem ſequeretur quoties talem cauſam vellent homines applicare. At mirabilem illam, & ſubitam Tauri cicurationem, nec aliis diebus fieri, nec talibus remediis procurari videmus; ergo illud ad naturales cauſas referre, commentitium prorſus, atque incredibile apparet.

Fœlicius aliquis ad diuinæ virtutis miraculum, & potentiæ ipſius oſtenſionem erga Religioſum cultum propagandum, atque firmandum, totum hoc ſpectaculum referre non immerito conabitur. Plura enim exempla rem videntur perſuadere, quibus Deus, vel in Sanctorum honorem, vel in ſuæ potentiæ commendationem, aut ob alios prouidentiæ ſuæ fines, ſimilia miracula ſupra ſolitum naturæ curſum frequenter operatur. Et in primis dediſſe Eccleſiæ ſuæ inter alias gratias gratis datas, & miraculorum dona, hanc etiam domandi, ac cicurandi ſæuiſſimas beſtias, ex ipſo Euangelij textu non obſcure deducitur, cum *Lucæ* 10. ad Diſcipulos ſuos Saluator, inquit: *Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes, & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit.* Quod ad litteram de veris ſerpentibus, & ſcorpionibus accipi poſſe, docet *Venerabilis Beda* ſuper eundem locum exemplo Pauli, qui in Inſula Melitenſi naufragus, cum ſarmenta ad ignem colligeret, inuaſus à Vipera, nihil damni paſſus eſt. Vnde *Tertullianus in Scorpiaco, Capit.* 5. Eundem ſenſum ab eodem exemplo confirmans, *Poteſtatem* (inquit) *calcandi ſuper ſerpentes, & ſcorpiones Paulus hic dedicauit, cum morſum Vipera ſprenit.* Quod ſane Pauli miraculum in memoriam reducit id quod graues Authores referunt de eadem Inſula, vbi naufragium Pauli, & Viperæ morſus accidit, quæ Vulgò *Malta* dicitur, in tanti Apoſtoli honorem hoc priuilegio à Deo fuiſſe donatam, vt noxia, & venenata animalia in ea amplius non inueniantur, vt videre eſt apud *Lorinum in Capit.* 28. *Actuum Apoſtolorum, verſu* 6. *Immo addit Thomas Fazellus de rebus Siculis Decade* 1. *lib.* 1. *Capit.* 5. Nec ab eo abhorret Alanus Copus Dialogo 3. Capit. 28. quotquot naſcuntur in die Conuerſionis Sancti Pauli non abhorrere, nec formidare angues. Quod quantæ fidei, aut veritatis ſit, noſtra non intereſt enodare. In Britania inſula poſtquam Religionis Chriſtianæ cultum amplexa eſt, neque venenatum gigni animal, neque aliunde illatum in ea tolerari atteſtatur Cardinalis *Baronius tom.* 1. *anno Chriſti* 58. *Et Thomas Bozius, de ſignis Eccleſiæ ſigno* 71. *libr.* 15. *Capite* 15. 8

Certe mirabilius eſt quod *Rupertus libr.* 3. *de Trinitate Capit.* 20. exponens illa verba Geneſ. 3. *Inimicitias ponam inter te, & mulierem,* ſic ediſſerit; *Si nuda mulieris planta dentem ſerpentis praueuerit, & viuaciſſimum caput eius vel leuiter preſſerit, ſtatim totum cum capite corpus interit, ita vt omnino motus nullus, nullus ſenſus in aliqua parte reſiduus ſit, quod non malleis, aut ictibus, aut certè gladiis concidentibus citò, aut leniter effici poteſt, ſi quidem abſciſſum caput cum duobus, aut tribus digitulis viuere, & abire perhibetur. Hoc quoque quod prædictum eſt ita eſſe, ipſorum qui per induſtriam explorauerunt, fide, & relatione comperimus.* Ita Rupertus. Innumera ſunt miracula, ac ſtupenda, quæ in beſtiis domandis, aut cicurandis, aut eorum vulneribus medendis pene quotidiana frequentia facta in Hiſtoriis Eccleſiaſticis legimus; nam præter ea, quæ in Sanctorum Martyrum actis paſſim narrantur, cum ad beſtias damnati, poſtulanque ad Leonem, eorum pedibus naturalis crudelitatis oblitæ proſternabantur feræ, quaſi ipſum innocentiæ ſtatum in quo animalia omnia ſubiiciebantur homini, in illa viuida, ac victrice fide reſtauratum 9

agnoſcentes, vt hæc (inquam) omittam, nonne quotidiana, ac perpetua quædam miracula apud ſepulchra Martyrum circa noxia animalia fieri conſueta leguntur? Sicut de Phoca Martyre Antiocheno in Romano Martyrologio legitur 5. Martij. Quod ſi quiſpiam à ſerpente morſus fuerit, vt ianuam Baſilicæ Martyris credens attigerit, confeſtim euacuata virtute veneni ſanatur? Cuius rei etiam meminit *Gregorius Turonenſis Libr. de Gloria Martyrum, capit.* 99. Et de puluere ſepulchri Ieremiæ Prophetæ idem proditur.

13 Denique in aliis rebus, etſi diſſimilis materiæ, non diſſimilis tamen admirationis miracula quædam ſpecialia quotannis à Deo fieri ſolita, ſiuè in fidei confirmationem, ſiue in Religionis augmentum, ſiuè in ſuæ prouidentiæ oſtenſionem, quæ nullo modo malignis ſpiritibus, ſed diuinis tribuenda ſint poteſtatibus, à nullo negari poteſt, niſi fidem omnem Hiſtoriarum exuat, omnis pietatis ſe reddat extorrem. Certè olim cùm adhuc Hiſpania noſtra Arrianiſmi tenebris obuoluta caligaret, & rectæ fidei ſplendore ſqualeret orbata, quotannis in Sabbatho Sancto Paſchæ fontes quoſdam ad ſanctum Baptiſma miniſtrandum diuinitus repleri ſolitos, narrat *S. Gregorius Turonenſis loco citato, Capit.* 24. *&* 25. Eſt (inquit) illuſtre miraculum de fontibus Hiſpaniæ. Piſcina namque eſt apud Oſen campum antiquitus ſculta, & ex marmore vario in modum crucis miro compoſita opere, ſed & ædes magnæ claritatis ac celſitudinis deſuper a Chriſtianis confecta eſt. Igitur cum dies Sacer, poſt curriculum anni antecedentis aduenerit, quo Dominus confeſſo proditore myſticam Diſcipulis præbuit cœnam, conueniunt in locum illum cum Pontifice ciues iam odorem ſacri præſentientes aromatis. Tunc data oratione Sacerdos oſtia templi ſimul iubet muniri ſignaculis, aduentum virtutis Dominicæ præſtolantes. Die autem tertia (quod eſt Sabbathi) conuenientibus ad baptizandum populis, adueniens Epiſcopus cum ciuibus ſuis, inſpectis ſignaculis, oſtia reſerat clauſa, ac mirum dictu, piſcinam, quam reliquerant vacuam, inueniunt plenam, ſed ita cumulo altiore refertam vt ſolet ſupra ora modiorum triticum aggregari, videaſque huc, illucque latices fluctuare, nec partem ita diuerſam defluere. O quanta in vno miraculo diuinæ dexteræ ſuſcitantur portènta! quam immenſæ virtutis veſtigia incomprehenſibili poteſtate, de perenni illo æternitatis fonte ſalientibus vndis ſcaturiunt!

14 Iterum (quàm fælici ſortè!) in Hiſpania noſtra primordia naſcentis mundi ſplendidiſſimi reuocantur, cùm Spiritus ille diuinus ſuper aquas elatus ruenti ſonitu, & vehementis auræ concuſſione, iacentis elementi terga criſpauit, nunc verò toto ſanctificationis genere, & gratiarum plenitudine Spiritus Sanctus deſcendens, non feruidum exaſperat mare, ſed de Paradiſi cæleſtis theſauro venam aquarum viuentium in perennem gratiæ regenerationem effudit. Iterum rubri maris fugientes vndæ in baptiſmi myſterium aquas accumulant in ſublime, & quaſi vitreia mœnibus populum ereptum cingentes in vlteriorem ripam incolumi ſalute tranſmittunt. Denique iterum redondantes Iordanis gurgites ad tactum arcæ fœderis in cumulum ſuſpenduntur, chryſtalli rupem in excelſa aquarum congerie repræſentant, & quæ in tot mirabilibus olim factis obſtupeſcimus, hic in Hiſpaniæ fontibus poſſidebamus.

Pergit de miraculo accumulatæ aquæ narrare *Turonenſis.* Et cum ex inde (inquit) multitu- 15
do amphorarum ſine collecto numero hauriatur, nunquam tamen, vel cumulum minuit; licet vbi infans primò tinctus fuerit mox aqua reducitur, & baptizatis omnibus, lymphis in ſe reuerſis vt initio produntur neſcio, ita & fine clauduntur ignato. Sed ne forſitan fides in aliquo de tanto miraculo vacillet, ecce quid in comprobationem eius *Gregorius* adducat. Theodogiſclus (inquit) huius Regionis Rex, cùm iam vidiſſet hoc miraculum, quod in his Sacratis Deo fontibus gerebatur, cogitauit intra ſe dicens, quia ingenium eſt Romanorum (Romanos enim homines vocitant noſtræ Religionis) vt ita accidat, & non eſt Dei virtus. Veniens verò ad annum ſequentem oſtium cum ſigillis ſuis, & cum Epiſcopi ſigillo muniuit, poſuitque cuſtodes in circuitu templi, ſi fortè aliquem comprehendere poſſet fraudis alicuius conſcium per cuius ingenium in fontibus aqua ſuccreſceret; ſimiliter & alio facit anno. Tertio verò conuocata hominum multitudine, foſſas in circuitu Baſilicæ fieri iuſſit, ne fortè locis occultis lymphæ deducerentur in fontem, fueruntque foſſæ in profundum vicenum quinum, in latitudine vero quindecim, ſed nihil abditum potuit reperiri. Ita à ſuperbo Rege perſcrutatum, & comprobatum miraculum fuit; ſed fœlicius diuino iudicio comprobatum eſt, vt omnis impoſturæ fraus à tam illuſtri miraculo conſtaret abeſſe, nec noſtrorum induſtriæ, ſed virtuti diuinæ aſcribendum eſſe ipſa veritas teſtaretur. Fuit anno 573. inter Francos, & Hiſpanos oborta contentio de die celebrationis Paſchatis, Hiſpanis 21. *Martij*, Francis 18. *Aprilis* celebrantibus. Creſcente lite, neutra parte cedente ſuſpenſis omnibus; ecce diuini miraculi iudicio tota cauſa diſcernitur, & ad Francorum ſenſum inclinauit ſententia, nam fontes qui in Sabbatho Sancto ad baptizandum ſponte diuinitus repleri ſolebant, non in die quo in Hiſpana ſanctum Paſcha celebratum eſt, ſed quo apud Francos, repleti ſunt, vt narrat *Sigebertus* in *Chronico* ad præfatum annum.

Sed hæc, aliaque tam illuſtria, & ſingulis
annis perennia miracula exoleuiſſe iam, & in- 16
uentos abiiſſe, vel peccatis noſtris id exigentibus, vel fide ipſa non amplius talia ſigna poſtulante, aliquis inſtabit. Ecce tibi non minoris ponderis, ſed maioris formidinis miraculum vſque ad hæc noſtra tempora non ſine multorum ſtupore protractum, illa nimirum formidabilis Campanæ *de Velilla* pulſatio, cùm infauſtum aliquid, & imminens Reipublicæ periculum denunciatur. Extat triginta ferè paſſuum millibus infra vrbem Cæſaraugustanam oppidum *Velilla* ad Iberi ripam ſitum, excelſæ Romanorum in Illergetibus coloniæ ruinis conſtitutum, nullaque re hac tempeſtate, & auorum memoria mirabilius, quàm Campana, cuius nullo mouente inſolito, inſolentique pulſu nobiliſſimus in vtramque partem euentus ſignificari hominibus perſuaſum eſt. Cum itaque magnum aliquid, & inſolitum imminet damnum, ferale illud eleuatur ſignum
quo

quo omnium animi terrore ipſo, & horrore ſuſpendente deficiunt. Videas cùm moles illa metalli nullo tangente, nec mouente concuti incipit, omnium oculos in eam conuerti, omnium arrigi aures, omnium pulſari corda, omnium denique intuentium diſſolui frigore membra. Accurritur vndique ad ſpectaculum, hi præueniunt oculis, illi vidiſſe ſe negant, audiſſe ſe alij affirmant, & inter diſcurrentes timores atque anxietates mali præſagas, intenti expectant ſignum, exultantiaque haurit Corda pauore pulſans, iam circumducta gyratione incipit inſolitus ille motus erumpere, iam in alternas partes ad pulſationem incitari conſpicitur metallum, iam certi de portento auidius conſpicantur, & in quam partem ſors ipſa inclinet attoniti, & hærentibus animis ſuſpenduntur. Cum ecce agglomeratis motibus funeſta quædam, & luctuoſa auditur pulſatio, & confuſa clamoris vox, ipſoque totatu etiam terribilis, audientium, intuentiumque animos terrore non modico impiens. Crebreſcente autem ſonitu, iteratis pulſationibus perſtrepente lingua, iam infœlicitatis futuræ præſagium vbique diſcurrit, concitantur populi, feruent vbique nuncij, & miraculi nouitate terrente, ſub diuini examinis lance librantur iudicia hominum.

Quem damnet labor, & quo vergat pondere lethum.

17 In expulſione vltima Mahometorum ex Hiſpania pulſatam fuiſſe, pro certo proditur. De ea re Frater *Marcus Xauier* 2. *part. capit.* 1. refert in illius ora Campanæ exaratas eſſe litteras, quoddam Sybillarum vaticinium in hæc verba continentes. *Chriſtus Rex venit in pace, & Deus homo factus eſt.* Ex quo fortaſsè non nemo ſibi perſuadeat, illorum virtute verborum illam etiam mirabilem virtutem Campanæ attributam. Cui non diſſimile eſt quod idem Author narrat de equo ex metallo fabricato, qui *Conſtantinopoli* hinnitu edito, ſimile quoque ſignum, ac portentum deſignare ſolet, quod *Velilla* Campana. Quod ſi hæc, aliaque eiuſmodi miracula aliquibus vel regionibus, vel perſonis ſucceſſione temporis perennanda conceſſit Deus, vel in honorem alicuius ſancti, vel in totius Religionis Chriſtianæ firmamentum, vel ad fidelium terrorem, & diſtricti ſui iudicij ſignificationem. Quid mirum videri debet, ſi in Tauri ferocia edomanda, atque in tanti Euangeliſtæ honorem cicurtanda largiter diuina ſeſe virtus oſtenderit, & cultores ſuos ſic voluerit honorare? Nimirum vt ait *Apoſtolus*, Nunquam ſemetipſum ſine teſtimonio reliquit, benefaciens omnibus, nec ſolum Euangelico iam ſplendore radiante, ſed olim etiam inter offuſam veteris legis caliginem, quidam perpetuandi miracula coruſcabat fulgor in populo Iudæorum, ſicut illa mulieris adulteræ probatio per aquam a Sacerdotibus propinatam (cuius cæremoniæ *Numeror.* 21. referuntur) non ſine miraculo perennabat in gente illa, nec enim aquæ illæ, quas *Maledictionis* vocabant naturalem poterant ſortiri virtutem ad tantum effectum ex illis conſecutum, ſcilicet vt adulteræ femur computreſceret, ſed poteſtate diuina adulteria miraculo vindicante tantam vim ebibitæ illæ aquæ ſortiebantur.

18 Ad hæc cùm ſummus Sacerdos diuina oracula conſulebat, lapides illos, qui in rationali inſciti erant, inſolitum quendam ſplendorem eiaculatos cum benigna manu, & fauentibus oculis Deus conſultis annuiſſet, *Ioſephus* teſtatur in Hiſtoria antiquitatum. Quæ omnia quaſi perpetua quædam miracula populum illum tanquam veræ, & vnicæ Religionis cultorem nobilitabant, & quouſque conſeneſcente iam illa lege, & ad interitum tota Republica inclinante ceſſauerunt mirabilia illa, quibus notus erat in Iudæa Deus, & in Iſraël magnum nomen eius. Quid ergo mirum videri debet, ſi in Eccleſia Catholica cui Maieſtatis ſuæ præſentiam, & ſingulariſſimam protectionem, aſſiſtentiamque vſque ad finem mundi Saluator promiſit, tam frequentia, & perennia miracula, quaſi faces quædam accenſæ, aut rutilantia ſydera, tenebroſam cæcitatis noſtræ caliginem illuſtrent etiam nunc, & antiqua illa miracula quibus Religionis noſtræ primordia fundata, & ſtabilita ſunt vſque ad huius ætatis veſperam ſeſe coruſcando diffundant?

Sed quid agimus? Quid hæremus? Et inter 19
diſputationum turbines, & criſpantes vndarum vortices, vndique exaſperatis fluctibus contundimur? Quid naturali virtuti? Quid ſupernaturali poteſtati prodigioſam hanc cicurationem adſcribimus, & exaſperata tantarum rationum mole hæret ratio ipſa ſuſpenſa? Incantationis effectus cicuratio illa eſt, ſuperſtitioſa Religio, non probanda, ſed reiicienda. Non eſt cultus pietatis Chriſtianæ, ſed execrandæ ſuperſtitionis abuſus, in aliquibus forſan præ ignorantia tedimibilis, in iis vero, quibus ignorantia fauere non poteſt, intolerabilis. Non diffitemur multoties feras diuina poteſtate manſueſieri, & rabida, ac frementia ora beſtiarum, totaque immanitatis ſæuitia in prædam anhelantia coerceri, gemere ſine vinculis repreſſos belluarum vngues, ſine fræno, ac ferro retuſos dentes, ſine violentia exarmata cornua, ſine languore extenuatas vires, ſine gladio, aut armis ſpiras euolui. Nonne Danieli ipſam leonum caueam diuina dextera cicurauit? Nonne draconem ſinuoſis orbibus circumgirantem, ſibilanti ore frementem, ardentibus oculis euomentem, toto veneno tumidum, ſquamarum fulgore coruſcum, criſtata iuba terribilem, ſine fuſte, ſine lapide; ſola medicatis frugibus obiecta maſſâ diſrupit? Quid Dauid? Nonne diuino ſcribente ſpiritu cum leonibus luſis quaſi cum agnis, & in vaſis ſimiliter fuit ſicut in agnis ouium in iuuentute ſua, vt dicitur *Eccleſiaſtici* 47. Denique & Paulus ad beſtias pugnauit Epheſi incolumis, & ad leonem poſtulati fortiſſimi Martyres, imò & teneræ virgines calcauerunt leonem, & draconem, & ſuper aſpidem, & baſiliſcum ambulauere, vt impleretur illa Euangelici Prophetæ vox diuinæ gratiæ redundantiam, & grandia diuinæ potentiæ miracula pro legis nouo tempore vaticinantis: *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit, vitulus, & leo, & ouis ſimul morabuntur, & puer paruulus minabit eos. Vitulus, & vrſus paſcentur, ſimul requieſcent catuli eorum, leo quaſi bos comedet paleas. Et delectabitur infans ab. vbere ſuper foramine aſpidis, & in cauerna reguli, & qui ablactatus fuerat, manum mittet.* Quid tanto portento mirabilius? Quid ad hæc vnius tauri cicuratio ad vnius hominis viſionem inter

puerorum manus deſcendentis ? Cum totius Libiæ horror, & Lethalis Africæ pauor ipſa deſerti monſtra, & montium terror, ac formido, feræ omnes ſyluarum, & nemorum inter manſuetos ouium greges, inter armentorum caulas, inter infantium manus omni depoſita ferocia, omni exuta crudelitate requieſcant ? Ergo reſplenduiſſe in his, & reſplendere etiam nunc diuinæ Maieſtatem virtutis in prodigiis huiuſmodi, & ſignis frequentibus, diffiteri nemo poteſt, qui Chriſtianæ pietatis eſt cultor.

20 Cæterum in hanc quam narramus tauri cicurationem ſicut fieri ſolita eſt, nihil accidere, quod diuini miraculi vel tenuiter odoretur veſtigia, ſed quod ſuperſtitioſæ maculæ tingatur fuligine, hoc aſſerimus, hoc firmamus. Nec nos ſolum, ſed teſtimonium perhibet de his Sacroſancta Sedes Apoſtolica, cuius Oraculo, ſupremoque iudicio inclinare caput cogimur, cum Papa *Clemens VIII.* Ciuitatenſi Epiſcopo, in cuius Diœceſi oppidum illud huic prodigio vacans ſitum eſt, per ſuas litteras commiſit vt talem abuſum quaſi ſuperſtitioſum prorſus conuelleret, & extirparet, nec amplius fieri pateretur. Sic ergo Pontifex reſcribit : *Venerabilis frater, exponi nobis nuper feciſti apud nonnullos iſtius Diœceſis Ciuitatenſis populos inoleuiſſe abuſum quendam in feſto Sancti. Marci Euangeliſtæ, quo die Taurus quidam ferociſſimus publicè ad miſſam, & proceſſionem a vicinis perducitur* Marci *nomine, candelam, & panem in cornu geſtans, magno ſanè cum diuini honoris, & animarum periculo, cùm ipſimet bellua à fœminis præſertim, ac reliquo vulgi multitudine, quaſi è Cœlo à Deo, vel à Sanct. Marco ad proceſſionem miſſa veneratio, ac diuinus cultus tribuatur. Ad quod periculum, quoniam hæc ſcandala, atque incommoda accedunt, primum Gentilica illa ſuperſtitio affinis, ac ſimillima idololatria, deinde etiam mortis diſcrimen, tum diuinæ virtutis, ac miraculi cuiuſdam efflagitatio in manſuefaciendo animali natura ſua feroci, præter fœdiſſimas templorum conſpurcationes, turbarumque inter diuina officia excitationes, & riſus per omnia Eccleſiarum loca diſſolutos. Tu propterea pro tua in Deum pietate, ac Paſtorali vigilantia abuſum prædictum tanquam à Religione Chriſtiana alienum tollere, atque abolere deſideras. Sed cùm homines illi plus nimio, & contra quam Chriſtianos decet, nefandæ ſuperſtitioni ſuæ indulgentes, appellationibus & inhibitionibus violenter ſe tueantur, ac defendant; nobis humiliter ſupplicari feciſti vt in præmiſſis prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur fraternitatis tuæ ſolertiam, & Religionem ſummoperè in Domino commendantes, de venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, Congregationis Sacrorum Rituum ſententia, ſupradictum abuſum tanquam Eccleſiaſticæ pietati, necnon etiam Sacro Ritui aduerſantem, & deteſtabilem iis in locis, in quæ hucuſque irrepſit, funditus tollendum, atque abolendum eſſe Statuimus & Ordinamus, ac fraternitati tuæ per præſentes committimus, ac mandamus, plenam, & amplam ſuper hoc tibi facultatem concedentes, vt abuſum prædictum, ex omnibus, & quibuſcumque locis tuæ Ciuitatenſis diœceſis, appoſitis iuris, & facti remediis, aliiſque Eccleſiaſticis Cenſuris, & pœnis tollere, ac funditus abolere, omni & quacumque oppoſitione, recurſu & inhibitione poſtpoſitis, & reiectis authoritate noſtra cures, & cum effectu.* Hucuſque Pontifex. Vbi manifeſtè cernitur Sacerdotalis pectoris robur, & neruoſa veritatis cenſura, qua tanquam ancipiti, & acuto Cœleſtis authoritatis gladio omnis ſuperſtitio concidit, omnis impoſtura detegitur, & falſæ pietatis vmbræ penitus diſſoluuntur.

Certe ſtylus ipſe cicurandi belluam, longè à veri miraculi maieſtate, grauitateque recedit. Miraculorum enim fulgor in eum finem collimare videtur, vt vel in Fidei confirmationem, vel in commendationem ſanctitatis alicuius perſonæ, vel Eccleſiæ fiant. Fides autem ſatis apud nos confirmata, & altis infixa radicibus, ſignis, & miraculis amplius non indiget vt firmetur, ſed miraculorum loco, ipſa ſine ſignis firma credulitas ſuccedit, hoc enim mirabile in fide noſtra eſt, vt ſemel fundata ſine miraculorum radiis propria tantum luce ſplendens, & firmitate ſua ſtabilis, atque immobilis obſcuram caliginem ſola colluſtret face certitudinis. Perſonæ autem, quibus ſuperſtitio iſta peragitur, nullius ſanctitatis nota inſignes habentur, vt miraculorum authoritate indigeant commendari, ſed prout fortuitò contingit Præfectum ſodalitatis illo anno reperiri, ad tantæ actionis ſolemnitatem, cuiuſcumque vitæ ille fuerit æquis paſſibus animatur. Multo minus ad Eccleſiæ ipſius vtilitatem, aut venerationem res iſta conducit, cum potius, vt ipſius Eccleſiæ vniuerſalis Paſtor nos admonet, non ſine ipſius Eccleſiæ conſpurcatione, & labe, non ſine indecentia officiorum ſacrorum, non ſine populi diſſolutione, riſu, & inquietudine in totius Eccleſiæ indignitatem ſpectacula iſta celebrentur. Quorſum ergo hic miraculi vis, ac poteſtas, vbi tanti vndique infunduntur abuſus ? 21

Ipſa denique forma, & cæremoniæ ſtylus inanitatem miraculi oſtendit. Quid enim ad cicurationem iſtam ſolicitudo illa, & præuentio refert, vt prius ſuffragiis communibus eligatur taurus, & electus *Marci* nomine inſigniatur, ac deinde denudato capite, in feſti ipſius peruigilio, à ſodalitatis Præfectis dicto nomine euocetur ? Quid hæc ad veri miraculi patrationem conducunt ? Aut quid ad ſancti venerationem, cultumque diuinum ? Vbi autem aliquid vanum, & de ſe nihil conducens ad finem Religioſi cultus adhibetur, ibi maximè ſuperſtitio locum habet, & maximè timenda eſt. Tum etiam quia ſtylus iſte, & forma cicurandi taurum niſi ab ipſo Deo, aut Eccleſia approbante præſcripta eſſet, ſine dubio tanquam humanum inuentum, aut inane commentum, & mera fictio habendus eſt. Quod vero ab ipſo Deo præſcripta ſit, aut annuente Eccleſia comprobata, non conſtat, immo oppoſitum ex relata Pontificis ſententia manifeſtè colligitur. Si verò ex hominum placito, & humana tantum voluntate res iſta ſubſiſtit, cum ex ſola ſermonum, & vocum ſignificatione, virtutem illam cicurationis ſortiri nullo modo poſſit, reſtat, vt ab aliquo prauo ſpiritu vim ſuam pacto aliquo tacito, vel expreſſo verbis illis alligante, effectum iſtum procedere teneamus. Et 22

certè

certe qualis cultus cenſeri poteſt, & non potiùs irriſio, & maxima Chriſtianæ Religionis indecentia, fortaſſis à dæmone ad diuinum cultum minuendum procurata, brutum animal, & ferociſſimam belluam tanto ſtrepitu, & concurſu, tantis clamoribus, tam prophano ludo intra ipſam Eccleſiam induci, ibique toto ſacræ feſtiuitatis tempore, quaſi in ſtabulo immorari, omnium animos, & oculos ad ſe conuertere, & à diuinorum attentione, debitaque reuerentia, & grauitate auertere, popularibus mentibus quaſi ludicrum reddere quidquid tunc in Eccleſia geritur, ne videlicet ad Dei laudes, & religioſam modeſtiam animus erigatur, ſed tota Eccleſia confuſa clamoribus irreuerenter tractetur, puerorum, ac iuuenum circa taurum diſcurrentium inquietudine ferueat; vbi nihil modeſtum, nihil Religioſum, nihil ad pietatis, ac Religionis augmentum, ſed totum ad euagationem mentis, & iocularem tumultum compoſitum, efformatumque videatur.

23 Quare res iſta ſine dubio ad ſpeciem illam incantationis, & ſuperſtitionis ſpectat, quæ verbis quibuſdam de ſe nullam aliam virtutem habentibus, quàm nudam ſignificationem ſine vllo Dei promiſſo, aut operatione, effectus aliquos mirabiles, verè tamen magicos circa animalia efficit; ſicut eſt ſerpentum incantatio, quæ dæmone procurante ita illos ſtupefacere, & redomare ſolet, vt innoxiè manibus attrectentur, & magorum nutibus ſine vlla reſiſtentia obediant. Nec opponere aliquis nobis poteſt incantationem iſtam minuſculos angues, aut beſtiolas exagitare, ferociores autem, & maioris molis belluas, quales ſunt Tauri, Elephantes, Rhinocerotes, Leones haud quaquam mouere. Nec enim aliquando auditum eſt Leonem, aut Elephãtem magicis carminibus langueſcere; aut cicurari, ſi enim hoc magicis incantationibus fieri poſſet, non eſt dubium quod procuratum fuiſſet à pluribus, qui exhauſtis impenſis feras ad ſpectacula exhibenda vndiquè conducebant, immo ad demonſtrationem inſolitam grandes iſtas belluas ex remotiſſimis partibus adducerent ad quæſtum ſibi acquirendum, quod nuſquam fieri aut vidimus, aut legimus. Sed & hoc in diuinæ omnipotentiæ ſignum deſtinari in ſcriptura adnotamus, vt hæc tantæ molis animantia ſolo Dei præcepto manſueſcere poſſint, ſicut legimus in 39. cap. Iob. *Nunquid vult rhinoceros ſeruire tibi, aut morabitur ad præſepe tuum? Nunquid alligabis rhinocerota ad arandum loro tuo, aut confringet glebas vallium poſt te?* Quod certè ſi magicis incantationibus fieri poſſet, facilem haberet ſolutionem, ſiquidem reſponderi poſſet diuinæ interrogationi, poſſe ab homine carminibus maleficis alligari rhinocerotem, & ad præſepe vinculari, atque ad ſeruiendum homini manſueſcere, ſicque non poſſe inde ad omnipotentiæ diuinæ admirationem ſufficiens deduci argumentum. Addo, nec ipſos ſerpentes, qui præ aliis animantibus incantationibus magicis ſubiiciuntur, & præſto ſunt, ſi in vaſtam magnitudinem excreſcant, & ſinuoſis orbibus ſpiras euoluant, indurentur ſquamis, criſtis, iubiſque emineant arrecti, ſanguineiſque, & igneis oculis terribiles ſpicula linguarum vibrent, auſi quaquam cedere carminibus incantantium, ſed ipſos Magos, eorumque præcepta contemnere. In notabili apud Splengerum, eoque non inſulſo exemplo confirmatur.

24 Narrat is *part. 2. quæſtion. 2. capitul. 6.* fuiſſe In ciuitate Satemburgenſi incantatorem quendam, qui die quadam vt ſpectaculum latum ſpectantibus præberet, pollicitus eſt omnes ſerpentes ſe adducturum ab ſpatio vnius milliaris; & in foueam incluſos necaturum. Congregatis ergo vndique ſerpentibus, cùm ipſe in limine foueæ ſtaret, nouiſſimè quidam ingens, annoſus, & horribilis ſerpens adueniens foueam intrare recuſabat, & ſæpè motibus quaſi innuebat Mago, vt ſe liberum abſcedere permitteret; ſed Mago perſeuerante, ac ſua carmina intonante, ſerpens ſtans ex aduerſo foueæ, contra incantatorem ingenti ſaltu inſiliit, & ipſum ſpiris ſuis cingens, in foueam ſecum demerſit, atque interemit. Ita nebulo ille dignam ſuis meritis retributionem accepit inter ſerpentes occiſus, qui ſibi ſerpentes ad obediendum cogere præſumebat. Eo tamen euidenti exemplo comprobatur non ita poſſe magicis carminibus grandiora ſubiici animantia, ſicut minuſcula, ideoque difficile creditu videtur taurum ferociæ ſuæ magnitudine terribilem poſſe ſuperſtitioſis ſermonibuus, & vocibus cicurari.

Cæterum reſolutionem noſtram nequaquam terrent ingentia iſta corpora, & maioris molis immanitate frementes beſtiæ, quin ipſas quoque ſuperſtitioſis ritibus manſueſcere dæmone procurante, & ad noſtram deceptionem ordinante dicamus. Nec enim dæmoni difficile eſt etiam ingentium bellnarum ferociam edomare, cum de eo ſcriptum ſit, *quod non eſt ſuper terram poteſtas quæ comparetur ei, qui factus eſt vt nullum timeret, vt dicitur Iob. 41.* Ergo vires eius, atque poteſtas nullis viribus ferarum quantumcumque grandibus cedere poteſt, ſed potius ei cedunt omnes, illique ſubiiciuntur, atque adeò edomare illas, & cicurare poteſt. Certe tauros nonnunquam arte dæmonis manſueſieri ex ſupra relata Hiſtoria à Guillando, & Pierio Valeriano conſtare poteſt, cùm Clementis VII. principatu Romæ a Græculo quodam, verè Mago ferociſſimus taurus per vniuerſam Vrbem funiculo religatus ſine alicuius damno duceretur. Et in Actis Martyrum ſæpiſſime legimus cum multi Sanctorum ad beſtias damnati diuina virtute ſeruarentur illæſi, id Gentiles magicæ illuſioni attribuere ſolitos, quaſi pro certo habentes etiam maioris molis, ac magnitudinis feras poſſe dæmonum arte cicurari. De Apollonio Thyanæo, qui magicis artibus vniuerſi orbis oculos in ſe conuertit, & quem diabolus ad mundi illuſionem induxiſſe videtur, vt veritatis Verbo per Euangelium ſeminato, zizania mendacij ſuperſeminaret; Apoſtolis ætate ſupparem, falſo miraculorum ſplendore fulgurantem, gloriæ Chriſti æmulum, ita vt à pleriſque tanquam Deus coleretur, hæc inter alia ſcribit Anaſtaſius Nicænus libro Quæſtionum, Quæſt. 23. Apollonij vſque in hodiernum diem in nonnullis locis peraguntur ſacra; Alia quidem ad auertendas beſtias quadrupedes, & volucres quæ poſſunt homines lædere; alia autem ad ſiſtendos fluxus fluminum, quæ curſu feruntur inordinato; alia autem ad auertenda illa, quæ ſunt in perniciem, & interitum hominum comparata. Non ſolum autem in vita eius hæc per ipſum fecerunt dæmones, ſed etiam poſt eius mortem ad eius monumenta manentes. 25

Ecce

Ece quomodo Magus ille etiam beſtiarum 26 quadrupedum detinuit impetus, & perniciem auertit, quod vtiquè niſi cicuratione aliqua, & manſuefactione fieri poterat. Sed quid mirum magicis carminibus belluas quantumuis ingentes, & immanes edomari, ac frænari, cùm multò mirabiliora paſſim à dæmone fieri indubitatum ſit. Recenſet nonnulla ibidem Anaſtaſius de Simone Mago, quæ omni ferarum cicuratione maiora ſunt. Statuas (inquit) faciebat ambulare, & in igne volutatus non exurebatur; in aëre volabat, & ex lapidibus panes faciebat. Serpens fiebat, & in aliquas alias beſtias transformabatur; duas habebat facies, in aurum conuertebatur, fores clauſas aperiebat, vincula ferrea ſoluebat, in conuiuiis exhibebat ſpectra formarum omnis generis. Vaſa, quæ erant in ædibus, faciebat videri tanquam quæ ſua ſponte mouerentur ad miniſterium, iis qui portabant non viſis, efficiebatque vt multæ vmbræ eum præcederent quas dicebat eſſe animas mortuorum. Maneat ergo verbis Pontificis ſuperſtitio iſta damnata: Reliquum eſt vt veriori & Religioſiori cultu in tanti Euangeliſtæ nomen aſſurgamus.

INDEX

INDEX
RERVM NOTABILIVM,
Quæ in hoc Torno in Secundam Secundæ Diui Thomæ continentur.

Prior numerus paginam indicat, poſterior notas marginales deſignat.

A

Aaron.

AAron fecit vitulum aureum, non verò opere dæmonis vitulus fuit formatus. pag. 80. num. 4.
Aaron peccauit proponendo vitulum vt populus adoraret, licet, vt ſentit Auguſtinus non peccauerit peccato infidelitatis, nec ſecundum fidem interiorem, ſed ex timore, ne ipſum populus occideret. ibid.

Abſtractio.

Ex diuerſa abſtractione a materia, ſeu ex immaterialitate ſumitur diuerſitas ſcientiarum. pag. 6. num. 3
Abſtractio tamen non eſt ratio probatiua concluſionum; id enim quo formaliter demonſtratur, & manifeſtatur concluſio illata, eſt medium ſub tali abſtractione poſitum. ibid.

Abraham.

Non fuit mentitus quando dixit vxori, *Dic quod ſoror mea es*, & quare. pag. 36. num. 13
Neque etiam mentitus fuit quando ad pueros ſuos dixit, *Expectate hic, &c.* ibid. & ſeqq.
Abraham pleniorem habuit notitiam de myſteriis Fidei quam reliqui, qui eum præceſſerunt. p. 65. n. 4. & ſeq. 66. & p. 67. num. 2.

Abimelech.

Quantum dedit Abimelech Abrahamo in velament oculorum Saræ. pag. 449. num. 8. & ſequent.
Cur tantum pretium in velamen oculorum voluit expendere. pag. 450. num. 13. & ſeqq.

Aborſus.

Mulieri conſtitutæ in periculo mortis non licet præbere pharmacum vt ſequatur aborſus. p. 266. num. 8

Academia.

Academiæ Doctorum Turres in Scriptura nominantur. p. 472. n. 7. & ſeqq.

Acolytus.

Acolytus deſeruiens altari in peccato mortali non peccat mortaliter. pag. 427. num. 5

Actus, Actiones.

Actus viſionis & ſcientiæ repugnant in eodem ſubiecto cum actu Fidei. pag. 16. num. 10. & ſeqq.
Vide *Fides.*
Actus charitatis ſunt eiuſdem ſpeciei formaliter, materialiter autem ſpecie diſtinguuntur. p. 223. num. 10.
Duo actus ſolùm numero diſtincti non poſſunt eſſe ſimul in eodem ſubiecto, ſi tamen ſpecie ſaltem incompleta diſtinguantur, poſſunt. ibid. & ſequent. 224.
Actus ſperandi aliquod bonum creatum ex auxilio diuino non eſt elicitus ab Spe Theologica. pag. 179. n. 16.
Actus intentionis non verſatur circa finem ſimpliciter, ſed etiã virtualiter circa media. p. 180. n. 4
Actus ſperandi alteri beatitudinem poteſt eſſe in peccatore proueniens à pia affectione. p. 182. n. 6. & ſequent.
Actus Doni Timoris.
Vide *Donum Timoris.*
Actus paupertatis ſpiritus, & actus beatitudinis luctus, ſunt in voluntate. pag. 205. n. 15
Actus ſpei eſt voluntas efficax. pag. 87. n. 3
Actus noſtri non ſolum habent rationem diſpoſitionis, ſed etiam meriti reſpectu augmenti gratiæ. pag. 233. n. 1
Actus remiſſus charitatis meretur augmentum gratiæ, & vitam æternam. ibid. & ſeqq.
Actus aliarum virtutum à charitate imperati merentur augmentum gratiæ, & charitatis. ibid. 7. & ſeqq.
Actus aliarum virtutum à charitate primò, & per ſe, & ex ſubſtantia operis non merentur præmium accidentale. pag. 234. n. 10
Actus virtutis moralis, ſi eſt excellentior, vel maioris difficultatis, per ſe loquendo indiget à perfectiori charitate imperari. ibid.
Actus inæqualium virtutum moralium, ſi ab æquali charitate imperentur, merentur æquale præmium eſſentiale, inæquale tamen erit præmium accidentale. ibid. & ſeqq. & pag. 137. n. 3

Actus diuturnior per ſe loquendo plus meretur quàm breuior. pag.235.13

Actus immanens liber poteſt deſinere in eodem inſtanti in quo producitur. ibid.

Actus charitatis in patria, qui eſt diſpoſitio ad augmentum charitatis quod merebantur actus remiſſi viæ, antecedit lumen gloriæ in genere cauſæ materialis, & procedit ab illo in genere cauſæ efficientis. pag. 239. num. 15. & ſeq.240.n.16

Actus qui pendet à duplici potentia, mota, & mouente, pertinet ſubſtantialiter ad illam potentiam in qua conſummatur. pag 370 num.13.

Actus vnius potentiæ poteſt elici à virtute exiſtente in alia potentia. pag.418.n.7.& p.327. n.1. & ſeqq. 328

Actus vnius potentiæ quo aliam imperat, eſt virtualiter tranſiens. pag.330.n.1

Actus bonus ex genere, ſeu ex obiecto poteſt, reddi malus ex circunſtantia praua. p.381. num.7

Actus cum ſemiplena deliberatione factus non habet perfectam rationem virtutis, vel vitij, licèt in illo poſſit peccatum veniale reperiri. pag.420. num.1

Vnus actus impropriè eſt cauſa alterius. pag.123. n.6

Actus purè internus, v.g. Delectatio circa vxoratam, etiam ſi non intendatur in re exerceri, non poteſt præſcindere à circunſtantiis. p.307. num.18.& ſeq.308.

Eſſe aliquem actum propter Deum ſtat dupliciter. pag.310.n.10.

Omnes actus virtutum referuntur ad Deum tanquam ad finem vltimum. ibid.

Vt actus moralis bonus accipiat ſpeciem, debet bonitas obiecti eſſe propter ſe amata. pag.315. n.26. & ſeqq.

Actus exterior non addit nouam bonitatem, aut meritum ad bonitatem & meritum actus interioris. pag.236.18

Actus credendi, vide *Fides*.

De illo datur præceptum. pag.55.n.2

Actus Religionis, vide *Religio*.

Actus deuotionis eſt præcipuus inter actus Religionis, & poſt illum oratio. pag.377 num.5.

Non omnis actus virtutis eſt materia voti, ſed ille duntaxat, qui non eſt impeditiuus perfectioris boni. pag.426.n.2

Vide *Votum*.

Aliquæ actiones habent ſpecialem conformitatem, vel deformitatem ad rationem comparatiuè ad aliquam circunſtantiam obiecti, quam non habent aliæ, & hoc ex aliqua lege. p.313. num.27. & ſeqq.

Actus voluntatis, vide *Voluntas*.

In genere mali regulariter reperiuntur plures actiones, quæ habent deformitatem in ordine ad circunſtantiam obiecti ratione alicuius legis prohibentis. ibid. & ſeqq.314

Quando actio ex ſe habet conformitatem, vel deformitatem ad aliquam circunſtantiam obiecti, non eſt neceſſe quod talis circunſtantia ſit directè volita, & quaſi in actu ſignato vt accipiat moralitatem ab illa. ibid. & ſeqq.

Secus quando talem ordinationem ex ſe non habet. ibid. & ſeqq.314.n.28

Eadem ratio eſt de actione bona & mala quantum ad hoc quod participet bonitatem, vel malitiam ex circunſtantia obiecti. pag.325.n. 36

Accuſatio.

In quo differat accuſatio, & denunciatio. pag.292 num.12

Aduocatus.

Aduocatus promittens patrocinari in re graui, ſi omittat facere ex quo ſequitur detrimentum alterius, mortaliter peccat. pag.422.num.6

Admiratio.

Admiratio naſcitur ex ignorantia. pag.310.n.8

Adoratio.

Adoratione Duliæ colitur perſona diuina quando pro motiuo actus ſumitur aliquid creatum. pag.326.n.5.

Ægyptij.

Ægyptij alebant in honorem Serapidis bouem deliciis affluentibus. pag.481. num.4

Ægyptiorum ſuperſtitio in colendo, & alendo boue in honorem Serapidis. ibid.n.5

Ægyptij iam Serapidis feſta celebrant quo tempore domus Iacob exiit de populo barbaro. p.482. num.7.

Africa.

Africa abundat Elephantis. pag.461.n.19.20

Aggreſſor.

Aggreſſor quantumcunque culpabilis ſit cauſa oblata ab aggreſſo, adhuc grauiſſimam iniuriam facit illi eum occidens. pag.258. num.12

Non eſt licitum præuenire aggreſſorem ipſum occidendo. p.267.n.5

Licebit tamen alicui occidere alterum ſi habeat probabilem opinionem, quod inuadetur ab illo. ibid.num.6

Alexandria.

Alexandria ciuitas vt multitudine populi, ac nobilitate clariſſima; ita inanium deorum ſuperſtitione, ac vanitate cultus dæmoniorum celeberrima. pag.481.num.4

Alexandrinæ ciuitatis impietas à magno Antonio deploratur. ibid.

Alexandrinus Epiſcopus.

Alexandrinus Epiſcopus in omnes Eccleſias Ægypti Patriarchalem poteſtatem habet. p.103.n.13

Amicitia.

Amicitia non diminuitur per offenſas leues. p.249. num.10

Amicitia non variatur per hoc quod amicus ſit præſens, vel abſens. p.223. num.5

Amicitia ſumitur, & pro reſpectu, & pro fundamento, ſcilicet pro actu habente conditiones amicitiæ. pag.214.n. 1.& ſeq.

Amicitia habet rationem beneuolentiæ. ibid.

Amicitia eſt amor mutuus fundatus in aliqua communione. p.215.num.2

Amicitiæ diſtinguuntur penes diſtinctionem communicationum ſuper quas fundantur. ibid. & p.220.n.1

Amicitia inter Deum, & homines eſt amicitia excellentiæ. ibid.

Amicitia eſt amor quo volumus bonum amico propter ſe ipſum, non tamen ly *propter ſe ipſum*, dicit ſemper rationem finis, *cuius gratia*, ſed ſufficit rationem finis *cui*. pag.215. num.6

Amicitia excellentiæ non excludit omnem ſeruitutem. pag.216.n.3

Amicitia poteſt habere aliquam concupiſcentiam adiunctam. ibid.

Amicitia excellentiæ non petit æqualitatem in perſouis, ſed ſufficit mutuus amor. pag.217. num.8.

Amicitia non ſpecificatur à bono volito, ſed à perſona amata. pag. 215. num. 7. & ſeq. 216

Amor.

Amor Dei Authoris ſupernaturalis in quantum eſt bonum concupiſcibile nobis, eſt actus ſupernaturalis. pag.176.num.1

Amor concupiſcentiæ erga Deum eſt duplex; alter perfectus, alter imperfectus. ibid.

Amor iſte, ſi eſt perfectus elicitur à Charitate, ſi imperfectus, elicitur in via ab habitu piæ affectionis: in patria (ſi talis actus datur) à fruitione diuina. ibidem,& pag.177.num.7. pag.216. n.4

Amor concupiſcentiæ non ſolum verſatur erga ſe, ſed etiam erga alterum. pag.8.n.8.& pag.182.n.4

Amor Beneuolentiæ requiritur ad ſperandum alteri aliquod bonum. pag. 180. n.6 & ſeqq.

Amor Dei ſuper omnia dabilis eſt, qui quidem amor non eſt amicitiæ perfectæ, intra genus tamen amicitiæ veræ. pag. 218. num.9 & ſeqq.

Amor Dei authoris naturalis ſuper omnia, non deſtruit ſtatum peccati, ſed ſolum actualem voluntatem peccandi. pag.220.num.3

Amor Dei authoris naturalis in peccatore, ſi detur, non eſt amor amicitiæ, ſed beneuolentiæ tantum. ibid.

Amor Dei beneuolentiæ diſtinctus ab amore ſupernaturali datur. pag.217.n.1.& pag.218. num.9

Amor amicitiæ, Vide *Amicitia.*

Amor Dei authoris ſupernaturalis ex motiuo naturali non eſt actus bonus, & honeſtus. p.188. num.4.

Angelus.

Angeli locutio conſiſtit in intellectuali operatione. pag.373.n.26

Angeli beati vident in Verbo à principio orationes noſtras, ea autem quæ ſpectant ad gubernationem mundi, & cuſtodiam hominum cognoſcunt ſucceſſiuè extra Verbum. p.393. num.9

In Angelis eſt pugna ſpiritualis. ibid.

Angelus format iudicia virtualiter complexa. pag.186.n.15

Angelus in ſtatu viatoris habuit fidem cum euidentia teſtificationis, licet non ſenſus rei teſtificatæ. pag.24.num.5.& ſeqq.

Anti-Chriſtus.

Tempore Anti-Chriſti deſtruendam fore vrbem Romæ, communiter dicitur. pag.111. num.21

Antiphona.

Antiphonæ ſignificatio, & vſus ex quo inceperit. pag.405.n.2

Anima.

Anima ſancta ſeparata habet duplicem cognitionem, naturalem & ſupernaturalem. pag.391. num.1

Anima beata non cognoſcit orationes noſtras cognitione naturali, benè tamen ex reuelatione diuina. ibid.& p.392.n.4

Animæ purgatorij ex vi ſtatus non cognoſcunt orationes noſtras. pag.393.num.12

Pro animabus purgatorij poteſt orari licitè. p.397 num.9

Animæ purgatorij non orant pro neceſſitatibus noſtris in particulari. pag.401. n.6

Animæ ſtatus luctuoſus egredientis de corpore, & in æternos cruciatus abeuntis deſcribitur. p.477 num.3.

Apis.

Apis Arginorum Rex tempore famis à Ioſepho Pharaoni prænunciatæ è Græcia in Ægyptum nauigauit. p.282.n.7

Apis in Ægypto mortuus in arca clauſus Serapis dictus eſt, & pro Deo in ſimilitudine bouis honoratus. ibid.

Apollonius.

Apollonij Thyanæi magi narratio; & quorundam eius prodigiorum Diabolica arte tum in eo viuente tum mortuo patratorum. p.487.n.25

Apoſtoli.

Apoſtoli perfectius cognouerunt myſteria fidei, quàm Prophetæ, & Patriarchæ veteris legis. pag.66.n.5

Nihil modo creditur in Eccleſia quod non fuerit Apoſtolis reuelatum. ibid.n.8.& p.68.n.8 & ibid.n.10

Imò & veritates, quas modo per diſcurſum Theologi ſunt aſſecuti, cognouerunt. ibid.

Apoſtolorum Concilium ad quid congregatum. pag.68. n.8.& p.70.n.2

In die Pentecoſtes acceperunt Apoſtoli plenitudinem cognitionis ſpeculatiuæ omnium veritatum, quæ ad ſalutem neceſſariò erant credendæ, vel agendæ. pag.68. n.2

Sed non eſt neceſſario dicendum quod ab illo die habuerunt omnem perfectiſſimam notitiam practicam. pag. 69.n.4

Apoſtoli emiſerunt vota perfectionis, & maximè paupertatis. pag.436. num.2

Omnibus Apoſtolis data eſt æqualis authoritas quaſi extraordinaria,& delegata in ratione Apoſtolatus, non tamen æqualis in ratione ordinariæ poteſtatis ad gubernandam Eccleſiam. pag. 100. numer. 3. pag.103. num.12. pag. 104. num.17

Apoſtoli ſucceſſores ordinauerunt, qui Eccleſias regerent poſt ipſos tanquam præpoſiti, & paſtores. pag.106.n.5

Appetitus.

Appetitus eſt duplex, innatus & elicitus. p.364. num.7

Appetitus innatus ſequitur ad formam naturalem, id eſt, ſine cognitione. ibid.

Appetitus elicitus ſequitur ad formam cognoſcitiuam in quantum talis. ibid.

Appetitus non eſt agens comparatiuum. pag.369. num.9

Approbatio.

Approbatio Pontificis, aut Eccleſiæ non facit infallibilem certitudinem niſi in his in quibus habet adiunctam aſſiſtentiam Spiritus ſancti. pag.403.n.10.

Aqua.

Aquæ niuium in damnatorum pœnis quid ſignificent. pag.479.n.11

Aqua & ignis non agent in corpora damnatorum actione naturali. ibid.p.380

Arduum, Arduitas.

Arduum, vide *Spes.*

Arduum vt ſpecificans ſpem, pertinet ad lineam boni. pag.178.n.12
Arduitas tollitur in bono, vel quia res modica eſt, vel quia, etſi ſit magna, eſt tamen in poſſeſſione. pag.192. n.3. & ſeqq.
Ad rationem ardui non ſufficit quod ſit in poteſtate alterius, ſi illa poteſtas eſt mihi communicata & coniuncta. pag.193.n.5
Neque etiam ſufficit quod ſit bonum ſupernaturale, ſi ſit poſſeſſum, vel in ſe, vel in ſuo titulo. ibid. num.6
Arduitas requiſita ad Spem non euacuatur per certitudinem exiſtimatam, ſed realem poſſeſſionem. pag.208. num.15

Argentum.

Quid in Scriptura ſacra ſignificet, vel quid valeat. pag.449.num.8

Armeni, vide *Græci*.

Ars.

Ars conſiſtit In intellectu. pag.374.n.12

Articuli Fidei.

Articulos fidei omnes tenentur ſcire etiam minores. pag.56. n.6
Sufficit tamen minoribus ſcire illos quoad ſubſtantiam, non vero quoad ſubtilitates. ibidem num.7
Non tenentur ſub mortali memoriter verba Symboli ſcire, aut articulorum, ſed ſufficit ſic memoria tenere, vt facilè poſſint reſpondere quærenti. ibid.
Vide *Myſteria Fidei.*
Articuli Fidei non continentur implicitè in illis duobus credibilibus, *Deus eſt*, & *inquirentibus ſe remunerator eſt*, ſecundum quod ſplendent in effectibus à nobis naturaliter notis. pag.64. num.4
Articuli autem Fidei, qui eſſentialiter competunt Deo ab intrinſeco, continentur in illo principio *Deus eſt*, vt pertinet ad ordinem ſupernaturalem. ibid.num.6
Alij articuli pertinentes ad prouidentiam quam de facto Deus habet, & de hominibus in ordine ſupernaturali, continentur in illo principio: *Deus inquirentibus ſe remunerator eſt*. ibid. num.7
Quare ſit facta diuiſio articulorum, dicitur. p.70. num.1.
Nulla veritas quæ naturali lumine cognoſci poteſt, debet annumerari inter articulos Fidei. pag.70. num.3.
Optima eſt diuiſio rerum Fidei, in quatuordecim articulos. ibid.
Sacramentum Baptiſmi & Pœnitentiæ reducuntur ad articulum Saluatoris. ibidem pag.70. num.3.
Deum eſſe ſcientem; & prudentem, includitur in articulo omnipotentiæ. ibid.
Sacramentum Eucharistiæ reducitur ad articulum omnipotentiæ, & ad articulum Saluatoris, imò & ad articulum quo credimus Eccleſiam Catholicam. pag.71.num.5
Vide *Sacramentum Euchariſtiæ.*

Aſiongaber.

Vrbs Aſiongaber portus erat pertinens ad littus mediterraneum. pag.463. num. 28. 29 & ſeqq.

Atheiſtæ.

Atheiſtæ negabant res humanas ſubiici diuinæ prouidentiæ. pag.375. *init*.

Attributum.

Quædam attributa in Deo conſequuntur rationem Creationis; quædam verò antecedunt. pag.324. num.17. & ſeqq.
Omnia attributa quæ reſpicit ſeruitus Religionis, ſub ratione primi principij creantis reſpicit. pag.325.n.18.

Augmentum.

Augmentum gratiæ non datur ſine augmento charitatis. pag.237.n.5
Augmentum gratiæ & charitatis quod merentur actus remiſſi, non datur niſi ponatur actus intenſior habitu præexiſtenti. pag. 231. num.12. p.240.n.1. & ſeq.
Augmentum formæ eſt duplex; intenſiuum & extenſiuum. pag.227.n.1
Augmentum extenſiuum formæ eſt etiam duplex; aliud penes partes ſubiectiuas, aliud penes partes obiectiuas. ibid.
Augmentum extenſiuum formæ fit per additionem, non quidem qualitatis, ſed vel ſubiecti, vel obiecti. ibid. num.4
Augmentum intenſiuum fit per hoc quod aliqua forma ſit perfectior in eodem ſubiecto, & circa idem obiectum. ibid.
Augmentum intenſiuum non conuenit omni formæ. ibid.
Augmentum intenſiuum formæ non fit per deſtructionem vnius qualitatis, & productionem alterius. ibid. & ſeq.22
Augmentum intenſiuum non fit per additionem qualitatis ad qualitatem, ſed per maiorem radicationem in ſubiecto. ibid. & ſeqq.
Vide *Gratiæ, & Charitatis augmentum.*

Auxilium.

Auxilium efficax in ordine ad omnes actus virtutum poſſumus, & debemus petere à Deo. pag.395. n.7
Auxilium ſufficiens ad opera virtutum, licitè petimus. ibid.
Auxilium quod antecedit orationem, datur vt oremus, non cadit ſub oratione. ibidem.
Auxilium diuinum ſupernaturale quoad modum, & non quoad ſubſtantiam, non conſtituit obiectum formale Spei Theologicæ. p.178.n.14
Auxilium tunc eſt ſupernaturale quoad ſubſtantiam quando ordinatur ad finem ſupernaturalem. ibid.
Auxilium ſufficiens probabile eſt ſpeculatiuè, aliquando denegari à Deo. pag. 182. num.7
Quod autem huic, vel illi in particulari denegetur, non poteſt practicè exiſtimari ſine temeritate. ibid.

B

BAPTISMVS.

Vide *Sacramentum Baptiſmi.*
In Baptiſmo nullum fit votum, neque explicitum, neque implicitum. pag.426.n.5

Babylon.

Babylon magna in Apocalypſi, vrbem Romæ ſignificat. pag.109.n.15

Beati.

In Beatis non manet fides. pag.59.n.11
In illis manent virtutes morales. pag.60.n.3

Beati cognoſcunt petitiones noſtras Deo manifeſtante illas in Verbo. pag.386. n.1.pag.393. n.3. & ſeqq.

Beati cognoſcunt in Verbo omnia quæ ad ipſos ſpectant. ibid.& pag.392.n.7.

Beati cognoſcunt orationes noſtras quæ ſucceſſu temporis ad eos diriguntur,à principio ſuæ beatitudinis. ibid. num.8

Beati orant pro nobis, & etiam pro ſe ipſis, non quidem quoad gloriam eſſentialem animæ, ſed quoad accidentalem,tam corporis, quàm exaltationis ſui nominis. pag.400.n.2

Beati orant pro nobis aliquando cognoſcendo futurum euentum, aliquando non, ſed tamen oratione conditionata, *Si ita fuerit voluntas Dei*, pag.401.n.3

Pro Beatis non eſt orandum, ſumendo orationem pro medio obtinendi aliquid illis, benè tamen vt ex oratione conſequatur aliquod gaudium accidentale eiſdem. pag.396.n.2

Beati quomodo voces efformare poſſunt in cœlo pag. 456. num.14. & ſeqq. & præcipuè.p.457. num.7

Erunt in Beatis voces, cantica & Dei laudes, ibidem, & ſeqq.

Beatitudo.

Beatitudo augetur ex eo quod Beatus plura in Deo videat quaſi intenſiuè, & formaliter, non autem quaſi materialiter extenſiuè. pag.393. num.11

Beatitudo pertinet ad obiectum ſpecificatiuum Spei ex parte rei ſperatæ, non tamen ex parte rationis formalis ſperandi. pag.178. num.11.

Beatitudo æterna non ſperatur in auxilio humano. pag.179.n.16

Bona creata quæ conducunt ad beatitudinem ſunt obiectum materiale ſecundarium ſpei. pag.180.num.4

Beatitudo æterna vt ſit obiectum ſpei abſolutè loquendo debet eſſe bonum ſperatum ſibi, non aliis. ibid.n.5

Suppoſita vnione amoris, qua proximum reputamus vt vnum, etiam poſſumus illi ſperare Beatitudinem. ibid.

Ad vincendas difficultates pro Beatitudine alterius erigitur animus. pag.182.n.8

Beatitudo proponitur viatoribus reprobis vt poſſibilis & futura. pag.207.n.18

Beatificatio, Beatificati.

Beatificatio eſt permiſſio, ſeu facultas Pontificis, vt aliquis poſſit haberi pro ſancto, non verò eſt iudicium determinatiuum. pag.155. num.2

Vnde Beatificatio non eſt iudicium Pontificis ſaltem vt caput Eccleſiæ,ſed Congregationis Cardinalium ad id deputatorum, cum permiſſione, ſeu conceſſione Papæ. ibid. & pag.156. num.3

Ideò Pontifex in Beatificatione particulari non iudicat ipſam perſonam eſſe ſanctam abſolutè, & ſimpliciter. ibid.

Beatificationem præcedit eleuatio. pag.156. num.4

Vide *Eleuatio, Papa, Eccleſia.*

Beatificatos ſolum licet eo modo, & illo cultu publicè venerari, ſicut à Papa conceditur, reliqua verò, & ſi expreſsè non prohibeantur, non poſſunt licitè exhiberi. pag.161.n.2

Vnde ſi reſtrictè conceditur à Papa, quod certo die poſſit celebrari de aliquo Sancto, non poteſt facta celebratione, alio die etiam per modum deuotionis,& Miſſæ votiuæ de eo celebrari. ibid. n.3

Probabile tamen videtur, quod ſi concedatur, vt tali die celebretur de illo, poſſit in alium diem transferri, ſi adſit impedimentum. ibid.n.4

Si autem non ponatur reſtrictio, ſed concedatur celebratio de aliquo Sancto,poteſt cum Octaua celebrari. ibid.

Si concedatur Beatificatio pro Religioſis certæ Religionis, vt quod Sacerdotes talis Religionis poſſint de illo Sancto celebrare, nullis aliis id licet. pag.162. num.5

Si autem reſtrictio ſit circa locum, non circa perſonas, omnes Sacerdotes poſſunt ibi celebrare. ibid.

Si concedatur cultus cum reſtrictione, v. g. quod liceat celebrare Miſſam, & nihil de alio cultu publico dicatur, poſſunt alia ſpecialia ſigna exhiberi connexa cum illo. ibid.

Bellua.

Belluæ ferociſſimæ diuina virtute manſuefactæ. pag.485.n.19

Belluarum ferociſſimarum vires cedunt poteſtati dæmonis. pag.487.n.25

Belluæ quantumuis ingentes, & immanes magicis carminibus poſſunt cicurari & frænari. p.488. num.26.

Beneficium, Beneficiarij.

Beneficiarij tenentur ſub mortali ad recitandum Officium diuinum. pag. 409. n.1. & ſeqq.

Habens plura ſimul beneficia, ſatisfacit recitando ſemel in die. pag.410. num.4

Beneficiarij non recitantes officium, in primis ſex menſibus ab obtento beneficio, probabile eſt, quod non tenentur ad reſtitutionem, licet peccent. pag.411. n.4.& ſeqq. Oppoſitum autem etiam eſt probabile. ibid.

Beneficiarij tenentur ad reſtitutionem fructuum ſi non recitent, etiam ante ſententiam Iudicis. pag.412. num.6

Qui habet Beneficium curatum, ſi non recitet officium diuinum, non tenetur omnes fructus reſtituere propter ſolam omiſſionem recitandi, & quare. ibid. num. 8. & ſeqq.

Beneficiarius tenetur reſtituere in integrum omnes dies, & omnes horas, quas omittit recitare pro rata. pag.413.n.11

Ad hoc autem requiritur quod omiſſio recitandi ſit voluntaria, & talis quod ſit peccatum mortale. ibid.num.13

Blaſphemia.

In materia Blaſphemiæ non datur culpa venialis ex leuitate materiæ. pag.423.n.8

Bonitas, bonum.

Bonum melius eſt materia voti.

Vide *Votum.*

Bonum quod eſt impeditiuum maioris boni, non eſt materia voti. pag.426.num.2

Bonum diuinum, vt dicit cauſam finalem pertinet

ad eſſentialem rationem obiecti Spei Theologicæ tanquam res ſperata; auxilium autem diuinum tanquam ratio formalizans illud. p.75.n.16.
Bonum concupitum non ordinatur ad eum, cui concupiſcitur, vt ad finem *cuius gratia*, ſed tanquam ad finem cui. pag.181.n.4.
Bonum amicabile addit ſupra bonum abſolutè rationem communicatiui. pag.215.n.3
Bonum apprehenſum concurrit in triplici genere cauſæ reſpectu appetitus, ſcilicet, obiectiuæ, finalis, & effectiuæ. pag.364.n.7
Bona quæ per orationem obtinentur, proueniunt ex gratia Dei. pag.376.n.7
Bona quæ poſſumus petere à Deo, ſunt in triplici differentia. pag.394.n.2
Bona ſpiritualia ſecundum ſe conſiderata peti poſſunt, & debent à Deo ibid. n.3
Bona temporalia ex fine ſuſtentationis, & conſeruationis naturæ licitè poſſunt peti à Deo. p.396. num.12.
Iſta autem bona ſecundum quod ſubſunt vſui noſtro vltra conſeruationem naturæ, non poſſumus petere, neque ſecundum ſe conſiderata. ibid.
Bonitas poteſt mouere voluntatem ratione ſui, & non alterius adiuncti. pag.315.n.25
Bonitas diuina dupliciter communicatur; effectiue, & reſpectiuè. pag.225.n.9
Bonitas finis eſt extrinſeca in actionibus imperatis; Bonitas autem obiecti intrinſeca, ſi ſint actus potentiæ participantis libertatem. p.379.16
Bonitas finis eſt eadem in actu imperante, & imperato. ibid.
Bonitas diuina poteſt eſſe ratio formalis amandi creaturas. pag.331.num.2

Bonifacius Secundus.

Sibi delegit ſucceſſorem congregata Synodo, ſed poſtea ipſe hoc retractauit alia Synodo congregata. pag.119.n.2

Bos.

Bos ab Ægyptiis in honorem Serapidis alebatur, quem *Apis* nomine vocabant. p.481.n.4
Bos nomine *Apis* apud Ægyptios Deus, in eoque colendo ſuperſtitio. ibid.
Bos Apis Germanici Cæſaris mortem prænunciauit. ibid.
Boui Ægyptio mortuo ſolemni planctu Sacerdotes parentabant. ibid.
Bouis Apis ſolemnia apud Ægyptios menſe Aprili celebrantur. ibid.n.6
Boue Api reperto in præmortui locum valdè Ægyptij lætabantur, & ita ſplendidis conuiuiis epulabantur, vt in prouerbium abierint *Serapica cenæ.* pag.481.n.6.& ſeq.

Britania.

Britania inſula poſtquam Religionis Chriſtianæ cultum amplexa eſt nec venenata parit animalia, nec aliunde allata tolerat. pag.483.n.8

Bulla.

Quando in Bulla Cruciata datur facultas relaxandi iuramenta, vel commutandi vota, intelligitur de illis quæ non vergunt in detrimentum proximi. pag.440.n.10
In Bulla Compoſitionis datur facultas ad componendum id quod Beneficiatius debet ex omiſſione recitandi. pag.412.n.6

C

Calix.

CAlix iræ Dei de quo bibent omnes peccatores terræ. pag.477.n.2

Caluinus.

Caluinus, exiſtimauit neceſſitari voluntatem ab auxilio diuino. pap.375. *init.*

Calumnia.

A Calumniis non eſt licitum per calumniam defendi. pag.267.n.7

Campana.

Campanæ de Velilla pulſatio prodigioſa aliquid infauſtum Reipublicæ prænuncians. pag.484.n.16
Campanæ de Velilla pulſatio audita in expulſione Mahometorum ex Hiſpania. pag.485.n.17
Campana de velilla habet in ora exaratum quoddam Sybillarum vaticinium. ibid.

Canones.

Ex Canonibus Apoſtolorum ſolum 50. ſeu 70. ſententiæ in illis contentæ, ſunt approbatæ. 145. n.7.& ſeq.
Canones Trullani à Græcis ſunt conficti, & ab Eccleſia reprobati. ibid.p.146

Canonizatio.

Quid importet Canonizatio, explicatur. pag.155 num.1
Ad illam præcedere ſolet quaſi duplex diſpoſitio, qua paolatim aliquis cultu aliquo incipit coli, & venerari, ſcilicet Beatificatio, & Eleuatio. ibid. n.2.& pag.156. num.4
Vide *Beatificatio, Eleuatio.*
Canonizatio quantum ad ipſam ſubſtantiam, ſcilicet, quod ſancti proponerentur ab Eccleſia colendi, & venerandi, ita antiquum eſt, vt ab Apoſtolica traditione deſcendat, habeatque fundamentum in Scriptura. pag.156.n.1.& ſeq.
Modus autem Canonizationis diuerſimodè ſe habuit à principio Eccleſiæ vſque nunc. ibid.n.3.
Vide *Papa, Eccleſia.*

Cardinales.

Vide *Clerus Romanus.*
Ad ipſos pertinet electio Papæ. pag.119. num.2. pag.121. num.5.
Et hoc eſt verum etiam ſi à Concilio generali Papa deponatur. ibid.
Nullus Cardinalium prætextu excommunicationis, vel cenſuræ, poteſt ab electione Papæ repelli. 122. num.1
Ad ipſos non pertinet tractatus de depoſitione Papæ. pag.137.num.16.

Cauſa.

Quæ ſit cauſa proxima, quæve remota mutilationis, vel mortis. pag.196.num.6
Cauſa efficiens habitus, illum non ſpecificat. 177 10. & ſeq.178.

Cenſura.

Eius definitio legitima contra Suarez. 271.n.4.
Eiuſque explicatio. ibid.n.5
Septem ſunt ſpecies cenſuræ, & quæ illæ ſint. pag.265.verſ. *dico* 4.

Certitudo.

Vide *Spei certitudo.*
Certitudo voluntatis aliter regulanda eſt in actu fruitionis, ſeu gaudij, aliter in actu ſpei. 195.n.3

Charitas.

Charitas ſupernaturalis eſt vera & propria amicitia inter Deum, & hominem, fundata non in communicatione qua homo, ſed qua filius habens eundem ſpiritum. pag.215. num.5
Obiectum formale Charitatis eſt bonitas diuina

diuina amanda propter ſe ipſam fundantem communicationem ſui immediatam, ibidem. num. 6
In obiecto ſecundario non æqualiter relucent conditiones amicitiæ. 217.n.7
Charitas ſupernaturalis eſt vna virtus ſpecie atboma. 221.n.2.& ſeqq.
Charitas in genere moris eſt excellentior cæteris virtutibus, & hoc in triplici ſenſu. 224.n.1
Charitas inferior eſt entitatiuè ad vnionem hypoſtaticam, gratiam habitualem, & lumen gloriæ. ibid.n.2
Entitatiuè autem eſt perfectior virtutibus naturalibus, ſiue exiſtentibus in intellectu, ſiue in voluntate. ibid.n.3
Excedit etiam virtutes ſupernaturales, quæ ſunt in voluntate. ibid.
Eſt etiam perfectior entitatiuè fide, & aliis virtutibus intellectualibus ſupernaturalibus, quæ ſunt in via. 225.n.6
Charitas non augetur extenſiuè. 227.n.2
Charitatis augmentum eſt ſine termino ab intrinſeco. 228.n.8
Charitas poteſt augeri à Deo phyſicè, nulla interueniente diſpoſitione ex parte actus noſtri. pag.229. n.1
Ad augmentum charitatis requiritur ex parte actus noſtri diſpoſitio non ſolùm moralis, ſed etiam phyſica. p.230.n.7
Quæ diſpoſitio debet eſſe actus,non ſolùm æqualis ad habitum præcedentem, ſed excedens illum, æqualis tamen augmento introducendo. pag.231.num.12. & ſeqq.& p.238.num.11.& ſeq.
Charitas non augetur ſecundum totam intenſionem actus diſponentis, ſed ſecundum exceſſum actus ad habitum præexiſtentem. pag.232. numero 1.
Ad augmentum charitatis augentur virtutes infuſæ, & quare? 233.n.5
Augmentum charitatis merentur iuſti bonis operibus, & non ſolùm vitam æternam. ibid.n.7. & ſeq.
Charitatis augmentum merentur actus aliarum virtutum, ſi imperentur à charitate. ibid. & ſeqq.
Charitatis augmentum, quod merentur actus remiſſi, non ſtatim datur, ſed quando per actum feruentiorem homo ſe diſpoſuerit. p.237. n.3. & ſeqq.
Ad hoc autem augmentum ſe diſponit homo per actum feruentiorem dilectionis, & per conatum ad charitatis profectum.ibid.& p.240. n.1.& ſeq.
Iſte autem actus feruentior elicitur in alia vita. & p.139.n.15.& ſeqq.
Charitas poteſt diminui a Deo per ſubſtractionem concurſus. p.147.n.1
Non tamen diminuitur de facto a Deo ſine culpa hominis. ibid.
Non diminuitur autem, nec phyſicè, nec moraliter per peccatum veniale. ibid.numero 2.& ſeqq.
Charitas habet ordinem in obiectis dirigendis, non quaſi ordinans, ſed quaſi ordinata. p.369. n. o.
Charitas eminentiori modo reddit hominem ſanctum quàm Religio. 354.n.6
Charitas qua diligitur Deus, & proximus eſt vna virtus. 330.1.& ſeqq.

Chriſtus.

Non eſt mentitus quando, euntibus diſcipulis in Emaus, finxit ſe longius ire. p.38.n.21
Neque etiam quando dixit: *Vos aſcendite ad diem feſtum, ego non aſcendam.* ibid.n.22.& ſeq.
In Chriſto neque mendacium, neque error potuit eſſe, & non eſt idem de morte. ibid.p.39. num.4
Chriſtus tradidit Eccleſiæ poteſtatem deſignatiuam, ſeu electiuam Pontificis, Eccleſiæ quidem proximè & formaliter,& ordinario modo, regulatiuè autem, ſeu architectonicè & principaliter ipſi Papæ. p.114.n.3.& p.117.numero 2
Vide *Papa*.
Chriſtus immediate confert poteſtatem Papalem Pontifici electo, Eccleſia autem ſolùm deſignat perſonam. p.116.n.10.& ſeqq.
Chriſtus ſolùm eſt mediator verus, & principalis. 390.n.6.& ſeqq.
Chriſtus nunquam votum emiſit, & quare.p.436. n.3.4
Chriſtus Eccleſiæ fundamentum, & caput in Apoſtolo Petro conſtituit. p.96.num.9.& ſequentibus.

Character.

Manet in Fidelibus damnatis. p.57.n.2

Cicuratio.

Cicuratio tauri in Hiſpaniæ oppido de las Brozas fieri ſolita. p.480.n.1
Cicurationis tauri apud Hiſpanos Ciuitatenſes mos & ſolemnitas originem traxiſſe videtur ab Ægyptiis. pag.181.n.4
Cicuratio tauri in D.Marci Euangeliſtæ ſolemniis celebrari ſolita incantationis effectus eſt, & ſuperſtitioſa religio. 485.n.19
Cicuratio tauri in honorem D. Marci damnata à Clemente VIII. p.486.n.20
Cicurationis tauri ſtylus & ſolemnitas longè à miraculi maieſtate recedit. ibid.n.21
Cicuratio tauri non ducit ad Eccleſiæ vtilitatem, aut venerationem. ibid.n.22
Cicurationis ſtylus, & cæremoniæ inanitatem miraculi oſtendunt,& vergunt in maximam Religionis Chriſtianæ irriſionem, criminoſam Eccleſiæ indecentiam. pag.486.n.22.& ſeq.

Circumſtantia.

Vt aliqua circumſtantia mutet ſpeciem, non eſt neceſſe quod ex intentione illius fiat actus. 307.n.18.& ſeq.

Clauis.

Clauis ordinis ſolis Sacerdotibus competit,clauem vero iuriſdictionis, etiam qui non ſunt Sacerdotes, poſſunt habere. pag.119.n.19

Clemens Papa.

Clemens Papa deſignatus fuit à D.Petro in ſucceſſorem. pag.114.n.3
Ipſe tamen poſtea ceſſit & renunciauit deſignationi Petri, in cuius locum electus eſt Linus. ibid. n.3
Vide *Sanctus Petrus.*

Clerici.

Clerici in minoribus conſtituti non obligantur ad recitandum officium diuinum. pag.407.numero 1
Neque obligantur recitare aliquid loco officij. ibid. n.2
In ſacris autem conſtituti tenentur ad officium

recitandum. ibid.n.3.

Clericus in ſacris, ſi diſpenſetur, vt matrimonium contrahat, non liberatur ab onere recitandi. p.49.n.9

Clerici in ſuſceptione ſacri Ordinis ſolùm obligantur ſeruare caſtitatem ex iure humano Pontificio. p.441.n.2.

Vnde votum, quod in ſuſceptione ſacri Ordinis emittunt, diſpenſari poteſt. ibid.

Clerus.

Apud Clerum Romanum, præſertim apud Cardinales, ab exordio Eccleſiæ fuit poteſtas eligendi Papam directè, & per ſe. p.119.n.2

Clerus quantum valeat ſuis orationibus contra hoſtes. p.465.n.4.& ſeqq.

Concilium generale.

Concilium generale, ſi Papa non ſit præſens, vel legati non habeant inſtructionem ab illo, ante confirmationem Pontificis, non eſt Regula ſuprema fidei. p.81.n.11

Ad Concilium generale pertinet tractatus de depoſitione Papæ, quoad declarationem criminis. 137.n.16.

Hoc autem Concilium, in ordine ad iſtum finem, congregari poteſt authoritate Eccleſiæ, quæ eſt in ipſis Epiſcopis, vel in maiori parte. ibid. n.18

Concilium generale poteſt electores Papæ ſuperaddere, & eis committere poteſtatem eligendi Papam, etſi non ſint Cardinales. pag.119. n.1.& pag.121.n.7

Non habet ius eligendi Pontificem. pag. 139. n.2.& ſeqq.& pag.121.num.5

Concilia alia.

In Concilio Africano præcipitur, vt primæ Sedis Epiſcopus non vocetur Princeps Sacerdotum, vel ſummus Sacerdos, & quare? pag.112.numero 24.

Concilium Baſilienſe iniuſtè depoſuit Eugenium, & tunc deſiit eſſe Concilium legitimum, & caſſatum eſt ab ipſo Eugenio. ibid.n.24

Concilium Conſtantienſe tres depoſuit Papas, quia ignorabat, quis eorum eſſet legitimus. ibid.num.24

Concilium Sinneſanum non depoſuit Marcellinum Papam.

Vide *Marcellinus Papa.*

Collegium.

Collegium Eccleſiaſticum non cenſetur extinctum neque redire ad ſæcularem Principem per defectum omnium, qui ſunt de Collegio. p.464. num.1.& ſeqq.

Cœli.

An motus cœli ſonum muſicum edant? diſquiritur latè. 452.num.1.& ſeq.

Varia dicta de iſto ſono afferuntur. pag.453.n.3. & ſeqq.

Non eſſe talem ſonum probatur. p.454. num.6. & ſeqq.

Conceptio.

Vide *Maria Virgo.*

Confeſſio.

Qui in confeſſione mentitur fingendo aliquod peccatum, quod ſit materia totalis, mortaliter peccat. pag.429.n.4

Confirmatio.

Confirmatio tribui poteſt ex diſpenſatione Papæ, à ſimplici Sacerdote, licèt ordinaria poteſtate ſolùm competat Epiſcopis. pag.115. numero. 5

Commutatio.

Quando votum commutatur in aliam materiam, tenetur ſeruare illam, qui emiſit votum ex vi voti quod antea emiſit. pag. 442. numero 6.

Vide *Votum.*

Conſcientia.

Conſcientiam erroneam non tenemur ſequi ex præcepto Dei. p.39.n.16

Comprehenſio.

Comprehenſio habitualis, quæ ſuccedit ſpei in gloria, non eſt habitus diſtinctus à charitate, & lumine gloriæ. pag.190.n.4

Conſilium.

Rectè conſiliare non eſt conſilium, cum modo ſuperueniente ipſi ab habitu, ſed actus cum habitudine ad obiectum modificatum. p.560. num.11.

Conſilia Euangelica ſunt propriè materia voti.

Vide *Votum.*

Non eſt conſilium Euangelicum etiam homini fragili, qui vritur libidine, ducere vxorem. pag.426.n.2.

Eſt tamen conſilium ſalutare ſecundum Regulas prudentiæ, permiſſum ab Euangelio, & à D. Paulo. ibid.

Conſtantinus, vide *Imperatores.*

Continuatio.

Continuatio actus fit vel ex electione ipſius continuationis, vel ſine eo quod præcedat electio in exercitio continuando actum. pag.235. numero 17

Continuatio actus ex electione, ita eſt perfectè meritoria, quod non æquivalet ei multiplicatio actuum interruptorum in eadem duratione. p.236.n.18.& ſeqq.

Continuatio actus aliquando eſt ita magna, quod excedit in valore primam productionem, aliquando ita parua quod excedatur. ibidem numero 20

Continuatio Beatitudinis non poteſt eſſe obiectum Spei Theologicæ, nec enim eſt ardua, neque futura illis. pag. 190. aliàs 180. numero 3

Contentio.

Contentio orta inter Francos, & Hiſpanos de die celebrationis Paſchatis, quæ controuerſia illuſtri miraculo fuit ſoluta. p.484.n.15

Credere.

Credere aliquid determinatè, & explicitè, ſemper fuit neceſſarium neceſſitate medij. p.50.numero 1.

Vide *Fides.*

Poſt Euangelium promulgatum neceſſe eſt explicitè credere myſterium Trinitatis, & Incarnationis. p.51.n.7.

Vide *Præceptum.*

Creator, Creatura.

Ratio Creatoris eſt vnica in Deo ſecundum ſpeciem athomam.

Vide *Deus.*

Creatura conſtituitur debitrix Deo primò, & per ſe per creationem. p.325.n.18.

Culpa.

Culpa duplex: altera Theologica, & Iuridica altera; & hæc rurſus alia lata, alia leuis, alia leuiſſima. pag.301.n.1.

Cultus.

Cultus iure prohibetur, vt tanquam Sancto alicui tribuatur, niſi authoritate Papæ. p.156.n.2

Licitum eſt authoritate priuata, vel etiam Epiſcopi cultum priuatum exhibere perſonis, quæ non ſunt canonizatæ, nec beatificatæ; non verò cultum publicum, id eſt, qui authoritate publica inſtitutus eſt ad colendos Sanctos. pag. 162. n. 1

Ad quid ſe extendat cultus priuatus dicitur. ibid. num. 3

Cultus qui exhibetur Deo per orationem, eſt ſubiectio inferioris petentis ad Deum. p. 381. n. 4. & ſeqq.

Cultus ſacer, & Religioſus, vt diſtinguitur à ciuili, non eſt idem quod cultus latriæ. pag. 389. n. 2. & ſeq.

Cultus qui exhibetur Sanctis, elicitur à dulia, & imperatur à latria, idid. pag. 390. n. 4. & pag. 517. num. 43

Cultus Religionis non denotat in creatura propriam excellentiam, ſecùs verò cultus duliæ. p. 516. n. 42.

Vide *Dulia*.

D.

Dæmon.

DÆmoni non eſt difficile ingentium belluarum ferociam domare. p. 487. n. 25

Damnati.

Jo Damnatis non manet fides infuſa, poteſt tamen mere acquiſita. 57. n. 5

In damnatis fidelibus manet character. ibidem num. 2

Damnati non alternatim, ſed conſtipato impetu comprehendunt omnia pœnarum genera, ſecundum plura Scripturæ teſtimonia. pag. 477. num. 2

Damnatorum pœnæ maximè augentur propter inuariabilitatem earum. p. 478. n. 5

in Damnatis non eſt futurus propriè timor. p. 479. n. 9

Damnati quia Creatorem offenderunt ab omni creatura offenduntur. p. 479. n. 10

Damnatorum non vnica pœna, ſed multiplex. ibid.

Damnati non ſentient ſimul & confusè omnes pœnas. ibid. n. 10. & ſeq.

Damnati ex pœnarum variatione non ſentient refrigerium. p. 479. n. 11

Vide in verb. *Pœna*.

Dauid.

Dauid excellit in cognitione myſteriorum fidei præcedentes. p. 67. n. 2

Dæmones.

Dæmones credunt ex metu voluntate non dilectiua boni propoſiti, ſed electiua actus credendi, ne intellectus maneat ſuſpenſus. pag. 43. numero 1

In Dæmonibus non eſt fides infuſa, licet poſſit eſſe acquiſita. p. 57. n. 1

Debitum.

Si quis non habuit intentionem ducendi vxorem, non tenetur, imò neque poteſt reddere debitum etiam ſtante præcepto Eccleſiæ. p. 418. num. 2

Decretum.

Decretum efficax Dei de executione, & futuritione alicuius rei non eſt efficax, niſi includat omnes modos quibus facienda eſt. pag. 376. num. 9

Demonſtratio.

Ad Demonſtrationem euidentem non requiritur reſolutio in cauſas, vel in effectus entitatis, ſed ſufficit in cauſas, vel fundamenta veritatis. pag. 24. n. 8

Delectatio.

Delectatio quæ ſuccedit ſpei in patria, non eſt de conſecutione Dei tanquam de obiecto, ſed de Deo conſecuto. p. 181. n. 3

Delectatio quæ correſpondet charitati in patria eſt de Deo præſenti, & conſecuto, non quia conſecutus, ſed quia amicus. ibid.

Deliberatio.

Deliberatio diſtinguitur in ſemiplenam, plenam, & pleniſſimam. p. 420. n. 1

Actus qui fit cum ſemiplena deliberatione qui dicitur motus ſecundò primus, non eſt perfectè humanus, neque poteſt habere perfectam rationem vitij, vel virtutis. ibid.

In illo tamen reperiri poteſt peccatum veniale. ibid. num. 1

Non ſufficit ſemiplena deliberatio ad votum. pag. 420. n. 3

Non tamen requiritur pleniſſima, ſed ſufficit plena. ibid. n. 4

Hæc plena deliberatio ſufficit ad peccatum mortale. ibid.

Depoſitio Papæ.

Vide *Papa, Eccleſia, Concilium Generale.*

Deſperatio.

Deſperatio ſupponit deſiderium illius rei de qua deſperamus. p. 208. n. 14

Ad deſperationem ſufficit impoſſibilitas boni æſtimata. ibid. n. 55

Deſperatio dari non poteſt niſi corrumpatur iudicium practicum regulans actum Spei. pag. 210. num. 6.

Deſiderium, Deſiderare.

Deſiderare bonum alicui non eſt deſiderare illi bonum vt fini, ſed vt ſubiecto. pag. 181. numero 9

Deſiderium gloriæ corporis in beatis in honorem Dei eſt actus elicitus à charitate, vt autem eſt bonum noſtrum, à fruitione. pag. 193. numero 6

Deſiderare gloriam aliis in beatis, eſt actus elicitus à charitate. ibid. n. 4

Si alicui fiat abſoluta reuelatio de ſua damnatione, talis poterit deſiderare ſuam beatitudinem. pag. 206. n. 8

Deſiderium non reſpicit bonum vt aſſequendum in re, ſed ſecundum ſe, & vt poſſibile, in quo diſtinguitur à ſpe. pag. 208. n. 14

Si alicui fiat abſoluta reuelatio de ſua damnatione, & de peccato pro quo damnatur, poterit deſiderare auxilium efficax pro euitando illo peccato. ibid. n. 16

Deuotio.

Deuotio eſt actus Religionis. p. 360. n. 11

Deuotio extenditur ad Sanctos. pag. 362. numero 10

Quæ tamen non terminatur ad ipſos, ſed tranſit ad Deum. ibid.

Deuotio eſt effectus contemplationis. pag. 363. num. 1

Deuotio eſt cauſa lætitiæ. ibid.

Deuotio, quæ eſt actus voluntatis eſt principalior actus Religionis ſimpliciter loquendo, quã oratio, quæ eſt actus intellectus. p. 377. n. 1. & ſeq.

Quid ſit Deuotio? p.358.n.1

Non eſt actus heroicus. p.360.n.8.& ſeqq.

Deuotio importat promptitudinem quandam, & quid ſit? ibid.

Quando, & quomodo Deuotio ſit actus electiuus attingens media, quando vero finem? pag.361. num. 14

Deus, Deitas.

Deitas ſub ratione Deitatis, non eſt præciſa ratio credendi, & teſtificandi, ſed generalis & communis ratio omnium eorum, quæ conueniunt Deo. p.9.n.23

Deus ſub ratione Deitatis, eſt obiectum materiale primarium fidei. pag.14.n.1

Vide *Fides.*

Deus non eſt author mendacij, aut falſitatis, neque de potentia abſoluta mentiri, aut falſum dicere poteſt. p.31.n.6.& ſeqq.

Deus non eſt cauſa falſitatis, aut erroris directè etiam ſine mendacio. p.32.n.7

Vnde non poteſt infundere habitum erroris. ibid. num.8

In his quæ pertinent ad Fidem Deus non eſt occaſio alicuius deceptionis, etiam per accidens. ibid.

Deus neque de potentia abſoluta mentiri poteſt per alium tanquam per miniſtrum. pag. 33. numero 11

Deum eſſe ſcientem, & prudentem, includitur in articulo omnipotentiæ. p.71.n.3

Deus eſt Iudex ſupremus per modum vniuerſaliſſimæ cauſæ. p.93.n.14

Vnde non pertinet ad Ipſum per ſe immediatè iudicare omnia, quæ controuertuntur in fide, ſed mediantibus hominibus. ibid.

Vide *Scriptura Sacra.*

Deus eſt cauſa extrinſeca, propria & peculiaris Deuotionis. p.363.n.3

Deus ſolùm poteſt mouere extrinſecè voluntatem. ibid.num.4

Deus mouet voluntatem ad actum deliberatum, non præcisè per gratiam excitantem, & per actum indeliberatum, ſed peculiari auxilio, quo efficaciter illam præmouet. ibidem & ſeqq.

Deus vt bonum communicabile induit rationem Authoris naturalis, & ſupernaturalis, non abſolutè in ſe. p.215.n.3

Deus induit rationem Authoris naturalis vt communicat nobis effectus naturales, & Authoris ſupernaturalis, vt communicat nobis effectus ſupernaturales. ibid.

Diſtinctio Dei Authoris naturalis, & ſupernaturalis, & ſi rationis ſit tantum, ſufficit ad diſtinguendos amores. ibid.

Deus clarè viſus eſt ſupra animam entitatiuè, in eſſe tamen intelligibilis eſt obiectum proportionatum animæ glorificatæ. pag.222. numero 5

Deus poteſt diminuere charitatem, & habitus ſupernaturales ſine culpa. 247.n.1

De facto tamen ſine culpa hominis non tollit aliquid de habitu ſupernaturali. ibid.

In Deo ratio Creatoris eſt vna ſpecie athoma, quamuis exigat plura attributa, & plures rationes diuinas quaſi ſpecie inter ſe diuerſas. p.353. n.10.& ſeqq.

Primum donum quod Deus creaturæ communicat, eſt ipſum eſſe ad quod alia ſequuntur. pag. 324.n.17.& ſeq.

Deus habet rationem creditoris reſpectu creaturæ, primò & per ſe in quantum creans. ibid. & pag. 325

Deus qui eſt Author naturæ per leges poſitiuas non deſtruit legem naturæ, ſed potiùs perficit. pag.251.*inis.*

Deus non eſt obiectum Religionis. p.335.num.2. & ſeqq.

Quomodo verum ſit quod Deus colatur fide, ſpe, & charitate? p.339.n.41

Conſpicere in Deo, idem eſt quod ſuccurrere malo. p.377.n.4

Dei reuerentia, & admiratio in cordibus hominum incitatur ſeueritate vindicantis eius iuſtitiæ, ſicut à cæteris attributis. pag.477. numero 5

Deus gratis Eccleſiæ ſuæ dedit poteſtatem domandi feras. p.483.n.8

Deus neque in veteri, neque in noua lege ſemetipſum ſine teſtimonio reliquit, quædam miracula ſemper alicubi perennando. p.483. n.17. & ſeqq.

Diabolus.

Diabolus diuina muſica fugatur. pag.456. n.13.

Diabolus inducens hominem ad peccandum contra Duliam, peccat contra latriam. pag.318.numero 50

Diaconi.

Vide *Subdiaconi.*

Dido.

Regina Dido Carthaginem Africæ extruxit. pag. 459.n.11

Dilectio.

Vide *Amor.*

Dioſcorus.

Dioſcorus auſus eſt ſententiam anathematis in Romanum Pontificem *S. Leonem* intorquere. pag.94.n.4. & ſeq.

Diſpenſatio.

Diſpenſatio poteſt fieri in voto. Imò & in voto Caſtitatis quod à Clericis fit in ſuſceptione ſacri Ordinis. pag.441. n.1. & ſeqq. Secus verò in voto ſolemni emiſſo à Religioſo in profeſſione. pag.443.n.2

Vide *matrimonium, Papa, Epiſcopi, Prelatus, Irregularitas.*

Diſpoſitio.

Qui deſtruit diſpoſitionem ad formam, deſtruit ipſam formam. p.181.n.3

Diſpoſitiones requiſitæ ad augmentum gratiæ nullam habent cauſalitatem effectiuam in ipſam gratiam. pag.229. num.4. & pag.230. numero 2

Diſpoſitio vltima præcedit formam in genere cauſæ materialis, & ſubſequitur ad illam in genere cauſæ efficientis. p.239.n.15

Diſpoſitionem proximam ad mortale peccatum, tenemur vitare ſub mortali. p.249.n.7

Doctores, Doctrina.

Doctores ſacri poſt Apoſtolos reliquos excedunt in cognitione diſtincta myſteriorum fidei. pag. 66.n.9

Doctrina antiquorum commendatur. pag.470.n.1. & ſeqq.

Doctrinæ vnitas extollitur. pag.475. num.15. & ſeqq.

Doctores capilli Eccleſiæ dicuntur, & quare. pag. 472. n.4.& ſeqq.

Doctores Turres in Scriptura vocantur. ibid. n.7. & ſeqq.

Quàm neceſſaria vnitas Doctrinæ,& Diſciplinæ. pag 475.num.15.& ſeqq.

Qualitates Doctoris, & Doctrinæ depromuntur: ibid. num.18. & ſeqq.

Dominus.

Dominus non poteſt irritare promiſſionem factam homini à ſeruo de eius licentia. p.440.n.11

Dominus non poteſt irritare votum ſerui factum dum erat ſub illius poteſtate, poſtquam illi tribuit libertatem. p.441.n.2

Sanctus Dominicus.

S. Dominicus Spiritu Sancto afflatus inuenit modum recitandi Roſarium Beatiſſimæ Virginis. p.400.n.2

Donatiſtæ.

Apoſtolicam ſedem Cathedram peſtilentiæ nominabant. p.95.n.4

Dona Spiritus Sancti.

Sunt habitus diſtincti a virtutibus.pag.197.n.1. & ſeqq. Et diſtinctio ſumitur, quia Dona operantur ex inſpiratione diuina, non ſolùm vt auxiliante,& mouente, ſed vt regulante. ibid. n.3.& ſeqq.

Dona Spiritus Sancti reſpiciunt vt materiam proximam aliquid creatum, in quo differunt à virtutibus Theologicis. p.204.n.13

Donum Timoris.

Eſt habitus diſtinctus à charitate. pag.19.numero 8

Non habet pro principali actu fugere malum, ſed reuereri bonum à quo poteſt malum infligi. p.100.n.10.& p.201.n.2

Donum Timoris correſpondet temperantiæ inadæquatè ea parte actus ſecundarij. pag.101. num. 5

Actus iſte principalis Doni timoris, non reſpicit ſolam rationem boni in diuina eminentia,ſed in obliquo reſpicit rationem mali. pag.202. numero 3

Donum timoris reſpicit pro materia proxima ſubiectionem ſui ad Deum. p.204.n.13

Donum timoris eſt infimum inter omnia Dona, Spiritus Sancti, licet ex parte materiæ habeat maiorem extenſionem & amplitudinem.p.204. num. 14

Actus paupertatis ſpiritus, & actus beatitudinis luctus,ſunt ſecundarij Doni timoris,pertinentque ad voluntatem. ibid.

Actus paupertatis ſpiritus directiùs pertinet ad Donum timoris, quàm Beatitudo luctus. ibid. num. 14

Donum timoris fuit in Chriſto, & manet in Beatis. pag.205.n.16

Drachma.

Drachma quid in ſcriptura ſignificet, vel quid valeat? pag.44.n.9.& ſeqq.

Duellum.

Si Calumniator prouocat ad duellum hominem qui calumniam patitur, poterit iſte ea conſenſu Principis Duellum acceptare. pag.267. numero 5.6

Dulia.

Quando aliquid creatum ſumitur pro motiuo actus adorationis, talis adoratio eſt Dulia etiamſi perſona, cui exhibetur, ſit diuina. pag.326. num. 5

Quod eſt materiale reſpectu Religionis, comparatur, ad Duliam formaliter. pag.310. numero 10

Dulia eſt propter Deum, & ordinatur ad Deum vltimatè. ibid.n.11

Quantumuis Dulia ſit imperfectior virtus Religione, tamen excellentius eſt Sanctos coli per Duliam, quam per Religionem. pag.316. numero 42

E.

Eccleſia.

Eccleſia eſt inſtrumentum proponendi infallibiliter ex aſſiſtentia Spiritus Sancti res credibiles, & ſe ipſam. pag.11. num.5. & ſeqq.& pag. 145. n.4. & ſeqq.

Vide *Fides.*

Eccleſia non concurrit ad rationem formalem ſpecificatiuam fidei, niſi tanquam conditio ſeu applicatiuum eorum quæ ſunt fidei. pag. 13. num. 1

De fide eſt eſſe in Eccleſia aliquam, viſibilem regulam exterius proponentem & determinantem res fidei. p.76.n.4.& ſeqq.

In Eccleſia, etiam in lege veteri, fuit aliqua viſibilis regula, ad quam pertinebat cognoſcere de lege, & de veritate doctrinæ. pag. 79.aliàs 69. n.2

Vide *Lex vetus.*

In Eccleſia datur poteſtas iudicandi, & determinandi ea, quæ de fide tenenda ſunt. pag.87. n.4.& ſeqq.

Vide *Scriptura Sacra.*

Iſta autem poteſtas & regula non ponitur in tota Eccleſia, ſed in vno ſupremo Capite. p.95.n.8. & p.96.n.11

Imo in lege veteri, in Eccleſia erat ſupremum Caput in ſpiritualibus, ſcilicet, Summus Sacerdos. ibid.

Eccleſia non eſt fundata ſupra confeſſionem fidei abſolutè ſumptam, & ſecundum quod fit à quolibet homine,ſed ſecundum quod fuit facta ab Apoſtolo Petro. pag.96. num.10.& ſequent.

Eccleſiæ vnitas non ſeruatur, niſi vnum ſit ſupremum Caput in ea. pag.93. n.16. & pag.127. n.5. & hoc Caput debet eſſe viſibile, & quare. n.102. n.11

Neque eſt eadem ratio de Regimine politico pro toto vniuerſo. ibid.102.n.12

Supremum autem Caput in Eccleſia eſt Romanus Epiſcopus ſucceſſor Petri, non ſolùm in Epiſcopatu vrbis Romæ, ſed etiam in vniuerſali Regimine totius Eccleſiæ. pag.105.num.2. & ſeqq.

In Eccleſia poſſibilis eſt caſus quo ipſe Pontificatus ab Epiſcopatu vrbis Romæ diuidatur.p.111. num. 21

Vnde abſolutè in Eccleſia eſt poteſtas vniendi Pontificatum alteri Epiſcopatui, aut illum ſine Epiſcopatu aliquo retinendi. ibid.n.21

In Eccleſia eſt poteſtas deſignatiua, ſeu electiua Pontificis. pag.114. num.3. pag.117. num.2. & pag.125.n. 12

Hæc poteſtas tradita eſt Eccleſiæ à Chriſto Domino proximè & formaliter, & ordinario modo, regulatiuè autem ſeu architectonicè ipſi Papæ. p.115.n.6.& ſeqq.

In Eccleſia non eſt poteſtas collatiua Pontificatus, ſed ad ſolum Chriſtum pertinet, Eccleſia verò ſolùm determinat, & deſignat perſonam. pag.116.num.9

Eccle

Eccleſiæ poteſtas, eo quod poſſit Papam eligere non eſt ſupra Papam. p.117. num.6.& p.135. num. 11

Et licet hæc poteſtas ſit de iure diuino, non tamen eodem iure applicata eſt ad determinatas perſonas; vnde poteſt Eccleſia & Pontifex hoc variare, ſecundum quod neceſſitas poſtulauerit. p.119.n.1

Ad Eccleſiam pertinet declarare & determinare quod Papa ſit canonicè & legitimè electus, & quomodo? p.125.n.12

Eccleſia non poteſt errare in acceptanda quacumque Regula fidei, ſiue ſcripta, vt liber Canonicus, ſiue animata vt eſt Papa. pag.125. n.14

Eccleſia acceptat electionem Papæ, & electum quatenus acceptat illum vt Regulam infallibilem fidei,& Caput ſupremum. pag.129.n.11

Non ſolùm pie creditur, ſed per conſequentiam infallibilem infertur, Deum non permiſſurum quod eligatur & acceptetur pacifice ab Eccleſia qui verè non habet conditiones ad id requiſitas. p.129.n.3

Ad Eccleſiam pertinet iudicare in omni euentu, quo datur rationabile dubium de veritate Papæ, aut electionis eius. p.135.n. 10.& ſeq.

Imo Eccleſia poteſt iudicare & deponere Papam, qui re eſt innocens, probatur tamen nocens. ibid. n.13.

Impoſſibile tamen videtur quod Eccleſia iudicet aliquem non eſſe Papam, qui verè & iure ſit Papa. ibid.

Non tamen directè ab Eccleſia Papa iudicatur: quomodo autem fiat? pag.136. n.14.& numero 16

Eccleſiæ authoritate congregari poteſt Concilium generale,vt tractetur de depoſitione, vel ſegregatione Papæ propter crimen hæreſis.pag.137. num.8

Eccleſia non habet poteſtatem ſupra Papam,etiam in caſu hæreſis: quomodo autem cum hoc ſtet quod deponatur ab Eccleſia? pag.138. num.5. & ſeqq.

In Eccleſia, eiuſque Capite eſt authoritas infallibilis ad diſcernendum ea quæ pertinent ad ſacram, & authenticam Scripturam. pag.142. n.8.& ſeqq.& p.147.n.2

Eccleſia temporibus Apoſtolorum vſa fuit editione LXX. Interpretum. pag.149.n.3

Eccleſia nunquam fuit ſine ſincera & pura Scripturæ editione. p.150.n.2

Eccleſia plures admittit tranſlationes Scripturæ ſi Vulgatæ non contrarientur. ibidem numero 2. 2.col.

In Eccleſia eſt poteſtas ad canonizandum Sanctos, in quo errare non poteſt, & oppoſitum eſt impium & ſcandaloſum, errorique proximum. p.157.num.1. & ſeqq.

Vt Eccleſia celebret feſtum de aliquo tanquam de Sancto, ſufficit probabilitas & moralis certitudo de Sanctitate eius, non verò requiritur ſententia, & iudicium Canonicum. pag.160. num.4

Eccleſia inſtituit legem de Veneratione perſonæ Sacræ ex motiuo virtutis Religionis, & non virtutis Duliæ. p.306.n.9.& ſeqq. p.307

Eccleſia gratis à Deo accepit poteſtatem domandi feras. p.483.n.8

Electio Papæ, Electores.

Vide *Papa, Eccleſia, Clerus,Cardinales,Populus, Imperatores.*

Multis de cauſis vitioſa poteſt reddi electio Papæ, aut dubia, etiam ſi à legitimis electoribus fiat. p.122.n.2

Si perſona electa ſit hæreticus manifeſtus, vel ſi iudicio ſit priuatus, & non ſit vir,nulla eſt electio. ibid.

Electio legitima Papæ ex ſpeciali auxilio & prouidentia Spiritus Sancti fit. pag.122.n.4

Electores Papæ proponunt electionem & electum, non tanquam perſonæ particulares, ſed in perſona Eccleſiæ. 129.n.11

Eleuatio.

Eleuatio præcedit Beatificationem, eſtque diſpoſitio ad Canonizationem, & quid ſit; dicitur. pag.156.n.4

Eſpiſcopi.

Epiſcopi ſunt gubernatores Eccleſiarum, non vt Legati, aut Vicarij Papæ, ſed vt Ordinarij dependenter tamen ab illo. pag. 104. numero 18

Epiſcopi olim poterant concedere licentiam vt aliquis coleretur pro Sancto. p.155.n.2

Nunquam tamen habuerunt ius canonizandi abſolutè & pro tota Eccleſia aliquem, ſed concedebant vt in memoriam illius erigeretur altare,& fierent preces in ſuis Diœceſibus.p.156. num. 2

Iſtam autem authoritatem quam habebant Epiſcopi, Alexander III. ſoli Pontifici reſeruauit. pag.157. *init.*

Epiſcopi ſecundum ius commune antiquum habebant facultatem diſpenſandi in irregularitate homicidij voluntarij liciti. p.311.n.12

Nec per Decretum Concilij Tridentini eis conceditur, nec tollitur. ibid.n.14

Probabilius eſt Epiſcopos non poſſe ſecundum ius antiquum diſpenſare in irregularitate homicidij voluntarij illiciti occulti. pag.311. numero 1.

Probabile tamen eſt potuiſſe diſpenſare quantum ad obtinendum & retinendum beneficium ſimplex, & quantum ad retinendum beneficium curatum. p.312.n.4

Epiſcopi poterant diſpenſare in adminiſtratione Ordinum minorum, non tamen in eorum ſuſceptione. ibid.n.5

Probabilius eſt non poſſe Epiſcopos idem circa diſpenſationem in eadem irregularitate poſt Concilium Tridentinum. ibid.n.6

Non poſſunt Epiſcopi diſpenſare irregularitate homicidij caſualis publici. ibid. n.7

Benè tamen in irregularitate homicidij occulti. ibid.

Etiam ſi ex malitia alicuius ſit deductum ad forum contentioſum. p.312.n.11

poſt Concilium Tridentinum non poſſunt Epiſcopi diſpenſare in irregularitate prouenienti ex mutilatione voluntaria publica, ſiue licita, ſiue illicita. ibid.n.15

Poſſunt tamen diſpenſare in ea quæ prouenit ex mutilatione illicita, quæ non eſt publica. ibidem.

Epycheia.

Epycheia ad quid ponatur, & quid ſit? pag. 343. num.10. & ſeqq.

Eraſmus.

Eraſmus errauit dicendo Symbolum Apoſtolorum ab ipſis non fuiſſe editum.pag. 72. numero 2.

Eubulia

Eubulia.

Eſt virtus bene conſiliatiua, ſiue inquiſitiua. pag. 416. n. 1

Eucharistia.

Eucharistia eſt Sacramentum digniſſimum. pag. 71. numero 6

Pro Sacramento Euharistiæ ponitur ſpecialis articulus, & quare. ibid. n. 7

Vide *Sacramentum Eucharistiæ.*

Eugenius Papa.

Iniuſtè fuit depoſitus à Concilio Baſilienſi, & in hoc non Concilium fuit legitimum, nec cum approbatione legatorum facta depoſitio. pagina 552. num. 24

Eugenius Papa caſſauit concilium Baſilienſe, & illud tranſtulit Florentiam, ibique legitimè celebratum eſt Concilium Florentinum ibid. num. 24

Euidentia.

Euidentia non ſtat cum fide.

Vide *Fides.*

Euidentia in atteſtante dari poteſt ſine hoc quod Deus videatur. p. 22. n. 1

Hæc autem euidentia ſe ſola & formaliter non contrariatur fidei, bene tamen vt coniuncta aliis euidentibus propoſitionibus cum quibus diſcurſus formatur. ibid. num. 3. & ſeqq.

Oppoſitum huius probabiliter defenditur. ibid. n. 4. & p. 27. num. 6

Euidentia credibilitatis myſteriorum fidei certò conſtat dari. pag. 25. n. 2

Quæ compatitur cum fide eorumdem myſteriorum. p. 27. n. 6

Euidentia credibilitatis cognitæ vt obiectum diſtinctum non oritur ex fide, ſed ex experientia. p. 28. n. 13

Attingitur tamen ab habitu fidei in ipſo exercitio credendi per modum conditionis requiſitæ ex parte obiecti. ibid. n. 15

Iudicium de euidentia credibilitatis vt exercitæ, eſt actus diſtinctus ab aſſenſu credendi. pag. 29. n. 22

Excellentia.

Maior excellentia eſt venerari Duliâ propter ſe, quàm Latria propter aliud. pag. 552. numero 22

Excellentia diuina non eſt ratio formalis colendi creaturas. p. 331. n. 2. & ſeqq.

Excommunicatio.

Ad incurrendam Excommunicationem non eſt neceſſarium quod quis percutiat Clericum ea intentione quia Clericus eſt. pag. 306. numero 6

Excommunicatus.

Pro Excommunicatis non poſſumus orare oratione publica, bene tamen priuata. p. 397. n. 10. & ſeq. & pag. 398. n. 13

Pro excommunicato tolerato non poteſt Sacerdos pauper ad ſui ſuſtentationem offerre Sacrificium Miſſæ. p. 398. n. 15

F.

Felix Papa.

Felix Papa prius fuit Antipapa ſubrogatus ab Acacio in locum Liberij, poſtea autem fuit ritè electus, & hæreſim damnauit. pagina 125. num. 26

Vide *Liberius Papa.*

Fides.

Rectè D. Thomas à fide tanquam à primo fundamento exordium in hac 2. 2. ſumpſit. pag. 1. *initio.*

Multiplex acceptio fidei traditur. ibid. verſ. *quia*, & ſeqq.

Ratio formalis fidei in ratione credendi eſt prima veritas in teſtificando. pag. 8. numero 14. & ſequentibus.

Reuelatio diuina prout importat Dei locutionem ſumendo illam prout eſt actio ex parte Dei, non ſolùm eſt conditio, ſed ratio formalis fidei. ibid. n. 18. & ſeqq.

Ratio non viſi & reuelati vt paſſiuè ſe tenet in obiecto, & ipſum lumen à Deo infuſum, non pertinet ad rationem formalem fidei. ibidem.

Fidei obiectum formale eſt aliquid reale. pag. 9. num. 22

Fidei reſolutio ex ſpecie ſua non petit fieri in propoſitionem Eccleſiæ. pag. 11. n. 1. & pag. 73. & ſeq. *in ſum littera.*

Fides autem vt in nobis requirit propoſitionem Eccleſiæ proponentis, & applicantis res fidei, ibid. & ſeq. n. 2

Vnde fides nititur diuino teſtimonio tanquam rationi formali, Eccleſiæ autem teſtimonio tanquam inſtrumento & organo Dei loquentis. pag. 11. n. 4

Fides ſine vllo diſcurſu formali procedit in credendo à ſua ratione formali ad rem creditam. pag. 12. n. 4. & ſeqq.

Fidei obiectum materiale primarium, ſiue ſubiectum formale veritatum eſt Deus ſub ratione Deitatis. pag. 14. n. 1

Alia tamen extra Deum, licet in ordine ad ipſum, pertinent ad obiectum fidei ſecundariò. ibid. num. 3

Inter quæ non eſt ordo illationis, vel maioris infallibilitatis in credendo. ibid.

Fides non compatitur cum ſcientia, neque cum alio actu euidenti. pag. 17. num. 10. & ſequentibus.

Fides compatitur cum euidentia in atteſtante ſe ſola, & omni alio ſecluſo. pagina 22. numero 3

Vide *Euidentia.*

Fidei myſteria ſunt euidenter, & nimium credibilia. pag. 25. n. 2

Non eſt neceſſarium ad credendum fide infuſa deducere per conſequentiam rationes, & motiua credibilitatis; hoc enim pertinet ad ſapientes, ſed requiritur ſaltem aliquod motiuum credibilitatis attingere euidenter. pagina 26. num. 5

Fides optimè compatitur cum euidentia credibilitatis. pag. 27. n. 6

Vide *Euidentia.*

Fidei non poteſt ſubeſſe falſum, neque ex Deo dicente, neque etiam per accidens & materialiter. pag. 31. num. 6. & ſeqq. & pagina 40. n. 6. & ſequentibus.

Vide *Deus.*

Fidei actus neceſſariò requirit piam affectionem. p. 43. n. 3

Fides ſupernaturalis neceſſaria eſt neceſſitate medij ad vtramque ſalutem. pag. 50. num. 1

Ioan. à S. Thoma in 2. 2. D. Thom.

Imò ita eſt neceſſaria, quod in nullo caſu poteſt ſuppleri. ibid.
Ideoque credere aliquid fide diuina determinatè ſemper fuit neceſſarium neceſſitate medij. ibidem.
Fides Chriſti & Trinitatis ante promulgationem Euangelij quomodo fuerit neceſſaria explicatur. ibidem numero 5. & pagina 51. numero 6
Poſt promulgationem ſufficientem Euangelij probabiliſſimum eſt neceſſariam eſſe neceſſitate medij Chriſti fidem explicitam. pag. 52. numero 10. etſi non ſit improbabile hanc fidem explicitam ſuppleri poſſe in aliquo caſu per fidem implicitam. ibid.
De fide datur præceptum quantum ad exercendum actum credendi. pag. 55. n. 2
Vide *Præceptum.*
Fidei myſteria omnes tenentur ſcire quantum ad ſubſtantiam. p. 96. n. 6
Maiores autem in Eccleſia tenentur proportionate ad officia quæ exercent ſcire etiam ſubtiliſſima myſteria fidei. ibid. n. 8
Fidei confeſſio exterior quando obliget? pag. 57. num. 9
Eſt actus elicitus à fide. pag. 379. n. 9
Fides infuſa non eſt in dæmonibus, neque in damnatis. p. 57. n. 1
Neque etiam manet in hæretico. pagina 59. numero 5
Neque etiam in Beatis. p. 59. n. 11
Fidei habitus eſt ſupernaturalis quoad ſubſtantiam. p. 61. n. 2
D. Thom. explicatur. ibid. n. 3
Fide communi non creduntur reuelationes priuatæ.
Vide *Reuelationes priuatæ.*
Iudicium de rebus fidei, & earum propoſitio pertinet ad aliquam viſibilem regulam, & non ad iudicium vniuſcuiuſque. pagina 76. numero 4. & ſeqq.
Vide *Eccleſia, Papa.*
Proponens proximè res fidei credendas non habet infallibilem authoritatem ad non errandum, etiam actualiter, & per modum tranſeuntis. pag. 82. n. 14
Fidei vnitas non ſaluatur, ſi in Eccleſia non ſit vnum ſupremum caput. p. 98. n. 16
Non eſt idem aliquid eſſe de fide, & eſſe de iure diuino. pag. 109. n. 15
Quid ſit per ſe primo & immediatè de fide. Quid vero mediate, & per ſe ſecundo. pagina 123. num. 15
De fide diuina immediatè eſt, hunc hominem in particulari ritè electum & acceptatum ab Eccleſia eſſe Summum Pontificem & Petri ſucceſſorem. pag. 124. n. 10
Quando aliquid eſt de fide per ſe non eſt neceſſe quod ſint etiam de ea, quæ connectuntur cum illo, ſed erunt concluſiones Theologicæ. p. 128. num. 10
Fides originatur & pendet à voluntate, formaliter tamen eſt in intellectu. pagina 176. numero 3
Fides informis non habet rationem virtutis perfectæ quantum ad ſtatum, bene tamen quoad eſſentiam. p. 183. n. 3
Eſt idem habitus eſſentialiter cum fide formata. ibid.
Quid ſit fidem informari à charitate. ibidem numero 4. & ſeq.
Aliter formatur à Charitate, ac virtutes morales. ibid. informatur à charitate, ſicut virtutes morales à prudentia, ibidem & ſequentibus pagina 184
Fidei actus, aut Confeſſio exterior, ſi eſt propter malum finem, non procedit ab habitu fidei. p. 184. n. 8. & ſeq.
Fides non amittitur per deſperationem. pag. 210. num. 6

Fidelitas.

Fidelitatis virtus eſt pars potentialis iuſtitiæ, quia deficit à ratione debiti. pag. 431. n. 6

Filius.

Vide *Parentes.*
Filius per eandem virtutem colit Patrem vt principium generationis ſui, & vt gubernatorem & prouidentem. p. 325. n. 3

Finis.

Finis eſt duplex, ſcilicet obiectiuus, & formalis. p. 179. n. 4
Finis eſt ratio formalis amandi media. pagina 332. num. 2
Finis vltimus non poteſt eſſe niſi vnus. pag. 303. num. 4

Fœmina.

Quàm antiquum velamen reſpectu fœminarum? p. 447. n. 5. & ſeqq. n. 6
Varia exempla fœminarum velamine incedentium. pag. 448. n. 7
Fœminarum ornatus varius, ac ſuperfluus, quàm ſit reprehenſibilis. pag. 450. num. 15. & ſequentibus.
Fœminarum familiaritas & collocutio fugienda. pag. 452. n. 18. 19

Fons.

Fontes ad ſacrum Baptiſma miniſtrandum quotannis à Deo repleri ſoliti in Hiſpania. p. 481. num. 13
Fontium Hiſpanicorum lymphæ magno & frequenti hauſtu non minuuntur. p. 484. n. 5
Fontium Hiſpanicorum diuinitus aquas ſcaturientium mira comprobatio. ibid.

Fraticelli.

Fraticelli docuerunt ceſſaſſe in Eccleſia Romana Petri authoritatem, ad ipſoſque eſſe tranſlatam. pag. 95. n. 7

Fuga.

Fuga mali pertinet ad diuerſa principia, ſecundum quod pertinet ad diuerſa motiua. p. 203. n. 10
Vide *Donum timoris.*

G

Gloria.

Gloriæ quantitas commenſuratur cum quantitate habitus gratiæ. 241. n. 2

Gratia.

Gratia Chriſti non poteſt augeri naturaliter, benè tamen de potentia Dei abſoluta. p. 228. n. 8
Gratia in adultis infunditur iuxta menſuram diſpoſitionis phyſicæ, non meritoriæ. p. 229. n. 2. & ſeqq.
Gratiæ augmentum promeremur per actus imperatos ab aliis virtutibus. p. 333. n. 7. & ſeqq.
Gratia non augetur quin ſimul augeatur charitas. p. 235. n. 5

Gratia amiſſa quando recuperatur per pœnitentiam non ſemper redit ſecundum totam intenſionem, ſed iuxta diſpoſitionis intenſionem. p.241. n.2. & pag.242.n.6

Gratia ex natura rei opponitur peccato habituali. p.243. n.4

Tollitque reatum pœnæ æternæ. pagina 244. num. 9

Tollit etiam conuerſionem ad creaturam, & cum Deo facit conſortium. ibid.

Gratia ita repugnat cum peccato actuali vt non poſſint coniungi etiam de potentia abſoluta. ibid. n.10

Gratia corrumpitur per peccatum, non in ſe, ſed quantum ad eius informationem in ſubiecto. p.245. n.5

Imo nec per vnum inſtans compatitur cum peccato actuali, & multò minus per aliquod tempus. p.245.n.8

Græci.

Græci & Armeni ſingularitatem Primatus Romani Pontificis negarunt. pagina 95. numero 5

Gratitudo.

Gratitudo eſt ſpecialis virtus quando excludit rationem debiti ſuperioris, Dei ſcilicet, vel Parentis. pag.325. n.3

Gratitudo pietas, obſeruantia, dulia, & aliæ virtutes quæ reſpectu hominum diſtinguuntur ſpecie, reſpectu Dei adunantur in vna virtute Religionis. ibid.n.4

Gregorius Papa.

Quare reſpuit vocari Vniuerſalis Epiſcopus; p.112.n.23

Gymnaſia.

Gymnaſia liberarum diſciplinarum Turres in Scriptura Sacra vocantur. pagina 472. numero 7

H.

Habitus.

Habitus non manet deſtructa ratione formali ſub qua. pag.174.n.12

Habitus virtutis acquiſitus non habet immediatam oppoſitionem cum peccato actuali. p.246. num. 5

Habitus exiſtens in vna potentia poteſt ſe extendere ad hoc quod phyſicè operetur in alia. p.378. n.3

Habitus inferior nunquam poteſt imperare ſuperiori formaliter, bene tamen ſuperiori virtualiter. p.355.n.3

Hæreſis.

Hæreſes omnes generaliter in exercitio authoritatem Summi Pontificis negant. pag.9.4. numero 4

Vide *Romanus Pontifex.*

Hæreſis Anglicana refertur. pagina 95. numero 6

Eadem refutatur. pag.99.n.19

Hæreticus.

In Hæretico non manet fides infuſa quoad articulos quos credit, nec etiam quoad articulos quos non diſcredit. pag.58.n.5

Hæretici ſubuerſio & delictum eſt in ſequendo proprium iudicium in rebus fidei ſine attentione ad ſupremum Caput Eccleſiæ. pag.75. n.1. & ſeqq.

Hæretici recentiores vt Lutherus, Brentius & alij negarunt regulam exteriorem fidei in Eccleſia. pag.76. n.3

Hæretici occulti quandiu ab Eccleſia non condemnantur, & præſcinduntur, ſunt partes Eccleſiæ, & cum ipſa communicant in exteriori communicatione. pag.134.n.5

Hæreticus Sacerdos poteſt conficere Sacramentum & abſoluere in extrema neceſſitate. ibid. num.6

Non debet cenſeri hæreticus qui paratus eſt corrigi, & non eſt pertinax in hæreſi. pag.134. num.8

Hæreticorum fautores in his quæ ad hæreſim ordinantur, eiuſdem criminis cenſentur cùm hæreticis in iure. p.136.num.16

Hæretici redarguendi non ſunt ex Sacra Scriptura quam ad libitum negant, vel admittunt, ſed ex Apoſtolica traditione per quam conſtat de legitima ſcriptura. pag.144. n.1

Hæretici errabant aſſerendo eſſe inutile, & impium inuocare Sanctos & hæc eſt atiquiſſima hæreſis. p.38.num.12

Hebraica editio.

Hæbraica editio in his in quibus conſentit, ſaltem in ſenſu cum Vulgata, accipienda eſt, ſecus ſi in aliquo ab illa diſſentit. pagina 151. numero 6

Quando Vulgata edita eſt ex Hebræo, tunc erat Hebraica in ſua puritate. ibid.n.8

Hiſtoria.

Hiſtoria de fœmina in Papam electa, eſt falſa. p.129.n.3

S. Hieronymus.

S.Hieronymus vetus Teſtamentum in Latinum ex Hebræo tranſtulit, nouum autem Græcè fideli reddidit, iubente Damaſo Papa, ex qua tranſlatione, & veteri, *Itala* dicta, Vulgata conflata eſt. pag.139.n.4

Homicidium.

Quid ſit Homicidium voluntarium, & caſuale in rigore methaphyſico? pagina 273. numero 8

Quidque ſecundum iuris diſpoſitionem? ibid.n.9 & ſeqq.

Quomodo vulnus ex quo ſequitur mors debeat eſſe graue, vt illud homicidium ſit voluntarium, & non caſuale? pagina 276. numero 10

Homicidium indirectè ſecutum ex influxu morali præſtito ab intendente alium finem, quamuis malum, cenſendum eſt caſuale reſpectu illius ſecundum iuris diſpoſitionem. pagina 278. num. 8

Nomine homicidij voluntarij in materia irregularitatis comprehenditur occiſio hominis voluntaria etiam licita. p.310.n.6

Quando occiſio hominis facta in defenſionem propriam comprehendatur ſub homicidio? pag.310. num.7

Homo.

Homo ſolùm in Deo redditur ſtabilis. pag.353. num. 2

Homo in ſtatu naturæ lapſæ indiget gratia ſanante ad dilectionem Dei authoris ſupernaturalis ſuper omnia. pag.220.num.2

Honor.

Honor, qui exhibetur Sanctis, habet motiuum ſpecificatum in eis, quamuis vltimatè tranſeat ad Deum. pag. 317.n.46

Honor in quo differat à laude, ſecundum Ariſtot. p.309.n.3

Honor duplex, Latriæ ſcilicet, & Doliæ debetur Deo, & humanitati Chriſti, & quare. ibidem.

Honorius Papa I.

Honorius Papa I. an fuerit hæreticus Monothelita; non eſt certum, ſed ab hæreſi defenditur. p.112.n.25. & ſeq.

Damnatio illius in 7. Synodo generali ſuppoſita videtur. ibid.

Horæ Canonicæ.

Vide *Officium Diuinum.*

Horæ canonicæ ſic appellantur, quia certis diei temporibus iuxta regulam Eccleſiæ preces à Deo offeruntur. pag.402. num.1

Horæ canonicæ componi poſſunt ex his quæ in ſcripturis Canonicis continentur, & ex his quæ componuntur ab Eccleſiæ Doctoribus. p.402. num.6

Optimè ſunt diſpoſitæ quantum ad earum partes integrales. p.405.n.2

Tantum ſunt ſeptem. ibid.

Hoſtia.

Fide de conſtat Hoſtia conſecrata Corpus Chriſti continen,ſed à fide non creditur hanc Hoſtiam in particulari eſſe conſecratam, licet abſolutè & ſine conditione adoranda ſit. pag.41. n.4.& p.127.n.3.

Humilitas.

Humilitas eſt Religione. p.345.n.1

Præeminet tamen aliis virtutibus quæ ſunt circa paſſiones. ibid.num.2

Hiſpania.

In Hiſpaniam Claſſes Salomonis veniebant ad vrbem Tharteſſum. pag.n.12.& ſeqq.

Ditiſſima auri & argenti temporibus Romanorum. p.460.n.17.& ſeqq.

Imo abundans pretioſis gemmis. pag.461.numero 18.

Quanta Salomoni copia diuitiarum ex Hiſpania accreſcit. ibid.n.21

Antiquitas ſtudiorum ac litterarum in Hiſpania maximè Poeſis. pag. 474. numero 11. & ſequentibus.

I.

Iacob.

IAcob non fuit mentitus quando patri ſuo dixit, *Ego ſum primogenitus tuus Eſau.* pagina 36. numero 4.

Ignis.

Ignis duæ potiſſimæ proprietates. pagina 479 num.10

Ignis & aqua non agent in corpora damnatorum actione naturali. p.480.n.11

Ignorantia.

Ignorantia cauſat inuoluntarium. pagina 419. num. 6

Vnde ignorantia circa ſubſtantiam voti, vel circumſtantiam grauiſſimam annullat votum.ibid. & ſequent.

Imagines.

Imagines per ſe non ſunt dignæ, aut capaces honoris. p.332n.2

Imperium.

Imperium pertinet ſubſtantialiter ad intellectum, præſuppoſitiue ad voluntatem, & quare?p.370. n.15.& ſeqq.

Imperium ſpecificatur, non à te quam imperat, ſed ab ordine ad inferiorem per modum mouentis. p.381. n.6

Quomodo Imperium diſtinguatur ab oratione? p.355. n.2

Quid requiratur vt Imperium ſit efficax. p.356. num. 4

Imperatores.

Imperatores Romanæ Eccleſiæ defenſores,ipſique promulgarunt, & obſeruari fecerunt Primatum ipſius Eccleſiæ. pag. 118.n.22

Præcipuè hoc fecit Conſtantinus confecens etiam bona temporalia, & ſplendorem quaſi imperialem. ibid.

Nunquam vero Primatus iſte ab aliquo Imperatore conceſſus intelligitur tanquam ab inſtituente, & ordinante. ibid.

Imperatatores & Principes ſæculares ex variis cauſis ſe introduxerunt in ordinatione Apoſtolicæ Sedis, aliquando per poteſtatem vſurpatam; aliquando verò per tolerantiam Eccleſiæ, ex vrgente aliqua neceſſitate. pag.120. num. 4

Nunquam tamen exercitio eligendi Papam vſi ſunt, ſed tantùm approbandi electionem; aut permittendi vt Pontifex electus conſecraretur, aut componendi diſſenſiones, ſi quæ in electionibus Pontificum contigiſſent. ibid.

Incantator.

Incantatoris cuiuſdam ciuitatis Satemburgenſis notabilis narratio. p.487.n.24

Inclinatio.

Inclinatio quando & quomodo, ſiue amor vitæ dicatur naturalis? quandoque contra illam facere, ſit peccatum? pag.152.n.1

Quomodo homo habeat duas naturales inclinationes, & quæ ſint? ibid.

Infidelitas, Infidelis.

Infidelitas phyſicè, & non ſolùm demeritoriè fidei opponitur, vnde ipſam à ſubiecto expellit. p.58.n.7

Infidelis eſſet qui non crederet reuelationi priuatæ ſibi à Deo factæ. pag 63 n.7

Infidelitas ſecundum ſe opponitur ſpei Theologicæ, eamque deſtruit. pagina 177. numero 7

Iniuria.

Quæ ſit Sanctis in ſuis Reliquiis, vel imaginibus, habet duplicem malitiam, ſcilicet contra Duliam, & contra Religionem. pagina 308. numero 2. & 317. num.46.

Vide *Veneratio.*

Iniuriam Sanctorum æſtimat Deus, vt propriam, ſicut Rex eam quæ ſit filio, aut amicis ſuis ſpecialibus. ibid.

Iniuria Dei, & Sanctorum eſt eiuſdem ſpeciei. pag.310. n.7

Qualiter Iniuria ſumat ſpeciem à circunſtantia, diuerſo modo ac veneratio? pag.312. num.20. 21. & ſeqq.

Iniuria perſonæ ſacræ, quæ non eſt ſpecialiter prohibita non habet malitiam ſacrilegij. pag.316. num. 40

Iniuria Sanctorum eſt prohibita à Deo, non ſolùm propter ſanctitatem perſonalem, ſed quia ſunt aliquid Dei. pag. 317. num. 46
Diſtinctio inter iniuriam & venerationem Sanctorum. ibid.
Iniuria quæ fit in Sanctos, non poteſt præſcindi à Deo tanquam ab vltimo ſpecificatiuo. p. 317. num. 46.
Vide *Honor*.
Vide *Sacrilegium*.
Stat bene aliquid eſſe iniuriam Sanctorum viæ, & non reſpectu Sanctorum patriæ. ibid. n. 47. & ſeqq.
Iniuria quæ regulariter fit contra perſonam rationalem, vt eſt imago Dei, eſt contra Duliam, ex intentione tamen operantis poteſt eſſe contra Religionem. pag. 318. n. 50

Innocens.

Quando & quomodo innocens ſit, vel non ſit tradendus tyranno à Republica, vel à ſe ipſo, in remedium totius communitatis. p. 254. n. 1. & ſeqq. p. 255

Inſula.

In Inſula Melitenſi non inueniuntur noxia animalia. p. 483. n. 8

Intellectus.

Intellectus eſt perfectior voluntate. p. 204. n. 14. & p. 125. n. 6
Intellectus eſt potentia, cui primo & per ſe competit ordinare. p. 369. n. 10

Ioachim Abb.

Ioachim Abbas affirmauit Apoſtolos ſenſum Euangelij non percepiſſe, ſed quod primus omnium Sanctus Benedictus agnouit. p. 65. num. 2

Ioannes Baptiſta.

Ioannes Baptiſta ad legem gratiæ pertinebat. p. 66. num. 5
Quando Diſcipulos ad Chriſtum miſit vt interrogarent eum. *Tu es qui venturus es*, &c. non dubitauit de Chriſto an eſſet, ſed illos miſit vt in cognitione Chriſti firmarentur. pag. 69. num. 2

Iob.

Iob nec venialiter peccauit toto tempore ſuæ tribulationis. p. 36. n. 10

Ioſeph.

Ioſeph non fuit mentitus quando dixit quod erat augur. p. 36. n. 15

Irregularitas.

Irregularitas homicidij iniuſti quæ communiter eſt impoſita omnibus, tam Eccleſiaſticis, quàm ſecularibus nullam habet rationem cenſuræ. pag. 266. num. 5
Bene tamen ea, quæ Clericis eſt impoſita. ibid. num. 7
Et differentia inter præfatas irregularitates. pag. 267. n. 8
Clerici mutilantes, aut occidentes incurrunt irregularitatem, quæ eſt cenſura, & Canonicum impedimentum. p. 267. n. 9
Non verò incurrunt irregularitatem ſi non ſit occiſi, aut mutilatio, etiam ſi ſit percuſſio grauis, quod intelligendum eſt de irregularitate quæ eſt Canonicum impedimentum. ibidem numero 10.
Diſtinctio & definitio duplicis irregularitatis, *Ioan. à S. Thoma in* 2. 2. *D. Thom.* n. 28. n. 1. & ſeqq.
Irregularitas non eſt introducta iure diuino, in lege Euangelica, ſed iure Eccleſiaſticò. pag. 177. n. 2. & ſeqq.
Irregularitas illa ſolùm eſt admittenda, quæ continetur in iure quod eſt ſimpliciter ius. ibidem.
Irregularitas quomodo à Summo Pontifice poſſit imponi? pag. 178. n. 5
Nonnullæ irregularitates & impedimenta in ordine ad miniſteria Sacerdotum fuerunt impoſita in lege veteri ex iure diuino poſitiuo. ibid. p. 178. n. 2
Irregularitas Bigamiæ incurritur ab habente duas vxores, ante baptiſmum ſiue poſt, vel ante, vnam, & poſtea alteram. pag. 179. num. 4.
Irregularitas verò homicidij non incurritur ab occiſore ante baptiſmum, & quare. ibid. n. 7. & ſeqq.
Irregularitas quando dicatur expreſſa iniuria, vel non? p. 280. n. 13
Irregularitas quæ eſt cenſura non poteſt imponi ab Eccleſia propter actum mere internum. pag. 287. num. 2
Neque illa quæ eſt Canonicum impedimentum. p. 288. n. 5
Irregularis manet qui infert alicui vulnus lethale, etiam ſi ſtatim percuſſus intereat, fulmine, vel aliquo alio caſu fortuito. pag. 290. numero 2
Irregularitas non incurritur à perſona ſiue Eccleſiaſtica, ſiue ſeculari habente temporale dominium ipſum delegando aliis, etiam ſi iſti ex vi poteſtatis ſibi commiſſæ malefactores occidant. p. 295. n. 8
Et idem dicitur de delegato prædictam iuriſdictionem & poteſtatem aliis ſubdelegans committente. pag. 296. n. 12
Irregularitas non incurritur à conditore legis qua decernitur aliquod flagitium plectendum pœna mortis. p. 296. n. 16
Irregularis manet Aduocatus patrocinium ferens in cauſa iniuſta, ſiue in fauorem Rei, ſiue Accuſatoris, ſi ſequitur mors aut mutilatio alicuius, ſecus verò eſt dicendum quando cauſa eſt iuſta. pagina 298. numero 5. & ſequentibus.
Irregularitas quando & quomodo incurratur ab accuſatore in cauſa ſanguinis. pag. 290. n. 1. & p. 305. col. 1. n. 28
Quomodo mors vel mutilatio facta ratione denuntiationis, inducat, vel non irregularitatem. pag. 301. col. 1. n. 14. & ſeqq.
Miniſtri agentes coram tribunali de cauſa propter quam delinquens tradendus eſt brachio ſeculari pœna mortis puniendum, non incurrunt irregularitatem. pag. 303. colum. 1. numero 23
Imò nec ſi ipſe Iudex Eccleſiaſticus inferat pœnam mortis. ibid.
Quid de eius intentione. pagina 305. col. 1. numero 26
Irregularitas quomodo incurratur vel non à teſte in cauſa ſanguinis. pag. 306. colum. 2. numero 2. & ſeqq.
Quid de cæteris miniſtris iuſtitiæ. pag. 309. col. 1. num. 2
Et quid de Medicis & Chirurgis, & aliis ferentibus exercitia pietatis. pagina 309. col. 1. numero 4

Irregularitas inducitur ex actione, quæ proximè, & per ſe influit in mortem, ſiue mutilationem: non tamen ſi concurrat remotè & per accidens. ibid. n. 6.

Irregularitas an incurratur à Clerico conſultò à Iudice de crimine malefactoris digno morte. ibidem.

Et quid de Confeſſario reſpectu pœnitentis, verbi gratia Iudicis non volentis interficere malefactorem ſecundum ius dignum mortis, ibidem.

Irregularitas non incurritur à laïcis militantibus ex præcepto in bello iuſto propter bonum commune Reipublicæ vel Principis, ſiue propter defendendam vitam innocentum. pag. 311. col. 1. n. 2

Irregularitas quæ eſt cenſura non incurritur à Clericis in bello iuſto, quando inſtat præceptum naturale belliandi, mutilantibus ſiue occidentibus. pag. 312. col. 2. n. 2

Nec incurritur irregularitas, quæ eſt Canonicum impedimentum. ibid.

Quomodo Clerico liceat abſque incurſu irregularitatis exhortare milites ad pugnandum. p. 313. col. 1. n. 6

Irregularitas non incurritur à Clericis, qui interſunt bello iuſto contra prohibitiunem Eccleſiæ, ſi ſolùm ſacramenta miniſtrent. ibid. n. 10

Secus ſi bellum ſit iniuſtum, & ibi exiſtant ſine licentia Superioris, ſi tamen ſequatur mors vel mutilatio. ibid. n. 11. & ſeq.

Irregularitas non inducitur ex homicidio ſecuto ex omiſſione culpabili ſolùm contra præceptum charitatis. p. 316. col. 2. n. 3

Inducitur tamen ſi omiſſio ſit culpabilis contra iuſtitiam. p. 317. col. 1. n. 4

Irregularitas quæ eſt Canonicum impedimentum, inducitur ex homicidio ſecuto ex negligentia culpabili venialiter. p. 321. col. 1. n. 8. 9

Irregularitas non inducitur ab illo, qui facit opus illicitum non periculoſum, nec inductiuum mortis, & adhibet ſufficientem diligentiam, etiā ſi ſequatur mors. p. 322. col. 2. n. 5. inducitur verò, ſi opus fuerit periculoſum & inductiuum mortis. ibid. n. 9

Irregularitas an incurratur à percutiente alterum vulnere non lethali, morte tamen ſecuta ex malo regimine, vel alia de cauſa. p. 324. col. 1. numero. 5

An incurratur irregularitas ab eo qui chorum ducit, ſiue ſaltat cum muliere grauida aborſu ſecuto. pag. 325. col. 1. n. 6

Quid dicendum de alente feram, vt leonem, qui tamen occidit aliquem. ibid. n. 7

Quid de puero intra tempus infantiæ cum rationis vſu, aut extra ſine illo, alium occidente? ibid.

Quid de cautè ſagittam vel gladium extrahente de homine percuſſo, ſi acceleretur mors? ibi. pag. 325. col. 1. n. 8

Irregularitas quomodo inducatur ex abſciſſione membri hominis. pag. 327. colum. 1. num. 5. & ſeq.

Irregularitas an incurratur ab eo qui ſibi membrum abſcindit, aut partem membri? pag. 328. col. 2. n. 12. & ſeqq.

Et quæ ſit irregularitas quæ inducitur. ibidem num. 1

Quid de præbente voluntariè alteri occaſſionem, vel cauſam culpabilem, vt illi abſcinderetur membrum. ibid. n. 4

Irregularitas an incurratur ex læſione facta proximo citra occiſionem & mutilationem. p. 331. col. 1. n. 6

Irregularitas contracta ex mutilatione voluntaria licita, ſiue illicita, ſiue etiam ex caſuali, erat reſeruata Summo Pontifici ſecundum ius commune. pag. 345. col. 1. n. 15

Irregularitas quæ eſt cenſura tantùm poteſt auferri per Bullam Cruciatam nouam poſt Pium V. pag. 347. col. 1. n. 3

Irregularitas homicidio illicito inducta poteſt auferri per Bullam Cruciatam, ea parte qua eſt cenſura, non tamen ea parte qua eſt Canonicum impedimentum. ibid. n. 5

Irregularitas quæ incurritur propter enormem percuſſionem Clerici citra occiſionem aut mutilationem, poteſt auferri per Bullam. ibid. num. 7

Per ingreſſum Religionis non tolluntur omnes irregularitates, & oppoſitum eſt omnino improbabile. ibid. n. 8

Ideoque non eſt tutum in conſcientia non petere diſpenſationem à Prælato poſt ingreſſum Religionis ab irregularitate, etiam quæ purè cenſura eſt contracta ante ingreſſum. ibidem num. 9

Vide *Epiſcopi, Prelati.*

Irregularitas vt inducatur ex iteratione baptiſmi debet eſſe iteratio perfecta & completa. p. 333. col. 1. n. 5

Non fiunt irregulares Rebaptizantes ſiue Rebaptizati ſub conditione, etiam quando nullum eſt dubium de præterito Baptiſmo. ibid. num. 4

Irregularis manet adultus qui differt Baptiſmum vſque ad mortis periculum, & tunc neceſſitate compulſus recipit illum. ibid. n. 6

Duo caſus in quibus ille qui differt Baptiſmum poterit ad Sacros Ordines promoueri. pag. 334. col. 2. num. 7.

Irregularis fit ille qui baptizatur in loco vbi peregrinatur & eſt incognitus. ibid.

Irregulares ſunt adulti ab hæreticis baptizati. pag. 308. col. 2. n. 14

Quid de aliorum Sacramentorum indebito vſu. ibid. n. 15. & ſeq.

Iſraëlita.

Iſraëlitis faſtidioſis manna nauſeam excitauit. pag. 478. n. 5

Iſraëlitæ menſe Aprili de Ægypto exierunt, p. 482. n. 7

Iſraelitæ morem colendi vitulum ab Ægyptiis acceperunt. ibid. n. 7

Iudicium.

Iudicium de rebus fidei pertinet ad aliquam viſibilem regulam exterius proponentem, & non ad ſolùm vniuſcuiuſque iudicium. p. 76. num. 4. & ſeqq.

Vide *Eccleſia.*

Iuramentum.

Iuramentum factum fœminæ de ipſa in vxorem ducenda obligat. pag 426. n. 2

Factum vero de aliquo quod vtile non eſſet proximo, ſed præcisè relatum in cultum Dei, ſi ſit de reoppoſita conſiliis, nullum eſt, ſiue formaliter, ſiue tanquam impedimentum. ibid.

Iuſtitia

Iuſtitia.

Iuſtitia legalis eſt virtus, quæ reſpicit bonum commune, & inuenitur in ſubditis, & in Principe licèt diuerſimodè. p.342. num.2

Diſtincta virtus eſt à virtute obedientiæ in ſubdito, & quare. pag.343.n.5

Iuſtitia legalis non eſt virtus generalis per eſſentiam, ſed per imperium. ibid. num.5

Quo ſenſu præferatur Religioni. p.341. num.2. & ſeqq.

Iuuenes.

Iuuenes abundant ſpe, & quare. p.337.n.2

L

Lamech.

LAmech non eſt certum Caïnum occidiſſe. pag.34.num.2

Latro.

Res ſemel ablata iniuſtè licet ſi latro eam in loco tuto conſtituerit, habet tamen ius vt ab ipſo per vim non auferatur à vero domino, ſed via iuridica. p.228.n.7

Laurentius Valla.

Laurentius Valla errauit dicendo Symbolum Apoſtolorum ab ipſis non fuiſſe editum. p.72.n.2

Leo Papa III.

Primus fuit qui ſolemni ritu ad inſtantiam Caroli Magni Sanctum Suibertum Cathalogo Sanctorum adſcripſit. p.656.n.2

Lex.

Lex aliquem actum præcipiens per ſe reſpicit & determinat finem virtutis, ad quam pertinet talis actus per legem præceptus, ſecus eſt de voto. p.437.n.7

Lex non perficitur per promulgationem, ſed per actum ordinatiuum qui ſit actus intellectus. p.372. n.23.

In lege veteri erat Concilium Seniorum quorum primus Princeps Sacerdotum dicebatur. p. 80. num.2.

Ad illud Concilium pertinebat iudicare de lege, & de veritate doctrinæ, & de Prophetis an eſſent veri, vel falſi. ibid.

Liberius Papa.

Iniuſtè fuit depoſitus, & in exilium deportatus ab Acacio, & in eius locum Felix ſubrogatus. p.113.n.26

Poſtea autem in damnationem Athanaſij conſentiens, & cum hæreticis communicans a Clero Romano abrogata eius dignitate Felix electus eſt. ibid.

Libertas.

Libertas reperitur intrinſecè in omnibus potentiis, quæ non mouentur deſpoticè à voluntate, in illis autem quæ deſpoticè mouentur inuenitur ſolum per extrinſecam denominationem. p.380. num.10.

Libri Canonici.

Omnes Libri Canonici deſignati à Tridentino, ſunt æqualis authoritatis, non ſolum quoad fidelium ædificationem, ſed etiam ad confirmationem dogmatum in Eccleſia. p.156.num.3

Lutherus.

Lutherus exiſtimauit ſuperfluam eſſe orationem ad iuſtificationem. p.375. *init.*

Lux.

Lux creata fuit prima die, fuitque lux ipſa Solis, ideóque ſubſtantia Solis ipſo die fuit creata. p.36.n.12

M

Macula peccati.

MAcula peccati opponitur gratiæ phyſicè & moraliter. pag.246.n.2

Magiſtri.

Vide *Doctores.*

Qualitates Magiſtri deſcribuntur. p.475.n.18. & ſeqq.

Malitia, Malum.

Malitia infinita peccati ſolum ex Deo deſumitur. pag.311.num.12

Qualis malitia ſit peccati occiſionis propriæ. p.252. num.3.& ſeqq.

Malum culpæ non poſſumus petere à Deo. p.394. num.2

Mala pœnæ poſſumus deſiderare & petere pro nobis, vt deſeruiunt alicui fini honeſto, aliàs non. pag.396.n.13

Marcellinus Papa.

Non eſt certum idolis metu mortis ſacrificaſſe. p.112.n.25

Si tamen vt verum aſſeratur, Concilium Sinueſanum illum non depoſuit. ibid.

Quo autem ſenſu à Concilio dicatur damnatus. ibid.

Marcus Euangeliſta.

Marcus Euangeliſta glorioſum agonem in Alexandria ſub Nerone conſummauit. p.481.n.3

Marcus Euangeliſta in Serapidis feſto & debacchatione paſſus eſt. pag.482.num.6

Maria Virgo.

De Maria Virgine quomodo cum celebratione Conceptionis illius ſtet probabilitas ſententiæ, quod fuit in peccato concepta. p.160. num.40. & ſeqq.

Beatiſſima Virgo Maria adæquauit charitatem Beatorum, quoad modum operandi ſine interruptione diligendo Deum ex toto conatu charitatis, & ſine peccato veniali. p.229.n.10

Caſtitatem vouit. p.435.n.2.& ſeqq.

Maritus.

Maritus non poteſt irritare promiſſionem factam homini ab vxore de eius licentia. pag.440 num.10.

Martyr.

Martyres ad beſtias damnati, cum diuina virtute illæſi ſeruarentur id gentiles magicæ illuſioni tribuebant. p.487.n.25

D. Matthæus.

D. Matthæus noluit diſpenſare cum Iphigenia moniali vt nuberet. p.443.n.6

D. Matthias.

D. Matthiæ electio declarata eſt aliquo viſibili ſigno. pag.114.num.2

Matrimonium.

Matrimonio manet quis obligatus, ſi voueat de non ducenda vxóre, ſi poſtea ducat, licet peccauerit ducendo illam. p.423.n.5

De matrimonio contrahendo non poteſt fieri validum votum. ibid.

Qui tamen iurat fœminæ matrimonium cum illa contrahere tenetur adimplere. ibid.n.6

Matrimonium ex natura ſua eſt impeditiuum maioris boni. ibid.n.6

Si quis Matrimonium contrahat poſt emiſſum

votum Religionis, & ſi peccet contrahendo, ſemel tamen conſummato poteſt reddere, & petere debitum. pag.433.n.6

Quod etiam verum eſt etiamſi explicitè promiſerit perſeueraturum in Religione: nam conſummato ſemel matrimonio non teoetur amplius ſeruare caſtitatem. ibid. num.7

Matrimonium ratum non conſummatum diſſoluitur iure diuioo per Profeſſionem ſolemnem. pag.443. n.2

In matrimonio rato non conſummato Papa non poteſt diſpenſare. ibid.

Matutina.

Licitum eſt, & ſine vllo ſcrupulo poteſt fieri ſeparatio Matutinarum à Laudibus, quando priuatim recitantur. p.406. num.6

Sed quando ſic diuiduntur, matutinæ terminari debent per *Te Deum laudamus*, quod ad Matutinas pertinet. ibid.

In Choro tamen hoc non licet facere, ſicut nec modò licet diuidere Nocturnos. ibid.n.6

Medicus.

Medicus promittens infirmo, quod illum curabit, ſi non adimpleat promiſſum, & propter hoc patiatur infirmus magnum detrimentum, peccat mortaliter. pag.429.num.1

Medium.

Mediorum diuerſitas non variat rationem boni. p.178.n.12

Medium non ſolùm requiſitum ad executionem, ſed etiam conſtitutiuum boni in ratione poſſibilis, intrinſecè ſe habet ad ſpecificationem. ibid. num.12

Medium aliquando eſt neceſſarium ad finem ex ipſa natura finis, aliquando ex determinatione dirigentis ad illum. p.382.n.2

Medij neceſſitas eſt multiplex. ibid.

Mendacium, Mentiri.

Mentiri non eſt idem formaliter atque dicere falſum. pag.30.n.2

Mendacium licet regulariter dicatur animo fallendi, ad rationem tamen illius ex neceſſitate hoc non requiritur. ibid. num.3.& ſeqq.

Qui mentitur in Sacramento pœnitentiæ fingendo aliquod peccatum qood ſit materia totalis confeſſionis, peccat mortaliter, & grauiter. p.429.n.4

Miracula.

Miracula apud ſepulchra plurium Sanctorum contra venenatas belluas patrantur, ibique aliqua referuntur exempla. p.483.n.9.& ſeq.

Miracula ſpecialiſſima à Deo quotannis fieri ſolita, & quare. p.484.n.13

Miſericordia

Miſericordiæ virtus non eſt ita perfecta ſicut Religio. p.344.n.1

Miſſa, Vide *Stipendium.*

Monachus, Vide *Religioſus.*

Monaſteria.

Monaſteria etiam ſi ſpoliata ſint, aut deſolata, debent perſonis eiuſdem profeſſionis reſtitui. pag.468. num.15. & ſeqq.

Moniales.

Quæ ſub voto ſolemni viuunt in congregatione, & ex inſtitutione vel conſuetudine habent aſſiſtentiam Chori, tenentur Officium diuinum recitare. pag.409. num.6

Moralitas, Vide *Libertas.*

Moyſes.

Moyſes exceſſit Abraham in claritate cognitionis rerum ſupernaturalium. pag.66.n.4.& p.67.n.2.

Vidit diuinam eſſentiam. ibid. pag.66. n.4

Moyſes in monte quando à Domino legem accepit, plenam habuit notitiam eorum, quæ ad legem ſpectabant. pag.69. num.3

Moyſes non peccauit in occiſione Ægyptij. pag.270

Mulier.

Mulierem electam fuiſſe in Papam, apochriphum eſt. pag.129.num.3

Mulier quæ vouit non nubere, vt lenoni placeat, vel vt facilius ſcortetur; non manet obligatio ad votum. pag.434. num.4

Vide *Votum.*

Mulieris planta dentem ſerpentis præueniens, & caput eius leuiter præmens ſtatim totum corpus eius interit. p.83.n.9

Muſica.

Quàm ſit Deo grata in eius laudem. pag.456. n.13. & ſeqq.

N

Natus.

NAti in die Conuerſionis ſancti Pauli non abhorrent angues p.483.n.8

Naues.

Naues Salomonis quò pergebant. pag.459.n.10. & ſeqq.

Naues olim ſine velis, aut carbaſis mare tranſibant. pag.460.n.14

Neceſſitas, Neceſſarium.

Duplex eſt neceſſitas; alia medij, alia præcepti, & illarum differentia. pag.49.n.1.& pag.382.n.1. & ſeqq.

Vide *Fides, Præceptum, Symbolum, articuli fidei.*

Neceſſarium eſt duplex, vel ſimpliciter, vel ad melius eſſe. p.382.n.1

Nouitij.

Nouitij non tenentur ad officium diuinum recitandum. pag.409.n.7

Nouitij no teneantur ex ſolo propoſito ingrediendi Religionem permanere in illa. pag.417.n.2

Nuptiæ.

Nuptiæ vnde ſic denominentur. pag.448.n.5

O

Obedientia.

VIrtus obedientiæ inferior eſt Religione. pag.347.n.1

Obiectum.

Obiectum materiale & formale non eſt neceſſe quod diſtinguantur tanquam duo obiecta, ſed tanquam duæ formalitates eiuſdem obiecti. p.6. num.1

Obiectum formale & materiale fidei.

Vide *Fides.*

Non eſt idem obiectum eſſentiale, & obiectum formale. p.171.n.1

Obiectum Spei.

Vide *Spes.*

Obiectum & illius conſecutio non ſunt duo obiecta. pag.180.n.5

Obiectum ſecundarium non attingitur, niſi ſob habitudine ad primarium. p.190. aliàs 180. num.5.& ſeqq.

Obiectum charitatis.

Vide *Charitas.*

Occiſio, Occidere.

Occiſio propria quale peccatum ſit. pag.253. num.3

Quamuis in peccato occiſionis reperiatur multiplex ratio malitiæ, non eſt multiplex peccatum abſolutè loquendo in ordine ad confeſſionem. pag.254.n.14.

Licitum eſt occidere alium in defenſionem propriæ vitæ cum moderamine inculpatæ tutelæ. p.256. n.1.

Quod verum eſt, etiam ſi aggreſſus culpabilem cauſam dederit aggreſſori. pag.258.n.9

Licebit autem non ſe defendere occidendo aggreſſorem, quando aggreſſus bonis coniecturis exiſtimat ſe eſſe in gratia, & vult pati mortem propter vitandam æternam damnationem aggreſſoris. p.256.num.3

Idem licet propter aliquod maximum nocumentum Reipublicæ vitandum. p.257.n.4

Imo teneretur ſe non defendere, in prædicto caſu, vel propter aliquod maximum bonum commune. ibid.

Duo caſus in quibus ſpecialiter tenetur aggreſſus ſeipſum defendere, etiam cum occiſione aggreſſoris. p.258.n.8

Conditiones quatuor requiſitæ vt occiſio aggreſſoris in defenſionem propriam ſit licita. ibid. num.13

Occiſio alicuius priuata authoritate, non poteſt aſſumi tanquam medium ad aliquem finem quantumcumque bonum, aut vtile. pag.260. num.7

Occiſio aggreſſoris reſpectu defenſionis propriæ vitæ, non ſe habet eodemmodo ſicut ſe habet occiſio malefactorum reſpectu boni communis Reipublicæ. p.262.num.2

Occiſio aggreſſoris eſt licita cum moderamine, &c. in defenſionem bonorum temporalium, quando illa ſunt magni momenti, ſecus ſi ſint parui. p.263.n.2

Idem dicendum eſt de honore. p.264.n.5

Quando autem bona temporalia ſint magni aut parui momenti, iudicandum eſt reſpectiuè, & etiam abſolutè in ſe ipſis. ibid.num.3

Occiſio alicuius in ſingulari certamine ſiue duello, non habet rationem propriæ defenſionis, ſed potius aggreſſionis, ideóque non eſt licita in honoris defenſionem. p.264.n.8.& ſeq.

Occidere non licet aggreſſorem Monacho aut Clerico in defenſionem honoris, aut vitæ quando per fugam poteſt ſe defendere. p.264.n.11. & ſeqq.

Licebit verò fugere cum interitu innocentis opponentis ſe fugæ illorum, ſi aliter fugere non poſſint. ibid.

Imò, & Aggreſſus ſecularis occidere poteſt innocentem oppoſitum ab Aggreſſore in ſui defenſionem, vt ſimul occidat Aggreſſorem, ſi aliter non ſe poſſit defendere. ibid.

Odium.

Odium Dei in eſſe moris eſt peſſimum in genere peccati. pag.226.num.10

In genere autem phyſico non eſt tantum malum ſicut æterna priuatio viſionis beatificæ. ibid.

Officium Diuinum.

Non eſt de iure diuino, quod ab aliquibus perſonis recitetur. p.404.n.2

Antiquiſſimum eſt in Eccleſia, & à temporibus Apoſtolorum, non tamen ita eſt antiqua obligatio ad illud recitandum. pag.405.n.4

Illius diſtributio in diurnum, & nocturnum, & diuiſio per Horas Canonicas, earumque antiquitas. pag.405.n.4

Vide *Hora Canonica.*

Illud recitare tenentur in ſacris conſtituti. p.407. num.3

Vide *Clerici, Sacerdotes, Diaconi, Religioſi.*

Omiſſio Orationis, vide Oratio.

Opera.

Opera concilij ſunt propria materia voti.

Vide *Votum.*

Opera bona, non ſolum ſunt meritoria vitæ æternæ, ſed etiam augmenti gratiæ. pag.233.num.1

Ophir.

Ophir in Hiſpania fuit iuxta Bracharam, & Gallæciam. pag.463.n.17

Vide *Tharſis.*

Opinio.

Opinio & ſcientia de eodem non poſſunt ſimul eſſe. pag.21.n.35

Poteſt dari opinio ſpeculatiua de denegatione auxilij ſufficientis, nunquam tamen exiſtimatio practica. pag.182. num.7

Oppoſitio.

Oppoſitio duplex eſt; alia phyſica, alia moralis. p.243. n.2

Oppoſitio phyſica diuiditur in quatuor ſpecies. ibid.

Oppoſitio ex natura rei, alia eſt immediata, alia mediata. ibid.

Oratio, Orare.

Fideles tenentur habere notitiam neceſſitatis orationis, ipſas orationes ſciendo. p.56.n.8.& ſeq.

Oratio eſt actus rationis practicæ. pag.367.n.1 & ſeqq.

Oratio per ordinationem ad ſuperiorem vltimatè perficitur, & conſtituitur. p.371.n.18

Oratio ad Deum non fit ex indigentia ipſius, quia ſcilicet, obiectum quod petit homo fiat ei intelligibile. p.373. num.19

Oratio ad Deum eſt conueniens & vtile medium ad aliquid obtinendum. p.374.n.1.& ſeq.

Oratio non poteſt mutare decreta diuina. pag.375. num.2

Reſpectu Dei non ſe habet vt cauſa mouens, & excitans ipſum. ibid.

Oratio ſola non ſufficit ad ſalutem. p.376.n.7

Non tollit quod ea quæ per ipſam obtinentur, ſint gratuita. ibid.

Oratio eſt actus elicitus à Religione. p.377.n.1

Non ſolum moraliter, ſed phyſicè. p.378.n.3

Sequitur immediatè ad actum deuotionis. ibid.

Eſt in præcepto. ibid.

Reſpicit pro materia mentem noſtram quam offert in cultum Deo. ibid.

Eſſentialiter eſt oblatio. ibid.

Oratio habet duplicem reſpectum, primus ad rem quam obtinere volumus, ſecundus ad perſonam à qua petimus. p.381.n.4

Per illam exibetur cultus Deo. ibid.n.4. & ſeq.

Specificatur ab ordine ad ſuperiorem, non à re quam petit. p.381.n.7. & ſeq.

Deſtruitur in ratione virtutis, ſi petat indecentia. ibidem.

Secundum quod eſt petitio eſt eſſentialiter actus virtutis dantis Deo cultum, non autem alicuius doni. ibid.

Non requiritur ad hoc quod in actu ſignato orans cogitet ſe velle colere Deum. ibid.n.9. & ſeqq.

Oratio non eſt neceſſaria ad ſalutem neceſſitate medij

medij paruulis, bene tamen adultis ex natura rei, & etiam ex inſtitutione Chriſti. p.383. num.1.& ſeqq.

Non tamen eſt medium neceſſarium pro ſemper, ſed aliquando in vita. ibid.num.2

Oratio cadit ſub præcepto diuino & naturali. pag. 384. num.1.& ſeqq.

Quod verum eſt non ſolùm propter neceſſitatem obtinendi aliquam rem, ſed propter ipſum actum orationis, & cultum qui in ipſo exhibetur Deo. ibid. num.3

Orationis omiſſio, aliquando eſt ſpeciale peccatum contra Religionem. pag.384. num.4

Orationis priuatæ omiſſio pro animabus purgatorij non videtur peccatum. p.386.num.1

Orationis omiſſio quando inſtat neceſſitas, vt ſit peccaminoſa, requirit duas conditiones. ibid. num.2

Orationis omiſſio, quando vrget tentatio contra aliquam virtutem, habet duas malitias, alteram contra illam virtutem, aliam contra Religionem. ibid.num.2

Quando verò vrget neceſſitas ſubueniendi proximo, & non ſuppetit aliud medium, habet malitiam contra charitatem, aut miſericordiam. ibid.

Oratio quæ eſt actus Religionis, ad ſolum Deum dirigitur tanquam per ipſum implenda. p.386. num.1.

Oratio exhibetur Sanctis ſiue Angelis, ſiue hominibus vt interceſſoribus. ibid.p.388.n.11. & ſeqq. pag. eadem n.16

Orationes noſtras non dirigimus ad animas purgatorij, nec petimus ab eis ſuffragia, benè autem à viuis. ibid.pag.393.num.12

Orationes noſtræ dirigi debent ad gratiam, & gloriam. ibid. & ſeqq. & pag.387.num.8

Orare ad Sanctos vt ad Patronos, & interceſſores apud Deum, non eſt tribuere illis cultum latriæ. pag.390.num.4

Orare non poſſumus pro damnatis ad aliquod bonum obtinendum. pag.397.num.5

Orare pro inimicis licitum eſt, non tamen tenetur homo ſemper in particulari pro illis orare. pag. 400.n.31

Ordo.

Ordo Fraticellorum extinctus fuit à Celeſtino V. pag.66.n.11.

Ordo Humiliatorum à Pio. V. fuit extinctus. ibid.

Ordo Templariorum à Clemente V. fuit abrogatus. ibid.

Nullus ordo admitti debet ſine approbatione Sedis Apoſtolicæ. ibid.

Vide *Religiones.*

Ordo Sacer.

In ſacri Ordinis ſuſceptione fit votum ſolemne caſtitatis. pag.438. n.1. & ſeqq.

Vide *Votum.*

Per ſacri Ordinis ſuſceptionem eximitur filius à patria poteſtate. p.441. num.5

Vide *Parentes.*

P

PAPA.

PApa in caſu hæreſis poſtquam vt hæreticus declaratus eſt, vitandus eſt ab Eccleſia. p.112. num.25

Papæ tradidit Chriſtus principaliter & architectonicè poteſtatem deſignandi Pontificem. p.114. num.2. & ſeqq.

Plerique exiſtimant ipſum Papam habere poteſtatem eligendi ſucceſſorem. ibid. num.3

Probabilius tamen eſt non poſſe deſignare illum, ſed hanc authoritatem eſſe in Eccleſia, in Papa autem directiuè, ſeu regulatiuè. p.114.n.3. & ſeqq.

Vnde poteſt formam electionis mutare, & electores inſtituere. pag.115.num.4. & pag.ead. n.7. & p.116.n.9.10

Papalis poteſtas immediatè confertur à Chriſto; Eccleſia verò ſolum deſignat perſonam. p.115. num.6. & ſeqq.

Poteſtas autem quam habet Papa vt Epiſcopus Romanus eſt, & illius peculiaris Diœceſis, ſic habet illam ſicut cæteri Epiſcopi. ibid. num5.

In Papa non requiritur moralis dignitas vt verus ſit Papa, ſi ſit ritè electus. pag.118.n.8

Supra poteſtatem Epiſcopalem, Papæ authoritas ſolum addit ampliorem poteſtatem iuriſdictionis. pag.118.n.9

Si Papa electus non ſit Epiſcopus, conſecratur ab Hoſtienſi. ibid.

Si Papa electus non eſt ordinatus, recipit à Chriſto poteſtatem iuriſdictionis gubernatiuam Eccleſiæ, iuriſdictionem autem ſacramentalem per Sacramentum Ordinis, vel conſecrationem Epiſcopalem. p.119.num.10

Si Papa electus ſit manifeſtus hæreticus, non eſt habendus pro Pontifice. pag.122.n.4

Nec etiam ſi non ſit vir, vel ſi ſit iudicio priuatus. ibid.

De fide diuina immediatè eſt hunc hominem in particilari ritè electum, & acceptatum ab Eccleſia eſſe Papam, & Petri ſucceſſorem. p.124. n.10.& ſeq.

Credens aliquid definitum à Papa, in exercitio credit etiam Fide diuina veram eſſe definitionem, & definientem verum eſſe Papam p.126. num.18

Per conſequentiam Theologicam infertur Deum non permiſſurum quod eligatur, & acceptetur pacificè ab Eccleſia Papa, qui non haber conditiones requiſitas. pag.129.num.13

Papam, antequam aliquem actuum Papalem exerceat, tenetur Eccleſia acceptare tanquam caput legitimum. p.131.n.19

Qui negaret hunc hominem eſſe Papam poſtquam pacificè acceptatus eſt, non ſolum eſſet ſchiſmaticus, ſed etiam hæreticus, quia habet peruerſum dogma. p.132.n.26

Papa poteſt renunciare Pontificatui, neque ad hoc eſt neceſſariò expectandus Eccleſiæ conſenſus. p.133.n.1

Id tamen cum magna conſultatione fieri debet, & ob cauſas vrgentiſſimas. ibid. num.2

Papa deponi poteſt propter hæreſim. p.133.num.2

Ad hoc autem requiritur quod hæreſis ſit publica, & iuridice notoria. ibid.n.4

Item requiritur quod ſit incorrigibilis, & pertinax in hæreſi. ibid. & p.134.n.6

Si Papa bis correptus tertiò relabatur in hæreſim, non eſt admittendus, ſed tanquam incorrigibilis habendus eſt, & deponendus, etiamſi paratus ſit corrigi. ibid.

Si Papa in perpetuam incidat dementiam quæ humana arte curabilis non ſit, hoc ipſo ſedes vacat. p.135.n.9

Quando

Quando dubitatur de valore electionis Papæ, poteſt deponi ab Eccleſia, ſicut factum fuit in Concilio Conſtantienſi, in quo iudicatum eſt de tribus Pontificibus dubiis, & duo fuerunt depoſiti. p.135.n.10.11.& ſeq.

Qui indubitatè non eſt Papa, ſed dubius, tenetur obedire Concilio. ibid.n.11

Papa non poteſt deponi propter alia crimina excepta hæreſi. p.136.n.14

Papa non habet ſuperiorem in terra à quo iudicetur: vnde neque propter hæreſim directè iudicatur. ibid.

Si Papa ſit fautor hæreticorum in his quæ ad hæreſim ordinantur, & in hoc ſit incorrigibilis, deponi poteſt. ibid.n.16.& ſeq.

Etiam ſi Papa iurauerit ſe renunciaturum Pontificatui, cogi non poteſt ab Eccleſia vt iuramentum adimpleat. p.137.init.

Tractatus de depoſitione Papæ quoad declarationem criminis pertinet ad Concilium generale. p.137.n.16

Papa autem tale Concilium ad hunc finem congregatum annullare, aut recuſare non poteſt. ibid. num.18

Papa hæreticus per ipſum factum hæreſis præciſè, non priuatur Pontificatu,nec deponitur. p.138. num.5

Supra Papam Eccleſia nullam ſuperioritatem, aut poteſtatem habet etiam in caſu hæreſis. ibid.

Cum quo ſtat poſſe Eccleſiam per declarationem criminis depoſitiuè, & miniſterialiter ipſum deponere. ibid. & ſeqq.

Authoritatiuè autem à Chriſto deponitur. ibid. num.7

Papa errare non poteſt, ſed infallibilem habet poteſtatem ad diſcernendum ea, quæ pertinent ad ſacram Scripturam. pag.142.n.8.& ſeq.

Authoritatem habet diſcernendi,& determinandi, in quo libro, vel in qua verſione contineatur veritas fidei. pag.147. alias 751.n.2

Papa in particulari beatificatione non iudicat, ipſam perſonam eſſe ſanctam abſolutè, & ſimpliciter. p.156.n.3

Vide *Beatificatio.*

Sine illius authoritate nullus poteſt coli vt ſanctus. ibid.

Papa habet poteſtatem ad canonizandum Sanctos. pag.157.num.1.

In illa quoque errare non poteſt, & oppoſitum eſt impium, & ſcandaloſum. p.158.n.4

Neque etiam errare poteſt practicè in beatificatione Sanctorum. p.160.num.3

Neque errare poteſt in legibus quas vniuerſali Eccleſiæ proponit. p.163.n.1.& ſeqq.

Cùm hoc ſtat quod circa applicationem prudentialem ad ſingulares perſonas, aut ſententiandum aliquid, vel circa circunſtantias legum errare poteſt. p.164.num.5

Neque etiam errare poteſt in approbatione alicuius Religionis. ibid. n.6

Quando Papa præcipit legem aliquam, illam Eccleſiæ proponendo,non facit de fide,nec definit eam materiam quam præcipit in particulari. pag. 165.n.4

Erit tamen de fide quod moralitas talis præcepti non eſt mala. ibid.

Papæ authoritas non eſt ſupra authoritatem Scripturæ,ſed ſupra explicationem eius, & determinationem eorum,quæ dubia ſunt. pag.83. n.18. & ſeqq.

Varij errores circa authoritatem Papæ. p.94 num.a

Papa diſpenſare poteſt in voto caſtitatis, quod Clerici in ſuſceptione ſacri Ordinis emittunt. p.441.n.2

Diſpenſare tamen non poteſt in promiſſione facta homini, & ab ipſo acceptata. p.442.num.4. & ſeq.

Neque diſpenſare poteſt in voto ſolemni Religioſorum. pag.443.num.2. & ſeq.

Neque etiam in Matrimonio rato, & non conſummato. ibid.

Vide *Summus Pontifex, Romanus Pontifex.*

Parentes.

Poſſunt irritare omnia vota filiorum emiſſa ante annos pubertatis. pag.441. num.a

Quod etiam intelligendum eſt poſt tale tempus impletum. ibid.& ſeqq.

Non tamen poſſunt irritare votum ſolemne, quod fit in ſacri Ordinis ſuſceptione, etiam ſi fiat à puero ante annos pubertatis. ibid.n.5

D. Paulus.

Quomodo videns diuinam eſſentiam Fidem non amiſerit. p.19.num.23.& ſeq.

Paulus in inſula Melitenſi inuaſus à vipera nihil mali paſſus eſt. p.483. num.8.

Peccatum, Peccator.

Peccatum veniale non ſtat cum ſolo originali.pag. 54.num.7

Peccatum habituale ſumptum pro macula phyſicè, & ex natura rei opponitur formæ ſanctificanti, ſiue formaliter ſanctificet, vt gratia, ſiue eminenter. ibid. num.4

Peccatum actuale ita repugnat cum gratia, vt nec de potentia abſoluta poſſint coniungi. p.244. num.10.

Peccatum non corrumpit gratiam in ſe, ſed informationem illius. p.245.num.5

Poſitum in ſubiecto ita neceſſariò infert maculam in anima,vt nec de potentia abſoluta poſſit impediri ibid.n.3.& p.246.n.8

Non poteſt eſſe ſimul cum gratia, nec per vnum inſtans. p.246.n.8

Peccatorum venialium frequentia non eſt diſpoſitio proxima ad mortale peccatum per ſe loquendo. p.249.n.9

Peccatum veniale impedit feruorem charitatis. p.248. n.2.& ſeqq.

Omne peccatum in ratione peccati ſolùm eſt contra Deum. p.311.n.12

Eius malitia infinita ſolum ex Deo deſumitur. ibid.

Malitia conuerſionis eſt finita, & in hac differunt ſpecie peccata ſecundum diuerſa obiecta proxima ad quæ terminatur conuerſio. ibid.

Peccatum diaboli inducentis hominem ad peccandum habet malitiam contra Duliam, & latriam. pag.318.num.50

Peccatum reperitur intrinſecè in intellectu, & appetitu ſenſitiuo. p.380.num.10

Peccatum ad mortem, aut irremiſſibile, eſt peccatum finalis impœnitentiæ, vel difficillimum ad remittendum. p.398.n.11.& ſeq.

In peccatore poteſt eſſe actus ſperandi alteri beatitudinem. p.182.n.6

Peccatum actuale non habet immediatam oppoſitionem cum habitu virtutis acquiſitæ. pag.245. num.5.& ſequent.

Habet oppoſitionem priuatiuam cum gratia, non formaliter, ſed efficienter,& neceſſariò. ib.n.8

Peccatum

Peccatum veniale habituale non tollitur per aliquam formam habitualem, ſed tollendo impedimentum. pag.248.n.3

Peccata venialia omnia non poſſunt habere tantum de reatu ſicut vnum mortale, ſed ſolùm diſpoſitiuè faciunt mortale. p.249.n.6

Perſeuerantia.

Perſeuerantia eſt virtus ſpecialis quando ex propria intentione finis perſiſtit in bono. p.236. num.18

Perſona.

Perſona ſacra habet duas dignitates. p.307.n.53. & p.308.n.1.

In perſona rationali reperitur ratio formalis obiecti virtutis Religionis, ſcilicet conſecratio.pag. 307.n.16.

Quæ perſonæ dicantur Sanctæ, quæ verò ſacræ. p.3 6.n.36.

Tres perſonæ diuinæ quamuis inter ſe relatiuè oppoſitæ, ad creandum indiuiſibiliter adunantur. p.225.n.10

Perſonæ diuinæ exhibetur adoratio Duliæ quando motiuum actus eſt aliquid creatum, vt contingit in perſona Chriſti. p.226.num.5

Petitio, Petere.

Petitiones orationis Dominicæ conuenientes aſſignantur. p.400.n.1

Petere decentia eſt circunſtantia orationis. p.381. num.7

Petere aliquid & illud deſiderare pertinet ad diuerſas virtutes. ibid.num.9

S. Petrus.

S.Petrus non habuit Epiſcopatum Antiochenum firmando ibi Sedem Apoſtolicam abſolutè, ſed ad tempus. p.110. num.19. & ſequent.

Vnde adhuc in vita illud dereliquit, & ſucceſſorem in eo deſignauit S.Euodium, & Romæ fixit Sedem. ibid.

Petrus fundamentum & caput Eccleſiæ à Chriſto conſtitutus præ cæteſis Apoſtolis. p.96.num.9. & ſeqq.

Hæc autem poteſtas Apoſtolica illi collata nulli Epiſcopatui determinatè eſt alligata, ex inſtitutione Euangelica, prout à Chriſto ante Aſcenſionem facta. p.107.n.6.& ſequent.

Vnde Petrus aliquo tempore nullum habuit Epiſcopatum. ibid.

Philoſophus Chriſtianus.

Philoſophus Chriſtianus non habet fidem de iſta veritate *Deus eſt.* pag.18. num.19. & ſeqq.

Certius tamen eſt de illa quàm Gentilis in promptitudine animi, habitu, non actu. ibid.n.21

Imò maiorem certitudinem habere quàm Gentilis, etiam loquendo de certitudine actuali, defenditur. ibid. & ſeqq.

Semel habita demonſtratione non poteſt vti fide circa eandem propoſitionem, etiam pro diuerſo tempore. ibid.& ſeq.

Pia affectio.

Pia affectio voluntatis requiritur ad ipſam ſpecificationem actus credendi. pag.43. num.5. ſeqq.

Pia affectio voluntatis neceſſario requiritur quoties de nouo aliqua veritas creditur. pag.44. num.4

Pia affectio ad credendum eſt ſupernaturalis, non ſolum quantum ad modum, ſed etiam quantum ad ſubſtantiam. p.44. n.1

Ad illam requiritur auxilium gratiæ ſupernaturale. ibid.

Requiritur etiam antecedere iudicium ſupernaturale, quod tamen non eſt aſſenſus fidei. p.45. num.6

Ad generandam Piam affectionem credendi, licet ſequitatus iudicium de credibilitate, non tamen ſufficit. p.46.num.7

Vnde vlterius requiritur iudicium practicum proponens obiectum voluntati in ratione boni, & conuenientis. ibid.n.9

Ad piam affectionem eliciendam requiritur principium in voluntate per modum habitus. p.47. num.1

Iſte habitus piæ affectionis non eſt directè, & per ſe virtus moralis, ſed qualitas quædam habitualis reductiuè pertinens ad Fidem. p.49.n.6

Neque eſt quarta virtus Theologica. p.ag1 7. num.4

Pietas.

Virtus Pietatis eſt pars potentialis iuſtitiæ, non quia deficit à ratione debiti, ſed quia non poteſt reddere æquale. p.431.n.6

Piſcina

Piſcina Hiſpanica ad ſacrum Baptiſma miniſtrandum diuinitus repleri ſolita. p.484.n.13

Piſcinæ Hiſpanicæ lymphæ hauſtu nullatenus minuuntur. ibid.n.15

Piſcinæ Hiſpanicæ, illiuſque miraculi mira comprobatio. ibid.

Pœna.

Pœnæ damnatorum augentur propter inſatiabilitatem. p.478.n.5

Pœnarum damnatorum viciſſitudo vix poteſt explicari. ibid.num.6

Pœnæ damnatorum inexplicabiles, & incogitabiles. ibid.n.7

in Pœnis damnatorum duo maximè attendenda, & quæ. ibid.n.8.& ſeq.

in Pœnis damnatorum aliqua admittitur viciſſitudo, ſeu variatio. p.479.n.9

Pœnæ damnatorum variæ, & multiplices. ibid. num.10

Pœnarum varietas non afferet damnatis aliquod refrigerium. ibid.n.11. & ſeq. cætera vide in verb. *Damnati.*

Pœnitentia.

Vide *Sacramentum Pœnitentiæ.*

Eſt ſpecialis virtus, & diſtincta à Religione. pag. 545. n.1. & ſeq.

Perfectior eſt quam Religio acquiſita, non vero infuſa. pag.346.n.5

Populus Romanus.

Populus Romanus non habuit ius eligendi Papam, ſed ſolum illi conueniebat electionem factam à Clero admittere, & admitendo approbare. p.120.num.4

Poſteà iſte conſenſus populi ab electione excluſus eſt. ibid.

Potentia.

Potentiæ quæ ſunt principia actuum, & non mouentur deſpoticè à voluntate, participant libertatem, & moralitatem intrinſecam. pag.380. num.10.

Secus verò eſt de potentiis quæ non ſunt principia actuum, ſed organa, & inſtrumenta. ibid.

Poteſtas.

Poteſtas electiua Papæ quibus de iure competat p.119.n.1.& p.125.n.12.

Vide

Vide *Eccleſia, Imperatores, Cardinales, Clerus, Electio Papæ.*

Differentia inter Eccleſiaſticam, & ciuilem poteſtatem. p.271.n.4

De facto nullus ſucceſſit in poteſtate Apoſtolica ſupra totam Eccleſiam ſine aliquo determinato Epiſcopatu. pag.108. num.11

Præceptum.

Præceptum datur de actu credendi. p.55.num.2

Aliquod præceptum fidei eſt diuinum poſitiuum, connaturale tamen ſtatui gratiæ, aliquod humanum ſecundum diuerſas conſiderationes. ibid. num.2.

Duplex præceptum datur de fide; alterum negatiuum, affirmatiuum alterum. pag.55. num.4

Decalogi præcepta tenentur omnes ſcire vt benè operentur. pag.56.n.8

Non ſunt directè de omnibus virtutibus. p.341.n.1

Poſſunt tamen ad illa reduci ea, quæ pertinent ad alias virtutes. ibid.

Datur præceptum de veneratione Sanctorum cultu Duliæ. pag.317.num.43

Præceptum orationis non eſt determinatè de mentali, aut vocali. p.384.n.5

Præceptum orationis quod propter ipſam orationem imponitur, obligat vt non abſtineamus ab i lo intra vnum menſem per ſe loquendo. ibid. n.7.& ſeq.

Præcepto orationis ſufficienter ſatisfacit qui quotidie recitat Horas Canonicas, aut diebus feſtis aſſiſtit Miſſæ. ibid.pag.385. num.1

In quo caſu obliget præceptum orationis. p.385. num.3

Præceptum orationis non ſolum eſt propter neceſſitatem obtinendi aliquid à Deo, ſed propter cultum qui in ipſa exhibetur. pag.384.n.4

Vide *Omiſſio.*

Optimè ſtat præceptum diuinum ſolum obligare ſub veniali. p.429.n.4

Præceptum Prælati cadens ſupra materiam leuem, non obligat ſub mortali, ſi tamen materia leuis ſit, tam in ſe, quàm in ordine ad bonam gubernationem. ibid.n.4

In dubiis autem præcepto ſtari debet. ibid. num.4

Prædeſtinatio.

Prædeſtinatio perficitur, & conſiſtit in actu intellectus. p.372.n.22

Iſte actus intellectus non eſt præſcientia rerum quaſi ſpeculatiua, ſed practica, qua ordinatur creatura in vitam æternam. pag.374. num.32

Prædicatores.

Prædicatores iniuriam inferunt fidei, ſi in concionibus vtuntur mendaciis, aut falſis miraculis ad confirmandas res fidei. pag.42.n.5

Qui miracula falſa, aut incerta, aut prophetias, quæ Scriptura non conſtant, prædicant, excommunicantur à Concilio Lateranenſi. ibid. num.5

Prælatus.

Prælati Religionum poſſunt diſpenſare cum ſibi ſubditis in omnibus irregularitatibus, in quibus Epiſcopi ex facultate Tridentini cum ſuis poſſunt. pag.348. col.2.num.9.10 & ſeqq.

De quibus irregularitatibus abſoluant Prælati quando in Capitulis proferunt formam diſpenſandi. ibid.

Prælatus irritare poteſt quæcumque vota emiſſa à Religioſo, de rebus voluntariis. p.439.n.3

Imò irritare poteſt vota emiſſa de rebus neceſſariis ad ſalutem. ibid.

Prælatus diſpenſare poteſt votum ſubditi de tranſeundo ad arctiorem Religionem, non tamen irritare. ibid. n.4

Diſpenſare etiam poteſt & irritare vota Religioſorum facta de eius licentia. ibid.num.5

Peccabit tamen Prælatus ſine cauſa irritando illa. ibid.

Non tamen poteſt Prælatus irritare promiſſionem factam homini à Religioſo de licentia eius. p.434.n.10

Præmium.

Præmium eſſentiale creſcit ad menſuram charitatis, ſiue in actibus elicitis à charitate, ſiue in actibus imperatis. p.326.n.22

Præſumptio.

Præſumptio non conſiſtit in ſola omiſſione præcepti Spei, ſed in motu poſitiuo inordinatè ſperandi. p.210.n.7

Eſt motus diuerſæ ſpeciei à deſperatione. ibid.

Deſtruit habitum Spei, non ſolum quando eſt adiuncta infidelitati, ſed etiam ex ſuo genere quando eſt peccatum mortale circa beatitudinem ſperandam. p.211.n.8

Princeps.

Princeps quomodo poteſt leges nouas facere mortis inflictiuas. pag.251.*in ſum.lit.*

Priſcillianus.

Priſcillianus auctor fuit erroris, videlicet, quod Deus eſt auctor mendacij, & falſitatis. pag.30. num.1.

Profeſſio.

Per profeſſionem ſolemnem diſſoluitur iure diuino matrimonium ratum non conſummatum. p.443.n.2

Promiſſio.

Promiſſio neceſſariò requiritur ad votum. p.417. num.2

Promiſſio ſimplex facta homini, obligat ſaltem ſub veniali. p.499. num.1

Etiam ſi promiſſio facta ex ſuo genere non obliget ſub mortali, contingere poteſt aliquando in indiuiduo, quod omiſſio adimpletionis illius ſit mortalis. ibid.

Conditiones requiſitæ vt promiſſio ſimplex obliget. pag.409.n.1. & ſeq.

Ex genere ſuo non obligat ſub mortali. ibid. n.4. & ſeqq.

Ex genere enim ſuo promittens ſolum tenetur ex fidelitate. ibid.

Promiſſio legalis, quæ fit coram teſtibus, & tabellione obligat ſub mortali, & quare. pag.43. n.5.& ſeqq.

Propoſitum.

Propoſitum voluntatis non ſufficit ad votum. p.417.n.2

Sufficit tamen ſecundum aliquos vt homo obligetur ſub veniali ad perſeuerandum in propoſito. p.417.col.2.n.2

Qui habuit propoſitum faciendi aliquid, poteſt illud non adimplere abſque mendacio, dum tamen intentionem habuerit quando fecit propoſitum. ibid.n.4.& ſeqq.

Prouidentia.

Prouidentia Diuina non tollit modum operandi alicuius agentis. pag.375. n.5.& ſeq.

Prudentia.

Prudentia etiam ſupernaturalis poteſt ferri in aliquod quod in re ſit falſum, ſed probabiliter iudicatur conueniens & rectum. p.40.n.1

Prudentia non regulat actus virtutum Theologicarum. p.110.n.6

Prudentia in fuſa non datur ſine virtutibus moralibus infuſis, & charitate. ibid.

Prudentia diuiditur eſſentialiter penes ordinem ad diuerſos ſubditos quibus imperat. pag.381. num.6.7

Pſilli.

Pſillorum corporibus ingenitum eſt ſerpentibus exitiale virus. p.482.num.2

Pſillis mos fuit liberos natos protinus ſerpentibus obiicere. ibid. & ſeq.

Pythagoras.

Pythagoras primus fuit qui ſenſit ex cœli motu ſonum cauſari. p.453.n.3. & ſeqq.

Q

Qualitas.

QValitas actiua ex genere ſuo eſt perfectior paſſiua. pag.225. num.8

R

Reges.

REges temporales non habent iuriſdictionem ſpiritualem, ſed temporalem. p.99.n.19

Reges non habent dominium ciuium ſuorum vitæ. p.253.num.4

Regimen politicum.

Non eſt contra illius rationem pro toto orbe quod ſint diuerſi Reges, ſecus eſt de regimine Eccleſiaſtico. p.102.n.11.& ſeq.103

Regulares.

In domum, vel Eccleſiam regularium introduci non poſſunt ſæculares Clerici, etiam per defectum regularium alicuius Conuentus. p.465. n.2.& ſeqq.

Sed pertinet domus ad alios Regulares einſdem profeſſionis. ibid.& p.468.n.14. & ſeq.

Religio.

Religio non eſt virtus Theologica, ſed moralis. p.335.n.2

Religio eſt pars potentialis iuſtitiæ, non quia deficit à ratione debiti, ſed quia non poteſt æquale reddere. p.430.n.3.& ſeq.

Religio non habet pro obiecto Deum, ſed aliquid Dei. p.437.n.5

Deus autem eſt obiectum *Cui.* p.443.n.4

Religio ordinat hominem ad ſolum Deum, & quare. ibid. & pag.336.n.5. & ſeqq.

Quod reſpectu Religionis eſt materiale, comparatur ad duliam formaliter. p.310.n.10.11

Quamuis Religio ſit perfectior virtus quam dulia, tamen quid excellentius eſt Sanctos coli per Duliam, quàm per Religionem. p.316. num.42

Religio eſt vna ſecundum ſpeciem athomam. pag. 322.n.7.& ſeq.

Habet pro obiecto formali exhibere reuerentiam Deo ſecundum rationem primi principij, & pro fine proximo ſoluere rationem huius debiti. pag.323.n.9.pag.336.n.3.& p.341.num.2. & ſeq.

In eadem virtute Religionis reſpectu Dei adunantur Pietas, Obſeruantia, Dulia, & Gratitudo, quæ reſpectu hominum ſunt diuerſæ virtutes. p.325.n.4

Religio quomodo ad Deum vt ad finem ordinetur. p.339.num.33

Religio perfectior eſt cæteris virtutibus moralibus. pag.341.num.1.& ſeq.

Quomodo præferatur iuſtitiæ legali. p.342. n.1.& ſeqq.

Humilitati etiam præfertur. p.345.n.1. & ſeq.

Religio infuſa excedit pœnitentiam. pag.346. num.5

Religio habet aliquos actus exteriores, & corporeos. p.348.num.2

Et ab ipſa non ſolum ſunt imperatiuè, ſed etiam elicitiuè. p.350.n.3

Religio eſt idem cum ſanctitate. pag.351. num.2. 3

Vide *Oratio.*

Religiones, Religioſi.

Religioſus tranſgrediens votum paupertatis duplici peccato peccat, ſcilicet contra votum, & contra iuſtitiam. p.437.num.8

Similiter tranſgrediens votum caſtitatis, & quare. ibid.

Tranſgrediens autem præceptum Prælati vnico tantum peccato peccat. ibid. & ſeq.p.438. num.9

Religioſus emittit votum validum de re non prohibita, non contradicente Prælato. pag.429. num.1

Quod ſi voueat rem in Religione prohibitam, votum non eſt validum. ibid.

Quod verum eſt etiam ſi ignorauerit eſſe prohibitam, poſteà tamen ſcit. ibid.

Quod ſi offeratur talis prohibitio, incipiet votum obligare. ibid.

Et idem dicendum ſi Religioſus domicilium mutet in quo talis prohibitio non eſt. ibid. num.4

Vide *Votum, Prelatus.*

Nulla Religio admitti debet ſine approbatione Eccleſiæ. p.466.n.8.& ſeq.

Ex eo quod aliquæ Religiones extinctæ ſint, non ſequitur ipſas eſſe malas, vel earum Regulæ, ſed earum Profeſſores non benè vti illis. ibid.

Vide *Ordo.*

Religioſi Ordinis Militaris non tenentur ad recitandum Officium diuinum. p.408.num.2

Idem dicitur de illis Religionibus, quæ ſolum ad laïca miniſteria ordinantur. ibid.

Aliarum autem Religionum, quæ aſſiſtentiam Chori habent, omnes Religioſi, etiam ſi in ſacris non ſint conſtituti, tenentur ſub mortali ad Officium diuinum quotidie recitandum. p.408.n.3

Religioſus conuerſus, ſeu laïcus non tenetur ad Officium diuinum. p.409.n.7

Si aliquis Religioſus Choro deputatus, transfertur ad ſtatum conuerſorum, non tenetur recitare Officium. ibid. num.8

Secus verò eſt ſi eiiciatur de conuentu ad ſæculum, vel ad triremes damnetur. ibid.

Religioſus diſpenſatus à Papa vt matrimonium contrahat, non tenetur ad officium recitandum. ibid.n.9

Qui ingrediebantur Religionem antiquitus emittebant

tebant votum ſimplex ſaltem Religionis in communi. p.417.num.2
Religioſus ſi velit contendere de nullitate voti facti, intra quinquennium, debet cauſam proponere coram Prælato, aliàs non admittetur ad iudicium. p.418.n.2

Reuelatio.

Reuelatio diuina eſt ratio formalis fidei. p.8.n.14. & ſeq.
Vide *Fides.*
Reuelatio virtualis ſiue mediata diſtinguitur ſpecie à reuelatione immediata. p.13.n.5
Reuelatio abſoluta de ſua condemnatione poteſt alicui fieri a Deo. p.205.n.2
Hæc autem poteſt fieri dupliciter, vel reuelando ſimul peccatum propter quod damnatur, vel ſolum damnationem æternam. ibid. & ſeq.
Si alicui fiat reuelatio abſoluta de ſua condemnatione, & de peccato pro quo damnatur, adhuc poteſt peccare peccato deſperationis. pag. 209.num.17
Tenebiturque non deſperare. p.399.n.20
Reuelationem de condemnatione nunquam credendum eſt practicè loquendo eſſe abſolutam. p.209.n.18
Si tamen fiat alicui, non tenetur ſeruare præceptum ſperandi vitam æternam. ibid.pag.209. num.3
Reuelatio quæ fit alicui beato eſt duplex, matutina, & veſpertina. p.391. num.1
Reuelatio quæ fit beatis extra Verbum, adhuc eſt duplex. ibid. num.2
Reuelationes beatorum extra Verbum ſemper deriuantur ad inferiores mediantibus ſuperioribus. p.392.n.6. & ſeq.
Si alicui fiat Reuelatio abſoluta de damnatione alicuius, non poſſet pro eius ſalute orare oratione abſoluta. p.399.n.16
Reuelatio abſoluta de damnatione propter omiſſionem ſperandi, vel orandi eſt implicatoria. p.399.n.19

Reuelationes Priuata

Reuelationes priuatæ quæ ad fidem communem non pertinent, non creduntur fide, quæ eſt virtus Theologica. p.62. num.3
Poterunt tamen credi fide communiter dicta. ibid. & ſeqq.
Qui Reuelationi priuatæ à Deo ſibi factæ non crederet, infidelis eſſet infidelitate quadam priuata quæ ad ſpeciem infidelitatis, quæ eſt hæreſis, reducitur. p.63. n.7

Roma.

Per Babylonem Roma in Scriptura intelligitur. p.109.num.15
Romam deſtruendam fore tempore Anti-Chriſti communiter dicitur. p.111.num.25

Romanus Pontifex.

Varij errores circa illius authoritatem. p.94.n.2.& ſeqq. & p.104.n.1.& ſeq.
Romanus Pontifex eſt ſucceſſor Petri. p.105.n.3. & ſeqq.
Non eſt certum fuiſſe coniunctum Pontificatum Eccleſiæ cum Romano ex iure diuino. p.108. num.12
De fide tamen eſt Romanum Pontificatum habebere de facto coniunctam ſibi vniuerſalem Eccleſiæ poteſtatem. pag.109.num.15. & ſeqq.
Vide *Papa*, *Eccleſia*, *Scriptura ſacra*, *Summus Pontifex.*

Sacerdotes.

Sacerdos ſimplex poteſt conferre Sacramentum Confirmationis ex diſpenſatione Papæ. p.115. num.5
Sacerdotes antiquæ legis fuerunt mediatores inter Deum, & homines diſpoſitiuè, & miniſterialiter. pag.390.num.6
Sacerdos non poteſt offerre ſacrificium Miſſæ pro excommunicato etiam tolerato. pag.198. num.35
Sacerdotes non obligantur quotidiè ſacrificare, ſed in præcipuis ſolemnitatibus. pag.40[illegible]. num.3
Ex præcepto iuris tenentur quotidie ad recitandum Officium diuinum. pag.407. num.1.& ſeqq.

Sacramenta.

Sacramenta tenentur ſcire omnes, præſertim illa quæ magis neceſſaria ſunt, & quæ ſuo tempore recipiuntur. pag.56.num.8
Sacramentum Baptiſmi includitur in articulo Saluatoris. pag.71.n.2.3
Idem dicendum de Sacramento pœnitentiæ. ibid.
Sacramentum Euchariſtiæ reducitur ad articulum omnipotentiæ, & ad articulum Saluatoris, imò ad articulum, quo credimus ſanctam Eccleſiam Catholicam. ibid.n.5
Imò ſecundum M. Soto reducitur ad articulum communionis Sanctorum, & quare. ibid.
Quare non ponatur ſpecialis articulus fidei pro iſto Sacramento. ibid.

Sacrilegium.

Sacrilegium differt à blaſphemia. p.350. num.7
In quo ſenſu dicatur eſſe ſpecialiter contra Deum. p.351.n.12.
Sacrilegium eſt contra Religionem, iniuria contra perſonam ſacram. p.311.n.18
Quando ſit ſacrilegium iniuria in Sanctos in hoc mundo degentes, & quando non. p.318.n.49
Iniuria omnis contra Sanctos exiſtentes in patria, eſt ſacrilegium. ibid.

Salomon.

Vide *Naues, Tharſis.*
Salomonis amplitudo, & diuitiæ ex Hiſpania præcipuè emanarunt. pag.461. num.20.& ſeq.

Sanctitas.

Diuiſio ſanctitatis in tres ſpecies. p.310.num.11
Sanctitas perſonæ eſt maior quàm ſanctitas loci ſacri. p.306.n.8
Sanctitas duplex; alia perſonalis, alia communis p.308.n.1.
Sanctitas perſonalis ſecundum ſe conſiderata pertinet ad obiectum formale Duliæ, ſecundum autem quod induit reſpectum ad Deum, ad obiectum formale Religionis. p.310.n.10.11.
Quo ſenſu ſanctitas non differat à Religione ſecundum eſſentiam. p.351.n.3
Sanctitas munditiam, & firmitatem importat. p.352.n.1.

Sardanapalus.

Sardanapalus ciuitatem Tarſum Cilicię ædificauit. p.459.n.12

Schiſma.

Schiſma licet diſtinguatur ab hæreſi, plerumque tamen cum illa coniungitur, & parat viam ad illam. p.76.num.5

Scholæ.

Doctorum, & Academiæ Torres in Scriptura vocantur. p.473.n.7. & ſeqq.

Scriptura Sacra.

Dari aliquam Scripturam ſacram diuinitus ſpiratam certum eſt aſſertum. pag.86.n.2.& p.140. num.1

Hæc tamen non ſufficit ſe ſola ad iudicandum de rebus fidei, niſi adſit alia Regula animata. p.87.n.4.& ſeqq.

Plures difficultates & obſcuritates ad intelligendum continet. p.93.n.13

Scripturæ verba ſunt infallibilis authoritatis non propter ſe materialiter conſiderata, ſed propter ſenſum quem exprimunt. p.148.n.6

Semper fuit in Eccleſia ſincera, & pura Scripturæ ſacræ editio. p.149.n.1. & ſequent.

Scripturæ plures tranſlationes Eccleſia permittit, ſi non ſint contrariæ Vulgatæ.p.150.n.1.&ſeq.

Serapis.

Serapis Maximus Deus apud Ægyptios & Alexandrinos. p.481.n.4

Serapidis ethymologia. ibid.

Serapis ab area in qua Apis Argiuorum Rex conditus eſt, nomen accepit. ibid.

Seruitus, Seruus.

Seruitus formaliter eſt ad dominum. p.324.n.13

Seruitus Religionis non poteſt formaliter reſpicere aliquod attributum in Deo, niſi ſub ratione principij creantis.ibid. num.13. & ſeq. num.15

Seruitus eſt duplex, alia vilis, alia honorata.p.216. num.3

Seruus. Vide *Dominus.*

Siclus.

Siclus quid ſignificet, vel quid ſit in Scriptura. p.449.n.8.9

Sigillum.

Sigillum confeſſionis eſt de iure diuino. p.117. num.2

Simon magus.

Simon magus portenta faciebat omni ferarum cicuratione maiora. p.488.n.26

Sol.

Sol primo die fuit creatus. pag. 5.num.12

Spes, Sperare.

Spes Theologica per ſe, id eſt, ex parte ſui obiecti primarij non habet medium, per accidens tamen poteſt habere. pag.186.num.14

Hoc medium in Spe eſt duplex. ibid.

Non habet medium ex parte actus. ibid.n.15. & ſeqq.

Non datur Spes acquiſita, quæ ſit actus bonus & honeſtus circa obiectum ſupernaturale. p.187. num.2. & ſeqq.

Spei actus eſt voluntas efficax. ibid.n.3

Spes non manet in beatis, nequequoad habitum, neque quoad actum, etiam ſecundarium. pag. 190. aliàs 180.n.3.& ſeqq.

Expellitur autem in gloria ab habitu luminis gloriæ radicaliter, à charitate conſummata formaliter. pag.191.n.5

Non manet ſine fide, quomodocumque Fides deſtruatur. ibid.p.177.num.6

Spes Theologica non habet in ſua ſpecificatione alium actum præter actum ſperandi beatitudinem, & ſecundariò ea, quæ ad beatitudinem requiruntur, vel conſequuntur. pag.191.num.9

Limitatur ad perficiendum ſtatum viæ. ibid.

Vnde non manet in patria etiam quoad ornatum. p.192.n.11.

Petit ſubiectum carens beatitudine, vel cum poſſibilitate carendi, nec ſufficit poſſibilitas remota, & quaſi obedientialis, ſed proxima. ibid.n.12. & ſeq.

Spes communiter dicta non manet in beatis ad ſperandam gloriam corporis. p.192.n.1

Nec etiam ad ſperandum nouas reuelationes, & gloriam accidentalem. ibid.

Neque ad deſiderandum aliis beatitudinem, vel alia bona. ibid.

Probabile eſt non fuiſſe in Chriſto Spem communiter dictam, contrarium tamen videtur conformius D.Thom. p.193.n.7.& ſeqq.

Spes eſt certa ex parte obiecti formalis. p.194.n.1

Ad illam tamen non pertinet certitudo ſpeculatiua, ſed practica. p.195.num.3

In obiecto eius eſt duplex certitudo. ibid.n.4

Ex parte ſui motiui certiſſima eſt, incerta autem ex parte ſubiecti. ibid.

Non innititur libero arbitrio vt medio, ſeu motiuo, ſed tanquam ſubiecto. p.196.n.6

Non poteſt ſperare Spe Theologica beatitudinem homo cui facta eſt reuelatio de ſua damnatione. pag.206.n.8

Poterit tamen ſperare non per Spem Theologicam, ea quæ ſunt neceſſaria ad vitanda peccata, & implenda præcepta. ibid.

Spei Theologicæ obiectum eſt bonum diuinum arduum poſſibile futurum. p.172.n.3.& p.207. num.11

Futurum quidem non in re, & ex parte euentus, ſed ſecundum practicum & prudentiale dictamen. ibid.

Non eſt bonum diuinum vt amabile amore concupiſcentiæ. p.173.n.9

Spes Theologica non poteſt elicere aliquem actum ſi non maneat ratio formalis ſub qua, etiamſi maneat obiectum formale quod. p.174. n.13

Ratio ardui reperta in obiecto Spei non eſt idem quod adipiſcibile per facultatem alienam. ibid. num.14

Spei Theologicæ eſſentia non ſaluatur, ſi bonum quod ſperatur non ſit diuinum, etiamſi auxilio diuino ſperetur. ibid.num.15

Formale obiectum Spei Theologicæ eſt diuinum auxilium quatenus conſtituit bonum diuinum in ratione boni ardui aſſequibilis. p.175.n.16

Quod auxilium eſt ſupernaturale quoad ſubſtantiam. p.176. n.15

Ad rationem formalem obiecti Spei non pertinet Deus vt cauſa efficiens Spei, benè tamen vt cauſa efficiens reſpectu obiecti Spei. pag.177.n.10

Ad obiectum autem pertinet beatitudo non tanquam ratio formalis ſperandi, ſed tanquam res ſparata. p.178.n.11

Sperare bona creata ex auxilio diuino non pertinet ad Spem Theologicam. p.178.n.15.& p.189.n.2

Sperare beatitudinem æternam in auxilio humano temporali impoſſibile eſt. p.179.n.16

Imò ſi eſſet poſſibile non pertineret ad Spem Theologicam. ibid.

Spei Theologicæ obiectum materiale primarium eſt beatitudo æterna. ibid.n.1.& ſeqq.

Non beatitudo formalis, ſed obiectiua. ibid.n.3

Connotat tamen tanquam conditionem requiſitam viſionem, quæ eſt beatitudo formalis. ibid.

Ad obiectum materiale ſecundarium Spei pertinent bona creata, quæ conducunt ad beatitudinem. p.180.n.4

Sperare alteri beatitudinem eſt actus Virtutis Spei. ibid.n.6.7

Spes innititur auxilio diuino non ratione effectus quem ponit in nobis, ſed ratione virtutis à qua dimanat. p.181.n.3

Eadem eſt materia Spei, & deſperationis, licèt non eodem modo attacta. ibid.

Ad ſperandum alteri aliquod bonum, præſupponi debet amor vnitiuus erga illum, qui eſt amor beneuolentiæ. p.182.n.4

Sperare beatitudinem alteri poteſt eſſe in peccatore. ibid.n.6

Spes Theologica deſtruitur per actum deſperationis non ſolum de ſalute propria, ſed etiam de ſalute alterius dum eſt in hac vita. ibid.

Spes eſt vnum ex donis infuſis à Deo in noſtra iuſtificatione. p.182.n.1

Imò eſt habitus operatiuus, & virtus eo modo quo iſto nomine Theologi & Philoſophi vtuntur, & oppoſitum eſt errori proximum. ibid.

In toto rigore eſt virtus. p.183.2

Spes informis non habet rationem virtutis perfectæ quantum ad ſtatum virtutis, ſed ſolùm quoad eſſentiam. ibid.

Spes informatur à charitate per ſubordinationem ad perfectionem illius. ibid.n.4.& ſeqq.

Aliter tamen informatur, ac virtutes morales. ibi.

Spe nullus poteſt malè vti tanquam principio, benè tamen tanquam obiecto. p.184.n.7

Sperare beatitudinem propter finem malum non eſt actus Spei Theologicæ. ibid.& ſeqq.

Sponſalia.

Sponſalia de futuro obligant ſub mortali pag.430. n.2.& pag.431. n.5

Status.

Quando quis obligatur per promiſſionem ad aliquem ſtatum, non obligatur ad ea, quæ ad illum pertinent, niſi mediante ſuſceptione ſtatus. p.433.n.5

Status legis gratiæ perfectior eſt alus. p.66.n.5

Stipendium.

Qui accipit duplex ſtipendium pro duabus miſſis, non ſatisfacit vnam dicendo. p.411.n.8

Subdiaconi.

Subdiaconi tenentur ad recitandum quotidiè officium diuinum. p.407.n.5

Vtrum autem hoc ſit ex iure, vel ex generali Eccleſiæ conſuetudine. ibid.

Summus Pontifex.

Summus Pontifex eſt ſuprema regula fidei, eſtque Regula ſui, & aliorum. p.81.n.6.& p.124.n.11

Hoc tamen Pontifex ſuppoſita acceptatione Eccleſiæ tanquam requiſitum neceſſarium. ibid.

Summus Pontifex approbando aliquod Officium non vtitur infallibili aſſiſtentia Spiritus ſancti: & ideò non habent ea quæ continentur in tali Officio infallibilem veritatem. p.403.n.10

Vide *Papa, Romanus Pontifex.*

Symbolum Fidei.

Symbolum fidei omnes etiam minores tenentur ſcire ad bene credendum. p.56.n.6

Vide *Articuli, Preceptum.*

Explicatur quid ſymbolum ſignificet. p.72.n.1

In ſymbolo veritates fidei optimè, & conuenienter ponuntur. ibid.& ſeqq.

Plura ſymbola edita fuerunt pro diuerſis temporibus, non ad inducendam nouam fidem, ſed vt eandem amplius explicarent. ibid.n.2

Symbolum Apoſtolorum ab ipſis fuit editum. ibid. & ſeq.

T

Taurus.

TAuri cicuratio in oppido de las Bruzas, in feſtiuitate D. Marci fieri ſolita. p.480.n.1

Taurus ad cicurationem electus Marci nomine inſignitur. ibid.

Taurus ad cicurationem nuncupatis ſuffragiis à Præfectis ſodalitatis eligitur. ibid.

Tauri ad cicurationem electi celebris hiſtoria & narratio. p.480.n.2.& ſeq.

Taurus cicuratus peractis ſolemniis diuinis dimittitur, priſtinam ferocitatem reſumit, & ad montes, & ſolita paſcua tranſuolat, toto impetu ruens. ibid.

Taurum dedicandi Marco Euangeliſtæ mos inde originem traxit, quòd in Serapidis ſolemniis, & debacchatione paſſus ſit. p.482.n.6

Tarus poteſt manſueſcere magica arte, & aliquibus cauſis naturalibus. p.482.n.9

Tauri Marco Euangeliſtæ dicati falſa Dioſcoridis narratio. p.483.n.2

Tauri Marco Euangeliſtæ dicati cicuratio non eſt effectus naturalis. p.483.n.7

Tauri cicuratio prædicta an poſſit diuinæ virtuti tribui. ibid.n.8

Tauri ferociſſimi, dæmonis & magorum poteſtate manſueſiunt. p.487.n.25

Temperantia.

Temperantiæ correſpondet donum Timoris inadæquatè, & ex parte actus ſecundarij. p.201.n.5

Templum.

Templum, & omnia, quæ in illis exterius celebrantur tulerunt Manichæi, & alij poſt ipſos. p.349. n.5

Tertulianus.

Romanum Pontificem per irriſionem Epiſcopum nominat. p.95.n.4

Tharſis.

Tharſis & Ophir quò claſſes Salomonis ibant pro eodem accipiuntur. p.457.n.2.& ſeqq.

Quid Tharſis nomine ſignificetur? Ibid. n.3.& ſeqq. ad longum.

Timor.

Timoris donum non eſt virtus, & quare? p.431. n.7.& ſeqq.

Timor eſt effectus fidei. pag.63. col.1.n.1

Timor filialis non eſt actus elicitus à charitate, ſed eſt actus doni Spiritus ſancti. p.199. n.10

Timor ſeruilis licet ſit ab Spiritu ſancto, non induit rationem doni. p.200. n.4. & p.203. n.11

Manet in peccatore. ibid.

Timor differt à triſtitia, quia iſta reſpicit malum in ſe ipſo, ille in ſua cauſa. p.201.n.2

Timor non ſolum habet puram fugam mali ſicut triſtitia, ſed proſecutionem erga bonum. ibid.

Timor reuerentialis reſpiciens perſonam vt inflictiuam mali, non requiritur quod reſpiciat malum vt imminens ſibi, ſed cuicumque inferiori abſolutè. p.203.*init.*

Timor filialis & ſeruilis non eſt vnus habitus. p.203.n.11. & ſeq.

Timor filialis creſcit creſcente charitate, licet malum reddatur minus poſſibile. p.204.n.15

Timor reſpicit malum futurum non futitione euentus in re, ſed futitione practicæ probabilitatis. p.107.n.11

Traditiones.

Traditiones non ſcriptæ non ſufficiunt ad indicandum

dum de Scripturæ Sacræ difficultatibus circa res fidei. p.88.n.9.& ſeqq.
Traditionis ſacræ tum ad fidem, tum ad mores pertinentis, authoritas. p.147.n.3.4

Tranſgreſſio.

Vide *Votum.*
Tranſgreſſio præcepti diuini non ſemper eſt mortale peccatum. p.418.n.2

Tranſlatio.

Septuaginta Interpretum tranſlatione, vſa fuit Eccleſia temporibus Apoſtolorum. p.149.n.2
Vt modò extat prædicta tranſlatio non eſt ſimpliciter regula fidei, licet magnæ ſit authoritatis. p.15.n.7.& ſeqq.
Plures tranſlationes Scripturæ Eccleſia admittit ſi Vulgatæ non contrarientur. p.150.n.1.& ſeq.

Tyrannus.

Tyranno minanti mortem niſi præbeas linguam, aut manum, &c. licitè poteſt illam offerre. p.256. num. 15

V.

Vates.

Vates olim Lauro coronati miracula recenſebant. p.483.*init.*

Veneratio.

Veneratio quomodo ſumat ſpeciem à circunſtantia diuerſo modo ac iniuria. p.312.n.11.& ſeq.
Diſtinctio inter iniuriam & venerationem Sanctorum. p.317.n.46
Veneratio Sanctorum ex vi Canonizationis, non eſt ex motiuo Religionis, ſed Duliæ. ibid.n.47. & ſeq.
Veneratio qua regulariter colitur creatura rationalis, vt eſt imago Dei, pertinet ad Duliam. pag.318.n.50
Poteſt tamen pertinere ad Religionem ex intentione operantis. ibid.

Veritas.

Quid ſit veritas in eſſendo, & cognoſcendo, & in dicendo? p.6.n.4
Veritas prima in teſtificando, ſeu in dicendo eſt ratio formalis fidei. ibid.
Vide *Fides.*
Prima veritas eſt res credita in ſe, & ſimul ratio credendi alia. ibid.& p.15.n.7
Veritas diuina ita infallibilis eſt, vt non indigeat firmari aliquo alio, neque etiam iuramento p.40. n.1

Veſtibulum.

Veſtibulum tartareæ regionis horrore à longe animas concutit. p.478.n.4

Virginitas. Vide *Votum.*

Virtus.

In virtutibus Theologicis idem eſt finis vltimus, & obiectum proximum, materialiter tamen & identicè. p.9.n.24
Virtus ſuperior aliquando perficit inferiorem, & communicat illi modum operandi vltra ſuum proprium ſpecificum. p.19.n.26
Virtutes etiam ſupernaturales poſſunt ferri in aliquid quod apparet bonum, licet in re non ſit. p.41.num.3
Virtutes Theologicæ præſupponuntur ad virtutes morales, & ad dona Spiritus Sancti. p.46.n.8
Virtutes morales manent in beatis, etiam ſi illarum materia deficiat. p.60.n.3
Ad rationem virtutis ſtrictè, & eſſentialiter ſumptæ, non requiritur quod ponat in vltimo perfectionis debitæ potentiæ, ſed terminum ſuæ materiæ. p.183.n.2
Virtute poteſt quis male vti tanquam obiecto, non autem tanquam principio. p.184.n.7
Et hoc poteſt contingere dupliciter. ibid.
Virtus Theologica reſpicit vt obiectum bonum diuinum. p.185.n.11
Quod nulli alteri virtuti competit? p.186.n.13
Quod intelligendum eſt tam de ratione formali, quàm de obiecto materiali immediato. ibid.
Virtutes Theologicæ per ſe loquendo non habent medium, per accidens autem poſſunt illud habere. p.186.n.14
Virtutes autem morales per ſe conſiſtunt in medio. ibid.
Virtutes Theologicæ tantùm ſunt tres. pag.187. num. 1
Virtus manere poteſt quoad actum conditionalem, ſi ſit conditionalis propter abſentiam materiæ in qua exercetur illa virtus. p.191. n.10
Secus autem ſi ſit conditionalis actus propter incapacitatem ſubiecti. ibid.& ſeqq.
Virtutes infuſæ augentur ad augmentum charitatis. p.229.n.4.& ſeq.
Virtus acquiſita non habet immediatam oppoſitionem cum peccato actuali. p.246.n.5
Stat optimè quod aliqua virtus non ſit vna, & tamen ſit virtus ſpecialis. p.322.n.1
Eadem ratio, formalis virtutis, quæ reſpicit rationem creatoris, reſpicit etiam rationem dominij. p.324.n.15
Virtus quæ ponitur in creatura ad ſoluendum debitum creationis, reſpicit Deum formaliter vt creatorem. p.324.n.17
Virtutes quæ ſunt ad alterum, diuerſificantur ſecundum diuerſam rationem debiti formaliter reſpectam. p.325.n.1
Virtutes quæ reſpectu hominum diſtinguuntur ſpecie, adunantur in vna virtute Religionis reſpectu Dei. ibid.n.3
Virtus exiſtens in vna potentia non ſolùm poteſt imperare aliam, ſed elicere actum alterius potentiæ. p.327.n.1.& ſeqq.
Ad hoc autem imprimit ei aliquid reale. ibid.
Virtus qua colitur Deus & proximus, non eſt eadem. p.331.n.1.& ſeqq.
In Virtutibus moralibus quomodo accipiatur medium? p.339.n.7
Virtus Religionis. Vide *Religio.*
Virtus Pietatis. Vide *Pietas.*
Virtus fidelitatis. Vide *Fidelitas.*

Vitium.

Non omnia vitia ſumunt ſpeciem à Deo, ſed ſolùm quædam ſpecialia, quæ ſunt contra virtutes Theologicas. p.311.n.12

Vnio.

Vnio hominis ad Deum tribus modis, ſcilicet per charitatem, ſanctitatem & deuotionem. p.362. num. 2

Voluntas, Voluntarium.

Voluntas non addit aliquid obiecto fidei ex parte veritatis; bene tamen ex parte conuenientiæ. pag.44. *init.*
Voluntatis actus ita neceſſario requiritur ad credendum quod nullo modo ſuppleri poteſt. ibid.
Vide *Pia affectio.*
Voluntas tripliciter ſe poteſt habere circa omiſſionem, & homicidium ex illa ſecutum. p.318. col.2.n.8
Voluntas a nullo motore extrinſeco præter Deum

poteſt

poteſt moueri. p.363.n.3

Vt moueatur ad actum deliberatum, præter actum indeliberatum indiget peculiari auxilio, quo efficaciter præmouetur à Deo ad deliberatè volendum. p.364.n.5.& ſeqq.

Voluntas mouet cæteras potentias quoad exercitium. p.372.n.23

Voluntarium quomodo aliquid poſſit eſſe præter intentionem voluntatis. p.261.n.13

Voluntarium aliquid dupliciter per modum cauſæ phyſicæ & moralis,& quomodo. ibid. num.13

Quando ſit volitus effectus præuiſus in cauſa, in cuius virtute non continetur, ab eo qui vult cauſam? p.262.n.5.& ſeq.

Quomodo dicatur homicidium voluntarium in iure occiſio aggreſſoris in defenſionem propriam? p.363.n.6

Præceptum & obligatio ſuperueniens voluntario indirectè non ſolum dat rationem imputabilis, ſed etiam voluntarij. pag.317.col.1.n.4

Votum, Vouens.

Qui ex voto ieiunare tenetur aliquo die etiam ſi in illo incidat vigilia, ſatisfacit vnico ieiunio. p.410.n.4

Ad votum non ſufficit propoſitum voluntatis,ſed requiritur promiſſio rei quæ vouetur.p.417.n.2

Vouens ſi non intendat promittere nec ſe obligare, neque ſeruare quod promittit, nullum facit votum. p.418.n.1

In foro tamen exteriori ſic vouens compelletur adimplere votum, & tenebitur Eccleſiæ obedire ratione ſcandali. ibid.

Vouens ſi habeat intentionem verè promittendi, & ſe obligandi,etiam ſi non habeat propoſitum ſeruandi promiſſum, verum facit votum quoad ſubſtantiam. p.419.n.3

Vouens abſque animo ſe obligandi,quia per ignorantiam exiſtimat obligationem non eſſe intrinſecam voto, non emittit verum votum, nec manet obligatus. ibid.n.5

Si quis voueret ex ignorantia, alicuius grauiſſimæ circunſtantiæ,quam ſi cognoſceret non voueret, non manet obligatus. ibid.n.5

Qui ſciens naturam promiſſionis, & obligationem eſſe inſeparabilem à voto, ſi intendit promittere, etiam ſi non habeat animum ſe obligandi,manet obligatus. ibid.n.7

Voti obligatio ſemel facti non pendet ex voluntate vouentis, ſed ſequitur ad ipſum iure naturali & diuino. p.420.n.2

Non ſufficit ad votum ſemiplena deliberatio. ibid. n.

Neque requiritur pleniſſima, etiam ad votum ſolemne Religionis, ſed ſufficit plena. ibid.& ſeqq.n.4

Non tenetur ſeruare votum, qui dubius eſt de plena deliberatione, & ſit æquale dubium pro vtraque parte. p.422.n.10

Votum peccandi venialiter per ſe loquendo eſt peccatum mortale. ibid.n.1

Votum de re indifferenti ad bonum vel malum morale,non eſt votum. p.423.n.4

Res tamē indifferens ex ſua ſpecie,ſi in indiuiduo determinatur ad bonum, eſt materia voti. ibid. num. 5

Si tamen illi deficiat ratio boni, ceſſat obligatio voti. ibid.n.6

Ea quæ cadunt ſub præcepto, poſſunt eſſe materia voti. ibid.p.423.n.1

Votum non peccandi mortaliter eſt validum, licet ſit periculoſum illud vouere. p.424.n.4

Votum autem de non peccando nec etiam venialiter, non eſt validum. ibid.n.5

Validum autem erit ſi fiat de vitando aliquo veniali, ſi facile vitari poſſit. ibid.

Votum factum propter malum finem de re tamen, quæ eſt in conſilio, quando & quomodo obliget? p.425.n.2.& ſeqq.

Quando votum eſt de re bona ordinatur tamen in pœnam peccati, aut præſeruationem illius, validum eſt. ibid.n.4

Idem dicendum quando eſt de re bona, quæ coniuncta eſt peccato, non tamen ad illud refertur. ibid.n.5

Votum de re quæ formaliter opponitur conſilio, non eſt validum. p.425.n.2

Imò eſt peccatum veniale. ibid.

Licitè poteſt quis vouere ſe non facturum deinceps aliquid quod bonum eſt,& cadit ſub conſilio,vtiſi adhibitis certis circunſtantiis.ibid.n.3

Si quis voueat non vouere niſi cum tali circunſtantia, adhoc tamen ſi aliquid voueat tali circunſtantia omiſſa,validum erit. ibid.n.3

Votum de re ſub conſilio, quæ eſt incompoſſibilis cum aliis rebus perfectioribus, non tamen eſt impedimentum ad illa aſcendenda, validum eſt. ibid.n.4

Votum de contrahendo matrimonium, etiam cum animo illud non conſummandi,eſt nullum.ibid. num. 5

Qui nimium tentatur à venereis ſi emittat votum ſimplex Religionis, non tenetur illud implere, ſi prudenter intelligat; Religionem non ſibi profuturam, ſed potius nocituram. ibid.n.6

Tenetur tamen vt maximè ſecurum diſpenſationem petere. ibid.

Secus eſt ſi votum ſolemne emittat. p.426. *init.*

Nullum ſit votum in Baptiſmo. p.426.n.5

Votum ſemper obligat ad ſui obſeruantiam ex genere ſub mortali. p.427.n.1

Quæ obſeruantia pertinet ad primum præceptum Decalogi. ibid.n.1

Votum de re leui quando res leuis eſt pars alterius materiæ maioris promiſſæ,non obligat ſub mortali. ibid.n.5

Imò neque etiam ſi ſit totalis materia, ordinata tamen immediatè in cultum Dei. ibid.& ſeqq.

Si autem talis materia ordinetur in vtilitatem proximi, ſi perueniat ad materiam grauem ex multiplicatione omiſſionum, erit peccatum mortale. p.428.n.6

Poteſt contingere quod id quod ante votum ſolùm erat peccatum veniale, vel nullum peccatum, ſit poſt votum mortale. p.428.n.3

Qui vouet non mentiri, ſi poſtea mentiatur, non peccat mortaliter. p.429.n.4

Si ille qui vouet Religionem habeat intentionem expreſſam adeundi omnes, tenetur omnes adire per ſe loquendo quoadusque recipiatur in aliqua. p.431.n.2

Aliquando per accidens poteſt non obligari, & quare. ibid.

Si autem votum fiat ſecundum communem modum vouendi, non tenetur vouens adire omnes Religiones. p.432.n.3

Si vouens Religionem habeat impedimentum perpetuum ad Religionem, excuſatur ab obligatione voti. ibid.n.4

Quod etiam intelligitur ſi impedimentum reſurgat poſt votum emiſſum. ibid.n.4

Id quod impediret, ſeu tolleret obligationem voti antequam fieret, deobligat ab eios executione, ſi poſtea eueniat. ibid.

Si tamen impedimentum tolleret ſolùm ante votum rationem vouendi, etiam ſi ſuperueniat facto voto, manet obligatio. ibid.

Si vouens Religionem habet impedimentum temporale, debet facere quod eſt ſibi poſſibile vt tollatur. ibid.num.5

Si autem non admittitur in illis vbi viget obſeruantia regularis, licet admittatur in aliqua valde laxa vbi noo eſt obſeruantia, non tenetur illam intrare. ibid.n.6

Si admiſſus in aliqua durante anno probationis prudenter cognoſcat ſe ineptum Religioni, excuſatur ab adimpletione voti. ibid.n.6

Votum religionis, & votum perſeuerandi in illa, ſunt omnino idem. p.433.n.4

Vouens Religionem, & illam non ingrediens ob aliquod impedimentum, non tenetur ex vi voti caſtitatem ſeruare. ibid.n.5.& ſeqq.

Quod etiam eſt verum ſi poſt votum emiſſum ducat vxorem, etiamſi ducendo peccet. ibid. n. 67

Vouens dare 100. ſi non poteſt niſi 10. dare, tenetur ad 10. p.534.n.10

Qui vouet virginitatem regulariter vouet eam ea affectu ad caſtitatem perpetuam; vnde etiam promittit caſtitatem. ibid.

Eta ita ſi ſemel amittat virginitatem, tamen manet obligatus ad caſtitatem. ibid.n.11

Si tamen detur quod mulier voueat virginitatem, ita vt ſolùm intendat primum congreſſum cum viro vitare, ſemel amiſſa non tenetur ad caſtitatem ex vi voti. ibid.

Votum non nubendi, & votum caſtitatis non ſunt idem, & ideò ex vi voti non nubendi non tenetur homo caſtitatem ſeruare. p.434.n.a

Votum non nubendi non eſt Papæ reſeruatum. ibid. n.a

Votum mulieris non nubendi vt placeat lenoni, vel vt facilius ſcortetur, non eſt validum. ibid. p.454. n.4

Si vouens ieiunium pro aliqoo tempore propter ſanctitatem illius, tranſacto illo, licet peccet non adimplendo, non tenetur ieiunare. p.a35. oum. 5

Si verò tempus reſpiciat tanquam menſuram actionis, etiam illo tranſacto manet obligatos. ibid.

Si vouens tempus non determinet & votum eſt conditionale, non obligat niſi impleta conditione. ibid.

Si autem eſt votum abſolutum, quantocius attentis omnibus circumſtantiis tenetur implere. ibi.

Votum perſonale noo tranſit per ſe loquendo in aliam perſonam. ibid.n.7

Vnde ſi aliqua communitas voueat ieiunium, v. g. non obligant ea vi voti ſucceſſores, poterunt tamen obligari ex conſuetudine. ibid.

Votum reale tranſit in ſucceſſores & hæredes, etiam ſi teſtator nihil de hoc exprimat. ibid. nmo. 8

Vota mixta, ſi in illis principalis ratio eſt perſonalis, idem eſt dicendom ac de perſonalibus. ibid. num.9

Si autem principallis ratio fuerit realis, idem eſt dicendum ac de realibus. ibid.& ſeqq.

Votum emittere, vtile eſt per ſe loquendo. p.435. n.2. & ſeqq.

Vt votum ſit opus virtutis tres conditiones requiruntur ſicut ad iuramentum. p.436.n.5

Tranſgrediens votum de re quæ alias erat in præcepto, duplici peccato peccat. ibid.n.1

Tranſgrediens verò illud quando eſt de re tantum ſub conſilio, vnico peccato peccat. ibid.n.a

Votum eſt actus Latriæ, ſeu Religionis. p.437.n.5. & ſeqq.

Qua ratione votum fiat Sanctis. ibid.n.6

Solemnitas voti non conſiſtit in aliqua benedictione, ſeu traditione externa. p.438.n.2

Neque in hoc quod impediat matrimonium contrahendum, & dirimat contractum. ibid.

Sed conſiſtit ſolemnitas vel in omnimoda traditione, vel ſaltem in traditione ad aliqoem ſpecialem cultum. ibid.

Votum Clericale ſolum eſt ſolemne extrinſece, & ex ſtatuto Eccleſiæ. ibid.n.5

Vota à Religioſo emiſſa.

Vide *Religioſi*.

Votum ſolemne quod fit in ſuſceptione Sacri Ordinis etiam ſi fiat à puero ante annos pubertatis, eſt validum. p.441.n.4

In voto poteſt fieri diſpenſatio. ibid.n.1

Imo, & in voto quod in ſuſceptione Ordinis Sacri fit. ibid.n.a

Quando votum commutatur, tenetur qui emiſit illud, ſeruare materiam in quam commutatur ex vi voti. p.441.n.5

Votum ſolemne Religionis diſpenſari non poteſt à Papa. p.443.n.a

Circa irritationem votorum.

Vide *Prelatus, Maritus, Dominus, Parentes.*

Vulgata editio.

Volgata editio duplex facta eſt, vna vetus, cuius author ignoratur, alia noua à S. Hieronymo. p.149.n.4

Editio Vulgata in omnibus recipienda eſt. p.150. n.1.& ſeqq.

Et habenda pro legitima. p.141.n.1

Poſt correctionem Sixti & Clementis VIII. ſecundom omne quod includit omnibus alus præferenda eſt. p.154.n.2.& ſeqq.

Vvicleph.

Vviclephi hæreſis circa Sacras Scripturas refertur. p.141.0.4

Vxor.

Vide *Maritus*.

Vxor nullum votum mariti poteſt irritare. p.440. oum. 11

FINIS.